COMMENTARIUS
LITTERALIS ET MORALIS
IN OMNES
EPISTOLAS
SANCTI
PAULI APOSTOLI,
ET IN VII.
EPISTOLAS CATHOLICAS,
AUCTORE R. P. F.
NATALI ALEXANDRO,
In Sacra Facultate Pariſienſi Doctore, in Collegio generali Pariſienſi FF. PP. emerito Theologiæ Profeſſore, & Studii Regente, Dominicanæ Provinciæ Pariſienſis Expræfecto.

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS,

Expenſis THOMÆ BETTINELLI VENETI,
MDCCLXVIII.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI D. D.

LUDOVICO-ANTONIO DE NOAILLES,

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Tit. S. Mariæ ad Minervam Cardinali, Archiepiſcopo Pariſienſi, Duci Sancti Clodoaldi, Pari Franciæ, Regii Ordinis Sancti Spiritus Commendatori &c.

F. NATALIS ALEXANDER,

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM PROFESSOR.

Sempiternam Felicitatem.

A*POSTOLICAS omnes Epiſtolas novo Commentario Litterali & Morali illuſtratas Tibi ut offeram*, CARDINALIS ARCHIPRÆSUL EMINENTISSIME, *non priſca tantum Noalliæ Domus nobilitas invitat, ab annis amplius ſeptingentis celebris, & perennibus Monumentis ad poſteritatis memoriam commendata; ſed privatæ etiam virtutes tuæ, ſumma qua fulges Dignitate eminentiores. Avitæ nobilitatis inſignia extant veſtigia in primariis & antiquiſſimis Lemovicum Cœnobiis, quibuſcum & Brivenſis Dominicanorum Conventus, olim centum Fratrum, a Progenitoribus tuis fundatus, & poſt Hæreticorum direptionem & incendium reſtauratus, Noalliæ gentis pietatem ac liberalitatem ad divini cultus propa-*

Digitized by Google

gationem & incrementum teſtatur & prædicat. HUGONEM NOALLIUM *ſanctiſſimi Francorum Regis* LUDOVICI NONI *in Ægyptiaca Expeditione comitem, fidei Chriſtianæ victimam infidelium gladiis cecidiſſe, ſuoque ſepultum triumpho, produnt Hiſtoriæ.* JOANNIS NOALLII *in bellis Aquitanicis Regum Chriſtianiſſimorum jura, & Francorum gloriam ac libertatem propugnantis, fidem conſtantiſſimam, & bellicam fortitudinem ac magnanimitatem, Noalii caſtri, Anglorum ultrice manu diruti ruina ac rudera clarius ac magnificentius quam trophæa qualibet eloquuntur. Res bello ac pace præclare geſtas ac proavis, a parente, fratribuſque tuis,* ECCLESIÆ PRINCEPS EMINENTISSIME, *Epiſtolæ nuncupatoriæ brevitas complecti non poteſt, quibus non dicam exordinandis, ſed vel recenſendis prolixa non ſufficeret oratio. Nobiliſſimæ Domus decora commemorare longius eſſet, quæ Provinciis Proreges, Gallicis Exercitibus Duces generoſos & invictos Polemarchos, Franciæ Pares, Regiorum ſtipatorum Præfectos, Sacræ Majeſtatis Conſervatores vigilantiſſimos dedit, Chriſtianiſſimis Regibus ob probatam fidelitatem & officia acceptiſſimos.*

Tametſi vero Noalliæ Domus antiqua nobilitas & gloria, virtute, præclariſque facinoribus ſuffulta, omni reverentia digna ſit; me in admirationem, reverentiam, & (ſi dicere auderem tantulus ego Frater) in amorem tui potiſſimum rapiunt gratiarum dona, quæ in Te Deus Optimus Maximus plena manu effudit. Pietas eximia, qua ab infantia imbutus es a ſancta Matre, cui mutuam vicem rependiſti, illam in Chriſto iterum parturiens, & ad perfectionem dirigens, ad quam votis ferventiſſimis ſuſpirabat, ut mater ſimul, & filia tua ſpiritualis eſſet, ingenita bonitas, & ad benefaciendum omnibus propenſiſſima indoles; morum ſuavitas ac modeſtia cum animi magnitudine conjuncta (quæ ſunt Noalliorum propriæ ac velut hereditariæ virtutes) vitæ innocentia, cujus in hanc uſque diem, donante Deo, cujus gratiæ quicquid boni ad ſalutem pertinentis in Te eſt, acceptum referre didiciſti: Orationis ſtudium, ſacræ eruditionis opes, zelus gloriæ Dei & ſalutis animarum, prudentia incomparabilis, omnium ſæ-

culi

culi vanitatum & deliciarum contemtus & fuga, Te Archiepiſcopalibus Regiæ Urbis, & Cardinalitiis infulis dignum præſtiterunt: Omnibus virtutum ac meritorum gradibus ad Eminentiſſimam Dignitatem aſcendiſti, Deo vocante ac providente, ut non ſolum Gallicam, ſed & Romanæ Eccleſiæ, ac per eam toti orbi Chriſtiano, cujus Mater eſt & Magiſtra, ſapientiæ, & omnium virtutum Paſtoralium exemplo ſuſpiciendus eſſes.

Eminet Paſtoralis vigilantia tua, ARCHIPRÆSUL MAXIME, *in cuſtodia depoſiti, tam Fidei, quam ſanioris morum doctrinæ, quod Tibi, omnibuſque Epiſcopis, & Romano imprimis Pontifici, a Domino creditum eſt. Hujus vigilantiæ teſtis æquiſſima Cenſura centum & viginti ſeptem Propoſitionum in Comitiis generalibus Cleri Gallicani anno milleſimo ſeptingenteſimo, Te Præſide, & ſanctæ unanimitatis inter Epiſcopos, poſt Deum, auctore, edita & promulgata. Teſtes Inſtructiones ac Litteræ Paſtorales ac Mandata de perfectione Chriſtiana & Vita interiore contra Pſeude-Myſticorum pernicioſa dogmata; contra Janſenianas propoſitiones ab Eccleſia merito damnatas ac hæreſeos nota inuſtas; contra inquietos & turbulentos homines, qui adverſus Pontificias Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. Conſtitutiones muſſitare & oblatrare non ceſſant ſuperba contumacia, & pacem Eccleſiæ ſtultis & ſine diſciplina quæſtionibus, litigioſis diſtinctiunculis, ac ſeditioſis Libellis perturbare. Omnia Paſtoralium Inſtructionum, Litterarun, ac Mandatorum tuorum argumenta percenſere, fructuſque ex eis in Eccleſiam redundantes obſervare ac prædicare ſi aggrederer, prolixior eſſem, ac importunus. In iis pariter elucent eruditio, pietas, zelus Apoſtolicus, prudentia & moderatio ſingularis.*

In Te pariter emicant caritas veritatis, & veritas caritatis, ARCHIPRÆSUL EMINENTISSIME; *Clero populique Chriſtiani exemplum Te Deus eſſe dedit in verbo, in doctrina, in converſatione, pietate, modeſtia, humilitate, quæ dignitatem non minuit, ſed auget; affabilitate, quæ majorem Eminentiæ tuæ reverentiam conciliat; manſuetudine, quæ animi firmitatem ſacro regimini neceſſariam non emollit; profuſa*

ſuſa in pauperes beneficentia, quam hominum oculis abſcondis quantum potes, ut Deum magis promerearis; in quotidiana ſacrorum Myſteriorum celebratione, in ſancto per ſingulos annos decem dierum ſeceſſu ante Viſitationem Diœceſis, in familiæ Archiepiſcopalis ad Chriſtianam pietatem inſtitutione: in quibus virtutum paſtoralium officiis ſancti Cardinalis Archiepiſcopi Mediolanenſis CAROLI BORROMÆI *accuratus & fervidus es æmulator. Aulam adis, non ut ſæculi moribus, ſed ut Eccleſiæ ſervias: non privatæ utilitati, ſed caritati; ad ædificationem, non ad oſtentationem; Apoſtolico ſpiritu, non Aulico; ubique tui ſimilis, in Eccleſia, in Aula, in domo, ubique ſine ſupercilio, ſine faſtu, ubique pietatis exemplar, Regi acceptiſſimus, Principibus reverendus, omnibus amabilis.*

Tot ac tantarum ornamenta virtutum, tot gratiæ dona, quibus Te Deus Optimus Maximus cumulavit, ob quæ & nos Divinæ Majeſtati gratias agimus immortales, quæ Te Pariſienſi Eccleſiæ Paſtorem, Clero Gallicano ornamentum, Catholicæ veritatis & doctrinæ ſanæ aſſertorem & propugnatorem, errorum & vitiorum averruncum, Diſciplinæ reſtauratorem, caritatis & pacis Eccleſiaſticæ conſervatorem, Religioſis Viris patrem ac protectorem, Litteratis hominibus ſtudia ſua ac labores Eccleſiæ utilitati devoventibus patronum benevolentiſſimum ac potentiſſimum, afflictis & oppreſſis præſidium ac ſolatium dedit: hæc (inquam) me impulerunt ut Commentarium iſtum in omnes ſancti Pauli, aliorumque Apoſtolorum Epiſtolas illuſtriſſimo Nomini tuo conſecrarem. Munus iſtud Litterarium pro ſumma benignitate tua ſuſcipias precor, ECCLESIÆ PRINCEPS EMINENTISSIME, *ut meæ in Te venerationis & obſervantiæ pignus, gratique animi pro benevolentia in me tua, quam ſæpe ſum expertus, perenne monumentum. Eminentiæ tuæ multos annos, optimam integramque valetudinem, donorumque cœleſtium incrementa a Deo adprecor, ut Eccleſiæ Pariſienſi quamdiutiſſime præſis ac proſis.*

Digitized by Google

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS

MAGISTRI GENERALIS
ORDINIS FF. PRÆDICATORUM.

NOS Fr. ANTONINUS CLOCHE Ordinis FF. Prædicatorum Magiſter Generalis & Servus: Tenore præſentium noſtrique auctoritate Officii, dilecto nobis in Chriſto Fratri R. P. NATALI ALEXANDRO in ſacra Facultate Pariſienſi Doctori, in magno S. Jacobi Conventu & Collegio Theologiæ emerito Profeſſori & Studii Regenti, ac Provinciæ Pariſienſis Exprovinciali, licentiam concedimus & facultatem in lucem edendi ac Typis mandandi *Commentarium Litteralem & Moralem in omnes Epiſtolas Sancti Pauli, & in ſeptem Epiſtolas Catholicas*, ſervatis de jure ſervandis.

Datum Romæ die 4. Maii 1709.

Fr. ANTONINUS CLOCHE, Magister Ordinis.

Fr. Carolus Hyacinthus Lascaris, Magiſter & Profocius.

M O N I T U M.

PRodeunt nunc Commentaria litteralia, & moralia in Omnes Epiſtolas Canonicas noſtri præclariſſimi P. NATALIS ALEXANDRI, quæ in tres Tomos partientur, & in ultimo addentur præcepta, & regulæ ad Prædicatores Verbi divini informandos cum ideis Concionum per totum annum.

AP.

APPROBATIO DOMINI BERTHÆ

DOCTORIS ET SOCII SORBONICI,

REGII LIBRORUM CENSORIS.

DE Mandato Illuſtriſſimi Galliarum Cancellarii, legi & expendi *Commentarium Litteralem & Moralem in omnes Epiſtolas ſancti Pauli Apoſtoli, & in ſeptem Epiſtolas Catholicas ſanctorum Apoſtolorum Jacobi, Petri, Joannis, & Judæ, Auctore* R. P. F. NATALI ALEXANDRO *in ſacra Facultate Pariſienſi Doctore*. Auctor pridem toto in orbe Chriſtiano celebris immenſitate illa eruditionis ſacræ, quam exhaurire potuit, vires nondum exhauſit ſuas. Id aggredi & tam fauſto exitu perficere ſat non habuit, quod antea nemo tentaſſet, jam ab ipſis Eccleſiæ incunabulis ad noſtram uſque ætatem, ſimul Hiſtoriæ ſalebras explanare, Chronologiæ receſſus perſcrutari, Critices nodos exſolvere, nebulas Dogmatis diſpellere; Opus arduum, ingens, magni pretii, ſummæ utilitatis; Opus hominis Religioſiſſimi & laborioſiſſimi, qui vitam omnem, vitæque vota omnia Muſæo & Altari concluſit. In hoc (inquam) Opere operoſiſſimo non hæſit indeſeſſus Auctor: Scholæ laborare, id eſt, ſpirare perrexit, atque adjutare Eccleſiam, prodeſſe Religioni, ornare Sodalitium. Divinis utriuſque Teſtamenti Litteris inutritus, in his, ſaltem quod ad præcipua capita attinet, evulſit quidquid ſpinarum, & illuſtravit quidquid inerat obſcuritatis, Inſtituti ſui auſterus legum cuſtos, & ſtudioſus doctrinæ defenſor; Commilitonum partes nec indecore, nec inauſpicato egit, & animos præconio veri vere Apoſtolico, quod Familiæ Dominicanæ ſpiritus & teſſera eſt, informavit. Reipublicæ Chriſtianæ Theologiam Moralem adornavit ex Oraculis Scripturæ & ſcitis Patrum ampliſſimam, quæ innocentiam & ſeveritatem ſpirat, nihil molle & diſſolutum habet. Evangelio plurimum luminis attulit ad litteræ intelligentiam, & diſciplinam Morum. Tandem quaſi velit inter ulnas & in ipſo S. Pauli complexu acquieſcere, & emori, in ejus intimum & ſacratiſſimum pectus inſinuare ſeſe conatus eſt meditatione diuturna, & lectione, ut liquet ex hocce novo in tanti Apoſtoli Epiſtolas Commentario, quos nos locupletat, & ipſe prodit in lucem auctor. Litteræ expoſitionem immodica Critice non onerat, varias lectiones inſigniores non omittit, ſenſum ſequitur qui verum præſefert magis, alios non improbat ſenſus, quos non æque probat. Quæ Mores ſpectant, pie ac luculenter ediſſerit; cuique Pauli Oraculo vim & ſplendorem accerſit ex ſelectiſſimis Patrum ſententiis & exquiſitioribus teſtimoniis; vitia, corruptelas, diſciplinam remiſſiorem inſectatur; virtutem, Regulam Evangelicam; quod ſeverum eſt ſuadet & inculcat; utrobique contumaciam Novitatis carpit; Summi Pontificis auctoritatem, jura Epiſcoporum, Regiam Majeſtatem egregie tuetur ac propugnat. Videtur dignus Commentarius eo Scriptore, qui magnum Theologiæ Pariſienſis Ornamentum; Dominicanis Ordinis decus, & habetur & exiſtit; dignus quo terminentur tot labores, quorum fructum & gloriam ætas nulla terminabit. Datum in Ædibus Sorbonicis die 9. Decembris Anno 1708.

COM-

COMMENTARIUS
LITTERALIS ET MORALIS
IN OMNES EPISTOLAS
SANCTI PAULI APOSTOLI

PROLOGUS.

COmmentario Litterali ac Morali in Evangelia publicam in Lucem edito, manum e tabula ſubducere cogitabam, aliis præſertim curis diſtractus, & Monaſticæ Provinciæ regimine ſolido quadriennio occupatus. Viſitationes Conventuum remotiſſimorum, quotidiana negotia; annexæ muneri ſolicitudines, & neceſſaria ſervitus, me a Muſæolo meo, libriſque avulſum detinebant. Sacris tamen ſtudiis aſſuetus, cum Pariſios luſtratis Provinciæ Cœnobiis redux eſſem, Apoſtoli Pauli Epiſtolas in manus ſumebam, meditabar, & quæ ad earum expoſitionem opportuna videbantur ſubciſivis horis in ſcripta redigebam. Cœptum opus diu abrupit gravis periculoſuſque morbus, quo, ſuſceptis per Dei miſericordiam Pœnitentiæ, ſalutaris Viatici, & Unctionis-Extremæ Sacramentis, ſenſuum perceptiones impeditæ, alimentorum interclusi meatus, deſperata a ſaluberrimæ Facultatis Doctoribus valetudo eſt. Anima Fraternis precibus Deo commendata, ad portas mortis deductus ſum. Verum Dei providentiſſima bonitas, Helvetii celeberrimi Medici ab amicis meis in extremo illo agone vocati arte ac miniſterio, me prope exanimem revocavit ad vitam, ſenſimque priſtinam valetudinem reſtituit. Actis Deo gratiis, qui me ad pœnitentiam ſervare

vare dignatus eſt, ubi me ex morbo difficili ac diuturno plene confirmatum ſenſi, S. Pauli Epiſtolas reſumpſi, deditque Deus ut cœptum Opus perficerem ea methodo & ſtylo, uti & eo conſilio, quo commentarium in Evangelia ante annos aliquot adornavi, ut Paſtorum & Miniſtrorum Eccleſiæ divinique verbi Prædicatorum utilitati ſervirem. Æquo bonoque animo ſuſcipite, Eccleſiaſtici Religioſique Viri Chriſtianæ Religionis promptuarium, Doctrinæ in tertio cœlo ab Apoſtolo Gentium auditæ medullam, totius Scripturæ divinæ, Theologiæque, ſive qua fidem ædificat, ſive qua mores informat, abſolutiſſimum compendium, ſancti Pauli Epiſtolas novo Commentario ſenſum Litteralem ac Moralem ſeorſim exponente illuſtratas: Adjunctumque in ſeptem Epiſtolas Catholicas SS. Jacobi, Petri, Joannis & Judæ Commentarium, eadem methodo adornatum: & Auctori ſeptuagenario gratiam ac pacem æternam a Deo veſtris ſacrificiis ac precibus impetrate.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM
S. PAULI APOSTOLI
AD ROMANOS,
COMMENTARIUS
LITTREALIS ET MORALIS.

PRÆFATIO.

SANCTO APOSTOLO Paulo ſcribendæ ad Romanos Epiſtolæ occaſionem dedit excitata Romæ Judæos inter & Gentiles ad Chriſti fidem converſos contentio de meritis operum & juſtificatione. Utrique enim ſuis meritis vocationem ſuam ad fidem Evangelii arrogabant. Judæi quidem ſe Dei populum ſingulariter electum eſſe gloriabantur; Legem ſibi datam, non Gentibus; Patriarchas ſuos & Prophetas Deo cumprimis familiares extitiſſe, divina oracula ſibi per illos tradita; divina promiſſa ſibi præcipue facta, pacta ſecum inita maxime de Meſſia generis humani Salvatore ex ipſis naſcituro, qui revera ad illos miſſus, ex illiſque natus erat. Hæc autem omnia Majorum ſuorum meritis, ſuiſque tribuebant, quod divini cultus ac Legis obſervandæ ſtudioſiſſimi ſibi viderentur; digni proinde præ ceteris populis quibus Evangelii gratiam ac promiſſa Deus exhiberet. Gentiles e contra Philoſophorum ſuorum ſapientiam jactabant, qui ſine ullo poſitivæ Legis adjutorio, ſolo naturæ lumine unum verum Deum ex mundi opificio cognoviſſent, & multa prudenter, juſte, fortiter ac temperanter geſſiſſent. Plebis vero idololatriam ignorantia quodam modo excuſari. Judæos certe ſe minus dignos Evangelii gratia & promiſſis, cum accepta veri Dei notitia, tantiſque ab eo beneficiis cumulati, nihilominus in idololatriam tam ſæpe, tam fœde relapſi eſſent, Chriſtumque Dei Filium morte turpiſſima condemnaſſent.

Huic fidelium Romæ degentium contentioni medetur Apoſtolus Epiſtola ad eos data, qua oſtendit nec Judæos, nec Gentiles gloriari debere, quaſi gratiam Evangelii ſuorum intuitu meritorum acceperint. Gratiam non eſſe gratiam, ſi ex meritis detur. Itaque ante gratiam, quam omnes gratis acceperant, omnes & ſingulos pariter obnoxios peccato fuiſſe, tantum abeſt ut Judæi per Legem, & Gentiles per Philoſophiam, aut per opera fidem præcedentia, juſtificari & ſalvari potuerint. Sola igitur fide in Chriſtum Jeſum Propitiatorem ac Mediatorem gratis a Deo donata, eaque per dilectionem operante, juſtificari ac ſalvari omnes, qui ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus, ſalutem conſequuntur.

S. Aug. in Expoſit. quarumdam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos.

Lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. in Expoſitione inchoata Epiſtolæ ad Romanos.

Hoc præcipuum Epiſtolæ ad Romanos argumentum eſt, quod paucis verbis complectitur S. Auguſtinus dicens. *In hac Epiſtola quæſtionem verſari operum Legis & gratiæ.* Et alibi: *Intentio Apoſtoli* (inquit) *hæc eſt ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Iſraelitæ gloriari, quod data ſibi legi ſerviſſent, & ex hoc Evangelii gratiam tamquam debitam meritis ſuis percepiſſent, quia legi ſerviebant. Unde nolebant eamdem gratiam dari gentibus, tamquam indignis qui Judæa Sacramenta perciperent.* Omnibus itaque gratiam Evangelii pariter veniſſe oſtendit, ac propterea gratiam vocari, quia non quaſi debitum juſtitiæ reddita eſt, ſed gratuito data. Tanta autem moderatione hoc argumentum tractat Apoſtolus, *ut nec Judæos ſuperbire permittat, tamquam de meritis operum legis: nec Gentes merito fidei adverſus Judæos inflari, quod ipſi receperint Chriſtum, quem illi crucifixerant. Tamquam enim pro ipſo Domino legatione fungens, hoc eſt pro lapide angulari, utrumque populum tam ex Judæis quam ex Gentibus connectit in Chriſto per vinculum gratiæ, utriſque auferens omnem ſuperbiam meritorum, & juſtificandos utroſque per gratiam humilitatis aſſocians.*

Nat. Alex. in Epiſt. D. Pauli tom. 1.

S. Aug. Epiſt. 195. alias 105. ad Sixtum.

Hæc Epiſtola primum inter Epiſtolas S. Pauli tenet locum, tum propter Urbis regnatricis dignitatem, & Romanos rerum dominos; tum ut *gratia prædicatio inde ſe velut a capite orbis toto orbe diffunderet. Ea eſt enim qua juſtificatur impius, id eſt, fit juſtus qui prius erat impius. Et hanc percipienda hujus gratiæ merita nulla præcedunt, quoniam meretur impius non gratiam, ſed pœna debetur; nec iſta eſſet gratia, ſi non daretur gratuita, ſed debita redderetur.*

Origenes Præfat. in Epiſt. ad Rom.

1. Corinth. 4.

Corinthi ſcriptam hanc Epiſtolam probat Origenes, quod miſſa fuerit per Phœben Diaconiſſam Eccleſiæ quæ erat in Cenchris portu Corinthiorum, cap. XVI. 1. *Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ quæ eſt in Cenchris: ut eam ſuſcipiatis in Domino digne ſanctis; & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi.* 2. Quod Caium, qui Corinthi morabatur, hoſpitem ſuum vocet, cap. XVI. 23. *Salutat vos Caius hoſpes meus, & univerſa Eccleſia.* Eo data eſt tempore, quo collectis in Macedonia & Achaja eleemoſynis profecturus erat Apoſtolus Hieroſolymam, cap. XV. 25. 26. *Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare ſanctis. Probaverunt enim Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem:* Unde colligit S. Joannes Chryſoſtomus, poſteriorem eſſe utraque ad Corinthios, cum in ſecundæ cap. 8. & 9. eos ad hanc eleemoſynam erogandam adhortetur.

4. Ceterum ordine temporis, ac ſcriptionis Paulinarum Epiſtolarum prima eſt Epiſtola 1. ad Theſſalonicenſes, quam Apoſtolus Corinthi ſcripſit. (1. *Theſſal.* 3.) Secuta eſt altera ad eoſdem. Deinde prima & ſecunda ad Corinthios, prima ad Timotheum, ad Titum, ſeptima ſcripta eſt Epiſtola ad Romanos. Alias vero Romæ ſcripſit ex vinculis hoc ordine, ad Galatas, ad Philippenſes, ad Philemonem, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Hebræos. Omnium autem ultima ſcripta eſt Epiſtola ſecunda ad Timotheum. Hunc ordinem Epiſtolarum S. Pauli, quod tempus ſpectat, ex ipſis Epiſtolis cum Hiſtoria Actuum Apoſtolorum collatis probat Theodoretus. Epiſtolam autem ad Romanos ceteris præpoſitam, *ut quia in ſe omnis ſuæ doctrinam, & accuratam copioſamque dogmatum pertractationem contineat.* Quamquam Epiſtolæ pars duplex ſit, dogmatica, quæ primis undecim capitibus, ethica quæ reliquis continetur. Multis difficultatibus & obſcuritatibus involuta eſt, quibus deterritus S. Auguſtinus cœptam hujus Epiſtolæ Expoſitionem imperfectam reliquit, ultra ſalutationis explicationem non progreſſus. Unde minime dubium eſt ad hanc potiſſimum reſpexiſſe S. Petrum, cum ſcripſit: In Epiſtolis Pauli eſſe *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Græce ſcriptam Tertii Amanuenſis manu omnes pene conſentiunt, & Græciſmi frequentes Latinæ Verſionis probant. Et vero cum hæc Epiſtola, quamquam Romanis proprie ſcripta, præcipua Chriſtianæ Religionis documenta contineret, eoque nomine ipſam cum aliis Eccleſiis communicari operæ pretium eſſet, eam Græce potius quam Latine ſcribi conveniens erat. Græcæ enim linguæ intelligentia & uſus latius patebat,

Theodoret. 1. Præfat. in Ep. S. Pauli.

1. Retract. c. 23.

2. Petri 3. 16.

quam

quam Latinæ. Quin & Romanis omnibus, etiam fœminis, familiarem fuiſſe, teſtis eſt Juvenalis: & peregrinis Romæ morantibus notiorem fuiſſe Latina, nemo negaverit.

CAPUT I.

Senſus Litteralis.

1. PAULUS *ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus.* Nomen ſuum, conditionem, officium adſcribit Epiſtolæ initio, pro more ſæculi, potiſſimum Romani. Saulus ante vocatus, Pauli nomen ſumpſit, vel a Sergio Paulo Proconſule, quem ad Chriſti fidem converterit *a*: vel ut nomen ſuum tenui inflexione Romanis auribus accomodaret *b*. Unde tunc Sauli nomen in Pauli commutavit, cum Apoſtolicum munus apud gentes obire cœpit, ut ſe Apoſtolorum omnium minimum ipſo etiam nomine profiteretur. *Servus Jeſu Chriſti*, tum conditione, ab illo ſcilicet redemptus & vindicatus; tum officio & miniſterio, ejus quippe negotium agens in prædicatione verbi, eique ad ſacram hanc functionem ſponte & ex amore penitus mancipatus.

a S. Hieron. in Epiſt. ad Philemonem.
b S. Aug. lib. de Spiritu & Litteris, cap. 7. Sermo 31. alias 3. De Diverſis, & alibi. Theodoret. in Comment.

Vocatus Apoſtolus. Non privata uſurpatione, ſed divina vocatione; non meis meritis, ſed una Dei gratia aſſumptus ad munus Apoſtolicum obeundum. Apoſtoli nomen proprie ac ſtricte hic ſumitur, quatenus præcipuam in Eccleſia dignitatem ſignificat illorum, quos ex Diſcipulorum numero Chriſtus immediate vocavit, illoſque in orbem univerſum tamquam legatos miſit cum ſumma poteſtate prædicandi Evangelium ſuum, fundandi ac regendi Eccleſias, & Spiritum ſanctum dandi. Tales fuere duodecim illi quos Dominus ex omnibus Diſcipulis ſuis electos Apoſtolos nominavit. (*Luc.* 6.) His nihilo inferior Paulus, qui de ſe ipſo ad Galatas *c* ſcribit: *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.* Et ad Corinthios: *d Nihil minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum.* Quamobrem Eccleſiæ uſu cum dicitur Apoſtolus, ſi non exprimatur quis Apoſtolus, non intelligitur niſi Paulus, quia pluribus Epiſtolis eſt notior, & plus omnibus laboravit.

c Galat. 1. 11. 12.
d 2. Corinth. 12. 11.
e Aug. l. 13. ad Bonifacium.

Segregatus in Evangelium Dei. Ab utero matris meæ, imo ab æterno e multis electus a Deo, ceu vas & organum ſingulare ad prædicandum ejus Evangelium, id eſt, lætiſſimum illud nuntium de redemptione & ſalute generis humani per Chriſtum, doctrinamque ac legem ab ipſo Chriſto Jeſu traditam annuntiandam & promulgandam coram gentibus & regibus, & filiis Iſrael. A Patre porro & Filio, & Spiritu ſancto electus eſt ad prædicationis Evangelicæ miniſterium. A Patre quidem, ut conſtat ex Epiſt. ad Galatas. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus.* A Filio vero, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum: *Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te.* A Spiritu ſancto denique dicente Prophetis & Doctoribus Eccleſiæ Antiochenæ. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Quibus locis ſimul collatis æqualitas Trinitatis manifeſte demonſtratur, Divinitas vero & conſubſtantialitas Filii inde confirmatur, quod *Evangelium Dei* quod hic vocat Apoſtolus, poſtea dicat Evangelium Filii. *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio Filii ejus.*

Act. 9. 15.
Galat. 1. 15. Theodoret. in Comment.
Act. 22. 21. Act. 13. 2.
Verſ. 9.

2. *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis.* Ab Evangelio depellit invidiam novitatis, admirabilem illam novitatem promiſſam ac prænuntiatam fuiſſe a Deo per Prophetas oſtendens, quorum oracula ſcriptis conſignata ſervantur. Hoc præcipuum argumentum quo veritas Religionis Chriſtianæ demonſtratur. Unde Origenes lib. 2. contra Celſum: *Omnium*, inquit, *quæ ad adſtruendam Chriſti fidem adhiberi poſſunt argumentorum maximum, hoc eſt, quod prædictus fuit a Prophetis qui apud Judæos fuerunt, tum Moſe, tum iis qui Moſe vel recentiores fuerunt, vel vetuſtiores.* Et Euſebius Præparationis Evangelicæ lib. 1. cap. 3. *Non levis eſt*, inquit, *probatio veritatis, quam tenemur, Hebraicarum litterarum teſtificatio, in quibus cum ante multos annos Hebræi Prophetæ bonorum promiſſionem omni mortali generi prædicaverint, nominatim Chriſti appellationis meminerunt, ejuſque adventum ad homines vaticinati ſunt.* Hinc S. Auguſtinus Tractatu xvi. in Joannem: *Quid eſt Chriſtus? dicet Paganus: Cui reſpondemus, Quem prænuntiaverunt Prophetæ.* Chriſtus *finis Legis & Prophetarum.*

Geneſ. 3. 15. Deut. 18. 18. Pſ. 44. 7. & 8. Pſ. 62. & 109. Iſai. 7. 8. & 9. 11. & 12. Jerem. 43. 3. & ſeq. & c. 33. 14. & ſeq.

De filio ſuo. Vel ad verbum, *promiſit*, hæc verba referuntur, & ſenſus eſt Deum Patrem per omnes Prophetas prædixiſſe Filii ſui futuram incarnationem, & in carne aſſumpta diſpenſationem: vel ad Evangelium Dei, cujus argumentum & ſubjectum explicat, ad præſtantiam ejus commendandam, quod ſcilicet de Filio Dei agat: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.* Qui a Patre natura genitus ante ſæcula, eique conſubſtantialis, filius etiam David in tempore factus eſt, ut qui ex ſemine David humanam naturam acceperit. Addit Apoſtolus, *ſecundum carnem*, ne natura quidem filius David exiſtimaretur, Dei autem ſecundum gratiam. Illa enim adjectio, *ſecundum carnem*, innuit quod Dei Patris vere eſt Filius ſecundum divinitatem, Neque enim in iis qui id ſunt ſolum quod videntur, illud invenitur adjectum, *ſecundum carnem*. Teſtis eſt Sanctus Matthæus Evangeliſta. Cum enim dixiſſet, *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam, &c.* Nuſquam addidit, *ſecundum carnem*, illis enim qui meri homines erant hujuſmodi non conveniebat additio. Hic vero quoniam non ſolum homo eſt, ſed & Deus ante ſæcula qui homo factus eſt, Verbum Deus, cum ſeminis David meminiſſet Apoſtolus, *ſecundum carnem* neceſſario addidit, nos aperte docens quomodo Dei ſit Filius ab æterno, ſecundum Divinam naturam; quomodo Filius David in tempore, *ſecundum carnem*, ideſt, ſecundum humanam naturam. *Ex ſemine David*, ideſt, ex familia, & poſteritate David, quatenus ex Mariæ ſubſtantia natus. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.* Pronomen *ei*, nec in Græco Textu, nec in Syriaca, nec in Æthiopica & Arabica legitur verſione, nec in pleriſque codicibus Latinis. Non legit Tertullianus hunc locum citans lib. adverſus Praxeam cap. 7. Veruntamen Vulgata noſtra Eccleſiæ uſu tam antiquo & tam conſtante, atque ſumma auctoritate conſecrata, SS. Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, ceterique Patres Latini, qui hunc locum attigerunt & citarunt, pronomen retinent, *Qui factus eſt ei ex ſemine David, ſecundum carnem.* Quo loco duæ in Chriſto naturæ ſigillatim aſſeruntur, & unitas perſonæ Chriſti declaratur, & naturalis filiatio æternaque generatio, & Filii a Patre diſtinctio, ſecundum perſonam; atque ita Arii, Sabellii, Neſtorii & Eutychetis hæreſes breviſſima ſententia refelluntur.

Theodoret. in Comment.
Chriſtus Jeſus verus Dei Filius.

4. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Qui prædeſtinatus eſt, ſecundum quod factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem, ſive quatenus hic homo ſingularis, ut per gratiam unionis perſonalis humana natura divinitate uncta, & in perſona Verbi ſubſiſtente, nullis meritis præcedentibus Filius Dei naturalis eſſet, æqualem, immo eamdem virtutem habens cum Deo Patre: quippe cum de ipſo ſcriptum ſit: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem.* Et, *Chriſtum Dei virtutem & Dei Sapientiam*, quæ quidem virtus & divinitas Chriſti hoc evidenti ſigno manifeſtata ac declarata eſt, quod Spiritum ſanctum in homines effuderit poſt Reſurrectionem ſuam ex mortuis: ſive Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem duo ſigna demonſtrant; donatio ſcilicet Spiritus Sancti ad Sanctificationem animarum, & revocatio mortuorum ad vitam immortalem & æternam. De prædeſtinatione Chriſti hunc locum eo ſenſu S. Auguſtinus explicat. „ Ipſa eſt (*inquit*) prædeſtinatio „ Sanctorum quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit: quam negare quis poteſt recte intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipſum Dominum gloriæ in quantum homo factus eſt Dei Filius, prædeſtinatum eſſe didicimus. Clamat Doctor gentium in capite Epiſtolarum ſuarum.“ *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* „ Prædeſtinatus eſt ergo Jeſus, ut qui futurus „ erat ſecundum carnem Filius David, eſſet tamen in virtute Filius Dei ſecundum Spiritum ſanctificationis; quia natus eſt de Spiritu ſancto & Virgine Maria. Ipſa eſt illa ineffabiliter „ facta hominis a Deo Verbo ſuſceptio ſingularis, ut Filius Dei & Filius hominis ſimul, „ filius hominis propter ſuſceptum hominem, &

S. Thomas Lect. 3. in c. 1. Ep. ad Rom. Apoc. 5. 1. Corinth. 1.
Chriſti prædeſtinatio, ſine meritorum prævisione.
S. Aug. l. de Prædeſt. Sanctor. cap. 15.

Filius

„ Filius Dei propter ſuſcipientem unigenitum
„ Deum veraciter & proprie diceretur, ne non
„ Trinitas, ſed quaternitas crederetur. Prædeſti-
„ nata eſt iſta naturæ humanæ tanta & tam celſa
„ & ſumma ſubvectio, ut quo attolleretur al-
„ tius non haberet: ſicut pro nobis ipſa divi-
„ nitas quo uſque ſe deponeret humilius, non
„ habuit, quam ſuſcepta natura hominis cum in-
„ firmitate carnis, uſque ad mortem crucis. Si-
„ cut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput
„ noſtrum eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus ut
„ membra ejus eſſemus. Humana hic merita con-
S. Aug. Tract. 105. in Joannem, num. 8. „ ticeſcant. *Et alibi*: Quaſi vero quiſquam regu-
„ lam fidei fideliter intuens, Filium Dei nega-
„ turus eſt prædeſtinatum, qui eum negare ho-
„ minem non poteſt. Recte quippe dicitur non
„ prædeſtinatus ſecundum id quod eſt verbum
„ Dei. Deus apud Deum, ut quid enim præ-
„ deſtinaretur, cum jam eſſet quod erat, ſine
„ initio, ſine termino ſempiternus? Illud autem
„ prædeſtinandum erat, quod nondum erat, ut
„ ſic ſuo tempore fieret, quemadmodum ante
„ omnia tempora prædeſtinatum erat ut fieret.
„ Quiſquis igitur Dei Filium prædeſtinatum ne-
„ gat, hunc eumdem filium hominis negat. Sed
„ propter contentioſos etiam hinc audiamus A-
„ poſtolum in ſuarum exordio litterarum ....
„ Secundum hanc ergo prædeſtinationem etiam
„ clarificatus eſt antequam mundus eſſet, ut eſſet
„ claritas ejus ex reſurrectione mortuorum apud
„ Patrem, ad cujus dexteram ſedet.

Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute &c. Græcus Textus habet: τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει. Quod ſic reddi Latine etiam poteſt. Qui definitus, judicatus, declaratus ſeu agnitus eſt Filius Dei tribus argumentis. 1. *In virtute*, ideſt per potentiam miraculorum. 2. *Per Spiritum Sanctificationis*, ideſt per Spiritum ſanctum, quem in ſe credentibus impertitus eſt. 3. *Ex reſurrectione mortuorum*, quia ſemetipſum, ſicut prædixerat, a morte ad vitam ſuſcitavit. Sic explicant Græci commentatores præſertim S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius. Eum ſenſum confirmant Verſiones Orientales. Syriaca: *Et agnitus eſt Filius Dei in virtute & Spiritu ſancto, qui reſurrexit a mortuis*. Æthiopica: *Quem declaravit eſſe Filium Dei, per virtutem ſuam, & per Spiritum ſanctum, eumque reſurrexiſſe a mortuis*, nempe *Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Nam & poteſtatem miracula in nomine ſuo faciendi dare, & Spiritum Sanctum impertiri, & a mortuis propria virtute reſurgere non poterat niſi Deus. Unde idem Paulus Antiochiæ Piſidiæ concionem habens ad Judæos ait: „ Et
„ nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres
„ noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus
„ adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum,
„ ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt; Filius
„ meus es tu, ego hodie genui te.

S. Joannes Chryſ. Hom. 1. in Epiſt. ad Rom. Theodoret. in c. 1. v. 4.

Act. 13. 32. 33.

5. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine ejus*. Per quem, ſcilicet Jeſum Chriſtum ut Mediatorem Dei & hominum a Patre miſſum, Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ, ego Paulus & Collegæ mei Apoſtoli accepimus gratiam ſanctificantem, aliaque dona cœleſtia, & dignitatem imprimis Apoſtolicam, ad quam nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei miſericordia vocati ſumus. Confer cum Epheſ. 3. 8. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti*. Et 1. Corinth. 15. 9. 10. *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus..... Gratia autem Dei ſum id quod ſum*. Addit, *ad obediendum fidei in omnibus gentibus*; ideſt, ut omnium gentium homines miniſterio meo recipiant Evangelii doctrinam, eique credant. Utitur autem obedientiæ verbo, quia dogmatibus fidei voluntate conſentimus, non ex rationis neceſſitate, cum ſint ſupra rationem. *Nemo* enim *credere poteſt niſi volens*. Unde Romanos ita compellat inferius Apoſtolus noſter: *Obediſtis ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis*. Apoſtolatus autem functiones obire ſe ſcribit vice & auctoritate Chriſti, ut ejus legatum, *pro nomine ejus*; ſive, ut alibi loquitur: *in perſona Chriſti*. Vel ad nomen ejus dilatandum, ad unam ejus gloriam, non lucri alicujus temporalis gratia, vel ut aliquam ipſe nominis celebritatem conſequar. 6. *In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti*. In quarum gentium Apoſtolatui noſtro ſubditarum numero eſtis & vos, o Romani Jeſu Chriſti miſeratione ad fidem vocati.

S. Aug. in Tract. 26. Jo. Rom. 6. 17. 2. Corinth. 2.

7. *Omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis*. Omnibus cujuſcunque ſint gentis, ſtatus, conditionis, in Chriſtum credentibus, qui Romæ degunt: qui non ſuis meritis, ſed Dei dilectione qua prior illos dilexit, ejuſque gratuita vocatione, conſecuti ſunt ut ſancti ſint & dicantur, per gratiam & Sacramenta gratiæ ſanctificati, & vocationi ſuæ puris moribus digne reſpondentes. Confer cum 1. Corinth. 6. 11. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri*. Et 1. ad Theſſalon. 4. 7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem*.

Gratia vobis & pax a Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. Bonorum omnium ſpiritualium & ad vitam æternam conducentium cumulum, & perfectam ac imperturbatam in Deo quietem, ab omnique malo immunitatem, vobis adprecor a Deo, qui nos per unigenitum Filium ſuum adoptare dignatus eſt in filios, & ejuſdem unigeniti cohæredes, & Jeſu Chriſto Domino noſtro, *per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*. Et, *Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*. Pacis nomine omnem rectam virtutis actionem ſignificari docet Theodoretus. Cum Deo enim pacem habet, qui Evangelicam vitæ inſtitutionem amplectitur, quique eam ſedulo in omnibus colit & obſervat. Horum autem donorum non ſolum Patrem, ſed etiam Filium largitorem eſſe oſtendit, quo Patris & Filii æqualitas luculenter probatur. 2. Petri. Rom. 5. 2.

8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo*. Gratias imprimis ago Deo omnium, ſed ſingulariter meo, cui ſervio, quem propitium ſentio, quem fide, ſpe, & charitate colo; ad quem omne bonum & datum optimum referendum eſt ut ad principium & finem: gratias, inquam, ipſi ago per Jeſum Chriſtum ſummum Sacerdotem, per quem nos omni benedictione ſpirituali cumulat *pro omnibus vobis*, veſtrum omnium cauſa, ob beneficium vobis collatum: *quia fides veſtra annunciatur*, ideſt celebratur & prædicatur *in univerſo mundo*: in omnibus mundi partibus Romano imperio ſubjectis. Cum enim Roma caput eſſet imperii, & illuc undique gentes confluerent, latere non poterat quod illic gerebatur; magnoque erat exemplo & ſolatio provincialibus Chriſtianis, quod in urbe orbis Domina multi fidem Chriſti amplexi eſſent, ſinecreque profiterentur.

9. *Teſtis enim mihi eſt Deus*: juranti credite, nec de meo erga vos affectu dubitetis: Teſtem invoco Deum, quem nihil latet, *cui ſervio* ſuprema ipſique uni debita ſervitute, *in ſpiritu meo*, cultu interno & ſpirituali, non externo tantum ut carnales Judæi; *in Evangelio Filii ejus* prædicando & propagando; *quod ſine intermiſſione*, aſſidue, nocte, dieque preces ad Deum fundens ſecundum ejus mandatum, officiumque meum, *memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis*. Ex quo intelligere poteſtis quantum mihi cordi & curæ ſit veſtrum omnium ſalus.

10. *Obſecrans ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*. Obſecrans Deum ut ſecundum vehemens animi mei deſiderium iter mihi facile expeditum ac proſperum ad vos aperiat, ſi ita ipſi placuerit, ſitque ex ejus gloria.

11. *Deſidero enim videre vos*: ſeu veſtra frui præſentia, *ut aliquid vobis impertiar gratiæ ſpiritualis*; non commodi alicujus temporalis cauſa; ſed ut ſpiritualium donorum, quæ a Spiritu ſancto in Eccleſiæ utilitatem accepi, vos participes faciam, *ad confirmandos vos*: ut in cœleſti Evangelii doctrina, qua jam imbuti eſtis, miniſterio meo vos confirmem. Verbo confirmandi utitur, quia Princeps Apoſtolorum Petrus Evangelii doctrinam jam Romanis prædicaverat. Non enim (inquit) aliam doctrinam vobis afferre, ſed eam quæ jam vobis tradita eſt confirmare, & arbores jam plantatas irrigare volo. 12. *Id eſt ſimul conſolari in vobis per eam quæ invicem eſt fidem veſtram atque meam*. Id autem opto, ut ex mutua communicatione fidei veſtræ ac meæ, communem vobiſcum conſolationem ac lætitiam percipiam. Humilitatem & moderationem ſummam Apoſtoli in his verbis Theodoretus obſervat, ad eorum ad quos ſcribit animos conciliandos. Non ſolum (inquit) vobis aliquid impertiri velim ſpiritualis gratiæ, ſed Theodoretus.

& a

& a vobis accipere. Excitat enim magiſtrum diſcipulorum alacritas, & profectus auditorum exhortatio concionatorum eſt, quam Græci verbi συμπαρακληθῆναι vim eſſe eruditi Interpretes voluot.

Rom. 15. 2. v. 21. 22.

13. *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos*, ut dilectionem meam, & ferventem ſalutis veſtræ curam, non ſolum verbo, ſed opere & veritate vobis oſtenderem; (*& prohibitus ſum uſque adhuc.*) Nec per me ſtetit quin propoſitum illud adimplerem; ſed aliis negotiis Evangelii magis urgentibus, Deo ita volente, impeditus ſum ac retardatus. *Ut aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in ceteris gentibus.* Ideo autem ad vos venire ſæpe propoſui, ut fructum aliquem prædicationis Evangelicæ apud vos colligerem, quemadmodum apud ceteras gentes, collectoſque fidei veſtræ ac bonorum operum veſtrorum manipulos Domino meſſis a quo miſſus ſum, cum gaudio incredibili offerrem.

Sic autem prædicavi Evangelium non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum de eo videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.

14. *Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Græcorum nomine Romanos etiam deſignat Apoſtolus, qui omnes nationes præter ſe ac Romanos Græcis artibus excultos, legibuſque primum inſtitutos, barbaras appellabant. Gentibus omnibus, etiam iis, quas Græci, voſque Romani, barbaras vocare conſueviſtis; doctis æque & indoctis, me profiteor annunciandi & docendi Evangelii debitorem ex injuncto mihi munere Apoſtolatus. 15. *Ita (quod in me) promptum eſt & vobis qui Romæ eſtis evangelizare.* Itaque quantum in me eſt, parato & prompto ſum animo ad Romanum iter, ut apud vos etiam Apoſtolicum Evangelii prædicandi atque docendi munus obeam.

16. *Non enim erubeſco Evangelium.* Quamvis Evangelium, & quod illius objectum eſt, Chriſtus crucifixus, novum vile & probroſum mundo videatur, illud tamen palam prædicare non me pudet, etiam in civitate quæ Imperii & Sapientiæ ſedes eſt. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primum & Græco.* Divina virtute

Marc. 16. 16.

& potentia, cujus eſt organum, efficax eſt ad æternam ſalutem afferendam credentibus omnibus, & ex fide viventibus, id eſt facientibus quod Evangelium præſcribit: Judæis imprimis, quibus promiſſiones factæ, & ex quibus Chriſtus

Rom. 11. 17. 18.

natus eſt; deinde Gentilibus, qui velut in eorum gratiam ſunt aſſumpti, ac ſi ramus oleaſtri in bonam olivam inſeratur.

17. *Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit.* Juſtitia qua Deus hominem donat, ſeu gratia anterior qua juſtos & ſanctos homines facit, & qua vere coram Deo juſti ſunt, revelatur in Evangelio. Quæ quidem juſtitia non ex operibus Legis eſt, ut Judæis videtur; neque ex operibus naturæ, ut Gentiles putant; ſed ex fide in Chriſtum Jeſum. *Ex fide in fidem:* Ex fide veteris Teſtamenti, in fidem novi; ex fide Prophetarum, in fidem Apoſtolorum; ex fide Patrum, in fidem filiorum. Utriuſque enim Teſtamenti homines per fidem Chriſti juſti fiunt & ſalutem conſequuntur. Antiqui enim Patres eadem fide venturum crediderunt, qua veniſſe credimus. *Habentes eumdem ſpiritum fidei . . . . . credimus propter quod & loquimur.*

2. Cor. 4. 13. S. Aug. Lib. de Spiritu & Littera, cap. 21.

HÆC eſt juſtitia Dei (inquit S. Auguſtinus) *quæ in Teſtamento veteri velata, in novo revelatur, quæ ideo juſtitia Dei dicitur, quod impertiendo eam juſtos facit;* ſicut Domini eſt ſalus, qua ſalvos facit.

Pſalm. 3. 9.

Et hæc eſt fides in qua & in quam revelatur, ex fide ſcilicet annunciantium in fidem obedientium: qua fide Jeſu Chriſti, id eſt quam nobis contulit Chriſtus, credimus ex Deo nobis eſſe, pleniuſque futurum eſſe quod juſte vivimus; unde illi ea pietate qua ſolus colendus eſt, gratias agimus. Sive, *ex fide in fidem*, id eſt

S. Aug. lib. 2. quæſt. Evang. quæſt. 39.

ex fide verborum quibus nunc credimus quod nondum videmus, in fidem rerum, qua in æternum quod nunc credimus obtinebimus; cum jam per ſpeciem manifeſtam ſe contemplandam præbebit ſanctis ipſa Dei Sapientia per quam facta ſunt omnia. Sive, *Ex fide in fidem*, id eſt ex fide augeſcente, & quæ perfectior in dies evadit & firmior: ſicut Apoſtoli dixerunt: *Domine, adauge nobis fidem.* Hebraiſmus eſt, qualis Pſalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem* & 2. Corint. 3. *A claritate in claritatem.*

Theophylact. & Oecumen.

Habacuth. 2. 4.

Probat autem Apoſtolus hanc doctrinam novam non eſſe, ſed propheticam; nec Judæos per Legem vere juſtos eſſe coram Deo, *Scriptum eſt enim: juſtus autem ex fide vivit.* Legendum, *vivet*, ſecundum meliores Codices eruditi Commentatores obſervant, quod in Hebræo futuri temporis verbum habeatur, & LXX. quoque Interpretes futurum reddiderint, & Syriaca etiam ac Æthiopica Verſio ſuffragentur: Verum Vulgata noſtra & hic, & ad Galat. 3. 11. & ad Hebræos 10. 38. præſentis temporis verbum conſtanter uſurpat, & S. Hieronymi divina Bibliotheca ex Vaticano Exemplari edita. Quamquam idem eſt in utraque ſenſus. Propheta enim futuri temporis verbum adhibuit ad ſignificandum perpetuitatem vitæ. Apoſtolus autem præſentis temporis verbo utitur ut pariter ſignificet totam juſti vitam qua juſtus eſt, ex fide oriri, & per eam ſervari: ut qui vitam juſtitiæ nec adipiſci potuerit niſi per fidem in Chriſtum Jeſum, nec in ea creſcere & proficere poſſit, nec in ea perſeverare niſi per fidem: non quod fides ſine ſpe ac fiducia remiſſionis peccatorum ac juſtitiæ conſequendæ, & ſine amore ſupernaturali quo Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiamus, ſine bona tandem voluntate placendi Deo, & mandata ejus implendi, ſufficiat ad juſtitiæ conſecutionem vel incrementum. Sed quod ex hac fide tanquam initio, fundamento, & radice vitæ ſpiritualis ac juſtitiæ habeat homo quod juſtus ſit ac juſte operetur, & quod in juſtitia proficiat ac perſeveret. Unde Apoſtolus alibi ait. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per Legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Denique quoties ex fide juſtificari hominem S. Paulus docet, de fide *quæ per charitatem operatur* intelligendus eſt.

Secundum LXX.

Galat. 2. 20. 21.

18. *Revelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Revelatur etenim in Evangelio vindicta Dei ſuperventura, & in omnes homines impios & injuſtos exercenda a Chriſto judice e cœlis deſcendente in flamma ignis. Impietatis nomine intelliguntur proprie peccata quæ adverſus cultum & religionem Dei committuntur; injuſtitiæ vero nomine cetera crimina. *Qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* His omnibus Evangelium pœnas in interitu æternas a facie Domini & a gloria virtutis ejus comminatur, qui veram quam de Deo ſunt aſſecuti notitiam per pravitatem voluntatis ſuæ, moreſque improbos velut captivam detinent, & ne in alios propagetur, ſupprimunt, & ne in opera pietatis erumpat, impediunt. *Veritatem in injuſtitia detinent.* Cultum ſcilicet uni Deo debitum creaturæ impendunt, quæ ſumma injuſtitia eſt. Sic Plato quam habebat Dei notitiam ſuppreſſit, & idololatria aliiſque flagitiis commaculatam velut in arto carcere captivam detinuit. Divinum certe Platonem immerito appellari, cum alia plurima, tum hæc imprimis ſententia probat: *Parentem & Opificem univerſorum neque invenire facile, neque inventum in vulgus promulgare tutum eſt.* Sic Seneca veritatem captivam detinuit, cum populo colens falſos Deos, tametſi unum verum Deum agnoſceret. „ Ille „ (*inquit S. Auguſt.*) quem Philoſophia quaſi liberum fecerat, tamen quia illuſtris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, „ agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat: „ quia videlicet magnum aliquid eum Philoſophia „ docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in mundo, ſed „ propter leges civium moreſque hominum, non „ quidem ageret fingentem ſcenicum in theatro, „ ſed imitaretur in templo: eo damnabilius, quo „ illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum „ populus veraciter agere exiſtimaret. "

Galat. 5. 6.

* *In Græco & Syriaco non legitur Dei, ſed ſimpliciter veritatem.*

2. Theſſalon. 3. 7. 8. 9.

Plato in Timæo.

S. Aug. l. 9. de Civ. Dei c. 10.

19. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit.* Quia quod naturæ lumine de Deo cognoſci poteſt, ſcilicet Deum eſſe unum, immutabilem, immenſum, æternum, omniſcium, perfectiſſimum, Creatorem ac Gubernatorem mundi, providentiſſimum, illis manifeſte & evidenter cognitum eſt. Deus enim illis manifeſtavit, tum per naturales ideas hominum cordibus inſcriptas, tum ex libro creaturarum.

Tertull. in Apologet. Deum magnitudinis & notum hominibus obiicit, & ignotum. Et hæc eſt ſumma delicti, nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt, &c.

20. *Inviſibilia enim ipſius, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Inviſibiles enim Dei perfectiones, æternaque illius potentia, & divinitas, ex creatione mundi, ſive ex rebus ab eo conditis perſpicue intelliguntur, & velut oculis ſeſe intuenda præbent. Ex operis enim præſtantia cognoſcitur ars, ingenium, ſapientia, & virtus opificis. *Ita ut ſint inexcuſabiles.* Nulla ut ipſis ſuppetat excuſatio ex ignorantia veritatis, at. *Quia cum Deum cognoviſſent* naturali jure, ſive *natura Magiſtra*, ut loquitur Tertullianus, *non ſicut Deum glorificaverunt*, de illius natura, attributis, operi-

operibus, ac beneficiis non recte ſentientes, nec cum honore cultuque debito venerati, debitiſque laudibus celebrantes: *aut gratias egerunt* ut bonorum omnium Auctori; ſed fortunæ, aſtris, prudentiæ ſuæ ac induſtriæ; aut certe iis qui natura non ſunt Dii, & Idolis, quæ nihil ſunt, bona omnia ſua & aliorum accepta retulerunt. *Sed evanuerunt* * *in cogitationibus ſuis*, in ſpeculationibus, ratiociniis, argutiiſque ſuis vani & inanes fuere; quia Dei nomen cœlo, ſyderibus, elementis, hominibus mortuis, idolis tribuerunt: *Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*. Illorum impietas & ingrati animi vitium tenebras & cæcitatem eorum mentibus effudit. Stulti facti ſunt, quia veram ſapientiam quæ in pietate conſiſtit, reſpuerunt. Sapientiæ lumine privati ſunt, quo Deus vere, perfecte & utiliter ad ſalutem cognoſcitur. Sicut enim qui oculos avertit a ſole, in tenebras incurrit; ita qui a Deo avertitur de ſe ipſo præſumens, ſpiritaliter obtenebratur. Unde idem Apoſtolus ad Epheſ. 4. 17. 18. *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, per cæcitatem cordis ipſorum*. Confer cum Sapientiæ XIII. *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, & rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt: ſciant quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt. Speciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri. Sed tamen adhuc in his minor eſt querela. Et hi enim fortaſſe errant, Deum quærentes, & volentes invenire. Etenim cum in operibus illius converſentur, inquirunt: & perſuaſum habent quoniam bona ſunt quæ videntur. Iterum autem nec his debet ignoſci. Si enim tantum potuerunt ſcire ut poſſent æſtimare ſæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Infelices autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum*. SEMPER, inquit Tertullianus, *humana gens male de Deo meruit, primo quidem ut inofficioſa ejus, quem cum intelligeret ex parte, non requiſivit: ſed & alios inſuper ſibi commentata eſt quos coleret: dehinc quod non inquirendo innocentiæ Magiſtrum, & nocentiæ judicem & exactorem, omnibus vitiis & criminibus inolevit. Ceterum ſi requiſiſſet, ſequebatur ut recognoſceret, & recognitum obſervaret, & obſervatum propitium magis experiretur, quam iratum*.

* Idola vanitates Scripturæ plerumque dicuntur.

4. Reg. 17. 15. *Secuti ſunt vanitates & vani facti ſunt, & ſecuti ſunt gentes quæ erant per circuitum eorum*. Jerem. 2. 5. *Quid invenerunt in me Patres veſtri iniquitatis, quia elongaverunt a me, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt?* Ibid. 41. 20. *Ecce omnes injuſti, & vana opera eorum, ventus & inane ſimulachra eorum*.

Tertull. Apolog. c. 42.

22. *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Cum ſe ſapientes cenſerent ac haberi amarent, eoque nomine gloriarentur, a vera ſapientia, quæ in vera erga Deum pietate poſita eſt, longiſſime aberraverunt, in eiſque divina illa oracula impleta ſunt: Proverb. 19. 3. *Stultitia hominis ſupplantat greſſus ejus, & contra Deum fervet animo ſuo*. Iſaiæ 5. 21. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*. Jeremiæ 10. 14. *Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia ſua: confuſus eſt omnis artifex in ſculptili: quoniam falſum eſt quod conflavit, & non eſt ſpiritus in eis*. An, amabo, ſapiens Seneca, cujus impiæ iſtæ ſententiæ ſunt? *Sapiens cum Diis ex pari vivit .... Abſoluta libertas, nec homines timere, nec Deum*.

23. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis* * *corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*. Sed enim incorruptibile nomen, naturam, majeſtatem, cultum ac venerationem immortalis Dei ad Simulachra homini mortali, imino volucribus, quadrupedibus, & reptilibus ſimilia tranſtulerunt. Confer cum Pſalmo 105. 20. *Et mutaverunt gloriam ſuam*, ſive ut habent LXX. Interpretes, *gloriam ejus*, ſcilicet Dei, *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Et Jeremiæ 2. 11. *Populus meus mutavit gloriam ſuam in idolum*. Gloria ſcilicet hominum in veri Dei confeſſione & cultu poſita eſt. Ac proinde ſenſus idem eſt, ſive legatur, *mutaverunt gloriam ſuam*, vel, *gloriam ejus*. Varias variarum Gentium idololatriæ ſpecies, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, hoc loco perſtringit Apoſtolus.

* Similitudo imaginis per Hebraiſmum pro imagine ſimili, ſive repræſentante ponitur.

24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis*, propter quod, ſcilicet in pœnam idololatriæ & ingrati animi vitii, Deus illos auxilio ſuo deſtitutos pravis cupiditatibus permiſit, quibus in immunditiæ peccata fœdaſque libidines ſponte prolapſi ſunt: ita ut ipſi propria corpora fœdarent & contumelia afficerent. Confer cum 1. Corinth. 6. 18. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*, vel, *in ſemetipſis*, vel, *inter ſemetipſos*, ut legit S. Ambroſius lib. 1. *De Fide ad Gratianum*, cap. 16. id eſt, *inter ſe mutuo*, corpora ſua fœda libidine commaculant. *Tradidit illos Deus*, non impellendo in peccatum, abſit, ſed deſerendo, & non adjuvando, quod juſto judicio facit, ita peccata ordinans, ut ſubſequentia pœnæ ſint præcedentium. Quemadmodum enim ſi quis exercitus Præfectus prœlio ingraveſcente retrocedens abſceſſerit, hoſtibus milites tradidiſſe dicitur, haudquaquam ipſos impellens, verum ſuo deſtituens auxilio: ſic & Deus eos dimiſit, qui admittere ipſius præcepta noluerunt, ſed ab eo defecerunt, cum ille partes ſuas omnes expleviſſet. Aut ſicut ſi Medicus ægrotum ſuis conſiliis morem non gerentem, ſuaque remedia pertinaciter rejicientem ac ſpernentem quod facere ſinat quicquid vult, ſuoque appetitui permittat, ipſum tradere dicitur interitui, deſerendo, non impellendo vel operando. Cum vidiſſet ergo Deus mundi ſapientes nec velle per opificium ad Conditorem deduci, neque vi rationis indita meliora in rebus agendis eligere, ac deteriora fugere, illos ſua pene providentia privavit, & tanquam cymbam abſque ſuburra ferri permiſit: quaſi deſpectans eos gubernare qui ad extremam impietatem prolapſi fuerant, quæ injuſtam & legibus contrariam vitam peperit.

S. Aug. l. 6. contra Jul. cap. 1. 2. & alibi. S. Jo. Chryſoſt. Hom. in hunc loc. Ep. S. Theodoretus in Comm.

25. *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium*. Qui veram de Deo notitiam, de æterna ejus potentia & divinitate mentibus ipſorum inditam, & ab ejus operibus excitatam, mendacio commutarunt, pro Deo vero imaginarios & falſos admittentes: *& coluerunt* eos ſeu venerati ſunt religioſo cultu: *& ſervierunt creaturæ potius quam Creatori*. Adoratione & ſacrificiis, in quibus poſita eſt uni vero Deo debita ſervitus, creaturam coluerunt relicto & poſtpoſito Creatore, *qui eſt benedictus in ſæcula*, qui tanquam Deus in ſe glorioſus ac beatus, ſummeque independens, & omni laude major, omni tempore colendus ac laudandus eſt. *Amen*. Ita fiat. Philoſophi, non minus quam plebs Gentilis, veritatem Dei in mendacium commutaverunt, & creaturis relicto Creatore ſervierunt, tametſi non Civilem, aut Poeticam, ſed naturalem Theologiam profiterentur, de quibus ex Varrone S. Auguſtinus Lib. VI. *De Civitate Dei*, cap. 5. 6. 7. 8 & Lib. VII. *Qui eſt benedictus in ſæcula*. Ex hominum impietate nihil accipit detrimenti, ſed ejus Majeſtas ac gloria ſalva ſemper eſt, manetque in æternum omni laude dignus.

S. Jo. Chryſ. Homil. 3.

26. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*. Pluribus explicat Apoſtolus quomodo Deus punierit impietatem pſeudo-ſapientum ſeu Philoſophorum Gentilium, qui creaturæ ſervierunt relicto Creatore. Sicut enim gloriam Dei mutarunt in ea quæ beſtiis ipſis viliora ſunt, id eſt in ſimilitudines beſtiarum, & naturæ ordinem inverterunt, creaturam præponentes Creatori: ita Deus illos in pœnam impietatis permiſit ea patrare, quæ beſtiæ ipſæ abhorrent, & quæ naturæ ordini capitaliter adverſantur. *Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*. Permiſit ut paſſionibus fœdiſſimis, ignominioſis, infamibus, abominandis ſe dederent, cum agendo, tum patiendo nefaria. *Nam fœminæ eorum*, quibus a natura pudor inſitus eſt circa naturales etiam voluptates, virorum exemplo corruptæ *immutaverunt naturalem uſum* corporum ſuorum & ſexus officium, *in eum qui eſt contra naturam*, præpoſtera libidine, idque non ſemel aut iterum, ſed frequenti abuſu & conſuetudine abominabili.

Quo ſenſu Gentiles ob impietatem a Deo traditi paſſionibus ignominiæ.

27. *Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu fœminæ*, quem ad prolis propagationem in legitimo matrimonio Deus auctor naturæ deſtinavit, naturæ contrarias voluptates commenti & experti, *exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem*. Vim concupiſcentiæ ſupra modum omnem licentioſæ & effrænatæ exprimit hoc verbum, *exarſerunt*, nec non conſuetudinem mutuæ appetentiæ. *Maſculi in maſculos turpitudinem operantes*, ſtudioſe & impenſe perpetrantes fœditatem, exercenteſque libidinem ſterilem, naturæque contrariam. *Et mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes*. Condignam peccato ſuo pœnam recipientes in propriis corporibus, ut ſicut veritatem Dei in mendacium commutaverunt, ita naturalem uſum

in

Digitized by Google

in eum qui eſt contra naturam commutare permitterentur, & in fœdiſſima flagitia, pro arbitrio ſe totos immergere. Obſcœno puerorum amore infames fuere, Socrates, Zeno, Plato, Ariſtoteles: Solon & Lycurgus libidinem illam nefariam legibus ſuis permiſerunt, Romæ omnia hujuſmodi flagitiorum plena.

Diogenes Laertius in Zenonis Vita, Athenæus, l. 13. Deipnoſophiſtarum. Tertull. Apol. c. 46. 8, Gregor. Nazianz. Orat. 2. adverſus Jul. S. Jo. Chryſ. Hom. 4. in Epiſt. ad Rom. Teodoretus, lib. de Græcarum Affectionum Curatione, Sorg. de Legibus. De Romanis teſtes Horatius, Juvenalis, Seneca Epiſt. 95. Tacitus Cronemmat in Geſtis Tyberii Imp.

28. *Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia: Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Et ſicut Dei cognitioni & cultui ſedulo vacare non curarunt: tradidit illos Deus in reprobam mentem, perverſo corruptæ mentis de rebus agendis judicio illos permiſit, ut faciant quæ rationi & juri naturæ ac Gentium maxime repugnant. *Reprobum ſenſum* hoc loco vocat Apoſtolus mentem quæ ad omnem pietatem juſtitiamque inutilis eſt, proptereaque rejicitur a Deo ut illo indigna. Sic reproba pecunia eſt, quæ cum in ſe nullius ſit pretii, inutilis eſt ad negotiationis uſum. Confer cum Jeremiæ 6, 30. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.*

29. *Repletos omni iniquitate.* Factum eſt autem, ut ſic a Deo in pœnam infidelitatis & ingrati animi derelicti, repleterentur omni genere vitiorum, *malitia*, ſeu nocendi ſtudio, quod diabolicum crimen eſt: unde diabolus antonomaſtice *malus* appellatur: *fornicatione*, quo nomine omnis extra matrimonium legitimum viri cum muliere congreſſus intelligitur: *avaritia*, quæ cupiditas eſt inexplebilis habendi, etiam aliena malo titulo, per vim ſcilicet, fraudem & rapinam: *nequitia*, perverſa inclinatione ad deteriora: *plenos invidia*, quod vitium eſt alienæ felicitatis impatiens, *& homicidio*, invidiæ cognato crimine: *contentione*, qua quis certat ſtudio vincendi, non amore veritatis, non ratione, ſed animi pertinacia: *dolo*, quæ machinatio eſt ad fallendum & circumveniendum in negotiis proximum. *Malignitate*, qua omnia in pejus interpretamur contra mutuæ dilectionis officium. *Suſurrones*, qui ſuſpiciones malas inſuſurrant ad ſolvendam amicitiam. 30. *Detractores*, qui alienam famam apertius lacerant: *Deo odibiles*, ſeu Dei oſores, ſeu *abhorrentes a Deo*, ut S. Cyprianus Epiſt. 58. legit, ideſt quibus Deus eſt horrori ob juſtitiam vindicem quam exercet in malos: *contumelioſos*, qui alios injuriis & contumeliis & vi opprimunt: *ſuperbos, elatos*, qui propter ea quæ habent aut habere ſibi videntur bona, ſe aliis præponunt, eoſque deſpiciunt; ac vana de ſe opinione tumidi, de dictis factiſque ſuis ſe jactant, animalia gloriæ: *inventores malorum*, qui nova ſcelera, nova luxus ac libidinum genera, novas injurias, novas opprimendi artes, nova nocumenta ſeu nocendi inſtrumenta excogitant, qui, ut *Proverb.* 16. 28. dicitur, *fodiunt malum*, ideſt, nova malorum genera non aliter invenire ſtudent, quam foſſores aurum quærunt in fodinis. *Parentibus non obedientes*, ſeu (quæ vis eſt Græcæ vocis ἀπειθεῖς) *Interſuaſibiles*, monitia parentum non acquieſcentes, adverſus mandata ipſorum contumaces, intractabiles: 31. *Inſipientes*, qui rationis judicio & conſcientiæ dictamine non reguntur, ſed affectu præpoſtero feruntur & ruunt in vitia præcipites: *incompoſitos*, ideſt, inurbanis moribus ab omni ſocietate & conſuetudine honeſta alienos; ſive qui in pactis ſervandis ſe cum aliis non componunt. Syriacus Interpres vertit, *Cum quibus nullum eſt certum fœdus*. Eumdem ſenſum ſequitur Arabs. Theophylactus, *pactorum violatores*. Sed prior ſenſus, quem Vulgata noſtra præ ſe fert, præponendus, ne redundare videatur quod ſequitur inferius, *abſque fœdere*. Theodoretus huic ſenſui ſuffragatur, *incompoſitos* intelligens, qui vitam nefariam & a communi ſocietate alienam amplectuntur. *Sine affectione*, experres etiam naturalis affectus erga parentes, erga liberos & agnatos. Hoc vitium apud Romanos frequens, qui liberos, ſi numerus gravis videretur, aut necabant impune, aut exponebant, ut ipſis exprobrant Juſtinus Martyr & Tertullianus in Apolog. Unde Tacitus in Judæorum inſtitutis a Romanorum moribus diſcrepantibus, *Necare* (inquit) *quemquam ex agnatis nefas*. Addit Apoſtolus, *Abſque fœdere*: qui fidem & fœdera non ſervent; vel, *implacabiles*, quæ vis etiam eſt Græcæ vocis, ἀσπόνδους, qui ſemel offenſi reconciliari nolunt. Syrus: *Cum quibus nulla pax*. Quem ſenſum etiam Oecumenius & Theophylactus ſequuntur. *Sine miſericordia*, qui alienis miſeriis non commoventur, nec eas ſublevare operæ pretium ducunt, in inferendis & ulciſcendis injuriis crudeles.

32. *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent*, qua bonis bona, malis mala rependit, vel jus naturæ humanis mentibus a Deo inſitum, *non intellexerunt*, intelligere & conſiderare noluerunt, malitia quippe ſua excæcati, *quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte*, æterna. *Et non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, verbis vel factis, doctrina, conſilio, juſſu, patrocinio, adulatione, ope, participatione, ſilentio. Vulgata noſtra Verſio hic a Græco Textu paululum diſcrepat, prout illum reddunt antiqui Patres & poſterioris ævi Interpretes: *Qui juſtitiam Dei cognoſcentes (quoniam talia agentes digni ſunt morte) non ſolum ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus*. Sic, & Syrus: *Qui cum noverint judicium Dei, quod eos qui talia perpetrant ad mortem damnat, non ſolum ea peragunt, ſed etiam participant cum iis qui ea faciunt*. Conſentiunt Arabs & Ethiops. Verumtamen S. Cyprianus eo modo legit quo Vulgata noſtra: *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt morte ſunt digni, non tantum qui faciunt ea, ſed & qui conſentiunt eis qui hæc agunt*. Et S. Hieronymus, qui Novum Teſtamentum juſſu Damaſi Romani Pontificis Græcæ fidei reddidit, hunc locum iiſdem verbis exhibet quibus Vulgata noſtra.

S. Jo. Chriſoſt. Homil. 5. Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius.

S. Hieron. in ſua ea Bibliotheca.

CAPUT I.

Status Moralis.

1. PAULUS *ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei.* Reges & Principes terræ magnificos dignitatum ſuarum titulos, Edictis ſuis ac Litteris inſcribunt ambitioſo ſpiritu, faſtuque ſæculari: Paulus vero quamvis ſe *abortivum*, & *primum peccatorum*, & *Apoſtolatu indignum* ſentiat & palam profiteatur, Epiſtolis tamen ſuis ſibi convenientes ex Dei gratia titulos præponit, non ad oſtentationem, ſed ad eorum, ad quos ſcribit, utilitatem. Intelligentes enim quis illas ſcriberet majore illas ſtudio & alacritate accipiebant. Ac primum quidem Sauli nomen quod faſtum & gloriam ſæcularem redolebat, uſurpare noluit, ſed Pauli; quod Latino uſu parvum ſignificat, ut ſe *minimum Apoſtolorum* ipſo nomine indicaret. *Servum Jeſu Chriſti* ſe appellat, quem omnes increduli *fabri filium* ſceleratum, crucifixum, eoque nomine maledictum appellabant. Paulus vero ſervitutem ejus regno cuilibet anteponebat: Apoſtoli nomen adjicit; ſed infidelibus nomen illud erat: contemptui potius quam venerationi. 1 Corinth. 4. 9. *Puto quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos.* Et aliunde quidquid dignitatis eſt & gloriæ in Apoſtolatu, Dei vocationi & gratiæ debere ſe prædicat. *Vocatus Apoſtolus.* Hinc diſcant Viri Eccleſiaſtici ſæculares titulos non affectare, ſuorum Ordinum appellari nominibus, faſtum omnem exuere, fugere oſtentationem; dignitatibus & præfecturis, ſi quas in Eccleſia gerunt, non intumeſcere, non efferri; divinæ gratiæ tribuere, ſi ad eas vere ſint vocati, ſin minus, terribile judicium metuere. A ſancto Paulo diſcant, Paſtorale munus veram eſſe ſervitutem, ſe propter Chriſtum Jeſum & ejus Eccleſiam vivere, & laborare debere intelligant; quicquid poſſunt, quicquid agunt, quicquid poſſident, ad unam Chriſti gloriam & ſponſæ ejus decorem atque utilitatem, ad animarum denique ſalutem referendum. *Servus Jeſu Chriſti.* Verum ex amore ſerviant ei, cujus obſequiis ſe manciparunt, ad cujus cultum conſecrati ſunt. *Non enim acceperunt ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum*, (quæ gratia eſt Chriſtianis omnibus per Chriſtum data.) Et digne ſerviendo, omneſque ſacri miniſterii ſui partes implendo, nihilominus cum humilitate dicant; *Servi inutiles ſumus.* Vocationem examinent ſuam, infeliciſſimi enim ſunt, & maledictioni proximi, ſi abſque divina vocatione ſtatum Eccleſiaſticum, Dignitates, Paſtorale munus, & ſacrum quodvis miniſterium amplexi fuerint, ac ſubrepſerint. *Nec enim quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sic Paulus Apoſtolatum non ambivit, aut Apoſtolicam dignitatem ac munus uſurpavit, ſed a Deo *vocatus* eſt *Apoſtolus*. Vocationis ad Eccleſiaſticum ſtatum ac Miniſterium defectus, radix eſt & cauſa malorum omnium ac ſcandalorum, quæ Eccleſiam Dei dedecorant. „ Sane, *inquit ſanctus Bernardus*, qui non fideliter „ introivit, neque per Chriſtum, quidni infideliter „ agat & contra Chriſtum? manifeſtam ſine dubio „ ...

Theodor. in hunc locum. S. Aug. Lib. de Spiritu & Littera, cap. 7.

Sæculares tituli a Viris Eccleſiaſticis non affectandi.

Rom. 8. 15.

Luc. 17.

Hebr. 5. 4. 5.

Vocatio ad Eccleſiaſticum ſtatum & miniſterium neceſſaria & ſedulo examinanda.

S. Bernard. in Gaufridus Abbas Cl...

Digitized by Google

rav. Lib. De Colloquio Simonis ad Jeſum, ſive Declamat. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia, ch. 17. 1. Cor. 1. S. Bernard. ibid. cap. 13. Oct. 8.

„ faciet arborem fructus, radicem palmes, opus „ intentionem. Faciat ad quod venit, ut mactet „ utique & diſperdat. Quando enim altari ſerviat, „ qui ejuſmodi eſt: ſerviat autem in ſpiritu & „ veritate? Tales nimirum Pater adoratores quæ- „ rit. Alioqain miniſtratio mortis eſt, in ju- „ dicium & condemnationem. “ Videte vocatio- „ nem veſtram, (inquit Apoſtolus.) Quis ea in- „ tentione gradus Eccleſiaſticos, & Miniſteria San- „ ctuarii quærit, immo quæritur (quæri nempe „ quam quærere ipſe debuerat) ut ſine curis ſæ- „ culi, in ſanctimonia cordis & corporis illumi- „ nandus accedat ad Dominum, & ſuam pariter „ ac proximorum operetur ſalutem, orationis ſtu- „ dio deditus, & verbo prædicationis? *Ipſi regnaverunt, & non ex me*, ait Dominus; *principes extiterunt, & ego non vocavi eos*, „ Univerſos ſiquidem „ in Ordinibus Eccleſiaſticis, ceteriſque ad San- „ ctuarium pertinentibus honorem quærentes pro- „ prium, aut divitias, ſeu corporis voluntatem, „ poſtremo quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti; „ non ea quæ Deus eſt caritas, ſed aliena a Deo, „ & malorum omnium radix cupiditas introducit. *Videte vocationem veſtram*. Si nulla ſit, ſatagite ut per pœnitentiam, per ſacrum ſeceſſum, per abſtentionem a ſancti Miniſterii functionibus ſecundum conſilium docti ac pii conſcientiæ Moderatoris, per aſſiduam & ferventem orationem, per jejunia & eleemoſynas gratiam a Deo impetretis, qua ſuppleatur quod vobis defuit, ut in expiatum animum Spiritus ſanctus deſcendat, dignoſque Chriſti Miniſtros efficiat. Si autem vos Dei miſericordia vocatos agnoſcitis, vocationis veſtræ gratiam nolite negligere, ne ab ea decidatis, ſicut & Judas, qui etiam vocatus eſt Apoſtolus, & negligens vocationis ſuæ gratiam factus eſt fur & proditor. Eſt vocatus Paſtor, ſed non electus, qui præeſt gregi, & lacte ejus nutritur, lanis ejus operitur, ſed gregem non paſcit, quod infirmum eſt non conſolidat, quod ægrotum non ſanat, quod confractum eſt non alligat, quod abjectum eſt non reducit, quod perditum eſt non quærit: *ſed cum auſteritate & potentia* imperat, dominandi libidine, non caritate ſerviendi.

Origenes in c. 1. Ep. ad Rom. Ezech. 34.

Prædicationis officium quibus, & quomodo obeundum?

1. *Segregatus in Evangelium Dei*, 2. *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*. Evangelium prædicare, non omnium eſt qui ad ſtatum Eccleſiaſticum vocati ſunt, ſed eorum qui ad ſacrum illud miniſterium, quod Epiſcoporum proprium eſt, Dei vocatione, illorumque auctoritate & electione ſegregantur. Illud autem exercere non præſumant, niſi antea jugi oratione lacrymiſque purgati, & divinarum Scripturarum ſtudio eruditi, ut *Evangelium Dei*, non *viſiones cordis ſui* prædicent: Evangelium, inquam, ante prænuntiatum per Prophetas, quia *paratum deſiderabat ut credi poſſet*: Evangelium purum, non mollioris & effeminatæ eloquentiæ fucis adulteratum prædicent, ut *cum dicant nove, non dicant nova*. Agendæ pœnitentiæ, ferendæ crucis, abnegandi ſe ipſum, perpetuo confligendi cum vitiis & cupiditatibus, non amandi mundum, & ea quæ in mundo ſunt, divitias, honores, voluptates; ſed unius Dei præ omnibus & ſuper omnia diligendi neceſſitatem hominibus inculcent, judiciorum Dei ſeveritatem, æternæ vitæ præmia hominibus annuntient; Religionis Myſteria, veritates, officia capiant ex Prophetis, ex Evangelio, ex Apoſtolicis litteris, ex Patribus a Deo illuminatis. Hoc eſt prædicare *Evangelium Dei*. Scripturarum medicamenta omnia perſcrutari debent, & orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ ſuæ ad tam *periculoſum negotium tribuatur*, ut loquitur S. Auguſtinus. Sed exemplo vitæ ſanctioris imprimis prædicare ſtudeant Evangelium Dei, ſicut Prophetæ & Apoſtoli, a ſæculi motibus & corruptione ſegregati. *Prædicator quiſque plus actibus quam vocibus inſonet, & bene vivendo veſtigia ſequacibus imprimat, quam loquendo, quo gradiantur, oſtendat.*

Tertull. Vincent. Lirin.

S. Aug. Ep. 21. alias 148. S. Gregorius M. III. P. Curæ Paſtoralis, c. 6.

3. 4. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem. Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri*. Prædeſtinatio Jeſu Chriſti exemplar eſt prædeſtinationis electorum ejus, quos elegit Deus per ipſum ante mundi conſtitutionem ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu ejus, & in ipſo benedixit omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus. „ Eſt præclariſ- „ ſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ, ipſe „ Salvator, ipſe Mediator Dei & hominum homo „ Chriſtus Jeſus; qui ut hoc eſſet, quibus tan- „ dem ſuis vel operum vel fidei præcedentibus „ meritis natura humana quæ in illo eſt compara- „ vit? Reſpondeatur quæſo: Ille homo, ut a Ver- „ bo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſum- „ ptus, Filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc me- „ ruit? Quod ejus bonum qualecumque præceſſit? „ Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut „ ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?.... „ Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe fons „ gratiæ, unde ſecundum uniuſcujuſque menſuram „ ſe per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia „ fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtia- „ nus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus „ eſt Chriſtus: de ipſo Spiritu & hic renatus, de „ quo eſt ille natus; eodem Spiritu ſit in nobis re- „ miſſio peccatorum, quo Spiritu factum eſt ut „ nullum haberet ille peccatum. Imitatores ſimus Jeſu Chriſti, ejus exemplo & amore infirmitatem, humiliationem, & miſerias vitæ præſentis ſuſtineamus, ut filii Adam, ut gloriam reſurrectionis, quæ eſt adoptio perfecta filiorum Dei conſequamur.

S. Aug. l. de Prædeſtinatione ſanctorum, cap. 15. Prædeſtinatio Chriſti, exemplar prædeſtinationis membrorum ejus.

5. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus*. Omnis gratia a Deo eſt per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, tum ea quæ nobis datur ut fideles ſimus & obedientes divino lumini ad ſanctificationem noſtram; tum quæ ad aliorum utilitatem & converſionem tribuitur.... *Percurrat Apoſtolus orbem*,

Omnis gratia a Deo eſt per Jeſum Chriſtum.

Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet,
Quaque viam verbo reſeratam invenerit, intret:
Ut tamen his ſtudiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus,
Hac ſemen fidei radicem adfigere menti,
Eque ſinu cordis validum jubet edere germen,
Hac maturandam ſegetem ſervatque fovetque,
Ne lolium & tribuli, & vana dominentur avena.
Ne ventus frangat, torrens trahat, æſtus adurat;
Nec tam ſe nimiam læta & præfertis in altum
Extulerit, turpi procumbat ſtrata ruina.

S. Proſper Carm. De Ingratis, P. 2.

Paulo Philippis Macedoniæ Civitate prædicante, Lydia purpuraria credidit, quia *Dominus aperuit cor ejus intendere his quæ a Paulo dicebantur*: Si quem igitur fructum ſpiritualem colligat Prædicator Evangelicus, ejuſque concionibus auditores ad Deum convertantur, Dei gratiæ totum tribuat, nihil ſibi: ſi vero nullum vel exiguum fructum referat, humiliet ſe in conſpectu Dei, timeatque ne peccatis ſuis contingat ſpiritualis illa ſterilitas, utpote qui indignus ſit Evangelii Miniſter. *Act. 16. 14.*

Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Spiritus fidei, non eſt ſpiritus contentionis, ſed obedientiæ. Verbo Dei ſimpliciter & firmiter adhærendum, in auctoritate Dei revelantis acquieſcendum eſt, in captivitatem redigenda mens eſt in obſequium fidei. Locutus eſt Deus, ſileat humana mens, nullus eſt inquiſitioni ac diſputationi locus. Non intellectus ſolum, ſed voluntas fidei ſubjicienda eſt; vita noſtra Evangelio conformanda. Hoc eſt vere *obedire fidei*. Salutaris obedientia quam fidei debemus, ſine Dei amore eſſe non poteſt; nec amor Dei ſine mandatorum ejus obſervantia inveniri. Fidem & dilectionem probant opera, „ Sicut corpus ſine ſpi- „ ritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus „ mortua eſt. *Et*, Qui dicit ſe noſſe eum, & man- „ data ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc „ veritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, „ vere in hoc caritas Dei perfecta eſt: & in hoc „ ſcimus quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in „ ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe „ ambulare.

Obedientia fidei, in quo conſiſtit?

Jacobi 2. 26. 1. Jo. 2. 3. 4. 5. 6.

6. *In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti*. Sanctus Paulus gentium omnium Apoſtolus, ſuum etiamnum Apoſtolatum exercet, virtutum ſuorum exemplis, Epiſtoliſque ſuis ubique terrarum prædicare non ceſſans. Illas igitur audire & legere debemus quaſi ad nos ſcriptas; gratias perennes agere Deo quod e Gentibus per Jeſum Chriſtum vocatis & ad obedientiam fidei adductis nos eſſe voluerit ſolo miſericordiæ ſuæ dono, ceteris in infidelitate relictis: gratiam illam qua Chriſtiani ſumus honoribus & dignitatibus omnibus ſæculi præponere, in qua plebeii magnatibus & principibus, ſervi Dominis, pauperes divitibus, eruditis imperiti coæquantur. 7. *Omnibus qui ſunt Romæ*. Romanis rerum Dominis nihil amplius tribuit Apoſtolus quam reliquis gentibus; ſed nec inter eos diſcrimen obſervat conditionum aut dignitatum, quamvis inter eos qui in Chriſtum crediderant, aliqui eſſent nobilitate, opibus, aut doctrina præſtantes; ſed eorum faſtum dejiciens, pari-

Gratia qua Chriſtiani ſumus, omnibus honoribus ſæculi præponenda.

S. Joannes Chryſ. Homil. 1. in hanc Ep. Theodor. Comment.

Digitized by Google

pariter debitores eſſe docet gratiæ Dei, & æquales in regno Jeſu Chriſti, in quo non eſt ſervus, neque liber, multo magis neque Rex, neque privatus. Omnes enim fratres ſunt, omnes filii & hæredes Dei, cohæredes vero Chriſti. Omnes vocati ſunt, nemo per ſe ipſum advenit. *In quibus eſtis & vos*. Non ait, Alios vobiſcum; ſed, vos una cum aliis vocavit. *Omnibus qui ſunt Romæ*. Omnes una appellatione & ſalutatione dignatur, quod Deus perſonarum acceptor non ſit, ſed ſpiritualia dona æque omnibus propoſuerit, Evangelium, vocationem, fidem, ſpem cœleſtium bonorum, adoptionem in Dei filios, gratiam, pacem, ſanctificationem, regnum æternum. Hoc igitur modo fideles univerſos humilitatem edocet Apoſtolus, ne ex inæqualitate conditionum, aut bonorum temporalium, adverſus alios efferantur & inſoleſcant. Hoc ipſo & ſervos conſolatur, docens quod ex ſervitute nihil accipiant detrimenti, ut qui veram libertatem per Jeſum Chriſtum adepti ſint: & dominos ad modeſtiam componit, docens eos in conſpectu Dei viliores ſervis futuros, niſi liberati a peccato, ſervi Dei facti eſſent, fideique obedirent. Hinc diſcant Paſtores, Concionatores, Moderatores conſcientiarum, nullam acceptionem perſonarum habere in diſpenſatione cæleſtium bonorum, in adminiſtratione ſacramentorum, in prædicatione Evangelii, quæ ipſis concredita eſt. Idem Evangelium, una fides, unum baptiſma, eadem Chriſtianæ vitæ officia omnibus generatim propoſita, qui Chriſtiani vocantur. Nec emolliri, nec attemperari debet Chriſtianæ Legis diſciplina & Chriſti jugum in gratiam nobilium & divitum. Omnes ſine diſcrimine vocati, per arctam viam pariter ducendi ſunt ad vitam. Aliam enim Chriſtus non aperuit. A communibus Chriſtianæ diſciplinæ regulis, quas Chriſtus in Evangelio docuit, quas Apoſtoli tradiderunt, quas Eccleſia in Conciliis dirigente Spiritu ſancto promulgavit, non ſunt excipiendi magnates & divites.

In diſpenſatione cœleſtium bonorum & Sacramentorum adminiſtratione, nulla perſonarum acceptio habenda eſt.

Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis. Romana Eccleſia Deo ſingulariter dilecta, a Deo illuminata, ſancta, prædilectionis hujus privilegio a fundatione ſua per ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum ſemper vero permanſit, omniſque erroris pura, ab omni hæreſis ſuſpicione libera, *Mater & Magiſtra omnium Eccleſiarum* ſemper habita eſt. Quicumque ipſam audire noluerunt, amiſerunt veritatem; quicumque ab illa ſeparati ſunt, amiſerunt caritatem. Huic ſumma veneratione adhærendum: ejus Conſtitutionibus ac Decretis religioſe parendum eſt, ſi Deo dilecti, & ſancti eſſe velimus: *Dilectis Dei, vocatis ſanctis*. Dilectio Dei, fons omnium bonorum. *Unde ſanctificatio? A dilectione*, (ait ſanctus Joannes Chryſoſt.) *Vocatis ſanctis*. Chriſtianum eſſe & ad ſanctitatem vocatum, idem eſt. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra. Caput noſtrum Chriſtus Sanctus ſanctorum; Eccleſia Chriſti ſponſa, Mater noſtra ſancta eſt; Sacramenta ſancta; Evangelium ſanctum: ſancti igitur & immaculati Chriſtiani eſſe debent. Niſi ſancti ſint, Chriſtiano nomine ſunt indigni. Hinc Tertullianus Ethnicos his verbis compellat: „ De „ veſtris ſemper æſtuat carcer: de veſtris ſemper „ metalla ſuſpirant: de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur: de veſtris ſemper munerarii noxiorum „ greges paſcunt. Nemo illic Chriſtianus, niſi hoc „ tantum. Aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus. „ Nos ergo ſoli innocentes. Quid mirum, ſi neceſſe eſt? Enimvero neceſſe eſt. Innocentiam a „ Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto Magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus, „ ut ab incontemptibili diſpectore mandatam. Es „ *infra*. Sed dicet aliquis: Etiam de noſtris excedere quoſdam a regula diſciplinæ. Deſinunt tamen Chriſtiani haberi penes nos.

Eccleſia Romanæ juſta laus.

Chriſtiani ad ſanctitatem vocati.

Tertull. Apol. c. 45. Cap. 46.

7. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*. Hæc benedictio minor non eſt ea qua Noe, Sem & Japhet benedixit, qua Melchiſedech Abraham, qua Iſaac filium ſuum Jacob, qua Iſrael duodecim Patriarchas, qua Moyſes Tribus Iſrael benedixit. In Spiritu enim Dei Eccleſiis Chriſti & fidelibus benedicit Apoſtolus. Per ipſum ergo Spiritum ab Apoſtolo benedictionem acceperunt, gratiæ ſcilicet incrementum & pacem, qui digni fuere benedictione ejus. Alioquin fiet illud quod ſcriptum eſt: *Si fuerit ibi filius pacis requieſcet ſuper eum pax veſtra: ſin autem, ad vos revertetur*. Hinc diſcant Chriſtiani ſe dignos exhibere per morum innocentiam, aut pœnitentiam, Sacerdotali benedictione. Hinc diſcant Sacerdotes Spiritum ſanctum, quem in ſacra Ordinatione acceperunt, non extinguere, non contriſtare, ut fidelibus ſalutariter benedicant. Quamquam enim ab eorum probitate non pendeat Sacramentorum fructus, & orationum, quæ nomine Eccleſiæ fiunt, efficacia: ſi tamen indigni fuerint, pro quibus funduntur, benedictione ſpirituali, fructus benedictionis ad Sacerdotes, qui Chriſti Spiritum non habent, minime revertitur.

Matth. 10.

Gratia vobis & pax, in præſenti inchoata, in futuro conſummata. Tunc enim perfecta pax, cum caro adverſus ſpiritum amplius non concupiſcet, cum abſorpta erit mors in victoria, & corruptibile hoc induerit immortalitatem. Tunc plena & perfecta pax erit, cum plena & perfecta erit juſtitia. Tunc plena & perfecta juſtitia, ubi perfecta caritas. Tunc perfecta caritas, ubi nulla cupiditas, & plena immortalitas. *Gratia vobis & pax*. Finis omnium Dei conſiliorum, omnium Myſteriorum Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri, omnium deſideriorum hominis Chriſtiani, regnum eſt ipſius Jeſu Chriſti in terris per gratiam victricem peccati: & regnum Dei in pace qua ſanctos donabit in cœlis poſt deſtructionem omnimodam peccati. *Gratia vobis & pax a Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*. Non enim omnis gratia eſt a Deo. Nam & judices mali præbent gratiam, in accipiendis perſonis aliqua cupiditate illecti, aut timore perterriti. Neque etiam omnis pax Dei eſt aut ab illo: unde ipſe Dominus diſcernens ait: *Pacem meam do vobis*; adjungens etiam non ſe talem pacem dare, qualem dat hic mundus. „ Gratia eſt „ ergo a Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto, qua „ nobis peccata remittuntur, quibus adverſabamur „ Deo. Pax vero ipſa qua reconciliamur Deo. „ Cum enim per gratiam remiſſis peccatis abſumptæ fuerint inimicitiæ, reſtat ut pace adhæreamus illi, a quo nos ſola peccata dirimebant, „ ſicut Propheta dicit: *Iniquitates veſtræ diviſerunt* „ *inter vos & Deum veſtrum*. Quibus remiſſis per „ fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, nulla ſeparatione interveniente pax erit . . . *Sed* pax per„ fecta etiam corporis ſuo tempore dabitur, ſi „ nunc pacem quam Dominus per fidem dare dignatus eſt, inconcuſſe ſpiritus noſter atque incommutabiliter teneat.

Pax perfecta tunc erit, quando perfecta juſtitia & conſummata caritas.

Joan. 14. 27.

S. Aug. Expoſit. inchoat. Epiſt. ad Romanos.

Iſaiæ 59. 2.

8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo*. Commercium omne quod Religio Deum inter & homines conſtituit, in gratiis ab ejus bonitate recipiendis, & agendis poſitum eſt. Chriſtianum iſtud actionis gratiarum officium: *Animam ab invidiæ ac malignitatis morbo liberat, Deumque magis allicit ad eos amandos, quos grato erga ſe animo eſſe agnoſcit*. Gratiarum actio gratiæ promeretur incrementum.

Gratiarum actio gratiæ promeretur incrementum.

S. Jo. Chryſ.

Fons igitur meriti eſt lucis Pater, inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis majorum eſt cauſa bonorum,
Dum largitori ſua reddimus, atque relatis
Augemur, noſtrumque bonum ſit gloria dantis.

S. Proſper Carm. De ingrat.

Gratias igitur agamus Domino Deo noſtro pro beneficiis omnibus ab ejus ſumma bonitate acceptis, præcipue vero pro ſpiritualibus bonis; ſicut ſanctus Paulus gratias agebat non ob potentiam, gloriam, divitias, terrenamque felicitatem Romanorum, ſed ob eorum fidem, caritatem, conſtantemque in ipſis perſecutionibus pietatem ac patientiam. Gratias agamus in omni vitæ noſtræ ſtatu, non divites modo, ſed & paupertate oppreſſi; non ſani tantum, ſed & infirmi; non in proſperis tantum, ſed & adverſis in rebus, ſanctum virum Job imitati. Nec vero pro nobis dumtaxat, ſed pro fratribus noſtris gratias agamus. Cum enim per caritatem communia ſint totius corporis Eccleſiæ ſpiritualia bona, Chriſtianos omnes gratias agere oportet non pro gratiis tantum a ſe acceptis, ſed pro iis quas Dei miſericordia in alios effundit. Imprimis vero Paſtores & Sacerdotes omnes eo fungi oportet officio pro Chriſtiana plebe, & caritatis ſuæ fervore ſupplere aliorum Chriſtianorum in gratiis Deo referendis negligentiam. Gratias denique agere oportet per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, *Catholicum Patris* æterni *Sacerdotem*, ut loquitur Tertullianus.

9. 10. 11. 12. *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*. Bonum Paſtorem aſſiduas pro Eccleſia & pro grege ſuo ad Deum preces fundere oportet, Deo ſervire in ſpiritu, ſincera pietate, & amore caſto, *Non enim*

S. Aug. Eccleſiæ Miniſtri quomodo Deo ſervire debeant?

colunt

Digitized by Google

colitur niſi amando. Servire gratis, propter unam ipſius gloriam, ſervire in Evangelio Filii ejus: attendere lectioni, exhortationi & doctrinæ, inſtare in illis. Exhibere ſe operarium inconfuſibilem in verbo veritatis. Deum orare ut auditorum corda aperiat ad obediendum verbo; quia neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Zelo ſalutis & perfectionis animarum flagrare, nullis parcere laboribus ut Dei negotia promoveat, nullis difficultatibus a miniſterio ſuo deterreri. Non lucra vel commoda temporalia ſectari, ſed miniſterium obire ſuum *ut impertiat aliquid gratiæ ſpiritualis*, excitando peccatores ad pœnitentiam, confirmando probos & juſtos in Chriſtiana pietate, *ad confirmandos vos*. Sic alios accendere ad Dei amorem & Chriſtianæ legis obſervantiam, qui veræ ac vivæ fidei fructus ſunt, ut eorum ſancta converſatione & exemplis inardeſcat magis, & ad currendum alacrius in via mandatorum Dei & Evangelicæ perfectionis incitetur. *Id eſt, ſimul conſolari in vobis, per eam, quæ invicem eſt, fidem veſtram atque meam.*

Nec Paſtores ſolum & Sacerdotes, ſed veri quilibet Chriſtiani Eccleſiam Chriſti ſponſam matremque ſuam tenero amore proſequi debent, Deumque pro ejus incremento, felici regimine, & unitate aſſidue & ferventer orare. Qui enim Eccleſiam non diligit, Chriſtum ejus caput & ſponſum ſincere non diligit. Ceterum quod ſpectat media humana quæ ad opus Dei peragendum aſſumenda videntur, eorum, ut & omnium quæ ſuſcipimus, & nobis proponimus, executio felixque exitus divinæ committi debet voluntati, *obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*. Nam Prædicatorum Evangelicorum itinera, & verba, Miſſionumque exitus, Dei arbitrio reguntur ac diſpenſantur, & occulto Dei judicio ob peccata populorum interdum impediuntur. Unde Actuum 16. 6. *Tranſeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti ſunt a Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. 7. Tentabant ire in Bythiniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Et de Prædicatoribus Evangelicis ſub nubium ſymbolo ait Deus Iſai. 5. 6. *Nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Quamobrem & Apoſtolus hic ad Romanos ſcribit: *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos (& prohibitus ſum uſque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in ceteris gentibus.*

Paſtorum & Prædicatorum Evangelicorum dotes.

14. *Græcis, & Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum.* Omnibus omnia fieri debet Paſtor animarum, & Concionator Evangelicus. Doctrina & eloquentia illi opus eſt, ut ſapientibus explicet dogmata fidei, & vitæ Chriſtianæ præcepta; illorumque fidem, iſtorum obſervantiam perſuadeat. Patientia & manſuetudine opus eſt, ut doceat rudes & imperitos, quorum major in Eccleſia numerus. Omnium ovium ſibi commiſſarum curam æqua ſollicitudine ac vigilantia gerere debet, ſiquidem Chriſti ſanguine pariter redemptæ & acquiſitæ ſunt. „ Sapientibus efficitur debitor per hoc „ quod accepit ſapientiam in Myſterio abſcondi„ tam, quam ſapientibus & perfectis loqueretur. „ Quomodo autem & inſipientibus? in quo patien„ tiæ gratiam & longanimitatis accepit. Summa „ etenim patientia eſt ferre inſipientium motus, „ ignorantiam, tarditatem, ruſticitatem.“ Verumtamen, inquit Apoſtolus, *Diſpenſatio mihi credita eſt*, &, *Væ mihi ſi non evangelizavero*. Eadem omnibus debetur caritas, licet non eadem omnibus adhibenda ſit medicina. „ Ipſa item caritas alios parturit, „ cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios „ contremiſcit offendere, ad alios ſe inclinat, ad „ alios ſe erigit; aliis blanda, aliis ſevera, nulli „ inimica, omnibus mater.“ Caritas Paſtores & Prædicatores Evangelii paratos & promptos ſemper efficit ad Miniſterium ſuum forti, alacri ac læto animo obeundum. Ignavi, inertes, pigrique Sacerdotes, quos difficultates, pericula, labores, a functionibus ſuis deterrent, paſtorali munere ſunt indigni. 15. *Ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis evangelizare.*

Origenes in Comment. S. Auguſt.

S. Aug. l. De Catechizandis rudibus.

Non erubeſcendum Evangelium.

16. *Non enim erubeſco Evangelium.* Cur enim hominem pudeat prædicare aut facere, quod Deus pro ejus ſalute docere & pati voluit? Paulum ut non puderet verbum crucis, quod pereuntibus ſtultitia eſt, annuntiare Romæ, quæ humanæ ſapientiæ & eloquentiæ profanæ ſedes, ethnicæque ſuperſtitionis arx erat, magna opus erat caritate, qua pectus Apoſtolicum flagrabat; caritate (inquam) quæ improperia & humiliationes Chriſti honoribus & gloriæ mundi præponeret. Metus diſplicendi hominibus, malus pudor, malorum temporalium timor, ſervo Jeſu Chriſti non conveniunt. In Chriſtum credere, & prædicare crucifixum, *neceſſarium eſt dedecus fidei*. „ Salvus ſum, ſi non confun„ dar de Domino meo. Nam qui me erubuerit & „ meos ſermones, *inquit*, hunc Filius hominis eru„ beſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, „ & ſanctorum Angelorum. Alias non invenio ma„ terias confuſionis, quæ me per contemptum ru„ boris probent bene impudentem & feliciter ſtul„ tum. Crucifixus eſt Dei Filius: non pudet; „ quia pudendum eſt.“ Evangelium & crucem erubeſcunt, quos pudet ſecundum Evangelium vivere, corruptis ſæculi moribus non conformari. Hi dicere vere non poſſunt; *Non erubeſco Evangelium*. Neque vero ſancti Spiritus efficaciam & virtutem gratiæ Chriſti, quæ in eo latet, conſequuntur, quicumque illud audiunt aut legunt; ſed qui illud diligunt, ei fideliter obediunt, illudque accurate obſervant: *Virtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti*.

Tertull. l. De Carne Chriſti. Luc. 9. 2.

17. *Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit.* Omnes viæ Dei, miſericordia & veritas, ſive juſtitia. Utraque in Evangelio revelatur. Primum via miſericordiæ ſanctificantis & ſalvantis homines per Jeſum Chriſtum, fontem & perfectionem veræ juſtitiæ in Lege veteri abſconditæ, in nova manifeſtatæ; autorem, objectum, conſummatorem & finem fidei, ex qua juſti utriuſque teſtamenti vixerunt, vivunt, & vivent, quotquot ſalutem per ipſum conſequuntur, a juſto Abel uſque ad ultimum electorum. Animalis homo vivit ex iis quæ ſenſus paſcunt & delectant. Philoſophus ex iis quæ rationi ſapiunt. Chriſtianus ex gratia præſenti, quam in Chriſto & per Chriſtum obtinet & ſpe futurorum bonorum quæ fides ipſi præſentia reddit. *Juſtus autem ex fide vivit*. „ Quoniam ne„ que bonum noſtrum jam videmus, unde oportet „ ut credendo quæramus: neque ipſum recte vi„ vere nobis ex nobis eſt, niſi credentes adjuvet „ & orantes, qui & ipſam fidem dedit, qua nos „ ab illo adjuvandos eſſe credamus.“ *Juſtus ex fide vivit*. Enimvero *Difficile eſt ut male vivat, qui bene credit*.

Miſericordia & veritas Dei in Evangelio manifeſtantur.

S. Aug. l. 19. De Civ. Dei, cap. 4. Idem Serm. 49. alias 237. De tempore.

18. *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Manifeſtatur etiam in Evangelio via juſtitiæ, per Jeſum Chriſtum exercendæ in ſupremo judicii die, cum e cœlo veniet in majeſtate judicaturus & puniturus omnem impietatem & injuſtitiam hominum, qui cognita per ejus gratiam veritate abutuntur, ejus quidem lucem amantes, ſed vitam ſuam ad eam ceu ad regulam omnis juſti piique operis conformare non curantes. Hæc injuſtitia eſt in qua homines pene omnes, alii magis, alii minus, veritatem Dei detinent. Nam vera Dei cognitio, quantum eſt de ſe, inducit homines ad bonum (inquit S. Thomas) „ ſed ligatur quaſi captivitate detenta per injuſti„ tiæ affectum, per quam, ut Pſal. 11. dicitur, *Diminutæ ſunt veritates a filiis hominum.*

S. Thom. in Lectione 6.

19. 20. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.* Omnis Dei cognitio a Deo eſt; ſed graviorem damnationem arceſſit iis qui eum noverunt, niſi dilectionem ejus pariat, adorationem, & laudem. Hos autem pii & grati animi motus non parit, immo elationem potius & ſuperbiam, niſi Deus miſericordia ſua hominem præveniat, fideique lumine illuſtret. „ Cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, „ ecce undique mihi dicunt ut te amem, nec ceſ„ ſant dicere omnibus ut ſint inexcuſabiles. Al„ tius autem tu miſereberis cui miſertus eris, & „ miſericordiam præſtabis cui miſericors fueris: „ alioquin cœlum & terra ſurdis loquuntur laudes „ tuas.“ Si vero inexcuſabiles ſunt Ethnici, qui voces creaturarum audire noluerunt; quanto magis inexcuſabiles Chriſtiani, qui Evangelio Creatoris, vocique Myſteriorum, Miraculorum, & ſanguinis Jeſu Chriſti Redemptoris ſui cordis aures occluſerunt? *Ita ut ſint inexcuſabiles.* Creaturæ factæ ſunt in muſcipulam pedibus inſipientium; his adhærent carnales homines a Creatore deficientes. Proh pudor! Ex iis vero boni Chriſtiani ad Deum redeunt, & ad inviſibiles ejus perfectiones diligendas, ſempiternam quoque ejus virtutem ac divinitatem colendam accedunt. „ Si vigilantes exteriora conſpi„ cimus, *inquit ſanctus Gregorius*, per ipſa eadem „ ad interiora revocamur..... Menti enim noſtræ

Dei cognitio ſine fide, & amore Dei, & ſine cultu vauitate noſtitorum, inutilis eſt ad ſalutem.

S. Aug. l. 10. Conf. cap. 6.

S. Gregorius l. 26. Moral. cap. 8.

„ peccato ſuo exterius ſparſæ necdum Deus, ſicut „ eſt, interius innoteſcit: ſed dum ſacturæ ſuæ „ decus foris proponit, quaſi quibuſdam ſe nobis „ nutibus innuit, & quæ intus ſequamur, oſten„ dit; ac miro modo ipſis formis exterioribus nos „ ad interiora perducit: innuit immenſa admira„ tione quod eſt, mira hæc exterius oſtendendo, „ quæ non eſt. Hinc enim de Sapientia ſcriptum „ eſt: *In viis oſtendit ſe illis hilariter, & omni provi-* Cap. 6 „ *dentia occurrit illis*. Viæ quippe ad Creatorem „ ſunt opera conſiderata Creatoris. Quæ dum fa„ cta cernimus, potentiam factoris miramur. In „ iſtis viis a Sapientia omni nobis providentia oc„ curritur, quia factoris nobis virtus inquirenda „ proponitur in omne quod mirabiliter factum vi„ detur: & quocumque ſe verterit anima, ſi vi„ gilanter intendit, in iiſdem ipſis Deum invenit, „ per quæ reliquit; ejuſque potentiam ex eorum „ rurſus conſideratione cognoſcit, quorum amore „ deſervit: & per quæ perverſa cecidit, per hæc „ converſa revocatur. Ubi enim lapſi ſumus, ibi „ incumbimus ut ſurgamus: & quaſi ibi ſurgendo „ manum conſiderationis figimus, ubi pede amo„ ris lubrici corruentes negligendo jacebamus. „ Quia enim ab inviſibilibus per viſibilia cecidi„ mus, dignum eſt ut ad inviſibilia ipſis rurſum „ viſibilibus innitamur: ut quo caſu anima venit „ ad infima, eo gradu revertatur ad ſumma; atque „ eiſdem, quibus corruit paſſibus ſurgat.

Ita ut ſint inexcuſabiles. 21. *Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Ideo excuſari non poſſunt, quia prima eorum culpa ex ignorantia non proceſſit. Deum enim cognoverant, nec tamen coluerunt diligendo, & legem ejus obſervando; nec ad illum, quidquid in ipſis erat boni, per gratiarum actionem retulerunt. Horribilius iſtud in Chriſtianis quam in Paganis crimen eſt, gravi orique damnatione plectetur; & pars eorum cum incredulis erit in ſtagno ignis, qui non extinguitur. „ Cum enim ignorantes „ Dominum nulla exceptio tueatur a pena (quia ... l. De „ Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cæ... cap. 5. „ leſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non li„ cet) quanto cognitum deſpici periculoſum eſt? „ Deſpicit porro qui bonorum ac malorum intel„ lectum ab illo conſecutus, quod intelligit fu„ giendum, quodque jam fugit, reſumens, intel„ lectui ſuo, ideſt Dei dono contumeliam facit. „ Reſpuit datorem cum datum deſerit negat benefi„ cium, cum beneficium non honorat ... Ita in Domi„ num non modo contumax, ſed etiam ingratus apparet.

Sed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Proh quantam rationis corruptionem? quæ ad Deum quærendum & colendum homines impellere debebat, eos qui ſapientes videbantur, ab eo avertit. Ita Dei dono abuſi ſunt, in ſe ipſis & non in Deo fiduciam habentes. *Dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra a nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* Hinc cæ... 11.5. citas cordis, juſta ſuperbiæ pœna, Proverb. 11. 2. *Ubi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: ubi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia*. Unde Chriſtus Matth. 11. 25 *Confiteor, tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*, ideſt humilibus. Indicat Apoſtolus quatuor gradus cæcitatis, in quam Ethnicos Philoſophos præcipites egit ſuperbia. 1. Rationis lumen ita in ipſis obtenebratum eſt deſerente Deo, ut Deum ipſum vere non cognoverint, varios in errores circa naturam ejus, bonitatem, potentiam, providentiam, opera & beneficia prolapſi. Deum enim aut corporeum, aut improvidum, aut ex neceſſitate agentem, aut certo concluſum loco, aut rerum omnium opificem & omnium bonorum auctorem non eſſe ſenſerunt, plurima ad fatum, ad aſtra, ad caſum & fortunam referentes, aut induſtriæ certe ſuæ ac prudentiæ tribuentes. *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*.

2. Nec ſe ipſos cognoverunt illi gentium Philoſophi, quo magis enim ſapientum nomine gloriabantur, eo magis vera ſapientia deſtituti ſunt, quæ Dei unius ac veri cognitio & adoratio in ſpiritu & veritate eſt. 22. *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Jerem. 10. 14. *Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia*, in qua gloriatur, & quam Deo ſcientiarum domino acceptam non refert. Iſaiæ 5. 21. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*.

3. Nec alias creaturas cognovere, quarum imagines pro diis coluerunt. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*.

4. Non hominibus tantum, eorumque ſimulachris, ſed beſtiis etiam, & earum ſimilitudinibus, honorem ſoli Deo vero debitum detulerunt. „ Et vo„ lucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. *Confer* „ *cum Sapientia* 14. Acerbo luctu dolens pater, cito „ ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc „ quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum „ colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſa„ cra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, „ convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tan„ quam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio „ colebantur figmenta ... Et hæc fuit vitæ humanæ „ deceptio; quoniam aut affectui, aut regibus de„ ſervientes homines, incommunicabile nomen la„ pidibus & lignis impoſuerunt. Et cap. 13. Infeli„ ces autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, „ qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, „ aurum & argentum, artis inventionem, & ſimi„ litudinem animalium, aut lapidem inutilem, „ opus manus antiquæ ... Non erubeſcit loqui cum „ illo, qui ſine anima eſt; & pro ſanitate quidem „ infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, „ & in adjutorium inutilem invocat; & pro itine„ re petit ab eo qui ambulare non poteſt; & de ac„ quirendo, & de operando, & de omnium rerum „ eventu, petit ab eo, qui in omnibus eſt inuti„ lis. “ Lugendum, quod everſis jam idolorum templis, mali Chriſtiani nova in cordibus ſuis idola fabricent & colant; tot idola, quot crimina, quibus ſalutem immolant ſuam. Nonne aurum & argentum avari numina ſunt, in quibus ſpem ſuam collocat? *Avaritia ſimulachrorum ſervitus*. Nonne fallax & vana pulchritudo mulieris compoſitæ & circumornatæ ut ſimilitudo templi, idolum eſt amatoris impudici? Nonne idololatriæ ſpiritualis reus eſt, quiſquis terrenis cupiditatibus ſuis ſervit, per reptilium & animalium omne genus prophetice adumbratis? Ezechiel 8. 9. 10. *Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt. Et ingreſſus vidi & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium*.

24. 25. 26. 27. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis*. Triplex deſertionis gradus ob impietatem & ſuperbiam, qua relicto & poſtpoſito creatore, debitam illi ſoli ſervitutem creaturis exhibuerunt. 1. Tradidit illos Deus deſideriis cordis corrupti, gratiam ſubtrahendo, qua pravis cupiditatibus repugnarent, eaſque vincerent. Cœleſti autem illo præſidio deſtituti, in vitia impudicitiæ ſe immerſerunt, adeo ut ipſimet corpora ſua polluerint & contumelia affecerint. Honos enim corporum pudicitia. 2. Tradidit ſeu permiſit illos Deus paſſionibus ignominioſis, adeo ut nullo ſexuum habito reſpectu naturalem uſum commutaverint in eum qui contra naturam eſt. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, &c.* Crimen abominandum. *Exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, &c.* „ Quemadmodum enim ſæpe fieri vi- S. Jo. Chryſ. Hom. 4. in ... „ demus, ut qui ciborum appetitionem amiſerint, „ terram ac lapillos comedant: quique impotenti „ ſiti correpti fuerint, ii & cœnum quoque non„ nunquam ad bibendum appetant: ita & illi ad „ hujuſmodi amores illegitimos & infames effer„ buerunt. Unde vero abominandum illud deſide„ rium? A Dei deſtitutione. Dei autem deſertio „ unde? Ab eorum improbitate qui illum reliquerunt. „ runt. Hujus enim mali turpitudo ab eorum ma„ nat ſocordia, quæ deſiderium ipſum incendit. “ Carnem unam in duas dividunt, naturæ legem violant & diſſolvunt, ſterili & abominanda voluptate Sodomorum & Gomorrhæorum pœnam, terribiliaque ſupplicia merentur. Et quemadmodum pluvia illa ignis & ſulphuris in infames illos quinque civitatum incolas a Domino deſcendens e cœlo, terram ita cum illis exuſſit ut penitus infrugiferam & ad ſeminum ſuſceptionem inutilem redderet: ita infames illi ac bruti, hominumque indigni nomine, qui turpibus deſideriis in invicem exarſerunt, a Deo deſerti, inutiles ad omne bonum opus efficiuntur, ut terra reproba, maledicta, & combuſtioni deſtinata. *Et mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes*. 3. Tradidit illos Deus ſeu dimiſit perverſo illorum judicio, permiſit eorum judicium de agendis ita depravari, ut malum bonum, & bonum malum æſtimarent ac dicerent, vitamque felicem in voluptatibus turpiſſimis conſtituerent. *Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, &c.* Tres illi deſertionis divinæ gradus pœnæ ſunt prioris peccati, ſcilicet ſuperbiæ, qua Deum quærere con-

tempſe-

Digitized by Google

cepſerunt, & ex creaturis, Animæque ſuæ teſtimonio cognitum colere, eique ut omnium bonorum Auctori de acceptis beneficiis gratias agere. Sed & cauſæ ſunt ſubſequentium peccatorum, quorum in abyſſum ſe immerſerunt. Hoc juſti Dei judicii terribile arcanum, ut præcedentium meritis peccatorum in alia cadere peccatores permittat excæcatos ad cumulum damnationis. „ Quod agitur diſpoſitione ſuperius ordinata, ſed inferius iniquitate confuſa; ut & præcedens culpa ſit cauſa ſubſequentis; & rurſum culpa ſubſequens ſit pœna præcedentis. Primis ergo peccati merito, peccatorum ſubſequentium fovea tegitur; ut qui malum ſciens perpetrat, deinceps juſte in aliis etiam neſciens cadat. Hoc quippe agitur ut culpæ culpis feriantur, quatenus ſupplicia fiant peccantium ipſa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad uſum ſuæ iniquitatis intorquet: juſto Dei judicio augeri culpa permittitur, ut ad feriendum altius quandoque cumuletur. „ Hinc Apoſtolus cum de infidelibus Philoſophis præmiſiſſet: *Qui cum cognoviſſet Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis*, ſubdit quod ex illius erroris ſemine pullulavit: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis*. Quia enim cognoſcentes Deum, peccatum ſuperbiæ intelligendo commiſerunt, excæcantur ne intelligant quod committunt. Hinc Apoſtolus alibi ſcribit: „ Ut impleant peccata ſua ſemper: Pervenit enim ira „ Dei ſuper illos uſque in finem. „ *Hinc David ait*: Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam. „ *Hinc per Moyſen Dominus ait*: Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum uſque ad præſens tempus. *Et rurſum*: De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ. Uva eorum uva fellis, & botri amariſſimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis: Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum. „ Jam meretur ſupplicium peccatum & cauſa peccati: ſed expectatur adhuc augmentum ut ſupplicii ſubroget peccatum & pœna peccati.

S. Gregorius lib. 25. Moral. cap. 9.

1. Theſſ. 2. 16. Pſ. 68. 28.

Geneſ. 15. 16. Deut. 32.

Superbia præcipitium eſt, quo ſæpe ruitur in impudicitiam.

Pœnitentiam igitur agamus, quia peccatum quod pœnitentia non diluit, mox ſuo pondere ad alia trahit. Humilitati ſtudeamus, quia ſuperbia præcipitium eſt, quo ſæpe ruitur in impudicitiam, permittente & puniente Deo, quod in Gentium Philoſophis contigiſſe Apoſtolus teſtatur. „ Proinde per humilitatis cuſtodiam ſervanda eſt munditia caſtitatis. Si enim pie ſpiritus ſub Deo premitur, caro illicite ſuper ſpiritum non levatur. Habet quippe ſpiritus commiſſum ſibi dominium carnis, ſi tamen ſub Deo recognoſcit jura legitimæ ſervitutis. Nam ſi Auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit, jure & a ſubjecta carne prælium ſuſcipit. Unde & ille primus inobediens, mox ut ſuperbiendo peccavit, pudenda contexit. Quia enim contumeliam ſpiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit. Et quia Auctori ſuo ſubditus eſſe noluit, jus carnis ſubditæ, quam regebat, amiſit, ut in ſe ipſo inobedientiæ ſuæ confuſio redundaret, & ſuperatus diſceret quod elatus amiſiſſet. Nullus ergo poſtquam ſuperna appetere cœperit, ſi carnis voluptate proſternitur, tunc ſe victum judicet cum aperte ſuperatur. Si enim plerumque vitus libidinis de radice naſcitur elationis, tunc caro vicit, cum ſpiritus latenter intumuit: jam tunc quippe anima per originem culpæ in petulantiam jumentorum cecidit, cum efferendo ſe more volucrum, ultra quam debuit, evolavit. Hinc eſt quod longa continentia repente ſolvitur, hinc quod plerumque & uſque ad ſenium virginitas ſervata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis, rectus judex deſpicit etiam integritatem corporis; & quandoque per apertum malum reprobos annuntiat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. „

S. Greg. lib. 26. Moral. cap. 13.

Geneſ. 3.

Infidelitatis & ingrati animi mala germina.

29. *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, dolo, contentione, malignitate, ſuſurrones, detractores*, &c. Hæc infidelis, ſuperbi, & ingrati animi mala germina. Confer cum Sapientiæ 14. „ Et non ſuffecerat erraſſe eos circa Dei ſcientiam (*inquit Sapiens*) ſed & in magno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas jam cuſtodiunt, ſed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contriſtat: & omnia commiſta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & perjurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ. Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis. „

CAPUT II.

Senſus Litteralis.

Deo [illegible] te non judicandum.

1. P*Ropter quod inexcuſabilis es, o homo, omnis qui judicas*. Cum Gentium Philoſophi inexcuſabiles ſint, quia cognita Dei juſtitia, non attenderunt tamen dignos eſſe morte quicumque flagitia mox recenſita committunt, vel committentibus quoquo modo conſentiunt, ne exiſtimes o Judæe Legiſperite, & quiſquis de Lege, Circumciſione & promiſſis Dei gloriaris, & Gentiles roterum judicas & damnas, aliquam tibi excuſationem apud Deum æquiſſimum ac ſummum judicem ſuffragari. *In quo enim*, ſeu hoc ipſo quod *judicas alterum, teipſum condemnas*, ut peccatorem & morte dignum: *eadem enim agis quæ judicas*, ſive damnas. Nec ignorantia igitur te excuſare poteſt, cum noveris malum eſſe quod damnas in aliis: nec innocentia, cum illa ipſa agas de quibus alios condemnas. Et ſi ab aliquibus forte eorum, quæ mox enumeravi, criminum, abſtines, id facis timore pœnæ quam Lex minatur, vel infamiæ quæ criminiadjuncta eſt, non amore juſtitiæ: adeoque cordis depravatione & mala voluntate reus es, quamvis manum ab opere cohibeas.

Dei judicium vitari non poteſt.

2. *Scimus enim*, non ſolum lumine naturali, ſed ex Scripturis ſanctis, *quoniam judicium Dei eſt, ſecundum veritatem in eos qui talia agunt*. Judicium juſtum, incorruptum, non ex rei ſpecie aut externis conjecturis, ſed ex veritate, nulla perſonarum habita ratione, nihil dans gratiæ aut odio, ſecundum cor & opera exercebit Deus in hujuſmodi criminum reos. Hoc certo ſcimus, id credere firmiter debetis, ut Dei verbum.

3. *Exiſtimas autem hoc, o homo qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?* Putas tu, qui damnas alios hiſce vitiis contaminatos, & nihilominus hæc admittis, te Dei judicium ac vindictam evaſurum? Oppido falleris. Homines enim tribus de cauſis crimina impune ferunt vel quia ignorantur, vel quia nemo tam potens eſt qui illa puniat, aut quia jus gratia vel pretio corrumpitur. Horum nihil in Dei judicio locum habet. Omnia ſcit, omnia poteſt, ex veritate & æquitate judicat. Job 34. „ Oculi ejus ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem. Neque enim ultra in hominis poteſtate eſt, ut veniat ad Deum in judicium. Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur. „

4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* An magnam & ſuperabundantem Dei bonitatem ſeu benignitatem contemnis, qua immeritos gratia ſua miſericorditer prævenit, eiſque peccata condonat; & patientiam qua malos tolerat, & longanimitatem qua pœnam in longum tempus differt? Contemnis enimvero, qui iis ad ſpem impunitatis & peccandi licentiam abuteris. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam*, & morum emendationem *te adducit?* Invitat, non ſolum obvia Dei cognitione ex creaturis, ſed lege, Prophetarum prædicatione, promiſſis; Meſſiæ ad te miſſi ſermonibus & miraculis, aliiſque beneficiis. Id certe ignorare non potes, niſi ignorantia voluntaria & affectata.

5. *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*. Tu vero pro duritia tua, & callo quod cordi tuo prava peccandi conſuetudine veluti obductum eſt, quo fit ut Dei ad pœnitentiam invitantis ſuaſionibus & impulſibus non emolliaris, pœnas inſtar theſauri in tuam perniciem accumulas apud juſtitiam Dei quas in te effundet in die ultionis, quo palam juſtum in omnes judicium exercebitur: Græci interpretes legunt: *In die iræ & revelationis, & juſti judicii Dei*. Dico revelationis voca-

vocatur, quia omnium hominum opera & conſilia, & peccati deformitas, *quæ nunc latet plurimos*, dum proſperum & felix ſcelus virtus vocatur, & Dei juſtitia ad quam non attendunt peccatores, dum diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam, velut reducto velo clariſſime conſpicientur.

6. 7. 8. *Qui reddet unicuique*, ſive circumciſus ſit, ſive incircumciſus, mercedem vel pœnas, *ſecundum opera ejus*, non ſecundum fidem dumtaxat. Hoc Apoſtoli loco & neceſſitas & merita bonorum operum ſtabiliuntur. *Secundum opera ejus*. Secundum qualitatem, numerum, intentionem operum, bonis bona, melioribus meliora; malis mala, nequioribus graviora ſupplicia juſtus judex retribuet. *Iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam*. Iis qui perſeverando in bonis operibus & omnia vitæ Chriſtianæ officia ad finem uſque vitæ implendo, gloriam & honorem & immortalitatem in Deo quærunt, vitam æternam retribuet. *Iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio*, Iis qui contentioſi ſunt, & præjudicia ſua, privataſque opiniunculas pertinaciter defendentes maleſana diſputandi prurigine: & veritati ac doctrinæ Evangelii ſive dogmata, ſive mores ſpectanti reſiſtunt: & injuſtitiam amplectuntur, adhærentque doctrinis erroneis, quibus ſana veræ Religionis dogmata evertuntur, aut morum corruptela fovetur, infligetur a Deo juſto judice grave ſupplicium.

9. 10. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum, Judæi primum & Græci*. Afflictio & pœna, quam effugere nemo poterit, opprimet omnem hominem operantem malum, non nos dumtaxat qui ex habitu peccant; Judæum primum, cujus peccatum gravius eſt, cum ignorantiæ excuſationem fruſtra prætexat, & majoribus beneficiis fuerit ingratus; deinde Gentilem. *Gloria autem æterna, & honor* verus & ſolidus apud Deum, *& pax*, id eſt bonorum omnium quieta, perpetua, certa & ſecura poſſeſſio, parata eſt *omni operanti bonum* ex fide Chriſti mediatoris vel ante vel poſt ejus adventum, *Judæo primum*, qui prior eſt in promiſſionibus, *& Græco*, ſive Gentili.

11. 12. *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum*. Deus cum homines judicat, perſonas non reſpicit, an Judæus ſit vel Gentilis, nobilis vel ignobilis, dives vel pauper, doctus vel indoctus, ſed tantum reſpicit cauſæ merita, ſola opera & cordis affectus. *Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*. Quicumque ſine lege ſcripta, quam Deus per Moiſen Iſraelitis dedit, peccaverunt, ſine legis damnatione peribunt, ſecundum legem dumtaxat naturalem, quam violaverunt, judicati; non ſecundum legem ſcriptam, quam non noverant, & quæ illis poſita non fuerat: *& quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*. Qui vero lege a Deo accepta, contra eam peccaverunt, per legem con-

S. Auguſt. lib. de Fide & Operibus cap. 23.

demnabuntur, ut ejus prævaricatores: Nemo vero putet, hoc verbo, *judicabuntur* mitius aliquid ſignificari, quam hoc verbo, *peribunt*: Solet enim Scriptura judicium etiam pro æterna damnatione ponere, ut *Joan.* 5. 28. & 29. Deinde non ſolum minime mitioris, verum etiam deterioris conditionis eſſe illos qui ſcientes peccant, confirmat Apoſtolus. Hi ſunt autem maxime qui legem acceperunt, Rom. 4. 15. *Ubi lex non eſt, nec prævaricatio*. Rom. 7. 7. & 8. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*, &c. Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritus Sancti per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quæ diffuſa caritate in cordibus noſtris donat juſtitiæ delectationem, qua immoderatio concupiſcentiæ ſuperetur. Hinc itaque confirmatur non ſolum nihil mitius, ſed gravius aliquid intelligendum, de quibus dictum eſt, *Qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*, quam de illis qui ſine lege peccantes ſine lege peribunt: nec pro pœna tranſitoria hoc loco dictum *judicium*, ſed pro ea qua etiam non credentes judicabuntur, ſcilicet æterna.

S. Auguſt. lib. De ſpiritu & littera, c. 26.

13. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum*. Legem noſſe, & ſingulis ſabbatis in ſynagogis audire, ut Judæi, non ſufficit ut juſtus ſit homo interiori juſtitia & ſanctitate, cujus maxime rationem habet Deus; *ſed factores legis juſtificabuntur*, juſti habebuntur & judicabuntur a Deo, utpote juſtitiam, quæ lege præcipitur, ex fide per dilectionem operante exercentes. Confer cum 1. Joan. 3. *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt*. „ Non ergo ita in„telligenda eſt hæc Apoſtoli ſententia, *Factores le„gis juſtificabuntur*, tamquam per opera „non per „gratiam juſtificentur, cum dicat, juſtificari homi„nem per fidem ſine operibus legis, nihil aliud vo„lens intelligi in eo quod dicit, *gratis*, niſi quod „juſtificationem opera non præcedunt. Aperte Rom. 11. 6.
„quippe alibi dicit, *Si gratia, jam non ex operibus, „alioquin gratia jam non eſt gratia*. Sed ſic intel„ligendum eſt, *Factores legis juſtificabuntur*, ut ſcia„mus eos aliter non eſſe factores legis, niſi juſti„ficentur: ut non juſtificatio factoribus accedat, „ſed ut factores juſtificatio præcedat. Quid eſt „enim aliud, *juſtificati*, quam juſti facti, ab illo „ſcilicet qui juſtificat impium ut ex impio fiat ju„ſtus? Si enim ita loqueremur, ut diceremus, Ho„mines liberabuntur; hoc utique intelligeretur, „eis qui jam homines eſſent accedere liberatio„nem: ſi autem diceremus, Homines creabuntur, „non utique intelligeretur eos creari qui erant, ſed „ipſa creatione homines fieri. Ita ſi dictum eſſet, „Factores legis honorabuntur; non recte accipere„mus niſi honorem his qui jam eſſent Factores le„gis accedere. Cum vero dictum eſt, Factores le„gis juſtificabuntur; quid aliud dictum eſt quam, „Juſti juſtificabuntur? Factores enim legis utique „juſti ſunt. Ac per hoc tantumdem eſt ac ſi di„ceretur, Factores legis creabuntur, non qui erant, „ſed ut ſint; ut ſic intelligerent etiam Judæi legis „auditores, indigere ſe gratia juſtificatoris, ut poſ„ſint eſſe factores.

Factores legis non juſtificantur quia legem obſervant ſed illam obſervant quia per Dei gratiam juſtificati ſunt.

14. *Cum enim gentes*, fide Chriſti mediatoris imbutæ, *quæ legem* ſcriptam, *non habent*, ut Judæi, *naturaliter*, ipſa natura duce, natura (inquam) per gratiam reparata, ſanata, & adjuta, ſive ſolo naturalis legis dictamine, per fidei lumen, & gratiæ medicinalis auxilium roborato, *ea quæ legis ſunt, faciunt*, recipiunt & obſervant accurate Decalogi præcepta; *ejuſmodi* (Gentiles) *legem*, ſcriptam, *non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*, dum ſua ſponte ac proprio judicio, ſine externo ſcriptæ legis adminiculo, doctrina & admonitione, bonum operantur. „ Naturaliter ergo homines quæ legis ſunt, faciunt. „ Qui enim hoc non faciunt, vitio ſuo non fa„ciunt. Quo vitio lex Dei eſt deleta de cordi„bus: ac per hoc, vitio ſanato, cum illic ſcri„bitur, fiunt quæ legis ſunt naturaliter: *Non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potius per gratiam reparata natura. PER unum* quippe *hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*: & ideo quia *non eſt diſtinctio, egent gloria Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius*. „ Qua „gratia in interiore homine renovato juſtitia ſcri„bitur quam culpa deleverat: & hæc miſericor„dia ſuper genus humanum per Chriſtum Jeſum „ Dominum noſtrum. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*.

S. Auguſt. l. de ſpiritu & littera, c.

Quo ſenſu gentes legem non habentes naturaliter faciunt quæ legis ſunt.

Rom. 3.
Rom. 5.
1. Tim. 2. 5.

15. 16. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis, conſcientia ipſorum; & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*. Vitæ quippe innocentia oſtendunt, id quod lege præſcriptum eſt, ſcriptum eſſe in cordibus ſuis a Spiritu ſancto. Vel, operibus oſtendunt, naturæ legem eandem præcipientem ac prohibentem, quæ lex ſcripta, animis ſuis a Deo inditam. Quod & ipſorum conſcientia teſtatur interiori dictamine rationis, variiſque cogitationibus illos accuſantibus, aut defendentibus, *In die (cum judicabit Deus occulta hominum) ſecundum Evangelium meum per Jeſum Chriſtum*. Quæ cogitationum invicem accuſantium aut defendentium diſceptatio ultimam diem maxime reſpicit, qua Deus per Jeſum Chriſtum judicabit occulta etiam conſilia & cogitationes cordium, ſecundum Evangelium quod prædico. Evangelii porro fidem hic appellat, quia ſola ratione conſtare non poterat per quem Deus homines eſſet judicaturus.

In die, hic idem ſignificat, quod in diem, quaſi in hac vita fiat diſceptatio cauſæ, ſed pro die ultimi judicii.

17. 18. 19. 20. *Si autem tu Judæus cognominaris*, religione, *& requieſcis in lege*, & fiduciam ponis in lege, quaſi tibi ſalutem præſtare poſſit; *& gloriaris in Deo*; id eſt, de Dei agnitione, cultu, beneficiis; *& noſti voluntatem ejus*; & perſpectum habes ex libris Moyſis & Prophetarum quid Deus a te fieri velit; *& probas utiliora, inſtructus per legem*. Ex lege in qua inſtitutus es a prima ætate diſcernis & approbas meliora, *confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum*, tantam legis ſcientiam tibi arrogas, ut errantibus ducem te præbere poſſis; *lumen eorum qui in tenebris ſunt*; & doctrinæ lucem afferre iis qui in tenebris ignorantiæ verſantur; *Eruditorem inſipientium*, ſive imperitorum, magiſtrum infantium, ſive ſimplicium, qui morum diſciplina indigent; *habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege*. Quippe qui habere te gloriaris in lege regulam agendorum & credendorum, qua alios informare poſſis,

21. 22.

21. 22. 23. 24. *Qui ergo alium doces, te ipſum non doces:* non redigis ad praxim bene vivendi præcepta, quæ tradis; dicis, & non facis: *qui prædicas non furandum, furaris:* per avaritiam, malis artibus, uſuris, res alienas uſurpas: *qui dicis non mœchandum, mœcharis:* adulterio, aliiſque libidinibus te polluis: *qui abominaris idola, ſacrilegium facis*, dona idolis oblata uſurpans idololatrarum menſas, in quibus victimarum partes apponuntur, & vina libationum propinantur, frequentans; aut quovis modo veri Dei cultum pervertens templum aut res ſacras profanans. (*Malach.* 1. 8. 12. 13. 14.) *Qui in lege gloriaris*, tamquam a Deo accepta, per prævaricationem legis *Deum inhonoras*. Legis enim violatio contemptum legiſlatoris involvit. Indeque occaſionem das gentibus Deum blaſphemandi (*Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt.*) Dicebant enim gentiles malis Judæorum moribus offenſi: Ecce qualis Religio, quæ talem vitam parit. Confer cum Iſaiæ 52. 5. *Et jugiter tota die nomen meum blaſphematur.* Ezechiel 36. 20. *Et ingreſſi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iſte eſt, & de terra ejus egreſſi ſunt.*

25. 26. 27. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves:* Circumciſio prodeſt Judæo pro ſtatu legis, ſi legem obſervet, vel etiam initio promulgationis Evangelii cum legales ceremoniæ nondum prohibitæ eſſent, ac mortiferæ, tametſi per Chriſti mortem & reſurrectionem extinctæ & abrogatæ? Unde Paulus Timotheum circumcidit. Prodeſſet (inquam) tunc Judæo circumciſionem carnis ad ſpiritum transferenti. Prodeſſet non ratione ſigni, ſed ratione rei ſignificatæ, ſcilicet circumciſionis cordis, de qua Jeremiæ 4. 4. ſcriptum eſt. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, viri Juda*. Alioqui *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur*. Et, *circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.*

Galat. 5. 6. 1. *Corinth.* 7. 19.

Si autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt. Non plus tibi proderit circumciſio tua, quam ſi adhuc incircumciſus eſſes; eodem loco habebit te Deus ac hominem incircumciſum & gentilem. *Si igitur præputium*, id eſt homo præputium habens, homo incircumciſus, *juſtitias legis cuſtodiat*, mandata legis obſerves, cujus obſervantiæ debitor eſt Judæus vi circumciſionis ſuſceptæ; *nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?* Nonne apud Deum pro circumciſo habebitur, & ei æque acceptus erit ac ſi circumciſus eſſet, quamvis carne ſit incircumciſus? *Et judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es?* Et gentilis ex genere & nativitate incircumciſus, ſi perfecte legem ſervet, damnabit te, qui cum legem ſcriptam acceperis a Deo, & circumciſus fueris, legem violas: externos quidem ritus ſtudioſe obſervans, animi vero puritatem, juſtitiam, caritatem, quæ præcipua ſunt legis, & ejus ſpiritus, nullatenus curans.

28. 29. *Non enim qui in manifeſto Judæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne eſt circumciſio*. Non enim qui genere & externa dumtaxat religionis profeſſione Judæus eſt, is vere Judæus eſt & Deo acceptus: neque vera, ſalutaris, & Deo accepta circumciſio ea eſt quæ fit in carne, & exterior dumtaxat ceremonia eſt: *ſed qui in abſcondito, Judæus eſt*: ſed is vere Judæus, qui talis eſt intus, & pura mente Deum colit: *& circumciſio cordis in ſpiritu, non littera:* Vera circumciſio eſt ea quæ fit interius per Spiritum Dei, vitia & pravos affectus præcidentem; non externa illa ceremonia quam lex præſcribit. *Cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt*. Verus ille Judæus laudem & commendationem non exſpectat ab hominibus, qui non vident niſi quæ foris conſpicua ſunt, ſed a ſolo Deo, qui cor intuetur.

CAPUT II.

Senſus Moralis.

Temeritas judicii inquitur.

2. PRopter quod inexcuſabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipſum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas. Maxima pars Chriſtianorum, quamvis nullam in alios juriſdictionem vel auctoritatem habeant, proximos ſuos vel in privatis colloquiis & familiaribus congreſſibus, vel intus apud ſe, nemine conſcio, temere judicant & condemnant, jus Dei uſurpantes, violantes caritatem, ſibi ipſis damnationem arceſſentes, omniſque excuſationis ſuffugium apud Deum præcludentes. *Propter quod inexcuſabilis es, o homo omnis, qui judicas*. Ea menſura nobis remetietur, qua metimur alios. Qua facilitate, qua levitate, qua libidine, qua animi averſione & odio judicamus Chriſtianos fratres, ea nos ſeveritate Deus judicabit, qui operum noſtrorum, ſermonum, & ipſarum cogitationum cordis, judex eſt & teſtis. *In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ judicas*. Se ipſos maxime condemnant Paſtores, concionatores, & conſcientiarum moderatores, qui peccata committunt eadem, & plerumque graviora iis, de quibus alios judicant. „ Et ideo oportet unumquemque de ſua „ prius conſcientia judicare, & tunc ejus, quem „ judicas, geſta diſcutere: quod ſi fieret, omnis „ penitus adeundi honoris Eccleſiaſtici abſcinderetur ambitio, ſi ſe judicandos potius quam judicaturos hi, qui præeſſe volunt populis, cogitarent. Nemo ergo exiſtimet quod poſſit effugere judicium Dei. *Quo ibo a ſpiritu tuo* (inquit Propheta) *& quo a facie tua fugiam?* Et quia hæc ad eos maxime dicuntur, qui præſunt judices populorum, alibi ſcriptum eſt: *Tempus eſt ut incipiat judicium a domo Dei*. Et alibi ait Dominus: *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi ..... Si nos ipſos judicaremus*, inquit Apoſtolus, *non utique judicaremur*. Prius itaque nos ipſos judicemus in tribunali conſcientiæ noſtræ, peccata noſtra per pœnitentiam expiemus, vitam agamus profeſſione noſtra & miniſterio noſtro dignam, prius quam alios judicare aggrediamur: alioquin timeamus ne Dominus nobis terribiliter exprobrando dicat: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum .... Exiſtimaſti, inique, quod ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.*

Origenes lib. 2. in Epiſt. ad Romanos c. 2.

Pſalm. 138. 1. *Petri* 4. 17. *Levitici* 10. 3.

Pſalm. 49. 16.

Dei judicium quam metuendum?

2. 3. *Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt*. Quam metuendum judicium illud, quod non ſecundum adulationem, non ſecundum Directorum legem Dei benignius interpretantium, & plus æquo emollientium jugum Chriſti, opiniones; non ſecundum humani cordis ignaviam, cæcitatem, illuſiones, & corruptionem fiet; ſed ſecundum veritatem, lumen, & juſtitiam inflexibilem & incorruptam Dei. Aſcendat homo tribunal conſcientiæ ſuæ, ibique *ſecundum veritatem* ſe judicet, ne a Domino judicetur, & cum hoc mundo damnetur. Quid ſeducimus miſeri noſmetipſos? in memoriam revocemus noviſſima noſtra, ne peccemus. „ Nam & „ per ignem nobis tranſeundum eſt, & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Ibi aurum „ noſtrum vertetur in ſcoriam, ibi revelabitur „ univerſa impuritas, ibi veritas ipſa accepto „ tempore quod nobis interim datum contemnimus, juſtitias judicabit. Quid vero illic omnes „ juſtitiæ noſtræ, niſi pannus menſtruatæ reputabuntur? quidquid nunc parvipendendo tranſimus, palpando tegimus, diſſimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma conſumet? Utinam magis nunc daret quis capiti „ meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum! „ Forte enim non reperiret ignis exurens, quod „ interim fluens lacryma diluiſſet. Jam vero poſt „ ignem illum putas aliquid reſiduum invenietur in „ nobis? aut tantum erit ut audeamus illud vultui Majeſtatis offerre; aut ejus ſic adſtare conſpectui? Quis ille pudor erit, quæve confuſio, „ poſt tanta beneficia tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Domini „ Dei noſtri? Fugiebat Adam ut abſconderetur „ ab eo, poſt unius utique pomi vetiti guſtum: „ quid nos poſt tanta flagitia præſumemus. Quando ab hac confuſione purgabitur oculus cordis, „ cui nunc operam dare negligimus, ut irreverberata acie veri illius Solis radios valeas intueri? *Exiſtimas autem hoc, o homo qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?* Nequaquam. Unde *Job* 11. 20. ſcriptum eſt: *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis*. Oculi „ impiorum, intentiones ſunt in eis carnalium deſideriorum. Qui ideirco deficiunt, quia æterna „ negligunt, & ſola ſemper tranſitoria præſtolantur. Adipiſci quippe terrenam gloriam cogitant, „ multiplicari rebus temporalibus exoptant, ad „ mortem quotidie curſu rerum labentium tendunt: ſed cogitare mortalia mortaliter neſciunt. „ Carnis vita per momenta deficit, & tamen carnale

S. Bernardus Serm. 28. De Diverſis.

S. Gregorius lib. 20. Moral. cap. 13.

„ nale deſiderium creſcit. Res habita inſtanti ſine corrumpitur, & habendi anxietas non finitur. Sed cum mors impios ſubtrahit, eorum deſideria cum vita terminantur. *Quorum oculi tunc ſuperna ultione deficiunt, quia ſuo hic judicio a terrena deſiſtere delectatione noluerunt.* A quibus & omne effugium perit: quia eorum malitia ab animadverſione diſtricti judicis quo ſe valeat occultare, non invenit. Nam nunc iniqui cum triſtitia aliqua vel adverſa patiuntur, effugii latebras inveniunt: quia ad voluptatem protinus carnalium deſideriorum recurrunt. Ne enim paupertas cruciet, divitiis animum demulcent. Ne deſpectus proximorum deprimat, ſeſe dignitatibus exaltant. Si faſtidio corpus atteritur, antepoſitis epularum diverſitatibus nutritur. Si quo animus mœſtitiæ impulſu dejicitur, mox per interpoſita jocorum blandimenta relevatur. *Tot ergo hic habent effugia, quot ſibi præparant delectamenta. Sed quandoque ab eis effugium perit; quia eorum mens, amiſſis omnibus, ſe ſolummodo & Judicem conſpicit. Tunc voluptas ſubtrahitur, ſed voluptatis culpa ſervatur: & repente miſeri perenne diſcunt, quia perituræ ſerviebant.*

Patientia Dei peccatores ad pœnitentiam expectantis.

4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Impotentem ne exiſtimas, quod improbos ſtatim non puniat? An ejus tolerantiam peccandi licentiam interpretaris? Ultionem interim differt, quia bonus: ſed repetit aliquando, quia juſtus. *Ne dixeris igitur, Peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Ne dicas, Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* Noli errare, Deus non irridetur. Deus judex juſtus, fortis, & patiens, longanimis & multum miſericors: ſed in patientiæ ſuæ, bonitatis, ac miſericordiæ contemptores ſeverum judicium exercebit, æternamque repetet ab eis ultionem. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* „ Peccatur, & vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blaſphematur quotidie, & ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per concionatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur.* Quamobrem ne divinæ patientiæ obtentu perſeveres in peccatis. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.*

Eccl. 5. 4. 6. 7.

S. Aug. Enar. in Pſal. 102.

2. Petri 3. 9. 10.

Eccli. 5. 8. 9.

Eccli. 3. 27.

Impœnitentia, & duritia cordis.

5. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.* Cor durum, quod nec beneficiis & promiſſis emollitur, nec terrore flectitur, male habebit in noviſſimo die. Iram implacabilem, pœnaſque æternas & reconditas ſibi colligit cor impœnitens in diem ultionis. *Theſaurizas tibi iram*, inquit Apoſtolus, *demonſtrans non eum qui judicat, ſed eum qui judicatur, hujus rei auctorem eſſe. Tibi ipſi colligis iram, non tibi Deus. Etenim ille omnia præſtitit quæ oportebat.* „ Perfecit enim ut cognoſceretur tum quæ bona eſſent, tum quæ mala: præterea & lenitatem exhibuit ſuam, ad pœnitentiam te vocavit, diem comminatus eſt terribilem, modis omnibus ad meliorem frugem te illiciens. Qui ſi inflexus manes, tibi ipſi colligis iram in die iræ ..... Deus auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem. Erit illius theſaurus ſempiterna miſericordia in eos qui non contempſerunt miſericordiam: tuus autem theſaurus in ira invenietur, & quod ponis quotidie per modicum, poſtea maſſam inventurus es: minutatim ponis, ſed cumulum invenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana: de minutiſſimis guttis flumina implentur. Vox miſericordiæ in hac vita nos vocat, ne cordis aures occludamus: alioquin pondere miſericordiæ contemptæ & exacerbatæ juſtitiæ in morte opprimemur. Tempus vitæ præſentis dies eſt miſericordiæ: tunc erit *dies iræ & revelationis juſti judicii Dei.* Tunc palam innoteſcet omnibus juſtitia divini judicii, quod nunc juſtum eſſe incredulis & impiis non videtur. *Deus de ſuo optimus, de noſtro juſtus. Niſi enim homo deliquiſſet, optimum ſolummodo Deum noſſet ex naturæ proprietate: at nunc etiam juſtum eum patitur ex cauſa neceſſitate: tamen & hoc ipſo optimum, dum & juſtum. Et bene enim juvando, & male puniendo, juſtitiam exhibens, utramque ſententiam bono præſtat, hunc vindicans iſtud, inde remunerans illud ...... Dicimus plenum perfectumque credendum judicium Dei, ut ultimum jam atque exinde perpetuum: ut ſic quoque juſtum, dum non in aliquo minus: ut ſic quoque Deo dignum, dum pro tanta ejus patientia, plenum atque perfectum. Itaque plenitudinem perfectionemque judicii non niſi de totius hominis repræſentatione conſtare.*

S. Joan. Chryſ. Hom. 5. in Ep. ad Romanos.

S. Aug. Enar. in Pſalm. 93. n. 9.

Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis, cap. 14.

Deus unicuique reddet ſecundum opera.

6. 7. 8. *Qui reddet unicuique ſecundum opera ejus.* Non ſecundum nobilitatem aut dignitatem ſive potentiam ſæcularem, non ſecundum divitias, non ſecundum ſcientiam, ſed ſecundum opera unicuique reddet juſtus judex. *Iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Merces vitæ æternæ vitam otioſam & mollem agentibus non retribuetur, ſed cœleſtia & æterna bona fide quærentibus; difficultates omnes & impedimenta ſpe & patientia vincentibus; bonorum operum fructum ex charitate proferentibus; humilitatem, quæ gloriæ ſemen eſt; mundi contemptum, quo verus & perennis *honor* acquiritur, pœnitentiam & corporis mortificationem, quæ germen eſt *incorruptionis* & immortalitatis. Patientia boni operis in illis eſt, qui agones & certamina perferunt pietatis. *Chriſtianorum ergo eſt preſſuram pati in hoc ſæculo, & lugere, quorum eſt vita æterna.* A bonis operibus non deſiſtendum unquam propter adverſa quæ patimur. *Patientia enim opus perfectum habet. Ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Et, *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromiſſionem.* Vita porro æterna non conferetur niſi illis qui recta & pura intentione bonum facientes non deficiunt, non temporalia quærentes, ſed æterna. Hos corona incorrupta manet, & honor filiorum Dei. *Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Curioſitas dubiis contra fidem, aut legem Dei, viam aperit: dubia porro diſputationes & contentiones pariunt: contentio pertinaciam: pertinacia januam mentis & cordis claudit veritati, aperit errori & iniquitati. Error & iniquitas pondus iræ & indignationis divinæ trahunt in animam, veritatis & legis, quæ Deus eſt, inimicam. Vocem veritatis audire noluit: vocem illius Deus non exaudiet, cum in anguſtia extrema clamaverit. *Numquid Deus audiet clamorem ejus, cum venerit ſuper eum anguſtia?* Clamorem ejus anguſtiæ tempore Deus non audit, quia tranquillitatis tempore in præceptis ſuis ipſe clamantem Dominum non audivit. Tanto major tunc exercetur ſeveritas, quanto nunc major miſericordia prorogatur: & diſtricte tunc judicium non correctis exerit, qui pietatem nunc delinquentibus patienter impendit.

Origenes in Epiſt. ad Rom. lib. 2. cap. 2.

Jacobi 1. 4.

Hebr. 10. 36.

Job 27. 9.

S. Gregorius 17. Moral. ... 3.

11. *Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Non reſpicit faciem & quæ hominem exterius ſpectabilem apud homines faciunt, ſed cor. Non coronat niſi, quæ in eo regnat, charitatem: non damnat niſi, quæ in eo dominatur, cupiditatem. Viæ ejus longe diſſimiles ſunt viis terrenorum judicum, de quibus a Propheta dictum eſt: *Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?*

Pſalm. 81. ..

12. *Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Nemini ſuppetit excuſatio de ignorantia veritatis & officiorum ſuorum. Nemo enim ſine lege vel in lapideis tabulis, vel in corde ſcripta. Hæc accuſat, convincit, judicat & damnat peccatores. Qua ratione igitur excuſari poſſent, qui accepta inſuper lege Evangelii, ita vivunt quaſi legem non haberent? quanto graviora merentur ſupplicia? „ Humana ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur eſſe quod peccat. Secundum hanc excuſationem, inexcuſabiles dicit Scriptura divina quoſcumque ſcientes peccare convincit. Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit qui non audierunt. *Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Et quamvis ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum atque obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus, qui male uſus eſt, libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret in poſteros, manaſſe peccatum ...... Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat. Quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine

S. Aug. Ep. 194. al. 105.

dubio

„ dubitatione peccatum eſt; in eis autem qui non „ potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non „ eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio. Ideo au„ tem divina Eloquia eos inexcuſabiles dicunt, „ qui non ignorantes, ſed ſcientes peccant, ut ſe„ cundum judicium ſuperbiæ ſuæ, quo multum „ confidunt de viribus propriæ voluntatis, ſe inex„ cuſabiles videant: quia de ignorantia jam non „ habent excuſationem ſuam, & nondum ex juſti„ tia eni præſumebant ſufficere voluntatem.

Non auditores, ſed obſervatores legis apud Deum juſti ſunt.

13. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Lumen legis & Evangelii accepiſſe nihil prodeſt iis qui legem non ſervant, qui ſecundum Evangelium vitam non inſtituunt. Audienda lex cum docilitate, grato animo recolenda eſt legis Evangelicæ per Chriſtum datæ memoria, in ea meditandum cum fide, obſervanda eſt ex caritate, quæ finis eſt & plenitudo legis. Quod totum quia gratiæ opus eſt, humillimis & ferventiſſimis precibus eſt a Deo flagitanda. Apoſtolicam illam ſententiam cum tremore audiant Chriſtiani, qui ſacras quidem conciones lubenter audiunt, ſed nihilo meliores evadunt. Audiant cum tremore Paſtores, Doctores, Concionatores, qui Scripturas legunt, intelligunt, populis exponunt: nec tamen ſecundum Evangelium vivunt. Non enim lex ideo nobis data eſt, ut noſtras aures demulceat, ſed ut ad bonorum actionem nos deducat. *Cuſtodite diligenter, quod libenter audiſtis* (ſcribebat S. Bernardus ad Januenſes) *Mementote ſcriptum,* Quia metuebat Herodes Joannem, & libenter eum audiebat. *Sed beatus foret, ſi auditu libenter aque ſervaſſet. Denique non qui audiunt, ſed* Beati *qui audiunt & cuſtodiunt verbum Dei.* Contra vero maledicti qui vel audire contemnunt aut negligunt, vel fruſtra audiunt & ne converſionis ſuæ fructum referat, impediunt. „ Quantum in nobis valeat „ ſermo Dei ad correctionem vitæ noſtræ, & ad „ ſperanda præmia ejus, pœnaſque metuendas, „ unuſquiſque in ſe metiatur; & conſcientiam ſuam „ ante oculos ejus ſine dolo ponat, nec ſibi blan„ diatur in tanto periculo; quoniam & ipſe Do„ minus Deus noſter nulli blanditur: & ſi con„ ſolatur nos promittendo bona ſua, & confirman„ do ſpem noſtram; male viventibus tamen & „ contemnentibus verbum ſuum, minime non par„ cit. Interroget ſe unuſquiſque, cum tempus eſt, „ & videat ubi ſit, & aut perſeveret in bono, „ aut mutetur a malo. Non enim quicumque ho„ mo, aut quicumque Angelus, ſed *Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram* per Prophetas, per Filium ſuum, per Apoſtolos ſuos, per Paſtores & Concionatores, per voces arcanas inſpirationum ſuarum, per proſpera per adverſa, promittendo, comminando nos vocat. Audimus, & Dei legem adeo ſanctam, adeo facilem, adeo ſuavem, adeo utilem ſaluti animarum noſtrarum, obſervare negligimus; & præſumimus nos ſalvos fore, quia vocati ſumus ad lumen admirabile Evangelii, ipſumque legimus, vel audimus, non attendentes quod *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.*

S. Bern. Ep. 129

Matth. 6.

Luc. 11

S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 49.

Conſcientia peccatorum accuſatrix in judicio Dei.

15. 16. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die qua judicabit Deus occulta hominum,* &c. Conſcientia uniuſcujuſque accuſatrix eſt & teſtis in judicio Dei. Ejus accuſatio declinari, ejus teſtimonium recuſari nulla ratione, nulla cavillatione poteſt. Inter ſe invicem accuſant & defendunt cogitationes incertæ, timidæ, contrariæ, cor inordinatum, & ſuis cupiditatibus perturbatum male torquentes. *Juſſiſti Domine, & vere ſic eſt, ut animus inordinatus ſibi ipſi ſit pœna.* Sola dilectio legis pacem affert, quæ tranquillitas ordinis eſt. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Dilectio porro legis cum fideli & accurata ejus obſervantia conjuncta eſt. Si Gentiles naturæ legem non obſervantes juſtam excuſationem coram Deo proferre non poſſunt, quia ſignatum eſt ſuper homines lumen vultus Dei, & omnium animis innata Lex illa eſt, quæ a malo declinare, & bonum facere præcipit. Si Judæi ſe inaniter excuſant: cum Legem ſcriptam acceperint per Angelos in manu Mediatoris, ſcilicet Moſis Dei Miniſtri & Interpretis, cum a Prophetis ſint edocti, cum tot miraculis & beneficiis ad legis obſervantiam ſint excitati, cum Dei fœdere ac promiſſis de Meſſia ex ipſorum gente naſcituro ſint ad Dei mandata implenda animati: Quanto minus Chriſtiani juſtam excuſationem proferre valent, qui non ſolum legem, ſed Spiritum gratiæ per Jeſum Chriſtum redemptorem ac mediatorem omnium hominum a

S. Auguſt.

Homo naturæ lege ſcire tenetur an rectum vel pravum ſit quod agit.

maxime vero fidelium, acceperunt? An prætexere poſſunt infirmitatem? Sed Deus qui urget præcepto, prævenit auxilio, & omnia poſſumus in eo qui nos confortat. An obtendere poſſunt ignorantiam? ſed Homo quilibet ad imaginem Dei conditus naturæ lege ſcire compellitur, ſive pravum, ſive rectum ſit quod operatur. *Nam ad judicium pro actione cur venit, ſi potuit neſcire quod egit? Et ipſi ergo qui præceptis dominicis erudiri contemnunt, utrum bona an mala ſint quæ faciunt, ſciunt. Nam ſi bona ſe facere neſciunt, cur de aliquibus factis in oſtentatione gloriantur? Rurſum ſi mala ſe agere ignorant, cur in eiſdem factis alienos oculos declinant? Ipſi enim ſibi teſtes ſunt, quia ſciunt malum eſſe quod agunt, quod videri ab aliis verentur. Si enim veraciter malum eſſe non crederent, nequaquam hoc ab aliis videri formidarent. Unde bene per Sapientiam dicitur:* „ Cum „ ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationi: *Quia dum de facto ſuo conſcientiam pulſans timor redarguit, ipſa ſibi teſtimonium perhibet damnabile eſſe quod agit. Quod contra per Joannem dicitur:* „ Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemos apud Deum. *Fugiant ergo iniqui humanos oculos, ſemetipſos certe fugere non poſſunt. Quia enim malum quod faciunt, noverunt, habent teſtem conſcientiam, habent judicem rationem ſuam. In peccato igitur quod committunt, prius contra ſe judicium ſuæ rationis inveniunt, & poſt ad diſtrictionem æterni examinis perducuntur. Et hoc eſt fortaſſe quod per Pſalmiſtam dicitur:* „ Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum: „ *Quia dum miro ordine diſpoſitionis occultæ malum non permittitur neſciri quod agitur, & ſuo ſe jam judicio peccator in conſcientia condemnat, & poſt condemnationem propriam, ad æterni Judicis ſententiam properat. Abyſſum ergo abyſſum invocare, eſt de judicio ad judicium pervenire.*

S. Gregorius lib. 25. Moral. cap. 16.

Sap. 17.

Joann. 1.

Pſalm. 41.

19. 20. 21. 22. 23. *Confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt ... Qui ergo alium doces, te ipſum non doces.* Quam inanis & periculoſa eſt ſcientia quæ inflat! Væ illi qui ſcientiæ ac veritatis regulam habet præ manibus, nec ea utitur ad ædificationem fidelium, ad converſionem peccatorum, ad morum inprimis ſuorum emendationem; ſed abutitur ad elationem, ad oſtentationem, ad dominationem! Væ illi qui ingenium, ſcientiam, prudentiam, eloquentiam, induſtriamque ſuam ſibi ſufficere confidit, non ſolum ut dux ſit cæcorum, & lumen eorum qui in tenebris ſunt: ſed ut ſui ipſius dux ſit. Quam multi cæci & duces cæcorum, mente eruditi, corde cæci; qui alios docent, ſe ipſos non docent, id eſt, regulas ſcientiæ & veritatis, quas ex lege noverunt, ſibi ipſis non applicant! Contremiſcant Paſtores, Doctores, Concionatores, Conſcientiarum Moderatores, qui talenta quædam naturalia, & qualem cumque ſacræ legis ſcientiam ſatis eſſe arbitrantur, ut regimen ac directionem animarum ſuſcipiant, nec animum ipſi ſuum a vitiis & pravis cupiditatis purgare, omnique virtutum genere excolere conantur & ſtudent. „ Ad ea attendant „ quæ Jeſus Diſcipulis ſuis, ad Prædicationem „ eos mittens, præſcribit, quarum ſumma hæc „ eſt, ut virtute tales ſint, atque ita expediti ac „ modeſti, & ut uno verbo dicam, cœleſtes, ut „ non minus ob eorum vitam & mores, quam „ ob ſermonem atque doctrinam, Evangelium cur„ rat. Attendant ad exprobrationes Phariſæis & „ Scribis factas, quibus cum nos virtute longe ſu„ periores eſſe debeamus, quemadmodum nobis „ præceptum eſt, ſi modo cœlorum regnum con„ ſequi cupimus, turpe profecto fuerit, ſi ipſis etiam pejores inveniamur: adeo ut ipſi quoque „ ſerpentes appellemur, & genimina viperarum, „ & duces cæci, culicem colantes, & camelum „ deglutientes, & ſepulchra externe quidem pul„ chra, interne autem ſordida, & paropſides in „ ſpeciem mundæ ..... Purgari prius neceſſe eſt, „ deinde purgare: ſapientia inſtrui, atque ita de„ mum alios ſapientia inſtruere: lux fieri, & „ alios illuminare, ad Deum appropinquare, & „ ita alios adducere: ſanctificari, & poſtea ſan„ ctificare: cum manibus ducere, cum pruden„ tia conſilium dare. „ *Quia ſtulte egerunt Paſtores, & Dominum non quæſierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt.*

Talenta naturalia, ingenium ſcilicet, ſcientia, eloquentia, induſtria, &c. ad regimen & directionem animarum, ad divini verbi Miniſterium non ſufficiunt.

S. Greg. Nazian. Orat. 1. Apologet.

Jerem. 10. 21.

Qui ergo alium doces, teipſum non doces. Qui prædicas non furandum, furaris, dum Dei gloriam tibi tribuis, humanam gloriam & populares applauſus captas, temporalia commoda ex Miniſterio ſanctæ Prædicationis aut directionis animarum quæris. *Qui dicis non mœchandum, mœcharis;* cor tuum amore creaturarum proſtituens, adulterans verbum Dei; in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ ver-

verbis, non in oſtenſione *ſpiritus & virtutis* Evangelium nuntians. *Qui abominaris idola, ſacrilegium facis*, teipſum adorans ſuperba in talentis tuis complacentia, ut Lucifer: res ſacras indigne tractans, nomen habens Sacerdotis, & vitam agens omnino ſæcularem. *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras* „ projiciens ſermones „ Dei retrorſum. Sermones etenim Dei poſt ſe „ Prædicator projicit, cum hoc quod dicit, facere „ contemnit. Quomodo autem dictis ejus alter „ obediat, dum ipſe reſpuit opere, quod prædicat „ voce? *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* (loquitur Chriſtus) Qui ſolvit opere, & docet voce, in iſto regno cœlorum, id eſt in præſentis temporis Eccleſia, minimus Miniſtrorum eſt: in regno vero cœleſti nec minimus. Lex ſcilicet prædicatoribus eſt poſita ut vivendo impleant, quod loquendo ſuadere feſtinant. *Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur.* Gallus altos cantus noctu edens, Prædicatoris Evangelici ſymbolum eſt, ejuſque officium deſignat, eo quod ſe ad canendum parans, prius alas excutit, & ſemetipſum feriens, vigilantiorem reddit. „ Neceſſe eſt enim ut concionatores Evangelici prius „ ſtudio bonæ actionis evigilent, ne in ſemetipſis „ torpentes opere, alios excitent voce: prius ſe „ per ſublimia facta excutiant, & tunc ad bene „ vivendum alios ſollicitos reddant: prius cogitationum „ alis ſemetipſos feriant; quicquid in ſe „ inutiliter torpet, ſollicita inveſtigatione deprehendant, „ diſtricta animadverſione corrigant; & „ tunc demum aliorum vitam loquendo componant: „ prius punire propria fletibus curent, & tunc „ quæ aliorum punienda ſunt denuntient: & „ antequam verba exhortationis inſonent, omne „ quod locuturi ſunt, operibus clament.

S. Gregorius Moral. lib. 19. cap. 5.

Matth. 5.

S. Gregorius Curæ Paſtor. p. 3. cap. 6.

24. *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes.* Quid damnabilius, quam paganorum more vivere, & Chriſtiano nomine gloriari? bona vita laus Deo digna: mala vita, blaſphemiæ genus, & occaſio in aliis, Chriſtianæ Religionis dedecus & opprobrium. „ Cujus criminis rei ſint Chriſtiani, „ ex hoc uno intelligi poteſt, quia nomen Dei infamant. „ Et cum ſcriptum ſit nobis ut omnia „ faciamus in gloriam Dei, nos e diverſo cuncta „ in Dei facimus injuriam. Cumque ipſe Salvator noſter ad nos quotidie clamet: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*: „ nos „ ita vivimus ut filii hominum videant opera noſtra „ mala, & blaſphement Patrem noſtrum qui „ in cœlis eſt. Quæ cum ita ſint, magna videlicet „ nobis prærogativa de nomine Chriſtianitatis blandiri „ poſſumus; qui ita agimus ac vivimus, ut „ hoc ipſum quod Chriſtianus populus eſſe dicimur, „ opprobrium Chriſti eſſe videatur. Numquid de „ nobis dicere Gentiles non poſſunt: *Ubi eſt lex Catholica quam credunt? ubi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta quæ diſcunt? Evangelia legunt, & impudici ſunt: Apoſtolos audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere ſe dicunt... In nobis Chriſtus patitur opprobrium, in nobis patitur lex Chriſtiana maledictum.*

Salvianus l. 4. De Gubernatione Dei.

Matth. 5.

Mala vita Chriſtianorum, dedecus eſt & opprobrium religionis.

Salvianus ibid.

25. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.* Quid prodeſt a Paganis, a Judæis, ab Hæreticis, exteriori cultu, Sacramentis, & ceremoniis diſcerni, & cordis corruptione, pravisque moribus illis aſſimilari? Non ſtatus, ad quem vocati ſumus, ſanctitas, ſed vita ſancto ſtatui reſpondens, & obſervantia legum, Deo nos acceptos facit: nos certe paganis multo deteriores & culpabiliores ſumus. Neque enim prævaricantur a lege quam non habent, quia, ut ſcriptum eſt, *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*: Ergo nec contemnunt legis ſcita quæ „ non habent: quia nemo poteſt deſpicere quod „ neſcit. Nos ergo & contemptores pariter & prævaricatores „ ſumus: ac per hoc paganis deteriores, „ quia illi non norunt Dei mandata, nos novimus: „ illi ea non habent, nos habemus: illi „ inaudita non faciunt, nos lecta calcamus. Et „ ideo apud illos ignorantia eſt, apud nos prævaricatio: „ quia minoris criminis reatus eſt legem „ neſcire, quam ſpernere.

Vera Chriſtianiſmi pietas in circumciſione cordis poſita.

Philipp. 3. 3.

28. 29. *Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circumciſio. Sed qui in abſcondito, Judæus eſt: & circumciſio cordis in Spiritu, non littera.* Tota Chriſtianiſmi pietas in caritate poſita eſt, quæ in circumciſione cordis perficit, reſecando cupiditatem, inordinatos affectus, pravos habitus, & qualcumque veteris hominis corruptelas. Ad nos pertinet ſpiritualis illa circumciſio: ſine illa nihil proderit externa Chriſtianæ Religionis profeſſio: ſine illa ſolam Evangelicæ Legis litteram, non ſpiritum habemus. *Nos enim* (inquit alibi Apoſtolus noſter) *ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habemus.* Sancti veteris Teſtamenti reipſa & ſpiritu Chriſtiani erant ob circumciſionem cordis. Judæi carnales ab his patribus degenerantes, ob circumciſionem carnis remanſerunt in carne Judæi, in corde pagani. Nos, tametſi nomine, & externa profeſſione Chriſtiani, pejores carnalibus Judæis, & prope ſimiles Paganis ſumus, niſi corde circumciſi ſimus. *Circumciſio cordis in ſpiritu, non littera.* Circumciſionem cordis dicit, *puram ab omni illicita concupiſcentia voluntatem: quod non fit littera docente & minante, ſed Spiritu adjuvante atque ſanante. Ideo laus talium non ex hominibus, ſed ex Deo eſt, qui per ſuam gratiam præſtat unde laudentur, de quo dicitur*, „ In Domino „ laudabitur anima mea: " *& cui dicitur*, Apud te laus mea: *non quales illi ſunt qui Deum laudari volunt quod homines ſunt, ſe autem quod juſti ſunt.*

S. Auguſt. lib. de Spiritu & littera, cap. 8.

C A P U T III.

Senſus Litteralis.

1. 2. Q*Uid ergo amplius Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis?* Si ita ſe res habet, ut circumciſio nihil proſit ſine legis obſervatione, & præputium ſeu incircumciſio nihil obſit legem obſervanti; nec is vere Judæus ſit apud Deum, qui in manifeſto & externa dumtaxat profeſſione Judæus eſt, & in carne circumciſus, ſed qui in abſcondito, ſive interius Judæus eſt, & corde circumciſus, quid igitur eximium Judæo collatum eſt præ Gentili? quid præcipuum habet populus ille, quem Deus toties ſuum peculiariter populum, partem ſuam, hæreditatem ſuam, vineam ſuam electam vocat? aut quæ utilitas fuit exterioris circumciſionis a Deo inſtitutæ? *Multum per omnem modum.* Ampliora certe beneficia Judæi, a Deo præſtita ſunt, quam Gentilibus; multiſque omnibus illis præcellunt, ſi privilegiorum ratio habeatur. *Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Quorum quidem privilegiorum præcipuum eſt, quod illis divina oracula, Lex, Prophetiæ, Scripturæ omnes divinæ, inſtar depoſiti pretioſi concredita ſint: & quod res divinis oraculis comprehenſæ ad Judæos imprimis ſpectarent, cum Meſſias & illis peculiariter promiſſus, & ex eorum genere natus, apud illos prædicaverit & miracula ediderit; eiſque primum verbum ſalutis per Apoſtolos ſuos miſerit.

3. *Quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt?* (eloquiis ſive promiſſis Dei) *numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* Numquid ipſorum infidelitas abolebit fidelitatem & conſtantiam Dei in præſtandis promiſſis? *Abſit.* Fieri certe non poteſt ut eloquia & promiſſa Dei quæ nullis ſuſpenſa ſunt conditionibus, hominum infidelitate irrita & inania reddantur.

4. *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Certiſſime credatur Deum eſſe veracem, & in omnibus dictis promiſſiſque ſuis conſtantem, qui nec fallere poſſit, nec falli. Homo autem ex depravatæ naturæ ſuæ propenſione proclivis eſt ad mendacium, & inconſtans in promiſſis. *Sicut ſcriptum eſt* Pſalmo 50. a Davide Deum ita compellante: *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Ut verax agnoſcaris in verbis tuis, & fidelis in promiſſis: qui nec ob peccata mea retractes promiſſa mihi facta de regni ſtabilitate, ac ſucceſſore, deque Meſſia ex genere meo quoque naſcituro. Ita fit ut victor ſemper agnoſcaris in judiciis quæ homines recta ratione de tuis actis tulerint.

Pſal. 50. ſecundum verſionem LXX.

5. 6. *Si autem iniquitas*, ſeu injuſtitia noſtra *juſtitiam Dei commendat*, ſpectabiliorem facit, magiſque confirmat, *quid dicemus? Numquid iniquus* ſeu injuſtus *eſt Deus, qui infert iram?* qui nos punit. Numquid, inquam, injuſtitiæ accuſari poteſt, quia gloriæ ſuæ bonum elicit ex improborum etiam peccatis? *Secundum hominem dico.* Humano ſenſu loquor. Ex perſona hominum inſipientium & carnalium, qui divina non capiunt, hanc moveo objectionem. *Abſit*, ut quis de Deo tam indigne ſentiat. *Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Si qua injuſtitiæ labes Deo adhærere poſſet, qua ratione mundum judicaret? Supremus enim mundi judex,

Judex, a quo appellari non poteſt, cujus judicium a nemine reformari & emendari valet, integerrimus & æquiſſimus eſt.

7. 8. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius, quid adhuc & ego tamquam peccator judicor?* Si enim (dicit aliquis) veracitas & fidelitas Dei per meam infidelitatem illuſtrius apparuit ad gloriam ipſius promovendam, ex Gentium vocatione: cur ego damnor ut peccator & infidelis? *Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) Faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.* Et cur non potius dicamus, Faciamus mala, ut inde bona proveniant, & Dei gloria promoveatur? quod quidam nobis per calumniam impingunt. Quos manet juſtiſſima damnatio. Abſit enim ut illationem tam abſurdam probemus: quin potius illam jure meritoque damnamus. Juſte enim punit Deus peccata, etiamſi ex iis, occaſione data, gloriæ ſuæ manifeſtationem ac promotionem conſequatur.

9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Quid ergo? præcellimus eos?* Numquid igitur nos Judæi Gentes præcellimus? *Nequaquam.* Non omnino. Etſi enim nos Judæi Legem & circumciſionem a Deo accepimus, nobiſque credita ſunt ejus oracula, (quod uni tamen ejus benignitati, non meritis noſtris tribuendum eſt) non tamen quoad fidem & gratiam Evangelicam, veramque juſtitiam, quæ & Judæis & Gentibus pariter indebitæ, gratis dantur, eos præcellimus. *Cauſati enim ſumus, Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.* Jam ante convicimus Judæos & Gentiles omnes reos eſſe peccati, quamvis illi Legem, hi Philoſophiam Magiſtram accepiſſent. *Sicut ſcriptum eſt*, variis Scripturæ locis. *a Non eſt juſtus quiſquam*, nequidem unus in univerſo hominum genere, ex ſua origine, antequam juſtificetur ex fide. *Non eſt intelligens*, non eſt qui intelligentia ſua recte utatur, *non eſt requirens Deum.* Non eſt cui Deus cordi ſit, & qui mandata ejus obſervare ſtudeat. *Omnes declinaverunt* a via recta: *ſimul*, pariter, *inutiles facti ſunt*, nullum bonorum operum fructum ferentes, ut palmites infrugiferi a vite abſciſſi: *non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Ne unus quidem eſt bonæ frugis. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* *b* Sicut enim ſepulchrum patens tetrum ac peſtiferum fœtorem exhalat, ita os eorum blaſphemias, calumnias, convitia, detractiones, aliosque id genus noxios ſermones evomit. *Linguis ſuis doloſe agebant.* Linguis ſuis ad dolos & fraudes abuſi ſunt: *venenum aſpidum ſub labiis eorum.* *c* Quaſi aſpides exitiale venenum in quemlibet ejaculari noxiis ſermonibus parati ſunt. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt; d* qua odium in corde latens proferunt, probris & maledictis laceſſentes eos quibus ſunt offenſi. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, e* innocentium. *Contritio & infelicitas in viis eorum.* Omnia eorum ſtudia eo tendunt ut alios opprimant, conterant, & miſeros reddant. *Et viam pacis non cognoverunt.* Pacem, & quæ fovendæ pacis media ſunt, caritatem ac juſtitiam nullatenus curant. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum. f* Omnem Dei timorem excuſſerunt, ubique præſentem, & juſtum malorum eſſe vindicem non cogitantes. Quamvis autem omnes illi Verſus jam olim in vulgatis Codicibus Latinis uno loco, ſcilicet *Pſalmo XIII.* conſequenter legerentur, etiam ante SS. Hieronymi & Auguſtini tempora, certum tamen eſt neque in Hebræo Textu, neque in Verſione LXX. interpretum, neque in Chaldaica Paraphraſi eo loco omnes & ſingulos haberi. Denique omnes Græciæ Tractatores, qui nobis eruditionis ſuæ in Pſalmos Commentarios reliquerunt, hos octo Verſiculos veru annotant atque prætereunt: „ Sepulchrum „ patens eſt guttur eorum: Linguis ſuis doloſe „ agebant: Venenum aſpidum ſub labiis eorum: „ Quorum os maledictione & amaritudine plenum „ eſt: Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: Contritio & infelicitas in viis eorum: „ Et viam pacis non cognoverunt: Non eſt timor „ Dei ante oculos eorum. “ Non tam igitur Apoſtolus de Pſalmo decimo-tertio ſumpſit, quod in Hebraico non habetur, quam ſi qui artem contexendarum inter ſe Scripturarum Apoſtoli neſciebant, quæſierunt aptum locum, ubi aſſumptum ab eo ponerent teſtimonium, quod abſque auctoritate Scripturæ poſitum non putabant. Obſervatio eſt *S. Hieronymi in proœmio libri decimi-ſexti Commentariorum in Iſaiam Prophetam, ad Virginem Euſtochium.* Ceterum eadem veteris Inſtrumenti verba non ſemper exhibet Apoſtolus, ſed ſenſum exprimit, qualem ei memoria ſuggerebat.

a Pſalm. 13. 1. 2. 3.

b Pſal. 5. 11.

c Pſal. 139. 4.

d Pſal. 9. ſecundum Hebræos 10. 7.

e Iſai. 59. 7. 8.

f Pſal. 35. 1.

Octo verſus qui Pſalmo 13. ſecundum Vulgatam Editionem Latinam conſequenter leguntur, non habentur in Hebræo Textu, nec in Verſione LXX. interpretum: ſed ab Apoſtolo ex variis Scripturæ ſacræ locis prolati ſunt.

19. 20. *Scimus autem*, quod certum & indubitatum eſt iis qui ſacras Litteras norunt, *quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege ſunt, loquitur:* quæcumque præcepta, prohibitiones, objurgationes, comminationes, in Libris Moyſi, Pſalmis, Prophetis, univerſiſque Veteris Teſtamenti Libris exarata ſunt, ad eos pertinere ac dirigi, qui ſub lege ſunt, qui legi ſunt ſubjecti, quibus Lex data eſt, ſcilicet ad Judæos. *Ut omne os obſtruatur:* quo fit ut nemo ſeu Judæus, ſeu Gentilis, gloriari poſſit de juſtitia, quaſi vel ex operibus legis vel ex operibus naturæ juſtificetur; nemo ſe a peccato excuſare valeat: *& ſubditus fiat omnis mundus Deo:* & omnes homines reos ſe agnoſcant, ſeu obnoxios condemnationi Dei juſti judicis. Vox ſcilicet Græca ὑπόδικος condemnationi obnoxium, ſeu debitorem pœnarum ſignificat. *Et ſubditus fiat omnis mundus Deo.* Et agnoſcant omnes ſe Dei miſericordia, & Chriſti mediatoris gratia ſumme indigere, „ eamque implorare diſcant. Nam ὑπόδικος, hoc „ eſt reus, obnoxiuſque ille proprie dicitur, qui „ ſibi ipſe ad defenſionem minime ſufficere cum „ poſſit, alterius patrocinio indiget. Talis erat noſtra conditio, qui remedia ea omnia amiſeramus, „ quæ ad ſalutem pertinent.

S. Chryſoſt. Homil. 6.

20. *Quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Quia nemo homo ex operibus legis ſive ceremonialis, ſive moralis, ſive etiam ex operibus legis naturæ, quibuſcumque ſtudiis exculta, excluſa fide & gratia Chriſti, vere juſtus eſt interiori juſtitia, quæ ſola Deum promeretur. *Per legem enim cognitio peccati* tantum habetur, non conſumptio & abolitio. Legem intellige de qua poſtea dicit, *Peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.*

S. Auguſt. lib. De Spiritu & Littera, cap. 8.

21. *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt: teſtificata a lege & Prophetis.* Nunc autem illuceſcente Evangelio, juſtitia Dei manifeſtata eſt, per fidem & gratiam Jeſu Chriſti, etiam illis quibus lex data non fuerat, ſcilicet Gentibus: tametſi juſtitia illa a Deo collata hominibus per Chriſtum, nullo Judæi Gentiliſ-ve habito diſcrimine, teſtimonio legis & Prophetarum comprobetur. *Juſtitia Dei manifeſtata eſt.* Non dixit, *juſtitia hominis, vel juſtitia propria voluntatis, ſed juſtitia Dei; non qua Deus juſtus, ſed qua induit hominem, cum juſtificat impium. Hæc teſtificatur per legem & Prophetas: huic quippe teſtimonium perhibent lex & Prophetæ. Lex quidem hoc ipſo quod jubendo & minando, & nominem juſtificando, ſatis indicat, dono Dei juſtificari hominem per adjutorium Spiritus: Prophetæ autem, quia id quod prædixerunt, Chriſti implevit adventus.* Nam hinc ſequitur & adjungit, dicens: *Juſtitia autem Dei* „ *per fidem Jeſu Chriſti*, hoc eſt, per fidem qua cre„ ditur in Chriſtum, ſicut autem iſta fides Chriſti „ dicta eſt, non qua credit Chriſtus: ſic & illa „ juſtitia Dei, non qua juſtus eſt Deus. Utrum„ que enim noſtrum eſt; ſed ideo Dei & Chriſti „ dicitur, quod ejus nobis largitate donatur. Juſti„ tia ergo Dei ſine lege, non ſine lege manifeſtata „ eſt. Quomodo enim per legem teſtificata, ſi ſine „ lege manifeſtata? *ſed juſtitia Dei ſine lege eſt,* „ *quam Deus per Spiritum gratiæ credenti confert ſine* „ *adjutorio legis, hoc eſt non adjuto a lege. Quandoquidem homini per legem oſtendit infirmitatem ſuam, ut ad ejus miſericordiam per fidem confugiens ſanaretur.*

Juſtitia per fidem in Chriſtum, non per legem.

S. Auguſt. ibid. cap. 9.

22. 23. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. non enim eſt diſtinctio.* Juſtitia porro quam Deus largitur per fidem perfectam, humilem, obedientem in Jeſum Chriſtum, effuſa eſt in omnes & ſuper omnes, tam ex Judæis, quam ex Gentibus, credentes in eum. Non enim eſt diſtinctio. Hac in re nullum diſcrimen eſt ratione gentis, ſexus, conditionis, talentorum naturalium, aut operum fidem præcedentium. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei:* id eſt, juſtificatione, quæ in gloriam Dei cedit, & uni Dei miſericordiæ accepta referenda eſt, ut qui fit bonus, in ſe, non in Domino glorietur. Vel, *egent* ſeu *deſtituuntur* gloria Dei, indigni ſunt vita æterna, quæ non datur niſi juſtis.

S. Joan. Chryſoſt. & Theophylact.

24. 25. *Juſtificati* gratis, (id eſt) *per gratiam ipſius,* „ ſola Dei gratuita bonitate & miſericordia. Ni„ hil enim eorum quæ juſtificationem præcedunt, „ ſive fides ſive opera, juſtificationis gratiam pro„ meretur: ſi enim gratia eſt jam non ex operi„ bus: alioquin gratia jam non eſt gratia. Ideo ju„ ſtitiam vel fidem nuſquam dictam eſſe merce„ dem in Scripturis, S. Auguſtinus obſervat, quia juſtitiæ vel fidei merces redditur. Nomine autem juſtificationis, hic totam illius œconomiam ab initio uſque ad finem, ab initio fidei ad finem vitæ æternæ; intellexit Apoſtolus. *Quod eſt ergo meritum*

Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 8.

Nulla merita ante gratiam.

Digitized by Google

S. Auguſt. Epiſt. 194. alias 105.

hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia, & cum Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet quam munera ſua? ſicut enim ab initio fidei miſericordiam conſecuti ſumus, non quia fideles eramus, ſed ut eſſemus: ſic in fine, quo erit vita æterna, coronabit nos, ſicut ſcriptum eſt, in miſeratione & miſericordia. Non itaque fruſtra Deo cantatur; Et miſericordia ejus præveniet me: &, miſericordia ejus ſubſequetur me. *Unde & ipſa vita æterna, quæ utique in fine ſine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis datur; nec ideo quia non meritis datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur.*

Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 7.

„ *Per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Per Chriſtum Jeſum redemptorem noſtrum. Cauſa enim efficiens juſtificationis noſtræ miſericors Deus, qui gratuito abluit & ſanctificat, ſignans & ungens in Spiritu promiſſionis ſancto; qui eſt pignus hæreditatis noſtræ; meritoria autem dilectiſſimus unigenitus Filius ſuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cum eſſemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit . . . . *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Ex qua quidem ſervitute homo redimitur, ſi pro peccato ſatisfaciat. Sicut ſi aliquis ob culpam commiſſam obnoxius eſſet Regi ad ſolvendam pecuniam, ille eum redimere diceretur a noxa, qui pro eo pecuniam ſolveret. Hæc autem noxa ad totum hominum genus pertinebat, quod erat infectum peccato primi parentis. Unde nullus alius pro peccato totius humani generis ſatisfacere poterat, niſi ſolus Chriſtus, qui ab omni peccato immunis erat. *Per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Quaſi dicat, Per alium non poterat nobis eſſe redemptio. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.*

Totius generis humani redemptio per Jeſum Chriſtum.

Joan. 8.

S. Thomas Lect. 3.

1. Petri. 1. 18.

25. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Quem Deus ab æterno deſtinavit, & ab initio mundi, ante legem, & ſub lege promiſſum, multiſque figuris adumbratum, in plenitudine temporum exhibuit omnibus hominibus victimam propitiationis & reconciliationis perficiendæ ſanguine illius pro ipſis effuſo, cujus virtus nobis applicatur per fidem qua credimus eum per mortem ſuam mundum redemiſſe. Decrevit porro Deus ut redimeremur, expiaremur, eique reconciliaremur, non ſanguine hircorum & taurorum, ſed pretioſo ſanguine Chriſti Filii ſui, ut manifeſtam faceret juſtitiam qua homines vere coram Deo juſti ſunt, & quam ſolus Deus tribuit; condonando peccata, non ſolum præſentia, ſed etiam præterita; non ſolum peccata hominum qui tempore paſſionis ejus, aut poſtea vixerunt, & ad finem uſque mundi victuri ſunt, ſed illorum qui præceſſerunt, in Chriſtum Mediatorem credentes & ex fide viventes.

26. *In ſuſtentatione Dei.* Quæ delicta hactenus toleraverat Deus admirabili patientia, uſque ad hoc tempus quo juſtitiam ſuam, id eſt juſtificationem partam meritis Chriſti mediatoris & propitiatoris, mundo manifeſtaret ac exhiberet, *ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore. Ut ſit ipſe juſtus,* ut & ipſe juſtus ac ſanctus agnoſcatur, *& juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti:* & autor juſtitiæ ac ſanctitatis in eis qui credunt in Jeſum Chriſtum.

27. *Ubi eſt igitur gloriatio tua?* Quam habes rationem extollendi te de juſtitia tua ſupra Gentilem, o Judæe; quid eſt unde glorieris, cum æque ſitis ambo obnoxii Deo propter peccata, & Chriſti redemptione ac propitiatione pariter indigeatis! *Excluſa eſt.* Nullus gloriationi & inani jactantiæ ac fiduciæ & propriis meritis relictus eſt locus. *Per quam legem?* qua lege excluſa eſt? *Factorum?* Sive operum? *Non, ſed per legem fidei.* Non præcluditur gloriationis anſa per Moſaicam Legem, etiam qua parte moralis eſt, quia tantum agenda præſcribit, nec auxilia ſubminiſtrat quibus impleatur; ſed per fidem ipſam, qua velut lege impellitur homo ad quærendam a Deo juſtitiam: ſive per legem Evangelii, in qua Gentiles Judæis æquantur mediante fide in Chriſtum Jeſum utroſque juſtificante, & auxiliis gratiæ utriſque oblatis, & per ſubminiſtrationem Spiritus datis ad implenda Dei mandata. *Hæc eſt lex fidei, qua credimus & oramus per gratiam nobis donari: ut faciamus quod per noſmetipſos implere non poſſumus, ne ignorantes Dei juſtitiam, & noſtram volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſimus ſubjecti. In lege itaque factorum eſt Dei jubentis juſtitia: in lege autem fidei, ſubvenientis miſericordia.* *Rom. 10.*

S. Chryſoſt. Theophylact.

S. Auguſt. Pſal. 118. Serm. 30.

28. *Arbitramur enim*, cenſemus igitur & concludimus *juſtificari hominem* quemcumque, ſive Judæum, ſive Gentilem, *per fidem*, tamquam humanæ ſalutis & veræ juſtitiæ ac ſanctitatis *initium, fundamentum, radicem*, medium quo juſtitia interior apprehendatur & impetretur; *ſine operibus legis*, fidem præcedentibus. Fides quidem ſola non ſufficit ad juſtificationem peccatoris, ſed *quæ per caritatem operatur*. Et ut docet S. Jacobus Epiſtolæ ſuæ Catholicæ cap. 2. *Ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum:* Sed ex operibus a fide profectis, non ex iis quæ ſola cognitione legis inſtructus & adjutus homo effecerit. *Opera ſunt ex fide, non ex operibus fides*, de qua dictum eſt, *Juſtus ex fide vivit.*

Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 8.

Galat. 5. 6.

S. Auguſt. lib. De Gratia & Libero Arbit. Habacuch. 2. 4.

29. *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Immo & Gentium.* An Deus Judæorum tantum, & non etiam Gentium Deus eſt, ut ſolos Judæos, non etiam Gentiles juſtificare & ſalvare velit? Gentilium certe non minus quam Judæorum Deus eſt, omnes ſalvos fieri volens, omnibus in ordine ad ſalutem æternam benefaciens.

30. *Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Unus ſiquidem omnium Deus eſt, dives in omnes qui invocant illum, qui circumciſos pariter & incircumciſos, ſine diſcrimine, per fidem juſtificat. *Per fidem*, & *ex fide*, idem ſunt, ut S. Auguſtinus ex Apoſtolo oſtendit, lib. *De Spiritu & Littera*, cap. 29.

31. *Legem ergo deſtruimus per fidem?* Ergo-ne legem irritam & inutilem cenſemus, adſcribendo juſtificationem fidei ſine operibus legis? *Abſit, ſed legem ſtatuimus.* „ Quinimmo, legem ſtabilimus & confirmamus. Quemadmodum enim lex antevertens, fidei teſtimonium attulit, ſic fides ipſam legem invalidam ſtabilivit. Scopus enim legis erat, juſtum hominem facere, quod illa quidem præſtare non valuit. Id autem præſtitit fides ſuperveniens. Simul enim ut quis credidit, juſtificatus eſt. Non igitur legem fides irritam, ſed ratam abſolutamque fecit. Tria igitur hoc in capite docet Apoſtolus, 1. Quod ſine lege fieri poteſt hominis juſtificatio. 2. Quod ipſum juſtificare non valuit ipſa lex. 3. Quod fides cum lege non pugnat, immo ipſi auxiliatur & cooperatur. *Sed legem ſtatuimus.* 1. Quia per legem novam exhibentur bona quæ per veteris legis ceremonias ceu per figuras & umbras ſignificabantur & promittebantur. 2. Quia fides Chriſti auxilium gratiæ impetrat ad moralia præcepta legis implenda. Quædam etiam addit conſilia, per quæ præcepta moralia tutius & firmius obſervantur. Unde Chriſtus ait? *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere;* &, *Unum iota aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

S. Joan. Chryſoſt. Homil. 7.

S. Thomas Lect. 4.

Matt. 5. 6. 7.

CAPUT III.

Senſus Moralis.

1. 2. Q*Uid ergo amplius Judæo eſt? Aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Homo carnalis & corde incircumciſus non capit quantæ ſit felicitatis vocatum eſſe ad Eccleſiam, quanta ſit baptiſmi gratia, quanti fructus. Quantum ſit beneficium ad verum Iſraelem pertinere, Dei populum eſſe, legem ejus accepiſſe, non in tabulis tantum, ſed in cordibus ſcriſcriptam, non atramento, ſed Spiritu Dei vivi. Id capit fides viva & Dei dilectione animata. Unde veros Chriſtianus ex ea vivens, Deo pro tot beneficiis gratias perennes agens, ait: *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Et, *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* Felicior Chriſtianorum ſors quam Judæorum. His enim credita ſunt eloquia Dei umbris & figuris involuta, & quaſi ſigillata: iſtis vero per Filium Dei unigenitum revelata. Judæis littera legis & Prophetiarum; Chriſtianis intelligentia, & promiſſorum effectus. Chriſtianus verbis Dei edoctus longe plura novit, meliora, ſublimiora, utiliora ad ſalutem, quam doctiſſimi Gentium Philoſophi, quam Judæorum Legis peritiſſimi. *Credita ſunt illis eloquia Dei*, non ut ſervis, ſed ut amicis. *Jam non dicam vos ſervos* *Joan. 15. 15.*

Quam felix ſors Chriſtianorum.

Pſal. 143. 15.

Pſal. 93. 12.

(ait

(ait Chriſtus) *ſed amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Credita ſunt illis ut legant cum ſumma veneratione *adoranda verba Scripturarum*, cum ſimplicitate, cum humilitate, cum attentione. Parvulorum enim, æque ac magnorum ingeniorum cibus ſunt & caſtæ deliciæ. *Scriptura ſic loquitur ut altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos paſcat, affabilitate parvulos nutriat*. Legant cum animi puritate & munditia, ut ejus intelligentiam ab ipſa Veritate, quæ Deus eſt, conſequi mereantur. Id obtinebunt ſpiritali circumciſione vitiorum & pravorum affectuum. *Quæ utilitas circumciſionis?* &c. Legant cum delectatione, ſine faſtidio, ut dicere poſſint: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!* Recogitent illa in corde, & aſſidue meditentur, ut non peccent: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*.

S. Auguſt. lib. 2. de Gen. ad Litt. c. 4.

Pſal. 118. 103. ibid. Verſ. 11.

3. *Quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Abſit*. Judæi non crediderunt Moyſi, Prophetis, ipſi Dei Filio apud illos Evangelium ſuum prædicanti & miraculis confirmanti. Chriſtiani plurimi non credunt verbis & promiſſis Chriſti, quæ in Evangelio legunt & audiunt, non credunt Apoſtolicæ prædicationi tot miraculis confirmatæ, non credunt Spiritui ſancto per Eccleſiam loquenti, aut certe ita vivunt ac ſi non crederent, nec ſperarent æterna bona, credentibus, & ex fide viventibus, a Deo promiſſa. O duritiem cordis! o ingrati animi vitium! *Non crediderunt verbo ejus, & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*. Quam terribile ipſis imminet judicium! *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato*. Verumtamen numquid multorum incredulitas, improbitas, ingratitudo fidem Dei evacuavit? Hinc agnoſcant & fateantur Hæretici ab Eccleſia ſe perperam diſceſſiſſe propter malos mores Catholicorum plurimorum, aut fœdam vitam Miniſtrorum. Promiſit Chriſtus ſe cum Eccleſia futurum uſque ad conſummationem ſæculi, Spiritum veritatis illi non defuturum, nuſquam illam erraturam, utpote quæ ab eo regatur, & quam audiri jubeant in omnibus Religionis controverſiis ut ſummum in terris judicem. An improbi multorum Chriſtianorum mores irrita facere potuerunt Chriſti promiſſa Eccleſiæ ſponſæ ejus facta, cum Judæorum plurimorum incredulitas irrita facere non potuerit promiſſa Dei facta Synagogæ, quæ typus erat Eccleſiæ a Chriſto fundatæ? *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Abſit*. Odio ſemper habenda iniquitas in filiis Eccleſiæ, ſemper vero diligenda eſt Eccleſia, quæ in ſe ſancta eſt & immaculata. Non ex perſonis fides, ſed ex fide perſonæ judicandæ ſunt. Fidelis eſt Deus in promiſſis ſuis, eaque certiſſime adimplet independenter a fidelitate hominum, cum abſoluta ſunt. Verum cum ea certis conditionibus adſtrinxit, eorum executio conditiones illas poſtulat ex parte hominum, ut impleantur. *Si vis ad vitam ingredi*, inquit, *ſerva mandata*. Vitam æternam promiſit hominibus, ſed ea conditione ut mandata ſua ſervent. Mandata ergo Dei violando, promiſſa ejus irrita faciunt infidelitate ſua. Amemus igitur quod præcipit, ut aſſequi mereamur quod promittit.

Pſal. 105. 15. 2. Petri 2. 21.

4. *Eſt autem Deus verax; omnis autem homo mendax*. Deus ſumma veritas eſt. *Homo non habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.... Quicquid veritatis reperitur in homine, non eſt ab homine, ſed a Deo. Veritatem quicumque loquitur, ore ſuo loquitur, ſed non ſuam*. Fallit alios, ſequi ipſum, homo peccator; illos verbis & factis: ſeipſum errore cogitationum, falſitate judiciorum, perverſitate deſideriorum. Quin & Deum fallere paratus eſt hypocriſi ſua, ſi falli poſſet. Omnis homo ex ſe mendax, ſola Dei gratia verax. Nemo igitur de homine præſumat, nemo in homine confidat. Quod ſi de homine non debet quiſque præſumere, utique nec de ſe ipſo, quia homo eſt. *Omnis homo mendax*, ſed *Deus verax*, qui ait, *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes: vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis*. „ Concidat ne humiles, „ & implet eos non ſolum fide credendæ, ſed etiam „ fiducia prædicandæ veritatis; ſi perſeveranter ſubdantur Deo, nec imitentur unum ex principibus diabolum, qui in veritate non ſtetit, & cecidit. Si enim omnis homo mendax, in tantum „ non erunt mendaces, in quantum non erunt homines: quoniam dii erunt & filii Altiſſimi.

Concil. Arauſic. S. Auguſt.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 115. Pſal. 81. 6.

Juſtitia Dei,

5. 6. *Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? Abſit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Deus de ſuo bonus, de noſtro juſtus. Cum ſumme bonus ſit, non poteſt non odiſſe peccatum; cum ſumme juſtus, non poteſt non punire, quod pœnitentia deletum non eſt, atque ab ipſo homine pœnitente punitum. Deus peccati auctor eſſe non poteſt, quia ſanctus; ordinator eſt, quia juſtus. Ab ordine legis defecit homo admiſſione culpæ; in ordinem juſtitiæ cogitur inflictione pœnæ. In veteri Teſtamento terruit Deus carnalibus, in Novo ſpiritualibus pœnis. Utrobique juſtus, ſive occultum, ſive manifeſtum judicium exerceat. *Judicium occultum eſt pœna qua nunc quiſque aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad converſionem, aut excæcatur ad damnationem*, ſi contempſerit vocationem & diſciplinam Dei. Judicium autem manifeſtum eſt quo venturus Dominus judicabit vivos & mortuos, omnibus fatentibus eum eſſe a quo & bonis præmia æterna & malis æterna ſupplicia retribuentur. *Judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in juſtitia*. Non quemadmodum judicant homines qui corda non vident, a quibus plerumque deteriores abſolvuntur, quam condemnantur: ſed in æquitate & cum juſtitia Dominus judicabit, teſtimonium perhibente conſcientia, & cogitationibus accuſantibus ſeu defendentibus, ut dictum eſt.

S. Auguſt. in Pſal. 9.

Pſal. 9. 9.

Doctrina Catholica, & Apoſtolica de gratia & prædeſtinatione prædicanda, non obſtante calumnia. Servandæ Chriſtianæ prudentiæ leges, a S. Auguſtino præſcriptæ. S. Auguſt. lib. De Dono perſev. c. 16.

8. *Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere.) Faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt*. Exemplum Apoſtoli conſoletur Paſtores, Doctores & Concionatores, qui Catholica, Apoſtolica, Auguſtiniana dogmata de Gratia & Prædeſtinatione ſanctorum docentes & prædicantes, calumniam patiuntur, quaſi doctrinam propugnent ac prædicent, exitialem libertati, deſperationi viam pandentem, Chriſtianæ pietati contrariam, Eccleſiæ fulminibus attritam & damnatam. Veritates divinas in injuſtitia non detineant propter calumnias hominum; veruntamen ſervatis prudentiæ legibus. Ea dogmata non prædicent, niſi cum id poſtulat neceſſitas defendendæ veritatis, aut inſtitutio fidelium, qui contrariis erroribus, fidei puritati adverſis, ſeducuntur. Alias de profundioribus ac ſublimioribus quæſtionibus ſilendum eſt, quas rudes, quorum major eſt numerus, capere non poſſunt, & inde pejores fiunt. „ Dicatur ergo verum, maxime ubi aliqua quæſtio „ ut dicatur impellit: & capiant qui poſſunt; ne „ forte cum tacetur propter eos qui capere non „ poſſunt, non ſolum veritate fraudentur, verum „ etiam falſitate capiantur, qui verum capere quo „ caveatur falſitas poſſunt. Facile eſt enim, immo „ & utile ut taceatur aliquod verum propter incapaces. *Unde Dominus ait*, Adhuc multa habeo „ vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. *Et* „ *Apoſtolus*, Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: quaſi parvulis in „ Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis... *Cauſas vero tacendi longum eſt omnes quærere vel inſerere. quarum tamen eſt & hæc una*, „ Ne pejores eos faciamus qui non intelligunt, „ dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores; qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores „ quidem non fiunt, ſed nec pejores fiunt. Cum „ autem res vera ita ſe habet, ut fiat pejor nobis „ eam dicentibus, ille qui capere non poteſt; nobis autem tacentibus ille qui poteſt: quid putamus eſſe faciendum? Nonne potius eſt dicendum verum, ut qui poteſt capere capiat; quam „ tacendum, ut non ſolum id ambo non capiant, „ verum etiam qui eſt intelligentior, ipſe ſit pejor? Qui ſi audiret & caperet, per illum etiam „ plures diſcerent.... Inſtat inimicus gratiæ, atque urget modis omnibus, ut credatur ſecundum merita noſtra dari, ac ſic gratia jam non „ ſit gratia; & nos nolumus dicere, quod teſte „ ſcriptura poſſumus dicere? Timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non poteſt capere, & non timemus, ne „ tacentibus nobis, qui veritatem poteſt capere, „ falſitate capiatur?

Joan. 16. 12. 1. Cor. 3. 1.

Ne minimum quidem peccatum committendum eſt ut inde bonum aliquod eveniat, S. Auguſt. cont. Mendacium.

Sicut aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt. Ne minimum quidem peccatum committendum eſt umquam, ut inde bonum aliquod proveniat. Quodcumque peccatum Dei offenſa eſt infinite boni, quæ nullo bono creaturæ poteſt compenſari. Ne leve quidem mendacium licet ad ſalutem æternam alicujus hominis procurandam, multo minus ad vitam temporalem ſervandam: Fœnus exercere non licet etiam ad alendos pauperes: & licebit permittere ſuperſtitioſos & idololatricos ritus Neophytis apud paganos ad Chriſtianam Religionem converſis, & baptiſmum illis conferre, etiamſi ritus impios in mortuorum ſuorum honorem, ejurare & penitus abdi-

abdicare nolint? Procul, procul a prædicatoribus veritatis tam execrandum principium: *Faciamus mala, ut eveniant bona*. Procul a Chriſtianis mentibus tam peſtifera ſententia! Væ illis qui hanc in praxi ſequuntur! *Quorum damnatio juſta eſt*. O ſtupendam cordis humani perverſitatem! Deum ex malis bonum gloriæ ſuæ elicere videt, dum illa ordinat: homo vero iniquus inde occaſionem ſumit. 1. Deum judicandi & damnandi in tribunali mentis ſuæ. *Si autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?* 2. Inde occaſionem arripit ſua peccata excuſandi. *Si enim veritas in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?* 3. Inde occaſionem accipit indurandi & obfirmandi ſe ipſum in malitia & iniquitate, dicens: *Faciamus mala, ut eveniant bona*. Molliores & benigniores ſententias in Morali Chriſtiana ſectemur, ut plures, nobiliores, locupletiores, potentiores in directionem noſtram ſe tradant: dilatemus viam mandatorum Dei, pietatis profeſſionem cum ingenio moribuſque ſæculi conciliemus ad majorem Dei gloriam. *Numquid Deus indiget veſtro mendacio*, Magiſtri erroris, prurientes auribus, & a veritate auditum avertentes?

Job. 13. 7.

9. *Quid ergo? præcedimus eos? nequaquam. Cauſati enim ſumus Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe*. Nemini præponere coram Deo nos debemus, ſi quidem omnes peccatores ſumus: immo nos excitare mutuo debemus ad pœnitentiam & humilitatem, ut communis judicis iram placemus, miſericordiam impetremus. Nos ipſos judicemus, non cum aliis, ſed cum Deo, & ejus lege non comparantes. Cor ſuperbum ne conſulamus, ne audiamus, ſed Dei oraculis credamus, quæ ſuperbiam noſtram confundunt, funeſtoſque peccati effectus nobis ponunt ob oculos. 1. Peccatum quod ex Adamo contraximus, vel quod propria voluntate committimus, ſpoliat nos juſtitia interiori cujus unius Deus rationem habet; nos Deos exoſos facit, Dei inimicos, ejus iræ obnoxios, æternæ damnationis reos. *Non eſt juſtus quiſquam*. In Chriſto & per Chriſtum quærenda eſt amiſſa juſtitia, in quo, & per quem unum recuperari & reparari poteſt. 2. Peccatum rationem corrumpit & depravat, ut bona temporalia præferat æternis, creaturas Deo. *Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum*. Rationem corruptam, fide reformemus; quæ hominis novi ratio eſt: Deum oremus ut cor rectum in nobis creet per caritatem, ut eum unum quæramus, ipſique uni amore caſto adhæreamus. 3. Peccatum nos a via recta deducit, ut bonum noſtrum, gaudium noſtrum, felicitatem noſtram in creaturis quæramus. *Omnes declinaverunt*. Hæc in creaturis fruſtra quærimus, ab illis abſtrahere nos debet ſpes æternorum bonorum. Solus enim Deus bonum noſtrum eſt, gaudium noſtrum, fœlicitas noſtra. 4. Peccatum nos inutiles facit, & ad omne opus bonum invalidos ac impotentes. Nihil enim ſalutaris boni abſque Dei gratia poſſumus, in quo omnia poſſumus. *Simul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*. Opera licet faciat peccator ſecundum ſe, & *ex officio* ſeu ex objecto bona: illa tamen ita plerumque corrumpit peccatum in corde regnans, ita inficit plerumque dominans cupiditas, ut ad Deum non referantur, ſed ad creaturam, Sicque *ipſa non recto fine peccata ſint*, & ad ſalutem inutilia. *Non enim fructus eſt bonus, qui de caritatis radice non ſurgit .... Caritatem tolle, non eſt quo te moveas ad bonum opus; aut ſi moves, ut ſervus moves*. Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu. Defectus ordinis ad Deum ut ultimum finem, qui ordo ſine motu caritatis ſaltem inchoatæ & imperfectæ eſſe non poteſt, impedit ne opus peccatoris ſit ex omni parte bonum. *Quod fit ſine caritate, nullo modo fit bene*: id eſt, ut oportet ad ſalutem. *Caritas ſola bene operatur .... Ubi caritas non eſt, non poteſt eſſe juſtitia*. Gratiam & caritatem a Deo aſſidue flagitemus, per quam ſolam bonum bene facere poſſumus. 5. Peccatum venenum ſuum ab animo in linguam effundit, ut fiat ipſa univerſitas iniquitatis, inſtrumentum fraudis ac doli, mendaciis, perjuriis, adulatione, pravis conſiliis accumulans peccata, & aliis odorem mortis afflans, eoſque perimens. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant*. Linguam peccatoris linguam aſpidis facit, falſis accuſationibus, falſis teſtimoniis, ſuſurrationibus ſeu veris, ſeu falſis, verumtamen noxiis; calumniis, detractionibus, verbis impudicis & ſcurrilibus, ſermonibus & doctrinis periculoſis, contra fidem, contra Moralis Chriſtianæ puritatem, contra Eccleſiæ pacem & unitatem, contra obedientiam Poteſtatibus debitam, quæ Eccleſiam aut Rempublicam ex Dei ordinatione regunt. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Verba impietatis & blaſphemiæ in Deum: verba maledictionis, imprecationis, amaritudinis in proximum, peccatum quod in corde regnat, format in ore peccatoris. Simplicitatem, caritatem, humilitatem, manſuetudinem Chriſtianam, quas continet in anima, fruſtra in ejus verbis quæreres, cujus os ſervit iniquitati. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt*. Cor mundemus, ut lingua noſtra pura ſit, & pietati atque caritati ſerviat. 6. Peccatum homines, quibus dominatur, ad vindictam inflammat, eoſque in mutuam armat perniciem: facit ut deſideriis, conſiliis, negligentia, ignavia, approbatione, innocentem ſanguinem effundant, viduam & pupillum opprimant, avaritia ut plurimum inſtigante, ſæpius etiam ſola ultionis libidine. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*. Veloces pedes noſtros ad benefaciendum proximo caritas reddat, quos ad malefaciendum promptos fecit iniquitas. 7. Peccatum inclinat hominem ad aliorum infelicitatem procurandam, impellitque ut auctoritate ſua, talentis, opibus, induſtria ad eorum fortunas evertendas abutatur, non attendens ad innatum illud humanæ menti juris naturalis principium: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: pro nihilo ducens exemplum Chriſti qui *pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes*; omnem ſenſum commiſerationis exutus, qui character eſt hominis; omnem affectum caritatis, qui character eſt Chriſtiani. *Contritio & infelicitas in viis eorum*. 8. Peccatum lumen quo vias Domini & legem ejus cognoſcamus, & ad eas attendamus, in nobis extinguit. Viæ porro Domini, & mandatorum ejus fidelis obſervantia, via pacis eſt. *Pax multa diligentibus legem tuam*, (inquit Propheta) Quicumque hac pace deſtitutus eſt, propriis cordis, quaſi maris ferventis motibus & tempeſtatibus agitatur, & in ſe inquietus, diſſidiis, rixis, contentionibus, litibus alios inquietat & perturbat. *Et viam pacis non cognoverunt*. 9. Peccatum timorem Dei, quod initium ſapientiæ & converſionis eſt, in corde peccatoris extinguit: quo extincto, vix ullus ſupereſt religionis ſenſus. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*. Extremum illud, & deſperationi proximum cordis indurati malum maxime timendum eſt: Deoque ſupplicandum ne ſpiritum timoris ſui a nobis auferat. *Confige timore tuo carnes meas*. Domine Deus meus; *a judiciis enim tuis timui*.

Pſalm. 118.

Funeſti peccati effectus.

S. Auguſt. paſſim.

19. *Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege ſunt loquitur*. Et omnia quæcumque loquitur Evangelium, iis qui ſunt ſub Evangelio, id eſt, Chriſtianis omnibus loquitur. Omnibus dictum eſt: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*: &, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Omnibus dictum eſt: *Diligite inimicos veſtros*. Omnibus dictum eſt: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Omnibus dictum eſt: *Oportet ſemper orare, & numquam deficere*. Omnibus dictum eſt: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Omnibus dictum eſt: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Omnibus dictum eſt: *Qui ſe humiliat, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur*. Omnibus dictum eſt: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus*. Omnibus dictum eſt: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum*. Quicumque hæc modo audire non vult ad ſuam ſanctificationem, audiet aliquando ad ſuam damnationem. Primum religionis & Chriſtianæ pietatis principium, quod ex Evangelio diſcimus, eſt generalis corruptio naturæ: ob hanc ingemiſcere & humiliare nos debemus, reos nos profiteri, Dei judicia timere, quibus nos peccatum obnoxios fecit: *Ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo*.

Omnis quæ loquitur Evangelium, Chriſtianis omnibus loquitur.

20. *Quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati*. Ex operibus legis homo videri poteſt juſtus hominibus, non autem ex iis juſtus eſt coram Deo, qui cordis ipſius & intimæ voluntatis inſpector eſt, ubi videt, etiamſi aliud faciat quam legem timet, quid tamen mallet facere ſi liceret. Opera quæ Chriſtus non operatur in nobis per gratiam ſuam, & quæ non referimus ad Deum per caritatem, opera ſunt legis, ac proinde ad ſalutem inutilia. A lege ne expectemus, quod ſolus Chriſtus per Spiritus ſui ſubminiſtrationem dare nobis poteſt. „ Lex quidem „ ad cognitionem peccati nos perducit, ſed ſola „ gratia medicinalis Chriſti Salvatoris nos a pec„ cato liberare poteſt: per Moyſen revelatum eſt „ Tota-

Ex operibus legis nemo juſtus apud Deum eſt. S. Auguſt. lib. de ſpiritu & littera, c. 8.

S. Auguſt. lib. 3. ad Bonifacium, cap. 4.

„ Teſtamentum vetus, per quem data eſt lex ſancta & juſta & bona, per quam fieret non abolitio, ſed cognitio peccati, qua convincerentur ſuperbi, ſua injuſtitiam volentes conſtituere, quaſi divino adjutorio non egentes, & rei facti litteræ confugerent ad gratiæ ſpiritum, non ſua juſtitia juſtificandi, ſed Dei, hoc eſt, quæ illis eſſet ex Deo. [21] *Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata a lege & Prophetis.* „ Lex quippe eo ipſo quo ex ea nemo juſtificatur, teſtimonium perhibet juſtitiæ Dei. Quod enim ex lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia *Juſtus ex fide vivit*. Sic ergo cum lex non juſtificat impium de prævaricatione convictum, mittit ad juſtificantem Deum, atque ita juſtitiæ Dei perhibet teſtimonium. Prophetæ vero teſtimonium

1. Cor. 1. 30. & 31. Jerem. 9. 23.

„ perhibent juſtitiæ Dei, prænunciando Chriſtum, *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio*: ut, quemadmodum ſcriptum eſt, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Erat autem occulta iſta lex ab initio, cum homines iniquos natura ipſa convinceret, aliis facientes quod ſibi fieri noluiſſent. Revelatio autem Novi Teſtamenti in Chriſto facta eſt, cum eſt manifeſtatus in carne, in quo apparuit juſtitia Dei, id eſt, quæ hominibus ex Deo eſt. Hinc enim ait: *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt.*

Fides in Jeſum Chriſtum, radix & initium omnis juſtitiæ.

22. 23. 24. 25. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Quid fide pretioſius, quæ radix eſt & initium omnis juſtitiæ? Verumtamen cum fides ſola non juſtificet niſi caritate formata, quæ univerſa delicta operit, & per quam in Deo manemus, & Deus in nobis, Deum diligamus, non verbo neque lingua, ſed opere & veritate. Collaudemus infinitam Dei miſericordiam, qui veram & interiorem juſtitiam diffundit in omnes & ſuper omnes in Jeſum Chriſtum credentes, ſive ex Gentibus vocati ſint ad lumen admirabile fidei. Non eſt igitur cur jam glorientur Judæi de legalibus obſervantiis, quæ *ad juſtificationem carnis uſque ad tempus correctionis* erant *impoſita*: non glorietur Gentilis de Philoſophiæ luminibus, & de operibus officio bonis, quæ ſine fide edidit, magnis interdum paſſibus ad bonum currens, ſed extra viam; & ſecundum hominem vivens, cum ſecundum Deum vivendum ſit. Una enim eſt via perveniendi ad veram juſtitiam, omnis generis peccatoribus in univerſo terrarum orbe a Deo parata & propoſita, fides in Chriſtum Jeſum. Quam cæci ſunt, qui ſe peccatores eſſe non intelligunt ac humiliter confitentur, ſeque gratia Salvatoris indigere non ſentiunt, nec eam continuis gemitibus implorant! *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Gloria ejus miſericordiam exercere erga illos quibus nulla ſuppetunt merita. Hanc ſi impetravimus, gloriam demus Deo ſubſequentium meritorum, quæ dona ſunt gratiæ ejus, dicentes: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Ad noſtram juſtitiam nihil conferre poſſumus ex nobis, quaſi ex nobis, non opera bona, non orationem, non pia deſideria, non ſanctas cogitationes, non fidem, aut vel ipſum fidei initium. Hinc humana ſuperbia comprimatur; Chriſtiana humilitas oriatur, augeatur, firmetur. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Juſtos nos fecit miſericors Deus per Chriſtum Jeſum Filium ſuum, qui nos a ſervitute peccati, & a diaboli tyrannide redemit, ſeipſum morti tradens pro nobis. *Per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Gratias immortales habeamus & agamus Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui veram juſtitiam, libertatem, ſalutem, ſanguinis ſui pretio nobis comparavit; qui ſe ipſum in ara crucis victimam obtulit Deo Patri, ut illius juſtitiæ ſatisfaceret, noſque illi reconciliaret; nobis omnia peccata condonans, ſuaque juſtitia nos induens per fidem caritate animatam, quæ & fructus eſt ſanguinis ipſius, & medium quo nobis virtus ejus applicatur. *Poculum enim ſalutis noſtræ confectum ex infirmitate noſtra & virtute divina habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.* His mediis juſtificati & ſanctificati ſunt, quicumque Deo ante Chriſti adventum & deinceps placuerunt; quicumque nunc ipſi placent ex omnibus gentibus; quicumque ipſi placebunt uſque ad finem mundi. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum. In ſuſtentatione Dei,* qui longanimis eſt & multum miſericors, *ad oſtenſionem juſtitiæ ejus, in hoc tempore* tam

Pſalm. 113.

S. Proſper.

acceptabili, in his diebus ſalutis: *ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Adoremus, & diligamus Dominum Jeſum Chriſtum, qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. In fide & ex fide illius vivamus. Illi adhæreamus ut palmites veræ viti: nunquam ab eo nos ſeparet peccatum. Noſter in illo theſaurus eſt: in illo ſit fixum & immobiliter radicatum cor noſtrum. Præcedentia delicta noſtra patienter toleravit, miſericorditer condonavit, ſanguine ſuo abluit: ne deinceps peccatis, ſed juſtitiæ vivamus, ne diaboli nos ſervituti iterum ſubjiciamus.

Fides humiliat hominem.

27. 28. *Ubi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non, ſed per legem fidei.* Fides humiliat hominem, docendo ipſum nihil poſſe, nihil mereri, niſi per gratiam Chriſti ſalvatoris, per quam incipit & perficit omne opus bonum & ſalutare. An vere fidelis eſt, qui in ſe

Vere fidelis non eſt, qui in ſeipſo gloriatur.

ipſo, non in Domino gloriatur? Gloriatio autem vana excluſa eſt non per legem operum, ſed per legem fidei, qua quiſque cognoſcit, ſi bene vivit, Dei gratia ſe habere, & ut perficiatur in dilectione juſtitiæ, non ſe aliunde conſecuturum. Quiſquis confidit in operibus, quæ Chriſtus in illo non operatur, arundine innititur. Nulla autem opera bona & ſalutaria Chriſtus operatur in homine, niſi per fidem. *Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit,* Non concupiſces, *Iſta dicit,* Cum ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum; adii Dominum, & deprecatus ſum. „ Ipſa eſt illa ſapientia quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem ſacrificio laudis actioniſque gratiarum, ut cultor ejus non in ſeipſo, ſed in illo glorietur. Ac per hoc lege operum dicit Deus: Fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo, Da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoneat quod faciat fides; id eſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: ſi autem continuo poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire quo donante poſſit. *Non enim ſpiritum hujus mundi accepimus,* ait idem ipſe conſtantiſſimus gratiæ Prædicator, *ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis.* „ Quis eſt autem ſpiritus mundi hujus, niſi ſuperbiæ ſpiritus? Quo cor inſipiens obſcuratum eſt eorum, qui cognitum Deum non ut Deum gratias agendo glorificaverunt? Nec alio ſpiritu decipiuntur etiam illi, qui ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam juſtitiam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Unde mihi videtur magis eſſe fidei filius, qui novit a quo ſperet quod nondum habet, quam qui ſibi tribuit id quod habet. Quamvis utriſque horum præferendus ſit, qui & habet, & novit a quo habet; ſi tamen non ſe credat eſſe quod nondum eſt; ne incidat in vitium illius Phariſæi, qui quamquam Deo gratias ageret ex his quæ habebat, nihil tamen petebat dari ſibi, tamquam nihilo indigeret ad augendam perficiendamque juſtitiam. „ Ex his colligitur non juſtificare hominem præcepta bonæ vitæ niſi per fidem Jeſu Chriſti, hoc eſt, non lege operum, ſed fidei; non littera, ſed ſpiritu; non factorum meritis, ſed gratuita gratia. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Chriſte Jeſu, auctor & conſummator fidei, perfice opus tuum in nobis.

S. Auguſt. lib. de ſpir. & littera, cap. 13. n. 22. Exod. 20. 17. Sap. 8. 21. Jacob. 1. 17.

2. Cor. 2. 12.

Rom. 10. 3.

Chriſtus Jeſus Rex omnium gentium.

29. 30. *An Judæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Imo & Gentium.* Notus in Judæa Deus jam ab omnibus agnoſcitur. *Rex omnis terræ Deus* eſt, Gentium omnium creator, gubernator, proviſor & redemptor, de quo a Propheta dictum eſt: *Quis non timebit te, o Rex gentium?* Rex gentium eſt non minus quam Judæorum, quia omnes ſanguine ſuo acquiſivit, Jeſus Chriſtus. Rex eſt omnium, in quorum cordibus fidem & caritatem operatur. Solus quippe Deus in corde hominis immediate operari poteſt jure proprietatis ac ſupremi dominii. Jam impletum eſt quod prædixerat Iſaias: *Dominabitur tui qui fecit te Redemptor tuus, & Sanctus Iſrael Deus omnis terræ vocabitur.* Benedictus Deus noſter, qui nos ex nihilo naturæ per creationem, & ex nihilo peccati per fidem eduxit. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.* Concordent manus & lingua, illa confiteatur, illæ operentur. *Quoniam Dominus excelſus terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram.* Non tantum ſuper Judæos. Non illi ſufficit unam gentem habere ſub ſe: *Ideo tantum pretium ex latere dedit, ut emeret orbem terrarum.* Quoniam *Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter.* Gentes, ex quibus vocati ſumus ut

Jerem. 10.

Iſaiæ 54.

Pſal. 46.

S. Auguſt. Enarr. in hunc pſalmum.

Chri-

„ Chriſtiani eſſemus, adorabant Deos manufactos, „ & pſallebant illis, ſed non ſapienter. Si ſapienter „ cantarent, lapides non adorarent. *Regnabit Deus* „ *ſuper gentes*. Quando dicebantur iſta, ſuper „ unam gentem regnabat Deus: Prophetia erat, „ nondum res demonſtrabatur. Deo gratias, jam „ videmus impleri, quod ante prophetabatur. Chi„ rographum Deus ante tempus ſcripſit nobis, im„ pleto tempore reddidit nobis. *Deus ſedet ſuper ſe*„ *dem ſanctam ſuam*. Non ſolum cæli ſedes Dei, „ ſed anima juſti. Obtemperat anima ſedenti in ſe „ Deo, & ipſa jubet membris ſuis. *Non poteſt in*„ *feriori ſe bene imperare, niſi ſuperiori ſe non fuerit* „ *dedignata ſervire*. Servit autem fide per dilectionem operante tam Gentilis quam Judæus, a Deo per Criſtum Jeſum vocatus & juſtificatus. *Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.*

Sicut lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam ſtatuitur.

31. *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. ſed legem ſtatuimus*. Lex enim ſtatuitur, eum ſpiritus ejus & adimpletio demonſtratur. Ut autem lex impleatur, ſolus Chriſtus per gratiam ſuam efficit. Sicut lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed ſtatuitur, inquit S. Auguſtinus. Neque enim lex impletur niſi libero arbi„ trio; ſed per legem cognitio peccati, per fidem „ impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam „ ſanatio animæ a vitio peccati, per animæ ſani„ tatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium „ juſtitiæ dilectio, per juſtitiæ dilectionem legis „ operatio. Ac per hoc, ſicut lex non evacuatur, „ ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gra„ tiam qua lex impleatur: ita liberum arbitrium „ non evacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur, quia „ gratia ſanat voluntatem, qua juſtitia libere dili„ gatur. *Per fidem igitur confugiamus ad miſericordiam* „ *Dei*, ut det quod jubet, atque inſpirata gratiæ „ ſuæ ſuavitate per Spiritum Sanctum, faciat plus „ delectare quod præcipit, quam delectat quod im„ pedit“. Ita magna multitudo dulcedinis ejus, hoc eſt, lex fidei, caritas ejus conſcripta in cordibus atque diffuſa, perficietur ſperantibus in eum, ut anima ſanata, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, operetur bonum.

S. Auguſt. lib. De ſpiritu & littera, cap. 30.

CAPUT IV.

Senſus Litteralis.

1. 2. 3. **Q**Uid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Si Gentilis & Judæus, nullo diſcrimine, juſtificantur ex fide, non ex operibus, quid dicemus Abraham patrem noſtrum conſecutum eſſe ex circumciſione, quam Deus ut fœderis ſui ſigillum in carne illius imprimi juſſit? Nonne illi profuit ad juſtitiam & gratiam Dei promerendam? Minime vero. *Si enim Abraham ex operibus* fidem præcedentibus, & ex fidei radice non profectis *juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*. Etſi forte gloriari poſſit de externa illa operum juſtitia apud homines, qui vident tantum ea quæ foris ſunt; non habet tamen unde glorietur apud Deum, qui cordis inſpector eſt & judex. At gloriam habuit Abraham apud Deum, Deo placuit, amicus Dei appellatus eſt, fides ejus celebrata eſt: juſtitiam ergo non eſt adeptus ſecundum carnem, ſeu ex operibus. *Quid enim dicit Scriptura?* (Geneſ. 15. 6. poſtquam narrata fuit Dei promiſſio Abrahamo facta de ſobole, re ipſi inſperata) *Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Fidem adhibuit Abraham Dei verbis illum futurum patrem multarum gentium promittentis. & fides illa Deo æquiſſimo æſtimatori ac judici accepta fuit ut eximium opus juſtitiæ, & per eam aucta eſt & magis declarata juſtitia & ſanctitas Abrahami. Hæc vis locutionis iſtius, *& reputatum eſt illi ad juſtitiam*, non qualem hæretici juſtitiæ imputativæ patroni volunt. Confer cum *Pſalmo* 105. 31. cum 1. *Machab.* 2. 52. & cum S. Cypriani explicatione Epiſt. LXIII. ad Cæcilium ſcribentis: *Si Abraham Deo credidit, & deputatum eſt ei ad juſtitiam; utique quiſquis Deo credit, & fide vivit, juſtus invenitur: & jampridem in Abraham fideli benedictus & juſtificatus oſtenditur ſicut beatus Apoſtolus probat dicens: Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam.* Igitur fidem imputari ad juſtitiam, & per fidem juſtum eſſe vera interiori juſtitia, idem eſt ſecundum Scripturam, SS. Patrum expoſitionem, & Eccleſiæ fidem in Concilio Tridentino aſſertam & confirmatam.

9. Auguſt. Enarrat. 1. in Pſal. 31.

Abraham non eſt juſtificatus ex operibus fidem præcedentibus.

Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. & can. 11.

4. 5. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Merces autem quæ alicui propter opera redditur, non ex gratia, ſed ex debito rependitur. Si igitur Abraham ex operibus juſtificatus eſt, non eſt juſtificatus gratis. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei*. Ei vero qui exteriora opera non facit, tempore deſtitutus, credit autem in Deum qui juſtificat peccatorem, fide ſperante, diligente, invocante, ad obedientiam parata, fides illa prodeſt ad juſtitiam, ſeu accepta eſt Deo ut actus juſtitiæ quam in eo operatur, illum interius renovans, ut vere juſtus ſit & nominetur. Ex eo enim quod credit vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per ſanguinem & merita Chriſti, Deo juſtificanti ſe ſubjicit, atque ita recipit ab eo juſtitiæ donum. Hæc vis eſt verborum iſtorum, *reputatur fides ejus ad juſtitiam*. Ea enim locutione homines uti conſueverunt, *quando id quod minus eſt ex parte alicujus, reputatur ei gratis ac ſi totum feciſſet*. Ideo Apoſtolus docet hanc imputationem locum non habituram, ſi juſtitia eſſet ex operibus, ſed ſolum quatenus eſt ex fide velut ex initio & ſemine ex quo tota juſtitia & renovatio interior progerminat. His verbis *ſecundum propoſitum gratiæ Dei*, id eſt, ſecundum gratuitam ejus miſericordiam, nihil eſt in Græco Textu quod reſpondeat. S. Thom. Lect. 1. in cap. 4.

6. 7. 8. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus*. Idem docet David, juſtitiam ſcilicet homini ſine ullo operum merito, ac proinde gratis a Deo infundi, dicens *Pſalmo* 31. beatum eſſe hominem, quem Deus ſuo judicio juſtum reputat & facit abſque ullo præcedentium operum merito. *Beati*, inquit, *quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Si enim peccatum in juſtificatis remaneret ac viveret, non eſſet vere dimiſſum, nec ab eo liberatus eſſet homo per gratiam Chriſti: Sicut infirmus non eſt liberatus a vulnere quod ſolummodo tectum eſt, non curatum. *Sub tegmine vulnerati putreſcit vulnus: ſub tegmine Medici ſanatur vulnus*. Non eſſe, & non apparere, coram Deo idem eſt, quem nihil latere poteſt, *Omnia enim nuda ſunt & aperta oculis ejus*. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*, delendo illius maculam, & reatum pœnæ æternæ auferendo: Nam quod ſpectat reatum pœnæ temporalis, non pugnat ille cum amicitia Dei. Pœnas enim temporales & quidem non leves exegit a Davide Pſalmi hujus auctore, poſtquam homicidii & adulterii crimina pœnitenti condonata ſunt, nec jam a Deo habitus eſt pro peccatore, ſiquidem a Nathan Propheta audiverat. *Dominus tranſtulit peccatum tuum.*

Juſtificatio peccatoris omnino gratuita.

S. Auguſtini. Hebr. 4. 13.

2. Reg. 12. 13.

9. 10. 11. 12. *Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantum manet, an etiam in præputio?* Hæc juſtificationis gratia, qua homo jam ſpe, & ſi nondum re, beatus eſt, an ad Judæos duntaxat pertinet, qui circumciſi ſunt; an etiam ad Gentiles, qui ſunt incircumciſi? *Dicimus enim*, jam diximus, & iterum dicimus, *quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam*. *Quomodo ergo reputata eſt? In circumciſione, an in præputio?* Quo in ſtatu erat, quando juſtus a Deo habitus eſt ex fide? Circumciſus-ne, an incircumciſus erat? *Non in circumciſione, ſed in præputio*. Id ipſi evenit prius quam circumciſus eſſet, ut ex Scriptura ſacra perſpicuum eſt. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*. Sicque circumciſionem quæ ſignum erat fœderis cum ipſo & poſteris ejus a Deo initi, quo ad cenſum populi Dei pertinerent accepit Abraham ut ſignaculum ſeu ſigillum quo comprobata eſt, rata habita, & confirmata præcedens ejus juſtitia, quam per fidem habuerat, cum adhuc incircumciſus eſſet: *Ut ſit pater omnium credentium per præputium*, ut eſſet pater omnium credentium, etiam incircumciſorum, exemplo fidei ſuæ ac religionis: ut reputetur & illis ad juſtitiam fides qua in Deum credunt: *Et ſit pater circumciſionis*, id eſt circumciſorum Judæorum: *Non iis tantum qui ſunt ex circumciſione*, non eorum tantum qui carne circumciſi ſunt, quaſi hoc eis ſufficiat ut filii ſint Abrahæ, *ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei*, verum etiam fidem imitantur: *quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ*, quam habuit pater noſter Abraham, cum adhuc eſſet incircumciſus.

13. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus* (ſupple, facta eſt) *ut hæres eſſet mundi: ſed per juſtitiam fidei*. Duas promiſſiones Abrahamo factas indigitat Apoſtolus, primam Gen. 12. 3. *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ*: alteram Gen. 22. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*, quia Galat. 3.

obeti-

Digitized by Google

abſcisſi veri mea. Neutram obtinuit Abraham per legem, ſiquidem annis quadringentis & triginta ante legem datam ipſi facta eſt, ſed per juſtitiam ex fide natam, & credentibus gratuito Dei munere donatam.

14. 15. *Si enim qui ex lege, hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio*. Si enim ii tantum quibus lex data eſt, & qui ex lege ſe juſtos eſſe præſumunt, ſcilicet Judæi, hæredes ſunt promiſſionis Abrahamo factæ, & promiſſæ benedictionis participes; ſequitur fidem ſancti Patriarchæ, qua Deo promittenti credidit; & noſtram, qua per Chriſtum redemptorem juſtitiam exſpectamus, inanem & irritam eſſe: Deique promiſſionem ſuo fruſtratam effectu, quem lex præſtare nemini poteſt. Confer cum Galat. 3. 18. *Si ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione*. Sunt enim parallelæ ſententiæ. *Lex enim iram operatur*, id eſt pœnam affert, occaſione data. *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio*, id eſt tranſgreſſio legis eſt. Qui legem accepit, ſciens peccat, adeoque majorem ſibi pœnam arceſſit. Lex igitur, non per ſe, & ex inſtitutione ſua, ſed ex occaſione iram legiſlatoris provocat, pœnamque peccantium auget; cauſa autem iræ eſt improbitas tranſgreſſorum. Sic Chriſtus dicitur *poſitus in ruinam multorum*, & Apoſtoli quibuſdam erant *odor mortis in mortem*, ex occaſione: quia Chriſti beneficiis, & Apoſtolorum prædicatione plurimi abuſi ſunt, graviuſque peccatores, damnationem æternæ mortis meruerunt.

Vide Græcum Textum, qui ſic ad verbum reddi poteſt: *Propter hoc ex fide, ut ſecundum gratiam, ad eſſe firmam promiſſionem omni ſemini*. Et Syriacam Verſionem, cujus hic eſt ſenſus: *Propterea ex fide, qua per gratiam eſt, juſtificabimur, ut vera ſit promiſſio toti ejus ſemini*.

16. 17. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum*. Ideo ex fide divina promiſſio impletur, ut ſecundum gratiam impleri, id eſt, ut gratuita omnino & indebita agnoſcatur, & ut firma ſit ac rata omnibus Abrahami filiis, non iis ſolum quibus lex data eſt, ſed & Gentilibus, qui licet non ſint ex Abraham progeniti, neque legem acceperint, filii tamen ejus cenſentur per imitationem fidei. Omnium enim noſtrum, tam Judæorum, quam Gentium, in Deum & Jeſum Chriſtum Filium ejus Dominum noſtrum credentium pater eſt. (*Sicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te*) patrem multarum gentium, ſecundum carnem, & multo magis ſecundum fidem, te conſtitui, propoſito ac præordinatione certiſſima. *Ante Deum, cui credidit*, quæ paternitas ſpiritualis illi convenit coram Deo, cujus promiſſioni credidit: *qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt*. Dei omnipotentiam ex duobus effectis prædicat, quæ naturæ & arti ſunt impoſſibilia. 1. Efficere ut ſit quod non eſt. 2. Efficere ut quod mortuum eſt reviviſcat: ſingulaque ſignificat Abrahamum hæc de Deo credidiſſe. Duo iſta membra ad multiplicem Abrahami poſteritatem, quæ nondum erat, referri videntur. Prius illud, *vivificat mortuos*, ad Judæos ex eo quaſi emortui, decrepiti, & per naturam inutilis ad gignendi functionem, lumbis natos. Poſterius iſtud *vocat ea quæ non ſunt, &c.* ad Gentiles, qui prius non erant populus Dei & filii Abrahæ, & tales facti ſunt Dei miſericordiſſima poteſtate ad fidem eos vocantis, illiſque fidem donantis, qua Abraham imitarentur. Confer cum Verſu 19. hujus capitis, & cum Oſee 1. 10. *Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, Filii Dei viventis*.

Abrahami Patriarchæ

18. 19. *Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium*. Videns enim ſterilem conjugem, tum utrumque præ ſenectute imbecillum, nullamque ſuſcipiendorum liberorum ſpem apparere ſecundum naturam, nec ullum eſſe antiquius exemplum, quod eum poſſet conſolari, divinum promiſſum fideliter ſuſcepit, ex eoque ſpem concepit, fore ut multarum gentium pater eſſet, *ſecundum quod dictum eſt ei*: Geneſ. 15. 5. *Sic erit ſemen tuum*: innumerabile ut ſtellæ cœli. *Et non infirmatus eſt fide*, nullam paſſus fidei infirmitatem eſt, nullam dubitationem ſeu vacillationem circa promiſſionem Dei; *nec conſideravit corpus ſuum emortuum*, id eſt effœtum præ ſenio, & ad generandum impotens, *cum jam fere centum eſſet annorum*, uno ſcilicet minus. (Annum enim agebat ætatis nonageſimum nonum) & *emortuam vulvam Saræ*. Vimque concipiendi extinctam in corpore Saræ, quæ ſterilis erat, & nonagenaria.

Loca Scripturæ in ſpeciem pugnantia conciliantur.

S. Ambr. l. 1. De Abraham, cap. 4.

Hunc locum Apoſtoli pugnare cum *Geneſis* 17. fruſtra quis objiceret, ubi Abraham poſt Dei promiſſionem repetitam, *cecidit in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo, putas-ne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Riſus enim Abrahami *non incredulitatis, ſed exultationis indicium fuit* (inquit S. Ambroſius) Denique *adoravit & credidit*....

Non eſt incredulus in promiſſis, nec avarus in votis. Hoc eſt, Non dubito quod facias, ut & centum annorum ſeni dones filium, & naturæ Auctor naturæ metas relaxes. Beatus cui iſta donantur: ſed tamen & tam hic Iſmael quem habeo de vernacula, ſi vivat in conſpectu tuo, abunde mihi gratia. Denique Dominus & probavit ejus affectum, & petitionem non abnuit, & ſua promiſſa firmavit. Sed & Sanctus Auguſtinus locum Geneſis eodem ſenſu exponit: *Riſus Abrahæ*, inquit, *exultatio eſt gratulantis, non irriſio diffidentis. Verba quoque ejus illa in animo ſuo, Si mihi* centum annos habenti naſcetur filius, & ſi Sara annorum nonaginta pariet: *Non ſunt dubitantis, ſed admirantis*. Etſi aliter ſenſiſſe videantur nonnulli Patres re operoſius non examinata, & aliquid dubitationis in S. Patriarchæ verbis illis ſubolverit, firmiorem habemus Apoſtoli ſententiam, SS. Ambroſii, Auguſtini, & omnium S. Pauli Interpretum ſuffragio confirmatam.

S. Aug. l. 16. De civ. Dei cap. 26.

S. Chryſoſt.

20. 21. 22. *In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia*: Ne animo quidem ancipiti, ſuſpenſo ac dubio fuit circa promiſſionem divinam; *ſed confortatus eſt fide*, id eſt firma fide illam ſuſcepit, *dans gloriam Deo*: illum ſcilicet omnipotentem, & in promiſſis ſuis veracem ac fidelem profeſſus. *Pleniſſime ſciens quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere*. Plena ac certiſſima fide perſuaſum habens, Deum præſtare poſſe quæcumque promiſit, *ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Ideo tam heroica fides Deo accepta fuit ut opus egregium juſtitiæ.

23. 24. 25. *Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam*, credidiſſe verbis & promiſſionibus Dei fide firma, humili, obediente: *ſed & propter nos*, non ſolum ad ejus commendationem, verum etiam ad noſtram doctrinam & exemplum: *Quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum a mortuis*. Hinc enim intelligere debemus, & nobis fidem ad juſtitiam pariter imputandam, id eſt, fide juſtitiam noſtram inchoari vel augeri, fide (inquam) qua credimus in Deum, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum a mortuis. Hæc totius Evangelii ſumma. Fides enim reſurrectionis Chriſti, omnium Myſteriorum fidem complectitur. Chriſti reſurrectio ſigillum eſt omnium quæ fecit, pertulit, docuit, promiſit. Qui credit Jeſum a mortuis reſurrexiſſe, credit illum eſſe verum Meſſiam a Deo promiſſum, Dei Filium unigenitum, incarnatum, natum, mortuum eſſe & reſurrexiſſe pro noſtra ſalute. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra; & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*. Qui traditus eſt morti a Deo Patre, ſeque ipſum liberrime tradidit Patri obediens, ut peccata noſtra expiaret condigna, immo ſuperabundanti ſatisfactione: & reſurrexit ut fide reſurrectionis ſuæ nos juſtificaret. *Mortuum quippe Chriſtum & Pagani credunt: reſurrexiſſe autem Chriſtum, propria fides eſt Chriſtianorum. Si enim confitearis, ait Apoſtolus, quia Dominus eſt Jeſus, & credideris in corde tuo quia Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Quia ergo ex iſta reſurrectionis fide juſtificamur, ideo & illud de Chriſto Apoſtolicum eſt, Qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*.

S. Aug. l. 16. contra Fauſtum, c. 29. Rom. 10. 9.

CAPUT IV.

Senſus Moralis.

1. 2. **Q**UID *ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? ſi enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*. Hæc humani cordis lugenda corruptela, quod gloriam ſuam ex bonis operibus quærat, quaſi ea Deo non deberet, ſicut & fidem, quæ radix bonorum operum eſt. Contra vero bonus Chriſtianus ſe Deo omnia per Chriſtum Jeſum debere confitetur, & in Domino, non in ſe ipſo gloriatur; inanem eſſe gloriam perſuaſum habens, quæ Dei judicio & approbatione minime nititur. Homines de ſuperficie operum judicium ferunt, laudant quod in illis fulget exterius: Deus vero de intentionis puritate, de cordis munditia, de affectus fervore judicat. *Ille igitur vere probatus eſt, quem Deus commendat* (ait alibi noſter Apoſtolus) Chriſtiano nomine indigni ſunt, qui *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei*.

Fidem & bona opera Deo per Jeſum Chriſtum debemus.

Joan. 12.

4. 5. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Si quid boni in nobis eſt quod ex ejus gratia non oriatur, aut quod eam mereri valeat, Deus nos gratuito &

D pro

pro nihilo non ſalvat; gratia Dei non eſt vita æterna, ſed ſtipendium operum, ſicut mors æterna ſtipendium eſt peccati. „ Merces noſtra gratia vocatur (*inquit S. Auguſtinus*) ſi gratia eſt, gratis datur. Quid eſt, gratis datur? Gratis conſtat. Nihil boni feciſti, & datur tibi remiſſio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inveniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus Deus redderet, utique damnaret. Malis operibus quid debetur niſi damnatio? bonis quid debetur? Regnum cœlorum; Tu autem in malis operibus inventus es: ſi redderetur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? Non tibi Deus reddit debitam pœnam, ſed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo eſſe in fide per indulgentiam, jam fides illa aſſumpta ſpe & dilectione incipit bene operari, ſed nec tunc glorieris, & extollas te: memento a quo in via poſitus ſis; memento quia & ſanis pedibus & velocibus errabas; memento quia & ſi languebas, & in via ſemivivus jacebas, levatus es in jumentum, & perductus in ſtabulum. In propriis meritis non confidamus, quæ nulla habemus ex nobis. Superba enim illa fiducia & præſumptio meritum ac præmium fidei peſſumdat ac deſtruit. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei*. Sic Abraham juſtificatus eſt, non ex operibus, ſed ex fide, non tamen otioſa & ſterili, ſed actuoſa & bene operante. Abraham filium ſuum immolandum Deo obtulit: Magnum opus, ſed ex fide. Laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamentum: Laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. Si autem hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet qualecumque illud opus eſſet. Rurſum ſi ſic teneret fidem Abraham, ut cum ei Deus imperaret offerre ſibi immolandum filium ſuum, diceret apud ſemetipſum, Non facio, & tamen credo quia me etiam contemnentem juſſa ſua liberat Deus; fides ſine operibus mortua eſſet, & tamquam radix ſine fructu ſterilis atque arida remaneret. Quid ergo? Debemus nulla opera præponere fidei, id eſt ut ante fidem quiſquam dicatur bene operatus? Ea enim ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, ut magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, ſed quid eum facit aſpiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optime gubernare navim, & perdidiſſe quo tendit, quid valet quia temonem optime tenet, optime movet; dat proram fluctibus, cavet ne latera inſligantur; tantis eſt viribus ut detorqueat navim quo velit, atque unde velit; & dicatur ei; Uſquequo is? & dicat, Neſcio; aut dicat. Ad illum portum eo; nec in portum, ſed in ſaxa feſtinet: Nonne iſte quanto tibi videtur in navi gubernanda agilior & efficacior, tanto periculoſius eam ſic gubernat, ut ad naufragium properando perducat? Talis eſt & qui optime currit præter viam. Nonne ergo erat melius & tolerabilius, ut eſſet gubernator ille aliquanto invalidior, ut cum labore & aliqua difficultate gubernacula regeret, & tamen rectam viam, debitumque curſum teneret; rurſumque ille pigrius etiam & imbecillius, tamen in via ambularet, quam præter viam fortiter curreret? Optimus ergo ille qui & viam tenet, & bene ibi ambulat: ſequentis autem ſpei, qui etſi aliquantulum claudicat, non omnino ut erret, aut remaneat, ſed progreditur etſi paulatim. Forte enim ſperandum eſt eum quo tendit etiam tardius perventurum. Ergo ex fide juſtificatus eſt Abraham: ſed ſi fidem opera non præceſſerunt, tamen ſecuta ſunt. Numquid enim fides tua ſterilis erit? Si ſterilis non es, ſterilis non eſt ipſa. Aliquid mali credidiſti, & igne malitiæ tuæ radicem tuæ fidei concremaſti. Tene ergo fidem operantem. Sed dicis, Non hoc ait Apoſtolus Paulus. Immo hoc ait Paulus Apoſtolus: *FIDES*, *inquit*, quæ per dilectionem operatur. *Opus fidei dilectio eſt*; „ quæ dilectio vacari non poteſt, niſi & mali nihil operetur, & quicquid poteſt boni operetur. Quid enim facit dilectio? Declina a malo, & fac bonum. *Hanc fidem ſine operibus commendat Apoſtolus, & alio tamen loco ait*: „ Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ergo ſi nihil prodeſt fides ſine caritate, caritas autem ubi fuerit neceſſe eſt ut operetur, fides ipſa per dilectionem operatur. Quomodo ergo juſtificatur homo ſine operibus? Reſpondet Apoſtolus. Propterea hoc tibi dixi, homo, ne quaſi de operibus tuis præſumere videreris, & merito operum tuorum te accepiſſe fidei gratiam. Noli ergo præſumere de operibus tuis ante fidem. Noveris quia peccatorem te fides invenit, & ſi te fides data fecit juſtum, impium invenit quem faceret juſtum. *Credenti*, inquit, *in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei*.

S. Aug. Enar. 2. in Pſal. 31.

Luc. 10. 30.

Abraham juſtificatus ex fide, non ſterili, ſed actuoſa & per dilectionem operante.

S. Aug. ibid.

Bonum opus intentio facit.

Fides ſine caritate & bonis operibus inutilis ad ſalutem.

Galat. 5.

Pſal. 36. 47. 1. Cor. 13.

6. 7. 8. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Davidis humilitas imitanda, qui gratuitam fidei juſtitiam confeſſus eſt, nec in ſe ipſo, ſed in ſolo Deo virtutum ſuam ſeu fortitudinem, juſtitiamque inveniens, nihil ſuis meritis, verum uni ejus miſericordiæ acceptum retulit. Hæc Davidis intelligentia, quam præſefert Pſalmi 31. ab Apoſtolo citati titulus: *Ipſi David intelligentia*: Qua ſcilicet intelligitur non meritis operum, ſed gratia Dei hominem liberari confitentem peccata ſua. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus*. Quam juſtitiam? Fidei, quam bona opera non præceſſerunt, ſed quam bona opera conſequuntur. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus*. Intelligentia felix eſt ut noveris nec jactare te debere de meritis tuis, nec præſumere de immunitate peccati. *Prima intelligentia, ut te noveris peccatorem. Conſequens intelligentia eſt, ut cum ex fide per dilectionem bene cœperis operari, ne hoc viribus tuis, ſed gratiæ Dei deputaveris. Ita non erit dolus in corde tuo, hoc eſt in ore interiore tuo, nec aliud in labiis habebis, aliud in cogitatione*. Qui enim cum ſit iniquus, juſtum ſe prætendit, nonne doloſus eſt? *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Hanc beatitudinem per baptiſmum, & exinde per pœnitentiam conſecuti ſumus. Collaudemus miſericordiam Dei, qui dimiſit iniquitates noſtras, & projecit in profundum maris omnia peccata noſtra. *Beati*, non in „ quibus non ſunt inventa peccata, ſed *quorum tecta ſunt peccata* .... Cooperta ſunt, tecta ſunt, abolita ſunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; ſi noluit advertere, noluit animadvertere, ſi noluit animadvertere, noluit punire; ſi noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Nec ſic intelligatis quod dixit, Peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim eſt Deum videre peccata, niſi punire peccata? Cui propterea dicitur. *Averte faciem tuam a peccatis meis*. Peccata ergo tua non videat, ut te videat. Sed ut a peccatis tuis oculos avertat, ut illa remittat, ipſa confitere ut David, excuſare noli, confitere ſine dolo, *Nec eſt in ſpiritu ejus dolus*. Confitere corde contrito & humiliato; noli tegere peccata tua, ut Deus tegat. *Deus tegat vulnera, noli tu. Nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, Medicus non curabit. Sub tegmine Medici ſanatur vulnus, ſub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? Qui novit omnia*. Peccatum in nobis puniamus exemplo Davidis pœnitentiam agentes & Juſtitiæ divinæ ſatisfacientes, ut nobis a Deo non imputetur. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Fœlices nos æſtimemus, cum Deus temporalibus flagellis ad emendationem nos cædit ut filios: *Flagellat* enim *omnem filium quem recipit*. Davidem pœnitentem imitemur, qui *Agnoſcens culpam ſuam, amplexus eſt pœnam ſuam, quærens gloriam non ſuam*.

David gratuitam fidei juſtitiam confeſſus eſt. Ejus humilitas imitanda.

S. Aug. Enar. 2. in Pſal. 31.

Vulnera animarum noſtrarum ſi tegimus, ea Deus non curat.

Hebr. 12.

S. Auguſt. in Pſalm. 50.

9. 10. 11. *Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantum manet, an etiam in præputio? &c.* Ex incircumciſis illis ſumus, quibus Deus peccata remiſit, & juſtitiam donavit per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Ex iis ſumus, quibus fidem gratis dedit, quæ juſtitiæ radix eſt. Fidem in baptiſmo acceptam, frequentibus actibus excitemus, & bonis operibus comprobemus, ut in nobis augeatur, & perficiatur. Grato ſimus erga Deum & Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum animo: Miſericordias Domini in æternum cantemus. Quam optandum eſſet ut fideles Sacramenta ſuſcipientes jam pleni eſſent fide, caritate, juſtitia, ſicut Abraham circumciſionem ſuſcipiens jam juſtus erat! Utinam ita diſpoſiti eſſent Pœnitentes, cum Abſolutionem recipiunt Sacerdotis, poſt Confeſſionem peccatorum, ut Abſolutio ſacramentalis juſtitiam & gratiam in ipſis potius obſignaret quam produceret! Hæc quidem ſacramenti virtus, ut remiſſionem peccatorum, gratiam, & juſtitiam operetur; neque neceſſe eſt ut contritione perfecta,

Eccleſiæ deſiderium de pœnitentium diſpoſitione ad abſolutionem Sacerdotis ſuſcipiendam.

quæ

Digitized by Google

quæ caritate formata eſt, juſtificati ſint peccatores antequam Baptiſmum vel Abſolutionem ſacerdotis in Pœnitentiæ Sacramento recipiant (quæ propterea Sacramenta mortuorum a Theologis appellantur, quod ſpiritaliter mortuis per peccatum vitam gratiæ reddant) verum, ut dixi, optandum eſſet ut fide tam viva, ſpe tam firma, caritate tam fervente pœnitentiam agerent ante ſacramentalem Abſolutionem, ut ejus quidem in voto ſuſceptæ virtute juſti jam eſſent, eaque actu impenſa præcedentem juſtitiam obſignaret, confirmaret, augeret: quemadmodum circumciſio juſtitiam fidei in Abrahamo obſignavit. *Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei.* Hoc Eccleſiæ deſiderium fuiſſe prioribus ſæculis, publicæ pœnitentiæ ſtationes, variique gradus, totaque pœnitentialis diſciplinæ ratio; diuturnæ pœnitentium probationes, morumque accuratum examen, prius quam Abſolutione donarentur, aperte demonſtrant. Diſciplinam ſuam juſtis de cauſis mutavit pia Mater, filiorum infirmitati condeſcendens: ſed tamen debitas diſpoſitiones exigit ad Abſolutionem ſacramentalem recipiendam, quæ niſi adſint in peccatoris animo vel ante, vel ipſo quo illam recipit tempore, ipſa Abſolutio non eſt in eo cauſa vel *ſignaculum juſtitiæ*, imo potius ſignaculum eſt damnationis.

Circumciſio ab Abrahamo ſuſcepta, figura fuit baptiſmi noſtri & ſpiritualis circumciſionis.

11. 12. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam. Et ſit pater circumciſionis: non iis tantum qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abraham.* Circumciſio, quam Abraham accepit, ſignum fuit baptiſmi noſtri, ſpiritualiſque circumciſionis, quam exercere debemus præcidendo & reſecando pravas cupiditates, & vitia ſuccreſcentia. Hoc opus fidei, quo juſtitia noſtra perficitur uſque in diem Chriſti. Ita filii Abraham erimus. *Ut ſit pater omnium credentium.* Præclarus eſt eam in rem S. Juſtini Martyris locus Dialogo cum Tryphone. „Abraham, *inquit*, „non propter circumciſionem, juſtitiæ a Deo reportavit teſtimonium, ſed propter fidem: priuſquam „enim eſt circumciſus, ſic de eo promulgatum eſt: „Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad „Juſtitiam. Quocirca & nos in præputio carnis noſtræ credentes Deo per Chriſtum, & circumciſio„nem obtinentes nobis eam aſſecutis utilem, cordis „ſcilicet circumciſionem, juſti & grati Deo, ut „ſperamus, apparebimus.“ Patres-familias, domini, Magiſtratus, Principes, vitia & pravas cupiditates verbo Dei, quod penetrabilius eſt omni gladio ancipiti, circumcidite; fidei, religionis, caritatis, juſtitiæ, omniumque virtutum Chriſtianarum, filiis veſtris, ſervis, ſubditis exempla præbete: Sacramenta pari pietate frequentate ei qua Abraham Patriarcha noſter ſignum circumciſionis accepit: & illorum ſecundum ſpiritum patres eritis, ſicut Abraham *pater* eſt *omnium credentium*. Animo parati eſtote ad relinquendum omnia propter Deum, ad immolandum ejus voluntati, quæ maxime diligitis; ita filios Abrahæ vos demonſtrabitis, *ſectantes veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.*

13. 14. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei:* Gratuita promiſſio temporalis hæreditatis Abrahamo facta ante legem, typus eſt gratuitæ prædeſtinationis ſanctorum ad æternam hæreditatem, quæ non meritis legis, ſed meritis fidei, quæ dona Dei ſunt, tribuitur. Hanc hæreditatem in veteri Teſtamento adumbratam, Chriſtus Jeſus in noſtro revelavit. Secundum Evangelii fidem vita inſtituenda eſt, regnum Dei quærendum eſt, & juſtitia ejus, ut Evangelii promiſſa conſequamur; ut *hæredes* ſimus *mundi* novi,

Hebr. 12. 12.

quæ eſt *Eccleſia primitivorum qui conſcripti ſunt in cælis*. Nemo vero exiſtimet exteriorem dumtaxat litteræ Evangelii obſervantiam ad cœleſtem hæreditatem conſequendam ſufficere; hæc enim mera lex

Exterior Evangelii obſervantia ſine ejus ſpiritu non ſufficere ad ſalutem.

eſt, ſi ſpiritu deſtituta ſit. Evangelii porro ſpiritus, caritas eſt. Hæc una filios Dei facit, quibus ſervatur hæreditas, Deus ipſe æternum fruendus. Si timor ad juſtitiam ſufficit, & ad hæreditatem conſequendam, lex per ſe ſufficiet, quæ timorem inſpirat pœnarum comminatione: ſi lex & timor ſufficiunt, fruſtra factæ ſunt promiſſiones, fruſtra in Chriſto Jeſu, & per Chriſtum Jeſum impletæ & exhibitæ. *Si enim qui ex lege hæredes ſunt; exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.* Hi ſoli filii Dei ſunt, & hæredes promiſſionum Teſtamenti novi, qui Spiritu Dei aguntur, qui non eſt ſpiritus ſervitutis & timoris, ſed amoris, quem in cordibus juſtorum diffundit. *Hæc eſt breviſſima & apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, timor & amor: illud hominem vete-*

S. Aug. l. contra Adimantum, cap. 17.

rem, qualis eſt Judæus: hoc ad novum hominem, qualis eſt verus Chriſtianus, pertinet.

15. *Lex enim iram operatur. Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.* Lex ſine gratia magis reos facit, quia mentem illuminat, voluntatem vero non adjuvat; dat noſſe hoſtem, non vincere; accendit cupiditatem, (nitimur enim in vetitum) non donat caritatem; quæ inflat, non ſanat. *Quando autem cognoſcit homo peccatum, ſi non adjuvat gratia ut cognita caveatur, ſine dubio lex iram operatur.* Judæis igitur qui ſub lege erant, lex iram operabatur, abundante peccato, quod a ſcientibus perpetrabatur. „Quia „& quicumque faciebant quod lex jubebat, non „adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, „non amore juſtitiæ: ac per hoc coram Deo non „erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere, potiuſque ex illo rei tenebantur, „quod eos noverat Deus malle, ſi fieri poſſet impune, committere.

Legis ſine gratia infirmitas. S. Aug. l. de Gratia, & lib. arbitrio, c. 10. Et lib. De Spiritu & Littera, cap. 8.

16. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, &c.* Juſtitia fidei tribus ex capitibus commendatur, tribus excellentiæ radiis effulget. 1. Gratiæ & operationis Dei in cordibus noſtris effectus eſt. Fides igitur eſt gratuitum omnino Dei donum: alioqui gratis non juſtificarentur, qui ea fide juſtificantur. Fides ex nullis præcedentibus meritis per Dei gratiam fit in homine, ſine qua opera bona a nullo fiunt homine. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam.* 2. Juſtitia fidei, quod ſtatum ſuum ſpectat, immutabilis, invariabilis & perpetua eſt, non temporaria, ut ſtatus legis. *Ut firma ſit promiſſio.* 3. Non uni nationi, ſed omnibus gentibus fidei juſtitia a Deo per Chriſtum Jeſum parata eſt. *Omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum.* Hoc vocationis noſtræ fundamentum. Abrahæ enim filii credendo facti ſumus; non filii carnis, ſed filii promiſſionis, quibus idem Apoſtolus ait: *Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem hæredes.* Eccleſia Chriſti una gens, pertinens ad ſemen Abrahæ; quæ vocata eſt quidem ex omnibus gentibus, *& ſic in ea diximus omnes gentes, ut una ſit gens in adoptionem vocata.* De illa prædictum a Propheta eſt: *Semen Abraham ſervi ejus, filii Jacob electi ejus. Ipſe Dominus Deus noſter, in univerſa terra judicia ejus.* Et, *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Extra iſtam gentem nulli genti manifeſtavit judicia ſua: Quoniam qui ea non crediderunt, etiamſi annuntiata ſunt, manifeſtata eis utique non ſunt; quia niſi credant non intelligent.

Juſtitia fidei tribus ex capitibus commendatur.

S. Auguſt. paſſim.

Galat. 3. 29.

Pſal. 104. 6. 7. Pſal. 147. 19. & 20. S. Aug. Enar. in Pſal. 104.

17. 18. (*Sicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te*) *ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt.* Quando promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gentium, *dicens*, Patrem multarum gentium poſui te, *non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus erat, non quod homines. Quia etſi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum; ipſe facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipſe faciat quod promiſit: alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod a Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ.* Gratiæ ejus omnipotentis efficaciam, fidem gentium operantis, & ex lapidibus filios Abrahæ ſuſcitantis, exprimit Apoſtolus duobus operibus, quæ Dei propria ſunt, reſurrectione ſcilicet mortuorum, & rerum non exſtantium exſertione ſeu productione ex nihilo. Eſſe quippe vel non eſſe; mortuum eſſe aut vivere; ſterilem eſſe vel fœcundum, idem eſt apud Deum miſericordiam facere volentem. Qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt:

Geneſ. 17. 5. S. Aug. lib. De Prædeſt. ſanct. c. 10.

Efficacis gratiæ Dei fidem gentium operantis, quam de ſua prædeſtinatione promiſit.

S. Proſp. Car. De ingratis, p. 2. cap. 18.

Uſque adeo donum eſt quod credimus, & datur gratis
Gratia, non meritis dotat mercede vocatos:
Nec juſtorum operum diſcernit facta, ſed omnes
Sola ex immundis mundos facit: atque lugentem
Lactus amet, non hoc ſtudio, ſed munere ſumit.
Nam ſi ſpectatrix meritorum eſt gratia, & illis
Se tribuit, quorum eſt animas purgatior, & quos
Per libertatem arbitrii ſibi reſpicit aptos:
Inſontes tantum juſtoſque adſumere ſolum
Debuit, & veri cupidos ac recti volentes.
Perverſos autem & ſcelerum aſſuetudine turpes
Detrahere procul, lucemque negare tenebris.
Atque Salvator mundi non præmia juſtis
Solvere, aut ſanie venit conferre medelam:
Sed quod diſperſum exciderat, ſanctum atque ju-
vabat,
Quærere, & inventum reparare & reddere cura.

Quantocumque ergo languore, quantavis miſeria, quan-

Digitized by Google

quantavis ſterilitate, quantavis impotentia laboret anima noſtra, eam ad Deum convertamus, nihil de nobis ipſis, totum ab ejus miſericordia ſperantes, qui vita noſtra eſt, lumen noſtrum, virtus noſtra. *Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium.*

Paſtores Eccleſiæ ut patres fidelium ſe gerant non ut domini.

Paſtores Eccleſiæ noverint ſe patres multarum familiarum Chriſtianarum, & quaſi multarum gentium, quæ paſtorali ipſorum curæ commiſſæ ſunt, a Deo conſtitutos. Suave illud & honorificum patris nomen magis ament, quam domini, ne in clero dominari videantur. Nomen iſtud S. Paulus libentius ſibi ſumebat quam Magiſtri & Doctoris. *Ut filios meos cariſſimos moneo. Nam ſi multa millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* Oves igitur ſuas ſincero & effectivo amore ceu filios cariſſimos diligant, Chriſtianæ illorum inſtitutioni ſedulo ſe applicent, rudibus in doctrina & exhortatione ſe accommodent, illorum ſaluti procurandæ & promovendæ ſe totos impendant & ſuperimpendant; illis theſaurizent, id eſt bona ſua temporalia ad illorum inopiam ſublevandam cum gaudio diſtribuant; non laboribus, nec vitæ quidem ſuæ parcant, ſed eam alacriter exponant, ut Sacramenta in vitæ periculo conſtitutis adminiſtrent; nec peſtis, ſimiliumve morborum contagione ab officio deterreantur. Se ut hominem ſterilem & emortuum, ut debile & inutile inſtrumentum Paſtor conſideret: qui Chriſtianæ & Sacerdotalis humilitatis ſenſus eſt: ſed ad Deum fide viva confugiat, qui vitam, fœcunditatem, vireſque ad functiones ſacri Miniſterii digne implendas ipſi donare poteſt. *Qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt.* De ſuis peccatis, & infidelitatibus, miſeria & impotentia convictus, *in ſpem contra ſpem* credat, & confidat adfuturum ſibi Deum miſericordia ſua & gratia, vireſque ac fœcunditatem ſpiritualem donaturum, ad conſervandum & tuendum populum ſibi commiſſum in fide & pietate Chriſtiana. Nullis tamen obicibus & impedimentis, nulla populi ſibi commiſſi indiſpoſitione, ultie, contradictione fidem ſuam infirmari ſinat; quo magis laboribus paſtoralibus eo plus ejus debilitatur, eo magis fides ejus per caritatem operans roboretur: & pater numeroſæ poſteritatis fœcundum ſpiritum evadet, quam divinæ gratiæ fœcunditas ipſi ſuſcitabit. *Et non infirmatus eſt fide.* Omnia poſſibilia ſunt credenti.

Credendum ſine hæſitatione, ſperandum ſine diffidentia, exemplo Abrahami Patriarchæ.

20. 21. *In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo.* Credere ſine hæſitatione, ſperare ſine diffidentia, eſt Deum glorificare. Dei omnipotentiam & veritatem magnificat & laudat hominis ſic diſpoſiti pius affectus. Deus dixit, Deus promiſit. Hæc duo verba ſufficiunt ad reſiſtendum tentationibus incredulitatis, mentem agitantibus; ad ſedandum fluctus diffidentiæ, cor pulſantes. *Cedat igitur curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti .... Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium.* Divinorum Myſteriorum modum curioſe inquirere, arcanas rationes quibus Deus promiſſa ſua implere decrevit, dubia ratione perſcrutari, grave peccatum eſt, injuriaque Dei omnipotentiæ illata. Certa perſuaſione adhærendum veritatibus a Deo revelatis. Hic fidei character eſt, quæ majorem ſuadendi vim habet, quam humana quælibet ratiocinatio. *Pleniſſime ſciens quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere.* „ Non ait, prædicere; non ait, præſcire; nam & „ aliena facta poteſt prædicere atque præſcire: ſed „ ait, *potens eſt & facere*; ac per hoc facta, non „ aliena, ſed ſua. An forte opera bona gentium „ Deus promiſit Abrahæ in ſemine ipſius, ut hoc „ promitteret quod ipſe facit; non autem promiſit „ fidem gentium, quam ſibi homines faciunt; ſed ut „ promitteret quod ipſe facit, illam præſcivit homines eſſe facturos? Non quidem loquitur ſic Apoſtolus: filios quippe promiſit Deus Abrahæ, qui „ fidei ejus veſtigia ſectarentur. Sed ſi opera gentium, promiſit, non fidem; profecto quoniam non ſunt bona opera niſi ex fide (*Juſtus enim ex fide vivit*; & *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; & *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*:) nihilominus ut impleat quod promiſit Deus, in hominum eſt poteſtate. „ Niſi enim homo faciat quod Deo donante ad hominem pertinet, non faciet ipſe quod donet: hoc „ eſt, niſi habeat homo fidem ex ſemetipſo, non „ [illegible] ſit, ut opera juſtitiæ den[illegible] hoc, ut promiſſa ſua Deus „ poſſi[illegible] Dei [illegible] in hominis poteſtate [illegible] pietas nos credere vetat. *Credamus [illegible] Abraham, quoniam quæ promiſit, potens eſt & facere. Promiſit autem filios Abrahæ quod eſſe non poſſunt ſi non habeant fidem: ergo ipſe donat &*

S. Cor. 4. 14. 15.

Tertull. De Præſcript. c. 14. & 8.

S. Chryſoſt. Hom. 8.

S. Aug. l. 16. De Prædeſt. Sanct. c. 20.

Habac. 2. 6. Rom. 14. 23. Heb. 11. 6.

fidem, Abrahæ fidem imitemur. Prompta ſit fides noſtra reſpectu rerum difficillimarum, ut Sancti illius Patriarchæ fides: firma ſit & tranquilla inter humanarum ratiocinationum contradictiones & pugnas; obediens ſit, & ad ſacrificium omnium affectuum carnalium, bonorumque temporalium parata; perſeverans in probationibus; conſtans & fidelis in medio incredulorum & impiorum. „ Quoties nobis „ credulitatem vitio vertent, illis contra exprobremus incredulitatem; ut miſeris, puſillanimibus, „ inſipientibus. Quemadmodum enim fides magni „ & ſublimis animi eſt, ita incredulitas animi eſt „ exilis, ratione carentis, & ad pecudum amentiam „ depreſſi. Deum glorificemus tum per fidem, tum „ per opera fidei, ut ab illo viciſſim glorificemur. „ *Eos enim qui me glorificant*, ait, *glorificabo*. Quamquam ſi nulla etiam propoſita eſſet merces, vel hoc „ ipſum magna gloria fuerit, quod digni habiti fuerimus qui Deum glorificemus. Nam ſi qui Regum „ laudes celebrant, ii ob hoc tantummodo magnopere ſibi placent, & ſi nullus inde alius fructus „ exiſteret: quanto majoris gloriæ eſt, quod Deus ac Dominus noſter a nobis glorificari velit, idque propter ſanctificationem & ſalutem noſtram, cum nobis non indigeat, nec ullus ipſi accedat ex glorificatione noſtra felicitatis gradus? Quantum vero nos ſupplicium manet, ſi moribus fidei, quam profitemur, diſſentaneis, auctores fuerimus ut blaſphemia Deus afficiatur.

S. Joan. Chryſ. Hom. 8.

Luca 11. Vers. 5. æquivalens est.

23. 24. *Non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam: ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum a mortuis. Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Colligamus igitur & nos fructus fidei, & juſtitiam quæ ex ea naſcitur, decerpamus. Non enim fruſtra ſcripta ſunt quæ Dominus Deus fecit Patriarchæ Abrahæ; ſed ut nos illa videntes fidem ſimilem oſtendamus. Fidem porro Abrahæ, quæ illi ad juſtitiam reputata eſt, commendans Apoſtolus, eamque nobis in exemplum datam docens, ut Dei verbis & promiſſis pariter credamus, opportune meminit mortis & reſurrectionis Chriſti Jeſu, ut fidem ſolam in iis qui virtutem negligunt, ad juſtitiam minime ſufficere doceat: ſed bona opera fidei neceſſario adjungenda, ſine quibus mortua eſſet. Si enim oportuit Chriſtum Jeſum pro peccatis noſtris mortem ſubire, ut noſtrum debitum exolveret, & ut ejus reſurrectio communem omnium reſurrectionem præſtaret: quid non agere debemus & pati, ut tantæ gratiæ ſimus participes? In Chriſtum Jeſum qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, ut par eſt non credimus, niſi moriamur peccato, & Deo vivamus; niſi cæleſtia quæramus & ſapiamus, non quæ ſuper terram. Qui hæc agit, oſtendit ſe credere in eum qui ſuſcitavit Dominum Jeſum a mortuis, & huic vere fides reputatur ad juſtitiam. Neque enim poſſibile eſt ut habenti in ſe aliquid injuſtitiæ poſſit juſtitia reputari, etiamſi credat in eum qui ſuſcitavit Dominum Jeſum a mortuis. Si propter peccata noſtra traditum Chriſtum Jeſum credimus, quomodo non alienum nobis & inimicum eſt omne peccatum, pro quo Redemptor noſter traditus in mortem eſt? Si ſurreximus cum Chriſto, qui eſt juſtitia, & in novitate vitæ ambulamus, & ſecundum juſtitiam vivimus, ſurrexit nobis Chriſtus ad juſtificationem noſtram. Si vero nondum depoſuimus veterem hominem cum actibus ſuis, ſed in injuſtitia vivimus, audeo dicere quod nondum ſurrexit nobis Chriſtus ad juſtificationem, nec traditus eſt propter peccata noſtra. Si enim hoc credo, quomodo illud amo pro quo ille pertulit mortem? Si hoc credo, quod ille ad juſtificationem meam ſurrexit, quomodo injuſtitia placet? Juſtificat ergo eos Chriſtus tantummodo, qui novam vitam exemplo reſurrectionis ipſius ſuſcipiunt, & vetuſta injuſtitiæ atque iniquitatis indumenta velut cauſam mortis abjiciunt.

Origenes l. 4. in epiſt. ad Romanos.

Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. „ Sicut morte ipſius „ ſeminamur, ſic reſurrectione ipſius germinamus. „ Etenim morte ipſius ſignificatur mors vitæ noſtræ. „ De hac re audi Apoſtolum: *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ille non habuit quod emendaret in cruce: quia ſine peccato aſcendit in crucem. Nos in cruce ejus emendemur, & ibi ponamus quod male contraximus, ut juſtificati ejus reſurrectione poſſimus. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* In „ ejus traditione delictum ſonat, in ejus reſurre-

S. Aug. Serm. 236. alias [illegible] De Diverſis. Rom. 6. 4.

„ ctione

„ *ſtione* juſtitia ſonat. Ergo moriatur delictum, &
„ reſurgat juſtitia.

CAPUT V.

Senſus Litteralis.

Ex fide juſtificamur, meritis Chriſti Mediatoris. Græcorum codicum variatio.

1. *JUſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Itaque ex fide, non ex meritis, a peccatis mundati & ſanctificati, pacem cum Deo ſervemus, cui ſumus reconciliati per Dominum Jeſum Chriſtum Mediatorem noſtrum. In hoc Verſu variant Græci codices. In pleriſque legitur, ἔχομεν, *habemus*, id eſt, Deum habemus placatum & propitium: cui lectioni Tertullianus favet l. 5. contra Marcionem cap. 13. dicens; *Monet* (Apoſtolus) *juſtificatos ex fide Chriſti, non ex lege pacem habere.* Eumdem ſenſum adſtruit Auctor Commentariorum olim S. Ambroſio adſcriptorum. *Pacem*, inquit, *cum Deo habere fides facit, non lex: hæc enim nos Deo reconciliat, ſublatis peccatis quæ nos Deo fecerant inimicos. Et quia Dominus Jeſus hujus gratiæ miniſter eſt, per ipſum pacificati ſumus Deo.* Verſiones Arabica & Æthiopica eumdem ſenſum reddunt: *Pacem habemus apud Deum.* Antiquum MS. Alexandrinum, Claromontanum, aliuſque Codex Græcus Sandionyſianus a Gagnæo citatus habent, ἔχωμεν, *habeamus.* Quam lectionem Origenes, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, S. Hieronymus in divina Bibliotheca, S. Auguſtinus lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum cap. 171. aliique ſequuntur. Verſio Syriaca eumdem ſenſum reddit.

Spes gloriæ filiorum Dei.

2. *Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*; Cujus opera & meritis, ſcilicet Jeſu Chriſti Mediatoris, adducti ſumus, aditum habuimus, admiſſi ſumus, fide, non meritis, ad gratiam tam eximiam juſtificationis & ſanctificationis, ad ſtatum tam felicem gratiæ, in qua firmi permanemus, & de qua gloriamur in Domino, beatos nos exiſtimantes in ſpe gloriæ filiis Dei paratæ; ad quam gratia jus nobis tribuit, cum nos filios Dei per adoptionem faciat. Vox *filiorum* abeſt a Græco Textu, & a Verſionibus Syriaca, Æthiopica, Arabica: eam non agnoſcunt Græci Commentatores, nec S. Cyprianus *lib 3. Teſtimoniorum ad Quirinum, num. 6.*

Gaudium in adverſitatibus.

3. 4. 5. *Non ſolum autem*, ea ſpe gloriamur, *ſed & gloriamur in tribulationibus*, gaudemus adverſis rebus, iis maxime quæ propter Dei & Chriſti nomen nobis eveniunt: *ſcientes quod tribulatio patientiam operatur*: edocti a Spiritu ſancto, & fœlici experientia, quod adverſitas & afflictio parit patientiam: *patientia autem probationem*, quia inde exploratum habetur quanti Deum & cœleſtia faciamus: *Probatio vero ſpem* magis magiſque accendit, tum ex Dei bonitate, cui non convenit talem patientiam ſine præmio relinquere, tum ex promiſſione Chriſti (Matth. 5. 11. 12. & Joan. 16. 20. *Spes autem non confundit*, id eſt, non fallit. Pudere eos ſolet, quorum ſpes vanis pollicitationibus deluſa eſt: ſed ſpes quæ divinis promiſſis nititur, non confundit, non pudefacit, quia certiſſima & infallibilis eſt. *Quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quod dixi, ſpem non confundere, ſive non fallere, compertum eſt ex Charitate, tum ea qua nos diligit Deus, effundendo in nos Spiritum Sanctum tamquam pignus hæreditatis promiſſæ; tum ea qua nos dilectores ſuos facit, quam idem Spiritus multiplicibus donis comitatam in cordibus noſtris effundit. De qua & 1. Joan. 3. ſcriptum eſt: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.*

Chriſtus pro impiis mortuus eſt.

S. Joan. Chryſ. Hom. 9. Theodoret. &c.

6. 7. *Ut quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt?* Ut quid enim, niſi ut ſuam erga nos caritatem demonſtraret, Chriſtus pro nobis mortuus eſt tempore conſtituto a Patre, cum adhuc peccati languoribus detineremur? *Vix enim pro juſto quis moritur:* Vix inter mortales inveniatur, qui ad mortem pro homine juſto & inſonte oppetendam paratus ſit. *Nam pro bono forſitan quis audeat mori.* Verumtamen contingere forte poteſt ut aliquis tam forti ſit animo (quamquam hoc perrarum ſit) ut pro viro bono & de omnibus bene merito mori ſuſtineat. Hic ſenſus planior videtur & magis ad Apoſtoli mentem, quam interpretatio S. Hieronymi, juſtum & bonum de rebus, non de perſonis explicantis. *Juſtum & bonum*, inquit, *non putemus eſſe diverſum, nec aliquam propriæ ſignificare perſonam; ſed abſolute rem juſtam & bonam, pro qua difficaliter, ſed interdum aliquis inveniri poteſt, qui ſuum ſanguinem fundat.*

S. Hier. Epiſt. 151. ad Algaſiam, quæſt. 7.

8. 9. 10. *Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Verum hoc ipſo eximiam ſuam erga nos caritatem Deus conſpicuam facit, quod cum adhuc peccatis obſtricti, nondum juſtificati eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt tempore convenienti, in plenitudine temporis. Hæc verba, *ſecundum tempus*, eruditis Commentatoribus redundare videntur hoc loco, & ſecundum fidem Græci Textus, cui Verſiones Syriaca & Arabica conſentiunt, expungenda. Ea non legerunt *S. Irenæus libro 3. cap. 18. S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum, S. Hilarius Tract. in Pſal.* 55. num. 7. *S. Auguſtinus lib. 4. De Trinitate Cap.* 1. Verum in antiquis optimæ notæ Codicibus Græcis extitiſſe, conſtat ex eo quod *S. Hieronymus*, qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit, ea exhibeat in divina ſua Bibliotheca, & *Theodoretus* illa exponat in Commentario, quem ſequitur *Theophylactus*. Galat. 4.

Multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Multo magis ergo per mortem ejus nunc juſtificati, per ipſum liberabimur ab ira Dei, ſeu a juſta vindicta quam in peccatores æternum exercebit. *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* Si enim nos Chriſtus Dei Filius reconciliavit Patri pro nobis moriendo, cum inimici eſſemus, ejuſque iræ ob peccatum obnoxii; multo magis reconciliatos ſalvabit viveos vita immortali & glorioſa, regnans ſine fine, ſedens ad dexteram Patris, & interpellans pro nobis ut advocatus noſter. Quid potius agat, cui omnis poteſtas data eſt, quam ut plena & perfecta animæ corporiſque ſalute donet eos, pro quibus in gratiam Patris reſtituendis tam multa geſſit ac paſſus eſt?

11. *Non ſolum autem* ſumus reconciliati, *ſed & gloriamur in Deo*, quem propitium habemus, & cujus amici, immo & filii adoptivi facti ſumus, non noſtra virtute ac merito, ſed *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, Mediatorem noſtrum, *per quem nunc reconciliationem accepimus*; cujus beneficio ac merito gratiam reconciliationis nunc obtinuimus.

Dogma Catholicum de peccati originalis in omnes homines transfuſione.

12. *Propterea ſicut per unum hominem*, Adamum totius humani generis primum parentem, *peccatum in hunc mundum intravit*, in univerſum genus humanum propagatione transfuſum eſt; *& per peccatum mors.* Mors etiam per peccatum intravit, ut pœna peccati juſte a Deo inflicta, quam ponendo præceptum fuerat Adamo comminatus Gen. 2. 17 *& ita in omnes homines mors pertranſiit*: ad hunc etiam modum per Adami peccatum, mors ad omnes ejus poſteros permanavit, *in quo*, ſcilicet uno homine, Adamo, tamquam in principio & radice totius generis, *omnes peccaverunt*, non imitatione ſola, ut Pelagiani & Sociniani aſſerunt, ſed vitiata origine. *Peccatum generationis intelligi voluit Apoſtolus: imitationis enim peccatum non per unum hominem, ſed per diabolum intravit in mundum. In quo omnes peccaverunt; quia in illo fuerunt omnes quando peccavit, unde peccatum naſcendo trahitur, quod niſi renaſcendo non ſolvitur.* Ideo autem Apoſtolus peccati originalis in omnes homines transfuſi dogma hic tradit, ut reconciliationis per Chriſtum neceſſitatem confirmet. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* „ Quid tergiverſantur Pelagiani & Sociniani? Si omnibus neceſſaria eſt reconciliatio per Chriſtum, per omnes tranſiit peccatum quo inimici ſumus, ut opus reconciliari haberemus? *Per unum hominem*, per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt. *In quo omnes peccaverunt*, qui ex illo per carnalem concupiſcentiam nati ſunt. Ex hoc itaque loco dogma Catholicum de peccati originalis transfuſione in omnes homines Concilium Africanum Canone 2. Concilium Arauſicanum Canone 2. & Tridentina Synodus Seſſione 5. Canonibus 2. & 4. invicte adſtruxerunt, & confirmaverunt, quod omnis retro Antiquitas credidit, & Patres tam Græci, quam Latini etiam ante S. Auguſtinum ſummo conſenſu docuerunt. *S. Juſtinus Martyr Apolog.* 1. *p.* 94. & *Dialogo cum Tryphone p.* 315. *S. Irenæus lib.* 4. *cap.* 5. *& lib.* 5. *cap.* 16. *&* 19. *Clemens Alexandrinus* lib. 3. *Stromatum* p. 453. & 466. *Tertullianus libro De Anima* p. 342. & lib. *De Teſtimonio Animæ p.* 85. Edit. Rigaltii, lib. *De Carne Chriſti* p. 273. & 373. lib. 5. *Adverſ. Marcionem* p. 609. lib. *De Reſurrectione Carnis*, p. 403. *Origines Homilia* 6. *in Leviticum*, *Homil.* 3. *in Cantica*, *lib.* 3. *in Epiſt. ad Romanos* p. 321. col. 5. lib. 5. p. 341. col. 2. *lib.* 4. *Contra Celſum* p. 190. & 391. *Firmilianus Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus inter*

S. Aug. lib. 5. Contr. Julian. c. 9. & lib. 4. ad Bonifacium c. 4.

S. Aug. lib. 2. De Nuptiis & concupiſc. c. 5. & alibi paſſim. Enchiridii c. 26.

fan-

Digitized by Google

Epiſtolas S. Cypriani 75. *ipſe S. Cyprianus Epiſt.* 59. *ad Fidum de Infantibus baptizandis*, &c.

13. 54. *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet.* Nam ante legem, quæ per Moyſen data eſt, peccatum erat in mundo, in hominibus regnabat, qui ad peccatum originis quod omnes ex Adamo contraxerant, addebant gravia peccata propriæ voluntatis & actionis, ſed peccata illa non imputabantur ipſis ad pœnam mortis temporalis, quaſi tranſgreſſoribus legis, cum lex lata non eſſet, quæ certa quædam crimina morte luenda ediait. Nam *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio* eſt. (Tametſi ante legem ſcriptam, plurimi ob violatam naturæ legem graviſſimis ac manifeſtis criminibus, pœna mortis a Deo naturæ Auctore plexi ſint.) *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos qui non peccaverant in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.*

Mors effectus & pœna peccati ex Adamo contracti. S. Hier. Dial. 3. cont. Pelagianos. S. Aug. l. 2. operis imperf. cont. Julian. p. 1027. & 1038. & Epiſt. 158. al. 89. ad Hilarium, & in Expoſit. propoſit. ex Epiſt. ad Romanos.

Mors nihilominus tyrannidem ſuam exercuit ab Adamo uſque ad legem datam Moyſi, non ſolum in eos qui ſcientes, volentes, peccabant, ut Adam; de quibus ſcriptum eſt Oſee 6. 7. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt in me*: verum etiam in eos qui non peccaverunt propriæ voluntatis acto, ſcilicet in infantes. Ex quo ſequitur, mortem eſſe effectum & pœnam peccati quod ex Adamo omnes & ſinguli naſcendo contraxerunt. Qui Adam typus & figura erat Chriſti venturi, quem alibi *noviſſimum Adam* Apoſtolus vocat: Forma (inquam) erat Chriſti a contrario, quia ſicut per Adam peccatum & mors in mundum introducta ſunt, ita per Chriſtum juſtitia & vita reparata eſt. Hæc expoſitio planior eſt, & Apoſtoli ſenſum propius attingit. Unde S. Auguſtinus Julianum Pelagianum his verbis urget: „ Ecce non adamaverunt
„ peccantis exemplum, qui non in prævaricationis
„ ejus ſimilitudine peccaverunt, & tamen etiam re-
„ gnavit in eos mors. An vis redire ad Catholicam
„ veritatem, ut in eos quoque mortem regnaſſe fa-
„ tearis, qui non peccaverant, propria faciendo
„ peccata, ſed regnum mortis in ſimilitudine præ-
„ varicationis ejus, de cujus ſtirpe ſunt nati, tan-
„ quam hæreditario miſeriæ jure ſubierunt. Sic
„ quippe intellexerunt hæc Apoſtolica verba Do-
„ ctores Eccleſiæ, qui viderunt ea non poſſe re-
„ cte intelligi, niſi in eis intelligatur obnoxiæ
„ ſucceſſionis origo peccati; propter quod dixe-
„ runt, parvulos ſecundum Adam carnaliter na-
„ tos, contagium mortis antiquæ prima nativitate
„ contrahere.

S. Cyprian. Epiſt. 64. ad Fidum.

Uſque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur. Legit S. Auguſtinus, *Non deputabatur*, id eſt, non putabatur eſſe peccatum: *Quia lex non erat, qua arguente demonſtraretur, ſive lex rationis in parvulo, ſive lex litteræ in populo.* „ Uſ-
„ que ad legem peccatum erat in mundo, *hoc eſt,*
„ *nec lex potuit auferre peccatum* .... Sed regnavit
„ mors ab Adam uſque ad Moyſen, *quia nec per Moy-*
„ *ſen, id eſt, nec per legem regnum ejus ablatum eſt:*
„ etiam in eos qui non peccaverunt: *Quare igitur ſi*
„ *non peccaverunt? Audi quare*, in ſimilitudinem præ-
„ varicationis Adæ, qui eſt forma futuri. “ *Dedit enim ex ſe formam poſteris ſuis, quamvis peccata propria non habentibus, ut peccati paterni contagione morerentur, qui per ejus cumulum concupiſcentiam gignerentur.*

S. Auguſt. Epiſt. 158. ad Hilarium, n. 18.

S. Auguſt. lib. 6. cont. Julian. c. 4.

Quod ſpectat hunc Verſum, *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt*, &c. Quoſdam olim Codices negationem non habuiſſe S. Auguſtinus obſervat *Epiſt. ad Hilarium*, ſed minime dubium quin ii fuerint interpolati, cum & Græcus textus, & Orientales Verſiones, & Vulgata noſtra, & Græci omnes Commentatores (Origine excepto, qui tamen in quibuſdam Exemplaribus negationem haberi, ſeu ipſe, ſeu ejus interpres, ac ſæpe interpolator Rufinus fatetur) & Latini (excepto Ambroſiaſtro) atque imprimis S. Hieronymus qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit, & S. Auguſtinus qui hoc argumentum ceteris operoſius & accuratius expendit & tractavit, negationem ſummo conſenſu legerint, retinuerint, vindicaverint.

Vulgata verſio hoc loco vindicatur.

15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum.* Sed non eadem gratiæ Chriſti, quæ peccati primi hominis ratio eſt. *Si enim unius delicto multi mortui ſunt*, ſi unius, ſcilicet Adami peccato multi, id eſt omnes ex eo carnaliter propagati, mortem incurrunt: *multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Multo abundantius & copioſius miſericordia & gratia Dei dona ſua effudit propter merita unius hominis Jeſu Chriſti, ſecundi Adam, in plures, id eſt in omnes ad Chriſtum pertinentes. Senſus non eſt quod plures ſalvet Chriſtus gratia ſua, quam perdiderit Adam peccato ſuo; ſed quod plus gratiæ nobis reſtituerit, quam in Adamo perdideramus, ſcilicet perſeverantiam juſtitiæ, & vitam æternam; quæ Adam in paradiſo non habuit: *Multo magis utique abundavit, quia in quibus abundavit, temporaliter moriuntur, in æternum victuri ſunt.*

S. Auguſt. ibid.

S. Aug. lib. 1. De peccatorum meritis, c. 13. & in Expoſit. propoſit. Epiſt. ad Rom.

16. 57. *Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum.* Nec par eſt ratio gratiæ per Chriſtum partæ, & condemnationis ac miſeriæ quæ ex unius peccato conſecuta eſt. *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem*: Dei enim judicio ob unum dumtaxat primi hominis peccatum morte damnati ſunt omnes ejus poſteri, quia in eo peccaverunt: *Gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Gratia vero Dei a multis etiam delictis, quæ propria voluntate ſuperaddiderunt, abſolutos juſtitia donat. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum*, & vim ſuam potentem exeruit in omnes ejus poſteros peccati contagione per carnalem ex illo originem inquinatos; *multo magis abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*: Potiori jure qui gratiæ & juſtitiæ, donorumque illas comitantium abundantiam per Dei miſericordiam & merita Chriſti Jeſu, novi Adami, accipiunt, per ipſum regnabunt in vita immortali & glorioſa.

Judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. „ Et unum
„ quippe illud ad damnationem trahere potuit: ſed
„ gratia non hoc unum tantum, verum etiam plura
„ quæ ſuperaddita ſunt peccata delevit. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*: Multo magis in vita regnabunt qui ſine fine regnabunt, quam mors in eis regnavit, quæ cum fine regnavit.

18. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Ex his perſpectum eſt, quemadmodum per unius Adami peccatum omnes homines in mortis condemnationem incurrerunt: ita & per unius Chriſti juſtitiam id eſt juſtas & ſanctas actiones, ac præſertim obedientiam illam uniformem, qua ad mortem uſque crucis Patri ſe obedientem exhibuit ad ſatisfaciendum pro nobis plena, accurata, numeris omnibus abſoluta, immo ſuperabundanti ſatisfactione, omnes homines ad Chriſtum pertinentes juſtificationem vitæ conſequi, id eſt gratiam ſanctificantem qua ſpiritualiter in Chriſto vivant, & ad vitam æternam tandem perducantur. *Ideo autem & ibi omnes, & hic omnes, quia nemo ad mortem niſi per illum, nemo ad vitam niſi per iſtum.*

S. Aug. lib. 6. cont. Julian. cap. 4.

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi.* Sicut per unius hominis, ſcilicet Adami tranſgreſſionem, multi, id eſt omnes ex eo geniti conſtituti ſunt peccatores, non extrinſeca tantum primi illius peccati imputatione, ſed intrinſecus adhærente contagione peccati, quam naſcendo contraxerunt: ita & per unius Chriſti obedientiam juſti conſtituentur multi, id eſt omnes qui per fidem in eo renaſcentur: juſti (inquam) conſtituentur, non extrinſecus tantum imputata Chriſti juſtitia, ſed interius inhærente, quam per Adami inobedientiam amiſimus.

Concil. Trid. Seſſ. 6.

20. *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum.* Medio autem tempore inter Adamum & Chriſtum lex Moyſi data ſubingreſſa eſt ad tempus, per quam tantum abeſt ut homines ſanati ſint a peccato & juſtitiam adepti, quin potius ejus occaſione deteriores facti ſunt. „ Non enim data eſt quæ poſſet vivifica-
„ re; quia gratia vivificat per fidem: ſed data eſt
„ lex ad oſtendendum quantis quamque arctis vincu-
„ lis peccatorum conſtringerentur, qui de ſuis viri-
„ bus ad implendam juſtitiam præſumebant. Sic
„ abundavit peccatum, cum & concupiſcentia ex
„ prohibitione ardentior facta eſt, & peccantibus
„ contra legem prævaricationis crimen acceſſit. “

S. Chryſ. lege.

Lex obiter ſubit, ut abundaret delictum.

S. Auguſt. in Expoſit. propoſit. ex Epiſt. ad Rom. c. 30.

Id clarius adhuc explicat S. Thomas: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* To *ut*, cauſam non ſignificat, ſed conſecutionem. Non enim ad hoc fuit data lex ut peccatum abundaret; quin potius peccatum prohibuit quantum in ſe erat: ſed lege data conſecuta eſt abundantia delictorum. 1. Quantum ad peccatorum multitudinem. Lex enim licet peccatum demonſtraret, peccati tamen concupiſcentiam non auferebat. Cum autem alicui prohibetur quod concupiſcit, vehementius in concupiſcentiam illius exardeſcit; ſicut fluvius appoſito obice rapidius fluit, & obicem frangit. 2. Hæc verba, *Ut abundaret delictum*, ad cognitionem referuntur; & ſignificant peccatum abundantius cognitum fuiſſe per legem: ex quo factum eſt ut gravius eſſet, peccat enim gravius

S. Thomas Lect. 6.

Vide Theodoretum, Gradius.

Quo ſenſu legem ſubintraſſe ut abundaret delictum, Apoſtolus aſſerit?

qui

Digitized by Google

qui ſciens, quam qui ignorans peccat. 3. To ar, ſic accipi poteſt ut cauſam ſignificet, ita tamen ut abundantia delicti non intelligatur finis legis ſubintrantis, ſed id quod ex abundantia delicti ſequitur, ſcilicet humiliatio hominis. Lege enim ſubintrante abundavit delictum: & ea delicti abundantia conſecutum eſt bonum illud ordinante Deo, quod homo infirmitatem ſuam agnoſcens humiliatus eſt. Dicebat enim apud ſe homo ſuperbus & de viribus ſuis præſumens; *Non deeſt qui impleat, ſed deeſt qui jubeat*, ſecundum illud Exod. 24. *Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & ei obediemus.* Sed quando lege data conſecuta eſt multitudo delictorum, homo infirmitatem ſuam cognovit ad obſervantiam legis, ſecundum illud Sapient. 9. *Infirmus homo & exigui temporis, minor ad intellectum judicii & legum*, &c. Intentio ergo Dei legem dantis non fertur ad abundantiam peccatorum, ſed ad humiliationem hominis, propter quam permiſit ut abundarent delicta.

Efficacior gratia Chriſti peccato Adami.

Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. In genus humanum, in quo abundavit peccatum, miſericors Deus ſuperabundantem gratiam effudit. Longe efficacior fuit gratia Chriſti, quam peccatum Adami, & alia quæ occaſione legis inundarunt. Quanto gravior erat morbus, tanto potentior & efficacior eſſe debuit medicina: quanto major iniquitas peccantis, tanto major miſericordia peccatum remittentis.

21. *Ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ut ſicut peccatum longe lateque graſſatum ac dominatum eſt inferendo mortem, ita & gratia ac miſericordia Dei longe lateque dominetur, veram juſtitiam tribuens hominibus, eoſque ad vitam æternam perducens, qui Chriſto dati ſunt a Patre, per merita ejuſdem Domini noſtri Salvatoris ac Redemptoris omnium hominum, maxime vero electorum.

CAPUT V.

Senſus Moralis.

Quinam pacem cum Deo non habent?

1. *Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Pacem cum Deo non habent, qui juſtitiam fidei per caritatem operantis non ſervant, qui ſecundum fidem non vivunt, qui Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pacis noſtræ Mediatorem non ſunt conjuncti, qui Chriſto fideles non ſunt, legem ejus obſervando. Pacem habere cum Deo non poſſumus, niſi iis conditionibus quas præſcripſit, ut juſtitiam diligamus & faciamus. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt.*

Pſalm. 84. S. Aug. Enar. in hunc Pſal.

„ Fac juſtitiam, & habebis pacem. Si non amaveris
„ juſtitiam, pacem non habebis. Duæ amicæ ſunt,
„ tu forte unam vis, & alteram non facis. „ Nemo
„ eſt qui non velit pacem, ſed non omnes volunt
„ operari juſtitiam: Interroga omnes homines,
„ vis pacem? Uno ore tibi reſpondet totum
„ genus humanum, Opto, cupio, volo, amo. Ama
„ & juſtitiam, quia duæ amicæ ſunt juſtitia &
„ pax, ipſæ ſe oſculantur. Si amicam pacis non
„ amaveris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad
„ te. Quid enim magnum eſt deſiderare pacem?
„ Quivis malus deſiderat pacem, ſed fac juſtitiam;
„ quia juſtitia & pax ſe oſculantur, non litigant.
„ Tu quare litigas cum juſtitia? Ecce juſtitia dicit
„ tibi, Ne fureris; & non audis. Ne adulteres,
„ non vis audire. Non facias alteri quod tu pati
„ non vis, non dicas alteri quod tibi dici non vis.“

Pſal. 33. 15. Origenes lib. 4. in Epiſt. ad Rom. Rom. 8. 7.

Inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Amica ſum juſtitiæ, quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem, fac juſtitiam. Ideo alius Pſalmus ait: *Declina a malo, & fac bonum* (hoc eſt amare juſtitiam) *inquire pacem, & perſequere eam.* Jam enim non diu illam quæres: quia & ipſa occurret tibi, ut oſculetur juſtitiam. Si quis pacem habet ad Deum, & reconciliatus eſt per ſanguinem Chriſti, ultra non cogitat quæ inimica ſunt Deo. Paulus ipſe te docet qui ait, *Sapientia carnis inimica eſt Deo.* Si ergo carnaliter ſapias, & vitam tuam cupiditatibus carnis exponas, & affluentia deliciarum reſolvas: aut ſi de legis intellectu carnaliter non ſpiritaliter ſentias, & aſſertionibus humana arte quæſitis ipſius ſenſum detorqueas, & ſanctam ſeveritatem emollire nitaris ut hominibus placeas, per ſapientiam carnis inimicus efficeris Deo. *Filioli* (inquit Joannes) *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt... Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.*

1. Joann. 2.

Igitur qui mundum diligit, qui concupiſcentiæ ſervit, qui ſuperbiæ & ambitioni, pacem cum Deo non habet, ſed inimicitias adverſus illum ſuſcitat, pro quibus ſolvendis Chriſtus mortuus eſt; opus Chriſti ſolvit, quantum in ſe eſt, & virtutem crucis & paſſionis ejus evacuat. Nec intra nosmetipſos, nec extrinſecus ad invicem habeatur ulla diſſenſio, & tunc pacem habebimus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Certiſſime enim ſciendum eſt, malos veram pacem numquam habere. Dum enim continuis adverſus ſe ipſos rixis diſſident & variarum cupiditatum conflictu perturbantur; dum ſemper cogitant quomodo proximo noceant, mens eorum numquam pace fruitur, quæ juſtitiæ fidei & caritatis fructus eſt. Tunc pacem cum Deo habemus, quando adverſus diabolum fortius pugnamus.

Chriſtus oſtium eſt per quod ingredimur ad Deum.

Pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui pax noſtra eſt; *per quem & habemus acceſſum in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Quo modo acceſſum habeamus ad gratiam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ipſe Salvator docet: *Ego ſum oſtium*, inquit, *& nemo venit ad Patrem niſi per me.* Sed videamus quale eſt oſtium, ut ſciamus quales eſſe debeant qui intrent per ipſum, & acceſſum habeant ad gratiam. Iſtud oſtium veritas eſt: & per oſtium veritatis non poſſunt introire mendaces: juſtitia eſt, & per oſtium juſtitiæ non ingrediuntur injuſti. Iſti oſtio inſcripta hæc ſententia eſt: *Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde.* Per oſtium porro humilitatis & manſuetudinis nec iracundus ingreditur, nec ſuperbus. Qui vult igitur acceſſum habere ad gratiam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in qua Paulus ſtare ſe dicit, omnium juſtorum nomine loquens, oportet eum ab his vitiis eſſe alienum. Alioqui non patitur hoc oſtium eos per ſe introire, ſed continuo clauditur, & tranſire non ſinit diſſimiles ſibi. Id fatuis Virginibus accidiſſe docet Evangelica parabola. Quæ quoniam oleum bonorum operum in vaſis ſuis non collegerant, tardius venientes clauſum oſtium invenerunt.

Joann. 10.

Origenes.

Gratiæ Chriſti multiplex effectus.

Per quem & habemus acceſſum in gratiam iſtam. Quanta bona per Chriſti gratiam conſequimur! quam grato erga tam miſericordem tam beneficum Dominum animo eſſe debemus! Primus gratiæ Salvatoris fructus eſt pax cum Deo. *Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Effectus alter eſt perſeverantia in fide & bonis operibus. *Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus.* Etſi autem ſtamus, caſum timeamus, quia noſtris viribus ſtare non poſſumus, ſed ipſius gratiæ auxilio: Nam liberum arbitrium habet de ſua mutabilitate, ſi deficit; de gratiæ opitulatione, ſi proficit. *Qui ſtat ergo, videat ne cadat.* De ſuis non præſumat viribus, Chriſti gratiam ferventibus precibus imploret; caſurum ſe noverit, niſi Dominus ſupponat manum ſuam. Tertius gratiæ Chriſti effectus eſt *ſpes gloriæ Dei*, quam nobis per Spiritum adoptionis indidit Chriſtus, „ Benedictus
„ Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui
„ ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit
„ nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu
„ Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem
„ & incontaminatam & immarceſcibilem,
„ conſervatam in cœlis in vobis, qui in virtute
„ Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem.“ Et hæc gloria, quæ in futuro in nobis complebitur, interim nunc per ſpem inchoatur. *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Hac ſpe animati Chriſtiani quid non agant, quid non patiantur propter Deum? In hac ſpe gloriemur, & jam ſtantes ſunt pedes noſtri in atriis Jeruſalem illius quæ ſurſum eſt mater noſtra. *Et gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.*

1. Petri 1.

Rom. 8.

Pſalm. 121.

In rebus adverſis gaudere & gloriari propria eſt Chriſtiani.

S. Thomas Lect. 1. in cap. 5. Act. 14. Jacob. 1. 2.

3. 4. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Quartus gratiæ effectus eſt, gaudere quod propter Chriſtum patiamur, & ea de re in Domino gloriari. Hic ſpei Chriſtianæ fructus. Qui enim vehementer aliquid ſperat, libenter ſuſtinet propter illud difficilia quævis & amara: ſic infirmus vehementer ſperans ſanitatem, libenter bibit potionem amaram ut eam recuperet. Signum ergo vehementis ſpei quam nobis indidit Chriſti gratia reſpectu gloriæ filiorum Dei, eſt gloriatio de rebus adverſis quas pro Chriſto patimur. Sed & gloriamur in tribulationibus, per quas nos oportet introire in regnum cœlorum. Id vivæ fidei eximium opus, is gratiæ Chriſti triumphus. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* In rebus adverſis patientem eſſe, Philoſopho ſufficit? illas cum amore tolerare, Chriſtiani proprium eſt: in tribulationibus vero gaudere &

glo-

S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 9.

gloriati, gratia Apoſtolica eſt. Calamitates omnes & afflictiones, divina providentia diſpenſat, ordinat, infert, aut ut exerceant converſos ad Deum; aut de converſione admoneant, aut juſtæ damnationi ultimæ præparent obduratos. *Tribulatio* ergo in iis qui recti ſunt corde, *patientiam operatur*; quia nimirum tribulationem intuentur ut ſemen bonorum æternorum: in mundi vero hujus & vitæ præſentis amatoribus impatientiam, mœrorem, deſperationem parit. „ O quantum patientiæ bo„num! Patientia eſt, quæ nos Deo & commen„dat & ſervat: ipſa eſt, quæ iram temperat, lin„guam frænat, mentem gubernat, pacem cu„ſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum „frangit, tumoris violentiam comprimit, incen„dium ſimultatis extinguit, coercet potentiam „divitum, inopiam pauperum refovet: tuetur „in virginibus beatam integritatem, in viduis „laborioſam caſtitatem, in conjunctis & maritatis „individuam caritatem. Facit humiles in proſperis, „in adverſis fortes, contra injurias & contumelias „mites: docet delinquentibus cito ignoſcere; ſi „ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentatio„nes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & „martyria conſumat. Ipſa eſt, quæ fidei noſtræ „fundamenta firmiter munit: ipſa eſt quæ incre„menta ſpei ſublimiter provehit: ipſa actum di„rigit, ut tenere poſſimus viam Chriſti, dum per „ejus tolerantiam gradimur: ipſa efficit ut perſeveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.

S. Cyprian. lib. De patientiæ bono.

Adverſitatum ſpiritualis utilitates.

Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. Manifeſtum eſt enim quod detrimentum alicujus rei facile ſuſtinemus propter rem quam magis amamus. Unde ſi quis in rebus corporalibus & temporalibus patienter detrimentum ſuſtinet propter bonorum æternorum conſecutionem, hinc compertum & exploratum habetur ipſum æterna bona præ temporalibus diligere. Confer cum Eccleſiaſtici 2. 4. 5. *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero acceptabiles in camino humiliationis.* Et cum Jacobi 1. 3. *Scientes quod probatio fidei veſtra patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Tunc vere nos diligere Deum, illique nos adhærere cognoſcimus, cum cætera omnia præter ipſum amittere parati ſumus. Hæc vero animi præparatio ſpem Chriſtianam mirum in modum auget. *Probatio vero ſpem.* Confer cum Sapientiæ 3. 5. *In paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* „ Nihil certe ad bonorum æternorum „ſpem nos ita comparat ac bona conſcientia. Ita„que nullus illorum qui vitam recte atque ſancte „egere, de futuris diffidit: contra vero plerique „ex illis qui vita negligenter acta malæ conſcien„tiæ ſtimulis fodiuntur, de futuris bonis deſpe„rant, & in animum inducunt ſuum, nullum eſſe „judicium, nec retributionem. Quid igitur? In „ſpe bona cœleſtia & æterna, Deum ipſum poſ„ſidemus, ejuſque fruitione certiſſime futura jam „gaudemus. " *Spes gaudentes.* Enimvero *Spes divina non confundit.* „ Spes autem humana perſæpe fallit, „eo, a quo præſidium expectabatur, vel mortuo, „vel adhuc quidem ſuperſtite, ſed mutante bene„faciendi voluntatem. At non talis eſt rerum no„ſtrarum conditio, immo firma atque immobilis „ſpes: Nam qui ſpopondit, is ſemper vivit: nos „autem ad quos promiſſorum fructus pertinet, etſi „moriendum nobis ſit, tamen aliquando reſurge„mus. " Nihil eſt ergo quod ſpem noſtram fruſtrare poſſit.

S. Joannes Chryſoſtom. Hom. 9. in Epiſt. ad Rom.

5. *Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Spiritus Sanctus divini erga nos amoris pignus eſt, noſtrique erga Deum amoris fons vivus. Porro noſter in Deum amor fundamentum eſt ſpei noſtræ. Quid non ſperant a mundo amatores mundi, quamvis ſpem eorum tam ſæpe deludat? Quid non ſperare debent a Deo qui illum diligunt, cum pignora ipſis dederit promiſſionum ſuarum, Filium ſuum, & Spiritum Sanctum? „ *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa* „ *eſt in cordibus noſtris*, &c. Non dixit, Data eſt, „ſed, *diffuſa eſt in cordibus noſtris*, largitatem oſten„dens. Quod enim maximum erat, hoc dedit: „non cœlum, non terram, non mare; ſed quod „his omnibus antiquius pretioſiuſque erat, & an„gelos ex hominibus, & Dei filios, & Chriſti „fratres effecit. Quid autem hoc eſt? Spiritus „ſanctus. Quod ſi noluit magnis nos coronis poſt „labores donare, numquam ante ipſos labores tot „tantaque bona donaſſet: nunc vero dilectionis ſuæ „fervorem hinc declarat, quod non ſenſim ac pe„detentim nos honeſtavit, ſed cumulate ac plena „manu bonorum fontem effudit, idque ante ipſa „certamina. Quamobrem etſi non ſis admodum „dignus, ne deſperes, cum magnum in cauſa pa„tronum habeas, judicis dilectionem. Idcirco enim „& ipſe per hæc verba, *Spes non confundit*; non „ad noſtra merita, ſed ad Dei dilectionem caritatemque erga nos totius negotii laudem retulit. " De acceptis beneficiis gratias agamus, utque donum caritatis, aut ejus incrementum & perſeverantiam a Deo impetremus, ſupplices oremus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in Spiritu Sancto. „ Plenitudo legis non eſt niſi caritas. Et „utique caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, „non per nos ipſos, nec viribus propriæ volunta„tis, ſed per Spiritum Sanctum qui datus eſt no„bis. Valet itaque liberum arbitrium ad opera „bona, ſi divinitus adjuvetur, quod fit humiliter „petendo & faciendo. Deſertum vero divino adju„torio, qualibet ſcientia legis excellat, nullo mo„do habet juſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem „impiæ ſuperbiæ, & exitioſum tumorem.

S. Chryſoſt. ibid.

S. Auguſt. Epiſt. 157. alias 89. ad Hilarium, n. 4. & 5.

Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c. Caritas qua Deum diligimus, dicitur in cordibus noſtris diffuſa, quia ad omnes mores & actus animæ perficiendos ſe extendit. Nam *Caritas patiens eſt, benigna eſt*, &c.

8. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Audi quomodo amatus es non amandus, audi quomodo amatus es turpis, fœdus, antequam eſſet in te quod amari dignum eſſet. „ Amatus es prius, ut dignus fieres qui amareris. „ An forte impius amari merebatur? Quæro quid „merebatur impius? Damnari, reſpondes. Chri„ſtus tamen pro impiis mortuus eſt. Ecce quid „tibi præſtitum eſt impio, jam pio quid ſerva„tur „? Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ne deſperemus; mortuus eſt pro nobis cum adhuc peccatores eſſemus, impii, ejus inimici: nihil nobis tribuamus. Infinitus Dei erga nos amor longius progredi non potuit quam ut Filium ſuum unigenitum pro nobis traderet. Ingrati animi vitium in peccatoribus ulterius progredi non poteſt, quam ut tantum amorem contemnant, & Deum tam miſericordem, tam erga ſe beneficum, tedamate recuſent. Speremus, magnifica promiſſa conſiderantes: amemus pretioſiſſima pignora jam tenentes, mortem & ſanguinem Filii, donum Spiritus ſancti. „ An pro minimo habet Deus hominem, pro„pter quem mori voluit Unicum ſuum? Attenda„mus ad indicium dilectionis. Promiſſionis Dei „tales arras accepimus: tenemus mortem Chriſti, „tenemus Sanguinem Chriſti. Quis mortuus eſt? „Unicus. Pro quibus mortuus eſt? Utinam pro „nobis, utinam pro juſtis. Sed quid? Etenim „Chriſtus, ait Apoſtolus, pro impiis mortuus „eſt. Qui donavit impiis mortem ſuam, quid ſer„vat juſtis niſi vitam ſuam " ! Erigat ergo ſe hu„mana fragilitas, non deſperet. Qui promiſit, „Deus eſt, & venit ut promitteret; apparuit „hominibus, venit ſuſcipere mortem noſtram, „promittere vitam ſuam. Venit ad regionem pe„regrinationis noſtræ, accipere quod hic abun„dat, opprobria, flagella, colaphos, ſputa in „faciem, contumelias, ſpineam coronam, ſuſpen„ſionem in ligno, crucem, mortem. Hæc abun„dant in regione noſtra, ad talia commercia ve„nit. Quid hic dedit, quid accepit? Dedit exhor„tationem, dedit doctrinam, dedit remiſſionem „peccatorum; accepit contumelias, mortem, cru„cem. Attulit nobis de illa regione bona & in „regione noſtra pertulit mala. Promiſit tamen no„bis quod ibi futuri ſumus unde venit, & ait, „ *Pater, volo, ut ubi ego ſum; & ipſi ſint mecum.* „ Tanta præceſſit dilectio, Quia ubi eramus, fuit „nobiſcum; ubi ipſe eſt, erimus cum illo. " „ Quid tibi promiſit Deus, o homo mortalis? quia „victurus es in æternum. Non credis? crede. Plus „eſt quod fecit, quam quod promiſit. Quid fecit? „Mortuus eſt pro te? Quid promiſit? Ut vivas „cum illo. Incredibilius eſt quod mortuus eſt æ„ternus, quam ut in æternum vivat mortalis. „Jam quod incredibilius eſt tenemus. Si propter „hominem mortuus eſt Deus, non eſt victurus „homo cum Deo? Non eſt victurus mortalis in „æternum, propter quem mortuus eſt qui vivit „in æternum? Accepit ex te, unde moreretur,

S. Thomas Lect. 1. 1. Cor. 13.

Summa Dei caritas in homines. Ejus pignora Sanguis Chriſti, & donum Spiritus ſancti.

S. Auguſt. Serm. 142. alias 50. De Verbis Dom. & 34. ex Homil. 50.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 148. num. 8.

„ pro

„ pro te . . . . . Iodoit ſe ubi pro te moreretur, „ induit te ubi cum illo vivas. Ubi ſe induit morte? In virginitate Matris. Ubi te induet vita? „ in æqualitate Patris . . . . Quiddam noſtrum jam „ ſurſum eſt, quod hic accepit, ubi mortuus eſt, „ ubi crucifixus eſt. Jam quædam primitiæ tuæ „ præceſſerunt, & dubitas quia ſecuturus es?

11. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Non ſolum gloriamur in ſpe gloriæ quam in futuro exſpectamus, ſed etiam in hoc quod ſumus nunc Deo conjuncti per fidem & caritatem: non ex nobis, ſed in Deo; nec per nos; nihil enim ex nobis nos eſſe, nihil ex nobis poſſe, nihil per nos ipſos & ex nobis mereri certo ſcimus; ſed per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem etiam nunc reconciliati ſumus Deo, ac de inimicis amici facti ſumus. Teſtimonium quippe reddit Spiritus ſanctus ſpiritui noſtro per caritatem quam in cordibus noſtris diffundit, & per communionem paſſionum Chriſti quam in nobis operatur, nos eſſe Dei filios, & hæredes aliquando futuros, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Peccatum originale. Pœnalitates ex peccato conſecutæ, & mors ipſa, in ſacrificium convertendæ ſunt.

12. 13. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Peccatum originale, quamvis Baptiſmo in regeneratis omnibus deletum ſit actu, ita ut nihil ſit damnationis iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, manet tamen quodam modo reatu, quia juſtitiæ divinæ propter illud ſumus ſemper obnoxii in pœnalitatibus hujus vitæ, mortiſque ſupplicio, cujus lata in nos ſententia eſt. Hujus exſpectatione ſuſpenſi, quomodo mundi voluptates deguſtare poſſumus? Quomodo non ingemiſcimus ob peccatum, longe magis horrendum, & timendum quam mortem, quæ illius ſtipendium & pœna eſt? Pœnalitates & calamitates hujus vitæ, morbos, mortem ipſam, per Dei gratiam in bonum convertamus, & pœnam in ſacrificium per amorem pœnitentem mutemus, ut honoretur Deus expiatione peccati, & ſalvetur homo punitione peccatoris . . . *Per unum hominem* univerſa maſſa perditionis facta eſt poſſeſſio perditoris. Nemo itaque, nemo prorſus inde liberatus eſt; aut liberatur, aut liberabitur, niſi gratia Redemptoris. Quotidie gratias agamus Domino Deo noſtro, qui nos ab originali peccato per Baptiſmum liberavit: & hæreditario illo peccato fœliciter ſoluti, propriæ voluntatis & actionis peccatis ne nos implicemus, quæ nos gravioribus ſuppliciis obnoxios faciunt. Si enim *regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ,* quis dubitet eos æterna morte plectendos, qui non ſolum legem naturæ omnium animis impreſſam, non ſolum legem ſcriptam digito Dei, & Moyſi datam miniſterio Angelorum, ſed legem Evangelicam a Jeſu Chriſto Dei Filio latam, prædicatam, miraculis confirmatam, ejus ſanguine ſancitam & ſigillatam violaverint, pretioſum ejus ſanguinem conculcaverint, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerint?

S. Auguſt. lib. De peccato orig. c. 29.

S. Auguſt. ob. l. cap. 24.

„ 14. *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen,* „ &c. Quia non eam potuit vincere nec lex data „ per Moyſen; non enim data eſt quæ poſſet vivificare, ſed quæ mortuos, quibus vivificandis gratia „ eſſet neceſſaria, non ſolum peccati propagatione „ & dominatione proſtratos, verum etiam ipſius legis addita prævaricatione convictos, deberet oſtenderet; non ut periret quiſquis hoc Dei miſericordia etiam tunc intelligeret, ſed ut per regnum „ mortis ad ſupplicium deſtinatus, etiam ſibi ipſi „ per prævaricationem legis manifeſtatus, Dei quæreret adjutorium, ut ubi abundavit peccatum, „ ſuperabundaret gratia, quæ ſola liberat a corpore „ mortis hujus. Quamvis ergo nec lex per Moyſen „ data potuerit a quoquam homine regnum mortis „ auferre: erant tamen & legis tempore homines „ Dei, non ſub lege terrente, convincente, puniente; ſed ſub gratia delectante, ſanante, liberante. „ Heu, quot nunc non ſolum ſub gratia non vivunt, ſed ne quidem ſub lege? Quot per ignorantiam legis Evangelicæ, & divinorum Mandatorum, officiorumque Chriſtianæ vitæ, Deum offendunt? Nolunt intelligere ut bene agant: adeo cæci, ut nec per legis prævaricationem, & regnum peccati in ſemetipſis, ſuam miſeriam cognoſcant, nec Dei gratiam implorent, quæ ſola illud deſtruere poteſt. Plures, Judæorum inſtar, ſub lege ſunt terrente, non ſub gratia delectante; qui Dei legem utcumque obſervant timore pœnæ, non delectatione juſtitiæ, mori & ardere in æternum magis metuentes, quam peccare & Deo diſplicere.

Lex regnum mortis auferre non potuit.

Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, &c. Ab *Nat. Alex. in Epiſt. D. Pauli Tom. I.*

Adam enim uſque ad Moyſen, & toto deinceps tempore legis uſque ad Chriſtum, genus humanum vixit ex corpore, id eſt ſecundum carnem, „ qui etiam *exterior, & vetus homo* dicitur, & cui vetus Teſtamentum datum eſt, ut quamvis religioſis, tamen „ carnalibus adhuc operationibus futura ſpiritalia „ præſignaret. Hoc toto tempore quo ſecundum corpus vivebatur, *regnavit mors etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Illud autem, *uſque ad Moyſen* accipiendum eſt, quo uſque „ Legis opera, id eſt carnaliter obſervata illa ſacramenta, etiam eos obſtrictos tenuerunt certi myſterii gratia, qui uni Deo ſubditi erant. Ab adventu autem Domini, ex quo ad circumciſionem „ cordis a carnis circumciſione tranſitum eſt, facta „ vocatio eſt, ut ſecundum animam viveretur, id eſt *ſecundum interiorem hominem,* qui etiam *novus homo propter regenerationem dicitur, morumque ſpiritualium innovationem.* Niſi igitur ſecundum interiorem hominem, & ſecundum Spiritum vivamus, niſi morum novitate oſtendamus nos veteris hominis actus & affectus exuiſſe, ad Novum Teſtamentum non pertinemus, & in nobis in ſimilitudinem prævaricationis Adæ peccantibus, & in ſimilitudinem diaboli in peccato obfirmantis, & non pœnitentibus, mors ſine fine regnabit.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſ. . . Expoſ. 4.

Coloſſ. 3. 10.

15. 16. *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* „ In cauſa duorum hominum, „ quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato, „ per alterum redimimur a peccatis; per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam; quorum ille nos in ſe perdidit „ faciendo voluntatem ſuam, non ejus a quo factus „ eſt; iſte nos in ſe ſalvos fecit, non faciendo voluntatem ſuam, ſed ejus a quo miſſus eſt: in horum (inquam) duorum hominum cauſſa proprie „ fides Chriſtiana conſiſtit. Sic primus Adam eſt *forma futuri;* ſed Chriſti gratia efficacior eſt ad ſalvandum, quam Adami peccatum ad perdendum. Peccatum enim procedit ex infirmitate voluntatis humanæ; gratia vero ex immenſitate bonitatis divinæ, quæ hominis voluntate infinities potentior eſt. *Sed non ſicut delictum, ita & donum.* Homo per ſe ipſum dona Dei deſtruere poteſt: ſolus Deus perdita & extincta reparare poteſt. Peccatum juſtitiam originalem in Adamo & poſteris ejus deſtruxit: Gratia Chriſti hoc peccatum & alia innumera, quæ Adami poſteri propria voluntate ſuperaddiderunt, condonat, delet, deſtruit; juſtitiam victrici & triumphanti modo reparat, abundantiorem impertit in ea perſeverare facit, gloria & immortalitate coronat in cælis. „ Gratiam acceperat Adamus, „ quam ſi per liberum non deſeruiſſet arbitrium, „ ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus „ eſt. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet; „ non quo fieret ut vellet. „ Hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primo Adam; ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua „ fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit: ſecunda „ ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit, & „ tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis „ voluntatem contraria concupiſcentem voluntate „ ſpiritus vincat.

S. Auguſt. lib. De Peccato Origin. c. 24.

In Cauſa duorum hominum, Adami & Chriſti, fides Chriſtiana propriè conſiſtit.

S. Auguſt. lib. De correptione & gratia, c. 11.

17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.* Extremæ hominis indigentiæ Dei in miſericordia divitiis reſpondet abundantia, de cujus plenitudine omnes accepimus: *Abundantiam.* Indignitati noſtræ reſpondet gratia; dimiſſionem quippe peccati nulla merita præcedunt: *Gratia.* Impotentiæ noſtræ, quippe qui nihil boni ex nobis, quaſi ex nobis velle & operari poſſimus, reſpondet donatio: *& donationis.* Iniquitatibus noſtris reſpondet *juſtitia;* ſeu rectitudo operum: *& juſtitiæ.* Morti, quæ pœna peccati eſt: reſpondet vita, cujus ad regnum æternum regno mortis oppoſitum Chriſtus Jeſus nos ſuſcitabit: *in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.* Væ illis qui egeſtatem ſuam, miſeriam, indignitatem, impotentiam, peccata non agnoſcentes, abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ pœnitentis animi gemitibus non implorant. Væ illis qui ſe juſtos exiſtimant, quia exteriora legis opera faciunt, cum Evangelii ſpiritum, ſcilicet caritatem non habeant. *Dicis, Dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Hi abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ, quam ſolis humilibus dat Deus, non accipient. Væ illis qui mortem & ſervitutem peccati magis amant, quam vitam & regnum Jeſu Chriſti.

Abundantia gratiæ nobis per Chriſtum partæ & donatæ.

Apocal. 3. 17.

E 18. *Igi-*

Digitized by Google

Primi & ſecundi Adami comparatio.

18. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Primam juſtitiam in baptiſmo accepimus, ubi depoſitis veteris Adami exuviis Chriſtum induimus, juſtitiæ ejus participes facti. Illam pia humilitate, & gratiarum actione perenni conſervare ſtudeant, qui ita fœlices ſunt ut nondum ab illa exciderint: pœnitentiæ actione reparare ſatagant, qui illam infeliciter amiſerunt. Sola enim juſtitia vel conſervata, vel reparata perducit ad vitam. Illius autem ſive primam donationem, ſive reparationem, incrementum, & futuram in gloria conſummationem; uni Mediatori Chriſto Jeſu debemus. Non eſt enim aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri. *Sic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Illi ergo inſeparabiliter adhæreamus, ut palmites veræ viti, ut in illo vitam habeamus, & abundantius habeamus.

Obedientiæ bonum.

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Inobedientia quaſi univerſale peccatum eſt, quod in ceteris peccatis invenitur, cum ſint tranſgreſſiones divinæ legis. Obedientia omnium virtutum anima & perfectio eſt: niſi enim vero Deo ſerviant & ſubditæ ſint, veræ virtutes eſſe non poſſunt. Voluntas Dei, & propria voluntas hominis, duo fontes ſunt; illa virtutum, hæc vitiorum: illa regnum Dei, hæc regnum peccati conſtituit: illa religionem fundat, hæc idololatriam, illa fœlicitatem, iſta miſeriam æternam. „ Obedientia in omni rationali creatura omnis juſtitiæ origo eſt atque perfectio; ita ut duorum hominum, id eſt, Adam qui fuit caput mortis noſtræ, & Chriſti qui eſt caput ſalutis noſtræ, hæc commendetur maxima diſtinctio, quia ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per obedientiam unius hominis juſti conſtituentur multi... Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedentia invenit pœnam. *Obediamus Chriſto Domino noſtro, qui uſque ad mortem obediens factus eſt, ut nos juſtos conſtitueret.* Nihil enim tam expedit animæ, quam obedire. Et ſi expedit animæ obedire in ſervo ut obediat domino, in filio ut obediat patri, in uxore ut obediat viro; quanto magis in homine ut obediat Deo? Expertus ergo malum Adam, omnis autem homo Adam, ſicut in his qui crediderunt omnis homo Chriſtus, quia membra ſunt Chriſti: expertus ergo malum, quod non debuit experiri, ſi crederet dicenti, Noli tangere: expertus ergo malum, poſtea ſaltem obtemperet præceptis Medici ut ſurgat, qui noluit credere Medico ut non ægrotaret.

S. Auguſt. in Pſal. 71. n. 6. & in Pſal. 70. Serm. 2.

20. *Lex autem ſubintravit ut abundaret delictum.* Quid eſt, ut abundaret delictum? Quia *ubi gratia non erat, auxit prohibitio deſiderium; & cum quaſi de propria præſumitur virtute, factum eſt grande vitium.* Sed *Ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia.* Venit Dominus; *totum quod de Adam traxiſti; totum quod tuis pravis moribus addidiſti, totum dimiſit, totum delevit; orationem docuit, gratiam promiſit; certamen indixit, laboranti ſubvenit, victorem coronavit.* Lex quidem, quantum in ſe eſt, peccatum prohibet. Unde Propheta ait: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Sed lege data peccatum auctum eſt, quia concupiſcentia magis exarſit triplici ratione. 1. Quia quod ſubjacet hominis poteſtati ab illo parvi-fieri ſolet; quod vero extra ejus poteſtatem eſt, magni-fieri conſuevit. Prohibitio potro rei quæ concupiſcitur ponit illam quaſi extra hominis poteſtatem: & ideo concupiſcentia magis exardeſcit in rem concupitam quæ prohibetur. 2. Quia interiores affectiones quando interius retinentur, ita ut non deriventur exterius, magis incenduntur, ut patet in dolore & ira: ſi autem exterius quoquo modo prodeant, vis earum minuitur. Prohibitio autem propter timorem pœnæ refrænat concupiſcentiam ne exterius prodeat & opere conſummetur: ideoque interius retenta concupiſcentia magis inflammatur. 3. Quia quod non eſt prohibitum, apprehendimus, ut poſſibile nobis quotieſcumque placuerit; & ideo multoties data etiam opportunitate, illud vitamus: ſed cum aliquid prohibitum eſt, ita apprehenditur a nobis quaſi eo frui ſemper non poſſimus: ideo opportunitate data illud conſequendi, illoque impune fruendi, in illud majori propenſione ferimur. Ideo data lege, quæ concupiſcentiæ uſum & opera prohibebat, & tamen concupiſcentiam non moderabatur, ipſa concupiſcentia homines ferventiori impetu ad peccatum impellebat. Hinc peccatum abundavit, quia *Lex non implebatur timore, quæ non impletur niſi caritate.* Utinam Chriſtianorum parti longe majori lex Evangelica non eſſet occaſio peccati & ruinæ, ob pravam eorum diſpoſitionem, ob regnantem in illis concupiſcentiam! Littera enim Evangelii edocti, avaritiam, ambitionem, impudicitiam, vindictam, ceteraque vitia ſibi prohibita eſſe noverunt: ſed quia Evangelii ſpiritum in ſe extinxerunt, in illis magis exardeſcunt cupiditates, abundatque peccatum; a quo etſi cohibeantur interdum timore gehennæ, non tamen amore juſtitiæ: & ideo magis rei quotidie fiunt, adeo ut de illa malorum Chriſtianorum turba jure merito dici poſſet a Domino: *Iſta eſt Jeruſalem, in medio Gentium poſui eam, & in circuitu ejus terras. Et contempſit judicia mea, ut plus eſſet impia quam Gentes.*

S. Auguſt. Serm. 163. alias 3. De verbis Apoſtoli. c. 10.

Pſal. 118.

S. Thomas Lect. 6.

Lege data, concupiſcentia magis exarſit: triplici ratione.

S. Auguſt. Quæſt. 168. in Exodum.

Ezech. 5. 56.

21. *Ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* „ Oſtendit Apoſtolus peccatum loco regis fuiſſe, mortem autem loco militis ſub peccato in acie ſtantem, & ab illo armatam. Porro ſi peccatum mortem armavit, perſpicuum eſt quod juſtitia per gratiam advecta, quæ peccatum idem tollit, mortem armis ſpoliat, illiuſque regnum omne diſſolvit, ad immortalem ac ſempiternam vitam nos perducens. Horum autem bonorum conciliator nobis Chriſtus eſt. Ne igitur de vita dubita, cum juſtitiam habeas. Et enim juſtitia melior eſt vita, quandoquidem illius parens eſt. Nos quidem a morte temporali in præſenti ſæculo non eripit juſtitia per Chriſtum data; ſed ipſa mors non jam omnino malum eſt, ſed quodam modo bonum; nobiſque prodeſt per Chriſti gratiam ad ipſius peccati deſtructionem. „ Nunc vero majore & mirabiliore gratia Salvatoris in uſus juſtitiæ peccati pœna converſa eſt. Tunc dictum eſt homini: Morieris, ſi peccaveris: nunc dicitur Martyri: Morere, ne pecces. Tunc dictum eſt, Si mandatum tranſgreſſi fueritis, morte moriemini: nunc dicitur: Si mortem recuſaveritis, mandatum tranſgrediemini. Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur; nunc ſuſcipiendum eſt, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei miſericordiam & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit juſti meritum etiam ſupplicium peccatoris. Tunc enim mors eſt acquiſita peccando, nunc impletur juſtitia moriendo. Verum hoc in ſanctis Martyribus, quibus alterutrum a perſecutore proponitur, ut aut deſerant fidem, aut ſufferant mortem. Juſti enim malunt credendo perpeti, quod ſunt primi iniqui non credendo perpeſſi. Niſi enim peccaſſent illi, non morerentur; peccabunt autem iſti, niſi moriantur. Mortui ſunt ergo illi quia peccaverunt: non peccant iſti, quia moriuntur. Factum eſt per illorum culpam, ut veniretur in pœnam: ſit per iſtorum pœnam, ne veniatur in culpam: non quia mors bonum aliquod facta eſt, quæ antea malum fuit: ſed tantam Deus fidei præſtitit gratiam, ut mors quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret per quod tranſiretur ad vitam. Ut ſicut peccatum regnavit in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum... *MORS ſapientia naturæ finis ſed culpa eſt... Per vitam ad mortem eſt tranſitus, per mortem ad vitam eſt reditus.*

S. Joan. Chryſ. Hom. 10.

Mors bonum juſtis.

S. Aug. lib. 13. De Civit. Dei, c. 4.

S. Ambroſius Enarr. in Pſ. 61. n. 19. & lib. De bono mortis, c. 6.

CAPUT VI.

Senſus Litteralis.

℣. 1. *QUid ergo dicemus?* Objectionem ſibi proponit Apoſtolus, cui locum dediſſe quodam modo videbatur, docens, ex Dei miſericordia & Chriſti Jeſu meritis ſuperabundaſſe gratiam, ubi peccatum abundaverat; & peccatores gratis juſtificatos, nulla operum fidem præcedentium habita ratione. *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* An perſeverandum in peccato cenſebimus, ſive curſus peccato ſerviendum poſt vocationem, poſt baptiſmum, poſt juſtificationem noſtram, ut ſuæ gratiæ virtutem Deus in nobis amplius commendet, & ſuam iterum miſericordiam majore cum gloria in nos exerceat? *Abſit.* Abſurda eſt & deteſtabilis illatio. Sicut enim perabſurdum eſt ideo velle ægrotare, ut ars & peritia Medici magis inclareſcat: ita ſummæ dementiæ eſt, velle adhuc peccare, ut miſericordia & gratia Dei magis commendetur. *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Peccatum hic ſumitur dativo, non ablativo caſu, ut *Galat.* 2. 19. mortuum eſſe Legi, id eſt non amplius ſecundum Legem vivere, metaphorica locutio eſt. Sicut enim mortuus dicitur qui functiones &

ope-

Digitized by Google

operationes vitæ non habet, quas ante habuit; ita qui liberati ſunt a peccato per Chriſti gratiam, dicuntur peccato mortui, quia peccatum in illis extinctum ac omnino deletum eſt, nullas jam operationes habet; nihil jam commercii illis eſt cum peccatis, quemadmodum vivis nullum eſt cum mortuis commercium. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Indignum certe eſt ut iterum peccato ſerviamus.

Baptiſmus imago eſt mortis & ſepulturæ Chriſti, ejuſque reſurrectionis.

3. *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Quicumque in baptiſmo nomen Chriſto dedimus, & myſtico ejus corpori inſiti ſumus, baptiſmo noſtro Chriſti mortem repræſentavimus immerſi & velati ſepulti ſub aqua: & quod mors Chriſti corpori, hoc baptiſmus fuit peccato in nobis viventi & regnanti. Quicumque baptiſmo a Chriſto Jeſu inſtituto, & fidem ac doctrinam Chriſti profitendo baptizati ſumus, virtute mortis ejus, & in fide mortis ejus, ac reſurrectionis baptizati ſumus. Ex hoc loco demonſtratur, parvulos qui baptizantur in Chriſto, peccato mori: cui vero peccato moriantur, niſi quod naſcendo traxerunt? a

a S. Auguſt. cont. Julian. & alibi paſſim.

4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.* Ipſo baptiſmi ritu, noſtri ſcilicet corporis in aquam immerſione, Chriſti ſepulturam expreſſimus, ut per baptiſmum peccato moreremur, ſive ut peccatum in nobis extingueretur vi ſancti baptiſmatis ex Chriſti morte derivata. *Ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris*, id eſt, vi Divinitatis ſuæ, quæ eadem eſt ac Patris, *ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Ut ſicut Chriſtus poteſtate Patris ac ſua ad vitam glorioſam & immortalem reſurrexit ita & nos poſtquam ex aquis baptiſmi emerſimus, novam vitam inſtituamus.

Theodoret. in hunc locum.

5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus; ſimul & reſurrectionis erimus.* Si enim inſiti ſumus Chriſto, ut palmites viti, per baptiſmum, qui mortis ejus ſimilitudo eſt, ſicque mortis ejus participes facti ſumus, moriendo peccatis: & ſimilitudine reſurrectionis ejus in baptiſmo etiam expreſſa illi inſiti, ejuſdem reſurrectionis participes eſſe debemus, adeoque in novitate vitæ ambulare, ut Chriſto reſurgenti ſpiritu conformemur.

Coloſſ. 2. 14. *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.*

6. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt*, certi enim ſumus vetuſtatem & corruptionem peccati Chriſti morte ſublatam, maculam ejus abſterſam, reatum abolitum, fomitem mortificatum. (Confer cum Coloſſ. 2. 14.) *Ut deſtruatur corpus peccati*, ut malorum operum congeries, ut peccatorum omne genus; ut conſuetudo peccandi, quæ eſt veluti compages quædam multis vitiis quaſi membris conſtans, deſtruatur in nobis; *ut ultra non ſerviamus peccato*, præbendo conſenſum pravis concupiſcentiis, & quæ ſuggerunt opere complendo. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt*, typice. Veteris enim hominis crucifixio ſignificata eſt in cruce Domini, ſicut & novi hominis inſtauratio in reſurrectione ipſius. De veteri enim homine, cujus ſimilitudinem Chriſtus in cruce pendens geſſit, dictum eſt a Moyſe, *Maledictus a Deo eſt qui pendet in ligno.* Propterea dicitur factus pro nobis *peccatum, & maledictum*, & quod in eo *poſuit Deus iniquitatem omnium noſtrum, & iniquitates noſtras portabit.*

S. Aug. in Expoſit. propoſit. 32. ex Epiſt. ad Romanos. Deuter. 21. 23. 2. Cor. 5. 21. Galat. 3. 13. Iſaiæ 53. 6. & 11.

7. *Qui enim mortuus eſt* vitæ veteri per baptiſmum quo Chriſto commorimur, *juſtificatus eſt a peccato*, remiſſis peccatis translatus eſt ad ſtatum juſtitiæ: abſolutus eſt a peccatis. Sumpta locutio a judiciis forenſibus, ubi qui abſolvebantur, juſtificari dicebantur, ita ut de eodem crimine accuſari non poſſent. Syriacus vertit: *Is enim qui mortuus eſt, liberatus eſt a peccato.* Unde conſequens eſt ut illi ultra non ſerviat poſt baptiſmum.

8. 9. 10. 11. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto.* Si vere mortui ſumus peccatis, quemadmodum Chriſtus ad illorum expiationem vere mortuus eſt, *credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto:* Mores noſtros vitæ novæ Domini noſtri conformantes in præſenti, ut in futuro vitæ illius glorioſæ & immortalis participes ſimus. *Scientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* Chriſtus a morte ſuſcitatus, non moritur amplius: *Mors illi ultra non dominabitur;* ſive ſecundum vim Græci Textus, *non dominatur. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel:* Quantum enim attinet mortem quam pro peccato ſubiit, id eſt ad noſtra peccata expianda, deſtruenda, exhaurienda, una vice pro omnibus mortuus eſt, unica morte pro omnibus ſatisfecit; ideo non eſt neceſſe ut iterum moriatur: *Quod autem vivit*, jam excitatus a morte, *vivit Deo*, vivit ex *virtute Dei*; vitam Deo dignam & immortalem præſtantis. *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe*

2. Cor. 13. 4.

peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Ita conſiderate vos tamquam mortuos peccato per baptiſmum, viventes autem propter Deum, cui uni ſervire debetis, quod per gratiam Chriſti Jeſu conſecuti eſtis; ſive, quod Chriſtus Jeſus Dominus noſter ſuo jure a nobis exigit.

12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Ne igitur concupiſcentia in renatis manens ad agonem, quæ *peccatum* dicitur, & *lex peccati*, quia ad peccatum inſtigat atque ſollicitat, vobis dominetur quamdiu corpus mortale geritis, quod aggravat animam. Date operam ne peccatum dominium jam amiſſum in vobis recuperet. Quod ne fiat, pravis cupiditatibus ad peccatum illicientibus morem ne geratis, ne ad illicita conſentiatis.

S. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 13. Serm. 155. alias 45. De Verbis Domini, Serm. 30. alias De verbis Apoſt. 22. cap. 4. Serm. 155. alias 6. De Verbis Apoſt. Concil. Trident. Seſſ. 5. can. 5. Theodor.

13. *Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* Cum Apoſtolus de peccato & juſtitia velut duobus regibus, ſingulis ſuum regnum ac dominium, alterum alteri inimicum habentibus locutus ſit, utriuſque arma commemorat, parandæque victoriæ rationem docet. Ne exhibeatis membra veſtra peccato in obſequium velut arma & inſtrumenta quibus adverſus vos ipſos militet, vel quibus ad regnum ejus ſtabiliendum ipſi militetis, iniqua opera facientes: *ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes:* ſed vos totos Deo devovete & in obſequium date; ſicut facere convenit eos, qui per ipſius gratiam a morte peccati ſunt in vitam novam ſuſcitati: *& membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* Et membra veſtra Deo conſecrate ut illi ſerviant & militent armorum inſtar ad omnia juſtitiæ & virtutis cujuſvis opera.

14. *Peccatum enim vobis non dominabitur:* non tantæ ſunt peccati vires ad vos debellandos, quantæ olim fuere tempore Moſaicæ Legis. *Non enim ſub Lege eſtis, ſed ſub gratia.* Non eſtis ſub ſervitute Legis, exigentis a vobis ſui obſervantiam, nec ad præcepta ſua implenda adjuvantis: ſed ab ea tranſlati eſtis ad gratiam Chriſti per baptiſmum & fidem Jeſu Chriſti: a quo *juſtum adjutorium* ſperare debetis ad reſiſtendum peccato, niſi arma juſtitiæ ignave abjicientes, illi vos ultro dedatis. Sub Lege eſt homo, *cum per legem cognitione facta peccati, & nondum divino adjuvante Spiritu, ſecundum legem volens vivere vincitur, & ſciens peccat, peccatoque ſubditus ſervit.* A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt: *ad agendum ſcientia mandati, ut peccatum operetur in homine omnem concupiſcentiam, cumulo prævaricationis adjecto, utque ita quod ſcriptum eſt impleatur: Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Sub gratia vero eſt, *ſi reſpexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipſo adjuvante credatur, & agi homo cœperit Spiritu Dei; tunc ſcilicet concupiſcitur adverſus carnem fortiore robore charitatis: ut quamvis adhuc ſit quod homini repugnat ex homine, nondum tota infirmitate ſanata, ex fide tamen juſtus vivat, juſteque vivat, in quantum non cedit malæ concupiſcentiæ, vincente delectatione juſtitiæ.*

S. Auguſt. Enchirid. cap. 118. 2. Petri 2. 19.

15. 16. *Quid ergo? Peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit.* Objectionem ſibi proponit & ſolvit Apoſtolus. Ideo-ne dicemus, Pergamus vitiis indulgere, quia ſub lege non ſumus, & remiſſionem habemus paratam per gratiam quam lex non dabat? Abſit ut id vel cogitemus. *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam?* An ignoratis quod quicumque ſe tradit alicui ad obediendum, illius ſervus efficitur? Diverſo tamen ſtipendio diverſis dominis obeditur. Qui enim obedit peccato, per ejus ſervitutem ducitur ad mortem ſecundam, ad damnationem æternam: qui vero obedit Deo, hujus obedientiæ ſervus feliciter evadit, quia obediendi aſſuetudine animus ejus magis ac magis ad obediendum inclinatur; & hac ſalutari obedientia quam divinis mandatis delectabiliter exhibet, juſtitiam implet. Ideo autem *obeditionem* opponit peccato, quia peccatum eſt cœleſtium inobedientia mandatorum.

Servitus peccati mortem, obedientia juſtitiæ vitam & libertatem affert.

17. 18. *Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.* Gratias habeo & ago Deo, quod cum eſſetis ſervi peccati, miſericordia ejus vos præveniente & vocante obediſtis ex animo doctrinæ Evangelii, ſecundum eam formam & regulam ad quam inſtituti eſtis. *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Sic a peccato liberati, cujus probroſæ ſervituti addicti eratis, tranſlati eſtis ad glorioſam & ſuavem juſtitiæ, id eſt omnigenæ virtutis ſervitutem.

19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ.* Quod a vobis exigo, ne grave, difficile, aut a ra-

tione & humanitate alienam exiſtimetis. Ad humanæ enim infirmitatis & conditionis menſuram me *attempero*, remque vobis præſcribo rationi maxime convenientem, humanæ imbecillitati congruam. *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Sicut tradidiſtis membra corporis veſtri ad ſerviendum fornicationi, aliiſve peccatis carnalibus, & injuſtitiæ corde conceptæ, ad iniquitatem opere perpetrandam: ita nunc pari ſaltem ſtudio præbete membra veſtra velut organa ad ſerviendum juſtitiæ in Evangelio propoſitæ per bona opera, ad perficiendum negotium ſanctificationis veſtræ, quæ Dei voluntas eſt. Tertullianus lib. *De Reſurrect. carnis* c. 47. legit: *Ita nunc exhibete membra veſtra famula juſtitiæ.*

20. 21. 22. *Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.* Quando ſerviebatis peccato, liberi eratis a præclara & votis omnibus expetenda ſervitute juſtitiæ: liberi, inquam, maleſana libertate, juſtitiæ fræno vos minime coercente ne in omne genus vitiorum præcipites rueretis.

Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Quem fructum, quam utilitatem tunc reportaſtis ex operibus peccati, quæ nunc vos commiſiſſe pudet? *Nam finis illorum mors eſt.* Illorum operum exitus & merces, mors temporalis & æterna. Utramque merentur, qui hæc agunt. Cum enim anima Deum a ſe ſeparat, dignum eſt ut ab ea corpus ſeparetur, quæ mors prima eſt: & cum ad tempus vult a Deo ſeparari propter delectationem peccati, dignum eſt ut ab eo æternum ſeparetur, quæ eſt mors ſecunda. *Nunc vero liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Nunc vero a dominio peccati, cui ſerviebatis, liberati, & Deo mancipati ſpontanea fœlicique ſervitute, fructum excellentiſſimum ex illa ſervitute percipitis, ſanctimoniam ſcilicet ac vitæ munditiam: finem vero habetis vitam æternam. Finem fini opponit, morti vitam, nec brevem & tranſitoriam, ſed immortalem & æternam.

S. Thomas, Lect. 4.

23. *Stipendia enim peccati mors.* Peccatum hic per proſopopeiam repræſentat Apoſtolus ut regem ſeu potius tyrannum, qui ſuis militibus ſtipendium reddit. Stipendia, ſeu (quæ vis eſt Græci Textus) *obſonia*, merces peccati, mors eſt. *Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Græce, τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, donum, ſeu potius *donativum Dei*, quo nomine Tertullianus utitur lib. *De Reſurrectione carnis, cap.* 47. Idque nomen ſtipendio aptiſſime reſpondet. Solent quippe Reges egregiis militibus præter ſtipendium dare coronas, laureas, honores. His donativis comparat Apoſtolus vitam æternam, non quod non detur bene meritis, ſed quod ſit multo major meritis. Noluit autem Apoſtolus vitam æternam vocare ſtipendium juſtitiæ ſeu bonorum operum mercedem, ſed gratiam Dei, tum quia omnis dignitas, omne meritum operum ex gratia eſt, & ex Dei beneplacito ac promiſſione, non ex ipſorum natura; tum quia prædeſtinatio electorum ad vitam æternam omnino gratuita eſt, & a prævifione meritorum, quæ Deus in illis creat & coronat, independens. Vitam porro æternam, omneſque gratias ad illam perducentes, per Chriſti Jeſu Domini noſtri merita Deus nobis tribuit. S. Auguſtinum legere convenit, tum Enchiridii cap. 107. tum aliis in locis, ubi poſtremum iſtum Verſum exponit. *Ipſam* (inquit) *vitam æternam, quæ certe merces eſt operum bonorum, gratiam Dei appellat Apoſtolus:* ,, Stipendium enim, *inquit*, peccati mors: ,, Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu ,, Domino noſtro. *Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideo dixit*, Stipendium peccati mors; *ut mortem peccato non immerito illatam, ſed debitum demonſtraret. Gratia vero niſi gratis eſt, gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur etiam ipſa hominis bona merita eſſe Dei munera; quibus cum vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur?*

Obſonia proprie ſunt, quæ ad panem veſcenda dantur. Olim ſpecies, quæ dabantur militi, poſtea pro eis pecunia data eſt. Tertull. ſic reddit hunc locum: Stipendia enim delinquentiæ mors; donativum autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

CAPUT VI.

SENSUS MORALIS.

1. 2. Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit. Doctrina gratiæ humiliat & ædificat Dei filios; verum Adami filiorum, id eſt peccatorum qui ea doctrina abutuntur, ſuperbiam & ignaviam per accidens alit. Dicunt enim operibus, ſi minus lingua, Permaneamus in peccato, ut gratia abundet. Quaſi rationis humanæ præſumptio, & affectio peccati diſpoſitiones ſint, non vero impedimenta gratiæ. *Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Hinc eſt, cum id præſtiterit gratia, ut moreremur peccato, quid aliud agimus, ſi vivamus in eo, niſi ut gratiæ ſimus ingrati? ,, Neque enim qui laudat ,, beneficium medicinæ, prodeſſe morbos dicit & ,, vulnera, a quibus illa hominem ſanat: ſed quanto majoribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis vituperantur & horrentur vulnera & ,, morbi, a quibus liberat quæ ita laudatur. Sic ,, laus & prædicatio gratiæ vituperatio & damnatio eſt delictorum. Demonſtranda enim fuerat homini fœditas languoris ejus, cui contra iniquitatem ſuam nec præceptum ſanctum & bonum ,, profuit, quo magis aucta eſt iniquitas quam minuta; quandoquidem Lex ſubintravit ut abundaret delictum; ut eo modo convictus, atque confuſus, videret non tantum doctorem ſibi eſſe ,, neceſſarium, verum etiam adjutorem Deum, a ,, quo ejus itinera dirigantur, ne dominetur ei ,, omnis iniquitas, & confugiendo ad opem divinæ ,, miſericordiæ ſanetur: atque ita ubi abundavit ,, delictum, ſuperabundet gratia, non peccantis ,, merito, ſed ſubvenientis auxilio. In doctrina gratiæ ita medium teneatis, ut nec ad dexteram, ,, nec ad ſiniſtram declinetis. Quicumque dicit, ,, Voluntas mea mihi ſufficit ad facienda opera bona, declinat in dexteram. Sed qui putant bonam vitam eſſe deſerendam, quando audiunt ſic ,, gratiam prædicari, ut credatur, & intelligatur ,, voluntates hominum ipſa ex malis bonas facere, ,, ipſa etiam quas fecerit cuſtodire, & propterea ,, dicunt *Faciamus mala, ut veniant bona*, in ſiniſtram declinant. Ideo vobis dixit, *Ne declinetis in dexteram, neque in ſiniſtram*: Hoc eſt, *Non ſic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera ſine Dei gratia tribuatis; nec ſic defendatis gratiam, ut quaſi de illa ſecuri, mala opera diligatis; quod ipſa gratia Dei avertat a vobis. Talium quippe verba ſibi proponens Apoſtolus ait*: Quid *ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* Atque his verbis hominum errantium, & Dei gratiam non intelligentium, reſpondit ut debuit: *Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivimus in illo?* Nihil potuit dici brevius & melius. *Quid enim nobis gratia Dei utilius confert in hoc præſenti ſæculo maligno, niſi ut moriamur peccato? Ac per hoc ipſi gratiæ invenitur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur peccato.*

superbiam & ignaviam per accidens alit.

S. Auguſt. lib. De Spiritu & Littera, c. 6.

Pſal. 118. 133

S. Auguſt. Epiſt. 215. alias 47. ad Valentinum ejuſque monachos.

Rom. 3. 8.

Proverb. 4. 26.

Qui cum mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Primus gratiæ baptiſmalis effectus eſt ut peccato moriamur, ita ut mens noſtra, cor noſtrum, ſenſus noſtri non magis illi vivant, non magis ad illud afficiantur, non magis ad illud moveantur, quam mortui ad res hujus mundi afficiuntur, & moventur. Peccata in fonte baptiſmatis Chriſti ſanguine conſecrato ſubmerſa ſunt, ut Pharao & Ægyptii Iſraelitas perſequentes ſubmerſi ſunt in Mari Rubro, mortui ſumus ipſi peccato per Sacramentum regenerationis: cum itaque mortui ad vitam non redeant, quomodo adhuc in peccato vivamus? Quomodo veterem hominem adhuc induemus, poſtquam illum in Baptiſmo exuimus? Quomodo loti & mundati a ſordibus delictorum, nos ipſos adhuc inquinabimus? Dicamus cum Sponſa: *Exſpoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Dicamus cum Propheta: *Non moriar, ſed vivam & narrabo opera Domini.* Sæculi pompis, vanitati, laudum humanarum amori, voluptatibus omnibus, & cupiditatibus ſæculi, quibus in baptiſmo renuntiavimus, mortui penitus eſſe debemus. Parere deſideriis peccati, hoc eſt vivere peccato: non parere deſideriis ejus, eſt mori peccato. Naturalis cibi & potus appetitus ineſt carni, quem intra certam ſufficientiæ ac neceſſitatis menſuram contineri divina lex jubet: Hanc ſi quis exceſſerit illiciente & trahente concupiſcentia, in crapulam ac temulentiam ruit, peccato vivit. Propagandi generis appetitus naturalis ineſt carni, ſed ſi a finibus lege divina præſcriptis declinetur, ſi matrimonii jura violentur, ſi libidinis motibus ad illicita conſentiatur, peccato vivitur. Si vero baptiſmi noſtri, & gratiæ in eo acceptæ memores, innocentiam ſervamus, cupiditates frænamus, occaſiones peccati ſtudioſe vitamus, de quotidianis quæ ſurrepunt peccatis pœnitentiam agimus, malas ſocietates fugimus; voluptati, quæ peccati janua eſt, renuntiamus; ſenſus noſtros Chriſtiana vigilantia ſervamus, peccato mortui ſumus. Si quis autem poſt depulſum a ſe regnum peccati & mortis, & regnum vitæ juſtitiæque ſuſceptum, iterum ſe dominationi peccati ſubjiciat, illud eſt

quod

Primus gratiæ baptiſmalis effectus eſt ut peccato moriamur.

Cantic. 5. 3.

Pſal. 117. 17.

Origenes l. 6. in Epiſt. ad Rom. c. 6.

Doctrina gratiæ humiliat Dei filios & ædificat, peccatorum qui ea doctrina abutuntur

Gratiæ baptiſmalis multiplex effectus.

quod Apoſtolus vocat *Naufragium fidei*. Permaneamus igitur in gratia, nec expectemus ut iterum poſt lapſum renovemur ad pœnitentiam, *rurſus crucifigentes in nobis ipſis Filium Dei & oſtentui habentes*, ſed regnum juſtitiæ in nobis fiat regnum æternum.

2. Cor. 4. S. Leo Serm. 63. De Paſs. Dom. 14. Idem Serm. 68. De Paſs. Dom. 19. S. Joan. Chryſoſt. Hom. 10. *In mortem ipſius baptizati ſumus, ad hoc ut & ipſi moriamur, ſicut ille. Crux enim eſt baptiſma. Quod igitur Chriſto crux & ſepulchrum, hoc nobis baptiſma fuit, quamvis non iiſdem in rebus. Ille enim carne & mortuus & ſepultus eſt; nos autem peccato utrumque.* Galat. 6. 14. S. Chryſoſt. homil. 10.

3. 4. *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Alter baptiſmi effectus eſt, applicare nobis efficaciam mortis Chriſti & virtutem ſanguinis ejus ad peccata noſtra expianda, & ad ſeparandum nos a peccato, non minus quam ſi Deo immolati, & morte deſtructi ipſi eſſemus. Chriſto pro nobis mortuo conformari debemus, *Chriſti mortificationem in corpore noſtro ſemper circumferentes*, ut *corpus regenerati fiat caro crucifixi*.

Tertius gratiæ baptiſmalis effectus eſt rerum terrenarum oblivio, & ſeparatio a mundo (quod animi præparationem & cordis affectum ſpectat) quaſi revera ſepulti eſſemus. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem* ..... Conſepulti ſumus ut commoriamur. Nondum enim in nobis perfecta eſt myſtica mors, ſed quotidie perfici debet. „Quis „enim vere Chriſtum paſſum & mortuum & re„ſuſcitatum colit, niſi qui cum ipſo patitur & „moritur & reſurgit? Et hæc quidem in omnibus „Eccleſiæ filiis ipſo jam regenerationis ſunt in„choata myſteria, ubi peccati interitus vita eſt „renaſcentis, & triduanam Domini mortem imi„tatur trina demerſio, ut dimoto quodam aggere „ſepulturæ, quos veteres ſuſcepit ſinus fontis, „eoſdem novos edat unda baptiſmatis: ſed implen„dum eſt nihilominus opere, quod celebratum eſt „Sacramento, & natis de Spiritu ſancto quantum„cumque ſupereſt mundani temporis, non ſine „crucis ſuſceptione ducendum eſt. „Cum igitur cupiditates noſtras in id tendere ſentimus quo nos a recto itinere deviare faciant, recurramus ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigamus, ut voce Prophetica clamemus: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Quid eſt autem clavis timoris Dei carnes habere confixas, niſi corporeos ſenſus ab illecebra illiciti deſiderii ſub metu divini continere judicii. ut qui reſiſtit peccato, & concupiſcentias ſuas, ne quid morte dignum operentur, interficit, audeat cum Apoſtolo dicere: *Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*.

Quartus gratiæ baptiſmalis effectus eſt, ſpiritualis reſurrectio & vitæ novitas: *Ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Peccato moriamur, ut Deo vivamus: ſepeliamur, ut reſurgamus. „Novum „vitæ genus atque inſtitutum demonſtrat morum „mutatio. Ubi ſcortator fit caſtus; ubi avarus „miſericors; ubi iracundus & aſper manſuetus, „ſpiritualis reſurrectio eſt, alterius, glorioſæ ſcili„cet reſurrectionis proœmium. Et quo pacto reſur„rectio? Peccato quidem mortificato, juſtitia autem „exurgente; ac vita quidem priſtina deleta, nova „autem hac & angelica regnante. Surrexit Chriſtus „per gloriam Patris: & nos ſi mortui ſumus pec„cato, & Chriſto conſepulti, quia *omnes qui vi„dent opera noſtra bona, glorificant Patrem noſtrum „qui in cœlis eſt*, merito Chriſto conſurrexiſſe per „gloriam Patris dicimur, ut in novitate vitæ am„bulemus. " *Novitas autem vitæ eſt, ubi depoſuerimus veterem hominem cum actibus ſuis, & induerimus novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, & qui renovatur in agnitione Dei, ſecundum imaginem ejus qui creavit eum*. Neque vero putes quod innovatio vitæ ſemel facta ſufficiat, ſed *quotidie, ſemper illa innovatio vitæ innovanda eſt*. Ait enim Apoſtolus: *Et ſi is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, ſed qui intus eſt renovatur de die in diem*. Sicut enim vetus de die in diem veteraſcit, ita & novus hic ſemper innovatur, & numquam eſt quando non innovatio ejus accreſcat. *In novitate ergo vitæ ambulemus, oſtendentes noſmetipſos ei qui nos cum Chriſto ſuſcitavit, quotidie novos, & (ut ita dixerim) pulchriores; decorem vultus noſtri in Chriſto tamquam in ſpeculo colligentes; gloriamque Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformemur, qua Chriſtus ſurgens a mortuis, ab humilitate terrena ad gloriam paternæ Majeſtatis aſcendit*. Proficiamus ſemper in ſancta novitate, ambulare non ceſſemus, & progredi de virtute in virtutem, donec videamus Deum in Sion.

Origenes lib. 5. in Epiſt. ad Rom. cap. 6.

2. Cor. 4.

5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*. Quintus gratiæ baptiſmalis effectus, eſt inſitio corpori Chriſti per ſimilitudinem mortis ejus. Ut ſurculus inſeratur arbori, fit vulnus in cortice matris arboris: ut inſereremur Chriſto, non unum, ſed quintuplex in ſancta ejus carne vulnus factum eſt. Cum Chriſto moriendum, ut cum illo, & illi vivamus, in præſenti vita gratiæ, in futuro ſæculo vita gloriæ. *Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis ejus*, &c. „Mortem Chriſti velut plantam alicujus arboris „oſtendit, cui nos complantatos eſſe vult, ut ex „ſucco radicis ejus, radix quoque noſtra ſuſcipiens „producat ramos juſtitiæ, & fructus afferat vitæ. „*Sapientia lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint „eam; & qui tenuerit eam, beatus*. Chriſtus ergo „Dei virtus & Dei ſapientia, ipſe eſt arbor vitæ, „cui complantari debemus, & novo quodam atque „amabili Dei dono mors illius arbor vitæ nobis „efficitur. " Quia vero hic non de morte noſtra naturali, ſed de myſtica, agitur, non ait Apoſtolus, *Si complantati ſumus morti ejus*, ſed *ſimilitudini mortis ejus*. „Chriſtus ita ſemel mortuus eſt pecca„to, ut peccatum omnino non fecerit, nec dolus „inventus ſit in ore ejus. Nemo autem homo præ„ter eum mundus a peccato, nec ſi unius diei fue„rit vita ejus. Ideo ipſa morte qua Jeſus mortuus „eſt peccato, nos mori non poſſumus. Hoc eſt ergo „quod recipere poteſt humana natura, ut ad ſimili„tudinem mortis ejus hoc fiat, dum ipſum imitan„do non peccat. Nam omnino neſcire peccatum, „ſolius Chriſti eſt. Igitur complantari nos vult „mortis ejus ſimilitudini, qua peccato mortuus eſt „ſemel, ut poſſimus & reſurrectioni ejus eſſe com„plantati . . . . . Omnis planta poſt hyemis mor„tem, reſurrectionem veris exſpectat. Si ergo & „nos in Chriſti morte complantati ſumus in hye„me ſæculi hujus & præſentis vitæ, etiam ad „futurum ver inveniemur fructus juſtitiæ ex ipſius „radice proferentes: & ſi complantati ſumus ei, „neceſſe eſt ut Pater agricola purget nos tam„quam palmites vitis veræ, ut fructum plurimum „afferamus, ſicut ipſe dicit in Evangelio: " *Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*. Qui juſtitiæ & ſanctitatis fructum non ferunt, Chriſto non ſunt inſiti, nec ſimilitudini mortis ejus complantati: adeoque reſurrectionis ejus non erunt participes, non procedent in reſurrectionem vitæ, ſed in reſurrectionem judicii.

Origen. ibid. Proverb. 3. 18.

Joann. 15. 1. & 2.

Corpus peccati deſtruendum, per pœnitentiam.

6. 7. 8. *Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato*. Crucifigere veterem hominem non ſufficit per pœnitentiam, ſed corpus peccati deſtruere neceſſe eſt, deſtruendo membra ejus. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus*. Quæ deſtructio per pœnitentiam perficitur, quæ tamdiu durare debet quam vita. *Crucifixio interioris hominis*, inquit S. Auguſtinus, *pœnitentia dolores intelliguntur; & continentiæ quidam ſalubris cruciatus, per quam mortem mors impietatis perimitur. Et jam per talem crucem evacuatur corpus peccati, ut jam non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato*. Mortui ſumus peccato in Chriſto Jeſu, a peccati dominio liberati ſumus; non poteſt iterum nobis dominari peccatum, niſi velimus. *Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato*. Hæc vera libertas, pravarum cupiditatum mortificatio. Hæc vera vita, Chriſto commori. Qui mortuus eſt, ab officiis & functionibus hujus vitæ mortalis & miſeræ liberatus eſt: ſic homo baptizatus, quandoquidem in ſacro fonte mortuus eſt peccato, omnino mortuus maneat. Si enim poſt baptiſmum peccat, labefactat Dei donum, infidelem ſe Dei promiſſis oſtendit; ſe parvifacere demonſtrat, quod rebus omnibus deſiderabilius eſt, cum Chriſto vivere. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto*. Hæc ſpes in ſinu noſtro repoſita nos interim conſolatur.

Coloſſ. 3. 5.

S. Auguſt. lib. 4. De Trin. cap. 3.

S. Chryſoſt. Hom. 11.

Vitæ novitas neceſſaria ut reſurrectioni Chriſti conformemur.

9. 10. 11. *Scientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Non ſolum peccato moriendum eſt, ſed in vitæ novitate perſeverandum, ut Chriſti reſurrectioni conformemur. In Chriſto nihil ſupereſt mortalitatis poſt reſurrectionem glorioſam: in Chriſtiano per ejus gratiam ſuſcitato nihil ſupereſt peccati ad mortem. Qui dominio peccati poſt reſurrectionem ſpiritualem ſe tradunt, diabolo anſam præbent triumphandi de ipſo triumpho Chriſti reſurgentis & glorioſi: *Ut rurſum Malus recuperata præda ſua adverſus Dominum gaudeat*. Chriſtus ſemel mortuus ad peccata noſtra expianda, non moritur amplius: Chriſtianus ſemel in baptiſmo peccato mortuus, & ad vitam novam ſuſcitatus, non moriatur dein-

Tertullian. lib. de Pœnit.

Digitized by Google

Principi morte peccati. *Propterea unum baptiſma eſt, ſicut una mors & reſurrectio Chriſti Domini noſtri.* *Si non iterum moritur, nec iterum lavacrum eſt. Quod ſi lavacrum non eſt iterum, cave & tu ne ad peccatum inclines.* Supereſt quidem pœnitentia, qua reſurgere iterum poſſint, qui poſt baptiſmum iterum in mortem peccati prolapſi ſunt, & hæc eſt divinæ benignitatis & miſericordiæ redundantia: ſed qui ſecundæ hujus reſurrectionis fiducia poſt acceptam baptiſmi gratiam iterum peccant, & horrendum in modum ingrati ſunt Deo, & imminenti periculo perditionis æternæ ſe exponunt. „ Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus „ melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſci„ tur. Ceterum finem utique evadendi habebit, „ cum offendendi non habebit. Evaſimus ſemel, „ * hactenus periculoſis noſmetipſos inſeramus, etſi „ iterum evaſuri videmur. Plerique naufragio libe„ rati, exinde repudium & navi & mari dicunt, „ & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet, me„ moria periculi honorant. Laudo timorem, diligo „ verecundiam: nolunt iterum divinæ miſericordiæ „ oneri eſſe; formidant videri * inculcare; quod „ conſecuti ſunt; bona certe ſollicitudine iterum „ experiri vetant, quod ſemel didicerunt timere. „ Ita modus temeritatis, teſtatio eſt timoris. „ Timor autem hominis, Dei honos eſt. “ Chriſtianus ſive per baptiſmum, ſive per pœnitentiam reſurgens a morte peccati, ſi moriatur iterum, verendum eſt ne vere ſuſcitatus non fuerit; ne ſincera non fuerit ejus converſio. Veræ converſiones conſtantes ſunt, nec ita deſultoriæ, ut multis videtur. Status juſtitiæ & ſanctitatis, in quo gratia Chriſti nos conſtituit, conſtans, per ſe & ſtabilis eſt. Spiritus Dei, licet ubi vult ſpiret, immutabilis eſt; inconſtantiam & levitatem non amat. Gratia in divinæ naturæ conſortium nos evehit, quæ immutabilis eſt; tametſi theſaurum iſtum portemus in vaſis fictilibus. Viciſſitudines illæ peccati & gratiæ, vitæ & mortis, reſurrectionis & relapſus, a Chriſtianæ Religionis ſpiritu, ab hominis in novitatem vitæ Chriſti ſuſcitati indole ſunt penitus alienæ. S. Juſtinus Martyr, de Chriſtianorum moribus loquens, eis, ex quo peccato mortui erant, Chriſtoque commortui in baptiſmo, conſtantem tribuit vitæ integritatem. „ Qui, *inquit*, olim ſtupris „ lætabamur (*nempe in Gentilitatis tenebris adhuc* „ *poſiti*) nunc caſtitatem ſolam complectimur. Qui „ magicis artibus utebamur, bono & æterno nos „ conſecramus dicamuſque Deo. Qui poſſeſſionum „ & pecuniarum fructus ac proventus præ rebus „ omnibus adamabamus, nunc etiam ea quæ habe„ mus in commune conferimus, & cum indigenti„ bus quibuſque communicamus. Qui odiis ac cæ„ dibus mutuis inter nos graſſabamur, & pro „ conſuetudine recepta cum eis qui contribules „ noſtri non eſſent, communem focum non habe„ bamus, nunc a Chriſti apparitione familiariter „ ſimul vivimus, & pro inimicis oramus: & qui „ nos iniquo perſequuntur odio, ſuaſione flectere „ conamur, ut ſecundum honeſta Dei præcepta „ vitam agentes, bonam ſpem habeant, eadem ſe „ nobiſcum a Deo omnium dominatore præmia eſſe „ conſecuturos. “ Qui vere cum Chriſto ſurrexit, uni Deo vivit, uno illius amore agit quicquid agit, non amore mundi, non amore divitiarum, honorum, gloriæ & laudis humanæ, non amore voluptatum. Amor cordis humani vita eſt. Qui mundum amat, mundo vivit: Qui Deum amat, Deo vivit; totus in illo conſummatus eſt ſpirituali reſurrectione; totus illi devotus & conſecratus eſt, ut victima mortua ſimul & vivens, mortua peccato, vivens Deo; mortificata carne per crucem & pœnitentiam, vivificata & innovata ſpiritu per virtutem mortis & reſurrectionis Chriſti. *Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo.* Hæc meditemur, & baptiſmi noſtri, pactique in eo cum Deo initi ſemper memores, omnibus mundi, carnis, diabolique ſuggeſtionibus hoc reſponſum opponamus, nos peccato mortuos eſſe, Deo vivere; nullum finem habere nos præter Deum, nullum vitæ principium niſi Jeſum Chriſtum, a quo ut rami a radice, ut ædificium a fundamento, ut membra a capite pendere nos profitemur; cui per caritatem perpetuam adhærere volumus, & in eo manere. Quod ut conſequi valeamus, & a ſancta novitate hominum in eo regeneratorum numquam excidamus, quotidianum gratiæ ejus adjutorium ſemper implorandum eſt. *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

S. Chryſoſt. Hom. 11.

Tertullian. lib. de Pœnit.

* proſternas, id eſt, numquam demerge.

* inculcare, id eſt, conculcare.

Viciſſitudines pœnitentiæ & relapſus ab indole hominis ad novitatem vitæ Chriſti ſuſcitati alienæ ſunt.

S. Juſtinus Apolog. 2.

12. 13. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Lex peccati, concupiſcentia in juſtis ipſis vivit, quis non contremiſcat? Quis ſe extollat? Sed non regnat niſi in illis qui ejus motibus ac deſideriis ſponte conſenſerint: ideo regnandi verbo uſus eſt Apoſtolus, quia regnum eſt ſponte ſe ſubdentium alterius dominio. Vigilemus igitur, & continuo pugnemus, ſi vinci nolumus. *Eſt in nobis peccati concupiſcentia, quæ non eſt permittenda regnare: ſunt ejus deſideria, quibus non eſt obediendum, ne obedientibus regnet. Propter quod membra noſtra non ſibi uſurpet concupiſcentia, ſed ſibi vindicet continentia; ne ſint arma juſtitiæ Deo, ne ſint iniquitatis arma peccato.* Talis eſt membrorum noſtrorum uſus, qualis eſt cordis affectus. Domino ſerviunt, quem ſibi cor elegit: caritati militant, aut cupiditati. Illa ad peccandum exhibere, eſt dona Dei ejus inimico tradere, illique arma ſubminiſtrare quibus adverſus Deum pugnet perduellis. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* „ Quamdiu „ peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis, ſal„ tem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet. „ Surgit ira? Noli dare iræ linguam ad maledicen„ dum; noli dare iræ manum aut pedem ad ferien„ dum. Non ſurgeret ita iſta irrationabilis, niſi „ peccatum eſſet in membris: ſed tolle illi regnum, „ non habeat arma unde contra te pugnet: diſcet „ etiam non ſurgere, cum arma cœperit non inve„ nire. *Non exhibeatis membra veſtra arma iniqui*„ *tatis peccato*: alioquin toti captivi eritis, & non erit dicere, *Mente ſervio legi Dei*. Mens enim ſi teneat arma, membra non moventur in miniſterium furentis peccati. „ Teneat arcem imperator interior, „ quia ſub majore imperatore juvandus adſiſtit; fre„ net iram, coerceat concupiſcentiam. Ineſt tamen „ quod frenetur, ineſt quod coerceatur, ineſt quod „ teneatur. Quid autem volebat ille juſtus mente „ ſerviens legi Dei, niſi ut omnino non eſſet quod „ frenaretur? Et hoc debet conari omnis qui ten„ dit ad perfectionem (*tendere autem debet omnis* „ *Chriſtianus*) ut & ipſa concupiſcentia cui non „ dantur ad obediendum membra, quotidie in pro„ ficiente minuatur. “

Concupiſcentia in ipſis juſtis vivit: ſed non eſt permittenda regnare.

S. Auguſt. lib. De Continentia cap. 3. num. 8.

S. August. Tract. 41. in Joann. n. 12.

14. 15. *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub Lege eſtis, ſed ſub Gratia.* Peccatum nobis dominatur cum illud committimus, & quamdiu in eo manemus: verum ſi illi reſiſtamus, & Dei nos tradamus ſervituti, quæ vera libertas eſt, deſtructum eſt in nobis regnum peccati. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*, ait alius Apoſtolus; *reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis.* Spiritales Judæi, qui in Chriſtum venturum credentes, & ex illius fide viventes, Legis præcepta ſervabant, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, non erant ſub lege, ſed ſub gratia. Carnales Chriſtiani, qui legis mandata non ſervant, aut ſolo pœnæ timore faciunt quod Lex jubet, ſub gratia non ſunt, ſed ſub lege. „ Illi ſoli ſunt ſub gratia, quibus gratia dominatur, „ qui Spiritu facta carnis mortificant, qui ſecundum „ legem caritatis vivunt & operantur. His lex po„ ſita eſt, non ſicut injuſtis & non ſubditis ad ve„ tus Teſtamentum pertinentibus poſita eſt in tabu„ lis lapideis; ſed ſicut ſanctis filiis liberæ, hoc eſt „ ſupernæ Jeruſalem, filiis promiſſionis, filiis hære„ ditatis æternæ, ſancto Spiritu tamquam digito Dei „ in mente datur, & in cordibus ſcribitur, non „ quam memoria teneant, & vita negligant; ſed „ quam ſciant intelligendo, faciant diligendo, in la„ titudine amoris, non in timoris anguſtiis. *Nam qui timore pœnæ, non amore juſtitiæ opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet utique non juberi. Ac per hoc, legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus; nec mundatur opere, qui immundus eſt voluntate.* Sub lege eſt, non ſub gratia, qui legis meminit, nec eam diligit, eo modo reus eſt, quia *Memoria ejus lapis illi eſt quodam modo ſcriptus, non quo adjuvetur, ſed quo prematur; pondus oneris, non titulus honoris.* Hic peccati ſervituti ſe tradit, cui mavult obedire quam juſtitiæ. Voluntatem ejus tenet inimicus, eamque habitu & conſuetudine peccati, velut ferrea catena ligans, captivam ducit. O probroſam, duram, exitialem ſervitutem, quæ mortem infert animæ eamque æternæ damnationi addicit! 16. *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam.*

Illi quibus peccatum dominatur, non ſunt ſub gratia, ſed ſub lege.

Jacobi 4.

S. Aug. in Pſ. 118. Serm. 11.

17. 18. *Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.* Niſi obedientia no-

ſtra

ſtra donum Dei eſſet, Apoſtolus de illa gratias Deo non ageret. Gratiarum actio, clariſſima eſt gratiæ teſtificatio. Deus ad cor noſtrum loquitur: & cor noſtrum docile ac verbo ſuo obediens facit. Si ex animo obediamus, caritate cor noſtrum ad obedientiam inclinante, illamque ſuavem efficiente, ſervitutem peccati cum ſervitute juſtitiæ & pietatis, quæ vera libertas eſt filiorum Dei, feliciter commutavimus. *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.*

S. Chryſoſt. Hom. 11.

Gratias autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde, &c. „ Quemadmodum cum quis crudelis alicujus tyranni captivum ea captivitate liberatum hortatur ne ad tyrannum poſthac revertatur, illique memoriam refricat graviſſimæ diutiſſimæque illius tyrannidis: ita & Paulus, quæ præterire mala, per eas quas Deo agit gratias, maniſeſtiſſima reddit. Neque enim (inquit) humanæ potentiæ fuit, quod ab illis malis erepti fuerimus: ſed Deo & habendæ & agendæ gratiæ, qui id & voluerit, & potuerit. Ac recte dixit, *Obedivistis ex corde*: neque enim vi coacti aut neceſſitate adacti eſtis, ſed voluntate veſtra vos ab illis malis ſubtraxiſtis. Quod ſi ultro acceſſiſtis nullam vim perpeſſi, quam habere veniam, quam excuſationem obtendere poſſetis ad priſtina reverſi? Denique ut intelligas negotii totius laudem non tam ad illorum docilem ac promptum animum, quam ad Dei gratiam ac beneficentiam referendam, cum dixiſſet, *Obediſtis ex corde*, addidit, *in eam formam doctrinæ in quam traditis eſtis*. Nam obedientia ex corde profecta, liberum arbitrium probat, traditos autem illos eſſe in formam ſeu typum Evangelicæ doctrinæ, Dei gratiam ſignificat. *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*. Duo Dei dona in memoriam revocat Apoſtolus; primum quod a peccato liberaverit, alterum quod juſtitiæ mancipaverit: quod poſtremum omni etiam libertate antiquius ac præſtantius eſt. Nobiſcum enim ſimiliter agit Deus ac ſi quis puerum orphanum nactus a barbaris raptum, & in illorum regionem abductum, illum non modo captivitate liberet, ſed & patrem ſeſe illi officioſum ſtudioſumque præbeat, cum præcellenti aliqua dignitate cohoneſtet. Id in noſtra cauſa effectum eſt: Neque enim a priſtinis peccatis ſolum liberavit nos Deus, ſed & ad angelicam vitam deductis, optimi inſtituti ac regiminis viam nobis munivit, nos juſtitiæ tutelæ ac præſidio tradens, vetera omnia mala perimens, veterem hominem mortificans, ad immortalem denique vitam veluti manu deducens. In hac igitur vita, in hac felici & glorioſa ſervitute, quæ nos liberos facit libertate filiorum Dei, perſeveremus.

Duriſſima peccati ſervitus, obedientia ſuaviſſima juſtitiæ.

Origenes lib. 6.

Gratias age Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis. De paucis impræſentiarum Chriſtianis id dici poteſt, quod de Romanis omnibus ad Chriſti fidem converſis & baptizatis Apoſtolus dicebat. Omnes fuimus ſervi peccati, & ubi tradita eſt nobis forma Evangelicæ doctrinæ, & huic non utcumque, neque ſolis verbis, ſed ex animo & tota devotione elegimus obedire, liberamur a ſervitute peccati, & ſervi efficimur juſtitiæ. Sed vereor ne forte plures ſimus, qui videamus ſuſcepiſſe formam doctrinæ juſtitiæ, & verbis quidem vel profeſſione juſtitiæ videamur obedire: corde autem obediamus peccato, carnis vitiis in nobis adhuc dominantibus. Et ideo ante omnia indigemus illa, de qua ſuperius dixit, mortificatione membrorum. *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*. Quod vero dicit, juſtitiæ ſervum fieri, ſimul intellige & ſapientiæ, & pietatis, & pudicitiæ, & omnium virtutum Chriſtianæ profeſſioni, ſuoque ſtatui convenientium. Sic enim intelligendum quod a Propheta Rege ſcriptum eſt: *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino*. Non enim ſolius juſtitiæ, quatenus particularis virtus eſt, januas ingreditur, qui vult confiteri Domino, ſed & veritatis, & ſapientiæ, & pietatis, & caſtitatis, &c. Omnium enim una eſt aula virtutum, cujus ſub juſtitiæ nomine januas ſibi poſtulat aperiri.

Pſal. 117. 19.

19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*. Multo majus ſtudium impendere deberetis ſervituti juſtitiæ, quam hactenus impendiſtis ſervituti peccati: id a vobis jure ſuo Deus exigere poſſet; id a vobis ejus nomine poſſem ego tanquam ejus legatus & miniſter poſtulare, quod a Judæis propheta poſtulabat: *Sicut fuit ſenſus veſter ut erraretis a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum*. Et quid non facere deberetis ad Deum placandum & promerendum? Quid non dare, quid non pati ad æternæ damnationis periculum avertendum? Attamen habita ratione infirmitatis veſtræ, id unum a vobis poſtulo, ut par ſtudium colendis virtutibus exhibeatis, ac exhibuiſtis colendis vitiis. Poſtulat ratio juſtitiæ quam Deo debemus, ut pœnitentia crimine minor non ſit: ut membra noſtra & facultates omnes pœnitentia Dei ſervituti conſecret, quæ peccati & dæmonis ſervituti devovimus & addiximus. Dudum currebant pedes veſtri ad ſpectacula, ad ludos aleatorios, ad ſocietates & conventus virorum aut mulierum in quibus periclitatur innocentia: nunc ad Eccleſiam Dei concurrite. Officia divina frequentate, infirmos Xenodochiis jacentes, captivos in carceribus viſitate, conſolamini, ſublevate. Currebatis prius ad effundendum ſanguinem: nunc ad eripiendum pupillum & viduam de manu fortiorum illos opprimentium feſtinate. Manus olim extendebantur ut aliena diriperent concuſſionibus, fraudibus, uſuris: nunc apertæ ſint ut propria largiantur. Circumſpiciebant prius oculi mulieres, aut res quaſvis alienas ad concupiſcendum: nunc circumſpiciant pauperes, debiles, calamitoſos quoſvis ad miſerendum & juvandum. Aures delectabantur auditu vano, canticis impudicis, detractionibus: nunc ad audiendum verbum Dei, ſacras lectiones, pia colloquia, convertantur. Lingua quæ conviciis, maledictis, & turpiloquiis erat aſſueta, nunc ad benedicendum omni tempore Dominum moveatur. Sermones ſanos & honeſtos proferat, ut det gratiam audientibus, & veritatem loquatur cum proximo ſuo. „ Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. *Quid eſt ſicut illud, ita & hoc*. . . ? Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido voluptaſque peccati, ſic ad juſte vivendum non vos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio caritaſque juſtitiæ? Et hæc quidem, quantum mihi videtur, nondum eſt perfecta, ſed quodammodo adulta juſtitia. Neque enim [illegible] mitteret, *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ*, niſi quia plus aliquid dicendum fuit, ſi jam illi ferre potuiſſent. Plus quippe ſervitutis debetur juſtitiæ, quam peccato ſolent homines exhibere. Nam pœna corporis etſi non a vo[luntate], tamen revocat ab opere peccati. Nec facile quiſquam eſt, qui palam committat, quo illicitam & immundam percipiat voluptatem, ſi cruciatus vindictæ certus eſt continuo ſequuturus. Juſtitia vero ſic amanda eſt, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant, atque inter manus etiam crudelium inimicorum luceant opera noſtra coram hominibus, ut quibus placere poſſunt, glorificent Patrem noſtrum qui in cœlis eſt.

Baruch. 4. 28.

S. Aug. Ep. 145. alias 144. ad Anaſtaſium, n. 5.

20. 21. 22. *Cum enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ*. Miſera & cæca peccatoris libertas, qua grave onus peccati leviſſimo & ſuaviſſimo Chriſti jugo ſtulte præponit. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tamquam pullum onagri ſe liberum putat*. Qua de libertate, verius ſervitute dicenda, ſiquidem *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, Deus apud Prophetam ait: *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam*. Falſo ſibi videtur liber, qui tot dominis ſervit, quot vitiis: qui duriorem ſervitutem patitur ea qua Iſraelitæ premebantur in Ægypto ſub Pharaone, operibus duris luti & lateris addicti. *Libertas quippe ſine gratia, non eſt libertas ſed contumacia*. Quomodo diligi poteſt peccatum, quod miſerrima ſervitus animæ comitatur, quod ſequitur infamia, cujus exitus mors æterna eſt? *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt*. Felices quos peccaſſe non modo pudet, ſed Dei amorem ſuper omnia pœnitet! infelices quos pœnitentiam agere, & peccata confiteri pudet, cum peccaſſe non pudeat! „ Et confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam (*inquit Sapiens*) Intolerandam ſcilicet pudori, Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti product[a] reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero ſubducens. Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro, cum ipſe hominem exhortatur, Ne me reſpexeris dicens. Pro te mihi melius eſt perire. Omnium infeliciſſimi, quos pudet non peccaſſe, qui in malitia gloriantur, qui de iniquitatibus ſe jactant, quas forte

Miſera & cæca peccatoris libertas.

Job 11. 12.

Joann. 8.

Jerem. 2. 20.

Exod. 1.

S. Aug. &c.

Eccl. 4. 25.

Tertull. De Pœnit. c. 10.

Digitized by Google

non commiſerunt; quos eo trahit inimica amicitia, & conſortium malorum, ut pudeat non eſſe impudentes. Talis erat Auguſtini adoleſcentis miſeria, quam in Confeſſionibus deflet. „ Neſciebam (inquit) & præceps ibam tanta cæcitate, ut inter „ coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, „ quoniam audiebam eos jactantes flagitia ſua, & „ tanto glorianies magis, quanto magis turpes eſſent, & libebat facere non ſolum libidine facti, „ verum etiam laudis. Quid dignum eſt vituperatione niſi vitium? Ego ne vituperarer, vitioſior „ fiebam, & ubi non ſuberat quo admiſſo æquarer „ perditis, fingebam me feciſſe quod non feceram, „ ne viderer abjectior quo eram innocentior, & „ ne vilior haberer; quo eram caſtior . . . Quem „ ergo fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc „ erubeſcitis? “ Nullus plane fructus peccati. Nullum fructuoſum opus, quod de radice caritatis non ſurgit, quod hominem non adjuvat ad æternam beatitudinem conſequendam. Peccator arbor eſt infructuoſa, cui ſecuris imminet: *Opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.* Confuſio ſeu pudor, interius exteriuſque peccatores manet. *Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.* Quis denique peccati exitus? Mors animæ a Deo deſertæ, ex quo vivit; mors ſecunda, quæ non fit ſeparatione animæ & corporis, ſed in æternam pœnam potius utriuſque complexu; mors æterna, qua reprobi numquam viventes, numquam mortui, ſed erunt ſine fine morientes. *Numquam enim erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipſa ſine morte.*

Auguſt. lib. 2. Confeſſ. c. 3.

Quis exitus peccati?

Iſai. 59. 6.

Jerem. 3. 19.

S. Aug. l. 13. De Civit. Dei cap. 11.

22. *Nunc vero liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Operum peccati fructus pudor eſt vel poſt liberationem, operum juſtitiæ fructus ſanctificatio, cum ingenti fiducia conjuncta. Illorum finis mors eſt, horum vero vita æterna. Felix ſervitus, quæ nos Deo mancipat, quæ nos eo in ſtatu conſtituit, ut ab ejus Spiritu non ſolum regamur, ſed agamur; quæ nos legi ejus ſponte ſubjicit. Felix & *libera ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed caritas ſervit.* Glorioſa ſervitus, quæ Sanctos facit in tempore, & Reges in æternitate! Tædeat te, Chriſtiane, qui in libertatem filiorum Dei vocatus es, tædeat te ſervitutis vitiorum. Agnoſce Redemptorem tuum, manumiſſorem tuum. Illi ſerva, facilliora jubenti. Attende pretium tuum, venit ut redimat, ſanguinem fudit. Carum te habuit, quem tam caro emerat. Agnoſcis qui emerit, attende unde redimat. Servus eras iniquitatis, ſervus eſto juſtitiæ. *Si nolueris, domui ejus non eſt neceſſarius qui ſervit invitus.*

Glorioſa & felix juſtitiæ ſervitus.

S. Auguſt.

S. Aug. Serm. 56. alias De Diverſis 43.

23. *Stipendia enim peccati mors.* Qui peccato militans aliud ſperat, ipſe ſe decipit. *Mortis regnum in homines poſt peccatum uſque adeo propagatum eſt, ut omnes in ſecundam quoque mortem, cujus nullus eſt finis, pœna debita præcipites ageret, niſi inde quoſdam indebita Dei gratia liberaret.* Ex nobis quid meremur, niſi damnationem æternam? Ex noſtro enim non habemus niſi peccatum; ſtipendia autem peccati, mors. Vita æterna merces eſt meritorum & bonorum operum: ſed merita illa & opera bona ſunt Dei dona, & hæc dona fructus ſunt ſanguinis Chriſti. *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Stipendium juſtitiæ vitam æternam dicere potuiſſet Apoſtolus, ſed gratiam dicere maluit, *Ut hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere. De quo in Pſalmo dicit homo ejus animæ ſuæ:* „ Qui coronat te in miſericordia & miſera„ tionibus. *Numquid non corona bonis operibus reddi„ tur? Sed quia ipſa bona opera illis in bonis operatur, „ de quo dictum eſt:* Deus eſt enim qui operatur in „ vobis & velle & perficere pro bona voluntate, *ideo dicit Pſalmus,* Coronat te in miſericordia & miſerationibus: *Quia ejus miſeratione bona operamur, quibus corona redditur.* Nemo itaque in ſe ipſo glorietur, ſiquidem nihil habet in ſe boni quod non acceperit. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ex Chriſti capitis noſtri plenitudine accepimus pro modulo noſtro tamquam particulas noſtras, ut bene vivamus, *ſicut Deus partitus eſt menſuram fidei*; quia *Unuſquiſque proprium donum habet a Deo, alius ſic, alius autem ſic*, & ipſa eſt gratia; ſed inſuper accipiemus & *gratiam pro gratia*, quando nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apoſtolus: *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Stipendia peccati mors. Gratia Dei vita æterna, tametſi bonis operibus ut corona reddatur.

S. Aug. l. De Gratia & libero arbitrio, cap. 9.

Pſal. 102. 4.

Philipp. 2. 13.

Joan. 1. 16.

Rom. 12. 3.

1. Cor. 7. 7.

CAPUT VII.

Senſus Litteralis.

1. AN *ignoratis, fratres (ſcientibus enim Legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit?* Cum docuerit Apoſtolus ſuperiori capite fideles per Chriſtum Jeſum liberatos eſſe a ſervitute peccati; hoc capite docet per eumdem eſſe liberatos a ſervitute legis. Sermonem autem dirigit ad Judæos qui Chriſtianam Religionem profitebantur. Num, inquit, ignorare poteſtis, vos qui legis Moſaicæ notitia eſtis imbuti, Legem homini dominari, ſive hominem ſubditum eſſe legi quanto tempore vivit ipſa Lex; vel, quanto tempore vivit homo? Lege autem mortua, ſeu abrogata, hominem ultra ejus vinculo non obligari; ſive, Legis imperium in vivos dumtaxat, non in mortuos extendi? Nulla enim lex, nullum pactum ultra vitæ fines jus ſuum producit: quod Verſu ſequenti probat ex lege Matrimonii.

2. 3. *Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri.* Sic mulier conjugata alligata eſt legis conjugalis vinculo, quamdiu vir ejus vivit: mortuo autem viro, ſoluta eſt a lege conjugii. Reſpicit Apoſtolus legem primordialem conjugii in Paradiſo inſtitutam. Geneſ. 2. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una:* quam explicans Chriſtus *Matth.* 19. 6. infert: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hinc matrimonium ex inſtitutione ſua eſſe indiſſolubile demonſtratur, nec ulla de cauſa, etiam fornicationis, dirimi poſſe, quamdiu conjuges vivant: adeo ut quod Lex Moſaica habet de libello repudii, ſit permittentis propter cordis duritiem Judæorum ſub lege viventium, non approbantis. *Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro:* Mulier ergo rea erit adulterii, quæ viro ſuo ſuperſtite, alteri copulata fuerit. *Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri,* conjugii vinculo ſoluta eſt, libera eſt: *ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro,* ſi alteri viro nupſerit. „ Hæc „ verba Apoſtoli toties repetita, toties inculca„ ta, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. „ Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe inci„ pit, niſi prioris eſſe deſiverit. Eſſe autem deſi„ net uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi „ fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob „ cauſam fornicationis, ſed manet vinculum prio„ ris, propter quod fit reus adulterii, qui dimiſſam „ duxerit etiam ob cauſam fornicationis. Sicut enim „ manente in ſe Sacramento regenerationis, ex„ communicatur cujuſquam reus criminis, nec illo „ Sacramento caret, etiamſi numquam reconcilie„ tur Deo: ita manente in ſe vinculo fœderis con„ jugalis, uxor dimittitur ob cauſſam fornicationis, „ nec carebit illo vinculo, etiamſi numquam recon„ ciliretur viro; carebit autem, ſi mortuus fue„ rit vir ejus.

Matrimonii indiſſolubilitas.

S. Auguſt. lib. 2. De conjugiis adulterinis, cap. 3. 4. & 5.

4. *Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti: ut ſitis alterius, qui ex mortuis ſurrexit, ut fructificemus Deo.* Itaque vos, o Judæi, mei ſecundum genus Abrahæ cognati, ſecundum fidem & Evangelium fratres, etiam vos mortui eſtis legi, quæ vobis mortua eſt, per Chriſti ſcilicet paſſionem & reſurrectionem abrogata: non eſtis amplius ſub lege, ejus minæ, terrores, accuſatio, damnatio, pœnæ, vos amplius non ſpectant, ab illius jugo liberatos, hoc ipſo quod unum corpus cum Chriſto per baptiſmum ſalutarem facti eſtis: Quo fit ut ſitis alteri ceu viro conjuncti, nempe Chriſto Jeſu, qui a morte reſurrexit: cui fructus bonorum operum Deo dignos parere debemus.

Theodoret.

5. 6. *Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.* Cum enim ſub lege conſtituti eſſemus, addicti vetuſtati litteræ, qui ſtatus hominis eſt ſecundum carnem, non ſecundum ſpiritum viventis; affectiones & deſideria peccandi, quæ per legem occaſione data excitabantur, in membris noſtris vigebant, & vim exercebant ſuam, ut opera morte æterna digna, ſcilicet peccata, parerent. *Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate Spiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Nunc autem per Chriſtum liberati ſumus a lege, quæ mortem operabatur per peccatum, cui dabat occaſionem. Soluti (inquam) ſumus lege, cujus littera occidit, quæ Judæos ſibi alligatos tenebat, ut vir mulierem conjugii vinculo, Communis Græcorum Co-

dicum

Digitized by Google

dieum hodiernorum lectio habet, ἀποθανόντες. Sic & Biblia Complutenſia, & Roberti Stephani. Sic Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius legerunt. Ita Syrus Interpres. *Nunc ceſſamus a lege, & mortui ſumus ei qua nos detinebat*. Quod Theodoretus ſic explicat: *Soluti*, id eſt, *otioſi facti ſumus a lege. Lex ſcilicet nobis otioſa facta eſt, neque enim ex illa amplius vitam inſtituimus. Et quomodo ſoluti ſumus?* Mortui ei in qua detinebamur. *Cum enim legi obnoxii eſſemus, acceſſimus ad baptiſmum. Simul autem cum Chriſto mortui, & cum ipſo reſurgentes, Legiſlatori conjuncti ſumus, nec legali vitæ tutione amplius opus habemus. Ipſum enim Spiritus gratiam accepimus*. Unde ſubdit Apoſtolus: *Ita ut ſerviamus in novitate Spiritus, & non in vetuſtate litteræ*. Novitas Spiritus, eſt novitas vitæ, quam Spiritus ſanctus in nobis efficit. Vetuſtas litteræ, eſt prioris vitæ vetuſtas, quam Lex ſcripta tantum abeſt ut auferat, ut etiam per occaſionem augeat. Nomine *litteræ* legem, nomine *vetuſtatis* ceſſationem ejus ſignificari Theodoretus interpretatur: Novo enim Teſtamento inſtituto, Vetus cedere oportuit, figuras & umbras veritati. Confer cum *Jerem.* 31. *Verſ.* 31. Legit etiam Tertullianus lib. *De Monogamia*, cap. 13. *Nunc autem evacuati ſumus a lege, mortui in quo tenebamur*. Verumtamen Vulgatæ noſtræ Verſionis lectio retinenda eſt, cum Sanctus Hieronymus qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit, in melioris notæ Codicibus legerit τοῦ θανάτου, & verterit, *Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis*. Sic etiam legunt MS. Græca Sangermanenſe & Claromontanum, ſeu Bibliothec. Abbatiæ S. Germani a Pratis, & Collegii Pariſienſis S. I. Claromontani nuncupati. Ita legit S. Auguſtinus Sermone 153. alias 4. *De Verbis Apoſtoli*, eaque lectio univerſæ Eccleſiæ Latinæ uſu conſecrata eſt.

Lex per ſe bona; occaſio peccati ex hominis abuſu.

7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit*. Objectionem præoccupat Apoſtolus: Ergo-ne, inquit, lex cauſa eſt & magiſtra peccati, & per ſe mala? Nequaquam: immo per ſe bona eſt, utpote a Deo data, ut hominem ad bonum dirigeret. Peccatum quidem auferre per ſe non potuit, ſed tamen indicavit quam grave ſit malum, quam graves pœnas mereatur. *Sed peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*. Prava peccati cujuſcumque deſideria, corde concepta non noviſſem eſſe peccata, niſi Lex illa prohiberet, dicens, *Non concupiſces*. Hoc apertiſſimum ſaluberrimumque præceptum eſt, inquit S. Auguſtinus, quod ſi quis implevit, nullum habebit omnino peccatum. *Nam hoc ideo elegit Apoſtolus generale quiddam, quo cuncta complexus eſt, tanquam hæc eſſet vox legis ab omni peccato prohibentis, quod*, „ ait, Non concupiſces: *Neque enim ullum peccatum niſi concupiſcendo committitur*.

Exod. 20. 17. Deuter. 5. 21. S. Aug. lib. De Spiritu & Littera c. 4.

Vide & S. Hier. Epiſt. ad Algaſiam, quæſt. 8.

8. *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat*. In prima perſona hic & alibi ſæpe loquitur Apoſtolus modeſtiæ cauſa, cum de rebus odioſis agit, ut de naturæ corruptæ pravis affectibus. Peccatum (inquit) id eſt concupiſcentia habitualis in me latens, occaſione accepta ex mandato, id eſt, prohibitione legis magis accenſum, quia nitimur in vetitum amore libertatis, quæ legis mandato velut fræno reſtringitur; excitavit in me pravorum deſideriorum & motuum inordinatorum omne genus. Sine lege enim peccatum conſopitum erat, & veluti mortuum, quod excitatum, magiſque graſſatum eſt accepta lege, concupiſcentiam omnem, ſeu conſenſum omnem pravis affectibus ac motibus voluntatem titillantibus prohibente. Sicut aquæ impetus vehementior fit obice oppoſito, cujus molem ſi evicerit, majore cumulo præcipitatus, violentius per prona provolvitur.

9. *Ego autem vivebam ſine lege aliquando*. Totius generis humani ſtatum, quod primo caruit lege ſcripta; deinde legem accepit in uno populo Judaico; tandem ad gratiam Evangelii vocatum eſt: ſive, tres hominis ſtatus, ante legem, ſub lege, & ſub gratia, Apoſtolus hoc loco quodammodo transfert ad ſingulos, quorum perſonam aſſumit. Ego vero ante legem, cum peccatum ignorarem, & carnales concupiſcentias ſequerer, vivere nihilominus mihi videbar, quia ante mandatum latebat peccatum. *Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit*. Cum mandatum in meam notitiam veniſſet promulgatione legis, peccatum apparere cœpit & cognoſci, quod non cognoſcebatur ut prævaricatio legis, antequam lege prohibente oſtenderetur.

S. Aug. in Expoſit. propoſit. Epiſt. ad Rom. & lib. Quæſtionum octoginta trium, Quæſt. 66.

10. *Ego autem mortuus ſum*. Morti æternæ obnoxius factus ſum prævaricatione legis: *& inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem*. Et ipſo eventu deprehenſum eſt, mandatum quod Deus dederat ut hominem ad vitam æternam dirigeret, hoc illi eſſe ad mortem pravo uſu, creſcente concupiſcentia, & prævaricatione crimen accumulante.

11. *Nam peccatum, occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit*. Fomes ille peccati, concupiſcentia illa naturæ depravatæ ingenita, occaſione accepta per mandatum, quo impoſito magis exarſit, *ſeduxit me, & per illud occidit*, occaſione accepta. „ Deſiderii ſcilicet prohibiti fructus dul„ cior eſt. Unde etiam quæcumque peccata occul„ te fiunt, dulciora ſunt: quamvis mortifera ſit iſta „ dulcedo. Unde apud Salomonem fallacis doctri„ næ imagine ſedens mulier, & inſipientes ut ad „ ſe veniant invitans, ait: *Aquæ furtivæ dulciores* „ *ſunt, & panis abſconditus ſuavior*. „ Iſta dulce„ do eſt occaſio per mandatum inventa peccati: „ quæ cum appetitur, utique fallit, & in majo„ res amaritudines vertit.

S. Auguſt. in Expoſit. Propoſit. 39.

Prov. 9. 17.

12. 13. *Itaque lex quidem ſancta* per ſe eſt, *& mandatum* quodcumque divinæ legis *ſanctum, & juſtum, & bonum*. Sanctum, quatenus officia religionis erga Deum ſancit: juſtum, quatenus officia juſtitiæ erga proximum decernit: & bonum, quatenus ordinem in nobis ipſis conſtituit, quo nihil utilius nobis eſſe poteſt. *Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors*, id eſt cauſa mortis? *Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem*: Sed fomes peccati, concupiſcentia, occaſione mandati quod per ſe bonum eſt, mihi mortem peperit, ut hinc ejus vitioſitas magis appareat: *ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum*: adeo ut ipſa concupiſcentia occaſione mandati vivacior facta, in nova & graviora peccata prorumperet. Peccatum inſtar principis cujuſdam deſcribit Apoſtolus, qui hoſtium vires intercipiens, ad imperii ſui firmamentum illas convertit. Ita concupiſcentia hoſtis ſui, id eſt legis poteſtatem in uſum ſuum convertit, ex ejus prohibitione occaſionem arripiens ad peccatum majorem in modum multiplicandum & aggravandum.

14. *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*. Lex ſpiritualis eſt, a Deo qui Spiritus purus eſt data, ut hominem ad ejus cultum dirigeret, non exteriorem duntaxat, ſed maxime interiorem. Spiritualis eſt, quia impleri non poteſt niſi per gratiam ſpiritus ſancti a viris ſpiritualibus. Spiritualis eſt, quia ſpiritualia præſcribit, ſive ea quæ ſpiritus ſunt, ſcilicet virtutes ſectari, vitia fugere. *Ego autem*, tametſi in Chriſto regeneratus, & per ejus gratiam juſtificatus, *carnalis ſum*, ratione concupiſcentiæ in me remanentis, & ſpiritui repugnantis, *venundatus ſub peccato*, ſub peccati jugo vetuſta ſervitute detentus perinde ac vile mancipium.

Apoſtolus hoc verſu & ſequentibus loquitur de homine regenerato & ſub gratia conſtituto.

In hujus & ſequentium Verſuum expoſitione diſſident antiqui Patres. S. Paulum in perſona hominis non regenerati, & ſub lege conſtituti loqui cenſent Origenes, S. Joannes Chriſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & ex Latinis in eam ſententiam propendet S. Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam, in Commentariis Habacuch. cap. 1. & Danielis cap. 3. Illam amplexus eſt & S. Auguſtinus in prioribus ſcriptis, cum nondum illi res eſſet adverſus Pelagianos, ſcilicet in Expoſitione Propoſitionum hujus Epiſtolæ, Propoſit. 41. 42. 45. in Expoſit. Epiſtol. ad Galat. c. 5. lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 1. & lib. Quæſtionum octoginta trium, Quæſt. 66. n. 5. Eam opinionem ut ſuæ hæreſi defendendæ magis opportunam ſecutus eſt Pelagius, in eam deſcenderunt Ambroſiaſter & Sedulius. Verumtamen contrariam ſententiam, ſcilicet Apoſtolum hoc Verſu & ſequentibus loqui de homine regenerato, ſub gratia conſtituto, & juſto, ſenſerunt Methodius Martyr apud S. Epiphanium, & Epiphanius ipſe Hæreſi 64. quæ eſt Origeniſtarum, S. Gregorius Nazianz. in Apologetico 1. de fuga ſua; S. Hilarius in Pſalm. 118. ad Verſ. 18. & ad Verſ. 115. & in Expoſit. Pſal. 1. S. Ambroſius lib. de Paradiſo capp. 11. & 12. quorum teſtimonia S. Auguſtinus adverſus Julianum Pelagianum profert lib. 2. S. Hieronymus in Epiſtol. ad Euſtochium Virginem & lib. 2. Dial. adverſus Pelagianos, Auguſtinus ipſe doctior factus in libris contra Pelagianos editis, ſcilicet lib. 1. Contra duas Epiſt. Pelagian. capp. 10. & 11. lib. 1. De Nuptiis & Concupiſcentia, cap. 27. lib. 3. Contra Julianum cap. ultimo, lib. 6. cap. 23. lib. De Continentia cap. 8. Serm. 154. alias 5. De Verbis Apoſtoli, lib. 1. Retractationum cap. 23. & 26. & lib. 2. cap. 1. lib. De Prædeſtinatione Sanctorum cap. 4. Lib. 6. Contra Julianum cap. 23. Juliano objicienti quod locum

iſtum intelligeret aliter quam debeat intelligi, ſic reſpondet: „ Non ego ſolus aut primus ſic iſtum locum intellexi, quo evertitur hæreſis veſtra, quemadmodum vere intelligendus eſt: immo vero ego prius eum aliter intellexeram; vel potius non intellexeram, quod mea quædam iſtius temporis etiam ſcripta teſtantur. Non mihi enim videbatur Apoſtolus & de ſe ipſo dicere potuiſſe, *Ego autem carnalis ſum*, cum eſſet ſpiritalis; & quod captivus duceretur ſub lege peccati, quæ in membris erat ejus. Ego enim putabam dici iſta non poſſe niſi de iis, quos ita haberet carnis concupiſcentia ſubjugatos, ut facerent quicquid illa compelleret; quod de Apoſtolo dementis eſt credere: cum etiam innumerabilis multitudo ſanctorum, ne concupiſcentias carnis perficiat, contra carnem ſpiritu concupiſcat. Sed poſtea melioribus & intelligentioribus ceſſi, vel potius ipſi quod fatendum eſt veritati; ut viderem in illis Apoſtoli vocibus gemitum eſſe ſanctorum contra carnales concupiſcentias dimicantium. Qui cum mente ſint ſpiritales, adhuc tamen iſto corruptibili corpore quod aggravat animam, recte intelliguntur eſſe carnales; quia erunt & corpore ſpiritales, quando ſeminatum corpus animale, reſurget ſpiritale: & recte adhuc intelliguntur ea parte captivi ſub lege peccati, quæ deſideriorum, quibus non conſentiunt, motibus ſubjacet. Hinc factum eſt ut ſic iſta intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambroſius, & ceteri Eccleſiæ ſancti notique Doctores, qui & ipſum Apoſtolum adverſus carnales concupiſcentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, ſtrenue conflixiſſe, eumdemque conflictum ſuum illis ſuis verbis conteſtatum fuiſſe ſenſerunt.

1. Cor. 15.

Auguſtinianæ porro expoſitionis veritatem probant etiam rationes ex ipſius capitis viſceribus petitæ. 1. Scopus Apoſtoli, qui docendum ſibi propoſuit, hominem in Chriſto regeneratum & ſub gratia conſtitutum non eſſe amplius damnationi obnoxium, quamvis adhuc carne ſerviat legi peccati, modo tamen ipſa mente ſerviat legi Dei, & non ſecundum carnem ambulet (Verſ. 25. hujus Capitis, & Verſ. 1. Capitis ſequentis.) 2. Mutatio temporis verbi, indicat Apoſtolum loqui de homine ſub alio ſtatu conſtituto. Verſu enim 7. 8. 9. 10. & 11. verbum præteriti temporis uſurpat, quia perſonam aſſumit hominis ante legem aut ſub lege poſiti, hominis peccatoris: *Peccatum non cognovi niſi per legem... Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam... Ego autem vivebam ſine lege aliquando.... Ego autem mortuus ſum, & inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.... Peccatum occaſione accepta, per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit*. A Verſu vero 14. loquitur de ſe ipſo in tempore præſenti, *Ego autem carnalis ſum*, &c. Quo loquendi modo indicat de ſe ipſo, & de regeneratis omnibus loqui a ſtatu peccati & legis ſervitute ad ſtatum gratiæ translatis, qui tamen quotidianam pugnam carnis adverſus ſpiritum experiuntur. Confer cum loco parallelo *ad Galatas* 5. 17. ubi renatos & ſub gratia conſtitutos alloquebatur: *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis*. 3. Quæ ibi dicit Apoſtolus in ſua & aliorum perſona, ſe *velle bonum*, *nolle & odiſſe malum*, *ſe illud non operari*; *conſentire* & *condelectari legi Dei*, *ſe mente ſervire legi Dei*.... Se non operari illud quod in carne ſua experitur legi Dei contrarium.... *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad perſonam hominis ſub gratia, non ſub lege conſtituti pertinent. S. Auguſtini expoſitionem ſecuti ſunt S. Proſper lib. contra Collatorem. cap. 4. S. Gregorius lib. 19. Moralium cap. 5. & lib. 29. cap. 15. Venerabilis Beda, S. Thomas.

S. Aug. l. 1. contra duas Epiſt. Pela.

15. *Quod enim operor, non intelligo*, id eſt non approbo, non conſentio, non facio. Ad affectum, non ad intellectum id referendum eſt: alioquin ſibi ipſi contrarius eſſet Apoſtolus, cum ſuperius dixerit, *Per legem cognitio peccati*: &, *Peccatum non cognovi niſi per legem*. Et, *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem*. Quomodo enim peccatum per legem cognovit, quod ignorat? Quomodo apparet peccatum, quod ignoratur? Sic ergo dictum eſt, *Non intelligo*, non facio, quia nulla conſenſione id ego ipſe committo: quomodo dicturus eſt Dominus impiis, *Non novi vos*; quem proculdubio latere nihil poteſt. & ſicut dictum eſt, *Eum qui non noverat peccatum*; quod eſt, non fecerat: Neque enim non noverat quod arguebat, *Non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio*. Ne carne quidem vellem concupiſcere, ſeu rebellis concupiſcentiæ motus ſentire, verum id penes me non eſt; ſed negare conſenſum in mea eſt poteſtate, & id preſto, menteque repugno cupiditati. Facere ergo malum ſe ait, *Non affectu conſentiendi & implendi, ſed ipſo motu concupiſcendi* (ait S. Auguſtinus.) Hæc duo verba, *bonum* & *malum*, Vulgatæ Verſionis Auctor ad majorem explicationem addidit, quibus nihil in Græco Textu reſpondet, neque in Syriaca Verſione. In divina quidem Bibliotheca quæ ſub S. Hieronymi nomine edita eſt, legitur ut in Vulgata noſtra. *Non enim quod volo bonum hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio*. Sed in Epiſtola ad Cteſiphontem adverſus Pelagium, hæc duo verba, *bonum* & *malum* omittit, hunc locum ita citans: *Non enim quod volo, hoc ago: ſed quod nolo, id operor*. Sic etiam legit S. Auguſtinus: *Non enim quod volo, hoc ago: ſed quod odi, illud facio*. Sic etiam legit Ambroſiaſter.

S. Aug. l. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 10.

Matt. 7. 23. 2. Cor. 5. 21.

Pravi concupiſcentiæ motus refrænandi, iiſque negandus conſenſus.

16. 17. *Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt*. Si autem carne concupiſco, quod nollem facere: edoctus a lege, *Non concupiſces*, conſentio legi, meque illi conformo recta & integra voluntate, agnoſcens quod bona ſit. *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Nunc autem, conſtitutus ſub gratia, quæ liberavit delectationem voluntatis a conſenſione cupiditatis, jam non ego operor pravos illos concupiſcentiæ motus, quia non conſentio exhibere membra mea arma iniquitatis peccato; ſed illos operatur inhabitans in me concupiſcentia. Fruſtra hunc locum ad ſui patrocinium erroris trahunt immundi Quietiſtæ. „ Nam ſi *homo* & concupiſcit & conſentit & agit; quomodo non ipſe illud operatur, etiamſi ſe operari doleat, & vinci graviter ingemiſcat?.... Multum autem fallitur homo, qui conſentiens concupiſcentiæ carnis ſuæ, & quod illa deſiderat decernens facere & ſtatuens, putat ſibi adhuc eſſe dicendum, *Non ego operor illud*; etiam oderit quia conſentit. Simul enim eſt utrumque, & ipſe odit, quia malum eſſe novit; & ipſe facit, quia facere ſtatuit. Jam vero ſi & illud addat, quod Scriptura prohibet, dicens, *Neque exhibueritis membra veſtra arma iniquitatis peccato*, ut quod facere ſtatuit in corde, etiam corpore compleat; & ideo dicat, *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, quia cum id decernit & facit, diſplicet ſibi: tantum errat, ut nec ſe ipſum agnoſcat; quando cum ex toto ipſe ſit, & corde ſtatuente & corpore implente, ſe ipſum eſſe non putat. Qui ergo dicit, *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*: Si tantummodo concupiſcit, verum dicit; non ſi cordis conſenſione decernit, aut etiam corporis miniſterio perficit.

Immundi Quietiſtæ, refelluntur. S. Aug. ibid. & lib. 1. De Nuptiis & concupiſc. c. 28.

18. *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum*. Experientia novi, in me, quatenus ſum carnalis, ſecundum veterem Adami corruptionem, de qua Chriſtus Dominus dixit, *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*, nullum ineſſe bonum. *Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio*. Velle bonum, etiam perfecte, mihi per Chriſti gratiam renovato & adjuto jam adeſt: volo enim non concupiſcere, ne quidem carne: ſed ut totum illud, quod volo bonum perficiam, non aſſequor, carne remoram injiciente. Secundum Textum Græcum vertendum eſſet, *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum, non*: id eſt, non mihi adjacet perficere bonum. Non ait, facere; ſed, perficere bonum, quia facere bonum, eſt poſt concupiſcentias non ire: perficere autem bonum, eſt non concupiſcere. Quod eſt ad Galatas, *Concupiſcentias carnis ne perfeceritis*; hoc e contrario eſt hoc in loco, *Perficere autem bonum non invenio*. Quia nec illæ perficiuntur in malo, quando eis non accedit noſtræ voluntatis aſſenſus: nec noſtra voluntas perficitur in bono, quamdiu illarum cui non conſentimus permanet motus.

Joan. 3. 6.

S. Aug. lib 5. contra Julian. c. 26.

Galat. 5. 16.

Velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio: ita interpretabatur Caſſianus, quaſi per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnumquam prodeant bonarum voluntatum principia, quæ tamen, niſi a Deo dirigantur, ad conſummationem virtutum pervenire non poſſunt. Semipelagianam illam expoſitionem refellit S. Proſper: Dixit quidem beatus Apoſtolus. „ Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. *Sed idem dixit*, Non quia idonei ſumus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Et idem dixit*, Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. *Non ergo Apoſtolus ſibi contrarius eſt*. Sed cum donatum nobis fuerit bo-

Semipelagiana Caſſiani expoſitio refellitur.

S. Proſper lib. contra Collatorem cap. 4. 2. Cor. 3. 5. Philipp. 2. 13.

„ num

„ num velle, non ſtatim invenimus & facere, niſi petentibus, quærentibus, atque pulſantibus, qui dedit deſiderium, præſtet effectum. Vox iſta dicentis, *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*; vocati eſtis, & jam ſub gratia conſtituti, qui condelectatur quidem legi Dei ſecundum interiorem hominem, ſed videt aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ; & captivantem ſe in lege peccati: & quamvis acceperit ſcientiam recte volendi, virtutem tamen in ſe non invenit eorum quæ optat operandi, donec pro bona voluntate quam ſumpſit, virtutum mereatur facultatem inveniendo quam quærit.

19. 20. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Id magis inculcat quod jam ante dixit Verſ. 15. & 17. ut probet ſe minime aſſequi in hac vita mortali, ut quod vult bonum, ſcilicet non concupiſcere, perficiat.

Innata concupiſcentia, lex peccati legi Dei repugnans.

S. Aug. l. 1. De nuptiis & concupiſc. cap. 30.

21. 22. *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum: quoniam mihi malum adjacet*. Volens igitur facere bonum, propenſionem ad malum, quæ mihi innata eſt, experior, legem fomitis, legem peccati, concupiſcentiam legi Dei repugnantem; quæ lex propterea vocatur, quod motibus ſuis inſtiget ad peccatum, ſicut lex promiſſis & minis ad officium „ invitat. Vel, invenio legem mihi eſſe bonam, volenti facere quod lex vult: quoniam non ipſi legi, quæ dicit, *Non concupiſces*: ſed mihi adjacet malum quod nolo, quia & nolens concupiſco. Syriaca Verſio lucem aliquam huic Verſui afferre poteſt: *Comperio ergo* (inquit) *hanc legem conſentientem menti meæ volenti bene agere, quoniam malum propinquum eſt mihi*. Id eſt, Ex pugna quæ inter conſcientiam lege illuſtratam, & concupiſcentiam mihi adhærentem continuo committitur, compertum habeo legem conſentientem eſſe menti meæ volenti facere bonum, & neganti conſenſum ſuum affectibus pravis, ſubitiſque concupiſcentiæ motibus. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem*. Legem Dei non ſolum approbo ut bonam, juſtam & ſanctam, ſed eam amo, ejuſque obſervantia delector ſecundum rationem & voluntatem, qui homo interior eſt per Chriſti gratiam renovatus.

23. *Video autem aliam legem in membris meis*, legem fœdam, legem miſeram in carne mea ſentio, concupiſcentiam, *repugnantem legi mentis meæ*, rebellem rationis divina lege illuſtratæ imperio, & continuum bellum adverſus eam gerentem; & *captivantem me*, ſeu captivare conantem in *lege peccati*, ſub lege peccati, *quæ eſt in membris meis*: id eſt, ſibi ipſi velut captivum ſubjicere. *Et captivantem me*, carne, non mente; motione, non „ conſenſione: & ideo captivantem me, quia & in ipſa carne non eſt aliena natura, ſed noſtra. Unde ſuperius dixit Apoſtolus, *Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum*. „ Hæc ergo captivatur ſub lege peccati, in qua non habitat bonum, hoc eſt, caro. Carnem autem nunc appellavit, ubi eſt morbidus quidam carnis affectus; non ipſam corporis conformationem ... Nam quantum attinet ad ipſam corporalem ſubſtantiam atque naturam, in viris fidelibus ſive conjugatis, ſive continentibus, jam templum Dei eſt. Attamen ſi omnino nihil carnis noſtræ captivum teneretur, non quidem ſub diabolo, quia & ibi facta eſt peccati remiſſio, ut peccatum non imputetur, quod proprie lex peccati vocatur; tamen ſub ipſa lege peccati, hoc eſt ſub concupiſcentia ſua, niſi aliquantum teneretur caro noſtra captiva, quomodo eſſet verum quod ait idem Apoſtolus, *Adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri*? In tantum igitur adhuc, expectatur redemptio corporis noſtri, in quantum adhuc ea aliqua parte captivum eſt ſub lege peccati.

S. Aug. l. 1. contra duas Epiſtolas Pelagian. c. 10. & lib. 1. De Nuptiis & concupiſc. c. 31.

Rom. 8. 23.

Sola Chriſti gratia ab hac concupiſcentiæ carnalis captivitate nos aliquando liberabit.

S. Aug. l. 1. de Nuptiis & concupiſc. cap. 31.

24. 25. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quis me liberabit de corpore hoc mortali, de corpore his rebellis concupiſcentiæ motibus obnoxio? *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Gratuita Dei bonitas per Jeſum Chriſtum ab hac corruptione, ab hac captivitate me aliquando liberabit. „ Cum enim id ipſum corpus incorruptibile recipietur, plena erit liberatio a corpore mortis: a quo non liberantur qui ſunt ad pœnam reſurrecturi. Ad corpus ergo mortis hujus intelligitur pertinere, ut alia lex in membris repugnet quidem legi mentis; non tamen regnet in noſtro mortali corpore, ſi non obediatur deſideriis ejus. Solent enim & hoſtes adverſus quos dimicatur, & inferiores eſſe in certamine, & victi aliquid tenere captivum: quod in noſtra carne quamvis ſub peccati lege teneatur, tamen in ſpe redemptionis eſt; quia ipſa vitioſa concupiſcentia nulla omnino remanebit, caro autem noſtra ab ea peſte morboque ſanata, & tota immortalitate veſtita, in æterna beatitudine permanebit.

Græci Codices habent, Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ id eſt, *Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum*. Cui conſentit Syriaca Verſio. Senſus eſt, Gratias ago Deo, qui per Jeſum Chriſtum me tandem liberabit ab hoc corpore mortis, & a lege peccati. Et quamvis divina S. Hieronymi Bibliotheca Vulgatæ noſtræ lectionem exhibeat, ipſe tamen Hieronymus in Epiſtola ad Algaſiam eo modo legit quo Græci. „ Cum videretur, inquit, extrema deſperatio, immo aperta confeſſio, omnem hominem diaboli laqueis irretiti; converſus in ſe Apoſtolus, immo homo ſub cujus perſona Apoſtolus loquitur, agit gratias Salvatori, quod redemptus ſit ſanguine ejus, & ſordes in baptiſmo depoſuerit, & novum Chriſti aſſumpſerit veſtimentum, & mortuo veteri homine, natus ſit homo novus, qui dicat: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui me de corpore mortis liberabit.

Quæſt. 8.

Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei; carne autem legi peccati. Ipſe ego Paulus, quamdiu in hoc mortali corpore detineor, plenaque liberatio mea differtur, mente ſervio legi Dei, non conſentiendo legi peccati; carne autem ſervio legi peccati, habendo deſideria peccati, quibus etſi non conſentio, nondum tamen penitus careo. Ex his concludit S. Auguſtinus, Apoſtolum non quidem ſe ſolum in ſua perſona, verum alios etiam ſub gratia conſtitutos ſignificaſſe, ſed ſecum nondum in illa conſtitutos pace perfecta, in qua abſorbebitur mors in victoriam.

S. Aug. l. 1. ad Bonifacium cap. 10.

CAPUT VII.

Senſus Moralis.

1. *AN ignoratis, fratres, quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?* Qui ſpiritu Dei non ducitur, nec dicere poteſt: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, ſervituti & maledicto legis obnoxius eſt, quam implere non poteſt ſine gratia .... Nobis dominetur lex gratiæ, lex Evangelii, lex caritatis, quanto tempore vivimus; ab ea nuſquam deficiamus, ut non dominetur nobis omnis iniquitas.

Uxor viro ſubdita ſit, ut vir legi.

2. *Nam quæ ſub viro eſt mulier, alligata eſt legi*, &c. Uxor viro ſubdita ſit ut vir legi; ab eo dirigatur ad bonum, illum amet, illi pareat; non timore pœnæ, ſed amore caſto fidem illi ſervet: Vir autem Chriſtianus cum uxore agat ut gratia cum hominis voluntate, ſuaviſſima benignitate, & caritatis imperio illam regens, illi conſulens, illi compatiens & condeſcendens tamquam infirmiori vaſculo; ut regimine viri delectetur, nec illud umquam excutere cogitet, vel ab eo tantiſper deficere, quamdiu vivit.

Adulterium ſpirituale quam frequens.

3. *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus: liberata eſt a lege viri &c.* Anima Chriſto ſemper viventi & nunquam deinceps morituro deſponſata, corrumpitur, adultera eſt, ſi alios amatores admittat, ſi creaturis adhæreat. Dividere enim illis cor ſuum non poteſt, quod ſponſo totum debet. Aliud præter Deum amare plus quam ipſum, in amore alicujus rei creatæ acquieſcere, ſpirituale adulterium eſt, propter quod anima repudiari meretur a Deo, & ab eo audire: *Ipſa non uxor mea, & ego non vir ejus*.

Oſee 2.

Adulterii enormitas.

Vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Adulterium, immane crimen, publicæ Pœnitentiæ obnoxium, quamdiu in Eccleſia viguit ſaluberrima diſciplina; cujus criminis rei olim a Communione in quibuſdam Eccleſiis in perpetuum ſeparati, immo Abſolutionis Sacramentalis privati beneficio, non deſperatione veniæ, ſed rigore diſciplinæ. Quod in Eccleſia Africana aliquando obſervatum a quibuſdam Epiſcopis ante Novatianam hæreſim exortam, ad execrationem criminis, & ad ejus contagionem a fidelium cœtu avertendam, S. Cyprianus teſtis eſt, *Dandam pacem* (inquit) *mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt*. Severior obſervatio mitigata eſt, conceſſa Pœnitentia, negata Communio. Indignum

Epiſt. 52. ad Antonianum.

Innocentius I. Ep. 3. ad Exuper.

viſum eſt, ut corporis *Chriſti* Communione donarentur, qui ſingularem & maxime gravem injuriam Chriſto Eccleſiæ Sponſo intulerant, cujus ſacratiſſimæ & individuæ cum Eccleſia conjunctionis, matrimonium ſacramentum eſt, Apoſtolo dicente: *Sacramentum hoc magnum eſt; in Chriſto dico & Eccleſia* . . . Marito vivente, mulier cum alio viro non ſit, non ſolum corpore, cujus poteſtatem non habet, ſed nec corde & amore, aut nimia familiaritate. Ab alio viro dulces literulas, vel munera non accipiat, quæ alteri ſenſim alligant; non blandiora verba audiat, quæ caſtus amor nec prof.rt, nec lubenter audit. Hæc enim morituræ caſtitatis indicia ſunt, adulterii præludia. Non alteri placere ſtudeat quam viro ſuo. Si enim alteri placere uxores ſtuduerint aut conflctæ & elaboratæ pulchritudinis ſuggeſtu, aut mundi muliebris pompis, quodam modo adulteræ ſunt. *Solis maritis veſtris placere debetis, in tantum autem placebitis eis, in quantum aliis placere non curaveritis* (inquit Tertullianus Chriſtianas feminas alloquens) *Nulla uxor deformis eſt marito ſuo. Satis placuit cum electa eſt, ſeu moribus ſeu forma commendata . . . Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.*

Tertullian. Lib. 2. De cultu feminarum.

S. Ambroſius l. De viduis, cap. 11. & 15.

Si autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri, &c. Statum „ matrimonii genua quoddam ſervitutis eſſe Apoſtolus innuit; Vinculum eſt conjugium, quo mulier ligatur & ſolvitur. Bona mutui amoris gratia, ſed major eſt ſervitus, *Neque enim mulier ſui corporis poteſtatem habet, ſed vir.*
„ Et ne forte tibi non conjugii videatur eſſe iſta
„ ſervitus, ſed ſexus: *Similiter & vir ſui corporis*
„ *poteſtatem non habet ſed mulier.* Quanta igitur conjugii neceſſitas, quæ ſubjicit alteri etiam fortiorem? Mutuis enim neceſſitatibus ab utroque ſervitur. Nec temperanti licit jugo ſubducere caput, cum alterius intemperantiæ ſerviendum ſit. Videtis quam evidens ſit conjugalis definitio ſervitutis. Non ego hoc dico, ſed Apoſtolus: nec ille, ſed Chriſtus qui loquebatur in eo. Et hanc utique ſervitutem de bonis conjugibus definivit. *Quod ſi*, inquit, *infidelis diſcedit, diſcedat. Non eſt ſervituti deditus frater aut ſoror in talibus.* Si igitur bonum „ conjugium ſervitus eſt, malum conjugium quid „ eſt, quando nequeunt ſe invicem ſanctificare, ſed „ perdere! Libertatem parvitacit juvenis vidua, „ quæ ſecundo nubit, & magno quandoque pretio „ emit miſeram ſervitutem. Nos filios deſideras; „ quos habes, (inquit S. Ambroſius) ſed ſervitutem „ quam non habes. Hæc eſt enim vera ſervitus, „ in qua infractior amor, quem non deſloratæ pignus virginitatis, & plena ſancti pudoris & gratiæ ætas prima commendat: ubi offenſa gravior, „ ſuſpectior inſolentia, concordia infrequentior, „ quam non temporibus inolitus amor, non vigens annis forma conciliat. Moleſta pietas, ut „ amare liberos metuas, aſpicere liberos erubeſcas, „ atque inde oriatur cauſa diſcordiæ, unde ſolet „ mutuus amor mulcere affectus parentum. Generare liberos vis, non fratres tuorum, ſed adverſarios filiorum. Quid eſt ergo generare alios liberos, niſi ſpoliare quos habes liberos: quibus „ pariter auferuntur & pietatis officia, & compendia facultatum? . . . . Si autem filios in priori „ conjugio non ſuſcepiſti, vel amiſiſti, cujuſce conſilii eſt iterum experiri velle fruſtra tentatam „ fœcunditatem, aut ſubire quam pertuleris, orbitatem? . . Audiant potius conſilium Apoſtoli viduæ chriſtianæ, & in eo ſtatu manentes, libertate a Deo data utantur ut illi uni ſerviant. *Tanto magis liberæ* futuræ, *quanto Chriſti ſelius ancillæ.* Væ illi quæ velamen habent malitiæ libertatem.

1. Cor. 7. 4. 34. 15.

Conjugium in quo uxoris utrique ſervitus.

Viduæ ſecundo nubentes magno quandoque pretio emunt miſeram ſervitutem.

Tertullian.

Spiritales Chriſti nuptiæ cum Eccleſia.

4. 5. 6. *Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti, ut ſitis alterius, qui ex mortuis ſurrexit, ut fructificemus Deo.* Tota vetuſtas Adami & litteræ quæ occidit, mortua in cruce cum Chriſto eſt. In ipſo reſurgente facta ſunt omnia nova: novus homo, novus gratiæ ſtatus, novum fœdus nuptiarum cum Eccleſia, quarum novi fructus, juſtitiæ & bonorum operum. „ Ad ſanctas illas „ nuptias pariter vocati Gentiles ac Judæi. Hi „ ſub legis jugo quaſi ſub viri poteſtate vivebant. „ Sed ubi venit plenitudo temporum, lex infirmari „ cœpit in carne, & infirmitatem mors conſecuta „ eſt; & plurimi qui ſub hujus viri poteſtate vixerant, tamquam mulier Spiritui nubunt, Chriſto credentes. Qui vero ex Gentibus Domino crediderunt: ſub hujus viri id eſt legis non vixerunt poteſtate. Id declarat Iſaiæ Prophetæ oraculum. *Lauda ſterilis, quæ non paris: quoniam multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum, dicit Dominus.* „ Multos filios dicit deſertæ magis quam ejus „ quæ habet virum, quia multo plures ex Gentibus, quam ex *Judæis* crediderunt. Et oſtendit „ eam quæ habet virum, Synagogam eſſe quæ habet legem; deſertam vero ac vagam, ac ſine „ ulla poteſtate legis viventem, multitudinem Gentium, quæ & ſterilis erat, nullius boni ac ſalutaris operis fructum ferens. " Ex hac gentium multitudine per Chriſtum vocati ſumus, legi etiam mortui per Corpus Chriſti, in quo iniquitates noſtras tulit, & peccata noſtra portavit. Ipſi commortui ſumus & conſepulti in baptiſmo, unum corpus cum ipſo effecti, unus Chriſtus. Chriſto igitur a morte redivivo ut ſponſæ fideles amore caſto adhæreamus: nihil amemus niſi quod diligit, nihil niſi propter ipſum acquiramus; in ipſo, per ipſum, & propter ipſum, bonis operibus fœcundi ſimus; *Ut ſitis alterius, qui ex mortuis ſurrexit, ut fructificemus Deo.* Secundum Adami vetuſtatem, antequam Gratiæ Chriſti adjutorium infirmitati noſtræ ſubveniret, ſervi pravarum cupiditatum eramus, quæ operum noſtrorum principia ut plurimum erant; opera ſterilia erant reſpectu vitæ æternæ, quin potius mortem æternam infrugifera illis operibus tenebrarum merebamur, ſecundum carnem viventes. *Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.* Nunc vero facti per baptiſmum filii Dei, & membra Chriſti, per Spiritum ejus non niſi opera Deo digna, opera juſtitiæ, opera ad vitam æternam perducentia offerre debemus. *Nunc autem* per gratiam Jeſu Chriſti Domini noſtri *ſoluti ſumus* non ſolum a Legis, ſed a peccati ſervitute & morte, *a lege mortis in qua detinebamur*: Dei ſervituti glorioſæ ac felici addicti ſumus: *Ita ut ſerviamus*: Spiritu ſancto in cordibus noſtris diffuſo renovati: *in novitate Spiritus*: „ Non „ jam ſervi legis per timorem, ſed amici per caritatem, & ſervi juſtitiæ unde illa lex promulgata „ eſt. Juſtitiæ autem non ſerviliter, ſed liberaliter „ ſerviendum eſt, id eſt, caritate potius quam ti„ more: *& non in vetuſtate litteræ.*

S. Auguſt. lib. Quæſt. 83. quæſt. 66.

7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret, Non concupiſces.* Lex Dei gratia eſt, ſed exterior: docet hominem, non ſanat: intellectum illuſtrat; non adjuvat voluntatem: terret conſcientiam; non mundat, non juſtificat; peccatum indicat, non aufert. Generalis prohibitio legis eſt, *Non concupiſces*: generalis juſſio, *Diliges*. Quod alibi una ſententia complexus eſt Apoſtolus: „ *Nolite conformari huic ſæculo: ſed* „ *reformamini ſpiritu mentis veſtræ.* Illud pertinet ad „ non concupiſcere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad juſtitiam; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non „ concupiſcendo enim vetuſtate exſpoliamur, & „ novitate induimur diligendo. Sed nec quiſquam „ poteſt continens eſſe, niſi Deus det, & caritas „ Dei diffundatur in cordibus noſtris, non per nos „ ipſos, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt „ nobis. Hoc autem fit de die in diem in iis, qui „ volendo, & credendo, & invocando proficiunt, „ & præterita obliviſcentes, in ea quæ ante ſunt „ extenduntur. Ad hoc enim lex iſta præcipit, ut „ cum in his implendis homo defecerit, non ſe „ extollat ſuperbia tumidus, ſed ad gratiam confugiat fatigatus; ac ſic eum lex terrendo, ad „ Chriſtum diligendum pædagogi perducat officio... „ Lex ait, *Non concupiſces*, quibus verbis quid aliud „ imperat, niſi ab illicitis cupiditatibus continentiam? Animus quippe velut pondere amore fertur quocumque fertur. „ *Jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus caritatis, donec illud conſumatur, hoc perficiatur.*

Lex hominem ad Chriſtum pædagogi perducit officio.

S. Auguſt. lib. De Perfectione juſtitiæ hominis, c. 5. Rom. 12. 2.

S. Auguſt. Epiſt. 157. alias 89. ad Hilarium.

8. 9. 10. *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Naturæ noſtræ corruptione, quæ majoribus Dei beneficiis abutitur. Lex nobis funeſta evadit, niſi illam Gratia Salvatoris comitetur. 1. Inflammat concupiſcentiam, quæ cohibita velut aggere legis oppoſito, majori impetu in prava deſideria erumpit, 2. Peccatum excitat, quod in homine ſine lege vivente conſopitum erat. Sibi enim videbatur vivere, quia peccatum non cognoſcebat, legem ignorans. Accedente autem lege, peccatum cognitum eſt, magiſque reum fecit hominem: gravius enim peccat ſciens quam ignorans. *Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus ſum.* Heu infelicem hominis peccatoris ſtatum! cui vel ignorantia legis occaſio ruinæ eſt; vel ſcientia legis a Deo data ut ad vitam æternam perveniret obſervando mandata, vertitur in mortem depravata & prævaricatrice voluntate. *Et inventum eſt mihi man-*

Lex generalis naturæ noſtræ corruptione nobis funeſta evadit, niſi eam gratia Chriſti comitetur.

Digitized by Google

mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. O quam multi nomen habent quod vivant, & mortui ſunt coram Deo, qui nimirum & Chriſtianæ vitæ officia ignorare amant, & mortem peccati, cujus in umbra ſedent & placide conquieſcunt, penitus ignorant. Nec legis exterius admonentis, nec gratiæ mentem illuſtrantis & voluntatem excitantis vocibus interioris hominis aures accommodant, ut ſe mortuos fateantur, & ad Salvatorem confugiant, qui ſolus mortuos efficaciſſima gratia ſuſcitare poteſt. *Ego autem mortuus ſum*. O Domine, *Doce me juſtificationes tuas, da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo... Vivifica me, & cuſtodiam ſermones tuos*.

Pſalm. 118.

11. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit*. Lex humilibus lux eſt puriſſima, tuto illos dirigens in via juſtitiæ, ut non declinent neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſuperbis vero ſeductionis & illuſionis occaſio eſt, quia de viribus liberi arbitrii præſumentes, ſe concupiſcentiam vincere poſſe ſine gratia Chriſti confidunt, nec ad eam confugiunt ut a morte peccati liberentur. *Nam peccatum, occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit*.

Lex homini demonſtrat ſuam infirmitatem, ut quærat Salvatorem.

12. 13. *Itaque lex quidem ſancta*, &c. „ Lex enim docendo & jubendo quod ſine gratia impleri non poteſt, homini demonſtrat ſuam infirmitatem, ut quærat demonſtrata infirmitas Salvatorem, a quo ſanata voluntas poſſit, quod infirma non poſſet. *Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat Spiritum largiorem, diffundit Spiritus caritatem, implet caritas legem*. Ita bona eſt lex illi qui ea legitime utitur: utitur autem legitime, qui intelligens quare ſit data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem: " *Hæc gratia qua juſtificatur impius, quiſquis ingratus velut ad legem implendam de ſuis viribus fidit, ignorans Dei juſtitiam, & ſuam volens conſtituere, juſtitiæ Dei non eſt ſubditus: ut per hoc ſit ei lex non abſolutionis adjutorium, ſed vinculum criminis. Non quia lex malum eſt, ſed quia* peccatum per bonum *talibus* operatur mortem; ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. *Per mandatum enim gravius per delinquis, qui mandatum ſcis quam malum ſit, quod admittis*. Quanto major eſt humanæ depravatio voluntatis, tanto admirabilior eſt gratia Salvatoris, ſanans infirmitatem noſtram. „ Hæc eſt utilitas legis, quia oſtendit hominem ſibi ipſi, ut ſciat infirmitatem ſuam, & videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiſcentia quam ſanetur. Appetuntur enim ardentius quæ vetantur, dum id quod ſpiritualiter jubetur, carnalis obſervare compellitur. Ut autem ſit ſpiritalis, qui legem impleat ſpiritalem, non fit ipſa lege, ſed Gratia; hoc eſt, non imperio, ſed beneficio; non jubente littera, ſed juvante Spiritu. Incipit autem homo ſecundum gratiam in interiori homine renovari, ut mente agat quod amat, nec carni conſentiat agenti quod odit, id eſt, ut omnino non concupiſcat; ſed ut poſt concupiſcentias ſuas non eat". Lex ſancta eſt: eam veneremur ut a Sancto ſanctorum nobis datam ad ſanctificationem noſtram; juſta eſt, eam diligamus, illique adhæreamus amore juſtitiæ: *bonum* eſt *mandatum*, nobis utile ad vitam æternam conſequendam, illud fideliter obſervemus & impleamus. *Bonum mihi*, Domine, *lex oris tui ſuper millia auri & argenti*. Qui enim mandata tua obſervaverit, vivet in illis. Benedictus Deus, qui hominis utilitatem cum gloria ſua conjungere voluit & dignatus eſt.

S. Auguſt. Epiſt. 145. aliàs 144. ad Anaſtaſium.

1. Tim. 1. 8.

Rom. 10. 3.

S. Auguſt. Epiſt. 196. aliàs 200. ad Aſellicum.

Pſalm. 118.

14. *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*. Legem Dei, quæ ſpiritualis eſt, non amamus, ſi concupiſcentiæ lege adverſus eam in nobiſmetipſis pugnante non humiliamur, non contremiſcimus, non gemimus. *Carnalis ſum, venundatus ſub peccato*, ait Apoſtolus ardens divina caritate: ſpiritalis ſum, ait homo carnalis flagrans prava cupiditate. Ille ſub peccato venundatum ſe luget: iſte juſtitiæ laudem aucupatur. Ille caſtigat corpus ſuum & in ſervitutem redigit, ne ſerviat peccato: iſte temere ſe exponit objectis & occaſionibus omnibus, quæ illicere, excitare, & accendere concupiſcentiam poſſunt. Ad felicem illum immortalitatis ſtatum ſuſpiremus, in quo totus homo ſpiritalis erit, & a peccati ſervitute non ſolum ſpiritu, ſed carne liberatus, ut non ſolum poſſit non peccare, quæ nunc libertas eſt hominis pugnantis: ſed ut non poſſit peccare, quæ tunc erit felicitas triumphantis. Heu! quot pravas cogitationes, quot deſideria, quot motus indeliberatos parit concupiſcentia in ipſis etiam juſtis! quot etiam peccata parturit mente non ſatis vigilante, aut ipſa voluntate conſentiente! propter quæ neceſſe eſt ut dicamus Patri noſtro qui eſt in cœlis: *Dimitte nobis debita noſtra*.

Legem Dei non amamus ſi concupiſcentiæ lege adverſus eam gemimus.

15. 16. *Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod nolo malum illud facio*. Volo non concupiſcere, & concupiſco. Illud ago carne, non mente. Aliud eſt *non concupiſcere*, aliud *poſt concupiſcentias ſuas non ire*. „ Non concupiſcere, omnino perfecti eſt; poſt concupiſcentias non ire, pugnantis eſt, luctantis eſt, laborantis eſt; Ubi fervet pugna, quare deſperatur victoria? Quando erit victoria? Quando abſorbebitur mors in victoriam? Tunc enim vox erit triumphantis, non ſudor pugnantis. *Si autem quod nolo hoc facio, conſentio legi, quoniam bona eſt*. Non implet legem infirmitas mea, ſed laudat legem voluntas mea. Quid enim Lex dicit? *Non concupiſces*. Et ego nolo concupiſcere, & tamen concupiſco, quamvis concupiſcentiæ meæ aſſenſum non præbeam, quamvis poſt eam non eam. Reſiſto enim, averto mentem, nego arma, teneo membra, & tamen fit in me quod nolo. Quod non vult lex, nolo cum lege; ergo conſentio legi." Vox hæc ſanctorum eſt qui contra concupiſcentias ſuas pugnant, non immundorum, non hominum mente & corpore carnalium, qui ſubjugati pertrahuntur; immo non pertrahuntur, quia libenter ſequuntur. Audi vocem Apoſtoli: *Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis*. Melius quidem erat implere quod Lex dicit, *Non concupiſces*. Plenitudo eſt illa virtutis, perfectio juſtitiæ, palma victoriæ. „ Hoc quia modo impleri non poteſt, vel illud impleatur, *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. „ Melius eſt eas non habere: ſed quia ſunt, noli poſt eas ire. Nolunt poſt te ire: Noli poſt eas ire. Si velint poſt te ire; non erunt; quia contra mentem tuam non rebellabunt. Rebellant, rebella; pugnant, pugna; expugnant, expugna: hoc ſolum vide, ne vincant... Semper pugnandum eſt, quia ipſa concupiſcentia, cum qua nati ſumus, finiri non poteſt quamdiu vivimus: quotidie minui poteſt, finiri non poteſt.

S. Auguſt. Serm. 154. aliàs 3. De Verbis Apoſtoli.

Aliud eſt non concupiſcere, aliud poſt concupiſcentias ſuas non ire.

Galat. 5. 16.

S. Auguſt. Serm. 151. aliàs De Tempore 45.

Eccli. 18. 30.

18. *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio*. Carnalis hominis appetitus repugnat ſpiritualis hominis voluntati; cupiditas caritati, caro ſpiritui. Gemamus, oremus, vigilemus, pugnemus, carnem cum vitiis & concupiſcentiis ſuis crucifigamus. *Velle adjacet mihi*, non ex me ipſo, nulla enim bona voluntas, nullum bonæ voluntatis initium in nobis eſt ex nobis; ſed ex gratia Dei, qui in nobis operatur & velle: *Perficere autem non invenio*. „ Fiunt in nobis concupiſcentiæ malæ, quando id quod non licet, libet; ſed non perficiuntur, cum legi Dei mente ſerviente libidines continentur. Et bonum fit, cum id quod male libet, vincente bona delectatione non fit, ſed boni perfectio non impletur, quando legi peccati carne ſerviente libido illicit, & quamvis contineatur, tamen movetur. Non enim opus eſſet ut contineretur, niſi moveretur. Erit quandoque etiam perfectio boni, quando conſumptio mali: illud ſummum, hoc erit nullum. Quod ſi in iſta mortalitate ſperandum putamus, fallimur. Tunc enim erit, quando mors non erit; & ibi erit, ubi vita æterna erit." *In illo enim ſæculo & in illo regno erit bonum ſummum, malum nullum; quando erit & ubi erit ſapientiæ amor ſummus, continentiæ labor nullus*. „ Non igitur mala eſt caro, ſi malo careat, id eſt, vitio quo vitiatus eſt homo, non factus male, ſed ipſe faciens. Ex utraque enim parte, id eſt, & anima & corpore a bono Deo factus bonus, ipſe fecit malum quo factus eſt malus. A cujus mali reatu jam etiam ſolutus per indulgentiam, ne leve exiſtimet eſſe quod fecit, adhuc cum ſuo vitio pugnat per continentiam. " *Abſit autem ut inſint ulla vitia in illa quæ futura eſt pace regnantibus: quando quidem in iſto bello quotidie minuuntur in proficientibus, non peccata ſolum, ſed ipſæ quoque concupiſcentiæ, cum quibus non conſentiendo confligitur, & quibus conſentiendo peccatur*. „ Quod ergo *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, quod *non habitat in carne noſtra bonum*, quod *lex in membris noſtris repugnat legi mentis*, non eſt duarum naturarum ex contrariis principiis facta commixtio, ſed unius adverſus ſe ipſam propter peccati meritum facta diviſio.... *Non eſt iſta prima vita creati hominis, ſed poſterior pœna damnati*. Ex qua damnatione per Jeſum Chriſtum gratia liberati, cum pœna ſua dimicant liberi, nondum ſalute plena, ſed jam pignore ſalutis accepto: non liberati autem & „ pec-

S. Auguſt. lib. De Continentia, c. 8.

Concupiſcentia quotidie minuitur in proficientibus, penitus deſtruetur in regnantibus.

„ peccatis rei ſunt, & ſupplicii implicati. Poſt hanc vero vitam reis; manebit in æternum pœna pro culpa; liberis non permanebit in æternum cum culpa, nec pœna: ſed permanebunt in æternum ſubſtantiæ bonæ ſpiritus & caro, quas Deus bonus & immutabilis bonas, quamvis mutabiles, condidit. Permanebunt autem in melius commutatæ, numquam jam in deterius mutandæ, conſumpto penitus omni malo, & quod homo fecit injuſte, & quod paſſus eſt juſte. Quibus duobus mali generibus omnino pereuntibus, quorum eſt unum præcedentis iniquitatis, alterum conſequentis infelicitatis, erit hominis ſine ulla pravitate voluntas recta.

20. *Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Reus non eſt quicumque motus & pugnas concupiſcentiæ rebellis in ſe experitur. Juſtus non eſt, quiſquis non experitur. Timeat iſte ne jam ſit ab illa devictus: non deſperet ille, quaſi Deo ſit inviſus. Reum enim hominem & Dei inimicum non faciunt, qui in ipſo exurgunt pravi motus, ac deſideria carnis, niſi ipſis conſentiat. „ Unde ipſi Apoſtoli a conſenſione pravarum libidinum liberi, de concupiſcentia carnis, quam moderando frænabant, tanta humilitate & pietate gemebant, ut optarent eam non habere potius quam domare. Et aliquando iſta concupiſcentia ſic inſidiatur ſanctis, ut faciat dormientibus, quod non poteſt vigilantibus . . . . Notum eſt quam importunam tumultuantis concupiſcentiæ vim Sanctus Hieronymus in eremo pateretur, ubi illam domare auſteriore vita ſtudebat. „ O quoties (*inquit*) ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum Monachis præſtet habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. *Dicere poteſt quicumque pugnat adverſus concupiſcentiam, nec illius motibus pravis conſentit:* Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet." Id (inquam) vere dicere poteſt, ſi vim patitur a concupiſcentia, illi vim faciat: ſi fide, oratione, fortitudine adverſus domeſticum hoſtem armetur, ut S. Hieronymus. *Itaque* (inquit) *omni auxilio deſtitutus, ad Jeſu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubjugabam . . . . Memini me clamantem diem crebro junxiſſe cum nocte, nec prius a pectoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.* „ Si hoc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore, ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patiuntur qui deliciis fruuntur? . . . . Se unuſquiſque conſideret, & accuſator ſui tractet incentiva vitiorum, quo modo & in ſermone, & in cogitatione, & in calore corporis ſæpe loquatur, & cogitet, & patiatur quod non vult . . . . Nihil ſit in te Babylonium, nihil confuſionis adoleſcat. Dum parvus eſt hoſtis, interfice; nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine. Audi Pſalmiſtam dicentem: *Filia Babylonis miſera. Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Quia enim impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram: *petra autem erat Chriſtus.*

Reum hominem non faciunt pravi motus concupiſcentiæ, niſi ipſis conſentiat.

S. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 11. & Serm. 151. Editionis poſtremæ Pariſ.

S. Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtochium. De cuſtodia virginitatis.

S. Hieronym. Epiſt. ad Algaſiam quæſt. 8.

Pſalm. 136. S. Hier. Epiſt. 22. ad Euſtoc.

1. Cor. 10.

22. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem.* Homo interior eſt homo regeneratus, homo Chriſto inſitus, homo ſanatus, homo Dei Spiritu animatus. Illi ſoli dulcis eſt lex Dei, quia ille ſolus ſcriptam habet in corde per caritatem. *Condelector legi Dei* &c. Iſta condelectatio legi Dei ſecundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei. In ea quippe interior homo noſter renovatur de die in diem, cum in ea proficit perſeveranter. *Non enim timor eſt torquens, ſed amor libens. Ibi ſumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti.*

S. Aug. lib. 1. De Nuptiis & concup. c. 30.

22. 23. *Condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* &c. „ Lex illa repugnans legi mentis, in quantum ineſt nocet, etſi non ad perdendum de ſorte ſanctorum, ſi non ei conſentiatur, tamen ad minuendam ſpiritalem delectationem ſanctarum mentium. „ *Hæc delectatio* profecto minuitur, quando etſi non ad explendam, certe ad oppugnandam carnalis concupiſcentiam voluptatis, bellatoris animus occupatur, & ita exercet glorioſa certamina, ut a delectatione intelligibilis pulchritudinis ipſis certaminibus avocetur. Sed quia in iſta humana miſeria pejor hoſtis eſt cavenda ſuperbia, ideo non penitus extinguitur in carne continentium ſanctorum illa concupiſcentia, ut dum pugnatur adverſus eam, periculorum ſuorum animus admoneatur, ne ſecurus inflctur; donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perveniat ſanitatis, ubi nulla putredo laſciviæ, nullus tumor ſuperbiæ formidetur. Sic *Virtus in infirmitate perficitur:* quia & pugnare infirmitatis eſt. Quanto enim quiſque vincit facilius, tanto pugnat minus. In ſemetipſo autem quis pugnaret, ſi nihil ex ſemetipſo eidem repugnaret? Et quid nobis repugnat ex nobis, niſi quod adhuc curatur ut ſanetur in nobis? Ergo in nobiſmetipſis ſola eſt infirmitas cauſa pugnandi; & rurſus infirmitas admonitio eſt non ſuperbiendi. Proinde virtus quæ hic, ubi ſuperbiri poteſt, non ſuperbiatur, in infirmitate perficitur . . . . " Hanc pugnam non experiuntur in ſemetipſis niſi bellatores virtutum, debellatoreſque vitiorum: nec expugnat concupiſcentiæ malum, niſi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino neſcientes, malas concupiſcentias nec in hoſtibus deputant, eiſque miſerabili cæcitate ſervientes, inſuper etiam beatos ſe putant, ſatiando eas potius quam domando. Hi ſub lege peccati captivi ſunt non ſolum carne, ſed & mente. *Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur.*

S. Aug. lib. 4. contra Julian. cap. 2.

2. Cor. 12. 9.

S. Aug. l. De Continentia, cap. 3.

Idem lib. 8. Confeſſ. c. 5.

24. 25. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Corpus mortis hujus non erat in paradiſo ante peccatum, non erat in membris corporis alia lex repugnans legi mentis. Nunc autem & quando nolumus, & quando non conſentimus, nec ei membra noſtra, ut impleat quod appetit, exhibemus, habitat tamen in eis, & mentem reſiſtentem repugnantemque ſollicitat: *Ut ipſe conflictus, etiamſi non ſit damnabilis, quia non perficit iniquitatem; ſit tamen miſerabilis, quia non habet pacem.* Qui de ſua in corpore mortis hujus ſervitute ingemiſcit, ab ea liberari incipit, & in libertatem filiorum Dei proficit: & quo magis infelicitatem ſuam cognoſcit, eo magis ad beatitudinem accedit. Dic, *Infelix ego homo!* quia niſi veniſſet Filius hominis, periiſſet homo. Exclama in anguſtiis: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, ubi lex in membris meis repugnat legi mentis meæ? Si hoc fideliter, ſi humiliter dicis, veriſſime reſpondetur, *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quotidiano liberatricis illius gratiæ adjutorio te indigere confitere, illudque aſſiduis & ferventibus precibus ac gemitibus implora. „ Nemo *enim* liberat a vulneribus illius trucidatoris; niſi hujus gratia Salvatoris. Nemo liberat venumdatos ſub peccato a vinculis captivantis, niſi gratia redimentis. Ac per hoc univerſi, qui ſe in nequitiis & iniquitatibus excuſatos volunt, ideo juſtiſſime puniuntur, quoniam qui liberantur, nonniſi gratia liberantur. Nam ſi excuſatio illic juſta eſſet, non inde jam gratia, ſed juſtitia liberaret. Cum vero non liberat niſi gratia, nihil juſtum invenit in eo quem liberat, non voluntatem, non operationem, non ſaltem ipſam excuſationem. Nam ſi hæc juſta eſt, quiſquis ea utitur, merito, non gratia liberatur. " Tunc autem perfecte liberabimur a corpore mortis hujus, cum ad juſtitiæ in qua hic perſeveranter proficere debemus, conſummationem venerimus, ubi peccati concupiſcentia non cohibenda atque frenanda, ſed nulla ſit. „ Hoc enim Lex poſuit dicendo, *Non concupiſces*, non quod hic valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus. Verum hoc fit non Lege quæ hoc imperat, ſed fide quæ hoc impetrat; non littera qua jubetur, ſed Spiritu quo donatur; non ergo meritis operantis hominis, ſed largientis

S. Aug. lib. 1. De Nuptiis & concupiſc. c. 30.

Qui de ſua in corpore mortis hujus ſervitute ingemiſcit, ab ea liberari incipit.

S. Auguſt. Epiſt. 194. alias 105. ad Sixtum n. 28.

S. Auguſt. Epiſt. 196. alias 200. ad Aſelicum.

gratia

S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 75. n. 4.

„ gratia Salvatoris. Utilitas itaque Legis eſt ut hominem de ſua infirmitate convincat, & Gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt, implorare compellat.

Gratiæ triumphus eſt hominem efficere victorem peccati, repugnante lege peccati.

Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei; carne autem legi peccati. Gloria Dei & gratiæ triumphus eſt, hominem efficere victurem peccati repugnante lege peccati: in illo bonam operari voluntatem, qua legi Dei ſerviat, propenſione ad malum ex adverſo trahente. „ Novitatis gaudio ſuſpenderis, vetuſtatis onere prægravaris: incipit tibi eſſe bellum adverſus te. Sed ex qua parte tibi diſplices, jungeris Deo; & ea qua parte jam jungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te: Quia ille tecum eſt qui omnia ſuperat. Attende quid dicit Apoſtolus; *Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati*. Unde mente? Quia diſplicet tibi vita tua mala. Unde carne? Quia non deſunt ſuggeſtiones & delectationes malæ; ſed ex eo quod mente jungeris Deo, vincis quod in te non vult ſequi.“ *Præceſſiſti enim ex parte, & ex parte tardaris. Trahe teipſum ad illum qui te ſurſum tollit*. „ Pondere quodam vetuſtatis deprimeris, clama, & dic, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Quare autem permittit, ut diu contra te litiges, donec abſorbeantur omnes cupiditates malæ? Ut intelligas in te pœnam tuam. “ *In te ex teipſo* eſt flagellum tuum: ſit rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem adverſus Deum, ut ipſe ſibi ſit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Sed tene membra tua adverſus concupiſcentias tuas malas. Surrexit ira, tene tu manum conjunctus Deo. Potuit ſurgere, ſed non invenit arma. Apud iram tuam impetus eſt, apud te arma ſunt: ſit impetus inermis, & diſcit jam non ſurgere qui fruſtra ſurrexit. “ Utinam vere dicere poſſis: *Mente ſervio legi Dei*. „ Verum cum hæc dicis, ne ad mortificandas actiones carnis de ſpiritu tuo præſumas, & ſuperbia pereas, & tibi ſuperbo reſiſtatur, non humili gratia concedatur: ” *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*.

S. Auguſt. Serm. 170. Jacobi 4. 6.

C A P U T VIII.

Senſus Litteralis.

1. NIhil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant. Quæ cum ita ſint, nulli damnationi ſubjacent ob remanentem concupiſcentiam, & motus ejus involuntarios adverſus legem mentis, ii qui per fidem & caritatem Chriſto inſiti ſunt, & conjuncti ut viva membra, & per baptiſmum regenerati, modo legi carnis non obediant, & pravis cupiditatibus non conſentiant. Græcus Textus vulgatus addit: ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα *ſed ſecundum ſpiritum*. Ita legunt Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, non Chryſoſtomus. Hæc verba non habent Mſs. Græca venerandæ antiquitatis & probatæ fidei, Claromontanum ſeu Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu, San-Germanenſe, Alexandrinum; nec Syriaca Verſio: habet Arabica.

2. *Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis*. Lex enim nova, quam Spiritus ſanctus & vivificans ſcribit in cordibus noſtris, me & omnes, qui Chriſto conjuncti ſunt ut membra capiti, liberavit per Chriſtum ipſum & Spiritum ejus a lege peccati & mortis; me liberavit a dominio & reatu concupiſcentiæ, quæ ad peccatum inſtigat, & ducit ad mortem: me, inquam, liberavit ſecundum mentem, quamvis ei legi adhuc carne ſerviam nolens & gemens.

Deus peccati & mortis imperium deſtruit per carnem Chriſti in Cruce ſuſpenſam. S. Joannes Chryſoſtom. Hom. 13. Theodoret.

3. 4. *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*; Quod Lex Moſaica præſtare non poterat, propter humanarum virium imbecillitatem, & carnis repugnantis corruptionem, ſcilicet hominem juſtificare; id præſtitit per gratiam ſuam Deus *Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, indutum carne quæ ſimilitudinem carnis peccatricis referret; vera quidem carne, & ſancta, ſed paſſibili & mortali, qualis eſt caro peccati: *& de peccato damnavit peccatum in carne*, & peccatum ipſum damnavit ſeu peccati injuſtitiam coarguit & damnavit, quod Chriſti Corpus immaculatum & impollutum morti tradidiſſet. Et per carnem Chriſti in cruce ſuſpenſam & mortuam, peccati & mortis imperium deſtruxit, non ſola potentia; ſed juſto judicio. Proſopopœia uſus Apoſtolus, de peccato loquitur ut de tyranno quodam, qui de poſſeſſione regni quod invaſerat, ejicitur, & ſuis etiam juſte privatur, quod manum miſerit in aliena. Aliter etiam explicari poteſt hic locus: *De peccato damnavit peccatum in carne*: id eſt, propter peccatum abolendum, Filium ſuum, quem *pro nobis peccatum fecit*, id eſt, hoſtiam pro peccato, damnationi mortis tradidit ſecundum carnem. *Ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum*. Ut juſtitiam, quam lex præcipit, per Chriſti gratiam impleremus: Quod fit dum carnis deſideria repugnantes, eaque mortificantes, ſequimur inſtinctum Spiritus ſancti, ut vitam ſecundum Evangelium inſtituamus.

S. Auguſt. lib. 3. c. 6. ad duas Epiſt. Pelagian. 2. Cor. 5. 21.

5. *Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: Qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt Spiritus, ſentiunt*. Nam homines carnales, qui mente & affectu legi carnis obediunt, amant & guſtant bona temporalia, quæ mundus offert, ad quæ carnalis inclinat appetitus; toti ſunt in operibus carnis (*Galat. 5. 19.*) Homines vero ſpirituales, qui non legi carnis, ſed Spiritui ſancto ſe regendos dedunt, ea quæ Spiritus ſanctus ſuggerit ſummo ſtudio amplectuntur; toti ſunt in operibus illi conſentaneis, qui *fructus Spiritus* appellantur.

Prudentia carnis.

6. 7. *Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus vita & pax*. Carnalia autem cogitare, amare, ſapere, mortem affert animæ: contra vero, ſpiritualia cogitare, amare & ſapere, parit vitam & pacem interiorem, bonorumque omnium tranquillam & perpetuam poſſeſſionem. *Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt*. Hic autem rerum carnalium amor inimicus eſt Deo, ſeu (quæ vis eſt Græci Textus) *inimicitia eſt erga Deum*, nos Dei conſtituit inimicos (confer cum *Jacobi 4. 4.*) Legi enim Dei non obedit, immo repugnat: nec vero illi ſubjici poteſt, cum ſtudia in contraria tendant.

8. 9. *Qui autem in carne ſunt*. Igitur qui carnis affectibus ſerviunt, *Deo placere non poſſunt*, quamdiu ſic vivunt, quemadmodum Regi placere non poſſunt ſubditi rebelles. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu*: Vos per baptiſmum in Chriſto renati, carni ſubditi non eſtis, ſed ſpiritui: non ſecundum carnis legem & deſideria vivitis, ſed ſecundum Evangelium, & ſecundum legem Spiritus ſancti: *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*. Si tamen ita fidem imbibiſtis, & animo mundati eſtis: vel, ſi in baptiſmi gratia ita perſeveraſtis, ut Spiritus Dei in vobis habitet ac maneat ceu in templis ſuis. *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet*, in ſe inhabitantem per gratiam ſanctificantem & caritatem, *hic non eſt ejus*; hic ad Chriſtum vere non pertinet ut vivum ejus membrum. Eumdem *Spiritum Dei & Chriſti* vocat Apoſtolus; qua loquendi ratione & Chriſtum eſſe Deum verum, & Spiritum ſanctum a Patre & Filio pariter procedere confirmat, ut ejuſdem cum utroque ſubſtantiæ. Hæc verba, *ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis*, ſic interpretatur S. Chryſoſtomus, ut dubitantis non ſint, ſed credentis & confidentis, & idem ſignificent ac, *Quandoquidem Spiritus Dei habitat in vobis*. Quo ſenſu verba illa, *ſi tamen*, uſurpat Apoſtolus 2. Theſſalon. 1. 6. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*. Et Galat. 3. 4. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? Si tamen ſine cauſa*.

S. Chryſoſt. Homil. 13.

10. *Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero vivit propter juſtificationem*. Si autem Chriſtus eſt in vobis per Spiritum ſuum, a quo eſt indiviſus ob reciprocam immeationem ſeu inexiſtentiam trium Sanctiſſimæ Trinitatis perſonarum, corpus quidem morti obnoxium eſt propter peccatum: Anima autem vivit vita gratiæ, propter juſtitiam, qua ipſam induit Chriſtus, qui *factus eſt nobis a Deo juſtitia & ſanctificatio*, id eſt, auctor juſtitiæ & ſanctitatis.

1. Cor. 1. 30.

11. *Quod ſi Spiritus ejus*, ſcilicet Dei Patris, *qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis* per gratiam juſtificantem & caritatem, idque perſeveranter: *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*. Idem ipſe Pater Æternus, qui Chriſtum caput veſtrum & exemplar reſurrectionis omnium Sanctorum, *primogenitum mortuorum* ſuſcitavit a mortuis; & mortalia corpora veſtra aliquando ex morte revocabit ad vitam immortalem, beatam, glorioſam: quia Spiritus ejus, quem velut pignus & arrham beatæ reſurrectionis dedit, in vobis habitat, non ſolum in animis veſtris, ſed etiam in corporibus, ut in templis ſuis. Quidam Interpretes vertunt, *Per inhabitantem Spiritum ejus in vobis*, ſecundum Complutenſem Editionem, & Mſſ. quoſdam Codices Græcos: ſed Vulgatæ noſtræ lectio, *propter inha-*

Spiritus Dei habitans in juſtis, beatæ reſurrectionis pignus eſt.

Digitized by Google

inhabitantem Spiritum ejus in vobis, convenit cum Mſſ. Græcis melioris notæ, cum Editione Græca Roberti Stephani, cum Syriaca Verſione, quibus ſuffragatur S. Irenæus lib. 5. cap. 10. Tertullianus lib. *De Reſurrectione carnis*, S. Chryſoſtomus Hom. 13. Theodoretus, &c. S. Auguſtinus in Expoſitione Propoſitionum ex Epiſt. ad Romanos, propoſit. 51. legit, *Per inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Et Sermone 362. alias *De Diverſis* 120. & lib. 4. *De Trinitate*, cap. 3.

12. 13. *Ergo, fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus.* Servitutem itaque debemus Chriſto Domino a quo redemptionem & Spiritum vitæ accepimus, non carni, ut ejus deſideriis obſequamur. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini*, æterna morte, ſine ſpe vitæ melioris, ad quam ſtulti reſurgent: *ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Si per Spiritum in vobis inhabitantem, vos regentem, in vobis & per vos operantem, pravas cupiditates & deſideria atque opera carnis mortificaveritis, adverſus illa continuo pugnantes, neque ipſis conſentientes, vivetis vita æterna, non ſecundum animas ſolum, ſed etiam ſecundum corpora.

Qui ſolo pœnarum timore legem Dei implent, non ſunt filii Dei.

14. 15. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Quicomque efficaciter moventur a Spiritu ſancto in ipſis operante & adjuvante ut bene agant, ſunt filii Dei adoptione & gratia. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore:* Non enim vos, qui in Chriſto per baptiſmum renati eſtis, accepiſtis ſpiritum ſervorum, ut etiamnum ſolo timore Dei legem impleatis, ut ſervi ſolius pœnæ metu, non domini amore a noxiis abſtinentes: qui timor legiſlationem in monte Sina factam comitatus eſt, & patrum veſtrorum corda concuſſit *: *Sed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum*, ſed accepiſtis Spiritum ſanctum, qui gratia & charitate in cordibus veſtris diffuſa vos efficit Dei filios adoptivos: *In quo clamamus: (Abba) Pater.* Per quem Spiritum filiali affectu & fiducia, quæ juſtorum Novi Teſtamenti propria eſt, oramus dicentes. *Abba*, id eſt, *Pater mi.*

** Exod. 19. & 20. & Hebr. 12. 18. 19. 20.*

Fides ſpeciali Proteſtantium qua homines ſe juſtos eſſe & prædeſtinatos certo credunt, Apoſtolus non favet.

16. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Ipſe enim Spiritus ſanctus, quem accepimus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro clamore illo ſeu oratione ferventi ex amore erga Deum profecta, & fiducia filiali, qua Deum ut patrem noſtrum invocamus, & bonæ voluntatis conſcientis, animique tranquillitate inde nata, de qua 1. Joannis 3. 21. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum:* his, (inquam,) quæ in nobis operatus Spiritus ſanctus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus: teſtimonium quidem in ſe certiſſimum, ſed ſingulis juſtis haud certo cognitum; verum indiciis duntaxat & conjecturis probabilibus, quas a fallacibus conjecturis diſcernere non valent in hujus vitæ tenebris. Unde hic locus Apoſtoli ad fidem ſpecialem Proteſtantium, qua juſti certi ſint & firmiter credere debeant ſe juſtos eſſe, Deique filios, adſtruendam fruſtra profertur: cum ipſe Paulus per teſtimonium Spiritus ſancti id de ſe ipſo certo non cognoverit. 1. Cor. 4. 3. 4. *Sed neque me ipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum.*

17. *Si autem filii* ſumus, *& heredes*; jus habemus ad hereditatem, quæ filiis debetur: ad hoc enim adoptatur quis in filium ut ſit heres: *heredes quidem Dei*, tanquam Patris, apud quem patrimonii locum habet regnum cœleſte, æterna fœlicitas, ipſiuſmet Dei fruitio: *Coheredes autem Chriſti*, tamquam *primogeniti in multis fratribus*, & *heredis univerſorum*, ſub quo, per quem, & propter quem regnabimus in æternum. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Ea tamen conditione cœleſtem capiemus hereditatem, ſi conſtanti patientia adverſa omnia toleremus exemplo Chriſti, ſpe certa futuræ gloriæ, quam vitæ crucifixæ meritis Deus retribuet.

Infra, verſ. 29. Hebr. 1. 2.

18. *Exiſtimo enim, quod non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Æſtimo enim, vobiſque ita perſuaſum eſſe velim, ut mihi perſuaſum eſt, perpeſſiones noſtras, quæ brevi temporis hujus intervallo definiuntur, pares non eſſe gloriæ æternæ, quam Deus in nobis aliquando revelabit, ſecundum promiſſiones ſuas. Quæ enim proportio levis & tranſitoriæ tolerantiæ, cum æterna gloria? In lance ſi appendantur hinc tribulationes noſtræ, hinc præmii magnitudo, non dubium quin illa pars lancis in qua id appendetur, tota propendeat. Confer cum 11. Cor. 4. 17. *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Fruſtra vero adverſus meritum bonorum operum urgetur hic locus Apoſtoli, *Non ſunt condigna, &c.* Quamvis enim opera noſtra bona & perpeſſiones, ex natura ſua, & divina promiſſione ac gratia ſecluſis, nullam habeant cum æterna gloria proportionem, neque ad eam ſint condignæ; ut tamen Chriſti meritis innituntur, & ex ejus gratia procedunt, atque ex charitate quam in nobis Spiritus ſanctus operatur, condignæ ſunt vita æterna, quam propterea *in nobis operari* ab Apoſtolo dicuntur. Hunc locum ita reddit Tertullianus: *Reputo enim paſſiones hujus temporis non eſſe dignas ad gloriam, quæ in nos habeat revelari.*

Hic Apoſtoli locus meritis bonorum operum non eſt contrarius.

S. Thomas Lect. 4. Tertullian. lib. De Reſurrect. carnis, c. 40.

19. 20. 21. *Nam exſpectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat.* Proſopopœia hic utitur Apoſtolus, deſiderium, voluntatem, & animum creaturis etiam inanimis tribuens, cœlis nimirum & elementis, totique mundo. Res creatæ vehementi & anxio deſiderio, velut qui exſerto capite aliquem opperiuntur de longinquo venturum ad auxilium ſuum, tempus illud exſpectant, quo revelabuntur, ſeu manifeſtabuntur filii Dei, eorumque dignitas & gloria palam innoteſcet. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe.* Omnis creatura hominum uſibus ſerviens non ſolum mutabilitati & interitioni ſubjacet, ſed & hominum malitiæ qui illa abutuntur ad peccandum. Subjecta eſt autem non ſponte & ex naturæ ſuæ inclinatione; ſed ordinante Deo, qui eam vitiis, miniſteriis hominum, maledictioni, & futuræ diſſolutioni ſubjectam eſſe voluit, non in perpetuum, ſed ad tempus, facta ei ſpe liberationis, & renovationis, *Quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Futurum eſt enim ut ipſa creatura vindicetur a ſervitute mutabilitatis & corruptionis, nec non a ſervili miniſterio quod hominibus etiam peccatoribus, ex contra Dei legem abutentibus, exhibere cogitur. Id autem fiet, quando filii Dei perfectam & glorioſam libertatem conſequentur. Tunc enim totius creaturæ futura eſt renovatio, tunc *cœli novi & terra nova* promittuntur. Sive, *Liberabitur a ſervitute corruptionis*, propter libertatem filiorum Dei, ut ſit particeps libertatis & gloriæ filiorum Dei. De creaturarum ſervitute præclare Tertullianus lib. *De Corona*, cap. 6, *Dei Æmulus univerſam conditionem certis uſibus homini mancipatam, cum ipſo homine corrupit; unde eam & Apoſtolus invitam ait vanitati ſucceſſiſſe, vanis primum uſibus, tum turpibus & injuſtis & impiis ſubverſam.* De creaturæ vero liberatione lib. *Adverſus Hermogenem*, cap. 11. *Tunc erit mali finis, cum præſes ejus diabolus abierit in ignem, quem præparavit illi Deus & Angelis ejus, prius in puteum abyſſi relegatus, cum revelatio filiorum Dei redemerit conditionem * a malo, utique vanitati ſubjectam; cum reſtituta innocentia & integritate conditionis, Patri Filio pacaverit inimicos ſub pedes, &c.*

Iſai. 65. 17. 2. Petri 3. 10. 13. Apocal. 21. 1.

** Conditionem, id eſt res conditas.*

22. 23. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc.* Compertum habemus, omnes creaturas ad hominum uſus conditas ſimul ingemiſcere more mulierum parturientium, & exſpectare cum anxietate tempus illud quo ſimul nobiſcum liberabuntur. *Non ſolum autem illa*, neque vero ſolæ creaturæ hominum uſibus ſervientes, *ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemptionem corporis noſtri.* Sed & nos ipſi, qui regenerati ſumus, & Spiritum ſanctum, ejuſque dona accepimus velut pignora certam ſpem facientia fore ut quæ in nobis cœpit Deus perficiat, intus in imo cordis noſtri gemimus, plenum & conſummatum effectum adoptionis filiorum Dei exſpectantes, redemptionem ſcilicet corporis noſtri a miſeriis hujus vitæ, a mortalitate, a peccato ſeu concupiſcentia inhabitante. Alludere videtur Apoſtolus ad legales primitias, quæ Deo oblatæ ſpem faciebant plenæ meſſis. *Per primitias itaque ſignificatur*, Theodoreto interprete, *quod in futuro ſæculo multiplicem ſam Spiritus gratiam recipiemus. Si enim quod nunc datum eſt, primitiæ & arrabo appellatur, clarum eſt illud multis partibus majus futurum.* Theodoreto Sanctus Joannes Chryſoſtomus præivit, ac de regeneratis omnibus, in quorum perſona loquitur Apoſtolus, hunc locum exponit. Ita intelligit & Sanctus Auguſtinus lib. 11. De Peccatorum Meritis & Remiſſ. cap. 7. & 8. „Adoptio ergo plena „filiorum in redemptione fiet etiam corporis no„ſtri. Primitias itaque Spiritus nunc habemus, „unde jam filii Dei re ipſa facti ſumus: in cete„ris vero ſpe ſicut ſalvi, ſicut innovati, ita & „filii Dei; re autem ipſa quia nondum ſalvi, „ideo nondum plene innovati, nondum etiam filii

Dei,

Digitized by Google

Dei, ſed filii ſæculi . . . . . Conſumetur ergo „ quod filii carnis & ſæculi ſumus, & perficietur „ quod filii Dei & ſpiritu renovati ſumus. “ Perficietur autem in ſecunda regeneratione, qua electi renovabuntur ad gloriam; de qua Dominus ait: *In regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ.*

Matth. 19.

24. 25. *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Nondum reipſa, ſed ſpe ſola; & ideo adhuc gemimus, exſpectantes corporum noſtrorum redemptionem, perfectæque beatitudinis ſtatum. Ideo S. Joannes ait:

1. Joann. 3. 2.

Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Quid eſt hoc, *ſumus & erimus*,

S. Aug. lib. 2. De peccatorum Meritis, cap. 8.

„ niſi quia ſumus in ſpe, erimus in re? Nam ſequitur, *Scimus quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Jam ergo „ & ei ſimiles eſſe jam cœpimus, primitias habentes Spiritus, & adhuc diſſimiles ſumus per reliquias vetuſtatis. Proinde in quantum ſimiles, „ in tantum regenerante Spiritu filii Dei: in quantum autem diſſimiles, in tantum filii carnis & „ ſæculi. Illinc ergo peccare non poſſumus: hinc „ vero ſi dixerimus quia peccatum non habemus, „ nos ipſos ſeducimus: donec totum tranſeat in adoptionem, & non ſit peccator, & quæras locum ejus, & non invenias. Id ſperamus, expe-

Philipp. 3.

„ ctantes Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ „ configuratum corpori claritatis ſuæ. *Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes.* Spes eſt rei futuræ, non præſentis, & quæ jam poſſidetur. *Nam quod videt quis, quid ſperat?* Quæ enim ratio ſupereſt ſperandi boni, quod jam habes, & quo frueris? *Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus.* Si autem ſpes eorum eſt quæ nondum habentur, cum patientia præſentium miſeriarum ſuſtinere debemus moleſtam moram adoptionis perfectæ filiorum, redemptionis corporis noſtri, ac beatitudinis noſtræ.

26. 27. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Non ſolum Spiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod filii Dei ſumus; ſed etiam nos qui propter naturæ imbecillitatem & corruptionem, propter ignorantiæ vitium, & concupiſcentiæ vulnus, & mortalitatem prægravantem, infirmi & ex nobis ipſis impotentes ad omne bonum ſupernaturale ſumus, gratiæ ſuæ dono adjuvat. Tanta enim eſt infirmitas noſtra, ut non ſolum egeamus auxilio Spiritus ſancti ad ea quæ ſcimus agenda, vel toleranda

S. Aug. contra Sermonem Arianorum c. 25. lib. 4. De Anima & ejus origine, c. 9. & epiſt. 130. al. 121. de orando Deo, c. 13. S. Thomas Lect. 5.

propter Deum; non ſolum egeamus ut nobis bonam voluntatem inſpiret, & vires bene agendi ſubminiſtret, patientiam donet in adverſis, & quaſi onus attollat ex altera parte, ne ſub eo fatiſcamus: ſed cum omne præſidium noſtrum & ſolatium ſit in oratione qua poſſumus a divina miſericordia & bonitate impetrare quæ neceſſaria & utilia nobis ſunt ad ſalutem; ne quidem ſciamus quid nobis expediat, quid & quomodo petere a Deo debeamus. Sed ipſe Spiritus ſanctus, efficaci ſua in nobis operatione orare nos docet & facit gemitibus qui verbis exprimi nequeant; tum quia procedunt a deſiderio rei ineffabilis, ſcilicet cœleſtis gloriæ; tum quia ipſi cordis affectus, quatenus a Spiritu ſancto procedunt, cujus potentia & efficacia in animis hominum eſt inenarrabilis, con-

Spiritus ſanctus facit ut oremus.

venienter digneque explicari non poſſunt. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus; quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis.* Deus autem cui manifeſta ſunt arcana cordium deſideria, intimique affectus, novit & approbat quod Spiritus ſuus deſiderare Sanctos facit; quia docet & facit eos poſtulare quod divino beneplacito convenit. Hunc locum egregie tractat Sanctus Auguſtinus Epiſtola 194. alias 105. ad Sixtum. *Quid eſt autem, interpellat, niſi interpellare nos facit? Indigentis enim certiſſimum indicium eſt interpellare gemitibus. Nullius autem rei eſſe indigentem fas eſt credere Spiritum ſanctum. Sed ita dictum eſt,* interpellat, *quia interpellare nos facit, nobiſque interpellandi & gemendi inſpirat affectum; ſicut illud in Evangelio,* „ Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. *Neque enim & hoc ita fit de nobis tam-*

Matth. 10. 20.

quam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus ſancti ſic expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur, quod ut faciamus facit. Nam non eſſe intelligendum ſpiritum noſtrum, de quo dictum eſt, interpellat gemitibus inenarrabilibus, *ſed Spiritum ſanctum, quo noſtra infirmitas adjuvatur, ſatis ipſe demonſtrat Apoſtolus: inde enim cœpit,* „ Spiritus (*inquit*) adjuvat infirmitatem noſtram; *deinde ita ſubjunxit,* Quid

„ enim oremus, ſicut oportet, neſcimus: *& cætera. De hoc quippe Spiritu apertius alibi dicit,* Non

Supra v. 15.

„ enim accepiſtis Spiritum ſervitutis, iterum in „ timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. *Alio tamen loco ait,* Quoniam filii Dei eſtis, miſit Deus

Galat. 4. 6.

„ ſpiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem, „ Abba, Pater. *Non hic ait,* in quo clamamus: *Sed ipſum Spiritum clamantem dicere maluit, quo efficitur ut clamemus.*

Omnia proſpera & adverſa cedunt in bonum electorum.

28. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Certo compertum habemus quod omnia proſpera & adverſa cedunt in bonum & ſalutem eorum qui Deum diligunt, qui vocati ſunt ad gratiam, ſanctitatem, ſalutem & gloriam cœleſtem, ſecundum propoſitum ſeu decretum æternum & omnino gratuitum divinæ voluntatis. To *Sancti*, ſeu reſpondens nomen, abeſt a Græco & Syriaco, nec illud legit S. Auguſtinus: ſed illud ſupplevit Latinus Interpres ut clariorem ſenſum redderet. Propoſitum porro hic intelligendum eſt, non hominis, ſed Dei, ſecundum S. Auguſtinum lib. 1. *Contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 20. qui propoſitum hominis intelligi volebant, quod propoſitum tanquam bonum meritum ſequatur miſericordia vocantis Dei: „ ignorantes ideo dictum eſſe, „ *Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt*, ut Dei, non „ hominis propoſitum intelligatur, quo eos quos „ præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis Filii ſui, elegit ante mundi conſtitutionem: Non „ enim omnes vocati, ſecundum propoſitum ſunt „ vocati: quoniam *Multi vocati, pauci electi.* Ipſi „ ergo ſecundum propoſitum vocati, qui electi „ ante conſtitutionem mundi. De hoc propoſito „ Dei dictum eſt & illud de geminis Jacob &

Rom. 9.

„ Eſau: *Ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Quia major ſerviet minori.* „ Hoc propoſitum „ Dei & illo commemoratur loco, ubi ad Timotheum ſcribens ait: *Collabora* Evangelio ſecundum virtutem Dei ſalvos nos facientis & vocantis vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum &

2. Tim. 1. 9.

„ gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante ſæcula æterna, manifeſtata autem nunc per „ adventum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Hoc eſt* „ ergo propoſitum Dei, unde dicitur? *Omnia cooperantur in bonum iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Hominis autem propoſitum bonum adjuvat „ quidem ſubſequens gratia, ſed nec ipſum eſſet „ niſi præcederet gratia.

Joann. 10. *Cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* 2. Tim. 2. *Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Matth. 7. *Numquam novi vos,* & cap. 25. *Neſcio vos.* Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit.* 1. Petri 1. *Electis advenis, ſecundum præſcientiam Dei Patris.* Iſai. 45. ſecundum LXX.

29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Nam quos præſcivit ab æterno præſcientia approbationis & prædilectionis, ſeu prænotione cum voluntate beneplaciti conjuncta (Hoc enim ſenſu verbum *ſcire, noſſe, præſcire* in ſcripturis uſurpatur) hos certo firmoque decreto ab æterno ſtatuit ita conformes fieri Filio ſuo, ut ſint viva quædam ejus imago, tum in rerum adverſarum perpeſſionibus & crucis tolerantia, tum in gloria: ut ipſe primatum teneat jure ſuo ut Filius Dei naturalis, & præemineat prædeſtinatis omnibus ut illorum caput; quos Deus per gratiam ſuam, ejuſque merita adoptavit, illique fratres & coheredes dedit. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit.* Sine dubio præſcivit, ſi prædeſtinavit: *ſed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus* (ait S. Auguſtinus lib. *De Dono Perſeverantiæ* cap. 18.) „ Prædeſtina„ tio ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt au„ tem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Præ„ deſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fue„ rat ipſe facturus: unde dictum eſt, *Fecit quæ fu*„ *tura ſunt.* Præſcire autem potens eſt etiam „ quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata .... „ Quocirca prædeſtinatio Dei quæ in bono eſt, gra„ tiæ eſt præparatio; gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis effectus.

Æternæ prædeſtinationis effectus.

30. *Quos autem prædeſtinavit* ab æterno ut conformes eſſent imaginis Filii ſui, *hos & vocavit* in tempore, ad finem, ad juſtitiam & ſanctitatem, ad ſalutem, vocatione ſecundum propoſitum, vocatione efficaci, & numquam deficiente, non ea qua multi vocantur qui non veniunt, de qua Chriſtus dicit: *Multi vocati, pauci vero electi.* Hic primus eſt prædeſtinationis effectus. *Et quos vocavit, hos & juſtificavit*, donans eis fidem, pœnitentiam, remiſſionem peccatorum, renovationem interiorem per gratiam & caritatem a Spiritu ſancto diffuſam, & perſeverantiam uſque in finem. Hæc enim omnia juſtificationis ſeries, quæ ſecundus eſt prædeſtinationis effectus, in electis complectitur, *Quos autem*

juſtificavit, illos & glorificavit; id eſt cœleſti gloria, vita æterna & immortali donare decrevit. Hic eſt ultimus prædeſtinationis effectus. Hic finis eſt ad quem Deus nos prædeſtinavit, & per vocationem & juſtificationem perducit. Verbis autem præteriti temporis utitur Apoſtolus, tum ut certitudinem ſignificet more Prophetarum: tum quia in Sanctis qui ab initio mundi ad hæc tempora vixerant, hæc fuerant impleta.

31, 32. *Quid ergo dicemus ad hæc?* Cum tanta ſit Dei pro ſuis electis cura ut omnia illis cedant in bonum, & ut eos certo ad gloriam æternam perducat, quid dicemus inter res adverſas hujus ſæculi, inter tentationes & perſecutiones quibus affligimur? Deſpondebimus animum? Nequaquam. Nam *ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* In perſona omnium electorum id dicit Apoſtolus. Cum Deus ſtet pro nobis, volens efficaciter in nobis implere æternum juſtificationis & ſalutis noſtræ propoſitum, quis contra nos prævalere, & ſalutem noſtram impedire poſſit? Nullus certe. Oves enim Chriſto a Patre datæ non peribunt, nec eas quiſquam rapiet de manu ejus, ſicut nemo eas rapere poteſt de manu Patris. *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Qui Filio ſuo, vero, naturali, unigenito non pepercit, ut rebus chariſſimis parcere ſolemus; ſed pro nobis omnibus electis Deum diligentibus, ſecundum propoſitum vocatis, tradidit illum in mortem, & pro ſalute noſtra impendit, quomodo non cum eo ſalutem ipſam, & quæcumque ad eam neceſſaria ſunt, nobis non donabit? Quomodo gratiam & gloriam non dabit?

Prædeſtinatione inſallibili.

Joann. 10.

33. 34. *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* Quis eos criminum reos accuſare audebit, quos Deus ad vitam æternam elegit? *Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* Deus eſt qui eos ex impiis juſtos fecit. Deo autem abſolvente & juſtificante, quis ferat contra illos damnationis ſententiam? Id ſane fruſtra tentaretur. *Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Varia hujus loci apud antiquos pronuntiatio. S. Auguſtinus lib. 3. *De Doctrina Chriſtiana*, cap. 3. ita legit: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat?* Ut tacite reſpondeatur, Non. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Ut ubique tacite reſpondeatur, *Non.* Nos Vulgatæ Verſioni adhæremus, Græco Textui plane conſonæ, & S. Chryſoſtomi ac Theodoreti auctoritate munitæ. Senſus ergo eſt: Chriſtus Jeſus is eſt qui Patre ipſum tradente propter delicta noſtra *mortuus eſt*; nec ſolum mortuus, ſed etiam propter juſtificationem noſtram *reſurrexit*, certa ſpe reſurgendi nobis relicta, qui etiam noſtri cauſa *ſedet ad dexteram Dei Patris*, ejuſdem gloriæ ac poteſtatis conſors: & nec in gloriæ ſuæ regno noſtri curam gerere deſiit. *Sed quas a nobis accepit primitias oſtendens, & eas ab omni labe alienas Patri demonſtrans, per illas nobis ſalutem petit*; noſter, ut homo, advocatus apud Patrem, patronuſque perpetuus: *Qui etiam interpellat pro nobis.* Conferantur *Hebr.* 4. 14. 15. & 16. & *cap.* 7. 25. & *cap.* 9. 24.

Theodor.

35. 36. 37. *Quis ergo nos ſeparabit a Charitate Chriſti?* Cum tot & tanta pro nobis Chriſtus fecerit, quis efficere poſſit ut nos amare deſinat? Quid efficere poſſit ut ab ejus caritate unquam divellamur? *Tribulatio?* ſeu afflictio in corpore & rebus externis? *an anguſtia?* in animo, vel certe in rebus dubiis & perplexis ubi conſilium humanum deficit, & ubi mala ita hominem circumſtant ac premunt, ut evadendi locum præripere videantur? *an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* (*Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*) Sicut ſcriptum eſt electos pati & paſſuros eſſe, *Pſalm.* 44. Tui cauſa, propter confeſſionem nominis tui, cultumque tuum, quotidie morti, vexationibus, & quibuſvis periculis expoſiti ſumus: tractamur a perſecutoribus noſtris ut oves mactationi deſtinatæ. *Sed in his omnibus*, malis enumeratis, *ſuperamus*, ſeu (quæ vis eſt Græci verbi ὑπερνικῶμεν) *ſupervincimus*, iis omnibus longe ac facile ſuperiores ſumus, *propter Deum qui dilexit nos*, non noſtris viribus ac meritis, ſed per auxilium Chriſti qui nos dilexit.

38. 39. *Certus ſum enim*, perſuaſum habeo, & confido, *quia neque mors*, id eſt metus mortis; *neque vita*, id eſt ſpes vitæ; *neque Angeli*, *neque principatus*, *neque virtutes*: Angeli Satanæ, poteſtates adverſæ, quarum operatio eſt ſidelium everſio; *neque inſtantia*, *neque futura*: Nec præſentia, futurave bona aut mala; *neque fortitudo*, nulla vis principum hujus ſæculi (Hæc verba, *neque fortitudo*, abſunt a Græco Textu & Syriaca Verſione) *neque altitudo*, *neque profundum*, id eſt, nihil eorum quæ in cœlo ſunt & in aere, vel in mari; vel, nulla proſperitas, nullum honoris faſtigium, nulla ſublimitas fortunæ, ex qua præcipitium timeri poſſit; nulla adverſitas & miſeria, ex qua naufragium certaque ruina immineret; *neque creatura alia*, nec quicquam aliud eorum quæ res inter creatas maxime terribilia ſunt mortalibus, *poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Tam potens eſt & efficax, tam certa & immutabilis Dei erga ſuos dilectio, ut nihil nos ab ea divellere poſſit, faciendo ut nos amare deſinat; aut certe ut illius amor ſuo fruſtretur effectu, id eſt noſtra ſalute. Singularis autem & eximius ille Dei erga electos amor ipſis conciliatur per Chriſtum Dominum noſtrum, Mediatorem ac propitiatorem. Vel, nihil poterit nos ſeparare a caritate qua nos dilexit Deus ab æterno in Chriſto Jeſu, ut membra ejus, *caput enim & membra unus eſt Chriſtus*, ut S. Auguſtinus ſæpe repetit.

CAPUT VIII.

Senſus Moralis.

1. 2. 3. 4. 5. N*ihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant.* Multiplices & plane mirabiles gratiæ Chriſti in baptizatis effectus ad fidelium ſolatium hic ab Apoſtolo recenſitos pie meditari, pro tantis beneficiis gratias agere, illiſque ad eum finem uti debemus, propter quem nobis immeritis a Deo collata ſunt, ſcilicet ad ejus gloriam, ſalutemque noſtram. Gratia Dei ſententiam damnationis in filios Adami a Deo latam reſcindit, nobiſque merita ſacrificii Jeſu Chriſti, & virtutem paſſionis ac reſurrectionis ejus applicans, nos filios Dei facit, nos Chriſto inſerit ut palmites veræ viti, nos illi conjungit ut membra capiti, Chriſti *concorporales* facit, ita ut in illo ſubſiſtamus & vivamus. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* 2. Gratia Chriſti efficit ut a viis carnis recedamus, & vitam ſanctam, Chriſtianoque dignam nomine ducamus. *Qui non ſecundum carnem ambulant.* In Chriſto eſſe non ſufficit, niſi in eo permaneamus, & ſecundum ejus Evangelium vitam inſtituamus. Chriſtiano nomine fruſtra gloriatur, qui Chriſtum moribus non imitatur. Gratia Chriſti otioſa non eſt; facit ut in viis Dei, quæ viis carnis contrariæ ſunt, id eſt in mandatis ejus, non ambulemus ſolum, ſed curramus. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini . . . Viam mandatorum tuorum cucurri.* „ Quo „ itis, peccatores, qui ſecundum carnem ambula„ tis? petitis, & neſcitis. Non illac itur qua per„ giris, quo pervenire deſideratis. Nam utique „ beati eſſe cupitis; ſed miſera ſunt, & ad majo„ rem miſeriam ducunt itinera illa qua curritis. „ Tam magnum bonum quærere per mala nolite: „ ſi ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. „ Viæ perverſitatis relinquite malignitatem, qui non „ poteſtis relinquere beatitudinis voluntatem. Fru„ ſtra tendendo fatigamini, quo perveniendo tri„ ſtamini. Non autem beati inquinati in erro„ re, qui ambulant in perverſitate ſæculi: ſed, „ *Beati immaculati in via, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed qui ambulant in lege Domini, qui ſcrutantur teſtimonia ejus*, ipſa diligentes, ipſa, & non aliud per ipſa quærentes, & *in toto corde*, non negligenter *exquirunt eum.*

Multiplices gratiæ Chriſti in baptizatis effectus.

Pſalm. 118.

S. Auguſt. Serm. 2. in hunc Pſalmum.

2. Gratia Chriſti, quæ ſpiritus eſt vitæ, concupiſcentiam in nobis mortificat, etſi nondum penitus extinguit; noſque ab ejus dominatione liberat, necnon ab æterna morte animæ & corporis: Fructus enim eſt Spiritus vivificantis, & germen vitæ æternæ. *Lex enim Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati, & mortis.* Lex non illa in monte Sina data per vetuſtatem litteræ, ſed lex gratiæ in cordibus ſcripta per Spiritum ſanctum, liberat nos a lege peccati & mortis. „ Ut enim „ condelecteris legi Dei ſecundum interiorem ho„ minem, unde haberes, niſi lex ſpiritus vitæ in „ Chriſto Jeſu tibi ſuccurreret? Ideo, mens huma„ na, ne tibi tribuas, ne ſuperbias quod non con„ ſentis deſideriis carnis, quod lex peccati non te „ de arce deponit. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu* „ *liberavit te a lege peccati & mortis*, " Non lex timoris, ſed lex amoris. Hæc enim *apertiſſima eſt & breviſ-*

S. Auguſt. Serm. 155. alias 6. De Verbis Apoſtoli.

Idem lib. contra Adimantum cap. 17.

breviſſima differentia duarum Teſtamentorum, timor & amor; illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem, qualis eſt verus & bonus Chriſtianus, *pertinet*. Quam ingratus eſt & inſipiens homo, qui Spiritum vitæ ab anima ſua peccando expellit, & concupiſcentiæ mortiſque regnum in ſe ipſo inſtaurat!

3. Gratia Chriſti per ejus incarnationem & paſſionem mortemque parta ſupplet infirmitatem & impotentiam legis, & ab ejus maledictione nos liberat, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, quibus impleatur. Regnum peccati ſeu concupiſcentiæ in carne, legem infirmam fecit: Gratiæ Medicinalis & victricis quam nobis Chriſtus Salvator meruit, imperium in voluntatem fecit ut lex impleatur. „ Lex enim jubebat, & non implebat; quia caro, „ ubi non erat gratia, invictiſſime reſiſtebat. *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem*. Quid fecit Deus, ut tanto malo ſuccurreret? *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*. „ Contra carnem, immo pro carne miſit carnem. Peccatum enim carnis occidit, carnis ſubſtantiam liberavit. Quia enim in carne peccati & mors eſt & peccatum; in ſimilitudine vero carnis peccati mors quidem eſt, ſed peccatum non eſt; miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut deſtrueret corpus peccati, & mortis imperium everteret. Mortem non debebat, & perſolvebat. “ *Ille niſi indebitum ſolveret, nunquam nos a debito liberaret*. Ingrati horrendum in modum ſumus, ſi ei totam vitam noſtram non devovemus, qui pro nobis & vitam ſuam & mortem impendit.

S. Auguſt. Serm. 155.

Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, id eſt per deſideria carnalia: „ ideo enim non implebatur lex, quia ipſius juſtitiæ nondum erat caritas, quæ interiore delectatione teneret mentem, ne ad peccatum delectatione rerum temporalium traheretur. Filius autem Dei a Patre miſſus in mundum ut homines redimeret, *de peccato damnavit peccatum in carne*, id eſt, ſuſcipiendo carnem hominis peccatoris, & docendo quemadmodum viveremus, peccatum in ipſa carne damnavit, ut æternorum caritate ſpiritus flagrans non duceretur captivus in conſenſionem libidinis. *Ut juſtificatio legis impleretur in nobis; qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum*. Itaque præcepta legis per caritatem impleta ſunt, quæ per timorem non poterant.

S. Auguſt. lib. Quæſt. octoginta trium, Quæſt. 66.

4. Gratia Chriſti nos a carnis corruptione abſtrahit, & ſpirituales efficit, ut non amplius quæ carnis ſunt, ſed quæ Spiritus ſapiamus. *Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui vero ſecundum Spiritum ſunt, quæ ſunt Spiritus ſentiunt*. Guſtus cordis, amor eſt. Qualis amor, talia opera: quale cor, talis vita. Hinc dignoſcere poſſumus, utrum cœleſtes ſimus, an terreni; ſpirituales, an carnales; filii Dei, an filii hujus ſæculi. *Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror*. „ Dono tuo, Domine, accendimur, & ſurſum ferimur, inardeſcimus & imus ad pacem Jeruſalem. “ *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus*. „ Ibi nos collocavit voluntas bona, ut nihil velimus aliud quam permanere illic in æternum. Tales homines, quales amores. Si terram amas, terra es; ſi cælum amas, cælum es; ſi carnem amas, caro es, ſi Deum amas, Deus es. “ *Non faciunt bonos mores, niſi boni amores*.

S. Auguſtin. lib. 13. Confeſſ. cap. 9.

Pſalm. 121.

6. *Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus vita & pax*. Quæ carnis ſunt, ſcilicet voluptates, divitias, honores ſæculi amare, illis frui velle, ſtatus mortalis eſt. Hæc fidei veritas a Spiritu Sancto per Apoſtolum tradita & prædicata. Summa perverſitas eſt uti fruendis, & frui utendis. Solo Deo fruendum, creaturis utendum, quaſi non utamur. Frui eſt alicui rei amore inhærere propter ipſam, in ea ponere finem lætitiæ ſuæ: Quiſquis ergo creaturas propter ſe ipſas amat, illas, perverſe amat: Quiſquis in illis finem lætitiæ ſuæ quærit, prudentia carnis regitur, quæ mors animæ eſt. Quiſquis autem creaturis utitur propter ſolam neceſſitatem, cujus metas ne tranſiliat attento cavet animo, qui illarum neceſſarium uſum ad Deum refert, is regitur prudentia Spiritus, quæ eſt vita & pax. Perturbatio & mors fructus ſunt amoris noxii: Vita & pax fructus ſunt amoris boni & ſancti. Pax æterna Deum & legem ejus perſeveranter diligenti. „ Noli igitur eſſe vana anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipſum clamat ut redeas; *Et ibi eſt* locus quietis imperturbabilis, ubi non deſeritur amor, ſi ipſe non deſerat .... Ut quid perverſa ſequeris carnem tuam? Ipſa te ſequatur converſa ... Si placent corpora, Deum ex illis lauda & in Artificem eorum retorque amorem; ne in his quæ tibi placent, tu diſpliceas. Si placent animæ, in Deo amentur: quia & ipſæ mutabiles ſunt: & in illo fixæ ſtabiliuntur; alioquin irent & perirent. In illo ergo amentur & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus: ipſe fecit hæc, & non eſt longe. Non enim fecit atque abiit, ſed ex illo in illo ſunt. Ecce ubi eſt, ubi ſapit veritas. Intimus cordi eſt, ſed cor erravit ab eo. Redite prævaricatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos. State cum eo, & ſtabitis. Requieſcite in eo, & quieti eritis. *Hæc prudentia Spiritus, quæ eſt vita & pax*.

S. Auguſt. Serm. 311.

Prudentia carnis Deo inimica.

Prudentia Spiritus.

S. Auguſt. lib. 4. Confeſſ. cap. 10. & 12.

7. 8. 9. *Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubjecta; nec enim poteſt*. An Deum amat, qui Dei inimicum in corde ſuo fovet? Amor proprius, quo inhæremus rebus quæ ſenſibus carnis, aut ingenitæ veteris hominis ſuperbiæ blandiuntur, Dei inimicus eſt. Amor mundi, inimicus eſt Deo. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo*. Amor ſæculi, adulterium eſt quo Chriſto animarum noſtrarum ſponſo fides in baptiſmo data violatur, & Anima noſtra inquinatur. *Adulteri, neſcitis quia amicitia hujus mundi, inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus inimicus Dei conſtituitur*. Prudentia carnis legi Dei ſubjecta non eſt, nec eſſe poteſt, cum ſit amor inordinatus rerum terrenarum & temporalium. „ Prudentia enim carnis dicitur, (inquit S. Auguſtinus) cum anima pro magnis bonis temporalia bona concupiſcit. Quamdiu autem appetitus talis ineſt animæ, legi Dei ſubjecta eſſe non poteſt: id eſt, non poteſt implere quæ lex jubet. Sed cum ſpiritalia bona deſiderare cœperit, & temporalia contemnere, deſinet eſſe carnis prudentia, & Spiritui non reſiſtet. *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*: Quaſcumque precum formulas recitare, quaſcumque eleemoſynas erogare conſueveris; quibuſcumque Confraternitatibus, Scapularis, Roſarii. &c. nomen dederis; etſi Religioſum Ordinem profitearis, etſi Sacerdos fueris & Miſſam quotidie celebres, Deo non places ſi naturæ corruptæ affectibus & deſideriis obedis, & Evangelii præcepta ſpiritumque minime ſequaris. Hæc eſt vita ſecundum carnem, quæ Deo placere non poteſt, quia *Deus Spiritus eſt*: nec verus ipſius cultor quiſquam eſt, niſi ſpiritualis ſit, id eſt, carnis deſideriis & pravis affectibus dominetur. *Summa Religionis eſt imitari quem colis*. Veri Chriſtiani character, quo ab Ethnicis & Judæis carnalibus diſcernitur, eſt ſecundum Spiritum vivere, id eſt, in voluptatibus carnis non acquieſcere, ſed in fide, ſpe & caritate ſpiritualium rerum. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in Spiritu: ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis*. Qui vero Spiritum Chriſti non habet, traditus eſt ſpiritui erroris & tenebrarum. Qui Chriſti non eſt, cujus eſt niſi principis hujus mundi? *Qui autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Quo modo autem unuſquiſque habere in ſe probatur Spiritum Chriſti? „ Chriſtus ſapientia eſt, ſi ſit ſapiens ſecundum Chriſtum, & quæ Chriſti ſunt ſapiat, habet in ſe per ſapientiam Spiritum Chriſti. Chriſtus juſtitia eſt. Si quis habet in ſe juſtitiam, per juſtitiam Chriſti habet in ſe Spiritum Chriſti. Chriſtus pax eſt. Si quis habet in ſe pacem Chriſti, per Spiritum pacis habet in ſe Spiritum Chriſti. Sic & caritatem, & ſanctificationem, & ſingula quæcumque Chriſtus eſſe dicitur, qui habet, Spiritum Chriſti in ſe habere credendus eſt, & ſperare quod mortale corpus ſuum vivificabitur propter inhabitantem in ſe Spiritum Chriſti. Qui autem non tollit crucem ſuam & Chriſtum non ſequitur, qui regnum peccati in ſe ipſo, & in aliis, quantum in ſe eſt, non deſtruit; qui pro veritatis & juſtitiæ defenſione vitam devovere ſuam non eſt paratus, hic Spiritum Chriſti non habet, creatura quidem ejus eſt, ſicut feræ ſylvarum & jumenta in montibus & boves; ſed diſcipulus ejus non eſt. Nihil non agere debet Chriſtianus ad Spiritum Chriſti conſervandum. Ab hominibus carnalibus recedit. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*. Quocumque peccato mortali fugatur, extinguitur in nobis: pœnitentia revocatur. *Vero innocentia conſervatur, unicuique ſecundum profectum fidei augetur & gratia, & quanto purior anima redditur, tanto largior ei Spiritus infunditur*. Spiritus Chriſti non vivificat niſi membra Chriſti: membra porro Chriſti viva, non ſunt, quæ ab ejus

1. Joann. 2.

Jacobi 4. 4.

S. Auguſt. lib. De diverſis Quæſtionibus octoginta tribus, Quæſt. 66. Quæ ſit vita ſecundum carnem, quæ ſecundum ſpiritum?

S. Auguſt. lib. 8. de Civ. Dei cap. 17.

S. Auguſt. lib. Quæſtionum octoginta trium, Quæſt. 66.

Origenes lib. 6. in Epiſt. ad Romanos.

Geneſ. 6. 3. Origenes.

corpore per mortale peccatum ſeparata ſunt. „ Amemus igitur unitatem, timeamus ſeparationem. „ Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari a Corpore Chriſti. Si enim ſeparatur a
S. Auguſt. Tract. 27. in Joann. „ Corpore Chriſti, non eſt membrum ejus; ſi non eſt membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus. „ Quiſquis autem Spiritum Chriſti non habet, hic „ non eſt ejus.

10. *Si autem Chriſtus in vobis eſt; corpus quidem mortuum eſt propter peccatum; ſpiritus vero vivit propter juſtificationem.* Quis ſine horrore de illius tyranni crudelitate cogitet, qui mortua jungebat corpora vivis? Longe majorem nobis horrorem incutere debet peccatum, quo factum eſt ut anima reſuſcitata & renovata per Chriſti gratiam corpori mortuo propter peccatum, id eſt propter concupiſcentiam in eo inhabitantem conjuncta ſit. Hæc bellum continuum, eo periculoſius quo domeſticum eſt, adverſus juſtorum ſpiritum ſeu animam gerit, illique mortem inferre conatur. Pugnare viceſſim adverſus illam debemus, nec umquam cedere, numquam ejus deſideriis conſentire. Si enim vel ſemel conſentiamus, de vita animæ noſtræ actum eſt, periimus. Si victores ſemel evaſerimus, ne ſecuri propterea ſimus. Inſtaurandum certamen eſt; non quieſcit hoſtis, caro ſemper adverſus ſpiritum concupiſcit; reſiſtere ſemper & pugnare debet ſpiritus, hoſtemque debilitare tamdiu pugnantem quandiu vivit. Tamdiu autem vivit, donec corpus hoc mortale immortalitatem induerit; & abſorpta morte in victoria, inhabitans
S. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagian. cap. 11. peccatum penitus extinctum fuerit. *Vivificatis autem mortalibus corporibus noſtris, non ſolum ad peccandum conſenſio nulla erit, ſed nec ipſa cui non conſentiatur carnis concupiſcentia remanebit. Quam ſpiritui reſiſtentem non habere in carne mortali ille tantummodo Homo potuit, qui non per ipſam ad homines venit.* Gaudeamus & demus gloriam Deo, qui vitam ſpiritus nobis donavit per gratiam & caritatem. Timeamus, quia in corpore noſtro circumferimus mortem peccati, ſeu propenſionem maledictam ad peccatum, qua velut ſtimulo ſemper urgemur ad mortem animæ, qua ſeparatur a Deo omnis juſtitiæ fonte.

Reſurrectio corporum ad vitam immortalem, primæ regenerationis, quæ fit in baptiſmo, fructus eſt.

11. *Quod ſi Spiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Reſurrectio corporum ad vitam immortalem, quæ ſecunda regeneratio eſt, primæ regenerationis quæ fit in baptiſmo fructus eſt; jus eſt adoptionis noſtræ; effectus eſt inhabitationis Spiritus Chriſti in
S. Irenæus lib. 3. cap. 19. nobis ut in membris cœleſtis iſtius capitis, & in Templis adorandi illius Spiritus. „ Corpora enim „ noſtra per Lavacrum illud quod eſt ad incorruptionem, unitatem acceperunt in Chriſto: Ani-
Et lib. 5. c. 6. & 8. „ ma autem per Spiritum. Unde & utraque neceſſaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, „ miſerante Domino noſtro Jeſu Chriſto . . . . . „ Templum igitur Dei, in quo Spiritus inhabitat „ Patris, & membra Chriſti non participare ſalutem, ſed in perditionem redigi dicere, quomodo „ non maximæ eſt blaſphemiæ? . . . Nunc autem „ partem aliquam Spiritus ejus ſumimus, ad perfectionem & præparationem incorruptelæ, paulatim aſſueſcentes & capere & portare Deum, „ quod & pignus dixit Apoſtolus, hoc eſt, partem ejus honoris qui a Deo nobis promiſſus
Epheſ. 1. 14. „ eſt. " Gratiæ baptiſmalis amplitudinem & virtutem pauci capiunt. Germen eſt vitæ æternæ, & gratiarum omnium ad illam perducentium. Væ illis qui divinum illud germen ſuffocarunt, nec illud ſuſcitare per Pœnitentiam curant.

12. *Ergo, fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus.* Carnem reficere, fovere, induere, curare laborantem debemus, ſed abſit ut ſecundum carnem vivamus, & ad illam deferamus vitæ noſtræ dominium. Illam enim neceſſe eſt ſequi rectæ rationis imperium, non præire. Attamen carnales homines ita vivunt, quaſi illi omnia debeant. Illi vigilias ſuas, opes, curas & ſtudia, omnemque vitam ſuam conſecrant, quam uni Deo debent. Ne vero ſeipſos decipiant, ſeque ſecundum carnem non vivere glorientur, qui ab intemperantia, ebrietate, fornicatione, immunditia, omnibuſque vitiis corporis forte liberi ſunt: Si enim ſecundum corruptæ rationis ductum, & propriæ voluntatis impulſum vivant; ſi avaritiæ, ambitioni, invidiæ, aliiſque vitiis ſerviant, quæ inter opera carnis Apoſtolus commemorat, ſecundum carnem

Quid eſt ſecundum carnem vivere?

Galat. 5. 19. vivere convincuntur. *Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes; & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Ad hos hoſtes per con-
lib. De Continentia, c. tinentiam mortificandos Apoſtolus cœleſti & ſpirituali tuba Chriſti milites excitat. *Ipſa quippe in hoc bello valet plurimum, in quo adverſus carnem ſpiritus concupiſcit, quoniam ipſas carnis concupiſcentias quodam modo crucifigit.* Unde cum hæc dixiſſet Apoſtolus, continuo ſubjecit: *Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Hæc eſt actio continentiæ, ſic opera carnis mortificantur.

13. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* *Carnalis vita mortifica.* Qui hoc audit, ſi ullus ei Chriſtianus ſenſus eſt, contremiſcat. Vita ſecundum carnem, expletio deſideriorum carnis, ad mortem æternam perducit. Fidei veritas eſt, oraculum Spiritus ſancti: & mundum contrarium ſentientem & dicentem vir Chriſtianus audiet? Carnis & deſideriorum operumque carnalium mortificatio perducit ad vitam æternam, beatam, glorioſam, non animæ tantum, ſed & corporis. Carnem igitur ſuam vere non amant, ſed oderunt, qui tantum illi bonum per continentiam & mortificationem Chriſtianam non pro-
S. Joan. Chr. Hom. 13. in Ep. ad Rom. curant. „ Ne igitur corpus nunc vivere ſinas, ut „ tum vivat: fac, illud ut moriatur, ut ne mo„ riatur. Nam ſi vivum manſerit, nequaquam vi„ vet: ſin vero mortuum fuerit, tum denique vi„ vet. Hoc ipſum & in univerſali reſurrectione „ fit: prius enim illud moriatur oportet ac ſepelia„ tur, ac tum demum immortale fiet. Hoc idem „ & in lavacro uſu venit: prius enim crucifixum „ eſt ac ſepultum, & tum demum excitatum. Hoc „ & in corpore Dominico: illud enim cruci ſuffixum, mortuum, ſepultumque eſt, ac tum demum „ reſurrexit. Itaque & hoc quoque in illius operibus factitemus; aſſidue illud mortificemus, non „ ſubſtantiam deſtruentes; ſed impetus motuſque, „ qui ad pravas actiones ferunt, cohibentes. Hæc „ ſolum vita eſt, non ſervire voluptatibus, quibus quiſquis ſe ſubdiderit, hic vivere minime „ cenſendus eſt propter inuſta ab illis probra ac „ dedecora, propter eos quos afferunt terrores ac „ pericula, propter infinitarum turbationum agmen. „ Si enim mors exſpectata homini voluptario fuerit, is profecto ante ipſam etiam mortem timo„ re emorietur; ſi morbi, ſi injuriæ, ſi paupertas, „ ſi aliud quidpiam adverſum improviſumque acciderit, periit jam miſer & abſumptus eſt. Hac „ porro vita quid miſerabilius? At non talis eſt qui „ Spiritu vivit: quin & terrore, & dolore, & periculis, & quavis mutatione ſuperior eſt.

„ *Si ſecundum carnem vixeritis*, id eſt, ſi ſecun-
S. Auguſt. lib. De Continentia c. 4. Idem lib. 14. De Civ. Dei cap. 4. „ dum vos vixeritis, *moriemini*. „ Nam diabolus „ non habet carnem; & tamen quia ſecundum ſe „ ipſum vivere voluit, in veritate non ſtetit. Unde homo vivendo ſecundum ſe ipſum fit ſimilis „ diabolo, & ſecundum mendacium vivit, non „ quia ipſe mendacium eſt, cum ſit ejus auctor & „ creator Deus, qui non eſt auctor mendacii: " „ *Sed quia* homo ita factus eſt rectus, ut non ſecundum ſe ipſum, ſed ſecundum eum a quo factus „ eſt, viveret, id eſt, illius potius quam ſuam faceret voluntatem: non autem ita vivere, quemadmodum factus eſt ut viveret, hoc eſt mendacium. Beatus quippe vult eſſe, etiam non ſic „ vivendo ut poſſit eſſe. Quid eſt iſta voluntate „ mendacius? Unde non fruſtra dici poteſt, omne „ peccatum eſſe mendacium. Non enim fit peccatum niſi ea voluntate qua volumus ut bene ſit „ nobis. Ergo mendacium eſt, quod cum fiat ut „ bene ſit nobis, hinc potius male eſt nobis: vel „ cum fiat ut melius ſit nobis, hinc potius pejus „ eſt nobis. Unde hoc, niſi quia de Deo poteſt „ bene eſſe homini, quem delinquendo deſerit; non „ de ſe ipſo, ſecundum quem vivendo delinquit?

S. Auguſt. Serm. 156. alias 13. De Verbis Apoſtoli.
Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Epicurei putaverunt non eſſe beatitudinem niſi ſecundum carnem vivere, & bonum hominis in voluptate corporis poſuerunt. Stoici totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua conſtituentes, poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua. Illi ſecundum carnem viventes, iſti ſecundum animam viventes, nec illi nec iſti ſecundum Deum viventes. Dicebat Epicureus, *Mihi frui carne, bonum eſt*. Dicebat Stoicus: *Mihi frui mea mente, bonum eſt*. Dicit Chriſtianus: *Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt*. Dicebat Epicureus: *Beatus cujus eſt in fructu voluptas carnis ejus*. Dicebat Stoicus: *Beatus cujus eſt in fructus virtus animæ ejus*: Dicit Chriſtianus: *Beatus cujus eſt nomen Domini ſpes ejus*. Ergo fratres, *Debitores ſu-*

mus

Digitized by Google

mus non carni, ut ſecundum carnem vivamus, ſicut Epicurei. Sed etiamſi ſecundum ſe ipſam vivere voluerit, anima, carnalis erit, carnem ſapit, de carne non ſurgit. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* „Hoc eſt opus noſtrum in hac vita, actiones carnis ſpiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. Quam multa enim proficientes non jam delectant, quæ antea delectabant? Quando ergo delectabat, & non ei conſentiebatur, mortificabatur: quia jam non delectat, mortificatum eſt. „Calca mortuum, tranſi ad vivum. Mortua eſt enim delectatio una, ſed vivit altera: & illam, dum non conſentis, mortificas; cum cœperit omnino non delectare, mortificaſti. Hæc eſt actio noſtra, hæc eſt militia noſtra. In hoc agone cum confligimus, Deum habemus ſpectatorem: in hoc agone cum laboramus, Deum poſcimus adjutorem. Si enim nos ipſe non adjuvat, non dico vincere, ſed nec pugnare poterimus." Solus Dei Spiritus, ſola gratia Chriſti Salvatoris, Sola caritas pravos naturæ corruptæ affectus mortificare, & cordi hominis vitam ſpiritualem donare poteſt. *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* „Ex his duobus unum exigitur, alterum offertur. Ut ſpiritu facta carnis mortificemus, exigitur: ut autem vivamus, offertur. Num igitur facta carnis mortificare non donum Dei eſſe dicamus; neque id donum Dei eſſe fateamur, quoniam exigi audimus a nobis præmio vitæ, ſi hoc fecerimus, oblato? Abſit ut hoc placeat participibus & defenſoribus gratiæ. Pelagianorum eſt error iſte damnabilis, quorum mox Apoſtolus ora obſtruxit, adjungens: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*: ne facta mortificare nos carnis, non per Dei, ſed per noſtrum ſpiritum crederemus.

S. Auguſt. lib. De Præd. Sanct. cap. 11.

14. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Ne dicas, Hoc poteſt voluntas mea, hoc poteſt liberum arbitrium meum. *Niſi ille regat, cadis; niſi ille erigat, jaces.* Quomodo ergo ſpiritu ſuo, cum audias Apoſtolum dicentem: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei?* „Tu te vis agere, a te ipſo vis agi ad actiones carnis mortificandas. Quid tibi prodeſt quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? ſive Epicureus eris, ſive Stoicus eris, inter filios Dei non eris...... *Non qui ſecundum carnem ſuam vivunt, non qui ſecundum ſpiritum ſuum vivunt, non qui carnis voluptate ducuntur, non qui ſpiritu ſuo aguntur, ſed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* „Dicit mihi aliquis, Ergo agimur, non agimus. Reſpondeo, immo & agis, & ageris, & tunc bene agis, ſi a bono agaris. Spiritus enim Dei eſt qui te agit, agenti adjutor eſt tibi. *Ipſum nomen adjutoris praeſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis.* Agnoſce quid poſcas, agnoſce quid confitearis, quando dicis, *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me*. Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur. *Quicumque enim* (inquit) *Spiritu Dei aguntur: hi ſunt filii Dei!* non littera, ſed Spiritu: non lege præcipiente, minante, promittente; ſed Spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. *Scimus*, inquit idem Apoſtolus, *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator. Cum audiatis. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, nolite vos demittere. Neque enim templum ſuum ſic de vobis ædificat Deus, quaſi de lapidibus qui non habent motum ſuum: levantur, ab ſtructore ponuntur. Non ſic ſunt lapides vivi: *Et vos tamquam lapides vivi coædificamini in templum Dei.* Ducimini, ſed currite & vos: ducimini, ſed ſequimini: quia cum ſecuti fueritis, verum erit illud, quia *ſine illo nihil facere poteſtis*.

Non qui ſpiritu ſuo, ſed qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.

S. Auguſt. Serm. 156.

Pſalm. 16. 8.

A Deo ſic agimur, ut agamus.

Epheſ. 22.

Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. Agunt ut filii Adam, ut Judæi carnales, ut ſervi peccati & legis, quicumque rationis corruptæ falſo lumine, quicumque cupiditatis impetu & motu, quicumque ſolo metu pœnarum agunt: illi ſoli agunt ut filii Dei, qui Spiritu ejus agunt & aguntur. Non ait Apoſtolus, Quicumque Spiritu „Dei vivunt: ſed, *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*: oſtendens quod ſicut Spiritum Dei vult eſſe vitæ noſtræ dominum, ut gubernatorem navigii; nec ſolum corpus, ſed ipſam etiam animam illi ſubjiciendam. Neque enim illam vult dominari, & ſuo quodam inſtituto vivere, ſed illius auctoritatem Spiritus poteſtati ſuppoſuit. Ne enim lavacri dono confiſi, vitam ſubſequentem negligerent, ait; Quamvis Baptiſma acceperis, niſi Spiritu poſtea ducaris, dignitatem datam perdidiſti, & adoptionis prærogativam. Propterea non dixit, Quicumque Spiritum Dei acceperunt, ſed, *Quicumque Spiritu Dei aguntur*, hoc eſt, quicumque omnem vitam ita vivunt, *hi ſunt filii Dei*. Conſiderent qui ſtatum vitæ aut conditionem aliquam eligunt, qui Clericali Militiæ dant nomen, & ad Sacerdotium provehi deſiderant, qui Beneficia Eccleſiaſtica quærunt vel ſuſcipiunt, qui Monaſticam Vitam amplectuntur, qui nubere volunt, qui Magiſtratus capeſſunt, qui negotiationem profitentur, qui caſtra ſequuntur, utrum Spiritu Dei agantur; & cognoſcent an vere ſint filii Dei. Patres carnis noſtræ conſulimus, & eorum ducimur voluntate, cum de ſtatus & conditionis electione, aut de re magni momenti deliberandum eſt; & Patrem animarum noſtrarum non conſulimus, non exquirimus ejus voluntatem, ejus Spiritu non agimur. Fruſtra igitur Chriſtianorum & filiorum Dei nomine gloriamur.

Filii Dei non ſunt, qui ejus Spiritu non aguntur.

S. Joannes Chryſoſtom. Hom. 14.

15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.)* Differentia veteris & novi Teſtamenti, Judæorum & Chriſtianorum, ſervorum & filiorum, Legis & Evangelii. Synagogæ & Eccleſiæ, timor eſt & amor. „Dicet aliquis, Alius eſt ſpiritus ſervitutis, alius Spiritus libertatis. Si alius eſſet, non diceret Apoſtolus, *iterum*. Idem ergo Spiritus, ſed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione. Jam ergo non in timore, ſed in dilectione, ut non ſervi, ſed filii ſimus. *Qui enim adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat, nondum eſt inter filios; utinam tamen vel pœnam timeat. Timor ſervus eſt, caritas libera eſt; & ut ſic dicamus, timor eſt ſervus caritatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Domina ventura locum. Fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ. Veniet Domina, & ſervus abſcedet, quia conſummata caritas foras mittit timorem.* Quot Judæi Chriſtiano ſub nomine latent! Fruſtra ad Deum clamamus. *Pater noſter*, niſi Spiritu caritatis clamemus. *Sed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)* „Dominus timetur, Pater amatur. Cor clamet, *Pater noſter qui es in cælis*. Clamor iſte cordis eſt, non faucium, non labiorum: intus ſonat, auribus Dei ſonat. Clauſo ore, labiiſque immotis Suſanna iſta voce clamabat.... *In quo clamamus, Abba (Pater.)* Ipſe Spiritus ſanctus non facit petere, quem deſideramus accipere, ipſe nos facit quærere, quem cupimus invenire; ipſe nos facit pulſare, ad quem nitimur pervenire..... Etiam hoc agit acceptus, ut largius recipiendus petendo, quærendo, pulſando poſcatur. Sive enim ut vita bona petatur, ſive ut bene vivatur; quotquot Spiritu Dei aguntur hi ſunt filii Dei."

S. Auguſt. Serm. 156.

Differentia veteris & novi teſtamenti, timor & amor.

Dan. 13.

S. Auguſt. Serm. 14. in Pſalm. 118.

16. 17. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* „Non Spiritus noſter reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quia ſumus filii Dei: ſed Spiritus Dei, arra reddit teſtimonium pro ea re quæ nobis promiſſa eſt: Unuſquiſque ergo attendat cor ſuum. In omni actione ſua conſideret quo Spiritu agat, & quo fine; an Spiritu Dei, an ſpiritu ſæculi, an propter Deum & bona æterna, an propter mundum & bona temporalia, & cognoſcet qualis ſit, an filius, an ſervus, an pro illo opere expectare debeat pœnam ut malus & infidelis ſervus, an hæreditatem ut filius. „*Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*. „Medicus noſter & ſanitatem nobis donat, & mercedem inſuper nobis largiri dignatur. Quæ eſt illa merces? Hereditas. Sed non quomodo eſt hominis patris hæreditas. Relinquit enim eam filius ſuis, non poſſidet eum filius ſuis. Heredes Dei ſic ſunt, ut ipſe Deus ſit hæreditas noſtra." *Dominus pars hereditatis meæ*, ait Propheta. *Heredes quidem Dei*, ait Apoſtolus. Si parum vobis eſt, audite quo amplius gaudeatis: *Coheredes autem Chriſti*. Meminerimus nos, heredes eſſe Dei in cælo viventis, ut res terrenas contemnamus. Meminerimus nos eſſe coheredes Chriſti in cruce mortui, ne ipſi commori in cruce noſtra recuſemus. Hereditatis ejus conſortes eſſe non poſſumus, niſi conſortes ſimus paſſionum: Hæc novi fœderis conditio indiſpenſabilis eſt. *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

*Examinandum quo ſpiritu agamus.

S. Auguſt. Serm. 166.

Pſalm. 15. 5.

18. *Exiſtimo enim quod non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Futura bona ſi ſemper cogitemus, mala præſentia parvipendemus. Hæc enim momentanea ſunt, bona vero futura æterna ſunt. Tolerantia malorum præ-

Præmium æternum patientiæ in rebus adverſis.

S. Thomas Lect. 4.

Pſalm. 143. 5. Cor. 4.

Digitized by Google

præſentiom muneratur gloria & claritate quadam imınenſæ dignitatis, qua Deo ſimiles erimus, quem videbimus ſicuti eſt. *Exaltabant Sancti in gloria*. Nunc quidem gloriam habent juſti, ſed occultam in conſcientia ſua. *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Tunc autem gloria illa in conſpectu omnium revelabitur, & bonorum, & malorum, de quibus ſcriptum eſt; *Mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis*. Gloria illa ſola vera eſt: *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Gloria enim hujus mundi vana eſt, quia eſt in his quæ ſunt extra hominem, verbi gratia, in apparatu diviriarum, in ſplendore mundanarum dignitatum, in luxu veſtium, in elegantia formæ, in ædificiorum & variæ ſupellectilis magnificentia, in præſtantia ingenii & doctrinæ; in opinione hominum: ſed futura gloria erit de eo quod eſt intra hominem: *Regnum Dei intra vos eſt*. Paſſiones igitur hujus temporis longe impares ſunt magnitudini futuræ gloriæ. *Ad punctum in modico dereliqui te* (ait Dominus) *& in miſerationibus magnis congregabo te.*

Sap. 5. — Luc. 17. — Iſai. 54.

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis. „ Ipſe „ dicit qui patiebatur, & ſciebat pro quo nomi„ ne patiebatur, & quo fructu patiebatur. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur nobis.* „ Sæviat mundus, fre„ mat mundus, increpet linguis, coruſcet armia, „ quicquid poteſt faciat; quid faciet ad id quod „ accepturi ſumus? Appendo quod patior contra „ id quod ſpero. Hoc ſentio, illud credo. Et ta„ men plus valet quod credo, quam quod ſen„ tio. Quicquid eſt quod ſævit pro nomine Chri„ ſti, ſi poteſt vivi, tolerabile eſt: ſi non poteſt „ vivi migrare hinc facit. Non extinguit, ſed ac„ celerat. Quid accelerat? Ipſum præmium, ipſam „ dulcedinem, quæ cum venerit, ſine fine erit. *Opus „ cum fine, merces ſine fine*... Quid in incertum „ tibi dies & annos numeras? Tranſit hora, tran„ ſit & pœna, nec accedunt ſibi, ſed cedunt po„ tius & ſuccedunt. Non ſic gloria, non ſic re„ muneratio, non ſic merces ipſa laboris: neſcit „ viciſſitudinem, neſcit ſinem, manet tota ſimul, „ & manet in æternum. *Cum dederit dilectis ſuis „ ſomnum, ecce hæreditas Domini*. Sufficit enim nunc „ cuique diei malitia ſua, nec laborem ſuum po„ teſt reſervare ſequenti; ſed omnium merces la„ borum in die illa nos redditur, cui altera non „ ſuccedit. “ *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ* (ait Apoſtolus) *quam reddet mihi in illam diem juſtus judex. Melior eſt* enim *dies una in atriis illis ſuper millia*. „ Guttatim pœna bibitur, ſiquando ſumi„ tur, per minutias tranſit: nam in remuneratione „ torrens eſt voluptatis, & fluminis impetus, tor„ rens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen „ pacis. Flumen plane eſt, ſed quod affluat, non „ quod fluat vel effluat: Flumen vocatur, non quod „ tranſeat vel pertranſeat, ſed quod abundet. Igi„ tur. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

S. Auguſt. Serm. 179. alias 24. ex Sermonibus, — S. Bernard. ſerm. 1. De Diverſis, — Pſalm. 126. — 2. Tim. 4. — Pſalm. 83.

19. *Nam exſpectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat*. In creaturas ſenſibiles hominum uſibus mancipatas redundat corruptio hominis, qui ipſis abutitur contra Creatoris intentionem. Ideo revelationem filiorum Dei exſpectant, ut ab ea corruptione vindicentur & expurgentur igne quo mundus conflagrabit, & quandam gloriæ novitatem ac pulchritudinem cœlum & terra conſequantur. Exſpectare & nos debemus ac vehementer deſiderare reſtaurationem univerſalem ordinis, renovationem mundi, & gratiæ Chriſtianæ conſummationem, ſi vere Chriſtiani ſumus. *Cunctis diebus quibus nunc militο, exſpecto donec veniat immutatio mea.* Tempus vitæ præſentis non eſt tempus manifeſtationis electorum. Adhuc modicum, & gloria filiorum Dei revelabitur, *Nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* Ingemiſcamus interim ob captivitatem noſtram, donec illam Deus convertat; peccata noſtra defleamus, ad diem liberationis noſtræ ſuſpiremus, *Exſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.*

In creaturas ſenſibiles redundat corruptio hominis qui ipſis abutitur. — 1. Joann. 3. — Tit. 2.

20. 21. 22. 23. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens*, &c. Creaturæ ſenſibiles conditæ ſunt a Deo ut hominem evehant ad cognitionem & amorem ſupremæ Veritatis: & illis abuſus homo vanitati ſuæ illas ſubjicit. O perverſitatem! Vult illis frui quaſi Deus ſuus ac ſummum bonum eſſent: illis utitur pro arbitrio, & ad ſe ipſum illas refert, quaſi Deus illarum eſſet. Qua in re illarum naturali propenſioni vim infert. Suopte enim inſtinctu ad Deum referri amant, qui illarum primum principium & ultimus finis eſt. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens*. Ab hujus mundi vanitate, a ſæculi pompis, quibus in baptiſmo renuntiavimus, a laqueis quos diabolus ſub creaturis ſenſibilibus abſcondit, a veneno quo ipſas infecit, ut liberemur, gratiam Chriſti invocemus, oremus & vigilemus aſſidue, cum Davide dicentes. *Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me*. „ A contrario differunt inter ſe vanitas & „ veritas. Hujus autem mundi cupiditas, vanitas: „ ſed Chriſtus qui ex hoc mundo liberat, Veritas. „ Ipſe eſt Via, in qua ſe vult iſte vivificari, quia „ ipſe eſt & Vita. Ipſe qui ait: *Ego ſum via, ve„ ritas & vita*. Sed quid eſt, *Averte oculos meos, „ ne videant vanitatem?* Numquid quamdiu ſumus „ in hoc mundo, poſſumus non videre vanitatem? „ *Omnis enim creatura vanitati ſubjecta eſt*, quæ in„ telligitur eſſe in homine: &, *Omnia vanitas: „ Quæ abundantia hominis in omni labore ſuo, „ quo ipſe laborat ſub ſole?* An iſte fortaſſis hoc „ orat, ut non ſit vita ejus ſub ſole, ubi omnia „ vanitas; ſed in illo ſit, in quo ſe vivificari pe„ tit? Ille quippe *aſcendit* non ſuper ſolem tantum, „ ſed *ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia*. Et in illo „ magis quam ſub ſole vivunt, qui non inaniter „ audiunt quod dixit Apoſtolus: ” *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* „ Ac per hoc ſi vita noſtra ibi eſt ubi veritas, „ non eſt vita noſtra ſub ſole ubi vanitas. Sed hoc „ tam magnum bonum magis habemus in ſpe, non „ tenemus in re. Et ſecundum ſpem noſtram bea„ tus Apoſtolus iſta locutus eſt: *Vanitati creatura „ ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum qui ſubjecit „ eam in ſpe*. Ergo in ſpe, qua ſperamus nos ad„ hæſuros contemplandæ veritati, ſubjecti ſumus „ interim vanitati. Creatura quippe iſta ſpirita„ lis, animalis, corporaliſque omnis in homine eſt, „ immo homo eſt. *Sponte peccavit, & inimica facta „ eſt veritati: ſed ut merito puniretur, non ſponte ſub„ jecta eſt vanitati*. Denique poſt pauca ſubdit Apo„ ſtolus: *Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi pri„ mitias Spiritus habentes*, id eſt, qui nondum qui„ dem ex toto quod ſumus, ſed ex parte qua pe„ coribus meliores ſumus, Deo, non vanitati ſub„ diti ſumus, hoc eſt per primitias Spiritus: *& ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exſpectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam exſpectamus.* „ Quamdiu ita„ que hic ſecundum carnem ſumus, cujus adoptio„ nem & redemptionem per patientiam ſpei adhuc „ exſpectamus; tamdiu ſecundum id per quod ſub „ ſole ſumus, vanitati ſubjecti ſumus. Quamdiu „ igitur ita ſumus, unde poſſumus non videre „ vanitatem, cui etiam ſubjecti ſumus in ſpe? „ Quid eſt ergo quod iſte dicit. *Averte oculos meos „ ne videant vanitatem?* An hoc petit, ut non qui„ dem in hac vita quod in ſpe gerimus impleatur, „ ſed ut in ea ſorte ſit, quæ in illo quandoque poſ„ ſit impleri, cum liberabitur a ſervitute corru„ ptionis, & ſpiritu & anima & corpore, in li„ bertatem gloriæ filiorum Dei, ubi jam non vi„ deat vanitatem?

Pſalm. 118. — S. Auguſt. Serm. 12. in hunc Pſalmum. — Eccleſiaſt. 1. — Epheſ. 4. 10. — Coloſſ. 3. 13.

Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes & ipſi intra nos gemimus, &c. Si proprium electorum eſt ingemiſcere, ſuſpirare, & ferventibus deſideriis optare liberationem ex corpore mortis hujus & peccati, quid de illis ſentiendum, quibus nihil vitæ præſentis amore potius eſt, eamque in gaudio & deliciis totam tranſigunt? Si Spiritus ſanctus efficit ut ad cœleſtem patriam ſuſpiremus; timere debet qui ad illam non ſuſpirat, ne Spiritus ſancti primitias non habeat, cujus plena, perfecta & conſummata effuſio totum Chriſti corpus myſticum omniaque & ſingula membra glorificata inundabit; timere debet ne ad Chriſti corpus non pertineat. Ad gaudium Domini per gemitus & lacrymas vitæ pœnitentis pervenitur. De hoc ipſo ſaltem ingemiſcamus quod non gemimus. *Et ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exſpectantes, redemptionem corporis noſtri.* Servum eſt, captivum eſt, miſerum eſt corpus hoc quod nimium amatis, quod ſtudioſius ornatis, quod impenſius fovetis, cujus deſideriis obſequimini, & hoc ipſo illius ſervitutem & captivitatem augetis, illique miſeriam æternam procuratis: cum pro ejus redemptione laborare poſſitis quamdiu vita ſuperſtes eſt, agendo pœnitentiam, & bona opera exercendo, in iiſque uſque ad mortem perſeverando, *Redemptionem corporis noſtri*.

Ingemiſcere & optare ferventibus deſideriis liberationem e corpore mortis hujus & peccati, proprium electorum eſt.

24. 25.

24. 25. *Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus.* Spes Chriſtiana magnus theſaurus. Laborum præteritorum fructum & merita ſervat; futura bona præſentia reddit; mala temporalia mitigat, contemptum & faſtidium deliciarum hujus ſæculi inſpirat, bonorumque æternorum guſtum anticipatum infundit juſtis, qui guſtant & vident quam ſuavis ſit Dominus. Vita Chriſtiana vita eſt exſpectationis & ſalutis iis qui fidem habent, & ſecundum fidem vivunt. „ *Spe enim ſalvi* „ *facti ſumus*. Sicut ergo ſpe ſalvi, ita ſpe beati „ facti ſumus: & ſicut ſalutem, ita beatitudinem, „ non jam teneamus præſentem, ſed expectamus „ futuram; & hoc *per patientiam*; quia in malis ſu„mus, quæ patienter tolerare debemus, donec ad „ illa veniamus bona, ubi omnia erunt quibus ine„fabiliter delectemur; nihil erit autem, quod jam „ tolerare debeamus. Talis ſalus quæ in futuro erit „ ſæculo, ipſa erit etiam finalis beatitudo. Quam „ beatitudinem Philoſophi, quoniam non videntes „ nolunt credere, hic ſibi conantur falſiſſimam præ„dicare, quanto ſuperbiore, tanto mendaciore vir„tute.

Spes Chriſtiana magnus theſaurus.

S. Aug. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 4.

„ *Si autem quod non videmus, ſperamus, per patien*„*tiam exſpectamus*. Hoc vobis exhortatorium & „ conſolatorium præbere ſermonem admonet nos „ Dominus noſter, cui dicitur in Pſalmo: *Spes mea* „ *es tu, portio mea in terra viventium*. Ipſe (in„quam) qui ſpes noſtra eſt in terra viventium, „ jubet ut vos alloquamur in hac terra morien„tium; ut non reſpiciatis quæ videntur, ſed quæ „ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia „ ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Quia „ ergo quod non videmus ſperamus, & per patien„tiam exſpectamus: merito nobis in Pſalmo dici„tur: *Expecta Dominum, & viriliter age, & confor*„*tetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*. Mundi enim „ promiſſa ſemper fallunt, Dei autem promiſſa „ numquam fallunt. Sed quia mundus quod pol„licetur hic videtur daturus, id eſt in hac terra „ morientium in qua nunc ſumus; Deus autem „ quod pollicetur, in terra viventium nobis da„turus eſt; multi fatigantur exſpectare veracem, „ & non erubeſcunt amare fallacem.

Pſalm. 41. 6.

S. Aug. Serm. 157. alias 23. De Verbis Apoſt.

Pſalm. 26.

„ *Si autem quod non videmus, ſperamus, per patien*„*tiam exſpectamus*. „ Docuit nos Chriſtus Jeſus exem„plo ſuæ paſſionis, quanta cum patientia in illo „ ambulemus: & firmavit nos exemplo ſuæ reſur„rectionis, quid ab illo patienter ſperare debea„mus. Quod non videmus quidem ſperamus: ſed „ corpus ſumus illius capitis, in quo jam perfe„ctum eſt quod ſperamus. Quoniam qui reſurrexit „ caput noſtrum eſt, ſervat ſpem noſtram. Et „ quia prius quam reſurgeret, flagellatum eſt ca„put noſtrum, firmavit patientiam noſtram. Scri„ptum eſt enim: *Quem enim diligit Dominus, cor*„*ripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit*. „ Non itaque in flagello deficiamus, ut in reſurre„ctione gaudeamus.

Hebr. 12. 6.

26. *Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Infirmitas noſtra ex Adami vetuſtate & concupiſcentia inhabitante: fortitudo noſtra ex caritate, quam Spiritus ſanctus in cordibus noſtris diffundit. Quæ major infirmitas & miſeria, quam omnibus indigere; & quibus indigemus, poſtulare non poſſe; neſcire quid nobis expediat, & proinde quid a Deo petere debeamus; ignorare quomodo petere oporteat ea ipſa, quæ alioquin utilia ſunt ad ſalutem? Neque vero vulgus dumtaxat fidelium in hac ignorantia & infirmitate verſatur, ſed & ipſi Eccleſiæ Magiſtri, ipſi Apoſtoli. *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*. Quod non ex modeſtia tantum Apoſtolus ait: Nam diu & ferventer oravit ut Romanos adire poſſet, nec tamen id cum vehementer optabat, conſecutus eſt. Oravit ut auferretur a ſe ſtimulus carnis, utique a variis periculis liberaretur, nec tamen voti compos evaſit. Similiter & Moſes obſecrans ut Terram promiſſam ingrederetur, Jeremias pro Judæis, Abraham pro Sodomitis ſupplicantes, a Deo non ſunt exauditi. Neſciebant ergo quid orarent, quid ſecundum Dei voluntatem eſſet, quid ad illius gloriam conducibilius, niſi Spiritus ſanctus illorum infirmitatem adjuvaret, illiſque intus dictaret preces dignas quæ exaudirentur, & illos poſtulare faceret quæ Deus concedere & facere decreverat. Petimus ſæpe temporalia bona, & illa abſolute petimus, quæ ſalutem noſtram impediunt, & damnationem nobis arceſſunt pravo uſu. *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus* . . . . „ Moleſtiæ tribulationeſque tempora„les plerumque proſunt, vel ad ſanandum tumo„rem ſuperbiæ, vel ad probandam exercendamve „ patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior „ merces uberiorque ſervatur; vel ad quæcumque „ flagellanda & abolenda peccata: tamen nos ne„ſcientes quid iſta proſint, ab omni tribulatione „ optamus liberari . . . . In his ergo tribulatio„nibus quæ poſſunt & prodeſſe & nocere, quid „ oremus ſicut oportet neſcimus: & tamen quia „ dura, moleſta, quia contra ſenſum noſtræ infir„mitatis ſunt, univerſali humana voluntate, ut a „ nobis hæc auferantur, oramus. Sed hoc devo„tionis debemus Domino Deo noſtro, ut ſi ea non „ abſtulerit, non ideo nos ab eo negligi exiſtime„mus, ſed potius pia patientia malorum, bona „ ſperemus ampliora. ſic enim virtus in infirmi„tate perficitur. *Nonnullis quippe impatientibus Do*„*minus Deus quod petebant conceſſit iratus, ſicut contra* „ *Apoſtolo negavit propitius*. „ Nam legimus Iſraeli„tas quid & quomodo rogaverint & acceperint; „ ſed expleta concupiſcentia, impatientia eſt gra„viter caſtigata. Dedit & regem petentibus ſecun„dum cor eorum, ſicut ſcriptum eſt, non ſecun„dum cor ſuum. Dedit etiam quod diabolus poſtu„lavit, ut probandus ejus famulus tentaretur. E„xaudivit rogantes & immundos Spiritus, ut in „ multos ſues legio dæmonum mitteretur. Hæc „ autem ſcripta ſunt, ne forte ſe quiſque magni„pendat, ſi fuerit exauditus, cum aliquid impa„tienter petit, quod non impetrare plus proſit; „ aut ſe abjiciat, & de divina erga ſe miſeratione „ deſperet, ſi non exaudiatur, cum forte aliquid „ petit, quo accipiendo affligatur atrocius, vel a „ proſperitate corruptus penitus evertatur. In ta„libus ergo *quid oremus ſicut oportet, neſcimus*. Un„de ſi aliquid contra quam oramus acciderit, pa„tienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, „ hoc potius oportuiſſe quod Dei, non quod no„ſtra voluntas habuit, minime dubitare debemus.

Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.

S. Chryſoſt. Hom. 14. Cap. 1.

Ignorantia & infirmitas humana.

S. Aug. Epiſt. 130. al. ad Probam c. 14.

Num. 11. 31. 1. Reg. 8. 7. Job 1. 11. & cap. 2. 6. Luc. 8. 32.

Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Quoties deſideramus opus aliquod virtutis facere, idque ut implere poſſimus, oramus, videmur orare ſicut oportet: ſed tamen aliquando non ita ſe res habet. Quodcumque enim virtutis opus non eſt ſingulis hominibus congruum. Sic ei qui utiliter in actione poſſet proficere, non expedit contemplationis quies, & e contrario. „ Eſt via quæ videtur homini juſta; no„viſſima autem ejus deducunt ad mortem (*inquit* „ *Sapiens*) Sæpe (*inquit S. Gregorius*) qui contem„plari Deum quieti poterant, occupationibus preſſi „ ceciderunt, & ſæpe qui occupati bene humanis „ uſibus viverent, gladio ſuæ quietis extincti ſunt. „ Hinc namque eſt quod nonnulli inquieti ſpiritus, „ dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, „ uſque ad perverſa dogmata erumpunt: & dum „ veritatis diſcipuli eſſe humiliter negligunt, Ma„giſtri errorum fiunt . . . . Hos itaque contempla„tiva vita ultra vires aſſumpta cogit a veritate „ cadere, quos in ſtatu ſuæ rectitudinis humiliter „ poterat ſola activa cuſtodire . . . . Rurſum niſi „ quibuſdam mentibus contemplativa vita potius „ quam activa congrueret, nequaquam per Pſal„miſtam Dominus diceret, VACATE & videte „ quia ego ſum Deus.

Prov. 14. 12. S. Greg. lib. 6. Moral. c. 17.

Pſal. 45. 11.

Quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Motus enim & affectus cordis noſtri diſcernere uſquequaque non poſſumus. *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Ne quidem ipſum, ſed ſolus Dominus. Sæpe nos latet utrum aliquid petamus ex ira, vel ex zelo juſtitiæ. Unde petitio filiorum Zebedæi repulſa eſt, quia licet divinæ gloriæ participationem Deique fruitionem poſtulare viderentur: tamen ex vana gloria & animi elatione eorum petitio procedebat.

Jerem. 17. 9. S. Thom. Lect. 5. Matth. 20.

27. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.* Solum Spiritum ſuum, ſolam voluntatem ſuam Deus audit: cum ergo Spiritum ſuum dat nobis ut oremus, vult efficaciter nobis dare quod rogamus. Poſtulat autem Spiritus ſanctus, ſeu poſtulare facit electos deſtructionem imprimis peccati, & omnium pravarum affectionum, & perſeverantiam in caritate graviores inter tentationes quibus pulſantur, & omnia quibus affliguntur. Poſtulare autem facit *gemitibus inenarrabilibus*. Oratio enim gemitus eſt cordis, miſeriam ſuam, indigentiam & impotentiam ſentientis. Hoc negotium plus gemitibus agitur, quam vocibus. Oratio interpres deſiderii, immo ſanctum deſiderium eſt. *Deſiderium tuum, oratio tua*. Deſiderium porro primus eſt amoris fructus. Solus igitur amor bona deſideria format, adeoque bonas orationes fundit. Spiritus autem ſanctus amor eſt,

Spiritus Sanctus in nobis orat ac facit.

S. Auguſt.

igitur

igitur ſine Spiritu ſancto infirmitatem noſtram adjuvante orare non poſſumus, qui nequidem dicere poſſumus, *Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto*: neque *ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, ait alibi noſter Apoſtolus. Cum igitur initium orationis pia ſit cogitatio, nulla nobis eſt ea nobis ipſis ad orandum ſufficientia, ſed tota eſt a Spiritu ſancto. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus; quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.*

Rebus optimis abutitur cupiditas, malis bene utitur caritas. S. Aug. Epiſt. 131. al. 156.

28. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Rebus optimis abutitur cupiditas: malis bene utitur caritas. Chriſti doctrina, miraculis, exemplis abuſi ſunt Judæi; tot & tanta beneficia in illorum excæcationem, indurationem & perniciem ceſſerunt. Afflictiones, perſecutiones, tentationes cedunt in bonum eorum qui Deum diligunt: Deo enim ſive corripienti, ſive conſolanti; ſive probanti, ſive coronanti conſtanti dilectione in adverſis rebus, non minus quam in proſperis adhærent. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: „ Non ſolum ergo illa quæ appetuntur ut „ ſuavia, verum etiam illa quæ ut moleſta vitan„ tur, quando alia ſic ſumimus ne capiamur, alia „ ſic ferimus ne frangamur, & ſecundum præcepta „ divina in omnibus gratias agimus ei, de quo di„ cimus: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*: &, *Bonum mihi quod humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.* „ Neque „ enim revera, ſi fallacis proſperitatis ſemper hic „ tranquillitas arrideret, anima humana portum „ illum veræ certæque ſecuritatis appeteret.

Pſalm. 33. 2. Pſal. 118. 71.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, &c. „ Uſque adeo prorſus omnia, ut etiam ſi qui eorum „ deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis fa„ ciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt „ atque doctiores. Diſcunt enim in ipſa via juſta „ cum tremore ſe exultare debere, non ſibi arro„ gando tamquam de ſua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia ſua. *Non movebimur in æternum.* Propter quod eis dicitur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* „ Neque enim ait, & non veniatis ad viam juſtam, „ ſed, *ne pereatis de via juſta*: Quid oſtendens, „ niſi eos eſſe commonitos, qui jam ambulant in „ via juſta, ut in timore Deo ſerviant, id eſt, „ *non altum ſapiant, ſed timeant*; non ſuperbiant, „ ſed humiles ſint? Unde & alibi dicit, *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*; exultent Deo, „ ſed cum tremore; in nullo gloriantes, quando „ noſtrum nihil ſit; ut qui gloriatur, in Domino „ glorietur: ne pereant de via juſta, in qua jam „ ambulare cœperunt, dum ſibi hoc ipſum aſſignant, quod in ea ſunt.

S. Aug. l. De Corrept. & Grat. c. 9.
Pſalm. 29. 7.
Pſalm. 2. 12.
Rom. 11. 20.
Rom. 12. 16.

Certiſſimum indicium prædeſtinationis, eſt conformitas humiliationibus & paſſionibus Jeſu Chriſti.

29. *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Certius indicium prædeſtinationis ad gloriam Chriſti Jeſu, eſt conformitas humiliationibus & paſſionibus ejus. Oportuit Chriſtum ſic pati, & ita intrare in gloriam ſuam: oportuit humiliari uſque ad mortem crucis, ut exaltaretur, & Primogenitus eſſet in multis fratribus ille qui Filius Dei naturalis & unigenitus erat: oportuit non ſuam facere voluntatem, ſed voluntatem ejus qui miſerat eum, æterni Patris. Fruſtra igitur ſperant hereditatis ejus & gloriæ conſortium adoptivi, niſi ejus humilitatem patientiam, paupertatem, obedientiam, caritatem, manſuetudinem imitentur. Illum imitari nolle, quid aliud eſt quam divinæ adoptioni renunciare? *Qui ſervat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Conformitas imaginis Filii Dei nunc in homine interiori per gratiam & caritatem, cæteraſque virtutes inchoatur; in cœlo perficietur & conſummabitur. „ Secundum hanc imaginem Filii, „ cui per immortalitatem conformamur in cor„ pore, etiam illud agimus quod dicit idem Apo„ ſtolus: *Sicut portavimus imaginem terreni, ſic portemus imaginem cœleſtis*: ut ſcilicet qui ſecundum „ Adam mortales ſumus, ſecundum Chriſtum „ immortales non futuros, fide vera & ſpe cer„ ta firmaque teneamus. Sic enim nunc eandem „ imaginem portare poſſumus, nondum in viſione, „ ſed in fide, nondum in re, ſed in ſpe.

S. Auguſt. lib. 14. De Trinit. c. 18.
1. Cor. 15. 49.

Fructus ex inſcrutabili divinæ prædeſtinationis decreto colligendi.

30. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Conncain... illam admirabilem Decretorum Dei æternitatum, efficacium, immutabilium, ex quibus noſtra pendet æternitas, humiliter adorare, non ſuperba curioſitate ſcrutari debemus abyſſum ſapientiæ & judiciorum Dei. Qui vocati ſunt ad fidem Chriſtianam Catholicam, qui baptiſmo regenerati, & juſtificati; quibus datum eſt amiſſam juſtitiam recuperare per pœnitentiam; ſperare debent & in Dei miſericordia confidere, ſe aliquando æterna gloria donandos: ſed hæc fiducia humiliores, vigilantiores, & fideliores reddat in obſervantia divinorum mandatorum, ſine qua non patet aditus ad vitam, dicente Chriſto: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Satagant ut per bona opera certam ſuam vocationem & electionem faciant: Sanctimoniam ſectentur, ſine qua nemo videbit Deum, & in ea perſeverent uſque in finem vitæ præſentis: *Qui enim perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Gratias ineffabiles agamus miſericordiæ Dei, quos voluit liberantis; qui nullo modo arguere poſſemus juſtitiam univerſos in maſſa perditionis relinquentis & damnantis. „ Secundum propoſitum occultiſſimæ „ juſtitiæ bonitatiſque ſuæ Deus, quos præde„ ſtinavit, illos & vocavit; & quos vocavit, „ ipſos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, ipſos „ & glorificavit. Prædeſtinatio noſtra non in nobis „ facta eſt, ſed in occulto apud ipſum, in ejus „ præſcientia. Tria vero reliqua in nobis fiunt, „ vocatio, juſtificatio, glorificatio. Vocamur præ„ dicatione pœnitentiæ; ſic enim cœpit Dominus „ evangelizare, *Agite pœnitentiam, appropinquavit „ enim regnum cœlorum.* Juſtificamur invocatione „ miſericordiæ, & timore judicii. Hinc eſt quod „ dicitur, *Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & „ in virtute tua judica me.* Non timet judicari, „ qui impetraverit ante ſalvari. Vocati, renun„ tiamus diabolo per pœnitentiam, ne ſub jugo „ ejus remaneamus: juſtificati, ſanamur per miſeri„ cordiam, ne judicium timeamus: glorificati, „ tranſimus in vitam æternam, ubi Deum ſine fine „ laudamus.

S. Aug. Enarrat. in Pſal. 150. n. 3.
Matt. 3. 2. & 4. 17.
Pſalm. 53. 3.

31. 32. *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* „ Deus pro nobis, ut prædeſtinaret „ nos, Deus pro nobis, ut vocaret nos, Deus pro „ nobis, ut juſtificaret nos; Deus pro nobis, ut „ glorificaret nos. Prædeſtinavit, antequam eſſemus; „ vocavit, cum averſi eſſemus; juſtificavit, cum „ peccatores eſſemus; glorificavit, cum mortales „ eſſemus. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Præ„ deſtinatis a Deo, vocatis, juſtificatis, glorifica„ tis, qui vult adverſari, paret ſe ſi poteſt bellare „ contra Deum. Ubi enim audivimus, *Si Deus pro „ nobis, quis contra nos?* Niſi qui Deum vincit, non „ lædit nos. Et quis eſt qui vincit Omnipotentem? „ Quicumque reluctari voluerit, ſibi nocet . . . . „ In his autem quatuor rebus, quas commendavit „ Apoſtolus inſignes, quæ pertinent ad eos pro „ quibus eſt Deus, id eſt, prædeſtinatione, voca„ tione, juſtificatione, glorificatione, conſiderare „ debemus quid jam habeamus, & quid adhuc ex„ ſpectemus. In his enim quæ jam habemus, Deum „ laudemus largitorem: in his quæ nondum ha„ bemus, teneamus debitorem. *Debitor enim factus „ eſt, non aliquid a nobis accipiendo, ſed quod ei „ placuit promittendo* . . . Dicere illi non poſſumus, Redde mihi, quia dedi tibi. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* Sed, *Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti: & hoc tu feciſti, quia laborantes juviſti.* Promiſſa proculdubio tua implebit, qui fidelis eſt in verbis ſuis, qui etiam infiniti pretii pignus dedit bonitatis erga nos ſuæ, Filium ſuum unigenitum: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, pro nobis, cum adhuc peccatores eſſemus, tradidit illum morti crucis, ut pretium redemptionis noſtræ, ut victimam expiationis noſtræ, ut mediatorem reconciliationis noſtræ: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* „ Quid a mundo reformidet? quid non ſperet a Deo, qui donum illud ineffabile cognoſcit, æſtimat, colit, diligit, dignamque datore & dono vitam agens, ſummopere cavet ne id ſibi fiat inutile ad ſalutem?

S. Aug. Serm. 158. alias 16. De Verbis Apoſtoli.
Rom. 11. 35.

33. 34. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat; quis eſt qui condemnet?* Cum pro nobis mortuus ſit Chriſtus, & pro membris ſuis ſatisfecerit, nihil illa debent amplius juſtitiæ Dei, quamdiu per gratiam baptiſmalem in illo manent; & ſi ab illa gratia per aliquod peccatum morte dignum electi exciderint, ex illo reſurgunt per pœnitentiam, & juſtificati diſcedunt ex hoc mundo. Nulla igitur accuſatio nocere poteſt iis quos Deus elegit ut ſint ſancti. Unde S. Joannes in divina Apocalypſi ſcribit: *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.* Nemo damnare poteſt, quos Deus abſolvit, juſtoſque declarat & pronuntiat, *Ipſe*

Apocal. 12, 10.
Job 34. 29.

genre.

Digitized by Google

conſedente pacem, quis eſt qui condemnet? Certe non damnabit ipſos Pater, qui proprium Filium ſuum pro ipſis dedit: non Filius, qui morte ſua peccata illorum expiavit ut victima propitiationis, qui reſurrectione ſua juſtitiam illis peperit, qui aſcenſione ſua ad dexteram Dei Spiritum ſanctum in illos effudit, qui interpellatione ſua ut Mediator & Advocatus meritum ſuum illis efficaciter applicat. *Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Electos nihil a Chriſto ſeparare in perpetuum poſſe.

35. 36. 37. *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? an fames?* &c. O admirabiles vias Domini! quod reprobos a Chriſto ſeparat, electos illis intimius conjungit. Nec malorum timor, nec bonorum periturorum amor illos a caritate Chriſti ſeparare poteſt, in quo & ſecurum contra mala omnia refugium, & bonorum omnium cumulum reperimus. Qui mortem, infernumque vicit, nos a malis omnibus hujus vitæ ſervare poterat: Sed illi glorioſius, nobiſque longe utilius eſt illa per gratiam ipſius patiendo vincere. Non ſolum autem univerſa mala temporalia vincunt electi, ſed inter hæc de peccato, & de ſe ipſis triumphant, in caritate Chriſti perſeverando uſque ad finem. *Sed in his omnibus ſuperamur propter eum qui dilexit nos.* „ Major certe libertas neceſſaria eſt

S. Aug. lib. De Correptione & Gratia, c. 12.

„ (inquit Sanctus Auguſtinus) adverſus tot & tantas tentationes, quæ in paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque firmata, *ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus*: Hoc ſanctorum martyria docuerunt. „ Adam terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio, non ſtetit „ in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate: Sancti vero in regnum Dei per gratiam „ ejus prædeſtinati, non dico terrente mundo, „ ſed ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fide; cum „ videret ille bona præſentia quæ fuerat relicturus, „ iſti futura quæ accepturi fuerant non viderent. „ *Unde hoc, niſi donante illo, a quo miſericordiam conſecuti ſunt ut fideles eſſent, a quo acceperunt Spiritum non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed virtutis & caritatis & continentiæ, quo cuncta minantia, „ cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperarent?*

Electi certiſſime perſeveraturi ſunt in bono.

38. 39. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei,* &c. Quo magis a creaturarum amore ſeparati ſumus, & Chriſto Jeſu divina caritate magis adhæremus, ejus Evangelium corde & opere nos diligere comprobantes, eo magis confidere poſſumus nos eſſe de numero electorum, quos in Chriſto Jeſu Deus ab æterno dilexit, ut illius membra eſſent, & per illum vitam conſequerentur æternam. *Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Certi ſumus prædeſtinatos omnes

S. Aug. l. De Corrept. & Gratia, c. 7.

„ eſſe perſeveraturos in bono. *Certus ſum* (inquit „ Apoſtolus in eorum perſona loquens) Vos itaque etiam ipſam obediendi perſeverantiam a Patre luminum, a quo deſcendit omne datum optimum & omne donum perfectum, ſperare debetis „ & quotidianis orationibus poſcere, atque hoc „ faciendo confidere, non vos eſſe a prædeſtinatione populi ejus alienos; qui etiam hoc ut faciatis ipſe largitur. *Abſit autem a vobis ideo deſperare de vobis, quoniam ſpem veſtram in ipſo habere jubemini, non in vobis.* Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine: &, Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine; *quia Beati omnes qui confidunt in eo.* „ Hanc ſpem tenentes, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: quoniam de vita æterna, „ quam filiis promiſſionis promiſit non mendax „ Deus ante tempora æterna, nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi conſummata fuerit iſta vita, quæ tentatio eſt ſuper terram: ſed faciet nos perſeverare in ſe uſque in ejus vitæ finem, cui quotidie „ dicimus, NE nos inferas in tentationem.

S. Aug. l. De Dono perſeverant. c. 22.

Jerem. 17. 5.

Pſal. 117. 8.

Pſalm. 2. 15. & 18.

Theodoretus.

Certus ſum quia neque mors, neque vita &c. neque creatura alia, poterit nos ſeparare a charitate Dei. „ Non eſt amandus Deus propter bona promiſſa, „ ſed illa propter ipſum expetenda. Neque enim „ qui ſincere in aliquem divitem affectus eſt, eum „ propter opes & facultates diligit: ſed propter „ ſuum in eum affectum, res etiam, quæ ad eum „ pertinent, diligit. Ita etiam divinus Apoſtolus, „ *Nolem*, inquit, habere regnum cœlorum, & „ omnia quæ videntur & intelligentia percipiuntur, ſine dilectione in Chriſtum. Si quia autem „ mihi tum præſentia, tum futura moleſta & aſpera propoſuerit, & temporalem atque æternam „ mortem, & longiſſimum in gehenna ſupplicium „ una cum dilectione Chriſti, lubentius & alacrius hæc ſuſciperem, quam illa magna ac præclara, & quæ verbis exprimi nequeunt, Dei dilectione fruſtratus. Hanc itaque ut habeamus, „ & ſupplices a Deo contendamus, & omne ſtudium „ adhibeamus, ut Apoſtoli veſtigia ſequentes, digni Apoſtolicis tabernaculis habeamur.

Deus non eſt amandus propter bona promiſſa: ſed illa propter ipſum expetenda.

CAPUT IX.

Senſus Litteralis.

1. 2. V*Eritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto. Quoniam triſtitia mihi magna eſt & continuus dolor cordi meo.* Quia ſæpe male a Judæis tractatus fuerat Paulus, contra in ſummo honore habitus apud Chriſtianos e Gentibus vocatos, credi poterat aut illis infenſus, aut in iſtos propenſior, ſuſpicionem hanc longe a ſe amolitur, & mirabilem dilectionem ſuam erga Judæos confirmat jurejurando, tres advocans teſtes doloris ſui ob incredulitatem & reprobationem Judæorum, ſcilicet Chriſtum, conſcientiam ſuam, & Spiritum ſanctum. *Veritatem dico in Chriſto*: Rem veram ſincere & ex animo loquor, non in cujuſquam gratiam: Chriſtus mihi teſtis eſt: ſed & conſcientia mea teſtimonium mihi perhibet per Spiritum ſanctum eam regentem. Quod continuum & graviſſimum dolorem, qualis eſt parturientium, in corde patior ex reprobatione & cæcitate Judæorum fratrum meorum ſecundum carnem.

3. 4. 5. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: Quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen.* Optarem ego ipſe qui Chriſtum ita diligo, ut nihil ab ejus Charitate me ſeparare poſſit, optarem excludi a Chriſti gloria & conſortio (*ſi fieri poſſet, ſi liceret,*) ut Judæi ſalvi fierent, & ne videretur Deus illorum majores decepiſſe, promiſſioque Abrahamo facta intercidere. Una igitur Dei gloria, & Judæorum ſalus Paulum urgebant, illudque ab illo exprimebant deſiderium, non abſolutum, quo ſalutem ſuam æternam devoveret, ſed conditionatum, ſi fieri poſſet ut Chriſtum ſemper diligens ab ejus conſortio & gloria eſſet alienus; ne Deus ob reprobationem Judæorum blaſphemiis inhonoraretur. Unde verſ. 7. ſubdit: *Non autem quod exciderit verbum Dei*, declarans id ſe optare, ſi fieri poſſet, propter verbum Dei, hoc eſt propter promiſſionem Abrahamo factam. Quemadmodum enim Moyſes videbatur quidem Judæis legatione fungi, rem vero totam pro Dei gloria agebat, cum ait: *Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Ne quæſo dicant Ægyptii, Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret e terra: Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.* „ Ita & Paulus, Ut ne (inquit) „ dicant quod Dei promiſſio excidit, & quæ promiſit, falſo promiſit, velim anathema fieri. Hac velut hyperbolica locutione magnitudinem ſui erga Judæos amoris S. Paulus exprimit. *Qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*, id eſt, ejuſdem generis, Abrahami & Jacob, cui nomen Iſrael divinitus impoſitum eſt, poſteri. *Quorum adoptio eſt filiorum*, quos Deus, præteritis aliis gentibus ſibi in peculium elegit & filios nominavit, * atque ut tales fovit. *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria*, præ ceteris gentibus, ratione legis illis a Deo datæ: *Non enim fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* 2. Ratione miraculorum in illius populi gratiam a Deo editorum. 3. Ratione Prophetiarum & promiſſionum. 4. Ratione protectionis ſingularis. *Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.* Hinc præcipua Iſraelitici populi gloria & celebritas. Horum eſt & *teſtamentum*, id eſt fœdus & pactum multiplex, de terra promiſſionis, de terrena proſperitate & victoriis adverſus hoſtes, de Sacerdotio & regno. *Et legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.* His Lex a Deo lata, & cultus ſacer ac divinus præſcriptus, & promiſſiones magnificæ illis a Deo factæ ſunt. *Quorum*

Quo ſenſu S. Paulus optaverit anathema eſſe a Chriſto pro fratribus.

S. Joan. Chryſ. Hom. 15.

Exod. 30. 31. 32. & 11. Theodoretus, S. Iſidorus Peluſ. l. 2. Ep. 58. Photius Epiſt. 216. Theophylact. Oecumenius.

* Exodi 4. 22. 23. Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael. Dixi tibi: Dimitte filium meum ut ſerviat mihi.

Pſalm. 147. Pſalm. 125.

* Vorſtius, aliique Sociniani punctum ponunt poſt hæc verba, ſecundum carnem, ut hæc ſententia de [illegible]

Deo Patre intelligitur, *qui eſt ſuper omnia Deus, benedictus* (ſupple, *ſit*) *in ſecula*. Sed per ſolam virgulam hæc verba a præcedentibus diſtinguendo, tantas Chriſtum eripiunt, Codices omnes Græci, Latini, Syriaci Verſio, ſenſus conſenſus, veterum interpretum ſenſu conſenſu, probant contra Neotericos illos Scripturarum interpolatores, & divinitatis Chriſti Domini hoſtes.

Patres. Qui progenitores habent Sanctos Patriarchas Abraham, Iſaac, & Jacob, qui promiſſa acceperunt de Chriſto; quæ a Deo impleta ſunt. ſiquidem ex Iſraelitis Chriſtus natus eſt, *Et ex quibus Chriſtus ſecundum carnem*, * *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen*. Verus Deus, nihilo Patre inferior, ſuper omnia Deus, ſuper omnia benedictus, id eſt, laudibus in omnem æternitatem celebrandus. *Amen*. Hoc Verſu Arianorum & Socinianorum Hæreſis expugnatur. Cum vero tanta ſint Judæorum privilegia, cum tam magnifica promiſſa, tot beneficia acceperint a Deo, his omnibus honoribus & bonis exciderunt. Propterea diſcrucior, ait Apoſtolus; ac ſi diceret: „ Vellem „ ab eo choro ſeparari neque alienari, qui Chri„ ſtum circumdat, non ab ipſius amore (abſit) ſed „ & illa fruitione & gloria privari ſuſtinuerim, „ ut ne Dominus meus convitio afficiatur, maleque „ audiat; ne dicant quod res ipſæ velut in ſcena „ factæ ſunt: Aliis promiſit, & aliis dedit: ex „ aliis genitus eſt, & alios ſalvos fecit! Judæorum „ majoribus pollicitus eſt; illorum autem prole „ derelicta eos qui ipſum numquam agnoverant in „ illorum bona introduxit. Illi in Legis meditatio„ ne, in Prophetarum lectione laborarunt; & qui „ ab aris & ab idolis nuperrime rediere, facti ſunt „ illis ſuperiores. Ne igitur hæc de Domino Deo „ dicantur (quamquam injuſte dicantur) & a cœ„ lorum regno libens exciderem, & ab illa arca„ na gloria, adverſaque omnia tolerarem, maxi„ mam omnium conſolationem mihi adfore exiſti„ mans, ſi amplius non audiam convitiis eum affi„ ci, cujus amore tantopere ardeo. *Vide eumdem* „ *Chryſoſtomum lib.* De Compunctione cordis, *cap.* 8.

Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis. Hormah, id eſt, Anathema Hebræis dicebatur homo ſceleratus vel res quæpiam, quæ cum execratione ita funditus delebatur, ut quoad fieri poſſet, nihil ejus reliquum maneret, * quomodo juſſu Dei delera eſt urbs Jericho (*Joſue* 6. 17. *Numer.* 21. 2. 3. *Judic.* 1. 17. *Malach.* 4. 6. 1. *Machab.* 5. 5.) Græci vocabant *anathemata* homines ſceleſtiſſimos qui ingruente calamitate publica ad Urbis luſtrationem Diis Manibus & inferis mactabantur. Atque eo ſenſu hoc in loco ſumi vocem *anathema*, prout ſignificat deſtructionem ſeu occiſionem corporalem, qua quis cum execratione de vita hominumque ſocietate exterminatur, vult S. Hieronymus Epiſt. 151. ad Algaſiam Quæſt. 9. *Cerne* (inquit) „ Apoſtolum quantæ charitatis in Chri„ ſtum ſit, ut pro illo cupiat mori, & ſolus peri„ re, dummodo omne in illum credat hominum ge„ nus; perire autem non in perpetuum, ſed in præ„ ſentiarum. Qui enim perdiderit animam ſuam „ pro Chriſto, ſalvam faciet eam. Unde & de 43. „ Pſalmo aſſumit exemplum. Quoniam propter te „ mortificamur tota die, reputati ſumus ut oves „ occiſionis. Vult ergo Apoſtolus perire in carne, „ ut alii ſalventur in ſpiritu; ſuum ſanguinem fun„ dere, ut multorum animæ conſerventur. Quod „ autem anathema interdum occiſionem ſonet, „ multis veteris Inſtrumenti teſtimoniis probari poteſt.

* Joſue 6. 17. *Sitque civitas hæc anathema* Num. 21. 2. 3. Iſrael voto ſe Domino obligavit: *Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit, ſubverſis urbibus ejus: & vocavit nomen loci illius Horma, id eſt anathema.*

Judic. 1. 17. *Abiit autem Judas cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum qui habitabat in Sephath, & interfecerunt eum. Vocatumque eſt nomen urbis Horma, id eſt anathema.*

Malach. 4. 6. *Ne forte veniam, & percutiam terram iſtam anathemate.*

1. Machab. 5. 5. *Et anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant. Cap. ſuperiori, vers. 32.*

Hanc expoſitionem quæ ſatte planior eſt, probabilior, & convenientior, S. Joannes Chryſoſtomus durioribus verbis refellit, eo maxime argumento quod ſe optare dicat S. Paulus *Anathema eſſe a Chriſto pro fratribus*: Mors autem corporis illum non ſeparaſſet a Chriſto, immo illi magis conjunxiſſet, unde alibi ait: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Verum illud, *a Chriſto*, commode exponi poteſt, *propter Chriſtum*, vel ob amorem Chriſti, ut S. Hieronymus intellexit, *Optabam anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*. Id eſt, Vitam meam corporalem devovere optarem, & mortem ſubire propter Chriſtum, ut Judæi fratres mei ſalutem æternam conſequantur. At, objicit S. Chryſoſtomus: Nihil magnum eſſet ac ſingulare quod paratus eſſet Paulus mori pro Judæis. Immo vero iſtud ſingularis & eximiæ dilectionis argumentum eſt. Joannis 10. 11. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Et cap. 15. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Et maximum dilectionis erga nos ſuæ argumentum dedit Deus, *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Utramque interpretationem Photius approbat *Epiſt.* 216.

Judæorum reprobatio, & vocatio Gentium.

6. 7. 8. *Non autem quod exciderit verbum Dei*. Quæ de Judæorum reprobatione & caſu, & de Gentium vocatione in eorum locum dicam, non evertunt verbi Dei veritatem, & divinarum firmitatem promiſſionum: Neceſſe eſt enim impleri omnia quæ Deus decrevit, prædixit, promiſit; nec id meo dolore, vel alia cauſa impediri poteſt: ſed in ſolis Fidelibus Dei ſermo implebitur. *Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ*. Non omnes qui ex Jacob Patriarcha ſunt carnaliter progeniti, ſunt a Deo electi, & beatæ illius viſionis candidati, ſive ex eorum felici numero ad quos proprie pertinent promiſſiones ſalutis: *Neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii*. Nec quicumque ex ſemine Abraham propagati ſunt, propterea cenſendi ſunt ejus filii, quod ſpectat jus hereditatis, benedictionem, & promiſſiones. *Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Abrahamo dictum eſt, (*Geneſ.* 21.) Sed Iſaac cum iis qui ex illo genus ducent, vocabitur ſemen tuum, in quo promiſſiones ſemini tuo factas adimplebo. *Id eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*. Id autem allegorice ſignificat, non omnes qui ex Abraham conſueto naturæ ordine progeniti ſunt, adoptatos eſſe in filios Dei: ſed eos ſolos qui regenerati ſunt ſecundum ſpiritum per gratiam fidei, ſecundum promiſſionem ſancto Patriarchæ a Deo factam his verbis, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*, ſive ex Abrahamo carnaliter progeniti ſint, ſive non, ſive Judæi ſint, ſive Gentiles, a Deo habendos pro vero ſemine Abrahæ: ſicut etiam Iſmael ſecundum carnem natus non eſt computatus in ſemine, nec heres fuit; ſed Iſaac ſecundum promiſſionem natus. Confer cum *Galat.* 4. 22. 23. *Gen.* 22. 18

9. *Promiſſionis enim verbum hoc eſt*, ſcriptum Geneſ. 18. 10. *Secundum hoc tempus*; poſt annum hoc ipſo tempore, *veniam ad te*, (verba ſunt Angeli, Abrahamo Dei nomine loquentis, ex Verſione LXX. Interpretum) *& erit Saræ filius*: Sara conjux tua, licet vetula & ſterilis, ex te filium habebit.

10. *Non ſolum autem illa: ſed & Rebecca, ex uno concubitu habens Iſaac patris noſtri*. Non ſolum autem Sara filium promiſſionis peperit Abrahamo, Iſaacum ſcilicet typum Chriſti & omnium in ipſo electorum, ſicut Iſmael ex Agar genitus typus erat reproborum: ſed & *Rebecca* eodem tempore duos geminos concepit ex Iſaac patre noſtro, ſcilicet Jacob & Eſau, quorum prior filius fuit promiſſionis, & typus electorum; poſterior filius dumtaxat carnis, & typus reproborum. Judæorum ſuperbiam retundit Apoſtolus, qui ſe juſtos eſſe confidebant, & ſalvos fore propter merita patrum. Vanam eſſe illorum fiduciam oſtendit exemplo duorum filiorum Abraham, quorum unus electus, alter reprobus. Ne quis vero id matrum diverſitati adſcriberet, quia Iſaac de libera, Iſmael de ancilla natus eſt; aut diverſitati meritorum patris, quia Iſmaelem genuit incircumciſus, Iſaac autem circumciſus: altero exemplo oſtendit filiorum electionem in parentum conditionem aut merita non eſſe refundendam, ſcilicet Jacob & Eſau, quorum unus promiſſionis filius fuit, & a Deo electus, typuſque prædeſtinatorum; alter filius dumtaxat carnis, reprobus & typus reproborum. Quamvis eodem partu, ex eadem matre libera, & eodem concubitu Iſaaci Patriarchæ nati eſſent.

11. 12. 13. *Cum enim nondum nati fuiſſent*, gemelli fratres, immo ante conceptionem quæ nativitas eſt in utero, *aut aliquid boni egiſſent aut mali*, qua amorem vel odium mererentur (*ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret*) ut decretum Dei æternum gratuito unum præ alio eligentis & a perditionis maſſa diſcernentis firmum ſtaret, ac immutabiliter impleretur: *Non ex operibus*, etiam futuris & prævifis, id eſt non propter opera bona vel mala: *Sed ex vocante dictum eſt ei*: Sed propter vocationem & electionem Dei, dictum eſt Rebeccæ: *Quia major ſerviet minori*. Major natu, ſcilicet Eſau, ſervivit minori, ſcilicet Jacob, translato jure primogenituræ Idumæi Eſau poſteri Iſraelitis Jacobi poſteris ſervierunt, a Davide debellati, uſque ad tempora Joram filii Joſaphat, quibus jugum excuſſerunt. Eſau Jacob invitus ſervit ad ejus ſalutem, Deo perſecutionem ejus ordinante ad probationem ſancti fratris. Prior ille ſenſus litteralis eſt, ut patet ex divino ad Rebeccam oraculo: *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur: populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori*. De duobus igitur illis populis dictum eſt, *Major ſerviet minori*, quod tamen de duobus fratribus, quatenus duorum populorum patres & capita futuri erant, dictum Apoſtolus recte refert. Alter ſenſus allegoricus eſt, ſed a Spiritu ſancto per Apoſtolum loquente æque intentus. Serviunt plane reprobi electis inviti ad eorum ſanctificationem & ſalutem, diſponente Deo, & omnia illis vertente in bonum. Omnia enim propter electos, ut ipſi ſalutem conſequantur in Chriſto Jeſu. *Omnia veſtra ſunt* (inquit alibi S. Paulus) *vos autem Chriſti*,

Geneſ. 25. 23.

2. Reg. 8. 14.
4. Reg. 8. 22.

Gratuitæ Prædeſtinationis doctrina ab Apoſtolo tradita.

Chri-

Chriſtus autem Dei. Quod autem de gratuita electione Jacob & de reprobatione Eſao dicit Apoſtolus, confirmat ex Oraculo Malachiæ Prophetæ: *ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Deus illo reſponſo, *Major ſerviet minori*, ſignificat id quod multo poſt ex ejus perſona ſcriptum eſt a Malachia Propheta, *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Non ſolum autem ſignificant Propheta & Apoſtolus plane conſtitutum a Deo præferre Iſraelitas Idumæis in beneficiis temporalibus; ſeu minus dilexiſſe, poſthabuiſſe, neglexiſſe, & quaſi non curaſſe atque contempſiſſe Eſau & Idumæos ejus poſteros comparate ad Jacob & Iſraelitas, (ut recentiores quidam, viri ceteroquin eruditi commentantur) ſed ad Jacob & Eſao, & quatenus ſingulares erant perſonæ, & quatenus typi, hic reproborum, ille prædeſtinatorum, hunc locum eſſe referendum oſtendit Apoſtoli ſcopus, qui de electione ac vocatione ad vitam æternam, deque rebus ſpiritualibus loquitur, ac probat non omnes Iſraelitas eſſe Dei filios, vitæque æternæ heredes. Odium igitur & dilectio hic abſolute, non comparate intelligenda ſunt. Odium Eſau æternam ejus reprobationem ſignificat, dilectio Jacob æternam ejus electionem ad regnum cœleſte & ſempiternam felicitatem. Utrumque ad immutabile Dei propoſitum, ſeu ad ſummum divinæ voluntatis ac libertatis arbitrium referendum eſſe, ex hoc Apoſtoli loco demonſtratur, hoc tamen diſcrimine, quod prædeſtinatio eſt ex divinæ voluntatis propoſito æternoque decreto, & quoad terminum, ſcilicet vitam æternam, & quoad media illuc perveniendi, ſcilicet gratiam, bona opera, perſeverantiam; reprobatio autem quoad terminum dumtaxat, ſcilicet pœnas æternas reproborum, non vero quoad media, ſcilicet peccata, pravaſque voluntates. Unde voluntatem quidem ſignificat Dei permittendi ut aliqui ab ultimo fine excidant, & in peccata cadant, & inferendi damnationis pœnam pro peccatis: non vero voluntatem ut peccent, aut ullam ad eorum peccata cooperationem. Reprobatio propoſitum eſt Dei, quo ab æterno conſtituit aliquos relinquere in maſſa perditionis, & propter peccatum ſive originale ſolum, ſive actualia, æternæ damnationi addicere. Prædeſtinatio propoſitum Dei eſt, quo ab æterno aliquos eligit, & a maſſa perditionis diſcernit, aliiſque præparat beneficia ſua ſeriem ſcilicet gratiarum, & donum perſeverantiæ, quibus certiſſime liberentur & ſalventur.

Hunc Apoſtoli ſenſum aſſecutus eſt & expoſuit Sanctus Auguſtinus, quem Deus Myſteriorum prædeſtinationis & gratiæ doctorem & interpretem optimum Eccleſiæ ſuæ dedit, Epiſtola 194. alias 105. ad Sixtum, * ubi contra Pelagianos ſic loquitur: „*Non itaque* miſericordiæ gratuitæ Dei pertinaciſſima adverſatur inſania . . . . . Nec de inſcrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque cauſa ſuper alium veniat miſericordia ejus, ſuper alium maneat ira ejus. Qui enim ſunt iſti qui reſpondeant Deo, quandoquidem ille Rebeccæ habentis geminos ex uno concubitu Iſaac patris noſtri, cum illi nondum nati nihil egiſſent boni vel mali, ut ſecundum electionem propoſitum ejus maneret, electionem ſcilicet gratiæ, non debiti, electionem qua eligendos facit ipſe, non invenit; non ex operibus, ſed ex vocante dicit, Minori ſerviturum eſſe majorem. In quam ſententiam beatus Apoſtolus etiam teſtimonium Prophetæ longe poſterioris aſſumpſit; *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*: ut intelligeretur hoc apertum poſtea per Prophetam, quod antequam illi naſcerentur, erat in Dei prædeſtinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau, antequam natus feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret juſtitiam, quam nullam ille fecerat; neque in iſto odiſſet naturam, quam bonam ipſe fecerat. Mirum eſt autem cum his coarctantur anguſtiis, in quanta ſe abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis. “*Ideo*, inquiunt, *nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera previdebat*. „Quis iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando ſibi velut adverſariis objecta quæſtione, non id potius tam breve, tam apertum, tam (ſicut iſti putant) verum abſolutumque reſpondit. Cum enim rem ſtupendam propoſuiſſet, quomodo de nondum natis nec aliquid agentibus boni aut mali recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipſa ſibi objecta quæſtione motum exprimens audito-

* Cap. 8.

Ratio Prædeſtinationis ſola Dei miſericordia, ratio reprobationis peccatum originale.

rſia. „*Quid ergo dicemus?* inquit, *Numquid iniquitas apud Deum? abſit*. Hic ergo erat locus ut diceret quod iſti ſentiunt: *Futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem ſerviturum eſſe dicebat*. Non autem hoc Apoſtolus dicit, ſed potius ne quiſquam de ſuorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam & gloriam commendandam voluit valere quod dixit. Cum enim dixiſſet, *Abſit ut ſit iniquitas apud Deum*; tamquam ei diceremus, Unde hoc oſtendis, cum aſſeras non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, Major ſerviet minori? *Moyſi enim dicit*, inquit, *Miſerebor cui miſertus ero, & miſericordiam præſtabo cui miſertus fuero. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Ubi nunc merita, ubi opera vel præterita vel futura tamquam liberi arbitrii viribus adimpleta vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apoſtolus de gratuitæ gratiæ, hoc eſt veræ gratiæ commendatione ſententiam? Nonne ſtultam fecit Deus hæreticorum ſapientiam? Quid autem agebatur, ut hoc Apoſtolus diceret, ut eorum geminorum commemoraret exemplum? Quid perſuadere moliebatur? Quid inculcare cupiebat? Nonne hoc quod iſtorum oppugnat amentia, quod ſuperbi non capiunt, quod ſapere nolunt, qui ignorantes Dei juſtitiam & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti? De ipſa quippe gratia ſatis agebat Apoſtolus, & ideo promiſſionis filios commendabat. Quod enim promittit Deus, non facit niſi Deus. Habet namque aliquid rationis & veritatis, ut homo promittat, & Deus faciat: ut autem homo ſe facere dicat quod promiſerit Deus, ſuperbæ impietatis eſt reptubus ſenſus.

„Intentio igitur intuenda eſt Apoſtoli, quomodo propter gratiam commendandam nolit eum de quo dictum eſt, *Jacob dilexi*, niſi in Domino gloriari: ut cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu antequam aliquid egiſſent boni aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Jacob ex illa maſſa originalis iniquitatis, ubi fratrem ſuum, cum quo habuit communem cauſſam, videt per juſtitiam meruiſſe damnari, nonniſi per gratiam ſe potuiſſe diſcerni. Nondum enim naſcentibus, nec agentibus bonum aut malum, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt ei, Major ſerviet minori.

„*Et Enchiridii cap. 98.* Ambo itaque gemini natura filii iræ naſcebantur, nullis quidem operibus propriis, ſed originaliter ex Adam vinculo damnationis obſtricti. Sed qui dixit, *Miſerebor cujus miſertus ero*, Jacob dilexit per miſericordiam gratuitam, Eſau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit non de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum, quod in eadem cauſa idem ſupplicium non incurrit; ſed de divinæ gratiæ largitate.

14. 15. *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Abſit*. Objectioni occurrit Apoſtolus. An hoc docemus, quod nos docere quidam effutiunt, A Deo quædam injuſte fieri? Id enim ſequi videtur, ſi Deus alios eligit, alios reprobat nulla meritorum habita ratione. Sed abſit ut Deum injuſtum dicamus, quod ipſius naturæ plane repugnat. Injuſtus certe non eſt, cum iis quos ipſi jubet eligere, gratiam facit. *Moyſi enim dicit*, Exodi 33. 19. poſtquam in cultu vituli aurei omnes peccaverant; *Miſerebor cujus miſereor; & miſericordiam præſtabo: cujus miſerebor*. Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Nemini quicquam debeo, gratiam facio quibus volo. Ubi debitum non eſt, non eſt injuſtia ſi uni præ alio beneficia diſpenſentur. Electio porro, prædilectio & liberatio unius ex communi maſſa perditionis, in qua alter relinquitur, non eſt opus juſtitiæ, nec cuiquam jure debita, ſed ſolius miſericordiæ, & mere gratuita: nullam igitur habet rationem præter divinam voluntatem. Qui hic miſcent præviſionem operum, iis & ſenſus verborum apertiſſimus, & mens atque ſcopus Apoſtoli refragantur. *Quis niſi inſipiens Deum iniquum putet, ſive judicium pœnale ingerat digno, ſive miſericordiam præſtet indigno?* ait S. Auguſtinus.

Enchiridii loco ſupra laudato, & lib. 1. ad Simplicianum Quæſt. 2.

16. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Quod quis ſit electus a Deo ad vitam æternam, non eſt ex merito bonæ voluntatis, neque ex meritis bonorum operum exteriorum præcedentium aut præviſorum, quæ curſus nomine metaphorice ſignificantur; ſed ex ſolo ac libero beneplacito Dei miſerentis. „Verumtamen ſi homo

„ ejus ætatis eſt ut ratione jam utatur, non poteſt „ credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec pervenire ad palmam ſupernæ vocationis Dei, niſi „ voluntate eucurrerit. Quomodo ergo *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, niſi quia & ipſa *voluntas* ſicut ſcriptum eſt, *a Domino præparatur*? „ Alioquin ſi propterea dictum eſt, *Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei*, quia ex „ utroque fit, id eſt, & voluntate hominis & miſericordia Dei: ut ſic dictum accipiamus, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, „ tamquam diceretur, Non ſufficit ſola voluntas „ hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei: non „ ergo ſufficit & ſola miſericordia Dei, ſi non ſit „ etiam voluntas hominis: ac per hoc ſi recte dictum eſt, *Non volentis, neque currentis ſed miſerentis eſt Dei*, quia id voluntas hominis ſola non „ implet; cur non & e contrario recte dicitur, „ Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet? „ Porro ſi nullus dicere Chriſtianus audebit, Non „ miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne „ Apoſtolo apertiſſime contradicat: reſtat ut propterea recte dictum intelligatur, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, ut *totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*. Præcedit „ enim bona voluntas hominis multa Dei dona, „ ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, „ in eis eſt & ipſa. Nam utrumque legitur in „ ſanctis Eloquiis, *Et miſericordia ejus præveniet me*; „ & *Miſericordia ejus ſubſequetur me*. Nolentem prævenit, ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.

Prov. 8. 35. ſecundum LXX.

In prædeſtinationis, vocationis, juſtificationis, & glorificationis negotio totum Deo detur.

Pſal. 58. 11. Pſal. 22. 6.

Hæc S. Auguſtini expoſitio, quam adducit & Libro *de Gratia & libero arbitrio* cap. 7. *libro 1. ad Simplicianum* Quæſt. 2. & *Epiſt. 217. alias 107. ad Vitalem*, merito præponenda eſt interpretationi Græcorum, ſcilicet S. Gregorii Nazianzeni Oratione 31. S. Joannis Chryſoſtomi Hom. 16. in hanc Epiſtolam & Hom. 12. in Epiſt. ad Hebræos, Photii, Theophylacti, Oecumenii, qui hunc locum ita intelligi volunt: *Non ſolum volentis, nec currentis ſolum hominis, ſed etiam miſerentis eſt Dei*. Cui expoſitioni favet etiam Sanctus Hieronymus *libro 1. Dialog. adverſus Pelagianos*.

S. Joannes Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylact. Oecumenius, & ex Latinis S. Hieronymus in Epiſt. ad Hedibiam Quæſt. 10. hæc verba, *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, verſumque præcedentem, & ſequentes uſque ad vigeſimum, ſic exponunt tamquam pertineant ad confirmationem objectionis ab adverſario quopiam oppoſitæ contra juſtitiam Dei: ſed ea ſerie omnium ſententiarum, & eo ſtylo ac more Sancti Pauli apparet in his omnibus Verſibus contineri rationem negationis qua repulerat objectionem Verſ. 14. comprehenſam. *Quid ergo dicemus, Numquid iniquitas apud Deum? Abſit*. Illam tamen Græcorum interpretationem abſit ut ſpernamus, quam & Sanctus Hieronymus ſecutus eſt, & Sanctus Auguſtinus libro *De Prædeſtinatione ſanctorum* cap. 8. commemoravit, nec ſprevit: ſed Auguſtini ipſius & Sancti Thomæ interpretationem magis conſonam eſſe menti Apoſtoli exiſtimamus, & Pelagianæ Hæreſi profligandæ aptiorem.

17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra*. Nullam eſſe injuſtitiam Dei gratuito & ſine meritis eligentis, nullam non eligentis, ſed reprobantis, & in maſſa perditionis relinquentis, jam oſtendit Apoſtolus. Poſtremam hanc de reprobatione veritatem Pharaonis exemplo confirmat, cujus cor Deus induravit, non ſolum non largiendo gratiam, nec tantum permittendo ut in peccata laberetur, ſed multa tam intus quam foris operando, quæ illi contumaciæ majoris occaſio forent, ſigna ſcilicet & prodigia, quæ & ejus duritiem, & Dei in eo puniendo juſtitiam comprobarent. Senſus ergo eſt: Deus in Scriptura dicit Pharaoni *Exodi* 9. 16. Poſui te & ſervavi te uſque nunc ad eum finem, ut circa te potentiam meam divinam exerceam tot & tanta ſigna edendo, quorum malo uſu deterior fias, & contumaciæ menſuram implendo, graviores tibi pœnas arceſſas; & ſic nomen meum celebretur apud Gentes, totique orbi metus incutiatur. Hæc de Pharaonis, & aliorum induratione, & de juſtitia Dei erga illos doctrina, eſt Sancti Auguſtini Libro *De Gratia & Libero arbitrio* cap. 20. & 21. ubi ex pluribus Scripturæ teſtimoniis colligit: „ Operari „ Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum „ voluntates quocumque voluerit, ſive ad bona pro „ ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum, „ judicio utique ſuo aliquando aperto, aliquando „ occulto, ſemper tamen juſto. Fixum enim debet „ eſſe & immobile in corde veſtro, quia non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in „ litteris veritatis, a Deo ſeduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare „ præceſſiſſe mala merita eorum, ut juſte iſta paterentur, ne incurratis in illud Proverbium Salomonis, *Inſipientia viri violat vias ejus, Deum autem cauſatur in corde ſuo*. Gratia vero non ſecundum „ merita hominum datur, alioquin gratia jam non „ eſt gratia: quia ideo gratia vocatur, quia gratis „ datur. Si autem poteus eſt, ſive per angelos, vel „ bonos, vel malos, ſive quocumque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam ipſe non fecit, ſed aut „ originaliter tracta eſt ab Adam, aut crevit per „ propriam voluntatem: quid mirum eſt, ſi per Spiritum ſanctum operatur in cordibus electorum ſuorum bona, qui operatus eſt ut ipſa corda eſſent „ ex malis bona?

S. Thomas in hunc locum.

Nulla eſt iniquitas Dei, quoſdam reprobantis, ſive in maſſa perditionis relinquentis.

Proverb. 19. 3.

18. *Ergo cujus vult miſeretur*, ut ſupremus ac liberrimus gratiarum ſuarum dominus ac diſpenſator, nihil debens creaturæ ſuæ; *& quem vult indurat*; & relinquit in maſſa perditionis, ſive in peccato eum quem vult relinquere, non impertiendo illi gratiam, nihil debens peccatori niſi pœnas ut juſtus Judex. „ Miſeretur ſcilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate; ut nec liberatus de ſuis „ meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos „ diſcernit a perditis, quos in unam perditionis „ concreverat maſſam ab origine ducta cauſa communis. *Sic Deus induravit cor Pharaonis per juſtum judicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium*. Quærimus meritum obdurationis, & invenimus. Merito namque peccati univerſa maſſa damnata eſt; „ nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed „ non impertiendo miſericordiam. Quibus enim „ non impertitur, nec digni ſunt, nec merentur: „ at potius ut non impertiatur, hoc digni ſunt, „ hoc merentur. Quærimus autem meritum miſericordiæ, nec invenimus; quia nullum eſt, ne „ gratia evacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur . . . Obduratio Dei eſt nolle miſereri: ut non ab illo irrogetur aliquid quo ſit homo deterior, ſed tantum quo ſit melior non erogetur.

Quomodo Deus indurat peccatores?

S. Aug. Enchiridii c. 99.

Idem Lib. De Gratia & libero arbitrio, cap. 23. & Ep. 194. al. 105. ad Sixtum. Lib. 1. ad Simplic. Quæſt. 2.

19. *Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* At mihi objiciet impius: Si Deus quos vult eligit ad vitam æternam, quos vult deſerit in maſſa perditionis & reprobat, ſi miſericordiam præſtat vel negat pro ſuæ voluntatis beneplacito, quid conqueritur de hominibus apud Prophetas, quod ad ipſum non convertantur, & duro corde ſint? Cur ipſis iraſcitur & comminatur, cum ejus voluntati nemo obſtare poſſit? Reſpondere poterat Apoſtolus, Juſte conqueri Deum de peccatoribus, qui præceptis ejus reſiſtunt, & ſe ipſos in peccatis indurant, ac peccatis merentur ſubtractionem gratiarum, cum ipſe homines peccare nolit, immo prohibeat, nec ipſos induret poſitive inſpirando malitiam, aut ad peccatum compellendo; ſed negative tantum, non impertiendo miſericordiam indignis. Hinc Tertullianus lib. 2. adverſus Marcionem: *Indurat*, inquit, *cor Pharaonis: ſed meruerat in exitium ſubminiſtrari, qui jam negaverat Deum, qui jam legatos ejus toties ſuperbus excuſſerat, qui jam populo labores adjecerat. Poſtremo quia Ægyptius olim Deorum fuerat gentilis idololatria, Ibin & crocodilum citius ſolens quam Deum unum*. Sed fortiori reſponſione humanam ſuperbiam Apoſtolus contundit.

20. *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* o homo carnalis & animalis, qui hæc objicis, tu quis es, qui adverſus Deum contendere, reſponſare & obmurmurare audeas, ut mali ſervi contra dominos? *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit; Quid me feciſti ſic?* Numquid vas fictile dicit figulo, cur me feciſti vas honorificum, verbi gratia pixidem aromaticam, patinam cibariam, aut vas vile & abjectum, vas culinarium, aut matulam? Nec tu igitur qui minor es reſpectu Dei, quam lutum reſpectu figuli, facta Opificis tui jure reprehendis. Iſaiæ 29. 16. *Perverſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo, Non feciſti me, & figmentum dicat fictori ſuo, Non intelligis*.

21. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* An figulus non habet jus & poteſtatem ex eodem luto aqua conſperſo & macerato faciendi aliud quidem vas ad uſus honorificos, aliud

vero

vero ad uſus viles & ſordidos? Ita Deus ex eadem maſſa humani generis Adami peccato corrupta, & damnationi obnoxia, jure ſuo alios quidem eligit ad gloriam ex mera miſericordia; alios rejicit, reprobat & damnat juſto, quamvis occulto judicio.

Aug. Enchiridii c. 89.

„ Hoc loco (inquit S. Auguſtinus) quidam ſtulti putant Apoſtolum in reſponſione defeciſſe; & inopia reddendæ rationis repreſſiſſe contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum eſt, O *homo, tu quis es*? Et in talibus quæſtionibus ad ſuæ capacitatis conſiderationem revocat hominem verbo quidem brevi, ſed re ipſa magna eſt redditio rationis. Si enim hæc non capit, quis eſt qui reſpondeat Deo? Si autem capit, magis non invenit quid reſpondeat. „ *Videt enim*, ſi capit, univerſum genus humanum tam juſto judicio divino in apoſtatica radice damnatum, ut etiamſi nullus inde liberaretur, nemo recte poſſet Dei vituperare juſtitiam; & qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione juſtiſſima derelictis, oſtenderetur quid meruiſſet univerſa conſperſio, & quo etiam iſtos debitum judicium Dei duceret, niſi eis indebita miſericordia ſubveniret, ut volentium de ſuis meritis gloriari omne os obſtruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.

Rom. 3. 19. 1 Cor. 1. 31.

An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? „ Hæc maſſa ſi eſſet ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vaſa in contumeliam. „ Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem univerſa defluxerit, proculdubio quod ex ea fiant vaſa in honorem, non ipſius juſtitiæ, quam gratiam nulla præceſſit, ſed Dei miſericordiæ: quod vero in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ abſit ut ſit apud Deum, ſed judicio deputandum eſt. Hoc quiſquis cum Eccleſia Catholica ſapit, non contra gratiam pro meritis diſputat, ſed miſericordiam & judicium Domino cantat, ut nec miſericordiam recuſet ingratus, nec judicium accuſet injuſtus. Alia eſt namque illa conſperſio de qua idem Apoſtolus: *Si autem delibatio ſancta eſt, & conſperſio: & ſi radix ſancta eſt, & rami*. Illa eſt ex Abraham, non ex Adam, id eſt, ex communione ſacramenti & ſimilitudine fidei, non ex propagine mortali. Iſta vero vel conſperſio; vel, ſicut in pleriſque Codicibus legitur, maſſa, quoniam tota mortis eſt, cum per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; miſericordia ex illa fit aliud vas in honorem, judicio autem aliud in contumeliam. Neque ibi præcedunt merita gratiam liberantis, neque hic effugiunt peccata juſtitiam punientis.

S. Aug. Epiſt. 186. al. 106. ad Paulinum Epiſcopum.

Rom. 11. 16.

22. 23. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam?* Non eſt quod reſpondeas Deo, & adverſus ejus providentiam ac ſupremam voluntatem obmurmures, quod volens juſtitiam ſuam vindicem oſtendere in punitione peccatorum, & potentiam ſuam notam facere conſtringendo tanquam vaſa figuli reprobos mandatis ſuis reluctantes, toleravit illos cum multa patientia diu differens illorum ſupplicium, qui damnatæ maſſæ propagine ſive etiam propriæ voluntatis malitia, vaſa ſunt digna ira, & ad interitum ac ſupplicium æternum apta: illos autem ſuſtinuit Deus, ut palam oſtenderet abundantiam bonitatis ſuæ, & glorioſam effuſionem gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, id eſt in electos, quorum miſereri voluit, & quos æterna electione, vocatione ſecundum propoſitum, juſtificatione, omniumque gratiarum illis miſericorditer collatarum ſerie, præparavit in gloriam; Non ait Apoſtolus, *vaſa iræ, quæ aptavit in interitum*; ſed *apta in interitum*, quia peccatum ex ſolo homine eſt, & ſuamet opera & arbitrio aptat ſe in interitum, ſibique perditionem & damnationem arceſſit. De electis vero ait, *in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*, quia quicquid boni, quidquid meriti in illis eſt, quo ad vitam æternam certiſſime perducuntur, a Deo eſt, qui hoc illis ab æterno miſericorditer præparavit. Dicitur autem Deus ſuſtinere in multa patientia reprobos, *ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*, quia ipſa condemnatio & reprobatio malorum, manifeſtat & commendat Dei bonitatem in electos, qui ab ipſo miſericorditer liberantur. „ Merito autem videretur injuſtum, quod fiunt vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adam maſſa damnata. Quod ergo fiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam. Quod autem fiunt renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Oſtendit ergo Deus iram ſuam, non utique animi perturbationem, ſicut eſt quæ ira hominis nuncupatur, ſed juſtam fixamque vindictam, quia de ſtirpe inobedientiæ ducitur propago peccati atque ſupplicii. Et homo natus ex *muliere*, ſicut in libro Job ſcriptum eſt, *brevis eſt vita, & plenus iracundia*. Ejus enim rei vas eſt, qua plenus eſt: unde iræ vaſa dicuntur. Oſtendit & potentiam ſuam, qua bene etiam utitur malis, multa illis naturalia & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos & comparatione admonendos bonos accomodans, ut in eis diſcant agere gratias Deo, quod ab eis non ſuis meritis, quæ in eadem maſſa paria fuerunt, ſed illius miſeratione diſcreti ſunt. Quod maxime apparet in parvulis, de quibus cum per Chriſti gratiam renaſcuntur, & iſtam vitam in illa tenera ætate finientes in æternam tranſeunt & beatam, dici non poteſt quod libero diſcernuntur arbitrio ab aliis infantibus, qui ſine hac gratia in ipſius maſſæ damnatione moriuntur. Si autem hi ſoli crearentur ex Adam, qui eſſent per gratiam recreandi, & præter eos qui in Dei filios adoptantur, nulli alii homines naſcerentur, lateret beneficium, quod donaretur indignis; quia nullis ex eadem damnabili ſtirpe venientibus debitum ſupplicium redderetur. Cum vero adtulit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem, non ſolum oſtendit iram & demonſtravit potentiam ſuam redhibendo vindictam & bene utendo non bonis; ſed etiam notas fecit divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Ita enim quid præſtetur ſibi diſcit gratis juſtificatus, dum non ſuo merito, ſed gloria largiſſimæ Dei miſericordiæ diſcernitur a damnato, cum quo eadem juſtitia fuerat & ipſe damnandus. *Et infra*: Tota quippe iſta maſſa juſtæ damnationis reciperet debitum, niſi ex ea faceret non ſolum juſtus, ſed etiam miſericors figulus alia vaſa in honorem ſecundum gratiam, non ſecundum debitum; dum & parvulis ſubvenit, quorum nulla merita dici poſſunt, & majores prævenit ut habere aliqua merita poſſint.

S. Aug. Epiſt. 190. al. 1.. ad Optatu Epiſcopu.

Job. 14. 1. ſecundum Verſ. LXX. Interpretum.

24. 25. 26. *Quos & vocavit nos, non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus*. Electos porro (e quorum numero *nos* eſſe per ejus miſericordiam confidimus) *vocavit* ad fidem ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, vocatione efficaci, qua credunt, aut credituri ſunt, & ex fide vivunt, atque in bonis operibus perſeverant, quotquot præordinati ſunt ad vitam æternam, *non ſolum ex Judæis*, ut vos putatis, viri Iſraelitæ; *ſed etiam*, & quidem majori numero, *ex Gentibus. Sicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*. Sicut Deus prædixit per Oſee Prophetam: Eos qui non ſunt populus meus; cultui meo ſingulariter dicatus, & a me ſingulariter dilectus & eximiis beneficiis cumulatus, vocabo populum meum: & qui non ſunt dilecti a Deo dilectione bona ſpiritualia & ſupernaturalia donante, vocabo dilectos, dona fidei, gratiæ, bonorum operum, perſeverantiæ illis tribuendo: & iis qui miſericordiam in hanc uſque diem non ſunt conſecuti, miſericordiam impendam, convertens eos ad fidem cultumque meum, & ad vitam æternam perducens. *Et erit: In loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi*. Et fiet aliquando ut in ipſis locis in quibus dictum eſt eis a Deo, Vos ut plebem meam non agnoſco, filii Dei vocentur, & verum Dei cultum ſuſcipiant ac exerceant. „ De Gentibus id intelligitur dictum, quia non habebant deſtinatum unum ſacrificiorum locum, ſicut Judæi in Jeruſalem. Miſſi ſunt autem ad Gentes Apoſtoli, ut in loco ſuo quique crederent, & ubicumque crediddiſſent, ibi ſacrificium laudis offerrent, quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri.

S. Aug. lib. 1. ad Simplician. Quæſt. 2.

Joan. 1. 12.

Hæc veba *& non dilectam dilectam*, Sanctus Hieronymus hunc locum Apoſtoli referens in Commentario Capitis 2. Oſee non legit. Omnes vero Commentatores Græci hæc verba legunt, ſed poſtrema illa omittunt, *& non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*; nec in Græcis Exemplaribus habentur verba quæ illis reſpondeant, neque in Vulgata antiqua, Exemplaribus Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu & S. Germani a Pratis adjuncta, neque apud Sanctum Auguſtinum Lib. 1. ad Simplicia-

S. Aug. lib. 1. ad Simplician. Quæſt. 2. S. Thomas in hunc locum.

Dei miſericordia in prædeſtinatione, juſtitia in reprobatione.

Digitized by Google

plicianum Quæſt. 2. & libro 22. contra Fauſtum cap. 89. Inde autem manavit varietas lectionis, quod Textus Hebraicus utroque modo verti poſſit; Interpretes aliqui unam, alii alteram Verſionem exhibuerint, in quibuſdam Bibliis una in textu ſervata, altera ad marginem adnotata ſit, deinde ſcribarum oſcitantia e margine irrepſerit in Textum, ut Viri Eruditi conjiciunt. Verſio Syriaca omittit hæc verba, *& non dilectam dilectum*. Sic enim locum integrum exhibet: *Sicut & in Hoſea dixit: Vocabo eos qui non erant populus meus, Populum meum; & qua miſericordiam non erat conſecuta; Miſericordiam conſecutam*. Arabica poſtrema verba omittit, media exhibet: *Ut ait Oſee Propheta: Vocabo eos qui non erant populus meus, & gentem qua non erat dilecta*. Conſentit Æthiopica: *Quemadmodum dicit Juſſia Propheta: Efficiam illum populum meum, qui non erat populus meus; & reddam illam dilectam meam, qua non erat dilecta mea*.

Oſei. 10. 14. Oſee quidem Propheta hæc ait de decem Tribubus per Aſſyrios abductis, quæ ad vitulorum cultum deflexerant, & ex quibus pauci in patriam erant redituri & rurſum futuri Dei populus, una cum Tribubus Juda & Benjamin: Verumtamen quia Decem illæ Tribus defectione ſua ad cultum idolorum, & diſperſione, typus erant populi Gentilis, Apoſtolus a Spiritu Sancto edoctus vaticinium illud converſioni Gentium ſecundum ſublimiorem ſenſum convenire declarat. Lege S. *Auguſtinum* Libro 18. *De Civitate Dei*, cap. 28.

27. 28. *Iſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquia ſalva fient*. Iſaias magno doloris affectu de Judæis loquens clamat ut illos ad attentionem excitet circa reprobationem populi; & vocationem paucorum ex eis: Etſi Iſraeliticus populus ſecundum promiſſionem Abrahamo factam ſit innumerabilis, pauci tamen ex iis ſalvi fient, aliis propter incredulitatem rejectis, quorum in locum Gentes credentes in Chriſtum aſſumentur: ut in Iſraele ſpirituali, magis quam in Iſraele carnali, promiſſiones patribus factæ impleantur. Iſaias ſub typo decem Tribuum abductarum in capitivitatem Aſſyriacam, ex quo pauciſſimi redierunt; vel Judæorum, qui poſt cladem a Sennacherib illatam reſidui erant, ſignificavit paucitatem Judæorum, qui in Chriſtum credituri erant & ſalvandi. *Verbum enim conſummans & abbrevians in æquitate, quia verbum abbreviatum faciet Dominus ſuper terram*. Deus enim juſto judicio rem de qua agimus exequetur, redigens Iſraelem, quem ſalvaturus ſit, ad brevem, acciſum & exiguum numerum, ita ut pene conſumatur. Conciſionem & imminutionem magnam faciet Dominus in terra, paucos ex Judæis toto orbe diſperſis ſalvando. Iſaiæ locum ab Apoſtolo non iiſdem omnino verbis citatum ita reddit S. Hieronymus: *Si enim fuerit populus tuus Iſrael quaſi arena maris, reliquia convertentur ex* *4. Reg. 16.* *eo. Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam: conſummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*. Quod ſub Ezechia *S. Hieron. in cap. 10. Iſaiæ.* futurum erat, comparat Iſaias cum eo quod ſub Achaz Rege factum eſt, qui miſit Nuntios ad Regem Aſſyriorum, dicens: *Servus tuus ego ſum: aſcende, & libera me de manu Regis Syriæ; & de manu Regis Iſrael, qui conſurrexerunt adverſum me. Et cum collegiſſet argentum & aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, & in theſauris Regis, miſit regi Aſſyriorum munera. Qui & acquievit voluntati ejus: aſcendit enim Rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtavit eam, & tranſtulit habitatores ejus Cyrenem, Raſin autem interfecit*. „At quando Lumen Iſrael & Sanctus Carmeli ſaltum vepreſque conſumpſerit, & Rex Aſſyrius cum paucis fugerit, tunc (inquit Propheta) reſidui Iſrael, qui cum Ezechia principe, captis ceteris Judææ urbibus obſidebuntur in Jeruſalem, nequaquam confident in Aſſyrio, ſicut nunc faciunt ſub Achaz Rege: ſed liberati ab ipſo Aſſyrio, percuſſore, qui prius amicus, & poſtea hoſtis extiterat, innitentur atque confident ſuper Dominum Sanctum Iſrael: nequaquam falſo, ut ſub prioribus fecerant Regibus, ſed in veritate. (Quod ſub Ezechia factum legimus;) ita ut idolis derelictis convertantur ad cultum Dei. Et quia dixerat reliquias eſſe ſalvandas, tranſit ad poſteriora tempora, & plenam illarum ſalvationem futuram dicit eſſe ſub Chriſto, ut Apoſtolus hic explicat.

29. *Et ſicut prædixit Iſaias: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus*. *Iſai. 1. ſecundum LXX.* Niſi Dominus exercituum paucos ex genere noſtro ſervaſſet, atque ex impia multitudine elegiſſet, veros Abrahami & promiſſionis filios gratuita miſericordia ſua factos, totus Iſrael ob infidelitatem reprobatus fuiſſet, omninoque periiſſet ut Sodoma & Gomorrha. Loquitur Iſaias de vaſtitate & clade illata per Reſinem & Phaceem, quo tempore paucos Hieroſolymis concluſos Deus ſervavit. Sic Apoſtolicis temporibus paucos ex Judæis ad viam ſalutis æternæ Deus adduxit. Unde S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, ** Pag. 169.* „* Magiſtri veſtri (*inquit*) & ſe ipſos & vos decipiunt, exiſtimantes eis omnino qui ex ſatu ſecundum carnem Abrahæ ſunt, quamvis peccatoribus & infidelibus & erga Deum immorigeris, regnum æternum datum iri, quæ non conſiſtere ſanctæ demonſtrarunt Litteræ, alioqui hoc Iſaias non dixiſſet: Et niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ut Sodoma & Gomorrha facti eſſemus.

30. 31. *Quid ergo dicemus?* Quid ex Propheticis illis oraculis colligemus? Id quod ſequitur, nempe *Quod gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide eſt*. Gentes quæ Legis, & multo magis Fidei juſtitiam ignorabant, ideoque nec veræ juſtitiæ ſtudebant, qua Deo gratus & amicus eſt homo, veram juſtitiam aſſecutæ ſunt, quæ datur & recipitur per fidem in Chriſtum propitiatorem & mediatorem. *Iſrael vero ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit*. Judaicus vero populus, maxima ex parte, non pervenit ad juſtitiam lege præceptam quamvis obſervantiam Legis a Deo ſibi datæ profiteretur.

32. 33. *Quare?* Cur vero id ita contigit? *Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus*. Quia exiſtimaverunt ad conſequendam juſtitiam ſibi ſufficere exteriorem obſervationem legis, & fidem in Chriſtum contempſerunt. Ideo nec doni fidei fuere participes, nec eam quæ ex illa vitæ inſtitutione eſt, juſtitiam habuere. Umbras enim ſectabantur, ſcilicet ceremonias legales, de quibus dictum eſt ab Apoſtolo noſtro, *Umbram habens Lex futurorum bonorum*, & repudiaverunt veritatem. Ideo ad legem juſtitiæ, ſive ad legem Spiritus vitæ non pervenerunt, quia *Theodoret. in hunc locum. Heb. 10.* illam per debitam viam, ſcilicet per fidem in Chriſtum, qui via eſt, veritas, & vita, & qui factus eſt nobis a Deo juſtitia & ſanctificatio, id eſt author juſtitiæ & ſanctitatis conſtitutus, non quærebant. *Offenderunt enim in lapidem offenſionis*. Ad Chriſtum, qui lapis angularis, fundamentalis, probatus, pretioſus a Prophetis appellatus, velut ad lapidem offendiculi impegerunt. Illis ſcilicet ſenſu carnis ſuæ inflatis & tumidis factus eſt occaſio ruinæ, propter humilitatem ejus, & carnis infirmitatem, & crucem. Metaphora ſumpta eſt a curſoribus aut viatoribus, qui improvidi offendunt ad lapidem, quem non vident in via, propter ejus parvitatem, & corruunt. *Sicut ſcriptum eſt* ab Iſaia Propheta: *Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali*, Ponam in Sion, id eſt, Hieroſolymis, unde Prædicationis Evangelicæ & Eccleſiæ initium, Chriſtum, in quem Judæi ſuperbi & increduli graviter impingent, & corruent. *Lapis offenſionis & petra ſcandali*, idem ſignificant. *Scandalum* Græce, *offendiculum* eſt Latine. Veneranda tamen Sancti Thomæ expoſitio, offenſionem quidem referentis ad ignorantiam, de qua noſter Apoſtolus ait 1. Corinth. 2. *Si cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*: Scandalum vero ad impactionem & caſum, quo per infidelitatem ceciderunt, Chriſtum & ejus Apoſtolos perſequentes. Unde idem Apoſtolus 1. Corinth. 1. ait: *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*. Confer cum Lucæ 2. 34. ubi Chriſtus a Sancto Simeone dicitur poſitus in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur. *Et omnis qui credit in eum, non confundetur*. Omnis qui credit in eum, ſive Judæus, ſive Gentilis, totam ejus doctrinam ſuſcipiens, & ſecundum illam vitam ſuam inſtituens, moreſque componens, ſpe ſua non excidet, quia vitam æternam ab eo promiſſam conſequetur. Habetur in Iſaia ſecundum Textum Hebraicum. *Qui crediderit, non feſtinet*. *Iſai. 28.* Sed LXX. Interpretes, quorum Verſionem hic ſequitur Apoſtolus, quo ſenſus clarior eſſet, reddiderunt: *Omnis qui credit in eum, non confundetur*. Idem porro ut ubique ſenſus. Ait enim Propheta, *Non feſtinet*, id eſt non opus eſt ut feſtinet, quia certus eſt ſe accepturum quod ſperat, adeoque pudore non ſuffundetur quaſi fruſtra ſperaverit: quo ſenſu ab Apoſtolo noſtro ſuperius dictum eſt, ſcilicet cap. 5. *Spes autem non confundit*. Sic explicat Sanctus Hieronymus Iſaiæ locum in Commentario. *Qui crediderit, non confundetur*: Sive, *juxta Hebræum*, non feſtinet, *ne videlicet ei tardus Chriſti adventus videatur. Si enim tardaverit, juxta Habacuth, nemo deſperet, quia veniens veniet, & promiſſa ſua complebit*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Senſus Moralis.

Chriſtiani ſemper dicere debent veritatem

1. **V**Eritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu Sancto. Veritatem ſemper dicere, non ſolum Eccleſiæ Miniſtri, ſed Chriſtiani omnes debent, ut qui tres non modo operum, ſed & verborum ſuorum & cogitationum teſtes habeant veraciſſimos, Chriſtum qui *Veritas* eſt; Spiritum Sanctum, qui *Spiritus* eſt *veritatis*; conſcientiam, quæ a veritate informata, & lumine vultus Dei, qui veritas eſt, ſignata, arguit quicquid eſt contra Legem ejus & veritatem. Chriſtianos qui *regenerati* ſunt *verbo veritatis*, mentiri quam indignum eſt! Jurejurando veritatem confirmare licet aliquando exemplo Apoſtoli, ſi neceſſitas exigat, caritas dirigat. *Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia*. Maledicti, qui pro terrenis rebus, aut pro mortalis etiam vitæ conſervatione innoxium eſſe juramentum volunt ad aſſerendum mendacium, quod æquivocationibus & amphibologiis verborum velut foliis quibuſdam obtegitur. *Et ſunt in eis docti, qui etiam regulas figant fineſque conſtituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi eſtis fontes lacrymarum! Et quid faciemus? quo ibimus? ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere perjuria?*

Jerem. 4. 2.

S. Aug. lib. contra Mendacium cap. 18.

Spiritualium hominum dolor ex caritate, carnalium, ex cupiditate.

2. *Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo*. Carnales homines immodice dolent de rebus nihili, de rerum temporalium amiſſione, de ſuis vel ſuorum temporalibus malis. Eorum triſtitia, quæ ex amore ſæculi ortum habet, mortem operatur. Spirituales vero homines dolent præſertim de ſuis & aliorum peccatis, ut Apoſtolus noſter, qui & alibi ait: *Et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam*. Impenſe dolent, quod animæ Chriſti ſanguine redemptæ pereant. Hic dolor caritatis eſt, & ſalutem operatur. Veris Paſtoribus convenit ejuſmodi triſtitia, eo major, quo ferventior illorum erga Deum & proximum amor eſt. *Triſtitia mihi magna eſt*. Nec raptim tranſit ut triſtitia ſæculi, ſed tamdiu durat, quamdiu videt Deum offendi, & animas perire, pro quibus Chriſtus ſanguinem ſuum fudit. Unde Jeremias ait: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei*. Hac animatus caritate Apoſtolus infidelitatem, excæcationem, reprobationem, perditionem Iſraelitarum dolebat; *& continuus dolor cordi meo*. Non levis eſt hæc triſtitia, & quaſi ſuperficialis, ſed intimo in corde radicata. *Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens*.

2. Cor. 12, 21.

Jerem. 9. 1.

Thren. 1. 22.

Boni Paſtoris caritas.

3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*. Bonus Paſtor non ſolum omnia commoda temporalia, ſed ſanctiora etiam deſideria pro Dei gloria & proximorum ſalute devovet. Viam aliquam ſalutis ſuæ ob finem tam ſanctum Dei Spiritu ducente exponere, commutare eſt, non perdere. Nihil certius eſt eo quod pro caritate exponitur. Via caritatis ut excellentior, ita ſecurior eſt. Paſtor non eſt, ſed mercenarius, qui pro animarum ſalute nihil amittere, nullum diſpendium ſeu damnum pati paratus eſt. S. Pauli exemplum mercenarios & ignavos Paſtores coram hominibus pudore ſuffundit, coram Deo damnabit. Illi res poſſibiles, immo facillimas ad Dei gloriam & animarum ſalutem promovendam pati recuſant: ille non ſolum difficillima quæque, ſed etiam impoſſibilia pro Chriſto & fratribus agere & pati optabat zelo Apoſtolicæ caritatis. „In tantum ſuccenſus erat igne Chriſti, ut ei etiamſi flammas immortales adhibeas, neſciat, non ſentiat, non uratur. Multo namque vehementior eſt ignis Chriſti, quo uritur per amorem. Non enim Paulus erat ſicut nos mercenarii, qui timore gehennæ regnum Chriſti requirimus, ſed ille multo præſtantiore & beatiore deſiderio conſtrictus, ita fert omnia, ut ex his quas patitur pœnis, ſolatia magis amoris ſui capiat, quam dolorem corporis ſentiat. Ita enim totam ejus mentem devinxit amor Chriſti, ut etiam hoc quod ei præ ceteris omnibus amabilius erat, eſſe cum Chriſto, quia ita placeret & Chriſto, contemneret: ſed & cœlorum regno, quod videbatur eſſe laborum remuneratio, pro Chriſto nihilominus carere pateretur, & ab ipſo etiam Chriſto anathema effici pro Chriſto optabile haberet." *Ne vero tam generoſus* Apoſtolici pectoris affectus incredibilis tibi videatur, cogita quod parentes multi pro liberis hæc admiſere, ut illos magis inclareſcere viderent, illorum gloriam ac temporalem felicitatem reputantes ipſorum convictu & præſentia ſuaviorem. Sed quia procul ab hoc amore abſumus, ne animi quidem cogitatione dicta hæc complecti poſſumus. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*. Ipſe ego omnium Magiſter, qui coronas infinitas exſpecto; qui ſic illum amo, ut meus erga ipſum amor mihi ſit rebus omnibus antiquior, optarem (ſi fieri poſſet) anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, id eſt a cœleſti gloria ſeparatus, vel in perpetuum, ſi meo erga Chriſtum ſalvo amore, & ſalva Chriſti erga me caritate fieri poſſet; vel ad tempus; modo privatione illa vel dilatione beatitudinis meæ, fratrum meorum Iſraelitarum ſaluti cooperarer, & Dei gloriam promoverem.

S. Joan. Chryſ. lib. 1. De Compunctione cordis cap. 8.

Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis. Apoſtolicæ caritatis imitator eſt, qui opprobria, & dura quæque, etiam anathema, ſive excommunicationem injuſtam, qua ab Eccleſiæ viſibilis ſocietate ejicitur, pati mavult quam prodere fidei veritatem, aut Moralis Evangelicæ puritatem, aut Eccleſiæ ſacratiſſimam diſciplinam Canonibus Spiritu Dei conditis & totius mundi reverentia conſecratis firmatam; aut juſtitiæ defenſionem deſerere, ſive vita, ſive fama, ſive bona innocentium in diſcrimen adducantur. Caritatis (inquam) eſt in his occaſionibus excommunicationem injuſtam pacifico animo pati ſalva reverentia legitime auctoritatis, ſalvo vinculo Eccleſiaſticæ unitatis. „Sæpe ſinit divina providentia (*inquit S. Auguſtinus*) per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de Congregatione Chriſtiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam ſuam cum patientiſſime pro Eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, & quanta ſinceritate Deo ſerviendum ſit... Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum videtur hoc genus, ſed tamen exempla non deſunt: immo plura ſunt quam credi poteſt."

S. Aug. l. De vera Religione, cap. 6.

4. 5. *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem*. Hæc privilegia, decora, ornamenta, longe excellentius Eccleſiæ Chriſtianæ quam Synagogæ conveniunt. Eccleſiæ enim filii ſunt veri *Iſraelitæ* ſecundum Spiritum, *ad novam vitam nati, & ad viſionem Dei reparati*. Horum *adoptio eſt filiorum*, in Chriſto Jeſu Filio Dei unigenito; in quo omnem plenitudinem habet divinitatis corporaliter inhabitantem, pro *gloria* Templi & Arcæ; *Teſtamentum* novum pro vetere, fœdus æternum pro temporali. Legem Spiritus vitæ pro *Legiſlatione* antiqua & littera occidente, Evangelium pro Lege Moyſi: adorationem in Spiritu & veritate, & Euchariſtiam quæ verum Chriſti corpus eſt, pro *obſequio* ſeu cultu typico, externiſque ceremoniis: cœleſtem hereditatem pro terrena, *promiſſorum* exhibitionem pro figuris & umbris futurorum bonorum. Chriſtianorum *Patres*; non Patriarchæ ſolum, ſed unus omnium Pater Deus Patriarcharum; frater vero ſecundum carnem *Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*. Unde Apoſtolus noſter alibi ait: *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te*. Gratias Deo pro tot ac tantis beneficiis agamus; caveamuſque ne illorum abuſu nos reddamus indignos cœleſti hereditate, ne auferatur a nobis regnum Dei, ſicut a Judæis ablatum eſt, & detur genti facienti fructum ejus.

S. Auguſt. in Pſalm. 21.

Hebr. 2. 11. 12.

Pauci electi, & vere Chriſtiani.

6. 7. 8. *Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ*. In ſanctis ad æternam gloriam electis & prædeſtinatis, qui ſunt veri Iſraelitæ, omnia Dei promiſſa implentur. Ex filiis Jacob ſecundum carnem, pauci ſunt veri Iſraelitæ. Ex hominibus baptiſmo initiatis, qui militantis Eccleſiæ membra ſunt, pauci electi, pauci vero Chriſtiani, fide ſcilicet, moribuſque fide dignis; pauci cœleſtis Jeruſalem cives futuri, *ubi erit veraciter populus Iſrael*, id eſt, *Videns Deum, cujus præmii deſiderio pia per fidem vita in hac ærumnoſa peregrinatione ducenda eſt*. Multi ex Ægypto educti, Mare tranſierunt, Manna cibati ſunt in deſerto; ſed tamen ad Terram promiſſam non pervenerunt. Multi a peccato per baptiſmum liberati; vero Manna, Chriſti ſcilicet corpore in deſerto hujus vitæ nutriti, Deum non vident in Terra viventium. Membra ſunt Eccleſiæ quæ in terris peregrinantur, ſed prædeſtinatione Dei non ſunt membra

S. Auguſt. lib. 17. de Civit. Dei, cap. 13.

Hebr. 12. 23. bra *Eccleſia primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.*
Matth. 7. 13. 14. Ad puſillum iſtum gregem, ad benedictam iſtam ſalvandorum paucitatem, illi ſoli pertinent qui per anguſtam portam ingrediuntur, qui per actam viam incedunt; quæ ſola ducit ad vitam. Deus in libro vitæ inter filios ſuos non cenſet niſi Jeſum Chriſtum, & quos in ipſo ante mundi conſtitutionem elegit, & adoptavit per gratiam ſuam ut ejus coheredes eſſent: ſicut inter filios Abraham neminem cenſet præter Iſaac, ejuſque liberos. *Neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Unus Iſaac nomine filii dignus eſt, id eſt, qui Iſaaci exemplo ſemper eſt ad obediendum Deo paratiſſimus, qui Dei voluntatem propriæ etiam vitæ præponit, qui ſancta, vivens, & Deo placens victima eſt; qui lignum portat lubens ad montem, in quo eſt immolandus Domino; qui quotidie fert crucem ſuam, & Chriſtum ſequitur, in monte cum ipſo cruci configendus. Illi tandem ſoli filii Dei ſunt Chriſto Jeſu promiſſi & dati a Patre; ex quibus nemo peribit, qui carnalibus deſideriis renuntiant, & divinæ electionis ſigna, Chriſtianas ſcilicet virtutes, bonorumque operum fructus in omni vita ſua exhibent: *Non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.*

Spiritualis in baptiſmo regeneratio. S. Joan. Chryſ. Homil. 16. in Epiſt. ad Roman.

9. *Promiſſionis enim verbum hoc eſt: Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius.* „ Iſaac non ſecundum legem naturæ, neque ſecundum poteſtatem carnis genitus eſt, a patre ſcilicet decrepito, & matre vetula ac ſterili, ſed ſecundum poteſtatem promiſſionis. Ipſum igitur promiſſionis verbum Iſaacum effinxit & genuit; ipſum promiſſionis robur filium Abrahamo peperit. Sic & nos per verbum Dei regeneramur in baptiſmo. *Voluntarie* enim & gratuita omnino miſericordia *genuit nos* Deus *verbo veritatis*, & *mundavit lavacro aquæ in verbo vitæ.* „ In Patris & Filii & Spiritus ſancti nomine baptizati regeneramur. Hæc porro non naturæ generatio eſt, ſed promiſſionis Dei. Quemadmodum enim generationem Iſaac tum prædixit, tum explevit: ſic & noſtram in baptiſmo regenerationem multis ante temporibus prædixit per Prophetas, ac poſtea perfecit. *Effundam* (inquit) *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris . . . Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri . . . & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Id quotidie impletur in iis quos Deus ſibi in filios per Chriſtum & in Chriſto adoptavit. In divina illa regeneratione caro nihil operatur, *res tota Spiritus eſt.* Quemadmodum Deus olim Saram vetulam ac ſterilem fœcunditate donavit: ſic aquas ex ſe ipſis ſteriles verbo ſuo ac Spiritu fœcundas effecit, ut nos generarent novam in Chriſto creaturam, & filios Dei. *Hinc perdiſcamus quænam ſit noſtra nobilitas, vitamque exhibeamus illa dignam.*

Jacob. 1. 18. Epheſ. 5. 26.

Ezechiel. 36. 20. 28.

S. Chryſoſt.

Amor Dei æternus & omnino gratuitus ſola ratio prædeſtinationis ſanctorum, non merita prævisa.

11. 12. 13. 14. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Humana hic merita conticeſcant. Gratuita prædilectio electorum tam eorum propriis aut parentum meritis, aut bonis operibus præcedentibus, aut prævisis tribui non poteſt, quam dilectio Jacob præ Eſau, ex uno patre, unaque matre eodem modo affectis, uno conceptu, uno partu, in eorum aut in parentum merita refundi non poteſt. Quo minus meremur, eo magis Deo debitores ſumus. Indignitas noſtra humilitatis Chriſtianæ fundamentum eſt; ut certum teneamus, „ In nullo eſſe gloriandum, „ quando noſtrum nihil ſit. *Enimvero.* Quod eſt „ meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia; & cum „ Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet „ niſi munera ſua? Sicut enim ab initio fidei miſericordiam conſecuti ſumus, non quia fideles eramus, ſed ut eſſemus: ſic in fine, quo erit vita æterna, coronabit nos, ſicut ſcriptum eſt, *in miſeratione & miſericordia.* Non itaque fruſtra Deo cantatur, *Et miſericordia ejus præveniet me, & miſericordia ejus ſubſequetur me.* Unde & ipſa vita æterna, quæ utique in fine ſine fine habebitur, „ & ideo meritis præcedentibus redditur; tamen „ quia eadem merita quibus redditur, non a nobis „ parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis datur; nec „ ideo quia non meritis datur, ſed quia data ſunt „ & ipſa merita quibus datur. Ubi autem invenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari, „ habemus apud eumdem gratiæ defenſorem Apoſtolum Paulum: Stipendium, *inquit*, peccati mors „ eſt; gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro. “ Amor Dei æternus & gratuitus ſola ratio eſt prædeſtinationis ſanctorum, & cur præ aliis eligantur. His bona largitur quæ vult diligere: in reprobis vero mala invenit quæ damnare decrevit. Dei bonitatem & amorem adoremus, juſta judicia timeamus, ſcrutari vero ſuperba curioſitate ne præſumamus. “ Satis ſit interim Chriſtiano adhuc in fide viventi, & nondum cernenti quod perfectum eſt, ſed ex parte ſcienti, „ noſſe vel credere quod neminem Deus liberet niſi „ gratuita miſericordia per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & neminem damnet niſi æquiſſima „ veritate per eumdem Dominum noſtrum Jeſum „ Chriſtum. Cur autem illum potius quam illum „ liberet aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt „ judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium. Numquid enim „ eſt iniquitas apud Deum? Abſit. Sed inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ „ ejus.

S. Cyprianus. S. Auguſt. paſſim.

S. Auguſt. Epiſt. 194. al. 105. ad Sixtum.

Pſalm. 102. 4. Pſalm. 58. 11. Pſalm. 22. 6.

S. Auguſt. ibidem.

15. 16. *Moyſi enim dixit: Miſerebor cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor.* Nullum in nobis divinarum gratiarum fundamentum eſt, ſed in ſola Dei miſericordia: nulla vero ratio miſericordiæ præter voluntatem miſerentis. Quid igitur in voluntate noſtra confidimus, quæ ex ſe ipſa invalida, infirma, & inconſtans eſt? quid in conatibus, quorum fiducia præſumptio eſt & ſuperbia gratiæ inimica? quid in meritis, cum in fundo naturæ nihil ſit præter egeſtatem & indignitatem? *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Miſericordiam ejus humili, fervente, & perſeverante oratione poſtulemus, quaſi totum ab illo pendeat, qui *operatur in nobis velle & perficere:* ſic operemur bonum, ſic curramus in via mandatorum Dei, quaſi totum ex nobis penderet. Sic curramus ad propoſitum nobis a Deo bravium æternæ vitæ per bona opera, ut aliquando comprehendamus & aſſequamur. Non gloriemur in nobis, ſi quid boni agimus, cum non ſit ex nobis. Libertas noſtra & ad bonum & ad malum ſalva eſt; ſed illa quidem ad malum ſufficit; non autem ad bonum, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono. Unde Sanctus Proſper.

S. Proſper Carm. De ingratis, pag. 4.

Et tamen in ſanctos animum cum intendimus actus,
Cum deſideriis carnis mens caſta repugnat,
Cum tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas illæſo corde manemus,
Libertate agimus, ſed libertate redempta,
Cui Deus eſt rector, ſummoque ex lumine lumen,
Vita, ſalus, virtus, ſapientia: Gratia Chriſti eſt,
Qua currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, inſtat,
Credit, ſperat, amat, mundatur, juſtificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus: tu corda moves: tu vota petentis,
Quæ dare vis tribuis, ſervans largita, creanſque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, ſtudiumque reſolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum eſt,
Quod bona ſanctorum tua ſunt, & quicquid in illis
Aut ſanum, aut validum eſt, de te viget, ut videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas,
Quæ ſine te quid agit, niſi quo procul exulet a te?
Præcipites ſemper calles, & devia motu
Ingreſſura ſuo: niſi feſſam, ut bone, & ægram
Suſcipias, referas, foveas, tuearis, honeſtes,
Tunc fiet curſu velox, oculiſque videntes.
Libera libertas, ſapiens ſapientia, juſtum
Judicium, & fortis virtus, & ſana facultas.

17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.* Pharao reproborum typus. Divitiæ, dignitates, honores, proſperitas, cum Dei munera ſint reprobis ſæpe data, electis plerumque negata, nemo Chriſtianus illa magnifaciat, nemo cupiat, nemo his donatus non contremiſcat, ne forte ſit ex numero reproborum: caveat ne temporalibus hiſce beneficiis ad indurationem & perditionem ſuam abutatur. Ne ſecurum ſe putet de peccatorum impunitate, quia Deus illum in præſenti ſæculo non punit. Tolerat illum Deus, dat ei tempus pœnitentiæ, quo abutitur ille ad cumulandam menſuram criminum. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.* Quamobrem Deus ſervat impium in diem malum, ut in eo virtutem ſuam oſtendat. Interdum & in præſenti ſæculo oſtendit temporalibus pœnis, quæ præludia ſunt æternarum. Improborum malitia utitur Deus ad finem gloriæ ſuæ, ad bonorum exercitationem, & profectum; ut nempe malorum indurationem cognoſcentes, humilient ſe ſub potenti

Reproborum malitia utitur Deus ad oſtentionem virtutis & gloriæ ſuæ, & ad electorum exercitationem ac profectum.

Job 24. 23.

manu

Digitized by Google

manu Dei, grato ſint in gratiam ejus animo, ei fideles ſint, & ſummam ejus virtutem agnoſcant & collaudent. Confiteantur quod *ſicut Deus bonarum naturarum optimus Creator eſt, ita malarum voluntatum juſtiſſimus ordinator: ut cum illæ male utantur naturis bonis, ipſe bene utatur etiam voluntatibus malis*. Divitias bonitatis & miſericordiæ tuæ, potius quam poteſtatem iræ tuæ in me oſtende, Deus meus! Patientiæ tuæ debeo quod non ſum conſumptus, parce mihi, Domine; *corripe me, veruntamen in judicio, & non in furore tuo: ne forte ad nihilum redigas me*. Emenda ut filium, ne perdas ut inimicum. Salvum fac ſecundum miſericordiam tuam.

August. lib. 11. De Civit. Dei, cap. 17.

Jer. 10. 24.

18. 19. 20. *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Supremus eſt gratiarum ſuarum dominus & diſpenſator. Quod miſereatur, mera liberalitas eſt: quod deſerat, juſtum judicium eſt. Quærimus meritum electionis, & nullum invenimus niſi in Chriſto Jeſu. Quærimus meritum indurationis, & in nobis ipſis invenimus. „ Sit igitur hoc fixum „ atque immobile in mente ſobria pietate atque „ ſtabili in fide, quod nulla eſt iniquitas apud Deum: „ atque ita tenaciſſime ſummiſſimeque credatur, „ idipſum quod Deus cujus vult miſeretur, & quem „ vult obdurat, hoc eſt, cujus vult miſeretur, & „ cujus non vult non miſeretur, eſſe alicujus oc„ cultæ atque ab humano modulo inveſtigabilis æ„ quitatis, quæ in ipſis rebus humanis terrenisque „ contractibus animadvertenda eſt; in quibus niſi „ ſupernæ juſtitiæ quædam impreſſa veſtigia tene„ remus, nunquam in ipſum cubile ac penetrale „ ſanctiſſimum atque caſtiſſimum ſpiritualium præ„ ceptorum noſtræ infirmitatis ſuſpiceret atque in„ hiaret intentio . . . . Quapropter cum dando & „ accipiendo inter ſe hominum ſocietas connecta„ tur, dentur autem & accipiantur vel debita vel „ non debita, quis non videat iniquitatis argui „ neminem poſſe, qui quod ſibi debetur, exegerit? „ nec eum certe, qui quod ei debetur, donare vo„ luerit? hoc autem eſſe non in eorum qui debi„ tores ſunt, ſed in ejus cui debetur arbitrio? ſunt „ igitur omnes homines (quando quidem ut Apo„ ſtolus, ait, In Adam omnes moriuntur, a quo in „ univerſum genus humanum origo ducitur offen„ ſionis Dei,) una quædam maſſa peccati, ſuppli„ cium debens divinæ ſummæque juſtitiæ, quod ſive „ exigatur, ſive donetur, nulla eſt iniquitas. A „ quibus autem exigendum, & quibus donandum ſit, „ ſuperbe judicant debitores: quemadmodum condu„ cti ad illam vineam injuſte indignati ſunt, cum „ tantumdem aliis donaretur, quantum illis red„ deretur. “ *Itaque* hujus impudentiam quæſtionis „ ita retundit Apoſtolus: *O homo, tu quis es qui* „ *reſpondeas Deo?* Sic enim reſpondet Deo, cum ei „ diſplicet quod de peccatoribus conqueritur Deus, „ quaſi quemquam Deus peccare cogat, ſi tantum„ modo quibuſdam peccatoribus miſericordiam juſti„ ficationis ſuæ non largiatur, & ob hoc dicatur „ obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum „ miſeretur, non quia impellit ut peccent. Eorum „ autem non miſeretur, quibus miſericordiam non „ eſſe præbendam æquitate occultiſſima, & ab hu„ manis ſenſibus remotiſſima judicat. *Inſcrutabilia* „ *enim ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ipſius*. „ Nemo igitur adverſus Deum obmurmuret ac di„ cat: *Quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis* „ *reſiſtit?* Conqueritur enim juſte de peccatoribus, „ tamquam de his quos peccare ipſe non cogit. „ Simul etiam ut hi quorum miſeretur, hanc quo„ que habeant vocationem, ut dum conqueritur „ Deus de peccatoribus, compungantur corde, „ atque ad ejus gratiam convertantur. *Juſte ergo* „ *conqueritur & miſericorditer*. Sed ſi hoc movet, „ quod voluntati ejus nullus reſiſtit, quia cui vult „ ſubvenit, & quem vult deſerit; cum & ille cui „ ſubvenit, & ille quem deſerit, ex eadem maſſa „ ſint peccatorum, & quamvis debeat uterque ſup„ plicium, ab uno tamen exigatur, alteri donetur: „ ſi hoc ergo movet; *O homo, tu quis es qui reſpon-* *deas Deo?* ILLUD *tantummodo inconcuſſa fide teneatur, quod non ſit iniquitas apud Deum: qui ſive donet, ſive exigat debitum, nec ille a quo exigit, recte poteſt de iniquitate ejus conqueri, nec ille cui donat, debet de ſuis meritis gloriari. Et ille enim niſi quod debetur, non reddit: & ille non habet niſi quod accepit*.

Quod Deus aliquos eligit, mera miſericordia eſt quod aliquos deſerat ac reprobet, juſtum judicium eſt.

S. Aug. lib. 1. ad Simplic. Quæſt. 2.

Matth. 20. 13.

21. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quomodo Deus qui nihil odit eorum quæ fecit, odio habuit Eſau quem ipſe vas fecit in contumeliam? Reſpondet Sanctus Auguſtinus: „ Non odit Deus Eſau hominem, ſed odit Eſau „ peccatorem. Sicut dicitur de Domino, *In propria* „ *venit, & ſui eum non receperunt*. Quibus item ipſe „ dicit, *Vos propterea non auditis, quia non eſtis ex* „ *Deo*. Quomodo ſui, quomodo non ex Deo? Niſi „ quia illud dictum eſt de hominibus quos ipſe Do„ minus fecerat: illud de peccatoribus, quos ipſe „ Dominus arguebat: iidem tamen ipſi & homines „ & peccatores; ſed homines Dei conditione, pec„ catores propria voluntate. Quod ergo Jacob dile„ xit, numquid peccator non erat? Sed *dilexit in* „ *eo, non culpam quam delebat, ſed gratiam quam* „ *donabat*. Nam & *Chriſtus pro impiis mortuus eſt*, non „ tamen ut impii permanerent, ſed ut juſtificati „ ab impietate converterentur, credentes in eum „ qui juſtificat impium. Odit enim Deus impieta„ tem. Itaque in aliis eam punit per damnationem, „ in aliis adimit per juſtificationem, quemadmodum „ ipſe judicat eſſe faciendum illis judiciis inſcruta„ bilibus. “ Et quod ex numero impiorum, quos „ non juſtificat, facit vaſa in contumeliam, non „ hoc in eis odit quod facit: quippe in quantum „ impii ſunt, execrabiles ſunt; in quantum autem „ vaſa fiunt, ad aliquem uſum fiunt, ut per eorum „ ordinatas pœnas vaſa quæ fiunt in honorem pro„ ficiant. Non itaque odit Deus, nec in quantum „ homines ſunt, nec in quantum vaſa ſunt, id eſt, „ nec quod in eis facit creando, nec quod in eis „ facit ordinando; Nihil enim odit eorum quæ fe„ cit. Sed tamen quod vaſa eos facit perditionis, „ ad uſum correctionis aliorum facit. Odit enim „ in eis impietatem, quam ipſe non fecit. Sicut „ enim judex in homine odit furtum, ſed non odit „ quod datur ad metallum; illud enim fur, hoc „ judex facit: ita Deus quod ex conſperſione impio„ rum facit vaſa perditionis, non odit quod facit, „ id eſt opus ordinationis ſuæ in pœna debita pe„ reuntium, in qua occaſionem ſalutis illi quorum „ miſeretur, inveniant. Summam Dei bonitatem humiliter adoremus, qui miſericorditer ſalvat, quos juſte damnare poteſt. Sed incomprehenſibilia illius judicia curioſitate temeraria ſcrutari ne præſumamus. „ Auctoris facta ſemper indiſcuſſa veneranda „ ſunt, quia injuſta nequaquam eſſe poſſunt. Ra„ tionem quippe de occulto ejus conſilio quærere, „ nihil eſt aliud quam contra ejus conſilium ſuper„ bire. Cum ergo factorum cauſa non deprehendi„ tur, reſtat ut ſub factis illius cum humilitate „ taceatur; quia “ Nequaquam ſufficit ſenſus car„ nis, ut ſecreta penetret Majeſtatis. Qui ergo in „ factis Dei rationem non videt, infirmitatem ſuam „ conſiderans, cur non videat, rationem videt. „ Quo enim ſe cernit figmentum divini operis, eo „ ſemetipſum redarguit, ne contra manum reſultet „ operantis: quia qui benigne quod non erat fe„ cit; quod eſt, injuſte non deſerit. Ad ſemetipſam „ ergo mens redeat, & quod apprehendere non va„ let, non requirat: ne ſi divinæ iræ cauſa diſcu„ titur, amplius diſcuſſa provocetur: & quam pla„ care humilitas poterat, inextinguibiliter ſuperbia „ accendat. “ Deus ex eadem maſſa perditionis, „ quæ de Adami ſtirpe profluxit, facit aliud vas „ in honorem, aliud in contumeliam: in honorem „ per miſericordiam; in contumeliam, per judi„ cium: ut nemo glorietur in homine, ac per hoc „ nec in ſe.

Joann. 1. 11.
Joann. 8. 47.
S. Aug. lib. 2. ad Simplic. Quæſt. 2.

Rom. 5. 6.

Incomprehenſibilia Dei judicia temeraria curioſitate ne ſcrutemur.

S. Greg. lib. 9. Moral. cap. 8.

S. Aug. Enchirid. c. 107.

22. 23. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam?* Omnia; ipſæ etiam reproborum pœnæ ad Dei gloriam & ſalutem electorum ordinantur. Iram Dei notam faciunt, ſimul & ejus ſanctitatem, cui peccatum infinite oppoſitum eſt: ideo in illud armatur, neque inultum eſſe ſinit. *Volens oſtendere iram*. 2. In reproborum punitione potentiam ſuam oſtendit, quæ malis bene utitur, & in ordinem redigit graviores ab ordine defectus, & magis horrenda perverſitatum ac inordinationum monſtra: *& notam facere potentiam ſuam*. 3. Oſtendit gloriæ ſuæ bonitatiſque divitias in electis, quos ex eadem perditionis maſſa, in qua cum reprobis communiter involvebantur, miſericorditer liberat, & ad regni ſui poſſeſſionem eligit: *Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*. 4. Patientiam ſuam in ſuſtinendis ac tolerandis reprobis oſtendit, quæ certe major eſt, quam ejus ſeveritas. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*. „ Quid prodeſt vaſis perfectis in perdi„ tionem, quod ea patienter Deus ſuſtinet, ut „ ordinate diſperdat, utaturque illis ad inſtru„ mentum ſalutis aliorum quorum miſeretur? *Sed illis utique prodeſt, ad quorum ſalutem iſtis ſic utitur; ut ſicut ſcriptum eſt Juſtus manus lavet in ſanguine peccatoris, id eſt, mundetur ab operibus malis per timorem Dei, cum videt ſupplicia peccatorum*.

Deus in electis & reprobis gloriam ſuam oſtendit.

S. Aug. lib. ad Simplician. Quæſt. 2.

Pſalm 57. 11.

Impiorum obduratio & punitio piis demonſtrat quid illis timendum ſit & quantas agere gratias Deo debeant.

„ Quod ergo volens oſtendere iram ſuſtinuit in „ multa patientia vaſa iræ, *volet ad nullam aliis præſtandum timorem*, & ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. *Etenim obduratio illa impiorum utrumque demonſtrat, & quid timendum ſit, ut quiſque pioturs convertatur in Deum; & quanta agenda ſint gratia miſericordia Dei, qui in aliorum pœna quid aliis donet oſtendit. Si autem illa, quam de aliis exigit, non eſt juſta pœna, nihil donat aliis, a quibus eam non exigit. Quia vero illa juſta eſt, & nulla eſt iniquitas apud vindicantem Deum; quis ſufficiat agere gratias ei, qui hoc remittit, quod ſi vellet exigere, nemo ſe „ recte diceret non debere* . . . . . Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis non redditum cernimus, quod in damnatione ſimilium etiam nobis „ debitum fuiſſe cognoſcimus. *Si enim omnis homo liberaretur, utique lateret quid peccato per juſtitiam debeatur; ſi nemo, quid gratia largiretur.*

S. Aug. Epiſt. 190. al. 105. ad Sixtum.

24. 25. 26. *Quos & vocavit nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit* &c. Gratuitam prædeſtinationem ſanctorum confirmat Gentilium exemplum, quorum alii ad fidem Evangelii ſine ullis meritis vocati, alii in infidelitatis tenebris derelicti, cum omnes pariter peccatores eſſent. Gratias Domino Deo noſtro agamus, qui de Gentibus alienatis a veritate Dei propter ignorantiam quæ in illis erat, vocavit nos in admirabile lumen ſuum. Gratiæ vocationis noſtræ fideliter reſpondendum eſt; in bonis operibus vocatione ſancta dignis perſeverandum: ſiquidem in Chriſtianis non coronantur initia, ſed finis. Cooperatores ſimus gratiæ Dei, quæ operatur in nobis. Illam curramus viam, quam ipſe Dominus ſe eſſe teſtatus eſt; *Qui nobis, nullis operum meritis ſuffragantibus, & Sacramento conſuluit & exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad ſalutem, per hoc imbueret ad laborem.* Tres divinæ miſericordiæ effectus in electis Propheta & Apoſtolus commendant. Vocat illos, regit ac manu ducit ut populum pretioſo Sanguine Filii ſui Jeſu Chriſti Domini noſtri acquiſitum. *Vocabo non plebem meam, plebem meam.* Unde Apoſtolus noſter alibi ait: *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut mundaret ſibi populum acceptabilem.* 2. Illis veritatem ſuam & arcana revelat quaſi dilectæ ſponſæ: *& non dilectam, dilectam.* Unde rurſus Apoſtolus ait, *Vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in Sanguine Chriſti.* 3. Electis ſuis dat ſe ipſum Deus in hereditatem ut filiis ſuis. *Et erit in loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi*; Filiis autem hereditas incorruptibilis & incontaminata, ſcilicet Deus, ipſe æternum fruendus, præparata eſt gratuita ejus miſericordia: *& non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.* Electorum nempe glorificatio, miſericordiæ Dei erga illos conſummatio eſt. Deo in omnibus ſubditi ſimus & obediamus ut populus ejus: Illi fidem ſervemus & amorem exhibeamos, ut ſponſa ejus: gratum in illum animum, piamque fiduciam ſemper habeamus, ut filii ejus. Timeamus & caveamus ne peccatis noſtris & rebellione adverſus ejus imperium & legem ſanctiſſimam deleamur de populo ejus, & dicat nobis: *Non plebs mea vos.* Timeamus & caveamus ne infidelitate noſtra & adhæſione ad creaturas mereamur ab illo repudiari, & terribilem illam vocem in die judicii audire, *Neſcio vos.* Timeamus & caveamus, ne ingrati animi vitio ac degeneri converſatione mereamur ab hereditate optimi & amantiſſimi Patris excludi, quam præparavit diligentibus ſe, & in dilectione ſua uſque in finem perſeverantibus. Caveamus ne de nobis quoque juſte conqueratur Deus dicens; *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Væ genti peccatrici, populo nequam, filiis ſceleratis; dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael, alienati ſunt retrorſum.*

S. Leo Serm. 34. in Epiph. 5

Tres divinæ miſericordiæ effectus in electis.

Tit. 2. 14.

Epheſ. 2. 13.

Fructus ex Myſterio gratuitæ prædeſtinationis colligendi.

Iſai. 1. 2. 4.

Paucitas electorum.

27. 28. *Iſaias autem clamat pro Iſrael: ſi fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.* Paucitas electorum in populo Iſrael, quem ſibi Deus ut peculium elegerat, timorem incutere debet Chriſtianis. Majora in noſtri gratiam edidit prodigia quam in gratiam Judæorum; inſigniora nobis largitus eſt beneficia: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Nec tamen propterea de noſtra electione ad gloriam ſecuri eſſe debemus. Magnus Chriſtianorum numerus, longe major quam Iſraelitarum: & tamen pauci ſalvi fient. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.* Qui, non conticeſcat? Sed quantumvis exiguus ſit numerus electorum, nulli tamen eorum quos ab eo numero excludit, iniquus eſt: *Verbum enim conſummans & abbrevians in æquitate.* „ Hi, „ inquam, qui non pertinent ad hunc certiſſimum „ & feliciſſimum numerum prædeſtinatorum, pro „ meritis judicantur. Aut enim jacent ſub peccato „ quod originaliter generatione traxerunt; aut cum „ illo hereditario debito hinc exeunt, quod non „ eſt regeneratione dimiſſum, aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt; arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum; liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum; quo volvuntur „ per diverſas noxias cupiditates, alii magis, alii „ minus, ſed omnes mali, & pro ipſa diverſitate „ diverſis ſuppliciis judicandi; aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeverant; *deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi ſunt enim libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto.* Ad ſalutem porro perducuntur electi Evangelii accurata obſervantia, quod *verbum conſummans & abbrevians* eſt, ſeu perfectum & abbreviatum: ſiquidem pro cunctis Legis ceremoniis duo præceptum breviſſimum dilectionis & fidei, & ut quod nobis fieri noluerimus, ne fecerimus alteri. Unde Dominus ait: *In his duobus mandatis univerſa Lex pendet & Prophetæ.*

Pſal. 147. 20.

S. Aug. lib. de Corrept. & Gratia, c. 13.

S. Hieron. in Iſaia cap. 10. Matth. 22. Theodoretus in Comment. S. Aug. quæſt. 1. Libri 1. ad Simplicianum.

29. *Et ſicut prædixit Iſaias: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.* Ut non omnes pereant, ſicut in Sodoma & Gomorrha, non meritum eorum facit, ſed gratia Dei relinquentis ſemen ex quo meſſis bonorum operum conſurgat. Gravius fuit peccatum Judæorum quam Sodomorum. Unde Dominus per Prophetam ait: *Et major eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Graviora ſunt peccata Chriſtianorum peccatis Judæorum, quia majoribus Dei beneficiis ſunt ingrati. Soli igitur Dei miſericordiæ tribuendum eſt quod non exterminemur ut Sodomitæ, non deſeramur ut Judæi. *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumpti.*

Thren. 4. 6.

Thren. 3. 22.

30. 31. 32. 33. *Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam. Iſrael vero ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Nemo peccator eſt, qui ſalvari non poſſit, ſi peccatum deſerat, & ad Chriſtum Jeſum tamquam ad omnis juſtitiæ fontem, & ſalutis auctorem fide viva & amore pœnitente confugiat. Nemo juſtus & bonis operibus plenus, qui perire non poſſit, ſi in ſe ipſo, & in operibus ſuis confidat. Legem juſtitiæ exterius dumtaxat ſectari; timore pœnæ, non amore juſtitiæ vitare peccatum; in devotionibus ſuperficiariis & externis tantum pietatis operibus confidere, Spiritum vero Evangelii, ſcilicet caritatem, non habere, Judaicum eſt. Qui ita ſunt affecti, ſolo nomine Chriſtiani, animo Judæi ſunt; veram juſtitiam non aſſequuntur, quæ eſt ex fide per dilectionem operante: ad novum Dei populum non pertinent, de quo ſcriptum eſt a Propheta: *Populus meus, lex mea in cordibus eorum.*

Nemo peccator qui ſalvari non poſſit. Nemo juſtus qui perire non poſſit.

Iſai. 51. 7.

Offenderunt enim in lapidem offenſionis, 33. *Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali.* Solent offendere, qui mentem alio convertunt, & viam nolunt proſpicere. Hoc Judæis accidit. Per viam legalium ceremoniarum ambulanter, ad Chriſtum non attenderunt, quem illæ ſignificabant. Superbia ſcilicet ſua exæcati ſunt, ne illum fidei oculis viderent, quem Lex & Prophetæ prædicebant & prædicabant multiplicibus figuris & oraculis. Væ mundo, & carnalibus hominibus, quibus Chriſtus lapis eſt offenſionis, quia ad Chriſtum humilem pro nobis factum attendere nolunt, & viam humilitatis ejus ſectari.

C A P U T X.

Senſus Litteralis.

1. F*Ratres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem.* Chriſtianos tam ex Judæis, quam ex Gentibus in Chriſtum credentes alloquitur Apoſtolus, ſuamque erga Iſraelitas populares ſuos, qui nondum credebant, benevolentiam teſtatur, Magna, inquit, & ſincera cordis mei propenſione Judæis vera bona opto & adprecor, pro illis preces ad Deum fundens ut ſalutem æternam eo miſerente conſequantur.

2. 3. *Teſtimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Teſtor enim de ipſis, quod ſtudio vehementi ac fervido in Dei cultum ac legem ejus ferantur; ſed eorum zelum & laudabile cæteroquin ſtudium neceſſaria cognitio non dirigit. Ignorant ſcilicet quis ſit verus Dei cultus, & quæ via comparandæ juſtitiæ, tanta luce Scripturarum, & Evangelicæ prædicationis

aff:l-

Digitized by Google

affulgente. *Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Ignorantes nempe juſtitiam qua nos Deus juſtos efficit, juſtitiam veram, internam, in fide, ſpe, & caritate poſitam, qua Deo grati ſumus; & propriam juſtitiam, id eſt humanam, quæ illos juſtos facit coram hominibus externa legis obſervatione; ſeu quæ propriis viribus ſola legis notitia adjutis comparari ipſis videtur, ſtatuere ac tueri ſuperbo conatu ſtudentes, ſeſe Deo ſubjicere contumaciter recuſant, in quo uno vera illa juſtitia per humilitatem fidei recipi poteſt.

4. *Finis enim Legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Chriſtus enim eſt complementum, perfectio, & conſummatio Legis; ita ut nemo juſtificari poſſit, niſi qui in illum credit, ſive Judæus ſit, ſive Gentilis. Qui ergo Chriſto per fidem ſubjici nolunt, juſtitiam Dei ignorant. Apoſtoli ſcopus eſt oſtendere, ad veram internamque juſtitiam nullam eſſe viam niſi per Chriſtum: *Finis Legis Chriſtus*: quod enim voluit lex, non autem perficere potuit, id Chriſtus perfecit, nempe juſtificare hominem.

5. *Moyſes enim ſcripſit*: (Levit 18. 5.) *Quoniam juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in ea.* Moyſes enim deſcribit juſtitiam quæ eſt ex lege his verbis: *Cuſtodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*, non ſolum mortis pœnam evadet, in Legis tranſgreſſores conſtitutam; non ſolum longævus erit ſuper terram; ſed vitam æternam, cujus longævitas illa temporalis, veteris Teſtamenti hominibus promiſſa, typus erat, obtinebit. Confer cum *Matth.* 19. 17. & *Luc.* 10. 28.

Juſtitia fidei.

6. 7. *Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere. Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum a mortuis revocare*: Sic autem loquitur idem Moyſes de juſtitia quæ eſt ex fide: Ne apud temetipſum dubitando & hæſitando dicas, *Quis aſcendet in cœlum*, ut verbum Dei ſeu novæ Legis mandatum, quo voluntatem ſuam hominibus explicet, inde ad nos deferat, & audiamus atque opere compleamus? Hoc enim interrogare, eſt velle Chriſtum, qui divinæ voluntatis interpres hominibus eſt a Deo conſtitutus, e dextera Patris ad quam in cœlis glorioſus ſedet, in terram deducere ut exterius ac viſibiliter nos iterum doceat. Aut quis deſcendet in profundum inferni, ut verbum Dei, & novæ legis mandata ad nos deferat, ut illa poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? Hoc enim interrogare, eſt Chriſtum ab inferis revocare, & a mortuis excitare velle, quaſi nondum reſurrexerit. Nemo cauſetur impoſſibilitatem aut ſummam difficultatem credendi Myſteria novæ legis, quam prædicamus . . . Moyſis verba *Deuteron.* 30. *verſ.* 12. quæ ſecundum ſenſum obvium litteræ de mandato legis ab ipſo promulgatæ intelliguntur; Apoſtolus a Spiritu ſancto edoctus ſublimiorem ſenſum, ab ipſomet Spiritu, qui verba illa Moyſi dictavit, pariter intentum, de verbo fidei, & novæ legis doctrina ac mandatis intelligit; præſertim vero de Myſteriis Incarnationis & Reſurrectionis Chriſti, quæ humanæ rationi minus credibilia videri poſſunt, in quibus propterea ponit exemplum.

S. Joannes Chryſoſtom. Homil. 17. Theodoretus. Theophylact. & Oecumen.

Moſes igitur juxta litteram ſic effatus eſt: „ Mandatum Dei ſub oculos tuos poſitum eſt, o Judæe; „ neque opus eſt te in cœlum conſcendere ut illud „ invenias: neque ad abyſſum deſcendere, ut iſtud „ accipias, neque ultra maria tranſire: ſed prope „ re eſt in ore tuo, & in mente tua. Cuncta enim „ monſtravit tibi Deus per legem. Apoſtolus autem „ ad Chriſtum illa tranſtulit: hoc eſt, Ne hæſites, „ neque dicas in corde tuo: Quomodo Chriſtus deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt? aut quomodo „ mortuus reſurrexit? ſed crede quod & deſcenderit incarnatus, ac tumulo conditus redierit reſurgens. Quid igitur hac re facilius, cum in ore „ tuo ſalutem habeas?

Deuteron. 30. 14.

8. 9. *Sed quid dicit Scriptura? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo*: Verbum ſalutis quod tibi annuntiatur, prope te eſt, non procul quærendum; tam in promptu eſt ut corde teneri & ore facile proferri poſſit. *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.* Tale eſt Evangelium quod prædicamus: ſive, iſta eſt natura fidei, quam neceſſariam docemus ad veram juſtitiam conſequendam. *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris.* Si confitearis ore, profeſſione ſcilicet fidei ſincera & aperta, Jeſum eſſe Dominum & Salvatorem tuum, omniumque hominum, & corde credideris quod a mortuis reſurrexit divina, id eſt ſua, Patriſque virtute, ſalvus eris, ad vitam æternam pervenies. Incarnationis & Reſurrectionis Chriſti præſertim meminit,

Fidei explicitæ in Chriſtum Jeſum neceſſitas ad ſalutem.

Nat. Alex, In Epiſt. D. Pauli Tom, I.

quia his articulis, fere concluditur tota fides. Sub his igitur reliqui ſunt ſubintelligendi. Et certe ſi Jeſum eſſe Dominum & Salvatorem noſtrum credimus, conſequens eſt ut credamus omnia quæ per ſe ipſum, per Apoſtolos ſuos, per Eccleſiam ſuam, revelante Spiritu ſancto ſuo, nobis credenda propoſuit. Sed & fidei nomine quæ ad ſalutem perducit, fides viva intelligenda eſt, quæ per dilectionem operatur, fides bona voluntate comitata, qua paratus eſt homo ad ſervanda mandata divina, quorum obſervationem ad vitam æternam conſequendam neceſſariam eſſe, fides ipſa docet.

10. *Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Corde credendum eſt, ut veram juſtitiam, quæ in remiſſione peccatorum, & infuſione gratiæ, ac virtutum poſita eſt, a Deo conſequamur; & fidem ore profiteri neceſſe eſt ut ad ſalutem perveniamus. Fidem (inquam) pro loco & tempore palam confiteri neceſſe eſt, quando ſcilicet expoſtulatur fides alicujus a perſecutore; aut quando periclitatur fides aliena. Ideo baptizati unguntur chariſmate in fronte, impreſſo ſigno crucis, ut Chriſtum crucifixum confiteri non erubeſcant. Hinc olim dicti *Confeſſores*, qui pro fidei Chriſtianæ profeſſione a Tyrannis affligebantur citra mortem; ab eorum numero minime excluſi, qui ſæviente in Chriſtianos perſecutione fugiebant, viribus ſuis diffidentes: de quibus Sanctus Cyprianus: *Primus eſt victoriæ titulus, Gentilium manibus apprehenſum Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus eſt, cauta receſſione ſubtractum Domino reſervari. Illa publica, hæc privata confeſſio eſt. Ille Judicem ſeculi vincit; hic contentus Deo ſuo judice, conſcientiam puram cordis integritate cuſtodit. Illic fortitudo promptior, hic ſollicitudo ſecurior. Ille appropinquante hora ſua jam maturus inventus eſt; hic fortaſſe dilatus eſt, qui patrimonio derelicto idcirco receſſit, quia non erat negaturus; confiteretur utique ſi fuiſſet & ipſe detentus.*

Exterior confeſſio fidei pro loco & tempore neceſſaria eſt ad ſalutem.

S. Cyprian. Tractat. de Lapſis.

11. 12. 13. *Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur.* Omnis, ſive Judæus, ſive Gentilis, in Chriſtum credens, cum voluntate faciendi ea quæ ille præſcribit, non fruſtrabitur ſalute quam ſperat. *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci.* In negotio enim juſtificationis & ſalutis nulla diſtinctio eſt Judæos inter & Gentiles. *Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Congruum certe eſt ut neminem in ſe credentem & confidentem Chriſtus a ſalute repellat cum ſit pariter omnium dominus, tum jure creationis, cum jure redemptionis, & miſericordiæ ac gratiæ divitiis affluat, quas effundere paratus eſt in omnes qui illum invocant, & vera fide, ſpe & caritate colunt. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Quicumque fide ſincera, & ſpei, atque caritatis comitato inſtructa, Chriſtum ut bonorum omnium ſpiritualium ac ſalutis auctorem Mediatoremque invocaverit, ſalutem per illum certiſſime conſequetur.

Iſai. 28. 16.

Joel. 2. 32.

14. 15. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur, ſicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem; evangelizantium bona!* His duobus verſibus objectio continetur, & ad eam objectionem reſpondetur. Invocatio ex fide, fides ex auditu, auditus prædicationem, prædicatio miſſionem requirit. Hæc igitur omnia cum Dei providentia diſponat, vitio vertendum non eſt Judæis quod nomen Chriſti Domini non invocent. Hæc objectio, cui hunc in modum reſpondet Apoſtolus: Imo vero audiverunt Judæi verbum ſalutis, & miſſi ſunt ad eos Apoſtoli, qui illud annuntiarunt, prout fuerat ab Iſaia prædictum his verbis: *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Nihil enim aliud circumeuntes Apoſtoli annuntiarunt, quam ineffabilia bona & oblatam a Deo pacem ac reconciliationem per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum his qui in illum crederent. Unde juſſit Apoſtolis ipſis Dominus, ut quamcumque domum ingrederentur, dicerent: *Pax huic domui.* Quod itaque non credant Judæi, culpa illorum eſt. *Quomodo ergo invocabunt*, tanquam auctorem ſalutis, & Dominum omnium, *in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei*, ſive in eum, via ordinaria, *quem*, id eſt, de quo *non audierunt*. Sub auditu comprehenditur & lectio, per quam multi crediderunt. Unde Joannis 20. 31. ſcriptum eſt: *Hæc ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei; & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* „ Dixi, fieri non poſſe via ordinaria, ut „ fides ſine auditu habeatur: quia pauciſſimis donatum eſt, ut nullo ſibi homine prædicante, per „ ipſum Deum vel per Angelos cœlorum doctrinam

Theophylact.

Iſai. 52.

S. Auguſt. lib. de Dono Perſever. c. 19.

„ ſalutis accipiant ; multis vero donatum eſt ut „ Deo per homines credant . “ Quolibet tamen modo dicatur homini verbum Dei , procuIdubio , quod ſic audiat ut illi obediat , donum Dei eſt . *Quomodo autem audient ſine prædicante ?* Qua ratione audire poterunt de eo in quem debent credere, niſi eis annuntietur Evangelium? Cuius auditionem Deus procurat omnibus qui ab illa originali damnatione divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt . *Quomodo vero prædicabunt , niſi mittantur ?* Nemo Evangelium prædicare legitime poteſt ſine miſſione , vel ordinaria , quæ fit auctoritate Epiſcoporum , qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſucceſſerunt ; vel extraordinaria , quæ fit immediate a Deo per inſpirationem internam : cujus miſſionis ſignum quandoque eſt Scripturæ ſacræ auctoritas ; Unde Joannes Baptiſta miſſionem ſuam auctoritate Iſaiæ Prophetæ probavit: *Ego vox clamantis in deſerto , parate viam Domini , ſicut dixit Iſaias Propheta .* Quandoque extraordinariæ miſſionis argumentum eſt veritas eorum quæ futura prænuntiantur , ipſis eventis confirmata . Unde Deuteron. 18. 22. Scriptum eſt : *Quod in nomine Domini Propheta prædixerit , & non evenerit , hoc Dominus non eſt locutus .* Quandoque vero ſignum extraordinariæ miſſionis eſt miraculorum operatio . Unde cum Moyſes dixiſſet Domino . *Non credent mihi , neque audient vocem meam , ſed dicent : Non apparuit tibi Dominus* ; Deus dedit illi poteſtatem edendi miracula ad miſſionem ſuam confirmandam . *Virgam hanc ſume in manu tua , in qua facturus es ſigna .* Nec tamen eventorum veritas aut miracula ſufficienter demonſtrant Dei miſſionem , præſertim ſi quis contra ſidei dogmata prædicet , quæ Eccleſia ab Apoſtolis accepit , & quæ perpetua traditione legitime illis ſuccedentium Epiſcoporum ad nos uſque derivata ſunt . Unde Deuteronom. 13. ſcriptum eſt : *Si ſurrexerit in medio tui Propheta , & prædixerit ſignum atque portentum , & evenerit quod locutus eſt , & dixerit tibi : Eamus , & ſequamur Deos alienos , & ſerviamus eis ; non audies verba Prophetæ illius .* Aut enim vera prophetia non eſt , aut vera miracula , quæ in teſtimonium erroris adhibentur : aut donis divinis , quæ ſanctos homines non faciunt , contra Deum abutuntur , qui prava dogmata prædicant ; ſicut illi quibus ſigillum Principis extra ordinem commiſſum eſſet , eo abuterentur , ſi falſas litteras eo ſigillo conſignarent , quæ ad eius auctoritatem evertendam publicarentur : Penes Eccleſiam igitur , quæ columna eſt & firmamentum veritatis , controverſiarum ſidei judex ſupremus & infallibilis , depoſiti cuſtos , auctoritas eſt judicandi de novarum prophetiarum & miraculorum veritate , ac de eorum vocatione , qui ſe extra ordinem miſſos gloriantur , & ſe ad Evangelii prædicationem , aut ad ſactum quodvis munus in Eccleſia obeundum intrudunt . In Eccleſia dico ; nam ſi extra Eccleſiam conventicula faciunt , ipſo ſchiſmate ſuo caritatem non habere convincuntur ; adeoque velut æs ſonans & cymbalum tinniens habendi ſunt ; & non minus vitandi quam ethnici , (ut docet Chriſtus) ſiquidem Eccleſiam non audiunt , in cujus unitate Deus poſuit cathedram veritatis . Sine legitima igitur miſſione nulli Evangelii Prædicatores recipiendi & audiendi . *Quomodo vero prædicabunt , niſi mittantur ? ſicut ſcriptum eſt* : ſive , de quibus ſcriptum eſt Iſaiæ 52. 7. *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem , evangelizantium bona* ; ad æternam ſalutem hominum pertinentia ? Quam optandus , quam ſuavis eorum adventus , qui reconciliationem hominum cum Deo per Chriſtum annuntiant . . . . . In citatione verborum Iſaiæ S. Paulum propius ſequi Textum Hebraicum , quam Verſionem LXX. Interpretum , obſervat S. Hieronymus Commentar. in Iſaiam , ubi Græcum Textum Latine ſic reddit : *Sicut hora , ſuper montes , ſic pedes evangelizantis auditum pacis , evangelizantis bona* . Targum Jonathanis cum Hebræo concordat .

Idem . 16. De Corrept. & Grat. c. 7.

Evangelium nemo prædicare poteſt ſine miſſione Joan. 1.

Quæ Miſſio legitima?

Exod. 4.

Hæc varietas ex Græcæ vocis ambiguitate orta eſt, ὡραῖος enim tempeſtivum, aut pulchritudinem ſignificat.

16. 17. *Sed non omnes obediunt Evangelio* , Hæc per modum interrogationis dicta Theodoretus commentatur , *Sed non omnes obedierunt Evangelio ?* Hic verbis objectionem contineri , S. Chryſoſtomus , Theophylactus & Oecumenius cenſent : ſequentibus vero reſponſionem : *Iſaias enim dicit , Domine , quis credidit auditui noſtro ?* Quia enim dixerat Apoſtolus Prædicatores Evangelii a Deo miſſos probari Prophetæ teſtimonio , ne quis objiceret , Si a Deo miſſos eſſe compertum eſt , omnes illis obedire oportuit , objectioni ſic reſpondet ; Tametſi omnes Evangelio non obediant , ex eo tamen non labefactatur ejus veritas . Idipſum enim ab Iſaia prædictum eſt cap. 53. 1. his verbis : *Domine , quis credidit auditui noſtro* . Pauci admodum ex Judæis crediderunt prædicationi , quam ex ore noſtro audiverunt . *Ergo fides ex auditu , auditus autem per verbum Chriſti* . Ergo fides ex auditu naſcitur , ſeu via ordinaria non habetur niſi per auditum : ut vero audiatur quod credendum eſt , verbum Chriſti annuntiari opus eſt ab ejus Prædicatoribus .

18. *Sed dico : Numquid non audierunt ? Et quidem * in omnem terram exivit ſonus eorum , & in fines orbis terræ verba eorum* . Sed quæ excuſatio ſuppetere poteſt Judæis ? Numquid enim Evangelii prædicationem non jam audierunt ? Immo vero : *In omnem terram , & in fines orbis terræ* , fama prædicationis Apoſtolorum pervagata eſt . Cum enim in illuſtrioribus urbibus prædicaverint & miracula fecerint , ut Hieroſolymis , Cæſareæ , Joppe , Antiochiæ , Epheſi , Corinthi , Theſſalonicæ , Romæ , &c. Inde fama rerum tantarum pervenit ad omnes terras in quibus habitabant Judæi ; ſicut vis & influxus cœlorum in omnes orbis partes diffunditur . Et eorum doctrina in extremos orbis terrarum fines diſſeminari cœpta eſt , Apoſtolis ubique Gentium prædicantibus , & ante mundi finem in omnibus terræ habitabilis partibus Evangelium prædicabitur , ſecundum Chriſti Domini prædictionem ac mandatum . Matth. 24. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe , in teſtimonium omnibus gentibus , & tunc veniet conſummatio* . Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes* , Marci 16. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem , & in omni Judæa & Samaria & uſque ad ultimum terræ* . *Euntes in mundum univerſum , prædicate Evangelium omni creaturæ* . Locutus autem eſt Sanctus Paulus præteriti temporis verbis , ſicut Propheta quo uſus eſt teſte (quamvis enuntiaret quod futurum erat , non quod jam factum fuerat & completum) propter certitudinem prædeſtinationis divinæ . „ Hinc autem patet nullam ſuppetere Ju„ dæis excuſationem . Quomodo enim fieri poſſet „ ut Judæi non audirent , cum gentes quæ ſunt „ in toto orbe terrarum audiverint ? Veritatis enim „ præcones ipſis primis prædicationem attulerunt . „ Nam ipſe quoque Dominus eis dixit : *Ite potius ad oves quæ perierunt domus Iſrael* . Et in Actibus Apoſtolorum , *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei* .

* Hæc Pſalmi 18. ver. 5 hiſtorice de cœlis , prophetice de Apoſtolis & eorum prædicatione intelliguntur.

S. Auguſt. Epiſt. 199. alias 80. ad Heſychium. S. Thomas. Lect. 3.

Theodoretus.

Matth. 10. 6.

19. *Sed dico : Numquid Iſrael non cognovit ?* Numquid Judæi non cognoverunt clarius quam Gentes ea quæ pertinent ad Myſterium Chriſti , & ipſarum Gentium vocationem ; Legis & Prophetarum teſtimoniis edocti ? ita plane . *Primus Moyſes dicit* : Moyſes qui ceteros Prophetas tempore præcedit , dicit : *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem ; in gentem inſipientem , in iram vos mittam* . Ex vocatione & adoptione gentium , gratiiſque quas illis conferam , tametſi a cultu meo , atque adeo a vera ſapientia alienis , occaſionem accipietis invidiæ & iræ , qua in illas excandeſcetis . Confer cum Epiſt. ad Titum 3. 3. *Eramus* (inquit Apoſtolus noſter) *aliquando & nos inſipientes , increduli , errantes , ſervientes deſideriis & voluptatibus variis , in malitia & invidia agentes , odibiles , odientes invicem* .

Act. 13.

Deuteron. 32. 21. ſecundum Verſionem LXX. Interpret.

20. 21. *Iſaias autem audet , & dicit* : Iſaias vero palam & aperte pronuntiat ex Dei perſona : *Inventus ſum a non quærentibus me : palam apparui iis , qui me non interrogabant* . More Prophetico præteritum uſurpat pro futuro , ob certitudinem eventus . Inventus ſum ab iis qui de me nihil cogitabant , toti ſuis idolis mancipati , id eſt a populo Gentili : Me notum feci iis qui me non conſulebant , ſed falſa ſua Numina . Converſionem Gentium præter eorum merita & intentionem fuiſſe oſtendit , ex mera gratia Salvatoris noſtri Dei , qui eis apparere dignatus eſt , non in ænigmatibus & figuris legis , ſed in manifeſta veritate . Paululum inverſo verborum ordine , licet eodem ſenſu , Propheticum Oraculum citat Apoſtolus . Sic enim apud Iſaiam habet Vulgata noſtra Hebraicæ conſona veritati : *Quæſierunt me , qui ante non interrogabant ? invenerunt , qui non quæſierunt me : dixi , Ecce ego ad gentem quæ non invocabat nomen meum* . Verſio vero LXX. Interpretum : *Apparui non quærentibus me : inventus ſum ab his qui me non interrogabant* . Sed (ut dixi) verborum ordinem ſine ullo ſenſus detrimento Apoſtolus immutat .

Iſai. 65. 1.

21. *Ad Iſrael autem* , ſive de Judæis , *dicit* idem Propheta : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem* . Aſſidue velut expanſis manibus advocavi populum contumacem , prædicatione & miraculis Chriſti Filii mei & Apoſtolorum eius , continuiſque beneficiis illos ad fidem & pœnitentiam invitans : & tamen ad me venire recuſarunt . Metaphora ſumpta eſt a matribus , quæ petulantes pueros paſſis ulnis ad ſe revocant , venientes complecti paratæ . Vox , *contradicentem* , abeſt a Textu Hebræo : ex Verſione LXX. Interpretum ſumpta eſt , qui illam addiderunt ſalvo ſenſu , ad Judæorum ſuperbi animi vitium erga Deum luculentius exprimendum . „ *Expandi manus meas ad po-*

„ *pulum*

Digitized by Google

Harm. c. 64. Iſai. ib. 18. Commentar.

„ *pulum non credentem & contradicentem*: Qui cum „ beneficiis Domini vinceretur, & ultra hominem „ ſigna conſpiceret, dicebat: *Iſte non ejicit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*. Et iterum: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*. Et rurſum: *Cum ſis homo, facis te Deum*. Et alibi: *Iſte homo non eſt a Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*. Denique cum ille in cruce extenderet manus ad populum non credentem, & diceret, *Pater, ignoſce eis: quod enim faciunt, neſciunt*: Illi e regione dicebat; *Vah qui deſtruit templum Dei, & in tribus diebus ædificat illud: deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Alios ſalvos facit, ſe ipſum ſalvum facere non poteſt*. De hoc & Simeon in ulnis tenens parvulum prophetabat: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum; & in ſignum cui contradicetur*. Romæ Judæi loquuntur ad Paulum: *De Secta hac notum eſt nobis, quod ubique ei contradicitur*.

CAPUT X.

Senſus Moralis.

Cura Paſtoralis

1. 2. V*Oluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem*. Diſcant Paſtores animarum exemplo S. Pauli omnes & ſingulas oves ſibi commiſſas intimo cordis affectu diligere, & eorum ſalutem propenſiſſima voluntate deſiderare, quantumvis indignæ ſint, quantumvis errantes, quantumvis ingratæ, & obſtinatæ. Nonne Judæi indigni erant dilectione & curis S. Pauli, quem de Chriſto Jeſu loquentem nequidam audire volebant, immo graviter perſequebantur, ejus etiam vitæ inſidiati? ut conſtat ex *Act.* 13. & 14. & tamen eos impenſe diligit, non tranſitorio, ſed perſeverante voluntatis ardore illorum ſalutem exoptans. Unde *Act.* 26. 8. ait: *Opto apud Deum omnes qui audiunt tales fieri qualis ego ſum, exceptis vinculis his*. 2. Paſtores aſſidue Deum orare debent pro commiſſarum ſibi ovium ſalute; pro non credentibus, ut Deus cor eorum aperiat, & fidem illis donet; pro fideli-

1. Reg. 12. 23

bus, ut eis fidem augeat, caritatem inſpiret & perficiat, perſeverantiæ donum miſericorditer largiatur. *Et obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem*. Unde Samuel bonorum & ipſe Paſtorum exemplar ad populum ait: *Abſit a me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis*. 3. Paſtorum erga commiſſas oves caritas debet eſſe benefaciens, & laborioſa, ita ut nullis difficultatibus, nullis periculis ab eorum ſalute procuranda deterreantur aut retardentur. Orare non ſufficit Paſtori, ſed & laborare neceſſe eſt, ſollicite, aſſidue, indefeſſe in miniſterio verbi, ut errores evellat & deſtruat; veritatem doceat, defendat; vitia extirpet, inſerat virtutes, nutriat caritatem; populum perfectum Chriſto præparet, in ſpiritu & veritate Deum adorantem, in ſanctitate & juſtitia omnibus vitæ ſuæ diebus Domino ſervientem. 4. Compatiens eſſe debet Paſtorum caritas, ut nunquam ovium infirmitati inſultent, non illas ad iracundiam provocent acerbioribus verbis; ſed, ſi quid in iis laudabile eſt, commendent, ad earum animos devinciendos, fiduciamque conciliandam, exemplo S. Pauli: *Teſtimonium*, inquit, *perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent*. Nec tamen vitia commiſſarum ſibi plebium diſſimulare, immo corripere debent, ut ſaluberrimis admonitionum & correptionum medicamentis ſanentur & convertantur. Hac Apoſtolus noſter erga Judæos utitur œconomia. *Æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*. 5. Vim reprehenſionum & objurgationum temperare debent lenitate prudenti. Sic Apoſtolus laude vituperationem condivit, *velut eſca quadam hamum celans*, ut verbi divini fructus ab iis reciperetur.

Theodoret in hunc locum.

2. 3. *Æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*. Quo major, eo periculoſior zelus eſt, ſi ſcientiæ luminibus ac prudentiæ directione ſit deſtitutus. Zelus fervor eſt devotionis & caritatis. Zelum *habere debet Sacerdos, qui incorruptam Eccleſiæ ſtudet ſervare caſtitatem*. Ad conſervandam fidei puritatem, ad ejusdem fidei propagationem, ad Morum reformationem ac reſtaurationem Diſciplinæ ſumme neceſſarius zelus eſt. Verum niſi illum ſcientia dirigat, caritas informet, æquitas comitetur cum manſuetudine conjuncta, magis nocet Eccleſiæ quam proſit; ſalutem animarum magis impedit quam juvet; unde Propheta Deum orat ut doceat ipſum *bonitatem, diſciplinam, & ſcientiam*. Qui fervidæ indolis impetum, aut cæcos etiam pietatis igniculos ſequuntur in

Zeli Paſtoralis characteres.

S. Ambroſius Serm. 18. in Pſal. 118.

Pſal. 118. 66

Eccleſiæ & animarum regimine, mortem plerumque inferunt animabus quæ vivunt ſpiritali vita; tantum abeſt ut vitam iis procurent quæ mortuæ ſunt morte peccati. *Menſura quædam eſt & diſciplina zeli, ſicut diſciplina virtutis*; ait S. Ambroſius. Hanc menſuram qui prætergreditur, omnia in Eccleſia, vel in Societatibus Eccleſiaſticis miſcet ac perturbat; bonos etiam ſæpe perſequitur & vexat, arbitratus obſequium ſe præſtare Deo, infirmos ad deſperationem compellit, malos exaſperat & a via ſalutis imprudens avertit. „ Importabilis abſque „ ſcientia eſt zelus: Ubi ergo vehemens æmulatio, „ ibi maxime diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt or- „ dinatio caritatis. Semper quidem zelus abſque „ ſcientia minus efficax, minuſque utilis invenitur, „ plerumque autem & pernicioſus valde ſentitur. „ Quo igitur zelus fervidior ac vehementior ſpiri- „ tus, profuſiorque caritas, eo vigilantiori opus „ ſcientia eſt, quæ zelum ſupprimat, ſpiritum tem- „ peret, ordinet caritatem.... Diſcretio omni vir- „ tuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & deco- „ rem, etiam & perpetuitatem .... Tolle hanc, „ & virtus vitium erit. „ Falſi zeli triplex ut plurimum origo eſt. 1. Ignorantia conſiliorum & viarum Dei, verarumque regularum quibus dirigi ac regi debent animæ. Has quippe ex ſacrarum Scripturarum & Traditionis fontibus aliqui non hauriunt. 2. Complacentia & fiducia in viſionibus cordis ſui, propriiſque talentis, induſtria, pietate cujus famam habent. & operibus. quæ bono, (ut videtur) animo & zelo gloriæ Dei aggrediuntur. 3. Arcanum ſtudium independentiæ etiam in boni operatione; quo fit ut Chriſtum non conſulant ut par eſt, nec ad ejus documenta & exempla qui ſummus Paſtor eſt animarum noſtrarum, attendant. *Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam volentes conſtituere. juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*. Medium porro certiſſimum quo ſcientia & prudentia ſpiritus, quæ zelo illuminando & dirigendo eſt neceſſaria, comparatur, Chriſtiana humilitas eſt. *Hæc eſt tota ſcientia magna hominis: Scire quia ipſe per ſe nihil eſt; & quoniam quicquid eſt, a Deo eſt, & propter Deum eſt. QUID enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et, *Qui putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſe ipſum ſeducit*. „ Hæc dicuntur adverſariis civitatis Dei „ ad Babyloniam pertinentibus, de ſua virtute præ- „ ſumentibus, in ſe, non in Domino glorianti- „ bus; ex quibus ſunt etiam carnales Iſraelitæ, „ terrenæ Jeruſalem cives terrigenæ, qui *ignoran-* „ *tes Dei juſtitiam*, id eſt, quam dat homini Deus „ qui ſolus eſt juſtus, & juſtificans; *& ſuam volen-* „ *tes conſtituere*; id eſt, velut a ſe ſibi partam, non „ ab illo impertitam, *juſtitiæ Dei non ſunt ſubje-* „ *cti*, utique quia ſuperbi, de ſuo putantes, non „ de Dei, poſſe placere ſe Deo, qui eſt Deus „ ſcientiarum, atque ideo & arbiter conſcientia- „ rum, ibi videns cogitationes hominum, quoniam „ vanæ ſunt, ſi hominum ſunt, & ab illo non „ ſunt.

S. Ambroſius ibid.

S. Bernardus Serm. 49. in Cantica.

Falſi zeli triplex origo.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 70. Conc. 1.

1. Cor. 4. 7.

Galat. 6. 3.

S. Auguſt. l. 17. De Civit. Dei c. 4.

4. *Finis enim legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti*. Qui legis exteriorem obſervantiam prætereunt, nec fidem mandatorum, & conſiliorum Chriſti; quæ caritas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. attendunt & curant, Judaice, non Chriſtiane vivunt, litteram legis ſectantur, non ſpiritum; in via manent, ad finem non perveniunt: „ *Finis legis, Chriſtus, ad ſalutem omni* „ *credenti*. Quid eſt finis Chriſtus? Quia Chriſtus „ Deus & *finis præcepti caritas*, & *Deus caritas*: quia „ *Pater & Filius & Spiritus ſanctus unum ſunt*. Ibi „ tibi finis eſt: alibi via eſt. Noli hærere in via, „ & non pervenire ad finem. Ad quicquid aliud „ veneris, tranſi uſque quo pervenias ad finem. „ Quis eſt finis. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. „ Adhæſiſti Deo, finiſti viam; permanebis in pa- „ tria. Pecuniam aliquis quærit, non ſit tibi fi- „ nis: tranſi tamquam peregrinus. Quæris ubi tran- „ ſeas, non ubi remaneas. Si autem amas, per ava- „ ritiam implicatus es: erit tibi avaritia catena pe- „ dum: ultra progredi non potes. Tranſi ergo & „ hoc: quærere finem. Salutem corporis quæris, „ adhuc noli ibi remanere. Quæ eſt enim iſta ſa- „ lus corporis, quæ morte perimitur, quæ ægritu- „ dine debilitatur, frivola, mortalis, fluxa? Quære „ illam, ne impediat forte morbida valetudo opera „ tua bona. Ergo non eſt ibi finis, quia propter „ aliud quæritur. Quicquid propter aliud quæritur, „ non eſt ibi finis. Quicquid propter ſe & gratis „ quæritur, ibi eſt finis. Quæris honores, forte ad „ aliquid agendum quæris, ut peragas aliquid, ut „ placeas Deo. Noli ipſum honorem amare, ne ibi „ remaneas. Quæris laudem? Si Dei quæris, bene „ facis:

Ad finem ultimum vitæ Chriſtianæ Chriſtum omnino tendendum eſt.

S. Auguſt. Tract. 10. in Epiſt. 1. S. Joan.

Pſal. 72. 28.

„ facis: ſi tuam quæris, male facis. Sed ecce ama„ ris tu, laudaris: noli gratulari quando in te „ laudaris: laudare in Domino, ut cantes: *In Do„ mino laudabitur anima mea*. Sermonem aliquem „ bonum dicis, & laudatur ſermo tuus? Non lau„ detur quaſi tuus, non eſt ibi finis..... Videte,
Pſal. 33. 3. Fratres quanta tranſimus, in quibus non eſt finis. His utimur quaſi in via; quaſi in manſionibus ſtabulorum reficimur, & tranſimus. Ubi ergo finis? In Chriſto Jeſu, fidei noſtræ & gratiæ omnis auctore & conſummatore. Si finem alibi ſtatuamus, finis erit interficiens & conſumens, non perficiens. Ipſe enim ſolus cum Patre & Spiritu ſancto eſt vita æterna. *Finis legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.*

Lex Dei obſervanda ex fine ac legis, & propter finem legis.

5. *Moyſes enim ſcripſit: Quoniam juſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in ea.* Non in poſſeſſione, auditione, & externa dumtaxat obſervantia legis, ſed in obſervatione mandatorum ex ſpiritu legis, & propter finem legis, vita poſita eſt, & vera pietas, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. *Si vis ad vitam ingredi*, ait Chriſtus, *ſerva mandata*. Verum ergo dicit lex, *Qui fecerit ea, vivet in illis*. „ Sed *ut faciat ea, & vivat in eis, non lex quæ hoc imperat, ſed fides eſt neceſſaria, quæ hoc* „ *impetrat*. Quæ tamen fides, ut hæc accipere me„ reatur, ipſa gratis datur. Lex igitur ſolum dat „ adjutorium cognitionis quo facienda noverimus: „ non inſpirationem dilectionis ut cognita ſancto „ amore faciamus, quæ proprie gratia eſt. Nam ſcientia legis ſine caritate inflat, non ædificat. *Cognitio itaque legis facit ſuperbum prævaricatorem: per donum autem caritatis delectat legis eſſe factorem.*

Matt. 19. Levit. 25 8. S. August. lib. 4. contra duas Epiſt. Pelagian. c.

6. *Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cœlum? id eſt Chriſtum deducere. Aut quis deſcendet in abyſſum: hoc eſt Chriſtum a mortuis revocare.* Incarnatio, mors & reſurrectio Jeſu Chriſti, ſunt objectum, origo, & meritum Chriſtianæ fidei. Non inquirendum quomodo impleri potuerint adoranda illa myſteria; ſed verbo Dei ea revelantis ſine hæſitatione credendum eſt. Nullis difficultatibus fides terretur, illas heroico & invicto animo propulſat; obmurmurantibus adverſus Myſteria rationibus aditum cordis occludit & munit. *Ne dixeris in corde tuo, &c.* Quo magis incredibilia videntur, eo digniora ſunt quæ credantur, quia Deus locutus eſt, prima & ſumma Veritas, quæ nec falli poteſt, nec fallere. Quo minorem cum ingenio viribuſque noſtris proportionem habent veritates quæ nobis a Deo credendæ proponuntur, eo magis accommodatæ ſunt Dei conſilio, homines ſub fidei jugo humiliare volentis. *Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

Myſteriorum fides abſque hæſitatione & inquiſitione.

S. August. Epiſt. 137. alias 3. ad Voluſianum.

8. *Sed quid dicit Scriptura? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.* Quam compendioſa, quam facilis lex fidei? Judæi tot linguis ad fidem ſuam profitendam indigebant, quot erant in Lege Moyſi ceremoniæ, ſacrificia, & præcepta: Chriſtiani uno corde ad credendum, una lingua ad confitendum fidem indigent. Utrumque vero Dei donum eſt. Hoc eſt verbum fidei, quod Apoſtolicæ prædicationis objectum & argumentum eſt: hoc verbo ædificata toto orbe Eccleſia: hoc verbo corda mundantur omnium qui illud ſuſcipiunt. *Et vos* (inquit Chriſtus) *mundi*
Joan. 15. 3. *eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.*

Lex fidei compendioſa & facilis.

9. *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris.* Is ſolus vere confitetur Chriſtum Jeſum eſſe Dominum, qui affectum illi ſuum ſubjicit, eique in omnibus obedientiam exhibet: ſine qua non confitetur illum Chriſtianus ad ſalutem, ſed ad ſuam damnationem. *Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem ejus &* *Patris, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Hic vere dicit, *Dominus Jeſus, in Spiritu ſancto*, ut alibi ſcribit Apoſtolus noſter. Corde credit Chriſti mortem & reſurrectionem, qui cum illo moritur mundo, ejuſque corruptelis abrenuntiat, ac Deo vivit per caritatem. Opera enim bona fidem ſequuntur, modo ſincera ſit. *Si in corde*
Pſal. 30. 20. *tuo credideris*, &c. *ſalvus eris*. Fide igitur impetramus ſalutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda exſpectatur in ſpe. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine; quam abſcondiſti timentibus te! perfeciſti eis qui ſperant in te.* Ex lege timemus Deum; ex fide ſperamus in Deum: Sed timentibus pœnam abſconditur gratia. *Sub quo timore anima laborans, quando concupiſcentiam malam non vicerit, nec tamen illo quaſi cuſtos ſeverus abſceſſerit, per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inſpirata gratia ſuavitate per Spiritum ſanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit. Ita multa multitudo dulcedinis ejus, hoc eſt lex fidei, caritas ejus conſcripta in cordibus atque diffuſa, perficitur ſperantibus in eum, ut anima ſanata non timore pœnæ ſed amore juſtitiæ operetur bonum.*

Quinam vere confitentur Chriſtum Jeſum eſſe Dominum?

S. August. lib. De ſpiritu & littera, cap. 29.

10. 11. *Corde creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem, &c.* Fide viva Deus in corde colitur, confeſſione fidei coram hominibus honoratur. Mens, lingua, opera concordent neceſſe eſt ad ſalutem conſequendam. Fides cordis, propriarum virium naturæ & liberi arbitrii præſumptionem ſive ſuperbam fiduciam deſtruit, faciendo ut homo in Deo ſolo confidat. Oris confeſſio facit ut fidelis hominum exiſtimationem & malitiam parvipendat & contemnat, & ſolum Deum præ omnibus creaturis æſtimet, revereatur & timeat; facit *ut cum omnibus ſuis erroribus, amoribus & terroribus vincatur hic mundus*. Nam *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*..... „ Parum eſt in corde habere Chriſtum, „ & nolle confiteri dum timetur opprobrium; ſed „ exprobrantibus reſpondendum eſt verbum. *Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperavi in ſermonibus tuis*, id eſt in promiſſis tuis. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque, quia in judiciis tuis ſuperſperavi.* Hæc Martyrum & Confeſſorum gloria, hoc omnium Chriſtianorum officium eſt. Qui non credunt quod ore confitentur, impii ſunt, mendaces, illuſores ſacrilegi. Qui negant, aut confiteri erubeſcunt lingua & operibus quod credunt, fruſtra ſalutem ſperant. *Perfeciſti eis qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum* (inquit Rex Propheta) „ Ergo ſi ſperas in Domino, coram „ hominibus ſpera: ne forte abſcondas ipſam ſpem „ tuam in corde tuo, & timeas confiteri, cum tibi „ pro crimine objiciatur quia Chriſtianus es. Cui „ autem modo objicitur quia Chriſtianus eſt? Tam „ pauci non Chriſtiani remanſerunt, ut eis magis „ objiciatur quia Chriſtiani non ſunt, quam ipſi au„ deant aliquibus objicere quia Chriſtiani ſunt. „ Tamen dico vobis, Fratres mei, incipe, qui„ cumque me audis, vivere quomodo Chriſtianus, „ & vide ſi non tibi objiciatur & a Chriſtianis, „ nomine, non vita, non moribus. Non ſentit, „ niſi qui expertus eſt. Vis vivere ut Chriſtianus? „ Vis ſequi veſtigia Domini tui? Objiciatur tibi, „ erubeſcis; & erubeſcendo, dimittis. Viam per„ didiſti. Videris tibi corde credidiſſe ad juſtitiam, „ ſed perdidiſti, *Ore confeſſio fit ad ſalutem*. Si ergo „ vis ambulare viam Domini, etiam in conſpectu „ filiorum hominum ſpera in Deum, id eſt, noli „ erubeſcere de ſpe tua. Quomodo vivit in corde „ tuo, ſic habitet in ore tuo: quia non ſine cauſſa „ ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, „ tamquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobria „ Chriſtianus erubeſcat. Hoc ergo in conſpectu „ hominum ſi feceris, ſi inde coram hominibus non „ erubueris, ſi in conſpectu filiorum hominum nec „ ore, nec factis, Chriſtum negaveris, ſpera tibi „ perfici dulcedinem Dei. Hæc enim fides ſubſtan„ tia eſt & fundamentum ſpei noſtræ. *Omnis qui* „ *credit in illum non confundetur.*

Mentis, oris, operumque concordia neceſſaria eſt ad ſalutem.

S. August. 1. Joan. 5. 4.

Pſal. 118.

S. August. Enarrat. in ... Serm. 13.

Pſalm. 30.

S. August. Enarrat. in Pſalm. 30. n. 7.

12. *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium dives in omnes qui invocant illum.* Nulla apud Deum acceptio perſonarum eſt. Omnes, Gentiles pariter & Judæos vult ſalvos fieri. Bonitatis & miſericordiæ ſuæ indeficientes divitias in omnes effundit: gratias ad ſalutem ſufficientes omnibus offert, quamvis donum fidei, ſpecialeſque gratias non omnibus tribuat. Hinc Apoſtolus noſter alibi ait: *Qui eſt Salvator omnium hominum maxime fidelium.* „ Dicendo, *Qui eſt Salvator omnium homi*„ *num*, confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos „ homines eſſe generalem: addendo autem, *maxi*„ *me fidelium*: oſtendit partem eſſe generis huma„ ni, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ, ad „ ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus be„ neficiis provehatur: quod utique nulla iniquitate „ agitur juſtiſſimi & miſericordiſſimi Dei, cujus „ judicium in his diſpenſationibus non cum arro„ gantia diſcutiendum, ſed cum tremore laudan„ dum eſt. Generalis illa opitulatio *per innumeros* „ *modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibe*„ *tur: & quod a multis reſutatur, ipſorum eſt nequi*„ *tia: quod autem a multis ſuſcipitur, & gratia eſt* „ *divina, & voluntatis humana.*

Deus gratias ad ſalutem ſufficientes omnibus offert.

1. Tim. 4. 10. Auctor lib. 2. De Vocatione omnium Gentium, c. 31.

Cap. 26.

12. 13. *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Pauperrimi ſumus & miſerrimi; illum invocemus, ut divitiarum illius participes ſimus. Spiritualibus bonis dives eſt, qui orare ſcit ut oportet. Oratio enim fide concepta, ſpe animata, caritate fervens, humilitate commendata, per„ ſeverantia victrix, omnia Dei bona, adeoque ſalutem,

Quomodo nomen Domini invocandum?

lutum noſtrum in manibus noſtris ponit. *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*. Sed recte invocandum eſt. Quicumque enim orant, nomen Domini, ut par eſt, non invocant: de quibus in Pſalmo dicitur: *Deum non invocaverunt*. Invocant, ſed non Deum. „ Invocas quicquid amas: invocas quidquid in te vocas, quicquid vis ut veniat ad te. Porro ſi Deum propterea invocas ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te ſæcularis dignitas, illi invocas, quæ vis ut veniant ad te: ſed *Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem deſideriorum*. . . . . . Si Deum invocares, ipſe ad te veniret, ipſe eſſet divitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam, & inanem conſcientiam: Deus non implet arcam, ſed pectus. Quid tibi proſunt exteriores divitiæ, ſi te interior premit egeſtas? Ergo qui propter ſæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præſentem & terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum . . . Quid ergo faciam, inquis, quid orem? Quod te docuit Dominus, quod te docuit Dominus, quod te docuit cœleſtis Magiſter: Invoca Deum tamquam Deum, ama Deum tamquam Deum: illo melius nihil eſt; ipſum deſidera, ipſum concupiſce. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini*. Si ergo amator Dei eſſe vis, ſinceriſſimis medullis caſtique ſuſpiriis ipſum dilige, ipſum ama, illi flagra, illi inhia, quo jucundius nihil invenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius. Quid enim tam diuturnum, quam id quod eſt ſempiternum? Non times ne aliquando a te pereat, qui facit ne tu pereas. Si ergo invocas Deum tamquam Deum, ſecurus eſto, divitiarum illius particeps eris, qui dives eſt in omnes qui invocant illum. Pete ab illo ſalutem, & ſalus tua ipſe erit. *Omnis* enim *quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*.

Pſal. 52. 6.
S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 52. n. 6. & in Pſal. 52. n. 8.
Pſal. 26. 4.

14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?* Ad hoc ergo credunt, qui recte credunt, ut invocent in quem crediderunt, & valeant facere quod præceptis legitimis acceperunt, quoniam *Id quod lex imperat, fides impetrat . . . Fides fons eſt orationis, nec poteſt ire rivus, ubi caput aquæ ſiccatur. Ergo ut credamus, oremus; & ut ipſa non deficiat fides qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fuſa oratio etiam ipſi fidei impetrat firmitatem*.

S. Auguſt. Epiſt. 152. alias 89. Idem Serm. 115. alias 36. De Verbis Domini.

Quomodo credent ei quem non audierunt? Non magis excuſari poſſunt Chriſtiani qui Chriſto & Evangelio non credunt ut oportet, quam Judæi. Quamvis enim eis Chriſtus ipſe per ſe non prædicet Evangelium, quotidie tamen prædicat in Scripturis ſuis, & in Eccleſia per Miniſtros ſuos, de quibus dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Sed & nunc & ſemper Chriſtus tamquam Verbum unicuique loquitur in corde, & de pietate docet, de juſtitia ſuadet, de caſtitate, de pudicitia, & de omnibus ſimul virtutibus adhortatur, ſicut ipſe dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt*. Sic denique & in corde Pauli loquebatur, ita ut & ille diceret: *An experimentum quæritis ejus qui loquitur in me Chriſtus?* Ita, Domine Deus meus, ipſum eſt Verbum tuum, quod & *Principium eſt, quia & loquitur nobis*. „ Sic in Evangelio per carnem ait; & hoc inſonuit foris auribus hominum, ut crederetur, & intus quæreretur, & inveniretur in æterna veritate, ubi omnes diſcipulos bonus & ſolus Magiſter docet. Ibi audio vocem tuam, Domine, dicentis mihi, quoniam ille loquitur nobis, qui docet nos. Qui autem non docet nos, etiamſi loquitur, non nobis loquitur. Quis porro nos docet, niſi ſtabilis Veritas? Quia & per creaturam mutabilem cum admonemur, ad veritatem ſtabilem ducimur; ibi vere diſcimus, cum ſtamus & audimus eum, & gaudio gaudemus propter vocem Sponſi, reddentes nos unde ſumus. Et ideo Principium, quia niſi maneret, cum erraremus, non eſſet quo rediremus. Cum autem redimus ab errore, cognoſcendo utique redimus. Ut autem cognoſcamus, docet nos, quia *Principium eſt, & loquitur nobis*. Loquere Domine Jeſu, quia audit ſervus tuus.

Chriſtus nobis quotidie loquitur.

Luc. 10. Origenes lib. 8. Commentar. in hanc Epiſt. c. 10. Joan. 10. 1. Cor. 3. Joan. 8. 25. S. Auguſt. lib. 11. Confeſſ. c. 8.

15. *Quomodo vero prædicabunt niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Non ſolum exteriore miſſione divini verbi Prædicatoribus opus eſt, ut ſcilicet auctoritate legitima Epiſcoporum, qui vice Chriſti Eccleſiam regunt, illis miniſterium verbi ad corporis ejus ædificationem demandetur? ſed interiore miſſione, per gratiam Chriſti vocantem & adjuvantem maxime indigent. Unde Origenes: *Nos præcones & prædicatores Chriſti* (inquit) *non poſſemus prædicare, nec annuntiandi nobis virtus ulla ſubſiſteret, niſi adeſſet nobis ipſe qui miſit. Quod ſi prædicantibus nobis audire non vultis, veſtra jam culpa eſt, & ſi audientes non creditis, & non credentes non invocatis, & non invocantes, ſalvi eſſe nequitis*. Sed ita nos in omnibus exhibeamus irreprehenſibiles verbi miniſtros, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, & dicere merito poſſit plebs Chriſtiana, *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Specioſos pedes, id eſt vitam & converſationem puram & ſanctam in nobis ſuſcipiant populi. Illi ſunt ſpecioſi & decori pedes prædicatorum, qui per viam vitæ, quæ Chriſtus eſt, incedunt. Iſti ſunt pedes, quibus Apoſtolus noſter ſe curſum conſummaſſe dixit, ſic cucurriſſe ut comprehendat, id eſt animo quo tenditur & properatur in cœlum. Iſti ſunt pedes a Jeſu loti, de quibus ait: *Si ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis*. Si quis inveniat aquam vivam, ſi quis accipit potum a Jeſu, ſi quis per ejus gratiam illius imitetur exempla, caritatem, puritatem, humilitatem, paupertatem, labores, amorem crucis, mundi contemptum, zelum ſalutis animarum, & aqua illa a Chriſto ſuper eum effuſa fiat in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, iſte de aqua doctrinæ ſpiritalis poteſt lavare pedes auditorum, & omnes ex ipſorum animis pravorum effectuum operumque ſordes & immunditias diluere: & hoc faciens datum a Magiſtro implebit exemplum. *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Pacem quam mundus dare non poteſt, nec turbare; bona, non temporalia, non peritura, ſed æterna, Deum ipſum, unum ſummumque bonum. Dicant divini verbi Miniſtri cum Sponſa: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Caveant ne illorum affectus inquinentur dum prædicant Chriſtum & aperiunt illi oſtium, ut habitet per fidem in cordibus hominum. Timeant ne forte aliis prædicantes ipſi reprobi fiant. *Tutius enim veritas auditur quam prædicatur: quoniam cum auditur, humilitas cuſtoditur: Cum autem prædicatur, vix non ſubrepit cuivis hominum quantulacumque jactantia, in qua utique inquinantur pedes . . . . .* Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? *Lava eos, Chriſte Jeſu. Dimitte nobis debita noſtra, quoniam non eſt extincta caritas noſtra. Quando te audimus, exaltant tecum in cœleſtibus oſſa humiliata. Sed quando te prædicamus, terram calcamus ut tibi aperiamus: & ideo ſi reprehendimur perturbamur; ſi laudamur, inflamur*. Lava pedes noſtros ante mundatos, ſed cum ad aperiendum tibi per terram pergimus, inquinatos.

Miſſio non ſolum exterior, ſed interior verbi divini Miniſtris neceſſaria.

Origenes in hunc locum. p. 383. col. 1.
Joan. 13.
Cantic. 5. 3.
S. Auguſt. Tract. 57. in Joan.

16. *Sed non omnes obediunt Evangelio*: Quam pauci Chriſtiani Evangelio omni ex parte obediunt? Credunt Myſteriis: præceptis & regulis morum contradicunt. Vellent Evangelium cupiditatibus ſuis condeſcendere & accommodari. Diſplicet illis quod inimicos diligere, quod divitias non amare, quod honores & gloriam mundi parvifacere, quod crucem quotidie ferre jubeat: adeo ut non minus hodie Prædicatores Evangelii cum gemitu & lacrymis dicere poſſint, quam Apoſtoli: *Domine, quis credidit auditui noſtro?* Siquidem fides operibus comprobatur, pauci credunt; quia pauci admodum vitam ſecundum Evangelium inſtituant.

Obediendum Evangelio.

17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. „ Quod dicit fidem eſſe ex auditu, intelligendum eſt quia fides eſt ex hoc quod concipit mens per auditum: neque ita ut ſola conceptio mentis faciat fidem in homine; ſed quia fides eſſe nequit ſine conceptione. Addita namque rectitudine volendi conceptioni per gratiam, fit fides: quia credit quod audit. Sed quia auditus eſt per verbum Chriſti, quod prædicatores ejus annuntiant, magna & multiplicem gratiam hæc una fidei gratia complectitur: 1. Prædicatores Evangelii a Deo eligi oportet, nobiſque deſtinari. Quod vero nobis potius quam aliis deſtinentur, gratia eſt nobis immeritis a Deo collata. 2. Mitti illos a Deo neceſſe eſt, cujus legatione funguntur & cujus miniſtri ſunt. Quod autem ad nos potius a Deo mittantur, quam ad alios, quibus occulto ſed juſto judicio immittit *non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini*, altera gratia eſt nobis miſericorditer impertita. 3. Opus eſt ut prædicatores Evan-

S. Anſelmus Tract. De concordia gratiæ & liberi arbitr. c. 6.
Amos 8. 11.
Una Gratia ſ[illegible] multi-

gelii

plicem gratiam complectitur.

geli audiamus: & hæc nova gratia eſt. Quot enim divini verbi Præcones, ad gentes integras mittuntur, & a paucis tamen hominibus audiuntur? 4. Prædicatores audire non ſufficit, niſi intelligatur & capiatur verbum ſalutis, quod annuntiant. Quod autem intelligatur & capiatur, Dei donum & gratia eſt: non omnibus data qui auribus corporis audiunt. Unde Chriſtus Dominus ait: „ Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: & adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos: „ 5. Non ſufficit intelligentia, ſed neceſſaria eſt humilis, omnimoda, perfecta ſummiſſio & obedientia mentis & cordis divinæ, quam Prædicatores annuntiant, veritati. Id autem fieri non poteſt, ſine recta voluntate, quam ſola Chriſti gratia nobis tribuit. „ Auditus eſt per verbum Chriſti, hoc eſt per verbum prædicantium Chriſtum. Prædicantes vero non ſunt niſi mittantur: ſed quod mittantur, gratia eſt. Quapropter & prædicatio gratia eſt, quia gratia eſt quod deſcendit ex gratia; & auditus eſt gratia, & intellectus ex auditu gratia, & rectitudo volendi gratia eſt. Verum miſſio, prædicatio, auditus, intellectus; nihil ſunt niſi voluntas velit quod mens intelligit: quod voluntas facere nequit, niſi accepta rectitudine: recte namque vult, cum vult quod debet. Ita quod mens ex auditu verbi concipit, eſt ſemen prædicantis: & rectitudo eſt incrementum quod Deus dat, ſine quo NEQUE qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus „. Quoties igitur nobis prædicatur verbum Dei, Deo gratias agamus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, illumque ſupplices oremus, ut rectam voluntatem miſericorditer in nobis operetur, ſine qua gratiæ ceteræ nobis inutiles fiunt ad ſalutem: & agente cordis noſtri pravitate, nobis in cumulum damnationis, potius quam ad ſanctificationem vertuntur.

Matth. 13. 13. 14. 15.

Iſa. 6.

S. Anſelmus, ibid.

1. Cor. 3.

Solum Dei verbum prædicandum.

Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Id unum Prædicatores ejus annuntient, non perſuaſibilia humanæ ſapientiæ & eloquentiæ verba, virtute Crucis vacua & deſtituta. Verbum Chriſti ſemen & alimentum fidei eſt. Id ex Scripturis ſacris & Sanctorum Patrum libris hauriendum, non ex ciſternis diſſipatis, quæ continere non valent aquas ſapientiæ ſalutaris, quibus potari debent populi Chriſtiani. „ Miniſtri Chriſti ſunt: verba Domini ſui loquantur ..... Sicut ergo Deus in principio per miraculum fecit frumentum, & alia de terra naſcentia, ad alimentum hominum, ſine cultore & ſeminibus (inquit S. Anſelmus) ita ſine humana doctrina mirabiliter fecit corda Prophetarum & Apoſtolorum, necnon & Evangeliſtarum; fœcunda ſalutaribus ſeminibus: Unde accipimus quicquid ſalubriter in agricultura Dei ad alimentum animarum ſeminamus, ſicut nonniſi de primis terræ ſeminibus habemus, quod ad nutrimentum corporum propagamus. *Siquidem nihil utiliter ad ſalutem ſpiritalem prædicamus, quod Sacra Scriptura Spiritus Sancti miraculo fœcundata non protulerit, aut intra ſe non contineat.*

S. Anſelmus, ibid.

18. 19. *Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico. Numquid Iſrael non cognovit?* &c. Sonus Apoſtolicæ prædicationis ad nos uſque pervenit, & in Eccleſia toto orbe diffuſa verba eorum reſonant. In Eccleſia Romana, cui totam doctrinam cum ſanguine profuderunt Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus, in Eccleſia (inquam illa) Matrice fidei, Magiſtra veritatis, in quam velut in depoſitum dives, doctrinam ſalutis contulerunt, Apoſtolicæ voces audiuntur, & per ejuſdem verbi Miniſtros in omnibus terræ partibus eorum ſermones omnium gentium linguis prædicantur. „ In omnem terram exivit ſonus eorum, & hæretici Eccleſiam non intrant. Ideo ſonus in omnem terram exiit, ut tu cœlum intres. Audi teſtamentum Patris tui. Ecce, quid planius, quid apertius. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Numquid expoſitore opus eſt? Quid contra te conaris? Patrem vis in lite retinere, qui potes totum in concordia retinere. Noli, inquis, me quærere. Cur te non quæram, cum Chriſtus errantes domus Iſrael, & Apoſtoli oves errantes in omnibus, & in omni terra magnis laboribus quæſierint? Noli me quærere, ais. Hoc ſane vult iniquitas qua diviſi ſumus: ſed non vult caritas qua fratres ſumus. Improbus non eſſem, ſi quærerem ſervum meum, & improbus dicor, quia quæro fratrem meum? Sic ſapiat in quo fraterna caritas non eſt, qua Apoſtolorum pectora in noſtrum exemplum flagrabant: ego tamen quæro fratrem meum, ut ad communem matrem Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam, Romanam redeat. Iraſcatur, dum tamen quæratur, qui inventus placatur. Quæro, inquam, fratrem meum, & interpello non contra illum, ſed pro illo Dominum meum. Nec dicam interpellans, Domine dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem; ſed, Dic fratri meo ut teneat mecum hæreditatem. Abſit ut Judæis ſimilis fiam, qui fidei gentium invident, & ira ſuccenſi ſunt ob earum vocationem. *Primus Moyſes dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem inſipientem, in iram vos mittam.*

S. Auguſt. Enarrat. 2. in Pſal. 18.

Fratres noſtri in Eccleſiæ gregem quærendi.

20. 21. *Iſaias autem audet & dicit: Inventus ſum a non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant.* Multis variiſque modis ac viis Deus ſe ipſum nobis notum fecit, ſuaque de nobis conſilia, ſuamque voluntatem, & noſtra erga illum officia nobis ſignificavit, exhortationibus Concionatorum, admonitionibus Superiorum, lectione piorum librorum, Sanctorum exemplis, internis inſpirationibus, beneficiis, flagellis. Nobis apparuit cum de ipſo, & de ſalute noſtra non cogitaremus, immo illum fugeremus. Nunc ſaltem illum quæramus fide viva, caritate fervente; quæramus Dominum, dum inveniri poteſt; invocemus eum, dum prope eſt, dum expanſis manibus nos vocat; dum ſuarum dona gratiarum in nos effundere paratus eſt, dum viam ſalutis nobis oſtendit, & in ea dux nobis eſſe dignatur. Erit, erit, cum fruſtra, quæretur ab eis qui cordis incredulitate, duritie, contumacia, & vitæ morumque pravitate illi contradicunt, inſtar Judæorum. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Obdurati ſumus, & damnationi proximi, ſi terribili exemplo reprobationis Judæorum non movemur, non contremiſcimus, non confugimus ad Deum æmulatione laudabili, ne alii gratiam & coronam nobis paratam accipiant. Reprobati ſunt Judæi culpa ſua, vocatæ ſunt Gentes Dei miſericordia. Illinc timendum, hinc ſperandum, & gratiæ vocationis noſtræ fideliter reſpondendum eſt. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* „ Diem hic vocat univerſum retro tempus quod præterierat. Illud vero quo manus ſuas extendiſſe dicit, vocaſſe, attraxiſſe, adhortatumque eſſe declarat. Deinde oſtendens quod univerſa hujus inobedientiæ culpa illorum fuerit, dicit: *Ad populum non credentem & contradicentem.* Vides quanta illorum ſit accuſatio. Ipſi quippe neque adhortanti quidem obedierunt, ſed & contradixerunt: idque non ſemel, non bis aut ter, ſed per univerſum tempus, cum eadem perſeveranter facientem viderent. Alii vero qui Deum numquam cognoverant, ipſum tamen attrahere potuerunt. Attamen non dicit quod ipſi Deum per ſe attrahere potuerint: ſed & eorum, qui ex Gentibus credebant, faſtum dejiciens, oſtendenſque quod totum hoc Dei gratia perfecerit, dicit: *Ego conſpicuus factus ſum, & ego inventus ſum.* Omnium ergo illi vacui ſunt? dices. Nequaquam. Sed quod inventa apprehenderunt, & conſpicua facta cognoverunt, hoc de ſuo attulerunt. Deinde ne Judæi dicant, Quare non & nobis conſpicuus es factus? addit; *Tota die expandi manus meas,* &c. Quaſi dicat: Non ſolum conſpicuus illis factus ſum, ſed & extenſis manibus uſque perſtiti, & adhortans, & paternam benevolentiam, qualemque erga ſuam prolem mater habet curam oſtendens. Sic probat perditionem illorum ab ipſorum obſtinata voluntate profectam eſſe, ita ut omni venia indigni ſint. Licet enim & audierint, & quæ dicebantur intellexerint, neque ſic tamen accedere voluerunt: & quod adhuc multo majus eſt, non ſolum audire illos fecit & intelligere, ſed & ad æmulationem provocavit. *Ego ad æmulationem vos adducam,* &c. Scitis paſſionis hujus tyrannidem, quantaſque vires ad omnem contentionem diſſolvendam, & ad erigendum languidos ac remiſſos habeat zelotypiæ natura. Et quid opus eſt de hominibus iſtud dicere, cum & iis quæ ratione non admodum valent, & in puerorum ætate adhuc immatura, multam potentiam oſtendat zelotypia? Fit enim ſæpe numero ut puer qui ad patrem vocatus non accedebat, ſed contentioſe abnuebat, cum primum viderit alium quempiam puerum patri obſequi, ultro jam ad

„ pater-

Multis modis Deus ſe ipſum nobis notum facit.

Exemplum terribile reprobationis Judæorum timorem ſalutarem in nobis excitare debet.

S. Joannes Chryſoſt. Homil. 18. in hanc Epiſtolam.

Digitized by Google

„ paternum ſinum accurrat; ita ut quod ſedola „ non potuit advocatio, id æmulatio efficiat. Ita „ Deus erga Judæos ſe geſſit. Non enim advocavit „ ſolum, manuſque expandit, ſed & zelotypiæ paſ- „ ſionem in ipſis capectavit, dum eos qui multo „ viliores erant, non ſolum in ipſorum bona intro- „ duxit, ſed multo majoribus & excellentioribus „ cumulavit. Verum neque ſic acceſſerunt. Qua ergo venia digni eſſent tam increduli Dei verbis, tam infideles promiſſis, tam ingrati beneficiis; tam rebelles mandatis? *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.*

C A P U T XI.

Senſus Litteralis.

Dico ergo: *Numquid Deus repulit plebem ſuam?* Objectionem occupat Apoſtolus. Num propter incredulitatem & contumaciam Judæorum a Prophetis prædictam irritæ factæ ſunt promiſſiones a Deo factæ Abrahamo? Numquid omnino repulit, deſpexit, abjecit Deus populum ſuum, ſic ante prædilectum? Numquid participem non fore decrevit *benedictionis* in Chriſto promiſſæ? *Abſit*. Nequaquam id ſequitur ex iis quæ prænuntiavit Iſaias, & quæ jam impleta videmus. *Nam & ego Iſraelita ſum*, non ita proſelytis aggregatus, ſed *ex ſemine Abraham, ex Tribu Benjamin*, omnium ultima & minima. nec tamen ſum a Deo repulſus, ſed vocatus ad Evangelii gratiam, & promiſſionum particeps factus; quin etiam ad Apoſtolatum & Evangelii prædicationem a Chriſto electus.

Quid nomine præſcientiæ intelligit Apoſtolus?

2. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit.* Ex populo Iſraelitico Deus eos non repulit, non abjecit, quos prædilexit, elegit, ac proprie populum ſuum eſſe voluit, de quo ſcriptum eſt: *Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem*: Et, *Quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet*. Nomine præſcientiæ, prænotionem fidei vel operum

Pſal. 149. 4.

futurorum, quorum intuitu vocati ſint & electi,

Pſal. 93. 14.

non intellexit Apoſtolus, qui Semipelagianum illum errorem prædamnavit Verſ. 6. his verbis: *Si gratia, jam non ex operibus*: Sed divinæ voluntatis propoſitum ſeu decretum efficaciſſime prædeſtinans ad ſalutem æternam intellexit, ut explicat S. Auguſtinus. „ Aliquando, *inquit*, prædeſtinatio ſignifica- „ tur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſto- „ lus, *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſci-* „ *vit*. Hic quod ait, *præſcivit*, non recte intelli- „ gitur, niſi prædeſtinavit: quod circumſtantia „ ipſius lectionis oſtendit: Loquebatur enim de reli- „ quiis Judæorum, quæ ſalvæ factæ ſunt pereunti- „ bus ceteris..... Hæc eſt illa electio, qua eos „ quos voluit, elegit in Chriſto ante conſtitutio- „ nem mundi, ut eſſent ſancti & immaculati in „ conſpectu ejus, in caritate, prædeſtinans eos in „ adoptionem filiorum. Nullus igitur qui hæc in- „ telligit, negare vel dubitare permittitur, ubi „ ait Apoſtolus, *Non repulit Deus plebem ſuam quam* „ *præſcivit*, Prædeſtinationem ſignificare voluiſſe. „ Præſcivit enim reliquias, quas ſecundum electio- „ nem gratiæ fuerat ipſe facturus. Hoc eſt ergo, „ prædeſtinavit: ſine dubio enim præſcivit, ſi præ- „ deſtinavit: Sed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciſſe „ quod fuerat ipſe facturus. Quid ergo nos pro- „ hibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores „ legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatio- „ ne electorum, eamdem prædeſtinationem intel- „ ligere? Magis enim fortaſſe voluerunt hoc verbo „ in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non „ repugnat, immo & congruit veritati quæ de „ prædeſtinatione gratiæ prædicatur. Hoc ſcio, „ Neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam „ ſecundum Scripturas ſanctas defendimus, niſi er- „ rando diſputare potuiſſe.

2. 3. 4. *An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura; quemadmodum interpellat Deum adverſum Iſrael?* Ignorare certe non poteſtis quod Scriptura Sacra com-

3. Reg. 19. 10.

memorat de Elia, quomodo coram Deo queratur de populo Iſrael decem Tribuum, quaſi totus a Dei cultu defeciſſet. *Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt: & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam*. Impiæ Jezabelis juſſu Prophetas tuos occiderunt Iſraelitæ, qui ad Baalis cultum defecerunt. Altaria in honorem tuum a piis erecta in excelſis, ex quo Regum Iſrael tyrannide permiſſi non erant ad Templum Hieroſolymitanum ire ſacrificia divinæ Majeſtati tuæ oblaturi: hæc, inquam, altaria in odium ſancti nominis; cultuſque tui, everterunt: & ego relictus ſum ſolus cultorum tuorum, Deus meus: & vitæ meæ inſidiantur, ut cultum tuum penitus extinguant. *Sed quid dicit illi divinum reſponſum?* Quid illi reſpondet Deus? *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Servavi mihi ipſi multa millia virorum, præter mulieres & parvulos, qui non adoraverunt Idolum Baal, ſed in cultu meo conſtantes permanent. Non ait Apoſtolus; *Relicta ſunt mihi*, aut, *Reliquerunt ſe mihi*, ſed *Reliqui mihi, ſeptem millia*, ut oſtenderet Dei gratia fuiſſe ſalvatas reliquias Iſrael, non meritis operum eorum.

S. Auguſt. lib. De Dono Perſeverant. c. 13.

5. 6. *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.* Sicut olim Deus per gratiam ſuam ſibi ſervavit ſeptem millia virorum, qui cultus ſui puritatem fideliter & conſtanter retinerent, licet Eliæ Prophetæ ignoti eſſent: ita in præſenti tempore promulgati Evangelii, per electionem Dei gratuitam pauci Judæi ſervati ſunt ex tota gente, qui Chriſti fidem amplecterentur, & ad ſalutem æternam perducerentur. Vox *ſalvæ*, redundat ſecundum Græcum Textum, ejuſque Commentatores, & Syriacam Verſionem; ſed a S. Hieronymo addita eſt majoris perſpicuitatis gratia, incolumi ſenſu, in Latina Verſione quam adornavit. *Si autem gratia, jam non ex operibus*: Si per gratiam, ſeu gratuitam Prædeſtinationem ſalvantur pauci illi, quos ſibi Deus ex Judæis elegit & in fidem vocavit, ut per Chriſtum vitam conſequerentur æternam, non igitur bonorum operum intuitu electi & prædeſtinati ſunt: *Alioquin gratia jam non eſt gratia*. „ Præcedit ergo non debita, ſed gra- „ tuita gratia, ut per illam fiant bona opera: ne ſi „ præceſſerint bona opera, tamquam operibus red- „ datur gratia, ac ſic gratia jam non ſit gratia. „ Gratia non eſt ullo modo, niſi gratuita ſit omni „ modo (ait alibi S. Auguſtinus). Ipſa vita æterna „ gratia nuncupatur, non ob aliud niſi quia gratis „ datur; non ideo quia non meritis datur, ſed quia „ data ſunt & ipſa merita quibus datur. Hoc nihil „ ſalubrius fides credit, quia nihil verius intellectus „ invenit. De electione porro ad vitam æternam „ intelligenda eſt Apoſtolica illa ſententia: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.*

S. Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium, c. 7. Et Epiſt. 194. alias 105. ad Sixtum.

7. *Quid ergo? Quod quærebat Iſrael hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: ceteri vero excæcati ſunt.* Quid ergo ex his colligemus, niſi Judæos non eſſe conſecutos juſtitiam quam quærebant, quia non quæſierunt, nec quærunt ut oportet: quæſierunt enim eam ex operibus legis, cum ex gratia & fide in Chriſtum unice quærenda ſit. Portio autem illius populi, quam Deus gratis elegit, conſecuta eſt juſtitiam. *Electio* pro electis uſurpatur Hebraico loquendi more, ſicut alibi *Circumciſio* pro circumciſis, *juſtitia* pro juſtis, *vocatio* pro vocatis. Ceteri vero malitia ſua excæcati ſunt ut Evangelii lumen non videant.

8. *Sicut ſcriptum eſt* (Iſaiæ 29. 10.) *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem.* Apud Iſaiam ſecundum Hebraicam Veritatem habetur: *Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis*, LXX. Interpretes κατάνυξιν, id eſt *compunctionem* verterunt. Theodotio, [illegible], id eſt *mentis exceſſum*; Aquila [illegible], id eſt *gravem ſomnum* ſeu *veternum*, a quo ut homines excitentur, compungi & vellicari ſolent. Syriacus hic vertit: *Dedit eis Deus ſpiritum ſtupidum*. Æthiops: *Dedit eis Deus ſpiritum torporis*. S. Hieronymus S. Chryſoſtomum ſecutus, vertit, *Spiritum compunctionis*, ſecundum vim Græcæ vocis κατάνυξις. S. Cyprianus Epiſt. 55. ad Cornelium legit, *Spiritum tranſpunctionis*. Compunctionis autem nomine ſignificat hoc loco Apoſtolus *habitum quemdam animæ ad id quod pejus eſt immedicabiliter & immutabiliter ſe habentem*. *Quandoquidem & David alibi dicit*: Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar, *Hoc eſt, non immutabor, non deſiſtam. Quemadmodum enim is qui in pietate compungitur, non facile in aliud transfertur: Sic & qui in malitia compungitur, non facile immutatur. Compungi ſiquidem nihil eſt aliud, quam quaſi incuſſo clavo ad aliquid affigi, ſolideque compingi. Ut igitur immedicabilem mentis illorum morbum, immutabilemque ſignificanter exprimeret, ſpiritum compunctionis poſuit.* Quod vero dixit Apoſtolus, *Dedit eis*, non operationem Dei, ſed conceſſionem, ſeu permiſſionem ſignificat. *Dedit eis*, non inſpirando malitiam, ſeu ſubtrahendo gratiam: *Oculos ut non videant, & aures ut non audiant*. Sic a Deo derelicti ſunt, ut cum haberent oculos, quibus videbant Chriſti & Apoſtolorum miracula, & aures quibus admirabilem Evangelii doctrinam audiebant, illis tamen, quemadmodum oportebat, non ſunt uſi, & præ ſtupore mentis ad ea non attenderunt. „ Non „ igitur fecit Deus ut ipſi non crederent. Quomodo „ enim

S. Chryſoſt. Hom. 61. [illegible] Theodoretus, Theophylact. Oecumen. conſentient.

„ enim fieri poſſet, ut & ipſe eis infidelitatem im-„ mitteret, & pro ea pœnas ipſe de illis ſumeret? „ Hoc autem ipſe quoque Propheta apertius do-„ cuit: *Incraſſatum eſt cor populi hujus, & auribus*
Iſai. 6.
„ *graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt*. Non „ ergo alius eos excæcavit, ſed ipſi oculos ſuos „ clauſerunt, & lucem intueri noluerunt (inquit „ Theodoretus.)

S. Iſidorus Peluſiota lib. 4. Epiſt. 101. *Spiritum compunctionis* pariter interpretatur *Spiritum ſtuporis & perculſionis*. Quod autem verbum compungendi hoc loco ſit idem cum verbo obſtupefaciendi, probari ait ex verbis ſequentibus: *Oculos ut non videant, & aures ut non audiant*: Hoc enim uſu venire ſolet iis qui ſtupore ſunt correpti. *Nam cum mens perturbata ſit, ſenſus, officia & actiones ſuas abnegant*. Id confirmat ex illis verbis Eccleſiaſtici 14. 1. *Beatus qui non eſt ſtimulatus*, ſive compunctus, *in triſtitia delicti*, ubi Sapiens *non eum beatum prædicat*, qui non ſit affectus triſtitia ſecundum Deum, quæ pœnitentiam in ſalutem operatur, *ſed eum qui non ſit in ſtupore datus a mœrore, neque ſuam ſalutem prodiderit, quod accidit Judæ, qui ſuſpendio vitam ſibi eripuit: quod etiam metuens Paulus ne accideret illi qui apud Corinthios ſtuprum admiſerat, præcipiebat ipſum actu jam pœnitentia in cœtum fidelium recipi, ne immoderato mœrore talis abſorberetur*.

Hæc denique verba, *uſque in hodiernum diem*, ſignificant quod prædictum eſt ab Iſaia, impletum eſſe, & quotidie impleri. Provide hoc addidit Apoſtolus: non enim omnes quos indurat Deus, in perpetuum indurat; ſed quoſdam in gravia peccata incidere ſinit, in iiſque indurari ad tempus, ut eos velut ex ſomno excitans, gratiæ ſuæ triumphum magis oſtendat. Nam inter illos de quibus hunc Iſaiæ locum uſurpaverat Chriſtus (*Matth.* 13. 14. *Marci* 4. 12.) fuere illi qui conſcientia parricidii in Chriſtum commiſſi Evangelium prius ſpretum recepere (*Act.* 2. 37.) De eadem obduratione loquens Paulus 2. Cor. 3. 14. 15. 16. ait: „ Sed obtuſi ſunt „ ſenſus eorum .... Uſque in hodiernum diem, „ cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper „ cor eorum. Cum autem converſus fuerit ad Do-„ minum, auferetur velamen. *Confer cum Deuteron.* „ 29. 2. 3. 4. Vos vidiſtis univerſa, quæ fecit Domi-„ nus coram vobis in Terra Ægypti Pharaoni & „ omnibus ſervis ejus, univerſæque terræ illius, „ tentationes magnas quas viderunt oculi tui, ſigna „ illa portentaque ingentia, & non dedit vobis Do-„ minus cor intelligens, & oculos videntes, & au-„ res quæ poſſunt audire; uſque in præſentem „ diem.

9. 10. *Et David dicit*, de hoc hominum genere Pſalm. 68. 23. *Fiat menſa eorum in laqueum: & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis*. Fel & acetum, quæ pro cibo & potu Domino in cruce pendenti obtulerunt, illis exitium, pœnam, & perniciem importabunt: ita ut in verbo Dei & Evangelii prædicatione, quæ cibi & deliciarum loco illis eſſe debuerant, inveniunt pro meritis laqueum quo capiantur, & lapidem ad quem offendunt. Hunc eſſe genuinum Prophetæ & Apoſtoli ſenſum conſtat ex Verſ. præcedente ejuſdem Pſalmi: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*.
S. August. Enarrat. in Pſalm. 68. Serm. 2.
Hoc loco Paulus Verſionem LXX. ſecutus eſt, ſenſum expreſſit, non tamen verba ſingula ſcrupoloſe reddidit (ut ſolent qui memoriter aliquid citant.) Legitur enim in Pſalmo: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum*. Secundum Hebraicum Textum: *Erit menſa eorum coram eis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum*. S. Auguſtini interpretatio præ ceteris placet: *Qualem muſcipulam mihi exhibuerunt, dando mihi talem potum, talis muſcipula illis ſit*. Vox porro *ſiat*, non optantis eſt, ſed prophetantis. *Fiat* ergo illis *menſa eorum in laqueum*. Et numquid injuſtum eſt hoc? Juſtum eſt. Quare? quoniam *in retributionem*.
Origenes. S. Chryſoſt. S. Thomas Lect. 2.
Non enim aliquid illis accideret quod non debebatur. *In retributionem ſit, & in ſcandalum*: quia ipſi ſibi ſunt ſcandalum. *Obſcurentur oculi eorum ne videant*: Mens eorum ſubtractione divini tui luminis, cui interiores clauſerunt oculos, obtenebretur, ne præſentem videant veritatem: *& dorſum eorum ſemper incurva*: id eſt, eorum affectus in terras incurvari, & cœleſtium inanes eſſe permitte, ut eamdem veritatem a Deo manentem, & e cœlis affulgentem intueri nequeant.

11. *Dico ergo: Numquid ſic offenderunt ut caderent?* Quæro ergo num ita labi Judæos permiſerit Deus, ut tota gens in caſu maneret; ſive, ut eorum caſus & univerſalis & irreparabilis eſſet? Vel, numquid Deus permiſit eos offendere ad Chriſtum Jeſum, velut ad lapidem in via illorum poſitum, ut eorum duntaxat caſum, non aliam utilitatem inde conſequentem intenderet? *Abſit*. Procul id a divina bonitate, quæ nullum permittit malum, niſi propter bonum quod inde elicit. *Sed illorum delicto ſalus eſt gentibus, ut illos æmulentur*. Illorum delictum factum eſt gentibus ſalutis occaſio, cum Apoſtoli videntes ab illis Evangelium repelli, illud Gentibus prædicaverunt. Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repuliſtis illud, ecce convertimur ad gentes* &c. Vocatio autem & fides gentium ad ipſorum Judæorum converſionem & ſalutem a Deo miſericorditer ordinata eſt, ut illi gentiles imitentur: quod fieri gaudet Eccleſia in paucis qui ad Chriſti fidem convertuntur, & fidem gentium ſancte æmulantur; & omnino completè gaudebit in fine mundi, quando ſalvus fiet omnis Iſrael, cum plenitudo gentium in Eccleſiam intraverit.

12. *Quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi: & diminutio eorum divitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum?* Si lapſus & incredulitas Judæorum ceſſit ac redundavit in ſpirituales mundi divitias, id eſt in ſalutem gentium toto orbe diſperſarum, Deo ita ordinante: & ſi Judæorum derelictio & abjectio fuit occaſio vocationis gentium, in quas gratia Chriſti copioſe effuſa eſt: quanto magis plenitudo Judæorum in Chriſtum crediturorum uſque ad finem mundi, gentibus ipſis profutura eſt ad confirmationem fidei, & ſpiritualium divitiarum incrementum? Chriſtus enim & Eccleſia ubique a libris Judæorum teſtimonium habent fidei Chriſtianæ ad convertendos Gentiles, qui ſuſpicari potuiſſent Prophetias de Chriſto, quas Evangelii Prædicatores proferebant, eſſe confictas, niſi probarentur teſtimonio Judæorum, & multi ex illis earum veritate & eventu convicti, Jeſum eſſe Chriſtum a Deo promiſſum patribus ſuis agnoſcerent, in eumque crederent; ac ejus tamquam unius capitis membra cum gentibus in Eccleſia fierent; in qua mutuis exemplis ſe ad ejus cultum & amorem incitarent.

13. 14. *Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis*. Ad Chriſtianos ſua potiſſimum opera ex Gentibus collectos ſermonem convertit S. Paulus, eoſque monet ne propter dona a Deo accepta ſe extollant, aut Judæos ut plane deploratos contemnant; quorum caſum non eſſe irreparabilem oſtendit ſtudium quod ad illorum converſionem procurandam ut Chriſti Miniſter adhibebat. Totius igitur ſententiæ ſenſus eſt: Vos appello, o Gentes: Quamdiu veſter ero Apoſtolus, id eſt, quamdiu vitam mihi Deus commodabit, Miniſterium Apoſtolatus & prædicationis ad Gentes, Chriſti electione & miſſione mihi demandatum, & Spiritus Sancti revelatione Eccleſiæ facta confirmatum, illuſtre ac celebre reddam ad Chriſti gloriam, ut experiar ſi Judæos mihi genere conjunctos quodam ſanctæ æmulationis ſtimulo incitem, ut exemplo gentium in Chriſtum Jeſum credant & Evangelium ſuſcipiant; ſicque aliquorum ex illis ſalutem procurem.
Act. 4. 15. Act. 13. 2.

15. *Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi: quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?* Si Judæorum pertinax incredulitas ob quam a Deo rejecti ſunt, occaſio fuit reconciliationis Gentium cum eo per fidem Chriſti: quid erit eorum ſalus, niſi reditus de morte ad vitam? Spiritaliter enim mortui, vita gratiæ & fidei donabuntur. Vel, illorum converſio ad fidem tantum gaudium paritura eſt, ac ſi mundus altera ſui parte mortuus reviviſceret. Vel, plenam eorum aſſumptionem ad gratiam Evangelii & ad ſalutem in fine ſæculi quid tandem conſequetur, niſi generalis reſurrectio mortuorum? Confer cum verbis Chriſti, Matth. 24. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio*.
Theodoret.

16. *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami*. Prior Metaphora ſumpta eſt ab eo quod fiebat ex Legis Moſaicæ præſcripto. Ex prima farina quæ ex novis frugibus pinſebatur, pars delibabatur ad panes duos primitiarum coquendos, qui Deo offerebantur ... Hac autem delibatione & oblatione, reliqua conſperſio ſeu maſſa farinæ oleo conſperſa benedictionem divinam accepiſſe cenſebatur, ut ex ea panes ad hominum alimoniam coquerentur. Senſus ergo Apoſtolicæ ſententiæ eſt: Si Patriarchæ Abraham, Iſaac & Jacob, qui ſunt veluti primitiæ ex tota maſſa populi Judaici Deo oblatæ, ſancti ſunt; & maſſa ipſa ſeu populus univerſus in ipſis quodammodo ſanctificatus & Deo dicatus, ſive ſanctitati deſtinatus eſt: ac proinde non eſt contemnendus a Gentibus. & ſi Abraham primus Judæorum Pater ac radix totius gentis, ſanctus eſt, & ra-
Levitici 23. 14. 17.

& rami, id eſt filii ex eo progeniti ſancti ſunt, id eſt participes fieri poſſunt promiſſionum & gratiæ Dei potiori quadam ratione quam gentes, ſi Dei miſericordia cor eorum ad patres convertat, ſive ad parentum fidem & pietatem imitandam inclinet.

Malach. ult. Sic Apoſtolus noſter virum infidelem per mulierem fidelem ſanctificatum eſſe, & mulierem infidelem per virum fidelem ſanctificatam docet; *alioquin*

1. Cor. 7. 14. (inquit) *filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*, id eſt ſanctitati deſtinati, quam tamen non conſequuntur, niſi per baptiſmum in Chriſto renaſcantur.

17. 18. *Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adverſus ramos.* Quamvis Judæorum longe plurimi a juſtitia & fide Patriarcharum defecerint, velut rami ab arbore bona defracti & revulſi: tu vero, Gentilis, cum ſimilis eſſes oleæ ſylveſtri, ex profanis ſcilicet ac infidelibus oriundus, ſterilis, neglectus, habens formam & umbram oleæ, ſed ſucco ejus generoſo & fructibus, hoc eſt, gratia Spiritus ſancti deſtitutus, inſitus es inter ramos in arbore manentes, id eſt Apoſtolos, alioſque ex Judæis ad Chriſtum converſos, in locum ramorum detractorum, & particeps factus es ſucci & alimenti a radice profluentis, id eſt promiſſorum quæ Deus fecit Abrahamo, fidei ac multiplicis gratiæ conſors, Deo te in ſanctam ſocietatem fidelium inſerente: noli deſpicere Judæos, & adverſus illos ſuperbe extolli. Ramos enim inſititios præponi velle naturalibus, quaſi digniores ſint, prorſus iniquum eſt. Hic porro cum Origene obſervandum, oleæ & oleaſtri ſimilitudinem mutato rerum ordine ab Apoſtolo poſitam. Agricolæ enim ex arbore fœcunda ſurculum inſerunt ſterili, non contra; olivam inſerunt oleaſtro, ut ille fructus afferat, non oleaſtrum olivæ: ſed Apoſtolus *res magis cauſis, quam cauſas rebus aptavit.* Id autem fecit Apoſtolus noſter, ut Gratiæ Chriſti vim ac beneficium magnificentius commendaret, qui contra leges agriculturæ ramum ſilveſtris & infructiferæ arboris in truncum arboris fructiferæ inſevit, ut fructum vel præter naturam ferret. Faſtum igitur Gentilium comprimit S. Paulus, eoſque in modeſtia & humilitate continet: *Noli*, inquit, *gloriari adverſus ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.* Nihil tibi debet ſancta radix, nihil Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, immo tu illis plurimum debes, per quos fides ad te traducta eſt. Siquidem ſuperædificatus es ſuper fundamenta Apoſtolorum & Prophetarum: quin & Chriſtum Jeſum divinum florem debet radici Jeſſe: & Evangelii prædicatio, Eccleſiaque ab Hieroſolymis incœpit, & ſalus ex Judæis eſt: Ne igitur te extollas, ſed elationem tuam iſta cogitatio comprimat.

Theodoretus, aliique Græci delibationem ſive primitias interpretantur Chriſtum Dominum ſecundum humanam naturam: radicem, Patriarcham Abraham: ramos olivæ, Judæorum populum, ut qui inde germinaverit: olivæ pinguedinem, pietatis doctrinam: ramos fractos, Judæos non credentes: oleaſtrum inſitum in olivam, Gentiles ad gratiam Evangelii vocatos.

19. 20. *Dices ergo*: Ex iis quæ dixi occaſionem arripies adverſus Judæos gloriandi, & dices: *Fracti ſunt rami ut ego inſerar.* Defracti ſunt rami naturales ab arbore, ut ego eorum loco inſererer. Non igitur radicem ſanctam deſpicio, ſed ramis fractis me digniorem exiſtimo, qui per fidem factus ſum ramus inſititius, jam de ſucco radicis vegetatus. *Bene*: Verum eſt, inquit Apoſtolus, fractos eſſe ramos permittente Deo, ut tu in eorum locum inſerereris. Propter incredulitatem fracti ſunt & revulſi ab arbore, id eſt a ſocietate fidelis populi: *tu autem fide ſtas*, non tuis meritis, ſed Chriſti gratia & fide qua inſitus fuiſti, ſtas & manes in olea, radici conjunctus, & pinguedinis ejus, nempe donorum ſancti Spiritus particeps. *Noli altum ſapere, ſed time.* Ne ſuperbe te extollas, ſed time ne aliquando excidas a fide & gratia, & ſorti ramorum fractorum ſors tua ſimilis ſit.

21. 22. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.* Si Deus Judæis, qui naturali origine a ſancta Patriarcharum radice orti ſunt, a quibus & fidei lucem per traditionem acceperant, non pepercit, ſed eos propter infidelitatem & ſuperbiam excidit, time ne forte nec tibi parcat, ſi gratiæ ejus ſis infidelis. „Si eos nihil juvit naturæ

Theodoret. „ neceſſitudo, quia non habebant eamdem voluntatem: multo magis tu, non ſervata gratia, fies a „ radice alienus. *Vide ergo bonitatem & ſeveritatem* „ *Dei*: Conſidera diligenter hinc bonitatem Dei miſerentis, illinc ſeveritatem punientis, ſive, quæ vis „ eſt Græcæ vocis *ἀποτομίαν præciſionem*, metaphora ſumpta a Medicis, qui membra putrida ad vivum reſecant. *In eos quidem qui ceciderunt* vitio ſuo, id eſt in Judæos, *ſeveritatem: in te autem*, Gentilem, *bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate*, id eſt in fide & juſtitia, qua miſericorditer a Deo donatus es. *Alioquin & tu excideris.* Hinc dogma Catholicæ fidei de gratiæ amiſſibilitate confirmatur. Hinc, inquam, invicte probatur hominem juſtificatum excidere poſſe a ſtatu gratiæ & juſtitiæ, nec quemquam abſque ſingulari Dei revelatione certum eſſe poſſe de perſeverantia ſua.

23. 24. *Sed & illi*, ſcilicet Judæi, *ſi non permanſerint in incredulitate*, (ut autem non permaneant, ſed revertantur, eos benigne Deus invitat, * Jerem. 3. 1.) *inſerentur* iterum oleæ, ex qua exciſi ſunt, fideque Chriſti reſtituentur in priſtinam vitam. *Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos*, per gratiæ ſuæ victricis efficaciam. *Nam ſi tu*, Gentilis, *ex naturali exciſus es oleaſtro*, id eſt ex Gentilitate idolis ſerviente, ex qua naturali propagine ortus es, Dei miſericordia revulſus es, *& contra naturam*, id eſt contra conſuetudinem naturæ, & præter ſpem omnem, *inſertus es in bonam olivam*, fidei Abrahæ particeps factus es, & hanc glorians te habere radicem ac patrem, non lege naturæ, ſed Dei miſericordia te ab impiis parentibus & cognatis ſeparantis: *Quanto magis ii qui ſecundum naturam*, id eſt qui naturali origine ex Patriarchis orti ſunt, *inſerentur ſuæ olivæ?* Patribus ſuis per fidem in Chriſtum conjungentur? „ Id eſſe *contra naturam* ait Apoſtolus, quod eſt contra conſuetu- „ dinem naturæ, quam notitia humana compre- „ hendit, ut oleaſter inſertus in olea, non olea- „ ſtri baccas, ſed oleæ pinguedinem ferat. Ceterum „ Deus creator & conditor omnium naturarum ni- „ hil contra naturam facit; id enim erit cuique „ naturale, quod ille fecerit, a quo eſt omnis mo- „ dus, numerus & ordo naturæ ... Sed contra na- „ turam non incongrue dicimus Deum aliquid fa- „ cere, quod facit contra id quod novimus in na- „ tura. Sed nec homo contra naturam aliquid fa- „ cit, niſi cum peccat (inquit S. Auguſtinus.)

** Jerem. 3. 1. Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.*

S. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum, cap. 3.

25. 26. *Nolo enim vos ignorare, fratres, Myſterium hoc, (ut non ſitis vobis ipſis ſapientes)* Vos ſcire volo, Fratres mei, qui ex Gentibus ad Chriſti fidem vocati eſtis, vobis, inquam, aperire volo arcanum illud Dei conſilium, ne vobis ipſis omnium tribuatis: *Quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret.* Quod pars Iſraelitici populi, non tamen exigua, ſed maxima, juſto Dei judicio excæcata eſt, ad illud uſque tempus quo ingens multitudo gentium ex omnibus mundi partibus, ſecundum oracula Prophetarum, ad Chriſti fidem vocanda, in Eccleſiam intraret. *Et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret*, paucis exceptis, qui manebunt in infidelitate pertinaces. Sicut enim plenitudo gentium non ſic ad Eccleſiam accedet, ut Gentilium nemo ſit excipiendus ab hac gratia: ſic omnis Iſrael non ita ſalvus fiet, ut nullus Judæorum ſub mundi finem ſit excipiendus a ſalute. Unde Sanctus Gregorius M. *Enoch* & Elia prædi- „ cante (*inquit*) multi ex his qui tunc ex Ju- „ dæis in infidelitate remanſerint, ad cognitionem „ veritatis redibunt, ſicut de eodem Elia dicitur, „ Elias veniet, & ipſe reſtituet omnia, " Quod Zachariæ Prophetæ oraculum eſt.

S. Gregor. Homil. 12. in Ezechiel. Zachar. 4.

Grotius hunc locum S. Pauli exponit de vero Iſraele, id eſt, de Judæis qui Jacobi ſive Iſraelis patientiam in malis imitabuntur; de *Iſraele Dei* ut loquitur ad *Galat.* 6. 16. Simul autem innuit adeſſe tempus, quo non pauci, ut antea, ſed magna quædam multitudo Judæorum Chriſtum eſſet amplexura. Id autem evenit primum ait Grotius, cum videre Judæi impletum quod Chriſtus dixerat, Idola Romanorum, id eſt ſigna militaria apparitura in conſpectu Templi. Tunc enim multi Chriſtianiſmum amplexi ſimul cum ante factis Chriſtianis exempti ſunt ſecuturis malis, Poſt id vero exciſa Urbe, exciſo Templo, cum jam multo clarius veritas vaticiniorum Chriſti appareret, ſervitutis etiam perſonalis onus multorum fregiſſet ferociam, multi plane Judæi Chriſtum amplexi ſunt, Veſpaſiano & Tito id non impedientibus.

Grotii commentar. refellitur.

Verum hæc Grotii Commentatio Apoſtoli ſenſui, & Traditioni plane contraria eſt. Qua enim ratione id *Myſterium* vocaret Apoſtolus, quod ſuo tempore palam impletum erat, & de quo nemo fidelis dubitare potuit, totum Iſraelem ſpiritualem, id eſt numerum electorum ſalvum fore? a. Judæi eo tempore ad fidem Chriſti converſi pauciſſimi erant, & via *reliquiæ* dicendi comparatione totius populi increduli: at Paulus non agit de re-

ſingularum, ſed de totius populi converſione. *Et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret.* 3. Toto hoc capite de Iſraele ſecundum carnem locutus fuerat Apoſtolus, nec aliter conſtare poteſt antitheſis inter hæc duo, *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael*, &, *Omnis Iſrael ſalvus fiet*. Ad generalem igitur Judæorum converſionem ſub finem mundi futuram hæc referenda ſunt, ſecundum concordem tam Græcorum quam Latinorum Patrum expoſitionem. Vide *S. Hilarium in Pſalm. 58. n. 11. S. Hieronymum in cap. 3. Oſee, & in cap. 3. Habacuch. S. Chryſoſt. Hom. 19. S. Auguſtinum lib. 20. de Civitate Dei cap. 29. lib. 2. Quæſt. Evangel. Quæſt. 33. lib. de octo Quæſtionibus Dulcitii Quæſt. ultima. Theodoretum* in hunc locum, &c. Unus e Græcis *Cæſarius Dialogo* 4. in contrariam ſententiam abiit. *S. Hieronymus* variaſſe nonnullis videtur, qui *lib. 4. Commentar. in Iſaiam*, ad Caput XI. „ In die illa (*inquit*) hoc eſt in illo tempore, „ cum ſurrexerit radix Jeſſe in ſignum populorum, „ five ut dominetur Gentium, apponet Dominus „ ſecundo manum ſuam: ut nequaquam juxta noſtros Judaizantes, in fine mundi, cum intraverit „ plenitudo Gentium, tunc omnis Iſrael ſalvus fiat, „ ſed hæc omnia in primo intelligamus adventu. „ Verum eatenus dumtaxat Judaici populi reſtitutionem impugnat, quatenus a Judæis futuri ſperatur per Eliam; Legis veteris ceremonias & ſacrificia, totumque Moſaici cultus apparatum inſtaurantem. Confer cum ejuſdem Commentariis in cap. 4. *Malachiæ*, & in cap. 17. *S. Matthæi*. Unde in fine Commentarii in Cap. XI. *Iſaiæ* ſatis oſtendit ſe Judæorum & Judaizantium craſſa commenta ſolum impugnare, qui carnaliter futura contendunt, quæ de Judaici populi reſtitutione a Prophetis ſunt prædicta. „ Prudens & Chriſtianus lector „ hanc habeat repromiſſionum Prophetalium regulam: ut quæ Judæi, & noſtri, immo non „ noſtri, Judaizantes carnaliter futura contendunt, „ nos ſpiritualiter jam tranſacta doceamus: ne per „ occaſionem iſtiuſmodi fabularum, & inextricabilium juxta Apoſtolum Quæſtionum, judaizare cogamur.

26. 27. Quod autem dixit Apoſtolus noſter, Omnem Iſrael ſalvatum iri cum plenitudo Gentium intraverit, ſtatim confirmat ex vaticinio *Iſaiæ cap. 59. Verſ.* 20. Secundum Verſionem LXX. Interpretum: *Sicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob. Et hoc a me illis teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum.* Ex Sion, id eſt, ex Gente Judaica, atque ex ipſa regia ſtirpe Davidis, ſive, *propter Sion*, (ut habet Editio Sixtina, conformiter Hebraicæ Veritati) veniet Redemptor, qui a ſervitute peccati & diaboli homines eripiat, & iniquitates avertat a poſteris Jacob, id eſt eorum peccata deleat & condonet. Et hoc fœdus quod pepigi cum patribus eorum ex omni parte implebitur, cum abſtulero peccata eorum per Baptiſmum & Pœnitentiam, generali converſione totius populi.

S. Hieronymus Hebraicum Iſaiæ Textum ita reddidit: *Cum venerit Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & uſque in ſempiternum.* Verſio LXX. Interpretum ſic habet: *Et veniet propter Sion qui liberat, & avertet impietates a Jacob. Et hoc erit eis a me teſtamentum. Spiritus meus qui eſt in te*, &c. unde ergo hæc verba quæ continenter citat Apoſtolus, *cum abſtulero peccata eorum*? Ex alio ejuſdem Prophetæ loco videntur deſumpta, ſcilicet ex *Iſaia* 27. 8. ubi LXX. Interpretum Verſio ſic habet: *Ob id auferetur iniquitas Jacobi, & benedictio hæc obtinget ei, cum deſtruxerit peccatum ſuum*. Vulgata vero noſtra ſecundum Hebraicum Textum: *Idcirco ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Jacob: & iſte omnis fructus ut auferatur peccatum ejus*. Aliis arceſſita videntur ex *Jeremiæ 31. Verſ.* 31. & 34. ubi legimus in Vulgata noſtra: *Feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum .... Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius*. Neque id mirum videri debet, cum Sanctus Paulus plura Prophetarum loca in unum quandoque compingat, ut Viri Eruditi ante me obſervarunt.

28. 29. *Secundum Evangelium quidem inimici propter vos: Secundum electionem autem, chariſſimi propter Patres*. Itaque quod attinet ad Evangelium, cui pertinaciter contradicunt, exoſi ſunt Deo, quod in veſtram ſalutem ceſſit, o Gentiles, quos Deus in ipſorum locum aſſumpſit: Quod autem ad electionem attinet illius populi præ ceteris Gentibus, ut Deo velut in peculium eſſet, ut grex Paſtori, ut ſervus Domino, ut filii Patri, chariſſimi illi ſunt propter Sanctos Patriarchas, & promiſſiones illis factas & eorum poſteris. Quæ quidem promiſſiones implebuntur, cum pars eorum longe maxima convertetur ad Chriſti fidem & ſalva fiet. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei*. Promiſſa enim Dei abſoluta, & vocatio ſecundum propoſitum, ſeu quæ ex prædeſtinatione & electione æterna ad ſalutem ortum habet, immutabilia ſunt, & ejuſmodi ut eorum pœnitere Deum non poſſit.

Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, [S. Auguſt. Epiſt. 149. aliàs 59. ad Paulinum, n. 20.]
„ Pretium quippe redemptionis noſtræ ſanguis eſt „ Chriſti, qui nonniſi ab inimicis potuit occidi. „ Hic eſt ille uſus malorum in provectum bonorum. Quod vero adjungit: *Secundum electionem autem, chariſſimi propter patres*; hinc oſtendit non illos inimicos, ſed electos eſſe dilectos. Sed Scripturæ mos eſt ita loqui de parte tanquam de „ toto: ſicut Corinthios in primis Epiſtolæ ſuæ „ partibus ita laudat tanquam omnes tales ſint: „ & poſtea in nonnullis Epiſtolæ ipſius locis ita reprehendit tanquam omnes culpabiles eſſent, propter quoſdam qui tales erant. Iſtam divinarum „ Scripturarum conſuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrime ſparſam, quiſquis diligenter adverterit, multa diſſolvit, quæ inter ſe videntur eſſe contraria. Inimicos ergo alios dicit, „ alios dilectos: ſed quia in uno populo erant, velut eoſdem ipſos dicere videtur. Quamquam & ex „ ipſis inimicis, qui crucifixerunt Dominum, plerique converſi ſunt, & apparuerunt electi. Tunc „ electi, quando converſi, quantum ad ſalutis initium: quantum vero ad Dei præſcientiam, non „ tunc electi, ſed ante conſtitutionem mundi. Addidit, *propter patres*: quia id quod patribus promiſſum eſt, oportebat impleri. Unde cap. 15. hujus Epiſtolæ ait: „ *Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum* [Rom. 15. 8.] „ *fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum*. Secundum iſtam miſericordiam dictum eſt, Inimici propter vos: quod „ & ſupra dixerat, Illorum delicto ſalus gentibus. „ *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei*: id [S. Auguſt. lib. De Prædeſt. Sanctorum, cap. 16.] „ eſt, ſine mutatione ſtabiliter fixa ſunt. Ad hanc „ vocationem qui pertinent, omnes ſunt docibiles „ Dei: omnes veniunt ad Filium; iſtorum nemo „ perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam.

30. 31. *Sicut enim aliquando & vos*, ex Gentibus vocati, *non credidiſtis Deo*, immo falſis diis olim ſerviſtis: *Nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum*; id eſt, occaſione incredulitatis ipſorum & contumaciæ adverſus Evangelium, Dei miſericordia efficaciter vocati eſtis, & fide in Jeſum Chriſtum donati: *Ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, ut & ipſi miſericordiam conſequantur*: ita & Judæi, poſtquam a fide Abrahami deficientes, Chriſtum recipere noluerunt, ipſumque crucifixerunt, non crediderunt miſericordiam Dei per Chriſtum ad vos pertinere; Deo iſtam incredulitatem permittente & ordinante, ut & ipſi exemplo miſericordiæ vobis impenſæ ad eam implorandam per fidem & pœnitentiam confugiant, ſaltem in fine ſæculi, cum ſe alium Meſſiam fruſtra exſpectaſſe cognoverint, ſicque miſericordiam conſequantur. Nec igitur illi deſpicere vos debent, & adverſum vos extolli quaſi alienos a promiſſionibus; nec vos debetis ipſis inſultare quaſi ramis defractis, & de illorum ſalute deſperare.

32. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur*. Deus enim omnes, id eſt Judæos & Gentes, ſive utriuſque populi multitudinem longe maximam, Gentes ante Chriſti adventum per multa retro ſæcula, Judæos poſt Chriſti prædicationem, concludi permiſit incredulitate velut captivos in carcere; ex quo viribus ſuis evadere non poſſent, ut in utrumque populum ſuo tempore miſericordiam ſuam exerceret: omneſque vocationem, juſtificationem & ſalutem, non ex meritis, ſed ex gratuita Dei miſericordia eſſe agnoſcerent, utpote indebitam prorſus, & illis datam, in quibus nulla merita ante fidem invenit, ſed quibus fidem & merita dedit.... *Concluſit Deus omnia in incredulitate*, Theodoretus interpretatur, convicit omnes tam Judæos quam Gentiles de incredulitate.

33. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* O profunditatem abditæ & immenſæ ſcientiæ & ſapientiæ Dei, qua & ab æterno præneovit omnia, & res a ſe conditas mirabili juſtiſſimoque modo adminiſtrat, ordinatque ad finem gloriæ ſuæ! *Quam incomprehenſibilia ſunt*, ſeu (quæ vis eſt Græcæ vocis) *inſcrutabilia* judicia ejus, alios eligentis, alios reprobantis, *& inveſtigabiles viæ ejus*. Imperveſtigabiles & abſtruſæ rationes divinæ providentiæ. Arcanæ &

Digitized by Google

humanæ rationi prorſus imperviæ ſunt divinæ miſericordiæ & juſtitiæ operationes. *Univerſa via Domini*
Pſal. 24. 10.
miſericordia & veritas, ut Rex Propheta. ,, Igitur ,, inveſtigabiles ſunt miſericordia & veritas ejus : ,, quoniam cujus vult miſeretur, non juſtitia, ſed ,, miſericordiæ gratia ; & quem vult obdurat, non ,, iniquitate, ſed veritate vindictæ. Quæ tamen mi-
S. Auguſt. Epiſt. 194. alias 105. ad Sixtum
,, ſericordia & veritas ita ſibi occurrunt, quia ſcri- ,, ptum eſt, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi* : ,, ut nec miſericordia impediat veritatem, qua ple- ,, ctitur dignus ; nec veritas miſericordiam, qua li- ,, beratur indignus.

34. 35. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?*
* Iſai. 40. 13. 14. ſecundum LXX.
* Quis mentem Domini perſpectam & exploratam habet, niſi cui revelaverit? Aut quis conſiliorum ejus conſcius eſt? Reges enim terreni habent conſiliarios qui intima ipſorum noverint, Deus vero ad ſua conſilia homines non admittit. *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*
* Job. 41. 2.
* Quis Dei beneficentiam & gratiam meritis prævenit ſuis, ut vicem ei Deus reddat? Eodem tendit hæc ſententia, quo illa Matth. 20. 14. *Tolle quod tuum eſt, & vade*, &c. Quaſi dicat Apoſtolus, Si cui rationes divinæ diſpenſationis a me hactenus allatæ non ſatisfaciunt, cogitet non de ſolvendo debito, aut de reddenda gratia, ſed de mero beneficio hic agi ; beneficii autem ſui quiſque arbiter eſt. Hæc interrogatio, *Quis cognovit ſenſum Domini?* ſcientiæ reſpondet. Iſta, *Quis conſiliarius ejus fuit?* ſapientiæ. Illa tandem ; *Quis prior dedit ei?* divitiis, ait Theodoretus.

36. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ab ipſo operante primoque auctore ; per ipſum conſervantem & adminiſtrantem ; in ipſo, ſeu (quæ vis eſt Græci Textus) *in ipſum*, ut finem ultimum ſunt omnia quæcumque ſunt in cœlo & in terra, & inprimis quicquid boni eſt in electis, quod ipſos perducit ad ſalutem. *Ipſi gloria in ſæcula ſit.* Finis quippe omnium operum Dei, gloria ejus eſt. *Amen.* Ita fiat.

Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Omnia ſunt *ex ipſo*, ſicut ea prima operatrice po-
S. Thomas,
tentia. Omnia ſunt *per ipſum*, in quantum omnia facit per ſuam ſapientiam. Omnia ſunt *in ipſo*, ſicut in bonitate conſervante. Hæc autem tria, ſcilicet potentia, ſapientia, & bonitas, communia ſunt tribus Perſonis divinis : ſed tamen potentia quæ habet rationem principii, ſpeciatim attribuitur & appropriatur Patri, qui eſt principium totius divinitatis ; Sapientia Filio, qui procedit ut Verbum ſive ut Sapientia genita ; bonitas Spiritui ſancto, qui procedit ut amor, cujus objectum eſt bonitas : & ideo ſpeciatim attribuendo hæc tria ſingulis perſonis, ſeu appropriando (ſi cum Scholaſticis ita loqui fas eſt) dicere poſſumus ; *Ex ipſo*, ſcilicet ex Patre, *Per ipſum*, ſcilicet per Filium, *In ipſo*, ſcilicet in Spiritu ſancto, omnia ſunt. Hunc locum
S. Auguſt. lib. 2. contra Maximinum Arianum, c. 23.
contra Maximinum Arianum profert S. Auguſtinus. *Si ergo*, inquit, *ſive de Patre, ſive de Filio, veriſſime tamen dicitur quod ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ſine dubio Patris & Filii demonſtratur æqualitas. Si autem quoniam non nominavit Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ſed Deum & Dominum, quod & ipſa Trinitas dici poteſt, ſingula horum trium referri ad ſingulos voluit : Ex ipſo dicens, propter Patrem ; & Per ipſum, propter Filium, & In ipſo, propter Spiritum ſanctum : cur hanc Trinitatem unum Dominum Deum non vultis agnoſcere? Quando quidem non ait, Ex ipſis, & per ipſos, & in ipſis ; ſed ait*, ,, Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt ,, omnia : *nec ait, Ipſis gloria ; ſed* Ipſi gloria in ſæ- ,, cula ſæculorum, Amen.

C A P U T XI.

Senſus Moralis.

1. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit*,
Pia in Deo fiducia.
Populus Dei, electi ejus, ad ſalutem æternam tam ex Judæis quam ex Gentibus ab ipſo prædeſtinati. Non repellit illos Deus, quos ita elegit in hæreditatem ſibi. Fidelis eſt Dominus in verbis & promiſſis ſuis. Fideles ſimus & nos vocationi noſtræ, ac voto quod in baptiſmo emiſimus, ſervandi ejus mandata ; cæterum in ejus bonitate confidamus,
Pſal. 94. 14. S. Auguſt. Enarrat. in hunc Pſal.
Quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet. ,, Tam certus eſſe debes de ,, regno, de felicitate, de æternitate, de immorta- ,, litate, ſi feceris præcepta ipſius, quam certus eſ- ,, ſe debes de interitu, de ardore ignis æterni, de ,, damnatione cum diabolo, ſi contempſeris præ- ,, cepta ejus. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Alioquin time ne ſis ex illis de quibus ait : *Non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.*

2. 3. 4. *An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adverſum Iſrael? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante*
Cavenda præſumptio
Baal. Qui in fide, juſtitia & pietate perſeverant in medio nationis pravæ, & qui in mundo viventes, mundi corruptelis & perverſis moribus non inquinantur, & mala quæ ipſis verſantur ob oculos non imitantur exempla, id propriis viribus ne tribuant, nec propterea in ſe ipſis glorientur, ſed Deo humiliter gratias agant, qui ipſos immaculatos cuſtodivit ab hoc ſæculo. ,, Et tu qui loqueris (*inquit Deus*)
S. Auguſt. Serm. 100. alias 7. De verbis Domini.
,, niſi de me præſumeres, ubi eſſes? Niſi gratia ,, mea plenus eſſes, nonne ante Baal etiam ipſe genu ,, flecteres? Gratia autem mea plenus es : quia ni- ,, hil de tua virtute, ſed totum de mea gratia præ- ,, ſumpſiſti . . . . Cave, o Chriſtiane, cave ſuperbiam. ,, Licet enim imitator Sanctorum ſis, totum ſemper ,, gratiæ reputa : quia ut eſſet aliquid reliquum, ,, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit. " Quiſquis bonus eſt, caveat ne exiſtimet ſe ſolum inter malos bonum eſſe. Periculoſa tentatio, qua Elias Propheta tantus pulſatus eſt. ,, Grana cum ,, cœperint triturari, inter paleas jam ſe non tan- ,, gunt, ita quaſi ſe non noverant, quia intercedit
S. Auguſt. Enarrat. 2. in Pſal. 35.
,, palea. Et quicumque longius attendit, aream, ,, paleam ſolam putat : niſi diligentius intueatur, ,, niſi manum porrigat, niſi ſpiritu oris, id eſt flatu ,, purgante diſcernat, difficile pervenit ad diſcre- ,, tionem granorum. Ergo aliquando & ipſa grana ,, ita ſunt, quaſi ſejuncta ab invicem, & non ſe tan- ,, gentia, ut putet unuſquiſque qui profecerit, quod ,, ſolus ſit. Hæc cogitatio Eliam tentavit tantum ,, virum . . . . Quiſquis adhuc malus eſt, non putet ,, neminem bonum eſſe : quiſquis bonus eſt, non ,, putet ſe ſolum bonum eſſe . . . & non timeat bo- ,, nus in commixtione malorum, quia veniet tem- ,, pus ut inde ſegregetur.

5. 6. *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non eſt gra-*
Prædeſtinatio gratuita, Chriſtianæ humilitatis fundamentum.
tia. Prædeſtinatorum electio & ad gratiam, & ad gloriam omnino gratuita eſt. Hinc Deum glorificare & laudare, nos ipſos vero humiliare ſub manu ejus debemus. ,, Si gratia vocatur, gratis datur ; ſi
S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 49. n. 31.
,, gratis datur, nulla merita tua præceſſerunt ut ,, detur. Nam ſi præceſſerunt merita tua, merces ,, non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum ,, debitum. Si ergo dicis præceſſiſſe merita tua, te ,, vis laudare, non Deum : ideo non cognoſcis ,, Chriſtum, qui venit cum gratia Dei. Converte ,, ergo te ad merita tua, vide illa mala fuiſſe, ut ,, non tibi deberetur niſi ſupplicium, non præmium. ,, Et cum videris quid tibi per meritum debeatur, ,, agnoſcis quid per gratiam donetur, & ſacrificio ,, laudis glorificas Deum. Ibi eſt via in qua oſtende-
Idem Serm. 100. alias 7. De verbis Domini.
,, ris. Chriſtum ſalutare Dei. Interrogo igitur, Cre- ,, dis, o peccator, Chriſto? Dicis, Credo. Quid ,, credis? Gratis univerſa peccata per ipſum tibi ,, poſſe remitti? Habes quod credidiſti. O gratia ,, gratis data! Quid tu juſte, credis te ſine Deo ,, non poſſe ſervare juſtitiam? Ipſius ergo totum re- ,, puta, quod juſtus es, pietati : quod autem pec- ,, cator es, tuæ iniquitati adſcribe. *Eſto accuſator*
Vera gratiarum actio in quo poſita? S. Joan. Chryſoſt. Hom. 18. in hanc Epiſt.
,, *tuus, & ille erit indultor tuus. Omne enim crimen,* ,, *facinus, vel peccatum, noſtra eſt negligentia : & omnis* ,, *virtus & ſanctitas Dei eſt indulgentia.* Gratias ita- ,, que Deo agamus quod de ſalvatis ſumus, quod- ,, que cum ex operibus ſalvari nequiverimus, dono ,, Dei gratis ſalvati ſumus. Gratias vero non ver- ,, bis tantum, ſed & operibus ac rebus ipſis aga- ,, mus. Ea quippe diligens ac vera erit gratiarum ,, actio, ſi ea, per quæ Deus glorificari poterit, ,, fecerimus, eaque fugerimus, a quibus liberati ſu- ,, mus. Etenim ſi quis Regem contumelia affeciſſet, ,, ac loco pœnarum quas dare propter crimen de- ,, buerat, honoribus ac gratiis ab eo fuiſſet cumu- ,, latus ; & tamen rurſum ejus Majeſtatem contem- ,, pſiſſet, in eamque fuiſſet injurioſus ; nonne ex- ,, tremæ ingratitudinis reus judicaretur, extremaſ- ,, que pœnas daret, ac prioribus multo graviores? ,, Sic nobis, cum Dei inimici eſſemus, non ſolum ,, peccata condonavit Deus optimus maximus ; non ,, ſolum pœnas æternas nobis debitas remiſit : ſed ,, etiam honoribus & gratiis cumulavit, filios ſuos ,, per gratiam adoptionis fecit, ac Filii ſui unige- ,, niti cohæredes. Si igitur poſt tanta beneficia rur-

,, ſus

„ ſua divinam Majeſtatem contumelia affecerimus, „ quæ tot pœnæ manent tantæ reos ingratitudi- „ nis? Fugiamus ergo illa a quibus liberati ſumus, & non ore tantum gratias agamus, ne dicatur de nobis. *Populus hic labiis me honorat, cor vero eorum longe eſt a me.* Exiguus eſt electorum numerus, hunc ſequamur; impiorum & corruptorum hominum multitudinem ne imitemur: ne curvemus genu ante Baal, ante Idola mundi. Idolum eſt quicquid contra Dei legem diligimus, quicquid locum ejus in cordibus noſtris occupat, & jura ejus uſurpat.

Mat. 19.

7. 8. 9. *Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri vero excæcati ſunt.* Qui Judæorum exemplo de ſuorum operum juſtitia gloriantur, & mediis adinventionum ſuarum, amoriſque proprii inſtinctu, Deum quærunt ut illorum faciat voluntatem, non ut illius voluntati obediant; ut illo utantur, bonis vero temporalibus fruantur, Deum, quem male quærunt, non conſequuntur. *Quod quærebat Iſrael, non eſt conſecutus.* Sed indurationem & cæcitatem juſto Dei judicio inveniunt. Non habent caracteres electorum, quos Deus prior quærit, ut illum quærant ipſo duce, ut illum inveniant, teneant, nec umquam dimittant. *Electio autem conſecuta eſt: cæteri vero excæcati ſunt.* Dat illis Deus Spiritum ſoporis, ut percutientem non ſentiant, & ſicut Siſara lacte terrenarum voluptatum a muliere, id eſt a concupiſcentia ſua potati, clavo in cerebrum defixo compungantur, & ſoporem morti conſocient. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis*, ſive, ſpiritum perturbationis, vertiginis, ſoporis. *Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt.* Gratiæ ſuæ lumen illis Deus offert, quam illi non vident. Claudunt ſcilicet oculos veræ luci, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat. Lux illis præſens eſt, ſed illi a luce abſentes ſunt. Oculos habent, ſed non illuminatos oculos cordis: oculos habent apertos & perſpicaces ad videndam vanitatem, cæcos ad veritatem. *Oculos ut non videant.* Loquitur illis Deus, exterius per Paſtores & Prædicatores; interius per ſanctas inſpirationes, & non audiunt: *& aures ut non audiant.* Fallimur ſi tam infelicem ſtatum paucorum eſſe in hoc mundo exiſtimamus: ſi illum non timemus, vereor ne jam in illum inciderimus. *Quis cæcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Domini? Qui vides multa, nonne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nonne audies?* Sic excæcatis & induratis panis vivus verbi Dei, & divinæ Euchariſtiæ menſa, quibus tam frequenter abuſi ſunt, in laqueum, in perniciem & ruinam vertuntur, novorumque criminum occaſiones fiunt, quibus eorum aggravatur damnatio. In pœnam præcedentium peccatorum id illis retribuitur, quia fel in eſcam Chriſti tulerunt. „ Acceperat Dominus eſcam „ ſuavem, „ quando Paſcha manducavit cum Diſcipulis ſuis: „ ibi Sacramentum ſui Corporis demonſtravit. In „ hanc eſcam tam ſuavem, tam dulcem unitatis „ Chriſti, quam commendat Apoſtolus, dicens, *Unus* „ *panis, unum corpus multi ſumus*: in hanc eſcam „ ſuavem quis eſt qui dat fel, niſi contradictores „ Evangelii, tamquam illi perſecutores Chriſti? *Minus enim peccaverunt Judæi crucifigentes in terra ambulantem: quam qui contemnunt in cælo ſedentem. Quod ergo fecerunt Judæi, ut in eſcam quam jam acceperat darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt qui male vivendo ſcandalum inferunt Eccleſiæ.* In his impletur illa Davidis prædictio; ait Apoſtolus noſter: *Fiat menſa eorum in laqueum: & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.* Tantum abeſt ut Sacramenta, ſi forte ad illa accedant; & verbum Dei, ſi forte illud audiant; & Scriptura Sacra, ſi forte hanc legant; mentis illorum tenebras diſpellant, & illuminent; ut potius augeant. *Obſcurentur oculi eorum ne videant.* Tantum abeſt ut corda illorum ad cœlum evehant, ut potius ad terram incurvent, ac in ea magis magiſque defigant: *Et dorſum illorum ſemper incurva.* Hoc conſequens eſt. „ Nam quorum oculi fuerint obſcurati, ne videant, ſequitur ut dorſum illorum incurvetur. Unde hoc? Quia cum ceſſaverint ſuperna cognoſcere, neceſſe eſt ut de inferioribus „ cogitent. Qui bene audit, *Surſum cor*, curvum „ dorſum non habet. Erecta quippe ſtatura exſpe„ ctat ſpem repoſitam ſibi in cælo; maxime ſi præ„ mittat theſaurum ſuum, quo ſequatur cor ejus. „ At vero qui futuræ vitæ ſpem non intelligunt, „ jam excæcati, de inferioribus cogitant.

Cæcitas ſpiritualis.

Judic. 4.

Rom. 11. 8.

Iſai. 29.

Iſai. 42. 19.

S. Aug. Enarr. 2. in Pſal. 68.

1. Cor. 10. 17.

11. 12. *Dico ergo, Numquid ſic offenderunt ut caderent? Abſit. Sed illorum delicto ſalus eſt Gentibus, ut illos æmulentur.* Deus malum permittit, ut majus ex eo bonum eliciat. *Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, & tam ſapienter exquiſita, ut cum angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod „ voluit ipſa feciſſet, etiam per eamdem creatu„ ræ voluntatem, qua factum eſt quod Creator „ noluit, impleret ipſe quod voluit; bene utens „ & malis tamquam ſumme bonus, ad eorum da„ mnationem quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, „ & ad eorum ſalutem quos benigne prædeſtina„ vit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos atti„ net, quod Deus noluit fecerunt: quantum vero „ ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere „ valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra volun„ tatem fecerunt ejus, facta eſt voluntas ejus. „ Propterea namque *Magna opera Domini, exquiſita* „ *in omnes voluntates ejus*: ut miro & ineffabili mo„ do non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam „ contra ejus fit voluntatem. Quia non fieret, ſi „ non ſineret nec utique nolens ſinit, ſed volens: „ nec ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens & „ de malo facere poſſet bene. Sic per Judæos ma„ levolos bona voluntate Patris Chriſtus pro no„ bis occiſus eſt. *Illorum delicto ſalus eſt Gentibus.* „ Novum crimen Judæorum fuit quod Apoſtolicam doctrinam & Evangelii prædicationem repulerunt: Inde vero magnum bonum conſecutum eſt ordinante & faciente Deo, ut Apoſtoli Gentibus prædicarent. *Illorum delicto ſalus eſt Gentibus.* Judæorum impœnitentia cumulus fuit peccatorum perfidæ gentis: propterea in omnes Gentes ſunt diſperſi. Pœna vero illa Judæorum ceſſit in utilitatem Gentium, ut Eccleſia ubique a libris, quorum Judæi veritatem agnoſcunt, teſtimonium haberet fidei Chriſtianæ. „ Per omnes gentes diſperſi ſunt Judæi, teſtes ini„ quitatis ſuæ & veritatis noſtræ. Ipſi habent Co„ dices de quibus prophetatus eſt Chriſtus, & nos „ tenemus Chriſtum. Et ſi quando forte aliquis Pa„ ganus dubitaverit, cum ei dixerimus prophetias „ de Chriſto, quarum evidentiam obſtupeſcit, & „ admirans putaverit a nobis eſſe conſcriptas; de „ Codicibus Judæorum probamus hoc tanto ante „ prædictum eſſe. *Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos: ne quando obliviſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua.* Dei omnipotentiam, ſapientiam, ac bonitatem admiremur & laudemus, qui juſti lapſum ſervire quandoque facit converſioni peccatoris; ut converſio ipſius peccatoris viciſſim ſerviat pœnitentiæ & reſurrectioni juſti in peccatum lapſi. Sic Judæorum incredulitas occaſio fuit converſionis Gentium ad finem: & viciſſim fides gentium, earumque præclarum exemplum in Judæis ſanctam æmulationem excitat, & in fine ſæculi magis excitabit, ut Chriſti fidem amplectantur; *Quod ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi: & diminutio eorum divitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum?* „ Quomodo ex illorum delicto ſalus Gentibus detur, „ oſtendit Apoſtolus, hoc eſt, ut Gentium conver„ ſionem videntes, ac teſtamentum Dei quod prius „ ipſi acceperant, Gentibus traditum intuentes, & „ legem ac prophetas majori apud eos haberi in ho„ nore ac obſervari accuratius agnoſcentes, inde „ capiant zelum ſaltem in noviſſimis temporibus ad „ fidem veniendi; & ſicut nunc illorum lapſus ad „ delictum ſalutem Gentibus dedit; ſic & Gentium „ fides æmulationem illis converſionis conferat & „ ſalutis... Multos Deus deſerit, abjicit, excæcat, conterit juſto judicio; alios vocat, illuminat, juſtificat, ſalvat gratuitæ miſericordiæ beneficio. *Conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Quot regna, quot provinciæ a Chriſtiana vel Catholica fide defecerunt? Quot Gentiles in Oriente ad Chriſti fidem convertuntur? *Diminutio eorum, divitiæ gentium.* Fideles ſimus, & timeamus. *Tene quod habes, ne alter accipiat coronam tuam.*

S. Aug. Enchiridion cap. 100.

S. August. in Pſalm. 58. Serm. 1.

Pſalm. 58. 12.

Origenes in hunc locum.

Job. 34. 24.

Apocal. 3.

13. 14. *Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo. Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex eis.* Miniſterium ſuum bonis moribus & vitæ ſanctimonia ornare debent Paſtores, omneſque Eccleſiaſtici viri. „ Exornat autem & illuſtrat Miniſterium ſuum, qui be„ ne miniſtrat; ſicut e contrario dehoneſtat miniſterium ſuum, qui negligenter & indigne miniſtra„ verit. Verbi cauſa, *Diaconus qui bene miniſtraverit,* „ *bonum gradum ſibi acquirit, & multam fiduciam in* „ *fide Jeſu Chriſti.* Si autem non bene miniſtraverit, „ hoc eſt, ſi non talem ſe exhibuerit, qualem de„ ſcribit Apoſtolus, gravem, non bilinguem, non „ multo vino deditum, non turpis lucri appetito„ rem, ſed *habentem myſterium fidei in conſcientia* „ *pura*; non jam bonum gradum, ſed ſibi pœnam „ con-

Miniſterium ſuum exornare debent Eccleſiaſtici viri.

Origenes in hunc locum lib. 8. 1. Tim. 3.

Digitized by Google

„ conquirit, tamquam qui contumeliam fecerit di- „ vino Miniſterio. Similiter autem & qui Presby- „ terii gradum ſuſcepit in Eccleſia, ſatagat illuſtra- „ te miniſterium Presbyterii. Ad ipſum enim per- „ tinent & illa quæ de Presbyteris ad Titum ſcri- „ ſit Apoſtolus: & Iſaias, cum dicit: *Ipſe Dominus* „ *in judicio veniet cum Presbyteris populi, & cum Prin-* „ *cipibus ejus judicabit.* Et addit, *Vos autem ut quid* „ *ſuccendiſtis vineam meam, & direptio pauperum in* „ *domibus veſtris eſt? Ut quid injuriam facitis populo* „ *meo, & perſonas pauperum confunditis?* Secundum „ hæc autem & Epiſcopus illuſtrat miniſterium „ ſuum, ſi ſit irreprehenſibilis, vigilans, prudens, „ ornatus, hoſpitalis, doctor, non vinolentus, non „ percuſſor, ſed modeſtus, non litigioſus, non ava- „ rus, domum ſuam bene regens, filios habens in „ obſequio cum omni gravitate, non elatus ſuperbia, „ ne in judicium incidat diaboli. Qui talis eſt, il- „ luſtrat miniſterium Epiſcopatus ſui, ut ipſe au- „ diat: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca* „ *fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Hoc fa- „ ciebat Paulus docendo Gentes, quarum erat Apo- „ ſtolus, parvulos lacte alendo, inſtruendo infirmos, „ robuſtis fortiorem verbi cibum præbendo, erran- „ tes & in fide titubantes materno affectu rurſum „ parturiendo, donec Chriſtus formaretur in eis. *In omnibus*, exemplo *Apoſtoli*, *honorificent miniſterium ſuum* Sacerdotes Domini & Eccleſiæ Prælati: *Mi- niſterium*, inquam, *non dominium*. Ipſum honorifi- cent, non ſeipſos: *nam qui quærit quæ ſua ſunt, ſe cupit honorari, non miniſterium. Honorificabunt autem non cultu veſtium, non equorum faſtu, non amplis ædi- ficiis, ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operi- bus bonis.* Quam multi aliter! cernitur in nonnul- lis Sacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus... *Hoc me etiam tacente, etſi non Curia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Si- leat licet fama, ſed non fames. Fama quidem ſilet, quia non poteſt mundus odiſſe vos. Nam quomodo arguet mundus peccatum, a quo potius laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur? Clamant nudi, clamant famelici: Noſtrum eſt quod effunditis, no- bis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis.*

Iſai. 3. 14.

Matt. 25.

S. Ber. Tract. De Moribus & officio Epiſcopi, cap. 1. & 2.

Non ſæculari pompa honorificandum putetis mini- ſterium veſtrum, ſed caſtitate, caritate, humilitate, paſtorali vigilantia, zelo ſalutis animarum, labori- bus plurimis, eleemoſynis abundantioribus, ope- rum ſupererogatione, ſollicitudinis ampliatione ad omnium ſalutem. Conſanguineorum ſanctificationi & ſaluti, non temporalibus incrementis ſtudere. Nullam æmulationem excitate in animabus quo- rum vobis regimen commiſſum eſt, niſi meliorum charisſmatum. *Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.*

S. Thomas Lect. 2.

16. *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa, & ſi radix ſancta, & rami.* Diſcamus ab Apoſtolo nemi- nem contemnere, præſertim familias, Congrega- tiones, Societates Eccleſiaſticas vel Religioſas: ſed in iis conſiderare, æſtimare, revereri, diligere, commendare quod bonum & ſanctum eſt: Vitia vero, & lapſus privatorum, integro Ordini, Con- gregationi, Societati, familiæ Eccleſiaſticæ vel Religioſæ ne tribuamus, quod ſummæ foret inju- ſtitiæ. Etſi corrupti ſint privatorum quorumdam mores, ſanctæ tamen primitiæ, & maſſa, id eſt, Eccleſiaſticus Ordo, Religioſum Inſtitutum, vel familia; etſi rami quidam fracti & inutiles, *radix* tamen *ſancta*, & rami plurimi radici cohærentes, plurimi Sacerdotes & Religioſi ſancti. Donatiſtas Chriſtiani plerique ſæculares & carnales imitantur, qui privatorum crimina in Eccleſiam Catholicam refundebant. De illis in perſona corporis Chriſti prædictum eſt: *Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum.* „ Ad quid enim aliud ſedent, & quid aliud ca- „ ptant, niſi ut quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, „ vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, „ omnes tales eſſe credant, jactent, contendant, „ ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen „ etiam ipſi, cum aliqua maritata invenitur adul- „ tera, nec projiciunt uxores ſuas, nec accuſant „ matres ſuas. Cum autem de aliquibus, qui ſan- „ ctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi „ ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, „ ambiunt ut de omnibus hoc credatur. Malos in Clero, malos in Monaſteriis fatemur inveniri, ſed non propterea licet inſultare Eccleſiaſticis Religio- ſiſque Viris, quaſi omnes tales ſint. Mali tolerandi ſunt, & quantum fieri poteſt, corrigendi in Eccle- ſiaſticis & Religioſis familiis. Cavere debent Ec- cleſiaſtici, Religioſique Superiores ne Clericorum aut Regularium hominum lapſus in ſæcularium no- titiam perferantur. „ Hoc eſt, inquit S. Auguſti- „ nus, quod præcavere debui, ut ſi fieri poſſet, hoc „ malum nec vitandum negligeretur, nec in ve- „ ſtram notitiam perferretur, ubi infructuoſe cru- „ ciarentur firmi, & periculoſe turbarentur infir- „ mi.. Si vero malus odor foras prodeat, Laici fi- deles condoleant & gemant caritatis compatientis affectu, nec Sacerdotalem Ordinem aut Religioſam Societatem parvipendant, aut linguas maledicis di- lacerent, in Chriſtum Sacerdotalis Ordinis aucto- rem, & radicem: in Apoſtolos ejuſdem Ordinis primitias; in ſanctos Sacerdotes & Monachos, quo- rum virtutibus & ſanctitate illuſtrata eſt & etiam- num illuſtratur Eccleſia, oculos conjicientes. *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.* „ Quantumlibet vigilet diſciplina Domus „ meæ, inquit S. Auguſtinus, homo ſum, & inter „ homines vivo, nec mihi arrogare audeo ut Do- „ mus mea melior ſit quam Arca Noe; ubi tamen „ inter octo homines reprobus unus inventus eſt: „ aut melior ſit quam domus Abrahæ, ubi dictum „ eſt, *Ejice ancillam & filium ejus*: aut melior ſit „ quam domus Iſaac, cujus de duobus geminis di- „ ctum eſt, *Jacob dilexi, Eſau odio habui*: aut me- „ lior ſit quam domus ipſius Jacob, ubi lectum „ patris filius inceſtavit: aut melior ſit quam do- „ mus David, cujus filius cum ſorore concubuit, „ cujus alter filius contra patris tam ſanctam man- „ ſuetudinem rebellavit: aut melior quam coha- „ bitatio Pauli Apoſtoli, qui tamen ſi inter omnes „ bonos habitaret, non diceret, *Foris pugnæ, intus* „ *timores*; nec diceret cum de ſanctitate & fide „ Timothei loqueretur, *Neminem habeo qui germane* „ *de vobis ſollicitus ſit. Omnes enim ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*: aut melior quam cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua undecim boni perfi- dum & furem Judam toleraverunt; aut melior ſit poſtremo quam cœlum, unde Angeli ceciderunt. Et tamen de familia Noe, de familiis Abrahami, Iſaac & Jacob, de domo David, de collegio Apo- ſtolorum, de Chriſtianis a S. Paulo inſtitutis; immo & de Judaico populo vere dictum eſt: *Quod ſi deli- batio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.*

Pſalm. 68. 13. S. Aug. Epiſt. 78. alias 137. ad Clerum & plebem Eccleſiæ Hipponienſis.

Geneſ. 21. 10.

Malach. 1. 2.

Geneſ. 49. 4.

2. Reg. 13. 14.

2. Reg. 15. 12.

2. Cor. 7. 5.

Philip. 2. 20.

17. 18. 19. 20. *Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari adverſus ramos*, &c. Attende Judæos, attende Gen- tes. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in carne videbant Judæi, Gentes non videbant: ecce qui vi- derunt, crucifixerunt; qui non viderunt, credide- runt. „ Ergo quid feciſti, o Chriſte, adverſus ſu- „ perbos? Abſcondiſti Deum, objeciſti hominem. „ Quare? Ut cæcitas ex parte in Iſrael fieret, & „ plenitudo Gentium intraret. Videbant, & non „ videbant: videbant quod acceperas, & non vi- „ debant quod eras: videbant formam ſervi, non „ videbant formam Dei. Tenuerunt quod videbant, „ crucifixerunt quod videbant, inſultaverunt ei „ quem videbant, non agnoverunt qui latebat: *Si* „ *enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifi-* „ *xiſſent.* Ergo Gentes quæ vocatæ eſtis, attendite „ ramos præciſos propter ſeveritatem, vos autem „ inſertos propter bonitatem, & participes factos „ pinguedinis oleæ, non altum ſapientes, id eſt, „ non ſuperbientes. Non enim tu radicem portas, „ ſed radix te. Magis terreamini, quia videtis am- „ putatos ramos naturales.... Noli extolli ſuper „ ramos fractos, ſed magis dicito Deo, *Quam ter-* „ *ribilia ſunt opera tua, Domine?* Si adverſus Judæos „ olim præciſos de radice Patriarcharum extollere „ nos non debemus, ſed timere: quanto minus „ extollere nos debemus adverſus recentia vulnera „ præciſionum? Præciſi ſunt ante Judæi, inſertæ „ ſunt Gentes: de ipſa inſertione præciſi ſunt hæ- „ retici; ſed neque contra illos nos extollere debe- „ mus; ne forte præcidi mereatur, quem delectat „ inſultare præciſis. Quicumque in Eccleſia eſtis, „ nolite inſultare eis qui non ſunt intus; ſed orate „ potius ut & ipſi intus ſint. Potens eſt enim Deus „ iterum inſerere illos... O plenitudo Gentium, dic Deo, *Quam terribilia ſunt opera tua, Domine!* & ſic gaude ut contremiſcas. Noli extolli ſuper ramos præciſos. *Propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas*: fide per caritatem operante: quæ fides & caritas, cum in nobis non ſint ex nobis, ſed a Deo donatæ ſint nobis, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Ergo ſi gaudes, & time: ne forte quod datum eſt humili, auferatur ſuperbo. *Noli al- tum ſapere, ſed time.* Gratia fons humilitatis: gratiæ cuſtos humilitas eſt: humilitas non oris ſolum, ſed cordis. „ Quid enim prodeſt videri hominibus hu- „ mile eſſe quod dicis, ſi Deus videt altum eſſe „ quod ſapis? Certe ſi auribus divinum inſonaret

„ ora-

Nemo contemnendus. Vitia privatorum in familiis & congregationes ſive Sæculares, ſive Eccleſiaſticas & Religioſas non refundenda.

Paganis, Hæreticis & Schiſmaticis non inſultantum, ſed eorum præciſionem conſiderantes, humiliare nos debemus.

S. Aug. Enar. in Pſalm. 65.

1. Cor. 1. 8.

S. Aug. Enar. in Pſalm. 1. Serm. 2.

„ oraculum, *Noli altum dicere*: nec ſic immerito damnareris, ſi humile in ore coram hominibus, & altum in corde coram Domino loquereris. Cum vero audias, *Noli altum ſapere, ſed time*: cur non etiam intus es humilis, ubi ſapis? An ideo mens altitudine inflatur, ut humilitatem lingua mentiatur? Legis vel audis, *Noli altum ſapere, ſed time*: & tu in tantum ſapis altum, ut te peccatum exiſtimes non habere, ac per hoc quia non vis timere, nihil tibi aliud remanet, quam tumere... Si de te ipſo gloriaris, ſi te ipſum in te ipſo diligis, & de te ipſo tibi places, hoc ipſum vehementius timere debes, quia nihil times. Qui enim altum ſapit, & ideo non timet, utique perniciose non timet, qui non in ſolido collocatur, ſed flatu ſuperbiæ ventilatur. Neque mitis & pius eſt, qui ſe ipſum in ſe ipſo amat & laudat: ſed elatus & ferox, non novit dicere, *In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur*. Quid enim boni amat, qui forte hoc ipſum propter hoc ipſum amat nihil timere? poteſt enim hoc ſibi perſuadere non ſanitate, ſed immanitate... Intereſt utrum aliquis ſanitate an ſtupore non timeat, nec doleat.

Tom. 1. in ſer. 1. ... — Lib. 8. ... alias De Tempore, 214. — Pſalm. 33. 3.

„ *Noli altum ſapere, time*. Ama Dei bonitatem, time ſeveritatem: utrumque te ſuperbum eſſe non ſinit. Amando enim times, ne amatum & amantem graviter offendas. *Nam qua gravior offenſio, quam ut ſuperbia illi diſpliceas, qui propter te ſuperbis diſplicuit? Alius timor non eſt in caritate: iſte autem caſtus non recedit a caritate. Si non amas, time ne pereas: ſi amas, time ne diſpliceas. Illum timorem caritas foras mittit: cum iſto intro currit.*

S. Aug. l. De Sancta Virginitate, c. 38.

21. 22. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat*. Quid non timeat peccator, imo & juſtus, cum judicia Dei in Angelos, in Adamum & poſteros ejus, in populum Judaicum, in tot Chriſtianos illo meliores, & qui tot forte gratias non receperant, attente conſiderat? Time ergo, *ne forte non tibi parcat*. Time aliorum ſubſtitutionem in locum tuum, ſi Dei gratiis abutaris. *Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris*. Non „ dicit Apoſtolus, Vide virtutem tuam, aut labores tuos, ſed Dei bonitatem: oſtendens quod univerſum ex ſuperna ſit gratia factum, inſtituenſque credentem ut tremat. Abuſus quippe gratiæ Dei tremere facit. Ob hoc ipſum (inquit) quod bonus erga te factus eſt Dominus, timendum tibi fuerit. Non enim immota tibi bona manebunt, ſi torpeſcere volueris; quemadmodum nec illis mala, ſi immutati fuerint. Nam & tu, *niſi permanſeris in bonitate, excideris. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*. Non enim illos amputavit Deus, ſed per ſeipſos defracti exciderunt. Non deſperandus Judæus, quia ſic excifus eſt ut reverti poſſit, & ut revertatur ac rurſus inſeratur, Dei miſericordia invitat: nec extolli debes ac de ſe præſumere Chriſtianus ex Gentibus vocatus, quia excidere poteſt a ſtatu juſtitiæ, & Deum *qui non deſerit, ſi non deſeratur, ut juſto ſemper pie quo utatur*, ipſum excidet, ſi non permanſerit in bonitate. *In te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate*. „ Non dicit, Si permanſeris in fide, ſed, „ *ſi permanſeris in bonitate*, id eſt, ſi feceris quæ divinæ bonitati digne correſpondeant. Non enim ſola fides opus eſt.

S. Chryſoſt. Hom. 19. — S. August. — S. Chryſoſt.

23. *Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*. Nemo peccator animum deſpondeat. Qui ad Deum toto corde converſus fuerit, miſericordiæ ac paternæ pietatis ejus ſinum patentem inveniet ad eum ſuſcipiendum. Nulla criminum abyſſus eſt, ex qua illum educere; nullus caſus tam gravis, ex quo ipſum erigere; nullus animi morbus tam periculoſus, nullum vulnus tam mortiferum quod ſanare non poſſit. Abyſſus abyſſum invocet: abyſſus miſeriæ, abyſſum miſericordiæ; abyſſus infirmitatis, abyſſum potentiæ & virtutis. Rami quamvis fracti, quamvis ſicci & inutiles, iterum inſeri poſſunt, vivificari, floreſcere, fructus bonorum operum & ſalutis æternæ ferre: ſed ſpes illæ in ſola gratiæ divinæ omnipotentia, in ſola divinæ bonitatis immenſitate ab Apoſtolo fundantur. *Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos*.

25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. *Nolo enim vos ignorare, fratres, Myſterium hoc, ut non ſitis vobis ipſis ſapientes*. Myſterium gratuitæ Prædeſtinationis Sanctorum tam ex Judæis, quam ex Gentibus, ad gratiam & gloriam, ignorari non vult Apoſtolus, ad Chriſtianam humilitatem fovendam. Illud fidelibus prædicandum ipſius Apoſtoli verbis, ſecundum Regulas a S. Auguſtino traditas libro *De dono Perſeverantiæ*, & lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum*, & alibi paſſim. *Cavendum enim eſt, ne dum timemus, ne tepeſcat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio*. Ita prædicanda eſt prædeſtinatio beneficiorum Dei plane gratuita, e quorum numero beneficiorum eſſe vitam æternam, propter quam fides, bona opera, & perſeverantia dantur, nemo Catholicus negare poteſt; ut fidelibus populis perſuadeatur, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*, ut ait Sanctus Cyprianus: &, *Non eſſe in poteſtate noſtra cor noſtrum & noſtras cogitationes*, ut docet Sanctus Ambroſius: &, *Totum Deo dandum*; ut conſtanter aſſerit Sanctus Auguſtinus. & nihilominus exhortandi ſunt ut divinis præceptis obediant, & in eorum obſervantia uſque in finem perſeverent, & ut gratiam perſeverandi quotidie a Deo poſtulent ferventi oratione. „ Sicut enim prædicanda eſt pietas, ut ab eo qui habet aures audiendi Deus recte colatur; prædicanda eſt pudicitia, ut ab eo qui habet aures audiendi, nihil illicitum genitalibus membris perpetretur; prædicanda eſt caritas, ut Deus & proximus diligatur: ita prædicanda eſt & iſta prædeſtinatio beneficiorum Dei, ut qui habet aures audiendi, non in ſe ipſo, ſed in Domino glorietur.

Præleſtinationis gratuitæ myſterium quomodo prædicandum? — S. Auguſt. l. De dono Perſev. tranſla.

Conſilia Dei in electis certiſſime implentur, etiam perditione malorum, in qua vident quantum divinæ miſericordiæ debeant. Qui enim Chriſti Corpori conjuncti ſunt, quod cum illo regnabit in æternum, ſecundum præſcientiam & prædeſtinationem divinam, ſive ex Gentibus, ſive ex Judæis, nullis id meritis conſecuti ſunt, ſed ſola gratia Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Dignior non erat plenitudo Gentium, quæ ſecundum propoſitum vocata eſt, Judæorum parte quæ derelicta & abjecta eſt. *Quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, ut plenitudo Gentium intraret*. Nec ulla erant merita in Judæis, qui ſic vocantur ad fidem ut credant, & in fide per caritatem operante ad finem uſque perſeverent, magis quam in Gentibus, ex quibus totum corpus veri Iſraelis cum illis coaleſcit. Miſericordia enim Dei utroſque prævenit ſecundum gratiam, non ſecundum debitum. *Hæc eſt immobilitas & veritas prædeſtinationis & Gratiæ, ſecundum Scripturas ſanctas a Sanctis Paulo & Auguſtino defenſa, contra quam nemo niſi errando diſputare potuit*, aut poteſt. *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret*. Salutem vero conſequuntur utrique, & Judæi ſcilicet & Gentiles ante mundi conſtitutionem in Chriſto Jeſu electi, per ſolam Dei miſericordiam, eorum peccata condonantem: *ſicut ſcriptum eſt, Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum*. Quæ enimvero merita in iis qui Dei inimici erant! *ſecundum Evangelium quidem inimici propter vos*. Quæ merita in iis qui Chriſtum recipere noluerunt, qui crucifixerunt, qui Evangelium repulerunt, qui Apoſtolos perſecuti ſunt? Et tamen multi ex iis ſunt electi, ſecundum gratiam utique, non ſecundum debitum. Non propter patrum merita ſunt electi, ſed propter promiſſa Dei, patribus facta. Cum enim poſteri ſint Abraham, Iſaac & Jacob, quorum ſemini Chriſtum Jeſum, & per hunc ſalutem æternam promiſit Deus, promiſſa ſua ut in illis impleat, illos miſericorditer ſalvos faciet, ex Iſraelitis ſecundum carnem Iſraelitas faciens & ſecundum ſpiritum, & in Eccleſiam Chriſti illos cum Gentibus electis introducens, ut ſint una oliva fructifera in domo Dei. *Secundum electionem autem chariſſimi propter patres*. Media quibus illorum ſalutem Deus exequitur, dona Dei ſunt, non debita. Dona ſunt voluntatis, liberalitatis, miſericordiæ Dei; igitur omnino gratuita: dona ſunt omnipotentiæ Dei, ideo efficacia, certa, indeficientia: dona amoris Dei; igitur ſuaviſſima ſunt, & humanæ libertati amiciſſima. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei*. Judæorum pariter ac Gentium prædeſtinatio ad ſalutem ex Dei miſericordia, non ex meritis eſt, utique pariter indigni gratia fidei, ceteriſque illam conſequentibus beneficiis, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur. *Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur*. Omnia igitur media, quibus ſalus electorum, ſive Judæorum, ſive Gentilium procuratur, ad laudem gloriæ gratiæ ejus referenda ſunt: ſiquidem electi miſericordias Domini in æternum cantabunt. *Niſi enim prius Deus per miſericordiam parceret, non inveniret quos per judicium coronaret.*

Judæorum & Gentium prædeſtinatio ad ſalutem omnino gratuita. Quis inde fructus colligendus? — S. Auguſt. — S. Auguſt.

33. 34.

Digitized by Google

33. 34. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* In doctrina prædeſtinationis & gratiæ omnia ignorare velle, infidelitas eſt, & ingrati animi vitium: omnia ſcire velle, ſuperbia eſt & præſumptio. Veritas prædeſtinationis & gratiæ, & tota ejus œconomia abyſſus eſt: *O altitudo!* curioſitatis noſtræ claudamus oculos, illam ne metiri fruſtra conemur, nec propius intueri, ne vertiginem patiamur, & in præcipitium incidamus. *Divitiæ ſunt ſapientiæ & ſcientiæ Dei:* Theſauri iſtius immenſitatem capere & intra ſe concludere mentis noſtræ anguſtiæ non poſſunt. *Inſcrutabilia ſunt judicia ejus*, quæ ſortem æternam electorum & reproborum diſpoſuerunt: humanæ Theologiæ falſis & erraticis luminibus diffidamus, quæ illa rationis captui accommodata, proportionata, facilia ſe reddere gloriatur. Humanæ dico Theologiæ, id eſt, ab Apoſtoli & S. Auguſtini accuratiſſimi ejus Interpretis Theologia alienæ. *Inveſtigabiles viæ ſunt*, quibus Deus electos ad ſalutem æternam perducit: Gratiam igitur verſatilem ad nutum humanæ voluntatis, & quæ ſuam ab ejus aſſenſu efficaciam & determinationem mutuetur, quæ divinæ omnipotentiam voluntatis libero ſubdat arbitrio, medium eſſe ne exiſtimemus quo Deus electorum ſuorum ſalutem operatur. Hujus enim gratiæ œconomia facile inveſtigari & comprehendi poteſt. „ Quantum itaque nobis judicia „ ſua manifeſtare dignatur *Deus*; gratias agamus: „ quantum vero abſcondere, non adverſus ejus con„ ſilium murmuremus; ſed hoc quoque nobis ſa„ luberrimum eſſe credamus . . . . *Et*, ſi ad illam „ profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, „ cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur, illi autem „ non ita; duo ſola occurrunt interim quæ reſpon„ dere mihi placeat: *O altitudo divitiarum!* & „ *Numquid iniquitas apud Deum!* Cui reſponſio iſta „ diſplicet; quærat doctiores, ſed caveat ne inve„ niat præſumptores ... Ex duobus parvulis origi„ nali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſuma„ tur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam „ grandibus impiis, cur iſte ita vocetur ut vocan„ tem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut „ non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. „ Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſe„ verantia uſque in finem, illi non donetur; in„ ſcrutabiliora ſunt judicia Dei.

S. Aug. l. lib. De Corrept. & Grat. c. 8.

Idem l. De Spiritu & Litt. cap. 3. Idem l. De Dono Perſev. cap. 9.

„ *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! „ quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſti„ gabiles viæ ejus!* Quis habet, niſi cui datum eſt? „ Quis non habet, niſi cui non eſt datum? *Quare „ vero* illi datum eſt, & illi non eſt datum? Non „ me piget dicere, Hoc eſt profundum crucis. De „ profundo neſcio quo judiciorum Dei, quæ per„ ſcrutari contemplarique non poſſumus, procedit „ omne quod poſſumus. Quod poſſum, video: unde „ poſſim non video; niſi quia ex hoc hactenus vi„ deo, quod novi eſſe a Deo. Quare autem illum, „ & non illum: multum eſt ad me, abyſſus eſt, „ profundum crucis eſt; admiratione exclamare poſ„ ſum, diſputatione demonſtrare non poſſum. Quid „ poſſum exclamare de iſta profunditate? *Quam ma„ gnificata ſunt opera tua, Domine nimis profundæ fa„ ctæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, „ & ſtultus non intelliget hæc.* Quid non intelligit „ ſtultus & imprudens? Quia vel profundum eſt. „ Nam ſi ſtultus non intelligit, & ſapiens intelli„ git, non eſt nimis profundum. Sed ſi ſapiens in„ telligit quia profundum eſt, ſtultus non intelligit „ quia vel profundum eſt? Ideo multi de iſto pro„ fundo quærentes reddere rationem, in fabulas „ vanitatis abierunt . . . . . In hac crucis profun„ ditate, in hac rerum tanta obſcuritate, non de „ noſtra virtute præſumamus; non ingenioli noſtri „ viribus in hac quæſtione aliquid arrogemus: cum „ Pſalmo dicamus, *Miſerere mei Deus, miſerere mei*. „ Quare? quia virtutem habeo qua te promerear? „ Non. Quare? quia voluntatis arbitrium gero, „ unde gratiam tuam meritum meum præcedat? „ Non. Sed quare? Quoniam in te confidit anima „ mea. Magna ſcientia, iſta confidentia.

Idem Ser. 165. alias 7. De verbis Apoſt.

Pſalm. 91. 6.

Pſalm. 56. 2.

34. 35. 36. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Duæ priores interrogationes ſuperbiam mentis expugnant, qua homo vult omnia ſcire, etiam profunda conſilia Dei: poſterior ſuperbiam voluntatis, qua aliquid boni ſine gratia ſe poſſe confidit, ſcilicet conſentire gratiæ, cooperari gratiæ, ipſam reddere victricem cupiditatis: ita ut iſta non ſint gratiæ ipſius effecta; ſalutis negotium Deum inter & hominem partiri, ut illi ex parte, nobis ex parte, non totum Deo detur. *Nobis conſideratio, admiratio, terror, exclamatio: quia nulla penetratio. Ipſi autem quid? Gloria in ſæcula ſæculorum. Sive de vaſis in honorem, ſive de vaſis in contumeliam, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Alios coronat, alios damnat, nuſquam errat. alios probat, de aliis probat, omnes ordinat.* Illi gratias immortales agamus; non nobis, ſed ejus nomini gloriam demus. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* „ Ipſe omnia „ fecit, ipſe omnia quæ facta ſunt perpetuo regit. „ Omnes ad ipſum reſpicere oportet, pro iis quæ „ ſuppetunt gratias agentes, ejus vero in poſterum „ providentiam poſtulantes, & ut ſua in nobis dona „ cuſtodiat.

S. Aug. Serm. 15. Theodoret.

C A P U T XII.

Senſus Litteralis.

1. *OBſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* A doctrina fidei ad præcepta morum tranſit Apoſtolus ut legem per Evangelium perfici oſtendat. Cum ita ſe habeant quæ hucuſque docui de veſtra electione & vocatione, vos adhortor & obſecro per miſerationes Dei, per ampliſſima & ſuaviſſima beneficia quæ immenſa Dei miſericordia vobis contulit, ut exhibeatis, ſiſtatis, tradatis, non jam aliena corpora pecudum aut avium, ſed corpora veſtra, hoſtiam, non cæſam, ut legales victimas, ſed *viventem: ſanctam*, omni labe peccati carentem, *Deo dignam*, eus per baptiſma conſecrata ſunt, *Deo placentem*. Nullum enim ſacrificium Deo gratum eſt, ſi vita offerentium iniqua ſit. Cultus hic ſpiritualis eſt, quo Deus non jam externis ritibus & legalibus tantum ſacrificiis, ſed fide, ſpe & caritate colitur. „ Cum ſint (inquit Apoſtolus) innumera vo„ bis per miſerationes Dei in hac etiam vita colla„ ta bona, vel illas revereamini, vel illæ vos mo„ veant. Nam & illæ ſuppliciter obſecrant ne ali„ quid illis indignum faciatis. Quemadmodum ſi „ quis eum cui magna ſunt præſtita beneficia, pu„ dore ſuffundi volens, benefactorem ipſum ſuppli„ cem inducat. *Exhibete corpora veſtra hoſtiam viven„ tem* (inquit) ne quis putet quod præcipiat ma„ ctari corpora. Deinde hoſtiam hanc a Judaica „ diſcernens, *ſanctam* dicit, *acceptam Deo, rationa„ lem cultum*. Corporalis enim eſt Judaica illa, & „ non admodum accepta. *Quis enim*, inquit, *quæſi„ vit iſta e manibus veſtris?* Et alias ſæpenumero illas „ repellere ſe ſignificat, quæ a Judæis olim offere„ bantur, iſtam vero nequaquam; ſed cum daretur Judaica, hanc noſtram quærebat. *Non accipiam* (inquit) *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos . . . . Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo . . . Immola Deo ſacrificium laudis . . . Sacrificium laudis honorificabit me.*

S. Chryſoſt. Hom. 20.

2. *Et nolite conformari huic ſæculo; ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Ne vos ad figuram hujus mundi accommodetis, rebus terrenis inhærendo, quæ vanæ ſunt, fragiles, tranſitoriæ: Vel, Ne vitam ducatis ſimilem vitæ hominum hunc mundum diligentium, cujus erroribus, moribus, vanitati in baptiſmo renuntiaſtis: ſed ſtudete quotidianæ renovationi mentis, ut præcipue cogitetis, diligatis, quæratis ea quæ ſunt Spiritus, exercitia virtutum, opera nova; ut recto judicio guſtuque ſpirituali cognoſcatis quid vos velit facere Deus, quid a vobis poſtulet, quod vero bonum eſt, acceptum Deo, & perfectum. Noverant & Judæi voluntatem Dei bonam. Lex enim bona erat, ſed non per ſe beneplacens & perfecta: illis quippe data ut umbram habens futurorum bonorum, ut pædagogus rudibus & imbecillis, ut diſpoſitio ad Legem novam. *Perfecta autem voluntas & beneplacens eſt novum Teſtamentum*. „ Voluntatem Dei bonam aliter „ explicat Sanctus Baſilius apud Theophylactum. „ Multa vult Deus, alia quidem ad beneficentiam „ noſtram, quæ bona etiam dicuntur: alia vult pro„ pter peccata noſtra iratus, quæ & mala dicun„ tur, ut quæ nos affligant, etiamſi & horum finis „ bonus eſt. Bonas igitur Dei voluntates imitari „ debemus; non vero quæ ad afflictionem ſpectant. „ Non enim miniſtri malorum nos ſumus, ſed pra„ væ poteſtates. Primum igitur conſiderandum eſt, „ num res de qua agenda deliberamus, bona ſit. „ Nihil enim cum Dei voluntate conſentit, niſi „ quod ſecundum ſe bonum eſt. 2. Num ſit benepla„ cens: multa enim ſecundum ſe bona ſunt, quæ „ Deo grata non ſunt, temporis videlicet ſeu per„ ſonæ cauſa: verbi gratia, Deo incenſum adolere

Theophyl.

2. Parol. p. 26. 16.

„ bonum eſt: at iſtud cum faceret Ozias, diſplicuit „ Deo. Bonum erat Diſcipulis Domini in arcanis „ Myſteria inſtitui: ſed ante tempus, non bene- „ placens. *Non enim*, inquit, *poteſtis portare modo*, „ Cum autem bonum & beneplacens fuerit, danda „ eſt opera ut perfectum ſit, ita factum ut exigi- „ tor, non deficiens & mutilum. Exempli gratia: „ Oportet impertiri in ſimplicitate & cum libera- „ litate. Si parce fiat: non habet perfectam com- „ municatio iſta menſuram.

3. *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi; omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.* Edico & præcipio vobis omnibus fidelibus qui Romæ eſtis, auctoritate Apoſtolatus, quem Dei gratia, nullis meis meritis accepi: Ne quis ſupra modum ſe extollat, & ſibi plus quam par eſt tribuat; ſed de ſe modeſte ſentiat; ſeque contineat intra menſuram donorum cum fide donatorum; ne majora aggrediatur quam pro talenti ſui menſura; ne aliorum miniſterium & functiones obire præſumat. Nomine ſcilicet fidei hic intelligi dona viſibilia Spiritus ſancti; quæ in Eccleſiæ exordiis fidelibus paſſim conferebantur in Sacramento Confirmationis per impoſitionem manuum Apoſtolorum, perſpicuum eſt ex ſequentibus Verſibus. Secundum proportionem fidei dona unicuique a Deo dividebantur: Miniſteria vero & functiones unicuique in Eccleſia aſſignabantur pro ratione donorum. In ſingulis vocibus emphaſis eſt. *Unicuique*, non tibi ſoli contulit Deus dona cœleſtia, ne igitur ſupra alios te efferas; dedit *Deus*; gratis accepiſti, non ex meritis: ne igitur glorieris: *diviſit*, pro beneplacito ſuo, ne aliis invideas: diviſit *ſecundum menſuram*, portionem cuique dedit majorem vel minorem, prout ipſi viſum eſt; ſoli enim Chriſto *Spiritus non ad menſuram datus eſt*: ne limites tibi definitos tranſilias. *Menſuram fidei*: cauſa enim doni eſt fides, juxta quam miracula fiunt, atque ea ipſa Dei donum eſt, omniumque donorum initium & fundamentum, directrix & moderatrix. Igitur, *Unicuique ſicut diviſit Deus menſuram fidei*, id *eſt menſuram donorum ſuorum*, quæ ordinantur ad ædificationem fidei. Confer cum 2. *Corinth.* 10. 13. & *Epheſ.* 4. 7.

Quiſque ſe contineat intra menſuram donorum cum fide conjunctorum.

a. Joan. Chryſ. Homil. 20. Theophylact. Oecumen. S. Thomas Lect. 1.

4. 5. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Similitudinem inſtituit Apoſtolus corporis myſtici, ſcilicet Eccleſiæ, cum corpore naturali, ut unumquemque intra terminos ſuos continere ſe debere perſuadeat. Sicut enim in uno corpore humano multa membra habemus: omnia autem membra eamdem functionem non habent: ita quotquot ſumus Chriſtiani, unum corpus myſticum ſumus in Chriſto capite vitam gratiæ nobis ſubminiſtrante, noſque fidei, ſpei, caritatis, Sacramentorum, præceptorum, diſciplinæ vinculis connectente. *Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ unitate, & ſpei fœdere* (ait Tertullianus in Apologet.) Singuli autem alii aliorum membra ſumus, variis functionibus nos mutuo juvantia, nobiſque invicem indigentia. Confer cum 1. *Corinth.* 12. 12. Quemadmodum ergo unaquæque pars corporis non ſibi ſoli utilis eſt, ſed in commune affert utilitatem: ita etiam qui aliquod donum accepit, certo ſciat ſe illud communis utilitatis gratia accepiſſe.

Chriſtiani unum corpus in Chriſto.

6. 7. 8. *Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſive prophetiam ſecundum rationem fidei, ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate.* Cum autem varia dona habeamus, prout cuique Deus gratis largitus eſt, qui *Prophetiam* habet, id eſt eorum quæ occulta ſunt cognitionem & revelationem, ad quam & rerum futurarum prædictio, & donum interpretandi Scripturas ſacras pertinens, ea utatur ſecundum analogiam, proportionem & convenientiam fidei, id eſt, nihil ſapiat aut proferat quod a regula fidei diſcrepet, nihil quod non tendat ad confirmationem fidei. Unde Deuteron. 13. 1. dicit Dominus: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſerviamus eis: non audies verba Prophetæ illius*, quia ſcilicet prophetizat contra rationem fidei. Qui *Miniſterium* ſacrum habet in Eccleſia, nempe Epiſcopatum, Sacerdotium, Diaconatum, illius functiones cum modeſtia exerceat, nec alienis ſe ingerat. Qui *docendi* gratiam accepit, id eſt ea quæ norit ad ſcientiam ſalutis pertinentia aliis tradendi, & aptis, convenientibuſque verbis explicandi, eo talento ſibi a Deo concredito utatur ad Eccleſiæ utilitatem. *Qui exhortatur*, id eſt, qui exhortandi homines ad bonum, gratiam & talentum accepit, illo ſtrenue utatur, alios exhortando & excitando ad virtutem. *Qui tribuit*, qui facultatem & gratiam habet tribuendi eleemoſynas pauperibus, id faciat cum *ſimplicitate*, recta & ſimplici intentione, nullo reſpectu proprii commodi aut honoris, non quaſi homines ad malum donis alliciens, aut ex modico dato multo majora acquirere ſatagens: de quo genere hominum Eccleſiaſtici 20. 14. *Datum inſipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius ſeptemplices ſunt. Exigua dabit, & multa improperabit.* Qui *præeſt*, id eſt qui donum & munus Eccleſiaſtici regiminis, & curæ animarum accepit, diligenter, ſollicite, ſumma cum vigilantia muneri ſuo incumbat. *Qui miſeretur*, qui miſericordiæ operibus, ſeu corporeis, ſeu ſpiritualibus ſe impendit, quod omnium Chriſtianorum commune officium eſt; vel, qui miſeris curandis, ægrotis, exulibus, hoſpitibus præpoſitus eſt, alacri animo & hilari vultu id præſtet, *in hilaritate*. Confer cum 2. *Cor.* 9. 7. & cum *Eccli.* 35. 11.

Dona Dei diverſa, & bonus eorum uſus.

9. 10. 11. *Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono*: Dilectio ſeu caritas erga Deum & proximum ſit expers ſimulationis, vera ſit, ſincera; non verbis tantum, ſed intimo cordis affectu, & opere Deus & proximus diligantur. Dilectio pura ſit, ita diligatur proximus, ne illi ad malum conſentiatur umquam, immo vitia ejus odio habeantur. Dilectio denique honeſta ſit, ut propter ſolum bonum virtutis amicis adhæreat, idque non frigide probet, ſed ſummo ſtudio complectatur. *Caritate fraternitatis invicem diligentes.* Amore fraterno invicem diligamus, non tranſeunte & facile ſolubili, ſed continuo, permanente, & quaſi in naturam verſo per habitum caritatis. *Honore invicem prævenientes.* Mutuis honoris teſtimoniis & officiis, quantum in vobis eſt, vos prævenite, neminem deſpicientes, cuivis ultro cedere parati. *Sollicitudine non pigri.* Ne ignavi ſitis, ſed prompti & alacres ad ea præſtanda quæ ſunt officiorum veſtrorum; in omni opere bono, quo Deus colitur, & proximus juvatur, ſeduli ſitis. *Spiritu ferventes.* Caritate in cordibus veſtris a Spiritu ſancto diffuſa ſuccenſi & fervidi, agiles & prompti eſtote ad omnes officii veſtri partes implendas, & ad benefaciendum proximo quavis occaſione data, omnibus difficultatibus ſuperatis. *Domino ſervientes.* Non quæ veſtra ſunt quærentes, ſed Chriſti Domini gloriæ in omnibus ſervientes: & ad eam omnia opera veſtra referentes. Mendoſa lectio, quæ olim in quoſdam Codices irrepſerat, καιρῷ δουλεύοντες, *temporis ſervientes*. Nam τῷ κυρίῳ δουλεύοντες *Domino ſervientes*, habent probatiſſimi & vetuſtiſſimi Codices & Græca Scholia, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, S. Hieronymus, qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit, &c.

Caracteres caritatis.

12. 13. 14. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Spe vitæ æternæ animati, omnia pietatis opera, quantumvis difficilia, cum gaudio peragite, quin etiam perſecutiones & adverſa quæque forti animo tolerate. *Orationi inſtantes.* In oratione aſſidui & perſeverantes eſtote. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.* Bonorum veſtrorum communicatione ſubvenite indigentiæ fratrum veſtrorum Chriſtianorum. Mendoſa lectio, quæ olim in quoſdam Codices irrepſit, *Memoriis ſanctorum communicantes*, quam Optatus Milevitanus, lib. 2. contra Parmenian. & S. Hilarius lib. ad Conſtantium Auguſtum ſequuntur: ſed ſummus Græcorum & Latinorum Codicum, Syriacæ Verſionis, omniumque tum Græcorum cum Latinorum Commentatorum conſenſus & S. Hieronymi divina Bibliotheca, Vulgatæ noſtræ lectionis fidem confirmant. *Hoſpitalitatem ſectantes.* Hoſpitalitatem ſtudioſe exercete erga Chriſtianos hoſpitio egentes, illis occurrite, ipſos invitate, & præ modeſtia recuſantes cogite ut apud vos maneant. Hæc vis [illegible] Græci verbi διώκειν, quod ſignificat perſequi, & quaſi fugientem apprehendere. *Benedicite perſequentibus vos: Benedicite, & nolite maledicere.* Bene precamini iis qui vos perſequuntur, pro illis Deum ex animo orate: bona, inquam, ipſis optate, & ne umquam ipſis mala imprecemini, ne maledictum pro maledicto reddatis.

Sympathia ſpiritualis Chriſtianorum.

15. 16. *Gaudete cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Ea ſit inter vos ſympathia ſpiritualis, ut proximorum proſpera vel adverſa æque vos ac illos afficiant, quod poſtulat membrorum ejuſdem corporis myſtici ſocialis communio, quod fraterna caritas exigit. Confer cum 1. *Corinth.* 12. 26. Congaudete in rebus dumtaxat honeſtis, in malis condolete: hoc enim miſericordiæ ſignum eſt; illud vero amicitiæ, quæ ab invidiæ vitio aliena eſt. *Idipſum invicem ſentientes*, Concordes inter vos eſtote atque unanimes

17

S. Ierom. Chryſoſt. Theophylact. Oecum.

in bono. Vel, *Idem erga vos mutuo ſentite*, nec quia quiſquam opibus, honore, potentia, nobilitate generis, ingenio, ſcientia, induſtria aliis præſtat, ideo meliorem ſe putet, aut alteri præponendum, cui hæc deſunt; cum omnes Chriſtiani pariter ſumus, ejuſdem corporis membra, ejuſdem gloriæ hæredes, ejuſdem felicis æternitatis candidati. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.* Ne de vobis arroganter ſentiatis, ſed humilibus, id eſt, abjectæ ſortis hominibus, pauperibus, indoctis, & quibuslibet vobis inferioribus, vos accommodate, & ad illos Chriſtiana humilitate condeſcendite. Syriaca Verſio hunc ſenſum reddit: *Quæ ſentitis de vobis ipſis, eadem de fratribus veſtris ſentite: nec ſentiatis elata mente, ſed accommodate vos iis qui ſubmiſſi ſunt.* Arabica: *Tenentes eamdem ſententiam alter erga alterum. Et ne ſentiatis opiniones elatas, ſed humilibus morem gerite.* Æthiopica: *Conformes eſtote ei qui ſe deprimit.* Romanos rerum dominos gentemque ſuperbam Apoſtolus ad humilitatem informat, ſine qua concordia ſervari non poteſt, quia inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia. *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Ne vos ita perſpicaces & prudentes in rebus agendis exiſtimetis, ut veſtra vobis conſilia ſufficere, nec alienis vos opus habere præſumatis.

S. Chryſoſt. Theodoret.

17. *Nulli malum pro malo reddentes.* Nemini malum pro malo reddere ex odio vel vindicta. Confer cum Pſal. 7. 5. & 1. Petri 3. 9. *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Curate ut non ſolum coram Deo juſte & ſancte vivatis, cui conſcientia veſtra manifeſta eſt, ſed ut vita veſtra & converſatio omnibus hominibus probetur, ut nemo veſtris moribus & actionibus offendatur, contra vero veſtræ virtutis exemplis ædificentur univerſi. In Græco textu hæc verba non habentur, *non tantum coram Deo ſed etiam*, hunc in modum legitur: προνοούμενοι καλὰ ἐνώπιον πάντων. Id eſt, *Providete bona coram omnibus hominibus.* Ita legerunt Origenes, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & Syrus Interpres. Hæc verba, *non tantum coram Deo*, ſunt quidem Apoſtoli, ſed huc tranſlata videntur ex 2. *Corinth.* 8. 21.

Nemini malum pro malo reddendum.

18. 19. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Si fieri poteſt, ſalva veritate, juſtitia, pietate, cum omnibus hominibus, etiam inimicis, & qui oderunt pacem, quantum in vobis eſt, amici eſtote, & pacem conſervare ſtudete, nullam diſſenſionis, contentionis, rixæ, vel belli præbentes occaſionem. *Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ.* Ne voſmetipſos ulciſcamini, ſed date locum ſeu ſpatium iræ, ſeu veſtiæ, ut deferveſcat ac ſedetur; ſeu furentis adverſarii, ne iram illius contra ipſum jurgando vel repercutiendo magis accendatis & exacerbetis: ſeu potius iræ & judicio Dei, quod patienter expectandum. Vindictam ergo quam ſibi Deus ſervat opportuno tempore, ne præoccupetis. Verumtamen, inquit S. Thomas, cum aliquis auctoritate judicis vel vindictam quærit ad comprimendum adverſarii malitiam, & non propter odium; vel etiam cum Superioris auctoritate ſuam defenſionem procurat, intelligitur locum dare iræ, id eſt divino judicio, cujus miniſtri ſunt principes. Unde etiam S. Paulus procuravit ſe per armatos defendi contra Judæorum inſidias, ut refertur *Actuum* 23. Vindictam ergo privata auctoritate repeti, aut ex ira vel odio illam apud Magiſtratus urgeri, ſolum vetat Apoſtolus, & per Apoſtolum Dominus: pati vero omnes furentium inimicorum injurias & impetus, quando illos repellere & reprimere poſſunt cum exceptione inculpatæ tutelæ, Chriſtianis præceptum non eſt abſolute, & in quibuſvis locorum, temporum, perſonarum „ & negotiorum circumſtantiis. „ Sunt „ iſta præcepta patientiæ (ut nimirum percutienti „ unam maxillam, altera præbeatur) ſemper in cor„ dis præparatione retinenda, & ipſa benevolentia, „ ne reddatur malum pro malo, ſemper in volun„ tate complenda eſt: agenda ſunt autem & mul„ ta etiam cum invitis benigna quadam aſperitate „ plectendis.

Cum omnibus pax ineunda.

S. Thomas Lect. 3.

S. Auguſt. Epiſt. 138. alias 5. ad Marcellinum.

19. *Scriptum eſt enim: Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.* Ad me ſpectat ultio injuriarum, qui ſupremus ſum omnium hominum judex, ultionum Dominus. Scriptum eſt autem Deuteron. 32. 35. *Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore.*

20. 21. *Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi.* Tantum abeſt ut vindicta ſumenda ſit; quin etiam inimicis, non ſolum in extrema, ſed in gravi neceſſitate poſitis, ſubveniendum eſt. Cibi & potus, ac ſubſidii cujoslibet neceſſarii, quod duobus illis notiſſimis exemplis indicatur, per humana & liberali ſubminiſtratione: quia tale negare ſubſidium, vindicta quædam eſt, *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius.* Id ſi feceris, collatis ipſi beneficiis, quaſi congeſtis carbonibus, pœnitentiæ gemitus in illo excitabis, quibus ſuperbia ſanetur ejus qui dolebit ſe inimicum fuiſſe hominis, a quo ejus miſeriæ ſubvenitur: & cor ejus fervore caritatis excoctum & emollitum ad te redamandum ſuccendes. Vel: Si id feceris, ille vero patientia tua & beneficientia non vincatur, nec ad meliorem mentem redeat, gravis eum pœna manet in judicio Dei. Confer cum Proverb. 25. 21. 22. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere, prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Et cum Pſal. 17. 19. *Aſcendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Et Pſal. 139. 11. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent.* Et 4. Eſdræ apocryphi quidem libri cap. 16. 54: *Non dicat peccator, ſe non peccaſſe: quoniam carbones ignis comburet ſuper caput ejus qui dicit, Non peccavi coram Domino Deo & gloria ipſius.* Hanc poſtremam interpretationem ſpectat Tertullianus lib. De Patientia: *Plus, inquit, improbum illum cædis ſuſtinendo. Ab eo enim vapulabit, cujus gratia ſuſtines.* Et S. Cyprianus ad Demetrianum: *Patientes facit de futura ultione ſecuritas.* Verumtamen quia malum eſſet inimico benefacere eo fine ut illi Deus iraſcatur, & mala quæ tibi intulit, vel inferre conatus eſt, in caput ipſius, quaſi carbones ignitos, convertat, addit Apoſtolus: *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* Ne te vinci permittas a malitia inimici tui, quod fiet, ſi te ipſum ulciſcaris aut ulciſci velis: ſed patientia tua & beneficentia vince illius malitiam: vincetur autem illius malitia, ſi tua in illum caritate & beneficiis tractus, ex inimico amicus fiat.

Inimicis ipſis ſubveniendum.

S. Hieron. Epiſt. 151. ad Hedibiam Quæſt. 1. & lib. 7. in Proverbia. ad c. 25. S. Auguſt. lib. 3. De Doctr. Chriſt. cap. 16. & alibi. S. Joan. Chryſoſt. Hom. 22. Theodoret. Theophylact. Oecumen. & Photius ab eo citatus.

CAPUT XII.

Senſus Moralis.

OBſecro itaque vos, fratres, *Per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Sicut juſtitia fidei ſucceſſit juſtitiæ legis, ita ſacrificia fidei ſacrificiis legis ſucceſſerunt. Pro victimis ergo animalium mortuorum, quæ Deo per ſe non placebant, nec ſanctos faciebant offerentes, exhibeamus & ſiſtamus corpora noſtra Deo viventia, ſanctificata & conſecrata per Spiritum ejus, illique accepta & placentia ut membra Filii ejus unigeniti Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut victimas ſpirituales, quas illi fides offert in ſacrificium bono uſu & mortificatione Chriſtiana ſenſuum. „ Verum „ *enim* ſacrificium eſt omne opus quod agitur, ut „ ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſci„ licet ad illum finem boni, quo veraciter beati „ eſſe poſſimus. Unde & ipſa miſericordia quæ „ propter Deum non fit, non eſt ſacrificium. Ipſe „ autem homo Dei nomine conſecratus, in quan„ tum mundo moritur, ut Deo vivat, ſacrificium „ eſt. Nam & hoc ad miſericordiam pertinet, quam „ quiſque in ſe ipſum facit. Propterea ſcriptum eſt, „ *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Corpus etiam no„ ſtrum cum per temperantiam caſtigamus, ſi hoc, „ quemadmodum debemus, propter Deum faciemus, „ ut non exhibeamus membra noſtra arma iniqui„ tatis peccato: ſed arma juſtitiæ Deo, ſacrifi„ cium eſt, *Obſecro vos ut exhibeatis corpora veſtra* „ *hoſtiam viventem.* Et quomodo, inquies, corpus „ hoſtia fiet? Nihil mali reſpiciat oculus, & factus „ eſt hoſtia. Nihil turpe loquatur lingua, & facta „ eſt oblatio. Nihil iniqui committat manus, & „ facta eſt holocauſtum. *Immo non ſufficiunt iſta, ſed* „ *ut bona etiam faciamus, opus eſt nimirum ut* Elee„ moſynam faciat manus; calumnias inferentibus „ benedicat os, auditus divinis continuo ſermoni„ bus vacet. “ Nihil habet immundi hæc hoſtia: „ aliorum primitias complectitur. Et nos igitur tam „ manuum, quam pedum, tam oris, quam omnium „ aliorum primitias Deo reddamus. Talis hoſtia Deo „ placet, cum interea Judæorum immunda etiam „ fuerit. *Sacrificia enim eorum panis ſunt luctus ipſis:* „ ſed hoſtia noſtra non ſic. Illa quod conſecratum „ eſt & oblatum, mortuum: iſta vero vivum facit. „ *Quando enim membra noſtra mortificaverimus, tunc* „ *demum vivere poterimus.* Nova ſiquidem hujus ſa„ crificii noſtri lex eſt. Atque ideo mirabile etiam „ eſt hoc ignis genus. Neque enim lignis opus ha„ bet, aut alia ejuſmodi materia ſubjecta: ſed in „ ſe ipſo noſter ignis vivit, nec victimam combu-

Corpora noſtra in ſacrificium offerenda bono uſu & mortificatione ſenſuum.

S. Auguſt. lib. 10. De Civit. Dei cap. 6.

Eccli. 30. 24.

S. Joannes Chryſoſt. Hom. 20.

„ ſit, ſed magis vivificat, *Exhibete corpora veſtra*. Non ait, Facite corpora veſtra hoſtiam, ſed, *Exhibete*, ac ſi diceret. Nihil deinceps commune vobis ſit cum ipſis, ſiquidem in jus alterius illa transcripſiſtis, nec amplius ſunt veſtri juris. Nam & illi qui equos bellicoſos Regi, aut aliis dederunt, nullum amplius in illos jus habent. Et tu igitur membra tua ad bellum quod contra diabolum eſt exhibuiſti, nefas eſt ut ad proprias operas illa retrahas. Aliud quoque nobis innuit Apoſtolus, nimirum quod oporteat illa probata facere, ſiquidem ea ſumus exhibituri Deo; non tantum ad prælium, ſed ad inhabitationem. Quoniam igitur membra tua Deo ſiſtere debes ut hoſtiam, omnem ab illis maculam auferre cura. Nam ſi maculam habuerint, hoſtia non erunt. Neque enim offerri poterit oculus ſcortationi ſerviens, neque manus rapiens ac defraudans, nec pedes claudicantes ac theatra adeuntes, nec venter deliciis ſerviens voluptatumque deſideria inflammans, nec cor iram aut amorem fornicarium fovens. Opus fuerit propterea corpus noſtrum diligenter ab ejuſmodi mendis curare. Nam ſi qui veteres hoſtias offerebant, jubebantur omnia prius conſiderare, nec quod auribus eſſet inciſis, aut cauda mutilata, aut ſcabioſum, aut impetiginem habens, permittebantur offerre; multo magis nos, qui non irrationales oves, ſed nos ipſos offerimus, majorem oportebit impendere diligentiam, atque ea omni parte mundos eſſe, ut & nos cum Paulo dicere poſſimus: *Ego enim jam delibor*. Erat enim quavis hoſtia purior, unde & libamen ſeipſum vocavit. Erit autem hoc, ſi veterem hominem ſuſtulerimus, ſi membra noſtra quæ ſunt ſuper terram mortificaverimus, ſi mundum nobis ipſi crucifixerimus. Ita neque gladio deinceps, neque altari, neque igne opus habebimus: immo omnibus iſtis; ſed non manufactis. De ſurſum eſt ignis, deſurſum gladius, altare noſtrum erit ipſa cœli latitudo. Si enim Eliæ ſenſibilem & corporalem hoſtiam offerenti delata deſuper flamma omnia conſumpſit, & aquam, & ligna, & lapides: multo magis hoc in tua oblatione fiet. Et ſi habueris fluxum quid ac temporale, obtuleris autem hoſtiam tuam mente recta: adveniens Spiritus ſancti ignis & temporale illud conſumet, & oblationem omnem perficiet. Quid vero eſt rationalis cultus? Spiritalis ſervitus, converſatio vitæ juxta Chriſtum inſtitutæ. Quemadmodum igitur qui in domo Dei ſervit, & ſacris addictus eſt, qualiſcumque is fuerit, contrahitur, ac ſeverior, caſtiorque redditur: " *ita & nos oportet omnem vitam diſpoſitam habere, quemadmodum cultores Dei ac ſacerdotes. Erit autem hoc, ſi pecunias tuas illi ſingulis diebus obtuleris, ſi proprii corporis Sacerdos fueris, & ejus quæ juxta mentem eſt virtutis: utpote quando modeſtiam, eleemoſynam, manſuetudinem, patientiam obtuleris. Hæc enim faciens, rationalem cultum offers; hoc eſt, nihil habentem corporei, nihil craſſi*. Ad hoc quilibet Chriſtianus Sacerdos eſt, communi ſcilicet Sacerdotio, de quo 1. Petri 2. 9. *Regale Sacerdotium, gens ſancta*; & Apocal. 1. 6. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo*.

3. Reg. 18.

2. *Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Non corpus modo, ſed animus præcipue Deo in ſacrificium offerendus eſt, ut idem ſit ſacerdos & victima ſpiritualis ſacrificii ſui. Primus hujus ſacrificii gradus eſt, renuntiare mundo, ita ut illius moribus non conformemur per cupiditatem, ſed in Chriſtum transformemur per caritatem. „ Nam ſi corpus, quo inferiore tamquam famulo vel inſtrumento utitur anima, cum ejus bonus & rectus uſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt; quanto magis anima *ipſa, cum ſe refert ad Deum, ut igne amoris ejus accenſa formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ ſubdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulcritudine acceperit, ſit ſacrificium?* „ Nolite conformari huic ſæculo, &c. *Prohibitio eſt, Nolite conformari huic ſæculo: juſſio autem, ſed reformamini in novitate mentis veſtræ. Illud pertinet ad non concupiſcere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad juſtitiam; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiſcendo enim vetuſtate exſpoliamur, & novitate induimur diligendo. Sed nec quiſquam poteſt eſſe continens, niſi Deus det: & caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per nos ipſos, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hoc autem fit de die in diem in iis, qui volendo, & credendo & invocando proficiunt, & præterita obliviſcentes in ea quæ ante ſunt extenduntur. Ad hoc enim lex iſta præcipit, ut cum in his implendis homo deficeret, non ſe extollat ſuperbia tumidus, ſed ad gratiam confugiat fatigatus; ac ſic eum ita terrendo, ad Chriſtum diligendum Pædagogi perducat officio.*

Non ſolum corpus, ſed animus imprimis Deo in Sacrificium offerendus eſt.

S. Auguſt. lib. 10. De Civit. Dei, cap. 6.

Idem lib. De Perfectione juſtitiæ hominis cap. 5.

Sap. 8. 21. Rom. 5. 5.

„ *Nolite conformari huic ſæculo*. Oſtendit Apoſtolus eſſe quamdam formam hujus ſæculi, & aliam eſſe ſæculi futuri: & ſi qui ſunt qui amant præſens ſæculum, & ea quæ ſunt in hoc mundo, ſecundum formam ſæculi præſentis aptantur, de quo ſcriptum eſt, *Præterit figura hujus mundi*. Qui vero non reſpiciunt *ea quæ videntur, ſed quæ non videntur, & æterna ſunt*, transformantur & renovantur ad futuri ſæculi formam. Et inde fit ut non agnoſcat eos hic mundus, ſed odio habeat & perſequatur; ſed agnoſcant angeli Dei, qui ſunt de ſæculo venturo. Vide ne forte cum venerit ira in cor tuum, conformem te facias huic ſæculo; ſimiliter & concupiſcentia mala, & avaritia, & cetera quibus præſens ſæculum delectatur, formam tibi ſæculi præſentis imponant. Si vero e contrario, manſuetudo, patientia, lenitas, continentia, fides, veritas, ceteræque virtutes habitent in mente tua, conformem te futuro ſæculo facient, & ita pulchram animæ tuæ ſpeciem reddent, ut Verbum Dei quod eam ſibi deſpondit in miſericordia & fide, dicat ad eam: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te*.

Origenes l. 9. in Epiſt. ad Rom.

1. Cor. 7. 31.

2. Cor. 15.

Sed reformamini in novitate ſenſus veſtri. Quotidie te ipſum renova. „ Quemadmodum in ædibus, inveteratas perpetuo reſtituimus, ita & in te ipſo facias. Peccaſti hodie? Inveteraſti mentem tuam? Ne deſperes, ſed renova ipſam pœnitentia, lacrymis, confeſſione, bonorumque operum ſtudio. Id autem facere numquam intermittas. Cupiditas cæca eſt, & mundum excæcat; eam ne conſulatis, ne audiatis; ſed fidei & caritatis lumine ducamini. *Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Voluntati Dei agnoſcendæ & implendæ, quantum in nobis eſt, ſtudere debemus. Voluntas Dei ſanctificatio noſtra, ſalus noſtra. Et qui ſunt (inquies) qui non agnoſcant quæ ſit voluntas Dei, & quæ ſibi utilia ſint ad ſalutem? „ Qui præſentibus rebus afficiuntur, qui divitias amant, & divites beatos exiſtimant; qui paupertatem vilipendunt, qui dignitates & honores ambiunt, qui mundi gloriam ſectantur, qui ſe ipſos magnificiunt. Quæ ſunt quæ Deus vult? Ut in paupertate vivamus, in humilitate, in contemptu gloriæ, in temperantia, non in deliciis; in tribulatione, non in quiete; in luctu, non in riſu. Sed multi ſunt qui iſta tamquam malum omen averſantur, tantum abeſt ut putent utilia eſſe ad ſalutem, & ea Dei voluntate: atque ideo huic ſæculo nequam ſemper conformantur, nec renovantur mente, ut recte de officiis Chriſtianæ vitæ, ſuique ſtatus judicent. Porro „ Niſi renovatus ſit ſenſus, & totus Dei ſapientia illuminatus, probare non poteſt quæ ſit voluntas Dei. In multis enim putatur eſſe voluntas Dei, & non eſt. In quo is utique qui ſenſum non habet renovatum, errat & fallitur. Eſt autem revera non cujuſcumque ſenſus, ſed valde renovati, & ad Dei jam imaginem reformati, probare in ſingulis quibuſque quæ agimus, quæ loquimur, quæ cogitamus, ſi ſit voluntas Dei, & nihil omnino vel agere, vel dicere, vel cogitare, quod voluntati Dei non ſenſerit convenire.

S. Chryſoſt. Hom. 10. in hanc Epiſt.

Voluntati Dei agnoſcendæ & ad implendæ, ſtudere debemus quantum in nobis eſt.

Origen. l.

Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. *Bona in ſe, placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil ultra quærentibus*.

S. Bernard, lib. 5. De Conſiderat. cap. 4.

Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, id eſt, qua vult bonum honeſtum nos velle, & ad hoc ſuis præceptis nos inducit. Michææ 6. 8. *Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo*. Dicitur voluntas Dei *beneplacens*, quatenus delectabile eſt animo bene diſpoſito id quod Deus vult nos velle. Pſalm. 18. 9. *Juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda*. Hæc eſt illa ſuavitas, quam Dominus dat, ut terra „ noſtra det fructum ſuum; ut bonum vere bene, id eſt, non mali carnalis formidine, ſed boni ſpiritalis delectatione faciamus. Voluntas Dei *perfecta* eſt, quatenus Deo ut fini ultimo nos conjungit. Genes. 17. 1. *Ego Deus omnipotens: Ambula coram me, & eſto perfectus*. Et Matth. 5. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. „ Talem experiuntur Dei voluntatem illi qui non conformantur huic ſæculo, ſed reformantur in novitate ſenſus ſui. Illi autem qui in vetuſtate permanent, ſæculo conformati, judicant Dei voluntatem non eſſe bonam, ſed gravem & inutilem. Eccleſiaſtici 6. 21. *Quam aſpera eſt*

S. Thoma. Lect. 1.

S. Auguſt. Serm. 22. Pſalm. 118.

S. Thomas.

Digitized by Google

ra eſt nimium ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors.

Origenes.

3. *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos; Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* „ Non in ſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed per gratiam quæ ſibi data eſt, Romanos Apoſtolus ad virtutem hortatur. Eſt enim multa differentia per gratiam loquentis, & per humanam ſapientiam. Ex rebus ipſis ſæpe compertum eſt, nonnullos eloquentes & eruditos viros, non ſolum in ſermone, ſed & in ſenſibus præpotentes, cum multa in Eccleſiis diſerint, & ingentem plauſum laudis acceperint, neminem tamen auditorum ex his quæ dicta ſunt compunctionem cordis, nec accipere proficere ad fidem, nec ad timorem Dei ex recordatione eorum quæ dicta ſunt incitari, ſed ſuavitate quadam & delectatione ſola auribus capta diſceditur: ſæpe autem viros non magnæ eloquentiæ, nec compoſitioni ſermonis ſtudentes, verbis ſimplicibus & incompoſitis multos infidelium ad fidem convertere, ſuperbos inclinare ad humilitatem, peccantibus ſtimulum converſionis infigere. Et hoc utique ſignum eſt, ſicut Apoſtolus dicit, per gratiam loqui quæ data eſt ei. Alia ergo eſt virtus ſermonis, qui per gratiam dicitur, & alia vis doctrinæ quæ poteſtas vocatur. Alius ſermo eſt ex eruditione communi, qui quamvis lautus ſit & arte compoſitus, tamen ſi non per gratiam vel dicitur vel ſcribitur, delectare fortaſſis poteſt legentem; adducere autem ad profectum non poteſt auditorem. *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

Loquentium per gratiam, & loquentium per humanam ſapientiam diſcrimen.

S. Chryſoſt. Hom. 20. in hanc Epiſt.

„ His verbis humilitatem commendat Apoſtolus Dominum imitatus. Quemadmodum enim ille Sermonem in Monte habitum hinc exorſus eſt, dicens, *Beati pauperes ſpiritu*: ita & ipſe Paulus, moralem hujus Epiſtolæ partem ab humilitate orditur, ac monet ne quis arroganter de ſe ſentiat, eſt enim iſtud voluntas Dei: ſed ita ſentiat ut modeſtus ſit. Alioquin ſanæ mentis non eſt. Iis enim qui natura ſtulti ſunt miſerior eſt homo ſuperbus & arrogans. Natura ſiquidem ſtultum eſſe nihil habet criminis, de ſe magnifice vero ſentiendo ſtultum fieri, venia caret, majuſque affert ſupplicium. Quam ſtulti ſunt qui Dei donis efferuntur & inſoleſcunt! Nam ſi principium ſapientiæ eſt timor Domini, principium ergo ſtultitiæ erit non cognoſcere Dominum. Si ergo cognoſcere, ſapientia eſt, non cognoſcere vero ſtultitia, ſequitur quod extrema ſtultitia eſt ſuperbia. Qui Dei donis ad ſuperbiam abutuntur, accenſæ ſtupæ ſimiles ſunt, quæ poſt incendium tumidum quid eſſe, & in neſcio quid præcipui immutata videtur, modicum vero paſſa contactum totum amiſit, omni cinere vilior apparens. Tales ſunt illorum animi. Nam & illorum inanem inflationem ſi facilis quidam contactus apprehenderit, humiliare dejicereque poterit. Oportet enim omnino ut infirmus ſit, qui arrogans eſt. Altitudo ſiquidem valida non eſt: ſed quemadmodum aquaticæ ampullæ facile rumpuntur, ita & illi facile pereunt .... Humilitatem igitur exerceamus. Nihil enim illa potentius: ſed & petra eſt fortior, adamante ſolidior, & in majori nos ſecuritate collocat, quam queant vel turres, vel orbes, vel muri, omnibuſque diaboli machinamentis ſublimior facta; contingere volentibus inſuperabiles facit. Ne igitur Dei donis extollamur, immo humiliores efficiamur, cum nobis a Deo liberaliter data ſint; noſque rationibus reddendis magis obnoxios faciant. Contineamus nos intra fines a Deo nobis conſtitutos. Ordinem vocationis noſtræ prætergredi, talenti & gratiæ, quam nobis Deus impertitus eſt, menſuram excedere velle, temeritatis eſt & arrogantiæ. *Omnibus dico*, (communis enim hæc lex eſt, quandoquidem Dominica eſt) *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.* Humilitas & fides ſpiritalis ædificii diverſa ratione fundamenta ſunt: humilitas, quatenus expellit ſuperbiam cui Deus reſiſtit, & præbet hominem ſubditum & patulum ad ſuſcipiendum influxum divinæ gratiæ, in quantum evacuat inflationem ſuperbiæ. Se ipſo plenus eſt homo ſuperbus, hanc plenitudinem evacuat humilitas, ut fides per quam primus eſt acceſſus ad Deum, & quæ hac ratione fundamentum eſt virtutum cæterarum, in profundo cordis abſcondatur & collocetur. Igitur fides ſecundum menſuram humilitatis a Deo donatur: gratiæ ac dona ſecundum fidei menſuram unicuique diviſam impertiuntur. *Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

Stulti ſunt, qui de ſe humiliter ac modeſte non ſentiunt.

Humilitatem vires.

Humilitas & fides, Spiritualis ædificii fundamentum diverſa ratione.

S. Thomas Secunda Secundæ Quæſt. 161 Art. 5. ad 2.

S. Cyprian.

4. 5. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Iſtud totius Chriſtianæ Religionis principium eſt, quod diſcrimen ejus a Judaiſmo complectitur, clavis Scripturarum, veritatum fidei, Ordinis hierarchici, regularum caritatis & converſationis Chriſtianæ. *Hoc eſt ſacrificium Chriſtianorum. Multi unum corpus ſumus in Chriſto. Quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Eccleſia, ubi ei demonſtratur, quod in ea re quam offert, ipſa offeratur.* Caput noſtrum Chriſtus eſt, qui nos in unitatem corporis ſui per gratiam ſuam vocavit, ſibique per Spiritum ſanctum copulavit. Grato in illum animo ſimus, illi nos omnia debere, nihil ſine illo nos poſſe profiteamur; illi per caritatem ita cohæreamus, nunquam ut ab illo ſeparemur. *Totus Chriſtus caput & corpus. Caput ille Salvator corporis qui jam aſcendit in cælum: corpus autem Eccleſia, quæ laborat in terra.* „ Hoc autem corpus niſi connexione caritatis adhæreret capiti ſuo, ut unus fieret ex capite & corpore, non de cœlo perſecutorem corripiens diceret, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Quando eum jam in cœlo ſedentem nullus homo tangebat, quomodo eum Saulus in terra ſæviens adverſus Chriſtianos aliquo modo injuria percellebat? Non ait, Quid ſanctos meos, quid ſervos meos; ſed, *Quid me perſequeris*, hoc eſt, quid membra mea Caput pro membris clamabat, & membra in ſe caput transfigurabat. Admirabilis hujus unitatis Myſterium, qua multi unum corpus ſumus in Chriſto, evidentius exprimit nobis Apoſtolus noſter: *Sicut enim*, inquit, *corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.* Loquens de membris Chriſti, hoc eſt de fidelibus, non ait, Sic & membra Chriſti, ſed totum hoc quod dixit, Chriſtum appellavit: Sic & Chriſtus membra multa, unum corpus. Ergo ſimul omnes nos cum capite noſtro Chriſto, ſine capite noſtro nihil valentes. Quare? Quia nos cum capite noſtro vitis: ſine capite noſtro, quod abſit, ſarmenta præciſa, non alicui operi agricolarum, ſed igni tantummodo deſtinata. Ideo & ipſe in Evangelio, *Ego ſum vitis, vos palmites, Pater meus agricola eſt*: &, *Sine me nihil poteſtis facere*, Domine, ſi ſine te nihil, totum in te. Etenim quicquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Poteſt ille multum & totum ſine nobis, nos nihil ſine ipſo.

Unitatis Chriſti capitis & membrorum ejus admirabile Myſterium.

S. Aug. l. 10. De Civit. Dei, cap. 6.

S. Auguſt. Enarr. 2. in Pſalm. 30.

Act. 9. 4.

1. Cor. 12. 12.

Joann. 15. 5.

Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Excellentioribus myſtici corporis membris reverentiam majorem exhibeamus, omnibus honorem, caritatis affectum, concordiam, miniſterium & mutuum adjutorium, in iis præſertim quæ ſalutem æternam ſpectant, ſiquidem *ſinguli* ſumus *alter alterius membra*. Dixit olim Philoſophus quidam Ethnicus, *Nemo alteri vivit, moritur ſibi*. Sed Chriſtianus ſibi ſoli non vivit, cæteris enim Chriſti membris, quorum & ipſe membrum eſt, ſervire debet ad ſalutem; ſi quæ talenta accepit a Chriſto, in communem utilitatem impendere, cæteris membris indigentibus, de facultatibus ſuis, conſilio, adhortatione, ſpiritualibus correptionum medicamentis, conſolatione in adverſis rebus, bonis exemplis, & quocumque poteſt modo, ſive corporaliter, ſive ſpiritualiter opitulari & ſubvenire, quoniam ſumus *ſinguli alter alterius membra*.

Mutuam ſibi debent opem Chriſtiani ut ejuſdem corporis membra.

6. 7. 8. *Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, ſive prophetiam ſecundum rationem fidei, ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate.* Pro donis quæ nobis per Dei gratiam collata ſunt gratias agamus humillimas: illis utamur ad eum finem propter quem nobis data ſunt, ad Dei gloriam, ad ædificationem Eccleſiæ, ad proximorum utilitatem, ad noſtram ſanctificationem, quæ ſine caritate & humilitate perfici non poteſt. „ Videmus nonnullos accepiſſe gratiam doctrinæ vel exhortationis ad plebem, & ex hoc ipſo in ſuperbiam elatos, in judicium incidiſſe diaboli: alios accepiſſe quidem gratiam, ſed negligentia animi, & vitæ deſidia corrupiſſe: quorum typus erat ille qui acceptum talentum in ſudario colligavit, nec operari ex eo aliquid voluit. Propterea Apoſtolus ad Timotheum ſcribit: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt*: tamquam ſciens poſſe gratiam per negligentiam deperire. Non ex ſolis porro liberi arbitrii viribus pendet bonus talentorum & donorum uſus, ſed ex gratia quæ da-

Dei donis ad ejus gloriam & proximorum utilitatem utendum eſt.

Origenes.

1. Timoth. 4.

ta eſt

ta eſt nobis : nec tamen ſic ex gratia pendet, ut non cooperemur, & ſecundum fidei caritatiſque menſuram gratiam promereri non poſſimus ampliorem. Igitur qui donum verbi, ſeu talentum prædicationis, & explicationis ſacrarum litterarum a Deo accepit, eo utatur ad ædificationem fidei, ad converſionem peccatorum, ad ſalutem animarum, non ad auram popularis gloriæ captandam, utatur non ut ſibi aditum aperiat ad beneficia & dignitates Eccleſiaſticas; ſed ut homines ad Chriſtum adducat, fidei regulas, analogiam, œconomiam, Moralis & Diſciplinæ Chriſtianæ principia & ſingula capita probe intelligat, & ex Scripturis ſacris, & Traditione collecta aſſidua meditatione revolvat, ut ex iis fidem gignat, nutriat, roboret, defendat; moreſque hominum informet; deſtruat errorem, eradicet cupiditatem, accendat caritatem. Sanctimoniam, zelum, auſteritatem, fortitudinem Prophetarum imitetur. Concionatores enim veluti Prophetæ ſunt novæ Legis. *Sive prophetiam ſecundum rationem fidei*. Qui ad Miniſterium Eccleſiaſticum vocatus eſt, ut Chriſti gregem regat, & paſcat, ita incumbat in functiones miniſterii ſui, ut negotiis ſæcularibus ſe non implicet, nec poſtpoſita gregis cura verſari magis amet in Aula & obſequiis Principum, quam in ſtatione ſua reſidere, & omnes ſacri Miniſterii partes implere: quod recte Miniſterium ab Apoſtolo vocatur, non principatus; quia ſervire & conſulere debent populorum ſaluti, & ſe totos ad ſanctum illud opus impendere, ut Chriſti cooperatores, qui ad Epiſcopatum aut Sacerdotium, ſeu ad quaſvis Præfecturas ſacras vocati ſunt; non honorem & dominationem quærere & amare. *Sive miniſterium in miniſtrando*. Qui docendi donum accepit, doceat rem non ingenii, ſed doctrinæ; quod ſibi traditum, non quod a ſe inventum; quod in Eccleſia didicit, quam ex depoſito Eccleſiæ accepit doctrinam, populis fideliter explicet; docilitatem & humilitatem cum doctrina conjungat; ab Eccleſia, quæ magiſtra veritatis eſt, a Romano Pontifice, Veritatis Interprete, omnium Chriſtianorum, ipſorumque Doctorum Doctore, & ab Epiſcopis emendari paratus & doceri, ſi forte aberraverit. Doceat autem ad ædificationem; doceat magis recte vivere, quam diſputare, aut eloquenter diſſerere; doceat prius quod utilius eſt ad ſalutem; doceat diligentius quod vehementius eſt ad amorem Dei & proximi; ad majorem denique Dei gloriam doceat, exemplo non minus quam verbo, *Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. Poſtulet autem a Deo cœleſtis & ſalutaris doctrinæ lumen, aſſidua, humili & ferventi oratione: *Quia etſi ſit aliqua perfectas in doctrina, & deſit ei doctrina gratia quæ ex Deo eſt, in nihilum reputabitur*, ait Origenes. *Qui docet, in doctrina*. Qui donum habent exhortandi peccatores ut ad meliorem frugem redeant, & conſolandi afflictos ne in tribulatione deficiant, Scripturarum verbis prudenter aptatis & in unum collectis eos exhortentur [Origenes.] & conſolentur. *Qui exhortatur, in exhortando*. Accidit enim ſæpe animæ tribulationum pondere deſperatio, nec facile reparari aut refici quibuſcumque verbis poteſt, quamvis polita illa ſint & plauſibilia. *Si vero ſermo habens virtutem gratia Dei fuerit adhibitus, tunc cor ejus penetrat, & conſolationem præbet, ad ſpem revocat deſperatione ſummotam*, ſecundum quod [Iſai. 40. 2.] per Prophetam dictum eſt a Domino: *Sacerdotes, loquimini in corde Jeruſalem*. Qui eleemoſynam erogat indigentibus, in ſimplicitate cordis hoc faciat; hoc eſt, ne videatur quidem egenis benefacere, corde vero laudem quærat ab hominibus. Non eſt enim ſimplicitas, ſi aliud agi manibus videatur, aliud corde quæratur. Spes temporalium commodorum, oſtentatio & vana gloria, perſonarum acceptio, anxius timor ne male collocentur eleemoſynæ, & ne inopiam forte ſimulantibus diſtribuantur, aut ne erogantibus neceſſaria deficiant, aut prava quævis intentio corrumpendi per eleemoſynas eos quibus tribuuntur, ſive quoad animam dumtaxat, ſive quoad animam & corpus, eleemoſynæ ſimplicitati opponuntur, *Qui tribuit in ſimplicitate*. Sed tamen [S. Greg. Paſtoralis Curæ p. 3. Admonit. 21.] prudens eſſe debet in tribuendo ſimplicitas. „ Admonendi ſunt (inquit S. Gregorius) qui jam quæ „ poſſident, miſericorditer tribuunt, ut a cœleſti „ Domino diſpenſatores ſe poſitos ſubſidiorum tem„ poralium agnoſcant; & tanto humiliter præ„ beant, quantu & aliena eſſe intelligunt quæ di„ ſpenſant. Cumque in illorum miniſterio quibus „ accepta largiuntur, conſtitutos ſe conſiderant, „ nequaquam eorum mentes tumor ſublevet, ſed „ timor premat. Unde & neceſſe eſt ut ſollicite „ perpendant, ne commiſſa indigne diſtribuant; ne „ quædam quibus nulla, ne nulla quibus quædam, „ ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant quibus „ impendere multa debuerunt, ne præcipitatione „ hoc quod tribuunt inutiliter ſpargant; ne tardi„ tate petentes noxie crucient; ne recipiendæ hic „ gratiæ intentio ſubrepat; ne dationis lumen laudis „ tranſitoriæ appetitio extinguat; ne oblatum mu„ nus conjuncta triſtitia abſorbeat; ne in bene ob„ lato munere animus plus quam decet hilareſcat; „ ne ſibi quidquam, cum totum recte impleverint „ tribuant, & ſimul omnia poſtquam peregerint per„ dant. *Qui tribuit in ſimplicitate*. Qui præſunt fratribus vel Eccleſiæ, præſint *in ſollicitudine*, non humanarum cauſarum aut ſæcularium rerum, ſed ſalutis animarum, qualem alibi deſcribit Apoſtolus; *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* [2. Cor 11. 28.] Qui præeſt Eccleſiis, talem ſollicitudinem habere debet, & illam aliam ſæcularem omnino habere non debet. [Origenes.] „ Ita præſis (*inquit S. Bernardus ad Eugenium P. P. M. ſcribens*) ut [S. Bernard. lib. 3. De Conſiderat. cap. 1.] „ provideas, ut conſulas, ut procures, ut ſerves. „ Præſis ut proſis; præſis ut fidelis ſervus & pru„ dens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam „ ſuam. Ad quid? Ut des illis eſcam in tempore; „ hoc eſt, ut diſpenſes, non imperes. Hoc fac, & „ dominari ne affectes hominum homo, ut non „ dominetur tui omnis injuſtitia. Recordare nunc „ vocis illius: *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum*. „ Et ſi non indebitam tibi ipſam cenſes, hoc quo„ que ſimul memento debitoris moleſtum nomen „ ſervienti potius quam dominanti congruere. Ser- [Luc. 16.] „ vus in Evangelio audit: *Quantum debes Domino „ meo?* Ergo ſi te agnoſcis ſapientibus & inſipien„ tibus non dominatorem, ſed debitorem: curan„ dum ſummopere tibi & tota vigilantia conſide„ randum, quomodo & qui non ſapiunt, ſapiant, „ & qui deſipuere reſipiſcant. At nullum genus in„ ſipientiæ infidelitate inſipientius. Intereſt proinde „ tua dare operam quam poſſis, ut increduli con„ vertantur ad fidem, converſi non avertantur, „ averſi revertantur: porro perverſi ordinentur ad „ rectitudinem, ſubverſi ad veritatem revocentur; „ ſubverſores invictis rationibus convincantur, ut „ vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt: vel ſi non, „ perdant auctoritatem facultatemque alios ſubver„ tendi.

9. 10. 11. 12. 13. *Dilectio ſine ſimulatione*. Primus [Dilectionis Chriſtianæ caracteres.] amicitiæ Chriſtianæ fraternæque caritatis caracter eſt ſinceritas & veritas, ut proximum animo diligamus, ſine ſimulatione, ſine adulatione, ſine inconſtantia, ſine ullo privatæ utilitatis intuitu. „ „ Hanc dilectionem ſi habueris, neque pecuniarum [S. Chryſoſt. Hom. 21.] „ fraties ſumptum, neque corporis laborem, ne„ que moleſtiam verborum, neque miniſterii ſudo„ rem; ſed omnia generoſe feres, ſive corpore, „ ſive pecuniis, ſive ſermone, ſeu quovis alio mo„ do proximo ſuccurrendum ſit. Quemadmodum „ igitur non ſolum largitionem exigit, ſed eam quæ „ ſit in ſimplicitate; neque ſolum præſidentiam, [1. Amicitiæ Chriſtianæ caracter, ſinceritas.] „ ſed ſimul & diligentiam; neque ſolum miſericor„ diam, ſed & adjunctam hilaritatem: ita & dile„ ctionem non ſimpliciter exigit, ſed eam quæ eſt „ ſine ſimulatione. Nam ea demum vera dilectio „ eſt. Quæ ſi talis fuerit; omnia ſequentur. Nam „ qui miſerebitur, hilariter miſerebitur: ſui enim „ ipſe miſerebitur. Et qui præerit, diligenter „ præerit: ſibi enim ipſi præerit. Et qui dabit, „ largiter ac copioſe dabit: ſibi enim ipſi dabit. „ Multi enim unum corpus ſumus in Chriſto.

2. Character caritatis eſt odium mali, in iis etiam [2. Amicitiæ Chriſtianæ caracter, odium mali.] quos diligimus, odium perfectum. „ Quia enim & „ dilectio quædam in malis rebus eſt, qualis eſt „ laſcivorum, & eorum qui in capiendis ejuſdem ſunt „ animi, & compotatorum, ab illa, de qua loqui„ mur, avellens, addit Apoſtolus: *Odientes malum*. „ Non dicit, abſtinentes a malo, ſed odio quod „ malum eſt proſequentes, & quidem odio vehe„ menti. Quoniam enim multi ſunt qui licet ma„ la opere ipſo non faciant, malorum tamen in„ terea concupiſcentiam habent, propterea dicit, „ *odio malum habentes*. Mentem ſcilicet noſtram pur„ gatam vult, multamque nos adverſum malitiam „ habere inimicitiam, multam odii, multum belli: „ ut ſicut Medicus odit morbum in ægroto, & omnem artem, omnem curam adhibet ad illum deſtruendum, ut ſalvus ſit ægrotus; ita Chriſtianus peccatum oderit in amico, nec illi umquam ad peccandum ferat opem, aut conſenſum adhibeat, vel quovis modo conniveat: ſed ad peccati deſtructionem in illo nitatur modis omnibus quos inſpirare [3. Amicitiæ Chriſtianæ caracter, amicos diligere propter bonum.] caritas poteſt, ut ſalutem amici procuret.

Tertius amicitiæ Chriſtianæ ſive caritatis caracter, eſt adhærere bono, amicos diligere propter bonum virtutis quod in illis eſt, & bonum illud

ubique

ubique diligere; nam proximum diligere propter bona naturæ, corporis, animi, fortunæ; propter utilitatem, honorem, vel delectationem, quam ex illius amicitia percipimus, cupiditas eſt, non caritas. *Adhærentes bono.*

4. Tenera ſit & vehemens erga proximos caritas. *Tertullian. in Apolog. Minutius Felix.*

Quartus amicitiæ Chriſtianæ & caritatis caracter eſt, ut ſit tener, vehemens, reciprocus erga proximos amor, quaſi fratrum, qui ſcilicet *unum patrem agnoverunt Deum, & biberunt eumdem Spiritum ſanctitatis.* Hæc nota Chriſtianorum propria. *Vide ut ſe diligant* (inquiebant Ethnici) *Et, ut pro alterutro mori ſint parati* . . . . . Sic mutuo, quod doletis, „ amore diligimus, quoniam odiſſe non novimus: „ ſic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut u„ nius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut „ ſpei coheredes (ait alter Chriſtianæ Religionis Apologiſta) *Caritate fraternitatis invicem diligentes.*

5. Amicitiæ Chriſtianæ caracter, mutua reverentia.

Quintus amicitiæ Chriſtianæ caracter eſt reverentia mutua, cum humilitate conjuncta. Reverentia levitatem & familiaritatem nugacem, ſcurrilem, mundanam, & Chriſtiana gravitate & ſanctitate indignam excludit: humilitas alterutrum honore prævenit. Hac ratione & naſcitur dilectio, & nata perdurat. Nihil enim ita facit amicos, ut ſtudium illud proximum honorando vincendi. Non autem dilectio ſolum hinc naſcitur, ſed & major honor. *Honore invicem prævenientes.*

6. Amicitiæ Chriſtianæ caracter, ſollicitudo ne officiis ſuis erga proximum deſit. *S. Chryſoſt. Hom. 21.*

Sextus amicitiæ Chriſtianæ caracter eſt ſancta ſollicitudo & attentio ne officiis umquam ſuis erga proximos deſit, ne illos juvandi opportunitas elabatur. Nihil ita diligi facit, ut juncta honorandi ſtudio providentia. Neque enim ſatis eſt ut diligas, ſed oportet & providentiæ ſtudio ſervcas: hoc ex dilectione naſcitur, & dilectio ex hoc magis accenditur. *Sunt enim multi qui licet mente diligant, manus tamen adjutrices non porrigunt ex innata quadam focordia. Sunt alii gravibus quidem vitiis minime dediti, ſed ad cuncta Chriſtianæ pietatis & virtutis, propriique ſtatus officia ſegnes ex prava quadam indolentis animi diſpoſitione.* Circa temporalia negotia ſolliciti ſunt, circa unum maximeque neceſſarium ſalutis æternæ negotium ſtupenda laborant incuria. Attendamus qua de re, quanti momenti agatur, quibus ab hoſtibus, quam callidis, quam intentis in noſtram perniciem, obſideamur undique ac premamur; & ſimus *ſollicitudine non pigri.*

7. Caritatis caracter, fervor ſpiritus.

Septimus caritatis & amicitiæ Chriſtianæ caracter eſt fervor ſpiritus, quo fit ut nulla difficultate deterreamur ab officiis proximo exhibendis ubi ſe dederit occaſio, ſed prompte & ſancto quodam animi impetu ad ea feramur, ſicut caritatis fervor urget nos ut omnia erga Deum officia prompte & alacriter impleamus. Non momentaneus ſit ille fervor, ſed continuus; omnia opera noſtra igne fervidæ caritatis ſuccendantur, ut ſacrificia ſint Deo grata. Vult Apoſtolus, *Ut nos qui ſub lege Spiritus vivimus, nihil remiſſum, nihil tepidum habeamus in nobis, ſed cum fervore ſpiritus, & calore fidei cuncta peragamus.* „ Ubique vehementiam requirit in omni„ bus Chriſtianæ vitæ officiis. Non enim dicit, date „ tantummodo, ſed, date largiter: neque præſtitis „ ſolum, ſed cum ſollicitudine: neque ſimpliciter „ miſereamini, ſed cum hilaritate: neque tantum „ honorate, ſed præcedite ac prævenite: neque di„ ligite tantummodo, ſed ſine ſimulatione: neque „ adhærete ſolum bonis, ſed conglutinemini illis: „ neque tantum diligite, ſed propenſe amico affe„ ctu diligite: neque ſtudete tantummodo ut officia „ veſtra impleatis, ſed non pigre: ita & hic non „ ſimpliciter dicit, Spiritum habetote; ſed fervcn„ tem exigit ſpiritum. Si virtutes illas habueris, „ majorem Spiritus gratiam attrahes. Si vero in „ te Spiritus ſanctus fuerit, te faciet ad omnia of„ ficia mox commemorata diligentem, reddenturque per illum & per dilectionem omnia facilia. Fiat, Domine, in nobis Spiritus tuus duplex, ſpiritus fidei & intelligentiæ, quo illuminetur ratio; ſpiritus fervoris, quo inflammetur affectio. Da ut in via mandatorum tuorum non ſolum ambulemus, ſed curramus. *Spiritu ferventes.* Curramus poſt Chriſtum in odorem unguentorum ipſius. „ Erubeſcat „ anima converſa ad Dominum minori affectu ſe„ ctari juſtitiam, quam iniquitatem antea ſectare„ tur. Pudeat negligentius nunc in vitam, quam „ prius in mortem ire, & minori ſtudio ſalutis „ acquirere quam perditionis augmentum. Nam ut „ omnino ſimus inexcuſabiles, in via vitæ quo ci„ tius, eo facilius curritur, & leve Salvatoris onus „ quo creſcit amplius, eo portabilius eſt. Nonne „ & aviculas levat, non onerat pennarum ſive plu„ marum numeroſitas ipſa? Tolle eas, & reliquum „ corpus pondere ſuo fertur ad ima. Sic diſcipli„ nam Chriſti, ſic ſuave jugum, ſic onus leve, quo „ deponimus, eo deprimimur ipſi: quia portat po„ tius quam portatur. *Spiritu ferventes*, ſic currite, ut comprehendatis. *In ſchola Chriſti non proficere, deficere eſt.* „ Nemo proinde dicat: Satis eſt, ſic volo „ manere, ſufficit mihi eſſe ſicut heri & nudiuſter„ tius. In via reſidet qui ejuſmodi eſt: in ſcala ſub„ ſiſtit ubi neminem Patriarcha vidit non aſcenden„ tem aut deſcendentem.

Origenes.

S. Chryſoſt.

S. Bernardus Epiſt. 343.

Fervor inten-tu Domini, cui ſervimus, fovendus eſt.

Octavus caracter caritatis & amicitiæ Chriſtianæ eſt, Chriſtum in proximo intueri, fervoremque ſuum fovere conſideratione Domini cui ſervimus. Rex Regum eſt, & Dominus dominantium, cui totum debemus quod ſumus, quod vivimus, quod agimus, cui ſervire, regnare eſt, qui ſervis ſuis mercedem certiſſimam promiſit & reddit, regnum æternum, vitam immortalem, omne bonum, gaudium cujus non erit finis, ſeipſum. Non alterius mercedis intuitu ei ſerviamus, qui ait: *Ego merces tua magna nimis.* Non eſt caſtum cor, ſi Deum ob mercedem „ alteram ab ipſo Deo colit. Amatoribus ſuis Do„ minus noſter Jeſus Chriſtus quid dicit? *Qui diligit me, mandata mea cuſtodit: & qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & oſtendam illi me ipſum.* Si non amas, parum eſt: ſi amas, ſi „ ſuſpiras, ſi gratis colis eum, a quo gratis emtus „ es, ſi conſideratis in te beneficiis ejus ſuſpiras, „ & inquietum habes cor deſiderio ejus; noli ex„ tra eum aliquid ab eo quærere, Ipſe tibi ſufficit. „ Etenim avaritia terram quærebat poſſidere to„ tam, adde & cœlum: plus eſt qui fecit cœlum „ & terram. In humanis conjugiis conſiderate cor „ caſtum quale ſit ad Deum. Non diligit uxorem „ ſuam, qui propter dotem illam diligit; Non „ maritum caſte diligit, quæ propterea diligit, quia „ aliquid donavit, aut quia multum donavit. Si „ ergo maritus carnalis gratis diligitur, ſi caſte di„ ligitur, & uxor carnalis gratis diligitur, ſi caſte „ diligitur: Deus quomodo diligendus eſt, verus & verax animæ maritus ad prolem ſempiternæ vitæ fœcundans & ſteriles nos non eſſe permittens? Illum ergo ſic diligamus, ut aliud præter ipſum non diligatur: ita ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris, ut nihil præter ipſum ſperetur: & ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ſemper ad Dominum Deum noſtrum reſpiciant, ut quæ illi grata ſunt faciamus. *Domino ſervientes.*

Joann. 14. 23.

S. Auguſt. Enarr. in Pſalm. 55.

Caritas ſolatium non quærit niſi in ſpe bonorum futurorum.

12. 13. Caritas ſolatium in bonis hujus vitæ, vel in ipſa ſuavitate amicitiæ non quærit, ſed in ſpe bonorum futurorum, quæ ad omnia incommoda & mala hujus vitæ pro gloria Dei & ſalute proximi toleranda erigit ac roborat animum. *Spe gaudentes*: ſpe (inquam,) beatæ vitæ, *qua nullum malum admittatur, & ubi ſummum bonum numquam amittatur. Hoc piorum præmium eſt, cujus adipiſcendi ſpe vitam iſtam temporalem atque mortalem, non tam delectabiliter quam tolerabiliter ducimus, & mala ejus tunc bono conſilio & divino munere fortiter ferimus, cum bonorum æternorum fideli Dei promiſſione, & fideli noſtra exſpectatione gaudemus.* „ Ad hoc nos exhortatur Apoſtolus „ Paulus dicens, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Oſtendit enim quare in tribulatione patien„ tes, præmittendo, *Spe gaudentes.* Hoc Chriſtus „ Dominus Deus & Magiſter noſter latente maje„ ſtate divinitatis, & carnis infirmitate apparente, „ non ſolum ſermonis oraculo docuit, verum etiam „ ſuæ paſſionis & reſurrectionis exemplo roboravit, „ In altera enim qualia tolerare, in altera qualia „ debeamus ſperare monſtravit. Aſſueſcamus beati „ eſſe ſpe, ut ſimus etiam re, cum pietati perſeve„ rantiſſimæ retribuetur merces felicitatis æternæ. „ *Spe gaudentes in tribulatione patientes.* Jejunium eſt „ in tribulatione certaminis, cibus in ſpe pacis, „ quæ perfecta non erit, niſi cum corpus noſtrum, „ cujus exſpectamus redemptionem, induerit im„ mortalitatem. Quod nondum adipiſcendo gloria„ mur, ſed ſperando jam paſcimur. Simul ergo „ cum viam Domini carpimus, & a vanitate præ„ ſentis ſæculi jejunemus, & futuri promiſſione re„ ficiamur, hic non apponentes cor, illuc paſcentes „ furſum cor.

S. Aug. Epiſt. 155. al. ss 52. ad Macedon.

S. Aug. Serm. 205. alias De Tempore 174. & De Diverſis 70.

Oratione aſſidue inſtandum.

Quia vero ad hæc par non eſt humana fragilitas, auxilium Dei continuo implorandum eſt, ſine cujus gratia patientia noſtra in adverſis deficeret. *Orationibus inſtantes.* Pro noſtris & proximorum ſpiritualibus neceſſitatibus coram Deo ſemper gemendum, ſemper ejus gratia imploranda eſt, pro noſtra aliorum ſalute in hoc exilio ſemper Deo ſupplicandum. Quod enim ait alibi Apoſtolus noſter, *Sine intermiſſione orate*, QUID *eſt aliud quam beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare? ſemper ergo hanc a Domino Deo deſideremus, & oramus ſemper.* Quam autem nunc tra?

1. Theſſ. 5. 16.

S. Aug. Ep. 130. alias

Digitized by Google

1. 1. ad Pra. dum.

S. Aug. Enar. in Pſal. 37.

Peregrinari a Domino, magna juſtorum tribulatio.

tractamus Apoſtoli ſententiam, Sanctus Auguſtinus ſic legit: *In oratione tolerantes*. Quid eſt tolerantes? Quia, inquit, differimini. *Toleretur quod differtur, quia cum venerit non auferetur*. Si Deum, vere amamus, illum deſideramus, quamdiu cum eo non ſumus. *Deſiderium noſtrum differtur, ut creſcat, creſcit ut capiat*. Dilatio fruitionis Dei, magna piis tribulatio eſt, quam ut patienter ſuſtineant, aſſidue & perſeveranter orant. Ideo Pſalmiſta ait: *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi*.

Pſal. 114. 3. 4. Cit. 5. 6.

„ Non dixit, Inveni tribulationem, niſi quamdam „ quæ latet. Quædam enim tribulatio quoſdam in „ hoc ſæculo latet, qui putant ſibi bene eſſe, cum „ peregrinentur a Domino. *Quamdiu enim ſumus* „ *in corpore*, inquit, *peregrinamur a Domino*. Si a pa„ tre tuo homine peregrinareris, miſer eſſes: a Do„ mino peregrinaris, & felix es? Ergo ſunt qui pu„ tant bene ſibi eſſe. Qui autem intelligunt in qua„ libet circumfluentia copiarum & voluptatum, „ quamvis ad nutum cuncta deſerviant, quamvis „ nihil moleſtum irrepat, nihil adverſum terreat, „ tamen in malo ſe eſſe quamdiu peregrinantur a „ Domino, acutiſſimo oculo tribulationem & dolo„ rem invenerunt, & nomen Domini invocave„ runt. Propterea dicit Apoſtolus: *In tribulatione* „ *patientes, orationi inſtantes*.

Eleemoſynarum largitio, cœleſtis negotiatio.

Decimus caritatis caracter eſt, bona temporalia divites inter & pauperes per largitionem copioſam eleemoſynarum communia facere, utpote quorum anima una & cor unum eſt in Deo. Neceſſitas gratiæ juncta ſocietati naturæ divites Chriſtianos ad pauperum fratrum inopiam ſublevandam obligat. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes*. Præclare Tertullianus: *Ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem*. (Ethnicos alloquitur) *Itaque qui animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiſcreta ſunt* „ *apud nos præter uxores*. Non ait Apoſtolus: Neceſ„ ſitatibus ſanctorum ſubvenite, ſed, *neceſſitatibus* „ *ſanctorum communicantes*: oſtendens quod plus ac„ cipiant quam præſtent, qui eleemoſynam largiun„ tur; & quod res iſta *negotiatio* ſit, communicatio „ ſiquidem eſt. Tu pecuniam affers? illi fiduciam „ tibi erga Deum afferunt. Das terrenum ſubſi„ dium, & accipis cœlum: das partem, & accipis „ totum; das nummum, & accipis Deum. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes*. Pauperes Chriſtianos ſanctos vocat, tum quia Chriſtum Sanctum ſanctorum repræſentant, tum quia e pauperum numero plures ſancti ſunt, quam e numero divitum, divitiæ enim vulgo ſunt incentiva & inſtrumenta vitiorum; paupertas e contrario medium ſanctificationis. Unde Minucius Felix: *Quod plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria. Animus enim ut luxu ſolvitur, ita frugalitate firmatur*.

Apolog. c. 39. Tertullian.

S. Chryſ. Hom. 21. in hanc Ep.

Paupertas medium ſanctificationis.

Hoſpitalitatis ſtudium.

Undecimus caracter caritatis eſt hoſpitalitas; quia reſpectu cœleſtis patriæ quo tendimus, omnes pariter peregrini ſumus: mutuo vero reſpectu fratres: at nemo peregrinus eſt reſpectu fratris. *Hoſpitalitatem ſectantes*. Non dicit, facientes, ſed *ſectantes*, (ut S. Chryſoſtomus obſervat) inſtruens nos ut non exſpectemus egenos donec ad nos veniant, ſed ad ipſos curramus, & ſectemur. Sic Loth fecit, ſic Abraham. Totum namque diem in hoc conſumebat, *bonam exſpectans venationem*: & ſi quando quempiam videbat, inſiliebat, occurrebat, ad terram ſupplicando procidebat: *Si gratiam inveni in conſpectu tuo, ne tranſeas ſervum tuum*. Non quemadmodum nos, qui cum peregrinum aut pauperem videmus, ſupercilia attollimus, neque dignos æſtimamus quos alloquamur. Et ſi quando innumeris ſupplicationibus vix tandem molliti, modicum pecuniæ per famulos dari juſſerimus, univerſum quod ad beneficentiam attineat, probe nos præſtitiſſe putamus. Abraham vero non ita, ſed famuli perſonam induit, tametſi ignoraret quoſnam ſuſcepturus eſſet. Nos autem licet certo ſciamus quod in pauperibus Chriſtum ſuſcipiamus, neque ſic tamen liberales & manſueti reddimur: ſed durioribus ſæpe verbis obſecrantes & procidentes repellimus. Et Abraham quidem omnia per ſe ipſum & uxorem adimplebat obſequia, nos vero neque per famulos. Non curioſe inquirebat Abraham quinam eſſent peregrini, quos hoſpitio ſuſcipiebat: Neque tu pauperes curioſe inquiras. Propter Chriſtum enim illos ſuſcipis. Quod ſi curioſius ſcruteris pauperes, fiet ut ſæpe numero probatum coram Deo virum prætergrediare, mercedemque perdas, quam ex eo habiturus eras.

S. Chryſ. ibid.

Geneſ. 18

Caritas bona maxime gratiæ & ſalutis æternæ inimicis adprecetur.

14. *Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere*. Duodecimus caracter caritatis eſt, inimicos ipſos animo complecti, illis bona maxima: gratiæ ſcilicet ipſius & caritatis ac ſalutis æternæ velle & adprecari. Novit enim Chriſtum morientem pro perſecutoribus ſuis oraſſe, nos dilexiſſe cum inimici eſſemus, & pro nobis ſanguinem fudiſſe ut nos amicos faceret. *Benedicite perſequentibus vos*. Non ulciſci, Philoſophici viri eſt, benedicere vero perſequenti, angeli eſt. (ait S. Chryſoſtomus) *Benedicite, & nolite maledicere*. Benefactores enim noſtri ſunt perſecutores noſtri, ſiquidem novum nobis jus procurant ad regnum cœlorum. „ Præmiorum procuratores nobis ſunt (ait „ idem S. Doctor) qui nos inſectantur. Si vero „ quod poſt Chriſtum præcipit Apoſtolus, imple„ veris, ampliorem tibi mercedem comparabis. „ Perſecutor ſiquidem eam, quæ tibi propter to„ leratam perſecutionem dabitur, procurabit. Tu „ vero illam, quæ ex eo eſt quod de illo bene lo„ queris, referes, magnum videlicet ſignum dile„ ctionis ejus quæ in Chriſtum eſt. Quemadmodum „ enim qui perſecutori male precatur, hoc ipſo „ declarat quam non vehementer gaudeat quod pro „ Chriſto ita patitur: ita qui bene loquitur, mul„ tum erga Chriſtum amorem demonſtrat. Ne igi„ tur maledicas & impreceris te perſequenti, ut „ & tu majorem recipias mercedem, & illum do„ ceas, quod alacritatis negotium iſtud tibi ſit, „ non coactionis; feſtivæ jucunditatis, non calami„ tatis & triſtitiæ. Propterea & Chriſtus dicebat. „ *Gaudete, cum dixerint omne malum adverſum vos* „ *mentientes, propter me*. „ Propterea & Apoſtoli „ gaudentes ad ſuos revertebantur, non ſolum quod „ male audiſſent, ſed quod & flagellati eſſent. Præ„ ter iſta, & aliud non modicum lucrum acquires, „ nimirum quod adverſarios ſtupefacies, atque re „ ipſa docebis quod ad aliam vitam tendas. Cum „ enim viderit te adverſarius in eo ipſo quod male „ afficeris, gaudentem atque alacrem, aperte co„ gnoſcet quod ipſe alias habeas præſentibus majo„ res. Cum hoc & aliud lucraberis: nam ſi te „ viderit nihil propter convitia ſua dolere, immo „ ipſi benedicere, etiam ab inſectando ceſſabit. Vi„ de ergo quot hinc bona naſcantur. Tibi major „ merces, & minor fit tentatio. Ille a perſecu„ tione abſtinebit, Deus glorificabitur, delinquen„ ti doctrina Philoſophiaque pietatis præſtabitur. „ Quam indigni ſunt Chriſtiano nomine, qui pro„ ximis ſuis ore benedicunt, corde maledicunt! *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum*. Vel qui amicis ſuis benedicunt, inimicis autem maledicunt: vel quibuſdam bene precantur; aliis vero imprecantur mala: *Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine manat dulcem & amaram aquam?* Hæc propria nota Chriſtianorum, benedicere inimicis ſuis: *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati eſtis ut benedictionem hereditate poſſideatis*.

S. Chryſ. Hom. 22. in hanc Ep.

Matth. 5.

Act. 5.

Pſalm. 27. 3.

Jacobi 3. 10.

1. Petr. 3. 9.

Caritas in gaudio & triſtitia cum proximo communicat.

15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. Hic tertius decimus caracter eſt caritatis. Nihil enim ita dilectionem conciliat, quam quod & in gaudio & in triſtitia communicamus alterutrum. Noli ergo, ſi quando procul es ab adverſis, propterea extra compaſſionem quoque conſiſtere. Nam proximo tuo male affecto, communem tibi calamitatem illius facere debes. Id Spiritus ſancti in utroque Teſtamento documentum & præceptum. *Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat*, inquit S. Job, *& compatiebatur anima mea pauperi*. Et Sapiens: *Non deſis*, inquit, *plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis*. „ Communica ergo „ plorantibus, ut triſtitiam illorum alleves: com„ munica gaudentibus, ut & lætitiam illorum ra„ dices, & dilectionem conſolides, & ante illos „ te ipſum juves. Lachrymando ſiquidem miſeri„ cordem te facis: congratulando vero, livore & „ invidia te ipſum liberas. Vide vero quam non „ ſit moleſtum quod præcipit Apoſtolus. Non enim „ dicit, Solve proximi calamitatem, ne ſæpe nu„ mero dicas, Impoſſibile eſt: ſed quod facilius eſt „ præcipit, & quod facere potes. Nam ſi quod „ proximum affligit tollere non potes, funde la„ crymas, & majorem partem ſuſtuliſti. Et ſi „ proſperitatem illius augere non vales, congaude, „ & multum augmenti attuliſti. Propterea non „ ſolum hortatur ut non invideas: ſed quod mul„ to plus eſt, congaudeas etiam. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. Ne tamen congaudendum putes iis qui gaudent de malo, *qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*. *Nam caritas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati*.

Job 30. 25.

Eccli. 7. 8.

S. Chryſ. Hom. 22. in hanc Ep.

Prov. 2. 14.

1. Cor. 13. 4.

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Injuſtum

Digitized by Google

juſtum eſt gaudere velle cum gaudentibus, & flere nolle cum flentibus: amicis in proſperitate poſitis ſociari communione gaudiorum: in afflictione & calamitate non ſociari communione lacrymarum. Qui ita ſunt affecti, caritatem non habent, nec vere proximos amant, ſed ſe ipſos tantum. *Non agnoſcetur in bonis amicus, & non abſcondetur in malis inimicus. In bonis viri, inimici illius in triſtitia: & in malitia* (ideſt in calamitate) *illius, amicus agnitus eſt*. Verus igitur amicus condolet amico, & condolendo ſimul cum eo portat onus adverſitatis, quod fit levius cum a pluribus portatur. *Neſcio quo enim modo* (inquit S. Auguſtinus) *minus fit quod patitur unum membrum, ſi compatiuntur alia membra. Nec ipſa mali relevatio fit per communionem cladis, ſed per ſolatium caritatis; ut quamvis alii ferendo patiantur, alii cognoſcendo compatiantur, communis ſit tamen tribulatio, quibus probatio, ſpes, dilectio, Spiritusque communis eſt. Omnes autem nos Dominus conſolatur, qui & hæc temporalia mala prædixit, & poſt hæc bona æterna promiſit: nec debet cum præliatur infringi, qui vult poſt prælium coronari, vires illo ſubminiſtrante certantibus, qui præparat ineffabilia dona victoribus.*

Eccli. 12. 8. 9.

S. Auguſt. Epiſt. 99. al. 133. ad Italicam.

16. *Idipſum invicem ſentientes*. Decimus-quartus caracter caritatis eſt, unanimitas ſententiæ in rebus fidei, unitatem Eccleſiaſticam, obedientiam Superioribus Eccleſiaſticis, & inprimis ſanctæ Sedis Apoſtolicæ & univerſalis Eccleſiæ Rectoribus Pontificibus Romanis, debitam ſpectantibus. Qui enim in hujuſmodi rebus diſputare & litigare magis amat, quam obedire fidei, quam adhærere unitati, quam ſincero animo ſubdere ſe legitimæ auctoritati, præſertimque primæ & maximæ, quæ Eccleſiæ eſt; in omnibus quæ ad ſpirituale bonum ſalutis animarum pertinent, a caritate alienus eſt, a Chriſto alienus, qui dixit: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*: Eccleſiæ inimicus eſt, quamvis in ejus ſinu manere videatur; dicente Chriſto: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*. Quod non ſolum in fidei aut Chriſtianæ morum diſciplinæ controverſiis, ſed in omni ſacri regiminis parte verum eſt. In his igitur omnibus ſimus perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia. In cœleſtium denique bonorum guſto conſentiat caritas, quam eamdem habere debemus unanimes. Unum caput habemus, Chriſtum, a quo unus & idem ſenſus in nos omnes debet derivari, ſi vere membra ejus ſumus. *Idipſum invicem ſentientes*.

Unanimitas ſententiæ, in rebus fidem, unitatem, obedientiam Eccleſiæ & ſummo Pontifici debitam ſpectantibus, caritatis caracter eſt.

Decimus-quintus caritatis caracter eſt humilitas, quæ nos omnes in Chriſto æquales facit, & pro ſpirituali fratrum utilitate ad humillima quæque demittit. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes*. Id attendant qui ceteris præſunt, ſuperbiam caveant quæ illis in celſiori loco regiminis poſitis magis ſolidatur. „ Nonnumquam eo ipſo quo præeminet ceteris, elatione cogitationis intumeſcit: „ & dum ad uſum cuncta ſubjacent, dum ad votum velociter juſſa complentur, dum omnes ſubditi, ſi qua bene geſta ſunt laudibus efferunt, „ male geſtis autem nulla auctoritate contradicunt, „ dum pleromque laudant etiam quod objurgare debuerunt, ſeductus ab his quæ infra ſubduntur, „ ſuper ſe animus tollitur: & dum foris immenſo „ favore circumdatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus ſui in voces ſe ſpargit alienas: talemque ſe credit, qualem foris audit, non qualem „ intus diſcernere debuit; ſubjectos deſpicit, eoſque „ æquales ſibi naturæ ordine non agnoſcit; & „ quos forte poteſtatis excesserit, tranſcendiſſe ſe „ etiam vitæ meritis credit; cunctis ſe æſtimat „ amplius ſapere, quibus ſe videt amplius poſſe... „ Sic Saul ab humilitatis merito in tumorem ſuperbiæ, culmine poteſtatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus eſt, per ſuperbiam reprobatus, Domino atteſtante qui ait: *Nonne cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput te conſtitui in tribubus Iſrael?* Parvulum ſe ante poteſtatem viderat, ſed fultus in temporali potentia, jam ſe parvulum non „ videbat. Ceterorum namque comparatione ſe „ præferens, magnum ſe apud ſe eſſe judicabat. „ Miro autem modo cum apud ſe parvulus, apud „ Dominum magnus: cum vero apud ſe magnus, „ apud Dominum parvulus fuit. Magnos nos Dominus apud nos eſſe prohibet per Prophetam. *VÆ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*. Ne magni apud nos eſſe debeamus, Paulus admonet, dicens: NON alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. „ Hoc eſt, ne putetis vos ſufficere vobis ipſis. Ut ut enim prudens ſis, altero tamen opus habes. Quod ſi te nullius opera indigere putaveris, omnibus factus

Humilitas caracter eſt caritatis.

S. Greg. l. 26. Moral. in Job. cap. 19.

1. Reg. 15. 17.

Iſai. 5.

S. Chryſ. Hom. 22. in hanc. Ep.

„ es ſtoltior & imbecillior: Talis enim nudum ſe „ omni auxilio reddit, & in delictis ſuis neque correctionem, neque veniam recipiet, ſed Deum „ arrogantia ſua irritabit. Fit enim ſæpe-numero „ ut prudens quod oportebat non videat, & minus „ prudens aliquid eorum quæ conveniunt, inveniat: „ id quod in Moyſe & ſocero ejus factum eſt, in „ Saule & puero ejus, in Iſaac & Rebecca. Ne „ putes ergo ideo te deprimi, quod alio indigeas. „ Nam hoc ipſum eſt quod te exaltat magis, quod „ validum facit, quod ſplendidiorem, quod ſecuriorem reddit.

17. Decimus-ſextus caritatis caracter eſt benignitas, ut nulli malum reddat pro malo, quia nullum vere malum hic agnoſcit præter peccatum, quod animam a Deo ſummo bono ſeparat. *Nulli malum pro malo reddentes*. Per hæc verba, quando ad ulciſcendum humanus animus excitatur, quia Chriſtianus eſt, mitigatur. *Si reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis*. „ Audi Chriſtum ad cor ſuum loquentem: Ego pro „ te impio & peccatore, ut tuæ iniquitates mei „ ſanguinis effuſione lavarentur, magno ſilentio & „ magna patientia traditorem meum pertuli, nonne „ imitaberis me, ut tu non reddas mala pro malis? Animadvertens ergo & intelligens quid pro „ illo fecerit Dominus & ejus exemplo ad perfectionem proficiens, dicit, *Si reddidi retribuentibus mihi mala*: id eſt, ſi te non imitatus ſum in illo ſilentio, hoc eſt, patientia tua, quam pro me „ operatus es: *decidam ab inimicis meis inanis*. Inaniter enim ſe jactat, qui cum & ipſe homo ſit, „ cupit ſe de homine vindicare; & cum ſuperare „ hominem palam quærit, occulte a diabolo ſuperatur, inanis effectus vana & ſuperba lætitia, „ quod quaſi vinci non potuit. Intelligit ergo ille „ ubi major fiat victoria, & ubi Pater reddat qui „ videt in occulto. Ne reddat itaque retribuentibus „ mala, iram potius quam hominem vincit, illis „ etiam litteris eruditus, in quibus ſcriptum eſt: *Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium*.

Benignitas caracter caritatis.

Pſalm. 7. 5.

S. Aug. Enarr. in hunc Pſalm.

Matth. 6. 6.

Prov. 16. 32.

Decimus-ſeptimus caritatis caracter eſt ædificatio proximi. Bonum enim exemplum debitum eſſe caritatis, Chriſtianus de officiis ſuis bene inſtitutus intelligit. *Providentes bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Quod quidem cum omnibus hominibus præceptum ſit, magis tamen incumbit Eccleſiaſticis Viris & Prælatis. *Si enim ſervi Dei non reprobi ſumus*, inquit S. Auguſtinus, *ſi aliquid viget in nobis illius igniculi, quo caritas non quærit quæ ſua ſunt; providere utique debemus bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ne tranquillam aquam bibentes in noſtra conſcientia, pedibus incautis agere convincamur ut oves dominica turbidam bibant*. Hoc præceptum caritatis, quod de bono exemplo omnibus dando traditum eſt, Chriſtianos omnes ita obligat, ab eo ut nullus excuſari poſſit, cujuſcumque ſtatus ſit & conditionis. Væ illis qui hanc miſericordiam proximis non impendunt, quæ certe major eſt quam eleemoſyna corporalis. *Major miſericordia in eum fit, cui proponitur bona imitationis exemplum*, inquit Sanctus Auguſtinus, *quam cui porrigitur reficiendi corporis alimentum*.

Bonum exemplum debitum eſt caritatis.

S. Aug. Epiſt. 125. al. 224. ad Alypium.

S. Aug. Serm. 149. alias De Diverſis 24. cap. 11.

Idem l. 19. De Civ. Dei, c. 1

18. Decimus-octavus caritatis caracter eſt ut pacifica ſit, quantum fieri poteſt, cum omnibus hominibus ordinata concordia: *Cujus hic ordo eſt, primum ut nulli noceat, deinde ut etiam proſit cui potuerit*. Pax ſervanda eſt, non ſolum cum domeſticis, non ſolum cum amicis, ſed etiam cum extraneis, etiam cum inimicis, cum his qui oderunt pacem, nullam unquam præbendo cauſam diſſenſionis, patiendo pro bono pacis quicquid veritatem aut juſtitiam non lædit: pacem interius & dilectionem ſervando, cum exterius ſervari non poteſt propter hominum improbitatem, quæ vi & legitimis coercenda eſt. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Summa bonorum operum hæc eſt: *Inquire pacem, & perſequere eam*. „ Nam qui pacificus homo eſt, pacem in omnes amplectitur, „ nec occulte ea quæ ſunt proximi ſubtrahere quærit, nec cædes patrat, nec nuptiis inſidiatur, „ nec verbo lædit, nec facto: benefacit, conſulit, „ aliis impertit, defendit, ſimul periclitatur, ſimul „ certat. Talis enim eſt vera caritas & ſincera amicitia.

Caritas pacifica eſt.

Pſalm. 33. 15.

Theodoretus in hunc Pſalm.

19. 20. Pacem ut ſervet cum ipſis inimicis Chriſtianus, cujus in corde caritas diffuſa eſt per Spiritum Sanctum, illatas non ulciſcitur injurias; hominum judicia parvipendens, Dei judicium patienter expectat: iræ motus in ſe comprimit, aliorum iram aut ratione & manſuetudine mitigat, aut humilitate declinat; Dei vindictam in perſecutores

Caritas benefica.

ſuos nec prævenit, nec exoptat, immo Dei miſericordiam illis adprecatur, & illis benefacit, ut divinam promereatur ipſe miſericordiam. *Non voſmetipſos defendentes cariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*. Dei perfectionem, & beneficentiam, Chriſti miſericordiam imitatur, inimicis ſuis benefaciens, illiſque in neceſſitate poſitis ſubveniens omni officiorum genere. Inimicos ſuos paſcit Deus, inimicos ſuos Chriſtus redemit, ne Traditorem quidem ſuum a Menſa, in qua Corpus & Sanguinem ſuum diſtribuit Diſcipulis ſuis, ſummovit: & tu ergo Patris cœleſtis & Chriſti Salvatoris bonitatem & miſericordiam imitatus, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius*. Divinum caritatis ignem in corde illius frigido, duro, emortuo ſuccendes, ut depoſitis inimicitiis in tui amorem viciſſim inardeſcat. *Nulla eſt enim major ad amorem invitatio, quam prævenire amando: & nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit rependere.*

S. Aug. l. De Catechizandis rudibus, cap. 4.

Non vincit in bono malum, qui cupere paſcit, & corde ſævit.

S. Aug. Serm. 302. alias De Diverſis 119.

21. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*. Vincitur a malo, qui iræ impetu, odii amaritudine, vindictæ cupiditate vincitur. Vincit in bono malum, qui iram, odium, vindictæ cupiditatem caritate vincit, & de inimico triumphat, cor ejus beneficiis expugnando, ipſique caritati, quæ Deus eſt, ſubjiciendo. „ Si aliquid potes, ſi tu jam non „ es malus, opra malo ut ſit bonus. Quid ſævis in „ malos? Quia mali ſunt, inquis. Addis te illis, „ ſæviendo in illos. Conſilium do: diſplicet tibi „ malus, non ſint duo. Reprehendis, & adjungeris? „ Auges ejus numerum, quem condemnas? De malo vis vincere malum? de malitia vincere malitiam? Erunt duæ malitiæ, ambæ vincendæ. Non „ audis conſilium Domini tui per Apoſtolum, *Noli* „ *vinci a malo, ſed vince in bono malum*? Forte ille „ pejor eſt: cum & tu ſis malus, duo tamen mali. „ Ego vellem ut vel unus eſſet bonus. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*, non ſolum abſtinens exterius ab opere, ſed interius a deſiderio vindictæ. Caritas in corde dominetur, non ultionis cupiditas, non odii amaritudo, non iræ furor. *Quomodo enim poteſt vincere in bono malum in ſuperficie bonus, & in alto malus; qui opere parcit, & corde ſævit; manu mitis, voluntate crudelis?*

S. Aug. Enar. in Pſalm. 78.

C A P U T XIII.

Senſus Litteralis.

Act. 5. 2. Joſephus lib. 20 Antiq. c. 2. & lib. 7. De Bello Judaico, c. 19. S. Hieron. in c. 3. Ep. ad Titum.

Poteſtatibus obediendum, ex Dei mandato.

CUM Judæi ad rebellandum Principibus externis proclives eſſent, & inter eos orta eſſet Herodis Magni tempore ſecta Galilæorum, auctore Juda quodam Galilæo, qui Judæos tributum alienigenis non pendere, nec quemquam præter unum Deum dominum appellare debere aſſerebant; idcirco docet Apoſtolus hoc in capite, & alibi, omnes homines Principibus & Poteſtatibus, ac Magiſtratibus ab eis conſtitutis ex divinæ Legis præcepto parere debere, & hanc ſubjectionem atque obedientiam a Chriſtiana Religione imperari.

1. *Omnis anima* (inquit) *Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Omnis homo Poteſtatibus ſuperioribus ſubditus ſit & obediat ex animo, in iis quæ ad illarum juriſdictionem pertinent, & quæ Dei legi non adverſantur. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo*. Nullus eſt Principatus aut Magiſtratus, etiam infidelium & idololatrarum, niſi a Deo autore, cujus proinde reverentia eis ſubjici & parere neceſſe eſt. *Quæ autem ſunt: a Deo ordinata ſunt*. Quæcumque ſunt in mundo Poteſtates legitimæ, a Deo conſtitutæ ſunt. Seu, quicumque ſunt homines vera & legitima poteſtate præditi, his parendum eſt a Deo miſſis & inſtitutis, qui poteſtatem in varios ordines diſtribuit, illiſque reverentiam & obedientiam exhiberi præcepit ut vices ſuas gerentibus, ad juſtitiam, publicamque pacem tuendam. Confer cum *Epiſt. ad Titum* 3. 1. & 1. *Petri* 2. 13. 14. 15. 16. 17. Nulla vero antilogia eſt hujus loci cum Oſee 8. 4. ubi ſcriptum eſt: *Ipſi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi*. Diſtinguendum enim eſt inter poteſtatem, & modum adipiſcendi poteſtatem, & uſum poteſtatis. Ipſa poteſtas a Deo eſt, per quem reges regnant & legum conditores juſta decernunt. Adeptio vero & uſus poteſtatis, ſi bene & legitimis viis fiant, a Deo quoque ſunt: ſin male & mediis illicitis, non ſunt a Deo, ſed ex hominis perverſitate, qui ex ambitione vel quocumque alio modo legi Dei contrario poteſtatem adipiſcitur, vel ea abutitur.

S. Thomas in hunc locum Lect. 1. Proverb. 8. 15.

2. *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Qui adverſus poteſtatem inſurgit; qui Principibus, Ducibus, & Magiſtratibus legitima poteſtate inſtructis ſubdere ſe renuit; qui eorum legibus, edictis & mandatis obedire recuſat, Dei ordinationi adverſatur, & in ejus præceptum peccat. *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Ipſi ſibi condemnationem & pœnam arceſſunt, non temporalem ſolum a Magiſtratibus infligendam, ſed æternam a Den juſto judice inferendam.

3. 4. *Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali*. Principes quatenus a Deo ſunt inſtituti, & ab ordine ſuæ poteſtatis a Deo acceptæ non recedunt, non ſunt timendi iis qui bona tantum agunt, ſed iis qui mala perpetrant. Porro qui Poteſtati reſiſtit, male operatur: & ita pœnam temporalem & æternam ipſe ſibi arceſſit. *Vis autem non timere Poteſtatem?* timore ſervili, cujus objectum pœnæ ſunt & ſupplicia: bonum fac: juſtitiam cole, legibus obtempera; *& habebis laudem ex illa*. Sic ab ipſa Poteſtate laudem promereberis: ad hoc enim inſtituta eſt ut malos pœnarum timore coerceat, bonos autem laudet ac foveat. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum*. Qui enim poteſtate fungitur a Deo inſtituta, miniſter eſt Dei in bonum tuum, ut juſte & tranquille vivas. *Si autem malum feceris, time*. Si quid contra leges & bonum ac pacem ſocietatis civilis commiſeris, rationem habes timendi Procipem & Magiſtratum. *Non enim ſine cauſa gladium portat*, quo jus vitæ necisque ſubditorum, prout illi meruerint, ſignificatur. *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malo agit*, Gladium a Deo fruſtra non accepit: ab illo enim conſtitutus eſt ut ejus vice juſtitiam vindicem exerceat in maleficos & ſceleratos. Lege Sanctum Irenæum lib. 5. cap. 24.

5. 6. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. Quapropter neceſſe eſt ut ſubditi ſitis Principibus & Magiſtratibus, eorumque legibus & edictis pareatis, non ſolum timore pœnarum quas leges minantur, ſed etiam ex officio conſcientiæ, ne rei ſitis coram Deo violatæ legis ejus, ac læſæ divinæ Majeſtatis. *Ideo enim & tributa præſtatis*. Penſio tributorum, quæ Chriſtus ſolvenda eſſe docuit a ſubditis, profeſſio eſt tum poteſtatis illorum, tum veſtræ ſubjectionis. *Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes*. Et juſte quidem illis tributa penditis? ſi quidem Dei miniſtri ſunt, ipſius providentiæ in Reipublicæ adminiſtratione, in coercitione & punitione malorum, tutelaque bonorum, aſſidue ac vigilanter ſervientes. Illis ergo debentur tributa quaſi ſtipendia miniſterii eorum.

Matth. 22. 21.

Tributa & vectigalia Principibus debita.

7. *Reddite ergo omnibus* proximis, ſive ſuperioribus, ſive æqualibus, ſive etiam inferioribus, *debita*, cujuſcunque ſint generis. Reddite unicuique quod debetis, & quod poſtulat juſtitia. *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. Cui tributum debetis, tributum ſolvite: cui vectigal debetis, vectigal pendite. Tributum eſt quod in capita civium aut viritim, aut pro ratione cenſus imponitur. Vectigal, quicquid alio nomine perſolvitur, maxime pro mercibus quæ tranſvehuntur. Cui timorem, timorem. Cui timorem reverentiæ debetis, illi exhibete, ac timete ne contra reverentiam & obſervantiam illi debitam peccetis. *Cui honorem, honorem*. Cui honorem debetis, illi honorem reddite, veſtramque externis ſignis & officiis convenientibus in illum reverentiam declarate. Confer cum 1. Petri 2. 17. *Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.*

8. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*. Quod cuique debetis, ſolvite, ita ut nihil amplius debeatis, niſi mutuam dilectionem. Cerera debita ſolvuntur, nec manent; dilectionis debitum ſemper & ſolvitur & manet. Quia Dei præceptum eſt, ut proximos affectu quidem ſemper, effectu vero quando & quoties oportet, diligamus. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem*. Hoc ſemel ſoluto debito, dicere non poſſumus, ſicut in aliis quæ debemus obligatione civili, Non teneor amplius ... *Qui enim diligit proximum, legem implevit*. Qui diligit *alterum*, τὸν ἕτερον. (ut habet Græcus Textus) omnem hominem, ſive propinquum, ſive extraneum; ſive Judæum, ſive Gentilem; ſive fidelem, ſive infidelem; ſive amicum, ſive inimicum; omnia mandata legis implet, quæ proximum ſpectant; immo & primum magnumque mandatum dilectionis Dei. Cum enim ex caritate diligitur proximus propter Deum, in dilectione proximi includitur dilectio Dei velut cauſa in effectu. 1. Joan. 4. *Et hoc mandatum habemus a Deo; ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*.

Joan. 15.

Dilectionis debitum.

S. Thomas, Lect. 1.

Digitized by Google

S. Thomas, Lect. 2.

ſuum & e contrario, dilectio proximi includitur in dilectione Dei, ſicut effectus in cauſa: unde ibidem dicitur, *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt.* Ideo in Scriptura ſacra quandoque fit mentio ſolum dilectionis Dei, quaſi ſufficiat ad ſalutem. Deuteron. 10. *Et nunc Iſrael; Quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum?* Quandoque autem fit mentio ſolum dilectionis proximi; Joan. 15. *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.*

Ad præceptum de dilectione proximi, cetera mandata Dei revocantur.

9. *Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: non falſum teſtimonium dices:* Siquidem iſta Dei mandata, Non committes adulterium (ad quod prohibitio fornicationis, & omnis illegitimi membrorum genitalium uſus revocatur:) Non occides hominem privata auctoritate, nec ullam injuriam perſonæ proximi tui inferes: Non uſurpabis rem alicuam injuſte quovis modo: Non falſum teſtimonium dices in judicio, aut etiam extra judicium: nec verba calumniæ, detractionis, convitii, contumeliæ: *Non concupiſces*, uxorem, aut rem quamcumque proximi tui: hæc (inquam) *& ſi quod eſt aliud mandatum*; id eſt, & quodcumque aliud mandatum eſt, ſeu negativum, ut mox recenſita; ſeu affirmativum, ut illud de parentibus honorandis, quod ſecundæ tabulæ primum eſt: imo quodcumque aliud præceptum vel Deum, vel proximum ſpectans, *in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Hoc præcepto continetur, impletur, perficitur; ſive (quæ vis eſt Græci verbi ἀνακεφαλαιοῦται) *recapitulatur*, ad hoc præceptum ut ad ſummam & compendium redigitur ac revocatur, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Confer cum Galat. 5. 14. *Omnis enim lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Deuteron. 5. 7. & ſeq.

S. Auguſt. Quæſt. ſuper Exod. 71.

Levit. 19. 18. Matt. 22. 39.

10. *Dilectio proximi malum non operatur.* Dilectio proximi non patitur ei ullum malum inferri, vult & præſtat omnibus bonum, quantum poteſt. *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* Legis complementum, & totalis obſervatio eſt caritas. Eſt enim principium, cauſa & radix ceterorum omnium officiorum erga Deum & proximum: 2. Finis eſt & ſcopus omnium mandatorum legis 1. *Timoth.* 1. 5. Vetantur enim adulterium, homicidium, furtum, &c. ut dilectio mutua conſervetur. 3. Modus quo cetera mandata perfecte impleantur, dilectio eſt.

Charitas plenitudo Legis triplici ratione.

11. 12. *Et hoc, ſcientes tempus: Quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Et hoc de mutua dilectione præceptum impleamus, conſiderantes quam ſit opportunum tempus, idemque breve; ut proinde ultro differri non debeat quod agendum eſt ad ſalutem. Urget hora ut a ſomno peccatorum evigilemus & ſurgamus. *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus.* Nunc enim vitæ æternæ propinquiores ſumus, quam cum primum fidem amplexi, & baptiſmo initiati ſumus. Majore ergo nunc opus eſt fervore & vigilantia. Metaphora ſumpta eſt ab iis qui in ſtadio currunt. Propius ad metam accedit, qui diu cucurrit, quam qui curſum inchoat: & curſor prope metam currit incitatius, ne ab aliis prævertatur. Confer cum 1. *Cor.* 9. Verſ. 24. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* Nox hujus ſæculi, plena tenebris ignorantiæ & peccatorum, jam longe progreſſa eſt, & pene præteriit; dies autem expectatæ ſalutis & gloriæ, cujus lux æterna eſt, nulli tenebrarum viciſſitudini obnoxia, nulla errorum & peccatorum caligine obſcuranda, non longe abeſt. Vel, tempus infidelitatis, & ſtatus culpæ præceſſit: ſtatus autem gratiæ, quo lux fidei & ſpiritualis intelligentiæ orta eſt, appropinquavit, & jam affulget. Vel, tempus Legis Moſaicæ præteriit, nocti comparatum ob futurorum bonorum umbras in ea apparentes, & Prophetarum vaticinia lucernæ in caliginoſo loco lucenti ſimilia: dies autem Evangelicæ lucis, a Chriſto ſole juſtitiæ facta jam adeſt. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Procul ergo a nobis repellamus, cum horrore & odio, opera tenebrarum, id eſt peccata, quæ lumine rationis in ſe ipſis deſtituta ſunt, & divinæ legi, quæ lux eſt mentium, contraria: quæ hominum oculos fugiunt, & tenebras amant: quæ in tenebras æternas peccatores mittunt: & induamur arma luci convenientia, virtutum & bonorum operum ſplendida indumenta, quæ nos non ſolum tegunt & ornant, ſed etiam adverſus hoſtes ſalutis noſtræ, mundum, carnem, diabolumque, armorum inſtar defendunt & tutos reddunt. Confer cum *Epheſ.* 6. 13. & ſeq.

Operatio ſalutis non differenda.

S. Thomas, Lect. 3.

13. *Sicut in die honeſte ambulemus.* Decenter nos geramus, & honeſte converſemur, nihil agamus quod hominum proborum oculos offendat, ab iiſque merito reprehendi poſſit. Confer cum 1. Theſſalon. 5. 6. 7. 8. *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione.* Fugiamus luxurioſas epulas, omnemque cibi & potus ingluviem, ebrietatem, fornicationem, adulteria, omneque luxuriæ & impudicitiæ genus, lites & rixas, & quæ harum mater eſt, invidiam.

14. *Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Chriſto vos conformate interius & exterius virtutum ejus imitatione, ut intime vobis adhæreat, & in vobis habitare & vivere videatur. Metaphora familiaris eſt Apoſtolo, & ab Hebræis accepta, qui hanc uſurpant cum de re quavis ſermo eſt cujus acceſſione vel ornamur, vel dedecoramur. Sic homines dicunt *indui decore, juſtitia, fortitudine, pudore, confuſione, maledictione:* Sic Paulus alibi hortatur ut *novum hominem induamur*, & *viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam:* & corpora noſtra *incorruptione & immortalitate* induenda docet. *Et carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Carnis curam & providentiam ne ita habeatis, ut ejus deſideriis & cupiditatibus ſerviatis. Carnis cura gerenda eſt, ut natura ſuſtentetur: Epheſ. 5. 29. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam.* Sed ita nutrienda & fovenda caro eſt, ne concupiſcentia foveatur. *Carnis curam ne feceritis in deſideriis*, ideſt, Ne illam per delicias exultare faciatis.

Chriſto induendos nos oportet: carnis deſideriis non ſerviendum.

Coloſſ. 3. Epheſ. 4. Galat. 3. 1. Theſſal. 5. 1. Cor. 15.

Theodor.

CAPUT XIII.

Senſus Moralis.

1. **O***mnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt.* Divina & Apoſtolica doctrina eſt omnem hominem Regibus & Principibus ſupremis, necnon Ducibus & Magiſtratibus, qui eorum nomine & auctoritate rempublicam moderantur, ſubditum eſſe debere. 1. Officium ſubditorum eſt agnoſcere ſummam poteſtatem Principum in reipublicæ regimine juris eſſe divini. Eodem jure ipſis, & Magiſtratibus ab ipſis conſtitutis, obedientiam deberi. Ab iis qui quovis prætextu, etiam Religionis, legitimorum Principum ſuorum jugum excutiunt, violari religionem. Ab hac ſubjectione & obedientia excipi neminem qui Princeps ipſe ſupremus non ſit. *Iſta*, inquit S. Chryſoſtomus, *imperantur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, non ſolum ſæcularibus.* „ Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit (inquit Apoſtolus) *etiamſi Apoſtolus ſis ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fueris. Neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio.* Et non ſimpliciter dicit Apoſtolus, *obediat*, ſed, *ſubdita ſit:* ut oſtendat non exteriorem dumtaxat obedientiam, ſed ſubjectionem ſpontaneam & ex animo Regibus & ſummis Principibus deberi. *Omnis anima ſubdita ſit.* Unde idem Apoſtolus, Epheſ. 6. 6. ait: *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus.* 2. Principibus eorum poteſtati maxima reverentia & obſervantia debetur. De ipſis loquitur Apoſtolus ut de Angelis: quos nomine *Poteſtatum cæleſtium* deſignat. Immo divinæ poteſtatis ſunt imagines in hoc mundo. Non ergo perſonalia, ſi quæ ſunt vitia, quæ ex illis ſunt, imminuere debent ſubditorum erga illos reverentiam, quæ illis debetur ratione ſupereminentis poteſtatis, quæ in ſe bona, & a Deo eſt. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo.* Semper ergo de Principibus & Magiſtratibus honorifice & cum reverentia loquendum. Exod. 22. 28. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Eo major eorum poteſtati reverentia debetur, quo ſuprema eſt, & neminem præter Deum Superiorem in temporalibus agnoſcunt. *Poteſtatibus ſublimioribus.* Majeſtas prima Deus eſt, Rex ſecunda. „ Nos pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem „ & ipſi Imperatores proprium ſibi præter ceteros „ malunt. Sciunt quis illis dederit Imperium, „ Sciunt qua homines, quis & animam. Sentiunt „ illum eſſe Deum ſolum, a quo ſunt ſecundi, poſt „ quem primi, ante omnes & ſuper omnes Deos.... „ Colimus ergo Imperatorem ſic, *ait alibi idem Tertullianus*, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quicquid „ eſt a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. „ Hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus major eſt „ dum ſolo vero Deo minor eſt. „ 3. Officium ſubditorum eſt agnoſcere poteſtatem ita eſſe a Deo, ut ejus uſurpatio, & illegitima quævis adeptio,

Officia ſubditorum erga Principes.

S. Chryſoſt. Hom. 23. in hanc Epiſt.

Epheſ. 6. 12.

Tertullian. Apolog. c. 30.

Ad Scapulam cap. 2.

vel abuſus, a Deo non ſint, ſed tamen a Deo ordinentur. Divinæ porro ordinationi ſubditos nos eſſe oportet, amando quod præcipit, patiendo quod permittit, tolerando quod tolerat. Unde Judæos a Nabuchodonoſor Rege debellatos, & in captivitatem adductos Babylonem, illi ſervire & patere in omnibus quæ contra Dei legem non erant, & pro illo & filio ejus Baltaſſare orare, Prophetæ docuerunt. „ Orate pro vita Nabuchodonoſor regis Babylonis, & pro vita Baltaſſar filii ejus, ut ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram: & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbra Baltaſſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum. *Ipſi Chriſtiano nomine perſecutoribus ſe ſubditos eſſe, illiſque parere debere in omnibus quæ contra Deum non eſſent, Chriſtiani ſemper agnoverunt.* Qui putaveris nihil nos de ſalute Cæſarum curare, *inquit Tertullianus*, inſpice Dei voces, litteras noſtras, quas neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt. Scitote ex illis præceptum eſſe nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & perſecutoribus noſtris bona precari. Qui magis inimici & perſecutores Chriſtianorum? quam de quorum Majeſtate convenimur in crimen? ſed etiam nominatim atque manifeſte. Orate, inquit, pro Regibus, & pro principibus, & poteſtatibus, ut omnia tranquilla ſint vobis . . . . Imperatorem neceſſe eſt ſuſpiciamus, ut eum quem Dominus noſter elegit. Et merito dixerim, Noſter eſt magis Cæſar, a noſtro Deo conſtitutus . . . . Magis illum commendo Deo, cui ſoli ſubjicio . . . . Iidem ſumus Imperatoribus, qui & vicinis noſtris. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcumque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam: Quod in neminem, eo forſitan magis nec in ipſum, qui per Deum tantus eſt . . . Quoties in Chriſtianos deſævitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes? Quoties etiam prætermiſſis vobis, ſuo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incendiis? Ipſis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos, avellant, diſſecent, diſtrahant. Quid tamen umquam denotaſtis de tam conſpiratis, de tam animatis ad mortem uſque, pro injuria repenſatum? Quando vel una nox pauculis faculis largiter ultiones poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret. Sed abſit, ut aut igni humano vindicetur divina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim & hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? . . . Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? 4. *Boni principes a Deo poſtulandi ſunt, & ut ipſos obtinere mereamur, Dei mandatis fideliter obediendum eſt.* Nam Propitius ſi fuerit, dat Principes qui juſtum colunt & obſervant. DABO enim eis, *inquit*, Paſtores ſecundum cor meum, & paſcent eos paſcentes cum ſcientia. *Et rurſus*, Dabo judices tuos ſicut prius, & conſiliarios tuos ſicut ab initio. CUM autem vult eos qui peccant caſtigare, eos etiam a malis Principibus regni permittit. CONSTITUAM, *inquit*, adoleſcentulos Principes eorum, & illuſores dominabuntur eis. *Hinc Sanctus Iſidorus a Concilio Pariſienſi 6. lib. 2. cap. 2. citatus*: Reges, *inquit*, quando boni ſunt, muneris eſt Dei: quando vero mali, ſceleris eſt populi. *Job* 34. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.

Baruch. 1. 11.

Tertullian. Apolog.

Theodoretus in hunc locum.

Jerem. 3.

Iſai. 1.

Iſai. 3.

1. *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Nuſquam in Principes rebellare, ipſiſque debitam obedientiam negare licet, niſi contrarium quid lege divinæ præciperent. Quo caſu oportet magis obedire Deo quam hominibus. Ab ordine legis æternæ ſe ſubducere fruſtra nituntur, qui Regum ſeu Principum ſuorum ſupremorum obedientiam excutere moliuntur. Penes ſolum Deum jus eſt illos judicandi ſi poteſtate ſua abutantur: Sed & ſubditos rebelles & inobedientes Deus graviſſimis æterniſque pœnis damnabit, quaſi læſæ divinæ Majeſtatis loco reos, cujus illi ſunt imagines, & in regnis rebuſque publicis gubernandis vicarii. Adverſus illos, quantumvis durum ſit eorum imperium, quantumvis gravia quæ imponunt onera, quantumvis injuſta aliorum edicta videantur, non aliis armis utendum quam gemitibus orationum; non alio modo eorum auctoritati reſiſtere fas eſt, quam lacrymis pietatis, manſuetudine caritatis, ſancta vi humilitatis. Ita ſe gerebant Chriſtiani ſub Imperatoribus infidelibus. *Julianus exſtitit infidelis Imperator, exſtitit apoſtata, iniquus, idololatra: Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat. Si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum a Domino temporali: & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum, etiam Domino temporali.*

Nuſquam in Principes rebellare licet.

S. August. Enarrat. in Pſal. 124.

3. 4. *Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere Poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum*, &c. Amabiles ſunt Principes omnibus qui bonum diligunt, terribiles iis qui vitia ſectantur. Sunt enim a Deo conſtituti Principes, ut qui amore virtutis non deterrentur a malo, nec invitantur ad bonum, timore pœnæ cogantur. Unde Proverb. 20. 8. ſcriptum eſt, *Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo*. Et quamvis mali Principes interdum viros juſtos & probos perſequuntur & opprimant; rationem tamen timendi non habent qui perſecutionem patiuntur, quia hoc ipſum quod patienter ſuſtinent, in eorum bonum cedit. *Bonum fac, & habebis laudem ex illa*; vel cum „ eam in obſequium Dei lucratus fueris, vel cum „ ejus perſecutione coronam merueris. *Bonum fac, & habebis laudem*, etſi non ab illa, tamen *ex illa*. „ Aut enim juſte agis, & juſta poteſtas laudabit te: aut juſte agentem, etiamſi poteſtas injuſta damnet te, Deus juſtus coronabit te. Juſtitiam igitur tene, bene vive: & ſive damnet, ſive abſolvat, habebis laudem ex illa. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* (inquit Apoſtolorum Princeps) *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* Honorandi ſunt ac diligendi Principes ut Dei Miniſtri ad bonum promovendum. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.* Boni Principes Deo ſerviunt ad Religionem pietatemque tuendam, ad juſtitiam ſanciendam, ad pacem publicam conſervandam. Unde Pſalm. 2. ſcriptum eſt: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* „ Aliter enim ſervit Deo Rex, quia homo eſt, aliter quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſervit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex eſt, ſervit leges juſta præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo. Sicut ſervavit Ezechias lucos & templa Idolorum; & illa excelſa quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa deſtruendo: ſicut ſervivit Joſias talia & ipſe faciendo: ſicut ſervivit Darius idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo: ſicut ſervivit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos a blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. *In hoc ergo ſerviunt Domino reges, in quantum ſunt reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere niſi reges.*

S. August. in Epiſt. Joan. tract. 6. & Enarr. in Pſal. 138. & ad Roman. Expoſit. 13.

1. Petri 3. 13. 14.

Reges Dei Miniſtri ſunt. Quomodo Deo ſerviant in quantum ſunt reges.

S. August. Epiſt. 185. alias 50. ad Bonifac. n. 19.

4. Reg. 18. 4. Reg. 23. 4. 5. Dan. 14. 41. Dan. 3. 96.

Quemadmodum bonis amabilis, ita malis terribilis eſſe debet Principis poteſtas. Judicium Dei in ſceleratos exercere debet. *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Injuriarum Dei ſit magis ultor, quam ſuarum: immo numquam ſuarum, niſi quatenus ſunt Dei, qui poteſtatem illi concredidit. *Abominabiles Regi qui agunt impie: quoniam juſtitia firmatur ſolium.* Juſtitia Regis eſt neminem injuſte per potentiam opprimere, ſine acceptione perſonarum inter virum & proximum ſuum judicare, advenis & pupillis & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare: impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non ſinere, Eccleſiam defendere, pauperes eleemoſynis alere, juſtos ſuper regni negotia conſtituere, iracundiam differre, patriam fortiter & juſte contra adverſarios defendere, per omnia in Deo vivere. Ipſius terror & ſtudium eſſe debet, primo ut nulla injuſtitia fiat; deinde ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat; nec ſpem delitescendi, ſive audaciam male agendi cuiquam relinquat: ſed ſciant omnes quoniam ſi ad ejus notitiam quidquam mali pervenerit, quod admiſerint, nequaquam inultum remanebit, ſed juxta facti qualitatem erit & moderatio

Prov. 16. 12. Concil. Pariſienſe Sextum, lib. 2. cap. 1. & 2.

Digitized by Google

„ juſtæ correptionis. Quapropter in throno regimi-
„ nis poſitus eſt ad judicia recta peragenda, ut ipſe
„ per ſe provideat & perquirat ne in judicio ali-
„ quis a veritate & æquitate declinet. Scire etiam
„ debet, quod cauſa, quam juxta Miniſterium ſibi
„ commiſſum adminiſtrat, non hominum, ſed Dei
„ cauſa exiſtit: cui pro Miniſterio quod ſuſcepit, in
„ examinis tremendi die rationem redditurus eſt.
„ Et ideo oportet ut ipſe qui judex eſt judicum,
„ cauſam pauperum ad ſe ingredi faciat, & dili-
„ genter inquirat, ne forte illi qui ab eo conſtituti
„ ſunt, & vicem ejus agere debent in populo, in-
„ juſte aut negligenter pauperes oppreſſiones pati
„ permittant. *Miniſter enim Dei eſt, vindex in iram
„ ei, qui malum agit.* Gerant ſe Principes, ut Dei
Miniſtros decet; ſubditos ſuos ſapienter, juſte,
clementer, liberaliter regant: dent operam ut Deo
fideliter a ſubditis ſuis ſerviatur; Ut quod Sacerdos
efficere non prævalet per doctrinæ ſermonem, id ipſi
imperent per diſciplinæ terrorem. Ut per regnum
terrenum cœleſte regnum proficiat: Ut conterat

S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. De ſummo bono.

eos qui contra fidem & diſciplinam Eccleſiæ agunt.
*Cognoſcant Principes ſæculi, Deo debere ſe reddere ratio-
nem propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſci-
piunt. Nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per
fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exi-
get, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.*

Sed & mali Principes Miniſtri Dei ſunt ſecundum
ordinationem Dei ad inferendas pœnas: licet hoc ſit
præter intentionem eorum quod Deo hac in parte

Iſai. 10. 5.

ſerviant, ſecundum illud Iſaiæ oraculum: „ Aſſur
„ virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu
„ ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mit-
„ tam eum, & contra populum furoris mei man-
„ dabo illi, ut auferat ſpolia, & diripiat prædam,
„ & ponat illum in conculcationem quaſi lutum
„ platearum. Ipſe autem non ſic arbitrabitur...

Jerem. 25. 8. 9.

„ *Et*, Pro eo quod non audiſtis verba mea, ecce
„ ego mittam & aſſumam univerſas cognationes A-
„ quilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Re-
„ gem Babylonis ſervum meum: & adducam eos
„ ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores ejus,
„ & ſuper omnes nationes quæ in circuitu illius
„ ſunt.

Obedire Principibus, neceſſarium, & indeſpenſabile religionis officium eſt.

5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram,
ſed etiam propter conſcientiam.* Non conſilii tantum &
ſupererogationis opus eſt illa ſubjectio, reverentia,
obedientia; ſed neceſſarium & indiſpenſabile reli-
gionis officium. Illud bonus Chriſtianus ſincero ani-
mo impleat, non terrore pœnæ, ut ſervus; ſed
amore legis & voluntatis Dei id imperantis, & ne
conſcientiam ſuam peccato polluat. Nam *Inimicus*

S. Auguſt. Epiſt. 145. aliàs 144. Idem in Expoſit. Propoſ. ex Epiſt. ad Rom.

*juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem
erit, ſi ejus amore non peccet.* „ Non ſolum propter
„ iram, ſed etiam propter conſcientiam: *Ut in tua
conſcientia eterus ſis illius dilectione id facere, cui ſub-
ditus fueris juſſu Domini tui.*

Tributorum & vectigalium ſolutio Principibus debita.

S. Chryſoſt. Hom. 23.

6. 7. *Ideo enim & tributa præſtatis: Miniſtri enim
Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus
debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal:
cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Hæc
omnia ſimul debita ſunt Principibus. 1. Timor re-
verentiæ. 2. Honor & amor ſincerus, qui ex ani-
mo foras prorumpat, modiſque convenientibus ſi-
gnificetur. 3. Tributa & vectigalia. Non dicit
Apoſtolus, *Date*, ſed, *reddite*, & adjecit, *quod
debetur. Nihil enim gratuito dat, qui hoc fecerit. De-
bitum ſiquidem eſt res iſta. Quod ſi non feceris, perfi-
diæ pœnas dabis.* Quam religioſi fuerint primi Chri-
ſtiani in tributorum & vectigalium ſolutione, quam
gravis peccati reos cenſuerint qui vectigalia de-
fraudarent: quam alieni fuerint a recentiorum quo-
rumdam ſententia, qui pœnalem dumtaxat eſſe le-
gem de vectigalibus ſolvendis opinantur, teſtis eſt

Tertullian. Apolog. c. 42.

Tertullianus: „ Vectigalia (*inquit*) gratias Chriſtia-
„ nis agent ex fide dependentibus debitum, qua a-
„ lieno fraudando abſtinemus. *Et S. Juſtinus*: Ve-

S. Juſtin. Apol. 2.

„ ctigalia ſane & collationes eis, qui a vobis ſunt
„ ordinati, exactoribus, præ omnibus ubique in-
„ ferre contendimus: quemadmodum ab eo ſumus
„ inſtituti. Illo namque tempore accedentes qui-
„ dam percuntati ſunt ex illo, an Cæſari vectiga-
„ lia pendere oporteat. Qui reſponſum hoc ab eo
„ retulere; *Dicite mihi, cujus imaginem nummus ha-
„ bet?* Qui ubi dixiſſent, Cæſaris: *Reddite igitur*,
„ ait, *quæ Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ Dei, Deo*. Pro-
„ inde nos ſolum Deum adoramus, & vobis in re-
„ bus aliis læti inſervimus; Imperatores ac Princi-
„ pes hominum eſſe profitentes; & ſimul precan-
„ tes, ut cum Imperiali poteſtate ſanam quoque
„ mentem obtinere comperiamini.

Semper debemus caritatem.

8. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem dili-
gatis: Qui enim diligit proximum, legem implevit*,
Debita ſua ſolvere, cujuſcumque ſint generis,
Chriſtiani hominis officium eſt, rationi & juſtitiæ
conſentaneum, a divina lege imperatum, Chriſtia-
næ Religionis ſpiritui conveniens, quæ nos a ter-
renis rebus abſtrahit: quanto magis alienum reti-
nere non patitur? *Nemini quidquam debeatis, niſi
ut invicem diligatis.* Caritas debitum eſt quod omni-
bus exſolvere tenemur: quod ubi ſolverimus, ad-
huc illius debitores ſumus. Amabile debitum, cu-
jus ſolutione ditiores efficimur. Caritatem enim eo
perfectius poſſidebunt, quo promptius, fidelius, libe-
ralium impenderimus. *Semper debeo caritatem*,

...em. Dei... eum eſt, cujus ſolutio... ditiores efficimur.

quæ ſola, etiam reddita, ſemper detinet debito-
„ rem (*inquit S. Auguſtinus*). Redditur enim cum
„ impenditur, debetur autem etiamſi reddita fue-
„ rit, quia nullum eſt tempus quando impendenda
„ jam non ſit. Nec cum redditur amittitur, ſed
„ potius reddendo multiplicatur: habendo enim
„ redditur, non carendo. Et cum reddi non poſſit
„ niſi habeatur, nec haberi poteſt niſi reddatur:
„ immo etiam cum redditur ab homine, creſcit in
„ homine; & tanto major acquiritur, quanto plu-
„ ribus redditur. Quomodo autem negetur amicis,
„ quæ debetur & inimicis? Sed inimicis cauta im-
„ penditur, amicis ſecura rependitur. Agit tamen
„ quantum poteſt, ut ab his etiam quibus pro ma-
„ lis bona retribuit, id recipiat quod impendit.
„ Optamus quippe fieri amicum, quem veraciter
„ diligimus inimicum: quia non eum diligimus ni-
„ ſi velimus bonum; quod utique non erit, niſi
„ amiſerit inimicitiarum malum. Non igitur ſic
„ impenditur caritas, ut pecunia. Excepto enim
„ quod impendendo illa diminuitur, hæc augetur,
„ etiam illo inter ſe differunt, quod pecuniam cui
„ dederimus, tunc ei benevolentiores erimus, ſi
„ recipere non quæramus: non autem poteſt eſſe
„ verus caritatis impenſor, niſi fuerit benignus e-
„ xactor. Quoniam pecunia cum recipitur, ac-
„ cedit cui datur, ſed recidit a quo datur: cari-
„ tas vero non ſolum apud eum creſcit, qui hanc
„ ab eo, quem diligit, exigit, etiamſi non recipit:
„ ſed etiam ille a quo eam recipit, tunc incipit ha-
„ bere cum reddit.

S. Auguſt. Epiſt. 192. aliàs 62. ad Celeſtinum Diaconum.

9. *Nam: Non adulterabis: Non occides, &c. & ſi
quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Di-
liges proximum tuum ſicut te ipſum.* Sola caritas vi-
tam, bona, famamque proximi ab omnibus injuriis
tuetur: ſola divinis humaniſque legibus hominem
perfecte ſubjicit. Sola virtutes omnes complectitur,
vitiaque omnia deſtruit. Niſi caritas finis ſit, regu-
la, principiumque totius converſationis noſtræ cum
proximo, illum non diligimus ſicut nos ipſos dili-

Caritas vitia omnia deſtruit, virtutes omnes complectitur.

gere debemus, ſcilicet propter Deum. *Quiſquis
ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut
etiam ipſe toto corde, tota anima, tota mente diligat
Deum. Sic tum eum diligens tamquam ſe ipſum, to-
tam dilectionem ſui & illius refert in illam dilectionem
Dei, quæ nullum a ſe rivulum duci extra patitur, cu-
jus derivatione minuatur.* „ Lex Chriſti caritas eſt,

S. Auguſt. lib. 1. De Doctrina Chriſt. c. 22.

„ ſed hæc lex multiplex dicitur: quia ſtudioſa ſolli-
„ citudine caritas ad cuncta virtutum facta dilata-
„ tur. Quæ a duobus quidem præceptis incipit,
„ ſed ſe ad innumera extendit. Hujus legis initium
„ dilectio Dei eſt & proximi. Dilectio proximi ad
„ duo præcepta derivatur. 1. *Quod ab alio tibi odis
„ fieri, vide ne tu alteri facias.* 2. *Quæ vultis ut fa-
ciant vobis homines, & vos facite illis.* „ Quibus duo-

S. Gregor. M. lib. 10. Moral. c. 4.

Tob. 4. 16.

„ bus utriuſque Teſtamenti mandatis, per unum
„ malitia compeſcitur, per aliud benignitas præ-
„ rogatur: ut & malum quod pati non vult quiſque
„ non faciens, ceſſet a nocendi opere: & rurſum

Matth. 7. 12.

„ bonum, quod ſibi fieri appetit, impendens, erga
„ utilitatem ſe proximi exerceat ex benignitate,
„ ſed hæc duo dum ſollicita intentione cogitantur, a
„ cor ad innumera virtutum miniſteria tenditur,
„ ne vel ad inferenda quæ non debet deſideriis in-
„ quieta mens ferveat vel erga exhibenda quæ de-
„ bet, otio reſoluta torpeſcat. Nam cum cavet
„ alteri facere, quod nequaquam vult ab altero
„ ipſa tolerare, ſollicita ſe intentione circumſpi-
„ cit, ne ſuperbia elevet, & uſque ad contemptum
„ proximi animum dejiciens exaltet: ne ambitio
„ cogitationem dilaniet; cumque hanc ad appeten-
„ da aliena dilatat, anguſtet: ne cor luxuria pol-
„ luat, & ſubjectum deſideriis per illicita corrum-
„ pat: ne ira exaſperet, & uſque ad inferendam
„ contumeliam inflammet: ne invidia mordeat, &
„ alienis felicitatibus æmula, ſua ſe face conſu-
„ mat; ne immoderate linguam loquacitas pertra-
„ hat, eamque uſque ad laſciviam obtrectationis
„ extendat: ne odium malitia excitet, & os uſque
„ ad jaculum maledictionis irritet. Rurſum cum
„ cogitat ut altera faciat, quæ ipſa ſibi fieri ab al-

„ tera

Digitized by Google

„ tero exſpectat, penſat ut malis bona, & bonis meliora reſpondeat: ut erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat: ut malitiæ peſte languentibus gratiam benignitatis impendat: ut diſcordes pace uniat, & concordes ad concupiſcentiam veræ pacis accingat: ut indigentibus neceſſaria tribuat: ut errantibus viam rectitudinis oſtendat: ut afflictos verbo & compaſſione mulceat: ut accenſos in hujus mundi deſideriis increpatione reſtinguat; ut minas Potentum ratiocinatione mitiget: ut oppreſſorum anguſtias quanta prævalet ope levet: ut foris reſiſtentibus opponat patientiam; ut intus ſuperbientibus exhibeat cum patientia diſciplinam: ut erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet; quatenus a juſtitiæ ſtudio non evervet: ſic ad ultionem zelus ferveat, ne tamen pietatis limitem fervendo tranſcendat: ut ingratos beneficiis ad amorem provocet: ut gratos quoſque miniſteriis in amore ſervet: ut proximorum mala cum corrigere non valet, taceat; utque cum corrigi loquendo poſſunt, ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat: ut ſic ea quæ tacet, toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet: ut ſic malevolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam a jure rectitudinis excedat: ut cuncta proximis quæ prævalet, impendat, ſed hæc impendendo non tumeat: ut ſic in bonis quæ exhibet, tumoris præcipitium paveat, ne tamen a boni exercitio torpeſcat: ut ſic quæ poſſidet, tribuat, quatenus quanta ſit largitas remunerantis, attendat: ne cum terrena largitur, ſuam plus quam neceſſe eſt inopiam pertimeſcat, & in oblatione muneris, hilaritatis lumen triſtitia obſcuret. Rene ergo lex Dei multiplex dicitur: quia cum una eademque ſit caritas, ſi mentem plene cœperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. *Et ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

S. Fulgentius Epiſt. ad Eugyptium Abbatem.

10. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.* „ Caritas ſine bona voluntate non poteſt haberi; quia voluntatem, in qua fuerit, malam fieri non permittit: & quia non gaudet ſuper iniquitate, neceſſe eſt ut in qua eſt bonam faciat voluntatem. Malevolus ergo animus non impedit caritatem alteri, quia non habet ſibi: cum autem habere cœperit exordium, ut ita dixerim, caritatis, nec malevolus poteſt eſſe, nec ſterilis. „ *Plenitudo ergo legis eſt dilectio.*

Caritas plenitudo legis.

Lex illuminat caritatem, *caritas implet legem.* Tota lex ſcripta eſt in corde, cum in eo diffuſa caritas eſt. In hac quotidie proficiamus, & orando, & bene agendo, ut Deo adjuvante, qui nobis eam præcepit & donat, nutriatur & creſcat, donec nos perfecta perficiat. Tunc autem perfecta erit, quando videbimus eum ſicuti eſt. „ Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad viſionem. In hac omnes ſancti Patres noſtri Patriarchæ & Prophetæ & Apoſtoli placuerunt Deo. In hac omnes veri Martyres uſque ad ſanguinem contra diabolum certaverunt; & quia in eis non refriguit, nec defecit, ideo vicerunt. In hac omnes fideles boni quotidie proficiunt, pervenire cupientes non ad regnum mortalium, ſed ad regnum cœlorum; non ad temporalem, ſed ad ſempiternam hæreditatem; non ad aurum & argentum, ſed ad divitias incorruptibiles Angelorum; non ad aliqua bona hujus ſæculi, in quibus cum timore vivitur, nec ea quiſquam ſecum poteſt auferre cum moritur; ſed ad videndum Deum: cujus ſuavitas & delectatio excedit omnem non ſolum terreſtrium, verum etiam cœleſtium corporum pulchritudinem, excedit omnem decorem animarum quantumlibet juſtarum atque ſanctarum; excedit omnem ſpeciem ſupernorum Angelorum atque Virtutum; excedit quicquid de illo non ſolum dicitur, verum etiam cogitatur.

S. August. Epiſt. 189. alias 207. ad Bonifacium Comitem.

Temporis ad ſalutis noſtræ opus a Deo conceſſi bonus uſus.

11. 12. 13. *Et hoc ſcientes tempus: quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Tempus viſitationis & gratiæ Dei plerique Chriſtiani melius noſſe non videntur, quam Judæi: tempus legis a tempore gratiæ; tempus ſervitutis a tempore libertatis filiorum Dei; tempus erroris & minarum a tempore ſanctæ dilectionis; tempus umbrarum & figurarum a tempore revelationis & exhibitionis ſpiritualium bonorum non diſcernunt; ſiquidem mores ſuos ſecundum regulas & præcepta Evangelii Jeſu Chriſti Domini noſtri non componunt, neque ob ejus amorem ea obſervant, ſed bonorum temporalium umbras ſectantur, & vanis imaginibus rerum periturarum, fallacium divitiarum, inanis gloriæ, honorum & voluptatum ſæculi illuduntur, gravi correpti veterno. Expergiſcamur ad vocem ſalutis, ne terribilis tubæ ſonitus nos ad judicium imparatos excitet. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, de ſomno, inquam, negligentiæ, ſecuritatis, ignorantiæ, peccatorum. Evigilemus, quia tempus tranſit, æternitas appropinquat. Dies ſalutis nobis infructuoſus elabi non ſinamus, de quibus ratio repoſcenda a nobis eſt. Bona parvifaciamus cum tempore tranſeuntia: theſaurum bonorum operum in æternitatem colligamus. *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus.* Quo propius ad finem vitæ noſtræ accedimus, eo majore fervore & vigilantia ſalutis noſtræ operi incumbere debemus. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Operarius ſummo mane ſurgit ut laboret, miles ut pugnet occaſione data, viator ut ambulet. Surgamus ergo, ut ædificandæ in nobis & in aliis caritati debemus operam: ut adverſus cupiditatem pugnemus; ut ad cœleſtem patriam pergamus, in via mandatorum Dei continuo & alacriter ambulantes, Evangelii luce dirigente, Chriſti gratia adjuvante. Dicamus cum Pſalmiſta, *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis nocte contra eum, ſive coram eo, & non ſum deceptus.* Pſalm. 76. 3.

S. Auguſt. Enarrat. in hunc Pſalm.

„ In die tribulationis tuæ vide quid exquiras. Si carcer facit tribulationem, exire de carcere exquiris: ſi febris facit tribulationem, ſanitatem exquiris: ſi fames facit tribulationem, ſaturitatem exquiris: ſi damna faciunt tribulationem, lucrum exquiris: ſi peregrinatio facit tribulationem, civitatem tuæ carnis exquiris .... In die tribulationis tuæ Deum exquire; non per Deum aliud, ſed ex tribulatione Deum, ut ad hoc Deus removeat tribulationem, ut ſecurus inhæreas Deo.... In die tribulationis tuæ quid exquiſiſti? *Deum.* Quomodo exquiſiſti? *Manibus meis.* Quando exquiſiſti? *Nocte.* Ubi exquiſiſti? *Coram eo.* Quo fructu exquiſiſti? *Et non ſum deceptus.* Inveni quod quærebam. Vir juſtus totam vitam iſtam tribulationem ſuam reputat. Sic enim amat patriam ſupernam, ut *terrena peregrinatio ipſa ſit maxima tribulatio.* Quomodo enim non ſit tribulatio vita iſta, quæ dicta eſt tota tentatio? In hac igitur tribulatione, in hac vita Deum exquiſivi. Quomodo? *Manibus meis*, id eſt, operibus meis: *Nocte*, in hoc ſæculo, in quo tamen jam vita fidelium dies eſt in comparatione vitæ impiorum. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus.* Ergo honeſte viventes, in comparatione vitæ impiorum in die ſumus. Sed dies alter deſiderandus eſt, ubi noctis tentatio nulla omnino formidetur. Hic enim quamvis dies ſit vita fidelium, *tentatio eſt vita hominis ſuper terram*: Nox & dies: dies in comparatione infidelium, nox in comparatione Angelorum. Habent enim diem Angeli, quem nos nondum habemus. Jam nos habemus, quem non habent infideles: ſed nondum habent fideles, quem Angeli habent: tunc autem habebunt, cum erunt æquales Angelis Dei, quod illis in reſurrectione promiſſum eſt. In hac ergo jam die & adhuc nocte; nocte, in comparatione futuri diei, quem deſideramus, die, in comparatione præteritæ noctis, cui renunciavimus: in hac, inquam, nocte Deum exquiramus manibus noſtris. Non ceſſent opera, quæramus Deum, non ſit inane deſiderium. Si in via ſumus, ſumptus erogemus, ut pervenire poſſimus. Et ſi nocte quærimus quem manibus quærimus, non decipimur, quia *coram ipſo* quærimus. Quid eſt, *coram ipſo*? NOLITE *facere juſtitiam veſtram coram hominibus, ut videamini ab eis.*

Innocentia vitæ Chriſtianæ.

S. Aug. lib. 8. Confeſſ. c. 12.

13. *Sicut in die honeſte ambulemus; non in comeſſationibus & ebrietatibus non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione.* Utinam hæc Apoſtoli ſententia eumdem pariat converſionis fructum in peccatoribus omnibus, qui ipſam audient, aut legent, quem in ſancto Auguſtino peperit! Filii Principum veſte qua ornantur, armis quibus reguntur, ſuam nobilitatem oſtendunt: nos morum ſanctimonia, innocentia vitæ, ſplendore virtutum filios Dei nos eſſe probemus. In hac Evangelii luce opera faciamus Evangelium ſpirantia, Deo probata, æternitate digna. *Non in comeſſationibus & ebrietatibus*, ut Epicurei illi ſolo nomine Chriſtiani, *quorum Deus venter eſt*, quorum agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet, ut loquitur Tertullianus. *Non in cubilibus & impudicitiis*, appendicibus gulæ, quæ tam magnum crimen cenſentur, inquit S. Auguſtinus, *Ut nemo dignus non modo Eccleſiaſtico Miniſterio, ſed ipſa etiam Sacramentorum Communione videatur, qui ſe iſto peccato maculaverit.* Et recte omnino. Indignum eſt enim ut polluta libidinibus & laſciviis caro ſanctiſſimum

S. Aug. Epiſt. 22. alias 64.

mum

Digitized by Google

mum Chriſti Domini ac Dei noſtri corpus a Spiritu ſancto formatum, de Virgine Matre natum, recipere & cum eo commiſceri permittatur. *Non in contentione & æmulatione*, quorum morborum mater ſuperbia eſt, & humanæ laudis aviditas, quæ etiam hypocriſim ſæpe generat. De his alter Apoſtolus ſcribit: *Ubi zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum.*

Jacob. 3. 16.

14 *Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* „Hunc indutus omnem virtutem habet. Cum autem dicit Apoſtolus, *induimini*, undique nos illo circumdari jubet. Quemadmodum & alibi dicit, *Si vero Chriſtus in nobis*: & iterum, *In interiore noſtro homine habitare Chriſtum*. Vult enim animam noſtram illi domum eſſe, illoque nos veluti veſtimento circumdari, ut is omnia nobis ſit, ſive interna, ſive externa reſpicias. Eſt enim plenitudo omnia adimplentis. Eſt vir, eſt ſponſus: *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. Eſt radix, potus, cibus, vita: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*. Eſt Apoſtolus, ſummus Sacerdos, præceptor, pater, frater, cohæres, & ſepultura nobiſcum & cruce communicans. Conſepulti ſiquidem illi ſumus, & inſititii facti ſimul cum illo per ſimilitudinem mortis ejus. Eſt etiam ſupplex pro nobis factus, & ad Patrem advocatus noſter eſt. Domus etiam ſimul & hoſpes; in nobis manet, & nos in illo. Et amicus: *Vos*, inquit, *amici mei eſtis*. Et fundamentum eſt, & lapis angularis: & nos ipſius ſumus & membra, & agricultura, & ædificatio, & palmites, & cooperarii. Quid enim nobis eſſe non vult, omnibus modis nos ſibi conglutinans & conjungens, quod vehementer amantis eſt? Obtempera igitur, atque e ſomno exurgens, Chriſtum induere, omnes illius virtutes imitare carnem illi morigeram exhibe. Curam illius habe, ſed ad ſanitatem, non ad laſciviam. Curam omnem ac diligentiam ad ſpiritualia converte. Hoc modo poteris a ſomno exurgere, concupiſcentiis minime gravatus. Somnus enim eſt præſens vita, nihilque ab inſomniis differunt quæ in illa geruntur: Et quemadmodum qui dormiunt, & delirant ſæpe numero, & nihil ſani vident, ita & nos: immo vero multo etiam pejus. Nam qui turpe quid in ſomno vel fecit vel dixit, quamprimum a ſomno liberatur, protinus & ab ipſa turpitudine liber, nullas dat pœnas; hic vero non ita, nam & turpitudo & ſupplicium perpetuo durant. Rurſus qui ſomniando divites ſunt, orto die nihil inveniunt in manibus ſuis: hic vero ſæpe ante diem mortis vana illa ſomnia avolarunt. Excutiamus itaque vanum hunc ſomnum. Si enim dormientes nos dies ille deprehenderit, mors ſimul excipiet immortalis. *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*. Profunda nocte dormientibus ac ſtertentibus ſimiles ſumus omnes. Quod ſi incorporalem noſtram ſubſtantiam videre liceret, oſtenderem quomodo interea dum hi quidem ſtertunt, diabolus & parietes ſuffodiat, & jacentes jugulet, quæque intus ſunt ſurripiat.

S. Joan.Chryſoſt. Hom. 24.
Rom. 8.
Epheſ. 3.
2. Cor. 11.
Galat. 2.

Chriſtianorum convivia qualia eſſe debeant?
Pſal. 2.
S. Chryſoſt.

Sicut in die honeſte ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus. Convivia frugalia & caſtæ deliciæ non prohibentur, ſed ebrietas & comeſſatio. *Exultate Domino cum tremore*. „Quomodo exultabitis? Si hymnos dixeritis, preces & vota feceritis, Pſalmos pro illiberalibus canticis recitaveritis. Ita & Chriſtus menſæ veſtræ aderit, benedictioneque ſua totum convivium adimplebit, quando oraveritis, quando ſpiritualia cecineritis, quando pauperes ad eorum quæ appoſita ſunt communionem vocaveris, quando multam convivio diſciplinam & modeſtiam procuraveris. Hoc modo ex eo etiam loco Eccleſiam facies, importunis clamoribus, ſcurrilibus verbis, libidinibuſque amandatis Dominum collaudans. Neque dixeris, quod conſuetudo diverſum velut lex obtinuit; ſed quæ mala habeat corrige. *Sive comederitis* (inquit Apoſtolus noſter) *ſive biberitis, ſive quid feceritis, omnia in gloriam Dei facite*.

1. Cor. 10.

Fornicationis malum.
S. Chryſoſt.

Non in cubilibus & impudicitiis. Fugite fornicationem, & omne impudicitiæ genus. Quid ſeminas quod metere non licet, immo ſi meſſueris, multum tibi dedecoris ipſe fructus afferet? Nam ſi puerum peperit, & tibi dedecus attulit, & puero magnam injuriam, qui propter te nothus & ignobilis natus eſt. Cui etiamſi innumeras pecunias reliqueris, hoc tamen adhærebit, ut ignominioſus ſit in domo, ignominioſus in urbe, ignominioſus in foro, ſive ex ſcorto ſit, ſive ex ancilla. Quin & tu quoque ignominioſus eris, non ſolum in vita, ſed & poſt mortem. Nam etiam ſi hinc abſceſſeris, manent tamen poſt te turpitudinis tuæ monumenta. Quid ſeminas, ubi arvum ipſum fructum corrumpere ſtudet, ubi multæ ſunt ſterilitatem cauſantia, ubi ante generationem cædes? Ex ebrietate ſcortatio, ex ſcortatione adulterium, ex adulterio cædes, immo etiam cæde pejus quid. Nam non ſolum quod natum eſt occidit; ſed & ne naſcatur prohibet. Et licet muliebri res iſta agatur audacia, cauſa tamen tibi imputabitur. Hinc etiam bella quotidiana, & irreconciliabiles pugnæ, & aſſuetæ contentiones. Unde Apoſtolus ſubjungit: *Non in contentione & æmulatione*; non ignarus quæ hinc naſcantur bella, quæ domorum ſubverſiones, quæ pueris genuinis injuriæ, innumeraque mala.

„Ut itaque omnia iſta fugiamus, Chriſtum induamur, eumque illo perpetuo ſimus; quandoquidem Chriſto indutum eſſe, eſt numquam ab ipſo deſeri, & ipſum undique in nobis per noſtram ſanctimoniam conſpicuum eſſe. *Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum*. Ad eum modum & de amicis dicimus; Is illum prorſus indutus eſt, multam dilectionem, irremiſſumque convictum ſignificantes. Indutus ſiquidem id eſſe videtur quod indutus eſt. Appareat itaque in nobis undique Chriſtus. Et quomodo apparebit? Si quæ illius ſunt, feceris. Quid vero ille fecit? *Filius hominis*, inquit, *non habet ubi caput ſuum reclinet*. Illud æmulare. Si quando cibus ſumendus fuit, hordeaceis panibus uſus eſt. Si peregrinandum, nuſquam equi, nuſquam jumenta, ſed tantum itineris pedeſtris confecit ut fatigaretur etiam. Si quando dormiendum fuit, ſuper pulvinari in prora navigii jacuit. Accumbendum fuit; in fœno proſterni juſſit. Veſtimenta vero vilia erant. Sæpe numero & ſolus converſatus eſt, neminem ſecumducens. Deinde & quantum ad crucem, & ad convitiorum patientiam pertinet, & omnia illius in ſumma perdiſcens, imitare. Ita ſcilicet Chriſtum indutus es, ſi carnis curam ad concupiſcentiam non feceris. [14] *Et carnis curam ne feceritis in deſideriis*. Peccati ſervus eſt, quicumque corpori non ſolum indulget quod poſtulat neceſſitas, ſed quod expetit cupiditas.

Jeſum Chriſtum in ſuit, qui imitatur.
S. Chryſoſt.

CAPUT XIV.

Senſus Litteralis.

Theodoret.

1. IN *firmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum*. Qui ex Gentibus in Chriſtum crediderant, Evangelicam vitæ inſtitutionem amplectebantur. Multi autem ex Judæis, qui fidem ſuſceperant, legalibus ſerviebant, dierum obſervationi adhærentes, & præſcriptos lege cibos uſurpantes. Hinc lis inter eos oriebatur, atque etiam pugna: cum & iſti eos qui ex Gentibus crediderant, quod eſcis quibuslibet indiſcriminatim veſcerentur, condemnarent: & hos illi abhorrerent, propter ſummam & ſupervacaneam legis obſervationem. His medicinam adhibens Apoſtolus, affert utrique parti convenientem adhortationem. Primum autem eos qui ex Gentibus fidem ſuſceperant, ad fraternam dilectionem exhortatur. *Infirmum autem*, inquit, *in fide aſſumite; non in diſceptationibus cogitationum*. Eum qui Chriſtianam quidem Religionem amplexus eſt, ſed nondum novit fidem Chriſti ſine legalibus cerimoniis ſufficere ad ſalutem, ſuſcipite in veſtrum contubernium, amanter & placide inſtituite ut amicum, ut fratrem; ut paulatim, in doctrina Chriſtiana proficiat & firmior evadat. Ne vero contentioſe cum illo diſceptetis, ne perplexis diſceptationibus diſcedat incertior quam venerit, aut perturbata conſcientia reſiliat a fide, in qua nondum omni ex parte inſtitutus eſt, partam per Chriſtum libertatem, & legale diſcrimen ciborum & dierum Evangelii promulgatione ſublatum eſſe, nondum intelligens.

Judæorum ciborum delectus.
Fide firmiores debent infirmos tolerare & fovere.

2. *Alius enim* ſcilicet qui firmus eſt in fide, *credit ſe manducare omnia*, certo perſuaſum habet lumine fidei, ſibi licitum eſſe quibuslibet uti cibis, cum nulli ſint natura ſua immundi, & Judæis quidam olim lege prohibiti fuerint propter ſignificationes rerum vero immundarum, ſcilicet pravarum cupiditatum & peccatorum. *Qui autem infirmus eſt*, in fide, *olus manducet*. Olera, aut alios cibos lege permiſſos potius comedat, quam cibos, quorum eſum illicitum putat ſcrupuloſiore conſcientia. Secundum Textum Græcum, & Syriacam Verſionem, Clementem Alexandrin. lib. 6. Strommatum, Tertullianum Lib. *De Jejuniis* cap. 15. Ambroſiaſtrum in Comment. S. Hiero-

Digitized by Google

Hieronymum in cap. 2. Eccleſiaſtis, & lib. 1. Adverſus Jovinianum, legendum eſt, *Qui autem infirmus eſt, olus manducat.*

3. *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit.* Is qui ciborum omnium uſum ſibi licere credit, omnibuſque promiſcue utitur, qui in foro venales proſtant, non deſpiciat eum velut imbecillem aut ſuperſtitioſum, qui a certis ciborum generibus abſtinet, metuens ne eorum eſu Deum offendat: & qui non veſcitur omni ciborum genere, manducantem non damnet velut transgreſſorem legis. Deus enim & illum in familiam ſuam, in Eccleſiam ſuam aſſumpſit, in numerum ſervorum cultorumque ſuorum cooptavit, ac proinde non eſt temere judicandus ac damnandus, cum Deo probatus ſit.

De aliis non temere judicandum.

4. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Qua auctoritate, quo jure id tibi vindicare audes, ut judices alienum ſervum? Ratio eſt à jure gentium petita, quod privatos homines vetat eos damnare, in quos nihil juris habent, ac alienæ familiæ rebus invito domino ſe immiſcere. *Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Domini ſui judicio aut abſolvetur & laudabitur, ſi bene agat; aut damnabitur & pœnas dabit, ſi aberret ab officio. *Stare* dicitur, qui in cauſa victor eſt; *cadere cauſa*, qui ſententiam contra ſe refert in judicio. *Stabit autem*, immo abſolvetur & innocens declarabitur: Deus enim poteſt innocentiam illius vindicare a crimine violatæ legis, quod ei rudis & infirmus in fide tu ei imponebas. Vel, Temere judicas eum qui legales ceremonias non obſervat, omnique ciborum genere veſcitur, a fide facile defecturum: potens eſt enim Deus, qui illum aſſumpſit, perſeverantiam illi tribuere in fide & bonis operibus. Hunc ſenſum indigitat S. Auguſtinus lib. *De Correptione & Gratia*, cap. 12. *Ipſe*, inquit, *eos facit perſeverare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in prædeſtinatorum numero non fuerunt. Quamvis ergo de omnibus regeneratis & pie viventibus loqueretur Apoſtolus dicens:* „ Tu „ quis es qui judices alienum ſervum? Suo Domino „ ſtat aut cadit: *continuo tamen reſpexit ad prædeſtinatos & ait*, Stabit autem: *& ne hoc ſibi arrogarent.* „ Potens eſt enim Deus, *inquit*, ſtatuere eum. *Ipſe itaque dat perſeverantiam, qui ſtatuere potens eſt eos qui ſtant, ut perſeverantiſſime ſtent; vel reſtituere qui ceciderunt: DOMINUS enim erigit eliſos.*

5. *Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Alius ſcilicet Chriſtianus infirmus & adhuc Judaizans, diem unum altero ſanctiorem exiſtimat, propter legis Moſaicæ ceremonias, verbi gratia Sabbata, Neomenias, & feſta domus Iſrael, dies azymorum, quibus a fermento abſtinent Judæi, diem decimum ſeptimi menſis Expiationi in Lege conſecratum: alius autem, ſcilicet Chriſtianus in religione melius inſtitutus, cui perſuaſum eſt Legem Moſaicam paſſione & reſurrectione Chriſti antiquatam & abrogatam fuiſſe, judicat omnes dies eſſe pares, omnes ad opera pietatis & ad Dei cultum idoneos, nullum eſſe quem Chriſtiani ex Moſaicæ legis obſervare teneantur, cum eos a jugo legis Chriſtus liberaverit, legem perfectam gratiæ & libertatis condens & tradens hominibus in eum credentibus.

Oeconomia Apoſtoli.

Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Unuſquiſque veſtrum, in eo quod ſpectat obſervantiam vel non obſervantiam de dierum & ciborum diſcrimine ſecundum legem Moyſi, ſuæ mentis, & conſcientiæ judicio permittatur, pleneque perſuaſus ſit ſibi licere quod agit, alioqui peccaturus, ſi contra conſcientiæ ſuæ judicium agat. Hunc ſenſum juvat Syriaca Verſio: *Ceterum unuſquiſque in mente ſua ſit firmus.* Hoc pacto & obſervantium timorem fregit, ſcrupulos diſcuſſit, rem indifferentem eſſe docens, & eorum qui illos impugnabant contentionem ſuſtulit, oſtendens rem tanti non eſſe momenti, nec tam acri dignam certamine, quo infirmi turbentur. Tanti vero non eſſe momenti non ideo ſcribit, quod ſit levicula, ſed *propter temporis immaturitatem, & quod Romani recentes adhuc & nuperi eſſent in fide.* Ad Coloſſenſes ſcribens magno ſtudio obſervationem hujuſmodi prohibet, dicens: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum ... Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum.* Et ad Galatas ſcribens multa diligentia eos ad Chriſtianiſmi perfectionem hortatur, & a Judaica obſervantia diſcriminis dierum & ciborum revocat, quam illis, tametſi Gentiles eſſent, Pſeudo Apoſtoli imponere volebant,

S. Chryſoſt. Hom. 25. in hanc Epiſt.
Coloſſ. 2. 8. & 16.
Galat. 4. 9. 10. 11.

quaſi neceſſariam ad ſalutem. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti ſitis a Deo; quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis? Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Hic vero Judæos Romæ degentes acrius urgendos non cenſet, quod novella adhuc eſſet eorum fides, ſed eis ad tempus indulgendum ut dierum ac ciborum legale diſcrimen pro more obſervarent, donec Synagoga cum honore ſepeliretur. Non igitur ad dogmata religionis, neque etiam ad ea quæ legibus Eccleſiæ conſtituta ſunt, trahenda eſt illa Apoſtoli ſententia, *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Nam longe aliter loquitur cum de dogmatibus ſermo eſt: *Sed licet nos*, inquit, *vel Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Quoniam vero apud Romanos talia corrigendi tempus nondum erat, *Unuſquiſque*, inquit, *in ſuo ſenſu abundet.* Galat. 1. 8.

6. *Qui ſapit diem, Domino ſapit.* Qui diem a die diſcernit, ac religioſe obſervat, id facit ad honorem Chriſti Domini, cui ut Moſaicæ Legis auctori, qua Deus eſt, gratam eſſe exiſtimat illam obſervantiam. Græcus Textus & Syriaca Verſio addunt: *Et qui non ſapit diem, Domino non ſapit*, ſeu, *qui non curat diem, Domino non curat:* Quod S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Photius in Scholiis, Oecumenius & Theophylactus recipiunt & interpretantur. Sed membrum illud deeſt in veteri Manuſcripto Codice Alexandrino, in duobus antiquis Codicibus Græcis Claromontani Collegii PP. Societatis Jeſu, & in Sangermanenſi, nec illud agnoverunt Origenes, S. Hieronymus, ceterique Latini Commentatores. *Et qui manducat, Domino manducat:* Qui cibis quibuslibet veſcitur, utens libertate ſibi a Chriſto donata, qui nos a ſervitute legis liberavit, exiſtimandus ſibi eſt id facere ad Domini gloriam: *gratias enim agit Deo* ciborum & bonorum omnium creatori & largitori. Novit ſcilicet *Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*, ait alibi Apoſtolus noſter. *Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Et qui abſtinet a cibis lege vetitis, ea imbecillitate fidei, infirmæque conſcientiæ ſcrupulo, exiſtimandus eſt id facere ob reverentiam Domini, cui diſplicere metuit manducando: *& gratias agit Deo*, pro cibis quibus utitur; vel, pro voluntate & virtute abſtinendi ſibi ab illo data, a quo omne bonum eſt. Novit Dominus eorum qui comedunt, & eorum qui non comedunt propoſitum: nec ſolum factum attendit, ſed etiam facti conſilium examinat: & vos igitur ob ciborum uſum vel abſtinentiam, judicare nolite alterutrum. Siquidem pium utriuſque propoſitum eſt, ſive manducantis, ſive non manducantis, ſcilicet honorare Dominum, & factum ipſum per ſe indifferens eſt, modo iſte non exiſtimet hominem ex operibus legis juſtificari, & legales obſervantias eſſe neceſſarias ad ſalutem. 1. Tim. 4. 4.

Theodoretus.

7. 8. *Nemo enim noſtrum*, qui Chriſtiani ſumus, *ſibi vivit, & ſibi moritur.* Nemo propter ſe vivit, propter ſuum commodum, propriamque gloriam, quaſi finis ipſe ſit vitæ ſuæ, operumque ſuorum. Nemo ita ſui juris eſt, ut vitæ ſuæ dominus, mortiſque ſit arbiter: ſed ſervi Chriſti ſumus, cujus in honorem & gloriam omnia noſtra debemus referre. *Sive enim vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur.* Unius igitur Chriſti Domini noſtri gloriæ totum quod ſumus, quod vivimus, quod agimus, quod morimur, conſecrandum eſt. Quo ſuæ ſervitutis officio fungi probatæ vitæ Chriſtianos quoslibet cum par ſit exiſtimare; ad Dei pariter ac Domini gloriam referre cenſendi ſunt manducationem promiſcuam quorumvis ciborum, aut abſtinentiam a cibis lege vetitis. *Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Servorum nihil proprium eſt, omnia ſunt Domini. Cum igitur ſervi Chriſti ſimus, pretio magno empti, ſcilicet ipſius ſanguine, toti ipſius ſumus & in vita, & in morte, & in hoc ſæculo & in futuro. Non eſt ergo noſtri juris judicare conſervos, ſed Domini.

9. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Hunc in finem Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut plenum dominii ſui in vivos & mortuos uſum ac exercitium adipiſceretur. Ipſum enim dominium illi, etiam qua homo eſt, a primo conceptu convenit ratione perſonalis unionis Verbi cum natura humana, ſed plenum Regiæ poteſtatis & dominii in Eccleſiam, & in vivos ac mortuos uſum morte & reſurrectione ſua ex decreto Patris adeptus eſt. Confer cum *Pſalm.* 2. 6. 7. 8. & *Hebr.* 2. 7. 8. 9. Mortem noſtram moriendo deſtruxit, ut mortuorum dominetur.

Digitized by Google

tur; vitam reſurgendo reparavit, ut dominetur viventium. Hoc loco nonnulla eſt lectionis varietas. Græcus Textus ſic ad verbum vertendus eſt: *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & revixit, ut & mortuorum & vivorum dominetur*. Quam lectionem ſequuntur ſanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius. S. Irenæus ita legit: *In hoc enim Chriſtus & vixit, & mortuus eſt, & reſurrexit*, &c. Sic etiam legit S. Auguſtinus. Syriaca Verſio Latine reddita ſic habet: *Propterea enim Chriſtus mortuus eſt, ac revixit ac reſurrexit, ut ſit ipſe Dominus, tum mortuis, tum viventibus*. Verumtamen alterutram harum vocum *revixit*, vel *reſurrexit*, irreptitiam eſſe conſtat ex Origene, ex S. Hieronymo qui Novum Teſtamentum Damaſi Pontificis Maximi juſſu Græcæ fidei reddidit, & ex omnibus Vulgatæ noſtræ Verſionis Codicibus.

S. Iren. lib. 3. cap. 20.

S. Aug. lib. De Moribus Manichæorum.

10. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? Et tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti*. Tu autem Chriſtiane in fide infirmior, qui legale diſcrimen dierum & ciborum ſcrupuloſius obſervas, quid fratrem tuum uni Patri Deo, unique Domino tecum ſervientem; fratrem tuum, in quem poteſtatem non habes, inſuperhabita lege caritatis, temere damnas, cum libertate per Chriſtum data ad ejus gloriam utatur, nullos dies obſervans, a nullis cibis abſtinens ex Legis præſcripto; a cujus jugo nos Chriſtus liberavit? Et tu Chriſtiane peritior, ex Gentibus vocate, qui legalibus ceremoniis non adhæres, omnique excuſſo ſcrupulo cibis quibuslibet uteris, quare ſpernis fratrem tuum, Judæum, imperitum, ipſique ſcandalum ponere pro nihilo ducis? omnes enim ſiſtemur ante tribunal Chriſti, ab illo judicandi. Illius eſt judicare vivos & mortuos, qui vivorum & mortuorum Dominus eſt. Quid jus illius uſurpas? *Omnes*, ſine exceptione, tam boni quam mali, *ſtabimus ante tribunal Chriſti*, judicandi judicio retributionis, ut rurſus docet Apoſtolus noſter 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Non omnes judicandi judicio diſcuſſionis, ut loquitur ſanctus Thomas; ſed quidam ob inſignia merita conſidebunt ut judices, ſecundum promiſſum Chriſti: *Sedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſrael*.

S. Thom. in hunc locum.

Iſaiæ 45. 24.

11. *Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu; & omnis lingua confitebitur Deo*. Per vitam meam juro: Omnes cujuſcumque gentis & linguæ homines mihi ſubjicientur ac ſeſe ſubſternent; Dominum ac Deum ſuum, per quem ſolum jurandum ſit, qui ſolus ſit adorandus, me agnoſcentes & confeſſi: boni quidem ſponte, mali vero inviti. Quod in futuro judicio quoad omnes & ſingulos implebitur, cum in hac vita ex omni quidem hominum genere aliqui, non tamen omnes & ſinguli Chriſto ſubjiciantur, eumque Deum & Dominum fide & operibus confiteantur. Confer cum Hebr. 2. 8. *In eo enim quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei* (ait ibi Apoſtolus noſter) inſignis eſt locus ad Chriſti divinitatem probandam, cui & Iſaias nomen *Jehova* tribuit, & Apoſtolus nomen *Dei*. Confer & cum *Philipp*. 2. 10. 11.

Non iiſdem omnino verbis, ſed eodem ſenſu: *In memetipſo juravi quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua*.

S. Hieronymus ex Verſione LXX. habet: *Jurabit & confitebitur omnis lingua*.

12. 13. *Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo*. Unuſquiſque de ſe ipſo, non de aliis; de factis propriis, non de alienis (niſi quatenus aliorum vita ad ejus curam pertinet) rationem reddet Chriſto judici, vero *Deo*, cujus ante tribunal ſtabimus. *Non ergo amplius invicem judicemus, ſed hoc judicate magis, ut ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum*. Ne igitur alius de alio temere judicet, ſed judicium relinquite Domino: Id potius ſtatuite apud vos firmo animi judicio ac propoſito, ne fratri occaſionem lapſus præbeatis. Hoc autem faciebant & Judæi, qui Gentibus inſuetis imponere volebant Legis jugum; & e Gentibus Chriſtiani, qui Judæos hac in re hæſitantes, tametſi Chriſti fidem profiterentur, damnabant aut ſpernebant. Inter offendiculum & ſcandalum hic diſtinguere minime opus eſt, ſicut nec inter *lapidem offenſionis, & petram ſcandali*, ſupra Cap. 9. Verſ. 33. Nam hujuſmodi repetitiones ad inculcationem ejuſdem rei Scripturis maxime familiares ſunt. Syrus Interpres offendiculum & ſcandalum pro eodem accepit, ut ejus Verſio Latine reddita indicat: *Et ne offendiculum fratri tuo ponas*. Revereri tamen oportet S. Thomæ diſtinctionem, cui majus aliquid videtur eſſe ſcandalum, quam offendiculum. Nam offendiculum eſſe notat quicquid retinet ſeu retardat motum procedentis: ſcandalum autem, cum aliquis diſponitur ad caſum. Non ergo debemus fratri ponere offendiculum, faciendo aliquid quo impediatur proximus a via juſtitiæ: Iſaiæ 57. 14. *Auferte offendicula de via populi mei*. Neque etiam debemus fratri ponere ſcandalum, aliquid faciendo unde incliuet ad peccatum: Matth. 18. 7. *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*.

Scandalum proximis non præbendum.

S. Thomas Lect. 3.

14. *Scio, & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt*. Scio, & certus ſumme me non decipi, utpote a Domino Jeſu & ejus Spiritu edoctus, nullum cibum ſub Evangelica Lege eſſe immondum, niſi ei qui exiſtimat immundum eſſe & illicitum: ſi enim id credens, ab illo non abſtineat, peccatum committit, quia contra conſcientiam agit, tametſi erroneam. *Scio & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum*. Neceſſario addidit illud, *in Domino Jeſu*, propter Judæorum infirmitatem, ut obſervat Theodoretus. „ Ne enim dicant, *Tu „ quis es, quis Moyſi contraria ſtatuis?* Moſis Domi„ num in medium protulit, dicens eum legalibus „ obſervationibus, finem impoſuiſſe, nec permiſiſſe „ ut ullus cibus immundus exiſtimaretur. Illud „ enim, *Per ipſum*, hoc eſt, per Evangelicam ejus „ conſtitutionem. Ipſe enim Beato etiam Petro di„ xit, *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixe„ ris*. Si quis autem exiſtimans hunc cibum eſſe „ immundum, eo veſcitur, immundus eſt, non pro„ pter ejus naturam, ſed propter opinionem. „ Nullus ergo cibus nocere poteſt niſi ei qui eo utitur contra conſcientiam, contra Dei ordinem, aut contra Eccleſiæ conſtitutionem.

Theodoretus.

Act. 10. 15.

15. *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: jam non ſecundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*. Verum ſi frater tuus Chriſtianus occaſione a te data conturbatus, & propter abſtinentiam a cibis Moſaica Lege prohibitis ſe a te contemni, aut ſeverius reprehendi doleat; vel tua in edendo libertate contriſtatus temere de te judicet, quaſi Dei legem parvifacias; aut exemplo tuo ad edendum contra conſcientiæ dictamen provocetur: non jam ſecundum regulam fraternæ caritatis, quæ tolerat infirmitatem fratrum, illiſque compatitur, & quantum fieri poteſt ſe accommodat in rebus indifferentibus, abſtinens ab iis a quibus citra peccatum abſtineri poteſt, ne illis offendiculum vel occaſio lapſus præbeatur. Proximum ſecundum Deum non amas, ſi propter ejus ſalutem non tantiſper circumcidis libertatem quam Evangelica lege tibi datam intelligis indifferenter utendi omni genere ciborum. Ne præbeas occaſionem perditionis & ruinæ libertate tua veſcendi quovis cibo, ſeu potius imprudenti libertatis uſu, illi pro quo Chriſtus mortuus eſt, & cui mortis ſuæ fructum per Baptiſmum, aliaque Sacramenta applicavit. Hinc probatur invicte Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortuum non eſſe, cum illi perdi & perire poſſint, pro quibus mortuus eſt.

Rebus etiam permiſſis cum ſcandalo aliorum uti lex caritatis prohibet.

Chriſtus pro ſolis prædeſtinatis mortuus non eſt.

16. 17. *Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum*. Ne bonum quo fruimur, ſcilicet Evangelium & fidem Chriſti, exponamus obtrectationibus & maledictis hominum liberiori & intempeſtivo quorumvis ciborum eſu, vel contentionibus de cibis edendis aut non edendis. *Non eſt enim regnum Dei, eſca & potus: ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto*. Regnum Dei, quod intra vos eſt, non conſiſtit in eſca & potu, nec in uſu libertatis quovis cibo utendi; ex his rebus per ſe ſpectatis non pendet ſalus noſtra, nec ad gratiam aut ſalutem æternam conſequendam per ſe conducunt, adeo ut periclitetur ſalus noſtra cum hac in parte libertatem noſtram circumſcribimus, ne fratres contriſtemus, & offendiculum eis præbeamus. Immo vero regnum Dei vera juſtitia conciliat, & quæ eſt cum dilectione concordia, ſtudiumque pacis, & gaudium, quod eſt fructus Spiritus ſancti. Confer cum 1. Corinth. 8. Verſ. 8. 9. ubi ſcribit Apoſtolus noſter: *Eſca autem nos non commendat Deo: Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: Neque ſi non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis*.

18. 19. *Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus*. Qui enim ſtudio juſtitiæ, quæ virtutes omnes complectitur, imprimiſque caritatem, qua fit bona voluntas, & ſtudio pacis atque concordiæ, regnum Dei in ſe & in aliis promovet ut ſervus Chriſti, Deo & hominibus acceptus eſt. *Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus*. Quæ cum ita ſint, ſectemur ea quæ ad pacem cum proximis conſervandam conducant: & ſtudioſe obſervemus quæ ad mutuam ædificationem pertinent. Pacem contentionibus, ædificationem ſcandalo Apoſtolus opponit. Non ergo cum ſcandalo cibis etiam permiſſis utamur, quia ſcandalum adverſatur caritati; juſti-

Digitized by Google

ſiæ, paci: ſiquidem contentiones parit, & proximum perdit.

20. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei*, ſcilicet caritatem, pacem, proximi ſalutem. *Omnia quidem ſunt munda*. Omnes quidem cibi mundi ſunt ſuapte natura, omnes permiſſu Chriſti liciti: *ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat*: ſed peccat homo qui veſcitur quibuſvis cibis cum ſcandalo proximi.

21. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur*. Melius eſt * non uti carnibus, vino, & quocumque alio cibo & potu, nec facere quicquam per quod frater tuus, proximus tuus *offenditur*, id eſt commovetur contra te, quaſi illicite agentem, per quod pax ejus perturbatur: *aut ſcandalizatur*, id eſt ad peccatum provocatur, quo deſtruitur ejus juſtitia: *aut infirmatur*; id eſt, ſaltem in dubitationem venit utrum quod agis ſit licitum, an Dei lege vetitum; quo dubio ejus ſpirituale gaudium minuitur. Confer cum 1. Corinth. 8. 13. ubi ſcribit Apoſtolus noſter, *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*.

* Epitritum ... 1 ... Matt. 18. ... bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, &c. S. Thomas, Lect. 3.

22. *Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo*. Perſuaſum habes tibi licitum eſſe quod facis, id eſt cibis quibuslibet veſci? Id teneas velim ſed Chriſtiana quidvis manducandi libertate utaris occulte; ſi ſcandalum timeatur. *Fidem* igitur hic vocat Apoſtolus, *non fidem dogmatum* quaſi neceſſaria non eſſet ad ſalutem fidei profeſſio (quod Evangelio * & Apoſtolo * repugnaret) ſed firmam perſuaſionem per quam quis credit licitum eſſe quod facit, ſeu aſſenſum conſcientiæ, fiduciamque infirmitati ac trepidationi oppoſitam. Non pœnitenda tamen S. Thomæ commentatio, duplex genus dogmatum diſtinguentis. „ Eorum (ait) quæ ſunt fidei, quædam nondum ſunt per Eccleſiam perfecte „ manifeſtata, ſicut in primitiva Eccleſia nondum „ erat perfecte declaratum apud homines quod Judæi ad Chriſtum converſi non tenerentur legalia „ obſervare: & tempore S. Auguſtini nondum erat „ ab Eccleſia declaratum quod anima non eſſet ex „ traduce, id eſt, utrum a parentibus per generationem, ut corpus, propagaretur. Unde in hujuſmodi quæſtionibus ſufficit homini quod fidem habeat coram Deo; nec oportet ut eam prodat „ exterius cum ſcandalo proximorum. Quædam vero ſunt dogmata fidei jam ab Eccleſia determinata: & de his non ſufficit fidem habere coram Deo, „ ſed oportet ut coram proximo fidem confiteatur, „ quantumcumque ex hoc alicui ſcandalizentur, quia „ veritas doctrinæ non eſt dimittenda propter ſcandalum, ſicut nec Chriſtus veritatem ſuæ doctrinæ propter ſcandalum Phariſæorum dimiſit. Inter hæc etiam fidei dogmata quædam ſunt, de „ quibus tametſi fidem nos jam manifeſtare teneamur oris confeſſione, non tamen neceſſe eſt eam ut „ manifeſtemus operis executione. Sic Matrimonium eſſe licitum credere tenetur quilibet Chriſtianus; non tamen tenetur quilibet nubere ſeu „ matrimonio uti ad fidei ſuæ manifeſtationem. „ Sic etiam neceſſe non erat ut qui rectam fidem „ habebant de ciborum legali diſcrimine per Chriſtum ſublato, fidem ſuam intempeſtivo quorumvis ciborum uſu manifeſtarent. Poterant enim „ manifeſtare verbo tenus, ſi quando neceſſe foret.

S. Joan. Chryſoſt. hom. 26. (Matt. 10. 32. Rom. 10. 10.)

S. Thom. Lect. 3.

Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat. Beatus quem conſcientia non reprehendit vel damnat in ea re quam facere conſtituit. Confer cum 1. Joannis 3. 21. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Hæc autem S. Pauli ſententia de rebus ſimpliciter licitis aut mediis ſeu indifferentibus, qualis eſt eſus ſuillæ aut leporinæ carnis ſub Evangelica lege: non de rebus divina aut humana lege prohibitis, intelligenda eſt. *Sunt enim multi, qui ſe ipſos non judicant, tametſi vehementer delinquant, qui omnes eo ſunt miſeriores*.

S. Chryſoſt. Hom. 26.

23. *Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide*. Qui autem judicat illicitum eſſe ciborum aliquorum uſum, vel hæſitat utrum edere ſibi liceat, vel non, & nihilominus manducat, damnatus eſt propriæ conſcientiæ judicio: „ quia comedit reclamante vel dubitante conſcientia, nec cum firma perſuaſione licitum eſſe quod „ facit. *Damnatus eſt*, non quod immundus ſit cibus, ſed quod non ex fide: non enim mundum „ eſſe credidit, ſed tamquam immundum attigit. „ Per hoc oſtendit Apoſtolus quantum damni dent, „ qui non perſuaſos attingere cogunt, quæ ipſis „ immunda videntur. *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Omne igitur quod quis agit non plene perſuaſus id ſibi licere, ſed vel illicitum exiſtimans, vel dubitans utrum liceat, necne, peccati reus eſt. Ita ſententiam Apoſtoli S. Chryſoſtomus in præſenti argumento intelligendam docet. *Cum enim*, inquit, *quod edit, mundum eſſe non confidat, nec credat, quomodo non peccaſſe credetur?*

S. Chryſoſt.

Vel, *Omne quod non eſt ex fide* virtute, *peccatum eſt*. Quæ tamen ſententia damnato Pontificiis Conſtitutionibus Baii errori non favet, aſſerentis „ Omnia infidelium opera eſſe peccata. Ut enim ratiocinatur S. Thomas in homine infideli cum infidelitate eſt bonum naturæ; & ideo cum ex „ dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat: non tamen „ opus eius eſt meritorium, quia non eſt gratia „ informatum. Qui ſenſus eſt Gloſſæ ſumtæ ex S. „ Proſpero in libro Sententiarum ex S. Auguſtino, „ delibatatum, Sententia 106. *Omnis infidelium vita peccatum eſt: & nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Ubi enim deeſt agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt etiam in optimis moribus*; in quantum ſcilicet non refertur ad finem „ beatitudinis æternæ. Cum vero homo infidelis „ aliquid agit ex infidelitate, procul dubio peccat. „ Unde hæc ſententia. "*Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſic eſt intelligenda: *Omne quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt*: etſi ex genere ſuo, ſeu *officio* bonum eſſe videatur. „ Verbi gratia, ſi Paganus ad honorem deorum ſuorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam erogget, hoc ipſo peccat. Unde ad Titum 1. 15. ſcribit Apoſtolus noſter: „ Omnia munda mundis: „ coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia. *Eadem eſt S. Auguſtini doctrina, idem ſenſus lib. 4. contra Julianum, cap. 3.* Si gentilis, „ inquis, nudum operuerit, numquid quia non eſt „ ex fide, peccatum eſt? Prorſus in quantum non „ eſt ex fide, peccatum eſt: non quia ipſum per ſe „ ipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum .... „ Reſponde, utrum bonam miſericordiam exiſtimes „ infidelem. Porro ſi vitium eſt male miſereri, procul dubio vitium eſt infideliter miſereri. Quod „ ſi & ipſa per ſe ipſam naturali compaſſione opus „ eſt bonum; etiam iſto bono male utitur qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit: qui autem male facit aliquid, profecto peccat. Ex quo colligitur, etiam ipſa bona „ opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, „ ſed illius qui bene utitur malis: Ipſorum autem „ eſſe peccata, quibus & bona male faciunt; quia „ ea non fideli, ſed infideli, hoc eſt, ſtulta & „ noxia faciunt voluntate: Qualis voluntas, nullo „ Chriſtiano dubitante arbor eſt mala, quæ facere „ non poteſt niſi fructus malos, id eſt, ſola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non eſt ex „ fide peccatum eſt. Et ideo Deus iſtas arbores „ non poteſt diligere, & ſi tales permanſerint, „ diſponit excidere: quia ſine fide impoſſibile eſt „ placere.

Omnia infidelium opera eſſe peccata, damnatus error eſt. S. Thomas, Lect. 3.

Poſt hæc verba, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, in quibuſdam Mſſ. Græcis vetuſtiſſimis, & apud Sanctum Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum, ſequuntur tres Verſus, quos in fine Epiſtolæ habemus cap. 16. ſcilicet Verſ. 25. 26. 27. ſed in melioris notæ, & majoris antiquitatis Codicibus, quos Origenes & Sanctus Hieronymus habuerant, conſtat hæc tria commata ad Epiſtolæ finem pertinere, & huc tranſlata inconſulto fuiſſe, fraude forte Marcionis, occaſionem dante, de quo Origenes lib. 10. in fine Commentarii ſcribit: „ Caput hoc Marcion, a quo „ Scripturæ Evangelicæ atque Apoſtolicæ interpolatæ ſunt, de hac Epiſtola penitus abſtulit, & „ non ſolum hoc, ſed ab eo ubi ſcriptum eſt, *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, uſque in „ finem cuncta diſſecuit. In aliis vero exemplaribus, quæ non ſunt a Marcione temerata, hoc „ ipſum caput diverſe poſitum invenimus. In nonnullis etenim Codicibus poſt eum locum, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſtatim cohærens „ habetur, *Ei autem qui potens eſt vos confirmare*. Alii „ vero Codices in fine, id eſt, ut nunc eſt poſitum, continent.

C A P U T XIV.

Senſus Moralis.

Oeconomia cum infidelibus & hæreticis recens converſis ſervandum eſt in iis quæ fidem & bonos mores non ſpectant.

1. *Infirmum in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum.* Cum hæreticis, aliiſque infidelibus recens ad fidem converſis ſumma caritate & manſuetudine agendum eſt. Non ſtatim ab illis exigenda Chriſtiani & Catholici hominis perfectio. Tolerandi in illis ſunt defectus ex priſtina converſatione reſidui, qui nec fidem, nec bonos mores lædunt. Non importunis diſputationibus & acerbis contentionibus exagitandi ſunt, ne reſiliant a fide quam ſunt amplexi, ſed ſimpliciter & comiter docendi ſunt. Nec enim infirmus ſtatim ſequi poteſt validiorem & robuſtiorem: ſed validior & robuſtior infirmo compati, ſeque attemperare & accommodare poteſt. Imitanda S. Auguſtini caritas, manſuetudo & patientia, qui de Fauſto quodam Pagano recens ad Chriſti fidem converſo Sermonem ad populum ſuum faciens, ait: „Forte dubitat aliquid „novitas ipſius. Amate abundantius dubitantem: „amore veſtro curate de corde infirmi dubitationem. Interiorem faciem videte, de qua gaudetis; cor Deo committite, pro quo oretis. Sciatis „eum deſeri a malis, ſuſcipiatur a vobis. Plus „amate hominem, quam prius oderatis errorem. „Sic venit Chriſtus ægros ſanare, de quo Evan„gelium audivimus, *Quia non eſt opus ſanis medicus,*

S. August. Serm. de Paulo Apoſtolo, in converſione Fauſti Pagani, apud Vivam in cap. 4. Epiſt. ad Rom.

Matth. 9. 12.

„*ſed male habentibus* . . . . Itaque, fratres, commendamus eum & orationibus veſtris, & dilectioni veſtræ, & amicitiæ fideliſſimæ, & ſuſceptioni infirmitatis ejus. Quomodo præitis, ſic „ſequitur: bonam viam doceat, bonam in vobis „inveniat. Jam factus Chriſtianus diſcernat, quid „interſit inter id quod dimiſit, & id quod invenit. Vitam ipſius & ſtudium circa fidem Chriſti „poſteriora tempora comprobabunt: nunc autem, „Fratres mei, non fuit neceſſe, non fuit conſilii „Paſtorum repellere pulſantem, differre quærentem. De occultis cordis velle judicare, & vocem „manifeſtam non acceptare, nec conſilii fuit, nec „propoſiti noſtri.

Tom. V. Operum S. Auguſt. Edit. noviſſimæ Pariſ. p. 1517. 1518.

3. 4. *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit.* Simplices & imperitos contemnere & irridere, mos eſt eorum qui ingenio, doctrina & rerum uſu pollent: doctiorum & ſapientium facta arguere ac de aliis temere judicare, cenſuraque præcipiti notare quæ ipſis mala videntur ex ignorantia, mos eſt rudium & imperitorum. Utrumque vitium vitandum Apoſtolus docet. Quid contemnis fratrem? Frater tuus eſt, a Deo in filium adoptivum aſſumptus, ejuſdem corporis membrum, cohæres pariter Chriſti, te forte ſanctior & Deo gratior. Tu ſcientia præſtas, ille forſan caritate, quæ excellentior eſt. Proximi contemptus caritatem & humilitatem deſtruit, quibus concuſſis ac deſtructis, totum ſalutis ædificium collabitur. Qui Deum in proximis honorant, a Deo honore afficientur & gloria coronabuntur: qui fratres contemnunt, a Deo contemnentur. *Væ qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris?* . . . . *Videte*, inquit Chriſtus, *ne contemnatis unum ex his puſillis qui in me credunt. Angeli enim eorum in cælis vident faciem Patris mei.* Infirmi ſunt, an propterea contemnendi & irridendi? Inhumanum eſt ut ſanus inſultet infirmo, fortis invalido, dives pauperi. Irriſores fratrum infirmorum & rudium Dominus qui in cœlis habitat in die judicii irridebit & ſubſannabit. *Parata ſunt deriſoribus judicia: & mallei percutientes ſtultorum corporibus.* Tolerandi ſunt infirmi, & compatientis caritatis affectu procurandi; edocendi ſudes, non ſpernendi. *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat.* Quem Deus non ſprevit, non abjecit, ſed in curam ſuſcepit ſuam, cur tu ſuperbe homuncio ſpernis? *Deus enim illum aſſumpſit.*

Proximus non contemnendus, nec irridendus ob infirmitatem & imperitiam.

Iſai. 33. 1.

Prov. 19. 29.

Temerarium judicium fugiendum.

Et qui non manducat, manducantem non judicet. Alienæ conſcientiæ judex temerarius, Dei jus uſurpat, qui cordium ſcrutator eſt & judex. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum?* In cenſuram vocat, facta, quæ cum per ſe mala non ſint, ſed media ſeu indifferentia, apud Deum forte innoxia, laudabilia & meritoria ſunt propter bonam fidem & intentionis puritatem. Damnat illum, quem forte Deus omnium Dominus & ſupremus Judex abſolvit. *Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Hinc Apoſtolus noſter alio loco ait: *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.* „Sunt ergo quædam facta media, „quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono &

1. Cor. 4. 5.

„mala fieri poſſunt, de quibus temerarium eſt judicare, maxime ut condemnemus. De illis quæ „manifeſte & per ſe mala ſunt judicare licet, de „occultis vero judicium Deo relinquendum: quia „& ipſa abſcondi non poſſunt, ſive mala, ſive bona, cum tempus advenerit quo manifeſtentur. „Duo ſunt autem in quibus temerarium judicium „cavere debemus; cum incertum eſt quo animo „quidque factum ſit, vel cum incertum eſt qualis „futurus ſit qui nunc vel bonus vel malus appa„ret. Si ergo quiſpiam, verbi gratia, conqueſtus „de ſtomacho jejunare noluit, & tu id non credens, edacitatis id vitio tribueris, temere judicabis. Item ſi manifeſtam edacitatem ebrioſitatemque cognoveris, & ita reprehenderis quaſi numquam ille poſſit corrigi atque mutari, nihilominus temere judicabis. Non ergo reprehendamus „ea quæ neſcimus quo animo fiant; neque ita „reprehendamus quæ manifeſta ſunt, ut deſperemus ſanitatem. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Voluntate autem ſua cadit: qui cadit: & voluntate Dei omnipotentiſſima ſtat, qui ſtat. Tu ergo qui ſtare videris, cave ne cadas.

S. Auguſt. lib. 2. De Serm. Domini in Monte, cap. 18.

7. 8. *Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur.* Noſtri non ſumus, ſed Dei qui nos creavit, Chriſti qui nos redemit. Totum illi debemus, & quod homines, & quod Chriſtiani ſumus, & quod regni ejus conſortes poſt mortem nos futuros & cum eo nos æternum victuros vita immortali & beata per ejus miſericordiam ſperamus. Omnes igitur vitæ noſtræ fructus, opera omnia ad Dei gloriam & honorem referre debemus: ipſi, non nobis vivere: voluntatem ejus in omnibus quærere, quæ illi grata ſunt inflammato ſtudio facere: ad paupertatem & divitias, ad honores & abjectionem; ad gloriam & opprobria, ad infamiam & bonam famam, ad lucra & damna, ad ægritudines & ſanitatem, ad proſpera & adverſa quævis, ad vitam & mortem indifferentes eſſe, modo Deus per nos & in nobis honoretur & glorificetur. *Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Nullam vitæ noſtræ partem, nullum momentum, nullam cogitationem, nullum verbum, nullum opus illi ſubtrahere debemus, cui omnia noſtra debemus, et qui nos ſanguine ſuo emit. Hereditas Chriſti ſumus, illi data a Patre, ab illo acquiſita pretio mortis ſuæ, illi confirmata per glorioſam reſurrectionem, qua omnis poteſtas illi data eſt in cœlo & in terra tamquam Regi immortali ut homines regat & ad Deum ducat: tamquam æterno Sacerdoti, ut eos gloriæ ſuæ immolet, conſecret, quibus viis & quibus modis voluerit. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Niſi vitam & mortem noſtram, & quicquid ad illas attinet, Deo penitus devoveamus & conſecremus, nihil mundo, nihil carni, ſeu nobiſmetipſis reſervantes, Chriſti jura violamus; dominium ejus, quantum in nobis eſt, imminuimus.

Non nobis, ſed Deo vivere, & ad illius gloriam omnia opera noſtra referre debemus.

10. 11. 12. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Hi temere judicant de incertis, & facile reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quam emendare & corrigere; quod vitium vel ſuperbiæ eſt, vel invidiæ. *Tu autem quid judicas fratrem tuum?* Oblitus es Jeſum Chriſtum judicem illius & tuum, omniumque hominum eſſe? Cur judicium ejus prævenis? Cur jus illius uſurpas? Cur aliorum vitam obſervare, aliorum facta damnare non metuis, quæ in partem interpretari meliorem caritas præcipit? Examina ſedulo vitam tuam, cogitationes, verba, operaque tua ſingulatim diſcute. Recogita quot & quanta peccata commiſeris; quam pauca opera bona feceris, quam imperfecta; quot occaſiones bene agendi neglexeris, quot & quantis Dei inſpirationibus & gratiis infidelis fueris, quot officiis in omni ſtatu vitæ tuæ defueris. Præpara te ad reddendam omnium Judici rationem. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Id niſi credas, ſtultra de Chriſtiano nomine gloriaris. Si credis, nec te diſponis ad judicium, in ſumma certe & ſtupenda prorſus ſalutis tuæ vivis incuria. Dic, amabo, nonne ſtultum merito exiſtimares hominem, qui cauſſam haberet coram judice pendentem, in qua non ſolum de fortuna ejus boniſque omnibus, non ſolum de honore, ſed de ejus vita ageretur, ſi aliorum rebus explorandis ſe ingereret, alienorum factorum cenſorem ageret; propriumque ſupremi momenti negotium negligeret? Cauſſam habemus, cujus Chriſtus ſupremus eſt Judex,

Divini judicii conſideratio nos a judiciis temerariis deterrere debet.

Nat. Alex. In Epiſt. D. Pauli Tom. I.

lex, in qua de ſalute noſtra, de beatitudine vel damnatione, de felici vel miſera æternitate agitur; & hanc negligimus. Rationes noſtras diſponere, vitam diſcutere & ordinare, conſcientiam emundare, Deo ſatisfacere, judicem placare & promereri minime curantes, ad aliorum cenſuram nos convertimus; illorumque facta quamvis per ſe non mala, quamvis pia intentione Deo forte placentia, quamvis forte caritate rubiginem (ſi quæ ſubeſſet) humani erroris conſumente, regnis cœleſtis meritoria, reprehendere, judicare, damnare præſumimus. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti*, qui juſtitias judicabit: quanto magis injuſtitias, & temeraria judicia? Niſi nunc illi pareamus amore legis & bonitatis ejus, qui nobis prohibet ne de fratribus judicemus, nos vindice juſtitia brevi ſibi ſubjiciet, pedibuſque ſuis ſubſternet. *Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu*. Væ nobis, ſi nec Deo juranti credimus. Væ ſi nec reveremur ut Dominum, nec diligimus ut Patrem, nec timemus ut Judicem. Lingua nobis data eſt ut Deum & Filium ejus Jeſum Chriſtum laudemus, non ut fratres noſtros temerariis accuſationibus & injuſtis exprobrationibus inhonoremus. *Et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unuſquiſque noſtrum*, qua hora non putat, forte hac ipſa die, ſiſtetur ante tribunal Chriſti, & *pro ſe rationem reddet Deo*, plenam, accuratam, ſeveram, etiam *de omni verbo otioſo*, quanto magis de omni opere malo, de omni intentione prava? Ne judicemur, noſtri judices ſimus, non aliorum.

Scandalum ex temerario judicio naſcens.

13. *Non ergo non amplius invicem judicemus: ſed hoc judicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum*. Intempeſtiva fratris reprehenſio & durior increpatio atque damnatio ex temerario judicio profecta, lapſus occaſio eſt fratri, quem conturbat, mœrore afficit, contra imprudentes ac temerarios cenſores commovet, ad ſimilia judicia impellit, in tramite pietatis remoratur, vel defectionis etiam cauſam præbet iis qui ſe maligne & injuſte reprehendi vident, ſi in fide infirmi ſint. Denique hinc ut minimum ſequitur diſſenſio & diſcordia, quæ eſt venenum caritatis. *Sed hoc judicate magis ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum*. „Perpende quas pœnas daturi ſumus ſimpliciter ſcandalizantes. Si enim hic perfectiorum factum velut iniquum propter intempeſtivam reprehenſionem fieri prohibet, ne frater accepto ſcandalo offendatur: qua pœna digni non erimus, qui etiam nihil corrigendo ſcandalum præbemus? Si non ſalvare fratrem culpam habet, id quod & evangelici talenti defoſſor indicat; quid non faciet datum etiam ſcandalum? Sed, inquies. Quid ſi ſuopte vitio ſcandalizatur infirmus? Propter hoc ipſum æquum fuerit ut illum feras. Nam ſi fortis eſſet, tali cura opus non haberet: nunc vero quia imbecillior eſt, multa etiam curandi diligentia opus habet. Præſtemus itaque eam, ubique illum portantes. Neque enim propriorum tantummodo malorum rationem dabimus: ſed & eorum quibus aliis ſcandalum præbemus. Quod ſi etiam per ſe ipſas graves ſunt noſtrorum delictorum pœnæ, ubi & iſtæ accedent, quando ſalvabimur? Non enim putemus nos excuſationem habituros, ſi quando delictorum ſocios invenerimus: nam iſtud ſupplicium magis augebit. Quandoquidem & ſerpens magis punitus eſt quam mulier, & mulier plus quam vir, & Jezabel majores pœnas dedit, quam Achab vineæ raptor. Ipſa quippe univerſum iſtud negotium texuerat, Regique lapſus occaſionem dederat. Igitur & tu quoque ſi reliquis perditionis cauſa fueris, graviora patieris, quam qui per te ſubverſi ſunt. Neque enim peccare tantum in ſe perditionis habet, quantum quod reliqui ad peccandum inducuntur. Propterea dicit, *Non ſolum ipſi faciunt, ſed & facientibus aſſentiuntur*. Itaque ſi quando peccantes viderimus, non ſolum non impellamus, ſed & extrahamus ex ipſo malitiæ barathro, ne & alienæ perditionis pœnas demus. Recordemur quoque perpetuo terribilis illius tribunalis, fluminis ignei, vinculorum inſolubilium, profundarum tenebrarum, ſtridulorum dentium, venenoſique vermis.“

S. Chryſ. Hom. 26. in Epiſt. ad Rom.

Scandali pœnas.

Geneſ. 3.

4. Reg. 9.

Rom. 1.

Infirmorum & ſcrupuloſorum hominum ingenia magna cum lenitate, & prudentiæ œconomia tractanda ſunt. 1. Cor. 12. & 13.

14. 15. *Scio & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi & qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt*. Leniter tractanda; & ſi fieri poteſt, edocenda, non obtundenda ſunt infirmorum & ſcrupuloſorum hominum ingenia. Non imperioſo modo, non objurgationum ac minarum ſeveritate a ſuis præjudiciis aut conſuetudinibus revocandi ſunt, in rebus quæ ſummam fidei aut Legis Evangelicæ, aut Eccleſiæ præcepta & ordinem non ſpectant: non violenter cum illis agendum, ſed ſuæ potius conſcientiæ & bonæ fidei permittendi ſunt, quam conturbandi & contriſtandi. *Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur*, & conturbatus exemplo tuo vel intempeſtiva reprehenſione exponitur periculo agendi contra conſcientiæ ſuæ dictamen, *non ſecundum caritatem ambulas*; quæ *excellentior via eſt*, quæ *benigna eſt, patiens, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet*. Ars artium regimen animarum. Admirabilis hac in re Sancti Pauli prudentia & ſancta œconomia, Paſtoribus imitanda. „Vides, inquit Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quomodo familiarem ſibi faciat infirmum auditorem, oſtendens tantam illius rationem habere ſe, ut ne mœſtum reddat, etiam ea quæ vehementer erant neceſſaria præcipere non audeat? Neque enim poſteaquam vanum exemerat metum, potenter illum trahit aut cogit, ſed ſui ipſius dominum eſſe permittit. Non enim conveniebat ut ita abduceretur a ciborum abſtinentia, ut mœrore afficeretur ac turbaretur. Vides quantum diligentiæ dilectioni impendat: ſciebat enim quod illa omnia corrigere poſſet. Unde & majus quid ab eis hic exigit. Non ſolum (inquit) non oportet illos tamquam ad rem neceſſariam violenter adducere: ſed & ſi opus ſit ut condeſcendatis illis, neque iſtud detrectate. Id præcipit lex caritatis, quæ diſpenſationem non admittit. *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt*. „An ne tanti quidem æſtimas fratrem tuum, ut ſalutem illius neque ciborum abſtinentia redimendam ducas? Et Chriſtus quidem neque ſervitutem, neque mortem illius gratia recuſavit: tu vero nec cibos contempſeris ad hoc ut illum conſerves? Atqui Chriſtus tametſi non eſſet lucratus omnes, nihilominus tamen pro omnibus mortuus eſt, quod ſuum erat adimplens: tu vero cum ſcias propter quod cibum illum ſubvertas in potioribus, adhuc tamen contendes, & eum qui Chriſto tanti eſt, tu adeo contemptibilem putabis? Et Chriſtus non ſolum pro infirmo, ſed & pro inimico mortuus eſt: tu vero neque pro infirmo, vel cibo abſtinebis? Ipſe quidem quod maximum erat, fecit: tu vero neque quod minutulum eſt? Atque hoc cum ſit ipſe Dominus, tu vero frater.“

S. Chryſ. Hom. 26.

16. *Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum*. Qui fidei fratrum dominari volunt, qui humanas opiniones pro fidei dogmatibus obtrudunt, religionem in phantaſmatis ſuis conſtituunt, de rebus quæ nec in Scripturis, nec in Traditione revelatæ ſunt, nec ullam porro cum veritatibus revelatis connexionem neceſſariam habent, nefas eſſe prædicant vel tacite dubitare: qui contentiones, diſſidia, factiones excitant & fovent in Eccleſia pro rebus quæ nec fidem, nec bonos mores lædunt; qui velut hæreticos, aut hæreticorum fautores, ut Novatores, ut ſeditioſos infamant eos omnes qui ipſorum præconceptis opinionibus & præjudiciis non aſſentiuntur; illi Eccleſiam hæreticorum blaſphemiis & maledictis exponunt. „Quando enim litigas, quando contendis, quando contriſtas, quando Eccleſiam ſcindis, quando fratrem convitiis appetis, & pro inimico habes: facis ut qui foris ſunt blaſphement: atque ita non ſolum nihil inde corrigitur, ſed contrarium omnino contingit. *Bonum enim veſtrum eſt dilectio, fraterna caritas, unitas, colligatio, cum pace & manſuetudine vivere*.

Quinam Eccleſiam maledictis & blaſphemiis hæreticorum exponunt.

S. Chryſ. ibid.

17. 18. *Non eſt enim regnum Dei, eſca & potus: ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto*. In interioris hominis ordinatione, in conjunctione intellectus & voluntatis cum Deo per fidem & caritatem, maxime poſitum eſt regnum Dei: quæ vero ad corpus pertinent, ut eſca & potus, regnum Dei non conſtituunt nec firmant, non imminuunt aut deſtruunt in nobis, niſi ſecundum quod eis utimur vel abſtinemus ſecundum legem Dei, & ad ejus honorem & gloriam. Unde Sanctus Auguſtinus ex his verbis Chriſti, *Et juſtificata eſt Sapientia ab omnibus filiis ſuis*, filios Sapientiæ intelligere ait, „*Nec in abſtinendo, nec in manducando eſſe juſtitiam, ſed in æquanimitate tolerandi inopiam, & temperantia per abundantiam non ſe corrumpendi, atque opportune ſumendi vel non ſumendi ea, quorum non uſus, ſed concupiſcentia reprehendenda eſt*. „Non enim intereſt omnino quid alimentorum ſumas, ut ſuccurras neceſſitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his cum quibus tibi vivendum eſt. Neque quantum ſumas multum intereſt; cum videamus aliorum ſtomachum citius ſatiari, & eos tamen illi ipſi parvo quo ſatiantur, ardenter & intolerabiliter & omnino turpiter inhiare: alios autem pluſculo quidem ſatiari, ſed tolerabilius inopiam perpeti, & vel ante ora poſitas epulas, ſi id in tempore aut opus ſit, aut neceſſe ſit, cum tranquillitate aſpicere, neque tangere. Magis ergo intereſt, non quid vel quantum alimentorum

Nec in manducando, nec in abſtinendo Chriſtiana juſtitia poſita eſt, niſi quatenus utimur vel abſtinemus cibis ſecundum legem Dei & Eccleſiæ.

S. Aug. lib. 2. Quæſt. Evangel. Quæſt. 11.

„pro

„ pro congruentia hominum atque perſonæ ſuæ & „ pro valetudinis ſuæ neceſſitate quis capiat ; ſed „ quanta facilitate atque ſerenitate animi careat, cum „ his vel oportet, vel etiam neceſſe eſt carere : ut „ illud in animo Chriſtiani compleatur quod Apo„ſtolus dicit, *Scio & humiliari, ſcio & abundare, (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire : & abundare, & penuriam pati : Omnia poſſum in eo qui me confortat*. Et illud, *Non eſt enim regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium*. Et quia ſolent homines multum gaudere de carnalibus „ epulis, addidit, *in Spiritu ſancto*. *Juſtificatur* ergo „ Sapientia ab omnibus filiis ſuis, qui intelligunt *utendis terrenis tempora opportuna eſſe debere : facilitatem vero carendi talibus, & amorem fruendi æternis, non variari oportere per tempora, ſed perpetuo retineri*.

Phil. pp. 4. 12.

Regnum Dei juſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto. S. Thomas. Lect. 6. Matth. 6. 33. Iſai. 32. 17. Pſalm. 99. 1.

Non eſt enim regnum Dei eſca & potus : ſed juſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Juſtitia refertur ad exteriora opera, quibus homo unicuique reddit quod ſuum eſt, & ad voluntatem hujuſmodi opera faciendi, ſeu ad juſtitiæ ſtudium, de quo Chriſtus ait: *Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus*. Pax vero eſt effectus juſtitiæ. Pax enim per hoc maxime perturbatur, quod alter non reddit alteri quod ei debet. *Et erit opus juſtitiæ pax*. Gaudium autem pertinet ad modum quo juſtitiæ opera facienda ſunt, prompte videlicet, cum alacritate & delectatione. *Servite Domino in lætitia*. Cauſam autem hujus gaudii exprimit Apoſtolus his verbis, *in Spiritu ſancto*. Caritas enim diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Illud itaque gaudium eſt in Spiritu ſancto, quod caritas parit, nempe cum de bonis Dei & proximorum gaudemus, & præſertim de bonis aliorum operibus, & etiam de noſtris, quatenus Dei gloriam, & ſpirituale bonum proximi promovent. Hoc eſt *gaudium de veritate : hic fructus Spiritus*. Hæc autem tria, *juſtitia, pax, gaudium*, imperfecte quidem habentur in hac vita mortali, perfecte autem in regno Dei & vita æterna. Ibi enim erit in ſanctis perfecta juſtitia abſque omni peccato : *Populus autem tuus omnes juſti, in perpetuum hæreditabunt terram*. Ibi erit pax abſque perturbatione timoris : *Et ſedebit populus meus in pulcritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Ibi erit gaudium nullo dolore intermixtum vel interruptum : *Et redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude : & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum : gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus*.

1. Cor. 13. 6. Galat. 5. 22.

Iſai. 60. 21. Iſai. 32 18. Iſai. 35. 10.

„ *Non eſt regnum Dei eſca & potus*, &c. „ O „ delicate, qui deliciis & divitiis circumfluis, con„fuſionum exſpectas & mortem : non eſt regnum „ Dei eſca & potus, non purpura & byſſus, quia „ Dives ille utroque circumfluus, in puncto ad in„ferna deſcendit? Quid ergo? *Sed juſtitia & pax „ & gaudium in Spiritu ſancto*. Attendis & intendis „ quia gaudium in fine eſt? Sic ſatiti filii Adam, „ & præcipiti ſaltu juſtitiam tranſilientes & pacem, „ rem finalem in principium convertere & perver„tere vultis? Nemo enim eſt qui gaudere non ve„lit. Non ſtabit & non erit iſtud, quia ſicut *non „ eſt pax impiis*, ſic nec gaudere impiis : dicit Do„minus. *Non ſic impii, non ſic*. Prius eſt juſtitiam „ facere, inquirere pacem, & perſequi eam, & ſic „ demum apprehendere gaudium : immo a gaudio „ comprehendi. Sic Angelicus ille conventus prius „ juſtitiam fecit, cum ſtetit in veritate, & veritatis „ deſervit deſertorem. Poſt hæc, illa pace fir„mati ſunt quæ exuperat omnem ſenſum ... Exhi„bent Angeli juſtitiam Deo, pacem inter ſe, gau„dium ſibi. Sic & tu, homo, noli prius rapere „ quod tuum eſt ; & juſtitiam quam Deo, & pacem „ quam proximo debes, contemnere ... Quicquid „ es, quicquid potes, debes creanti, redimenti, „ vocanti. Sed cum juſtitiam feceris, fac & pacem, „ Si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid „ adverſum te, ſis humilis ad veniam petendam: ſi „ tu habeas adverſus illum, ſis facilis ad dandam, „ & omnia membra erunt in pace. Sic enim ad duo „ iſta, caritatem & humilitatem paratiſſimi, non „ poterimus diſſenſionem ſentire, & ſic procedenti„bus erit gaudium in Spiritu ſancto. Sic Deo & „ hominibus accepti erimus. “ *Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus*.

S. Bern. Serm 19. De Diverſis.

Iſai. 48. 22. Ad verum gaudium non perveniunt niſi per juſtitiam & pacem.

19. *Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur, & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus*. Ut ad regnum Dei pervenire poſſimus, pacem Eccleſiæ, pacem Reipublicæ, pacem familiarum, pacem inter nos ipſos ſervare ſtudeamus, etiam cum detrimento aliquo rerum temporalium, ſi aliter conſervari caritas, & pax haberi non poſſit. Cum his etiam qui oderunt pacem, ſimus pacifici. Soli Dei filii regni cœleſtis heredes erunt. Illi vero tantum filii Dei, qui pacifici. „ Sectatur pacem, ait Origenes, qui ea „ quibus pax conſtare poteſt, etiam cum labore ſuo, „ cum damno, cum opprobrio quoque, & ſi ita „ neceſſe ſit, etiam cum periculo vitæ ſamæque „ cuſtodit. Hic non ſolum pacem, verum ædifi„cationem ad invicem ſervat. Ædificatur enim is „ qui videt te non quæ tibi ſoli, ſed quæ aliis „ expediunt requirentem ; & ſic creſcit ædificium ac „ templum Dei ex lapidibus vivis, & per conſtru„ctionem caritatis aſſurgit.

Studium pacis.

Origenes lib. 10. in Epiſt. ad Rom. 14. 19.

21. *Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum*. Abſtinentia enim ab utroque carnem ſubigit ut ſpiritui ſerviat, libidinis faces extinguit. Hinc primos inter Chriſtianos plerique hujuſmodi abſtinentiam perpetuo ſervabant, ut corpus in officio continerent. *Numquid, non aliqui*, ait Tertullianus, *ipſam Dei creaturam ſibi interdicunt, abſtinentes vino & animalibus eſculentis, quorum fructus nulli periculo aut ſollicitudini adjacent, ſed humilitatem animæ ſuæ in victus quoque caſtigatione Deo immolant?* Sed illi ipſi qui ſtrictam adeo ſibi indixerant abſtinentiam, ejus ſeveritatem tenebantur temperare, ſi fratribus occaſio eſſet offenſionis, perturbationis vel triſtitiæ. *Alcibiades* unus ex Martyrum Lugdunenſium numero, *durum & ſqualidum vivendi genus ſectabatur : nullumque omnino cibum admittens, ſolo pane & aqua hactenus veſci conſueverat : cumque in carcere poſitus eamdem vivendi rationem vellet retinere, Attalo poſt primum quod in amphiteatro confecerat certamen, revelatum eſt non recte neque ordine facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis exemplum ſcandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, & cunctis deinceps cibis promiſcue uti cœpit, gratias agens Deo. Neque enim divina gratia eos præſentia ſua deſtituerat : ſed conſiliatorem habebant Spiritum ſanctum*.

Abſtinentia a carnibus & vino laudabilis.

Tertull. lib. 10 De cultu feminin. cap. 9.

Epiſtola Eccleſiarum Lugdun. & Vienn. ad Eccleſias, Aſiæ & Phrygiæ, apud Euſeb. lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 3.

23. *Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt : quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Omne quod quis agit non perſuaſus id ſibi licere, ſed vel illicitum putans, vel dubitans utrum liceat, peccatum eſt. Conſcientia noſtra primus Caſuiſta eſt, quem in dubiis conſulere debemus ; ſed conſcientia ſecundum fidem & legem Dei formata, cum ſcilicet veritas in mente fulget, & mens in veritate ſe videt. Hunc fruſtra recentiorum Auctorum turba abſolvit, quem interior ille doctor condemnat. In dubiis tutior pars ſequenda & probabilior : minus probabilem ac minus tutam quiſquis ſequitur, Deum tentat, ſalutem ſuam periculo exponit. Contra conſcientiam erroneam agere peccatum eſt. Errantis vel dubitantis conſcientiæ dictamen ſequi, nihilominus peccatum eſt. *Sine malo quocumque non erit decepta ſimplicitas. Cur, inquis? Numquid non ex fide? Plerumque ex fide, ſed falſa ; vel certe potius non ex fide, quia fides falſa, fides non eſt. Denique de fide vera, non falſa, puto dixiſſe Apoſtolum*. „ Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. “ *Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum eſt : eſt enim falſum. Peccatum igitur eſt. Utrumque igitur complectitur præſens capitulum*, „ Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, *& cæcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam ; quia quod a neſciente fit, & bonum prorſus condemnat intentio prava, & malum non penitus excuſat recta. Sive itaque malum putes bonum quod ſimile agis, ſive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum eſt, quia neutrum ex fide*. Conſcientiæ igitur, fidei & divinæ legis inextincto lumine illuſtratæ, judicium in omni opere ſequendum eſt, ſecundum illud Sapientiæ oraculum : *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ : hoc eſt enim obſervatio mandatorum*. His attende, in his ambula, *habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes* (inquit alibi Apoſtolus noſter) *circa fidem naufragaverunt*. „ Ad quod naufragium infelix anima gra„datim perducitur ... Quidam, inquit S. Grego„rius, idcirco Chriſtianitatis vocatione ſignantur, „ quia Chriſti nomine ſublimiter exaltato, pene „ omnes jam videri fideles aſpiciunt ; & pro eo quod „ hoc vocari alios cernunt, ipſi non videri fideles „ erubeſcunt, ſed eſſe negligunt quod dici glorian„tur. Rem enim virtutis intimæ ad decorem ſu„munt viſionis externæ ; & qui ante ſupernum „ Judicem nudi conſcientiæ infidelitate conſiſtunt, „ ante humanos oculos profeſſione ſancta verbo te„nus palliantur. Nonnulli autem fidem medullitus „ tenent, ſed vivere fideliter nullatenus curant. „ Inſequuntur enim moribus, quod credulitate ve„nerantur. Quibus divino judicio ſæpe contingit, „ ut per hoc quod nequiter vivunt, & illud perdant „ quod ſalubriter credunt. Inceſtanter namque ſe „ pravis actionibus polluunt, & ſuper hoc vindictam „ juſti judicii retribui poſſe diffidunt ; & ſæpe cum

Conſcientia ſecundum fidem & legem Dei formata, primus Caſuiſta eſt.

S. Bernard. lib. De Præcepto & Diſpenſatione, c. 14.

Hæc ſententia, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, & cæcam malitiam, & deceptam innocentiam complectitur.

Eccli. 32. 27. 1. Tim. 1. 19.

S. Gregorius lib. 25. Moral. cap. 10.

Qui digne fidei opera tacere contemnunt, ſæpe fidem perdunt.

Digitized by Google

„ bene vivere neglirant, etiam perſequente nullo „ uſque ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere diſtrictum judicium non credunt, qui inulte „ ſe peccare ſuſpicantur, quo pacto vel eſſe vel „ dici fideles poſſunt? Fidem quippe perdidiſſe, eſt „ incorrectis malis operibus, digna ſupplicia reddi „ poſſe non credere. Quia ergo digna fidei opera „ ſervare contemnunt, etiam fidem perdunt, quam „ tenere videbantur. Super quos bene per Prophetam ſub Jeruſalem ſpecie, inimicorum deſtruentium verba memorantur. " *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea*. Paulus quippe ait: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. „ Inimici ergo „ deſtruentes, uſque ad fundamentum Jeruſalem exinaniunt, quando perverſi ſpiritus a corde fidelium „ deſtructo prius ædificio boni operis, ſoliditatem „ quoque exhauriunt religionis. Sicut enim ſuper „ fundamentum fabrica, ſic ſuper fidem opera conſtituuntur. Uſque ad fundamentum ergo exinaniſſe, „ eſt everſo bene vivendi opere, etiam robur fidei „ diſſipaſſe.

Phil. 126.

CAPUT XV.

Senſus Moralis.

1. 2. D*Ebemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* Debemus fraternæ caritatis officio, nos qui perfecte ſcimus quid liceat, quid non liceat Chriſtianis, & qui firmiores in fide ſumus, imbecillitates eorum qui fide infirmi ſunt, & adhuc rudes in nonnullis quæ ipſam Religionis & Fidei Chriſtianæ ſubſtantiam non ſpectant, patienter ferre, & quantum poſſumus opitulari ut ad fidei perfectionem convaleſcant. Nec placere nobis ipſis debemus in fidei aut ſcientiæ noſtræ lumine, ſeu de illo aut alio quovis bono quo alius præcellere videamur, interius extolli, ita ut proximos propterea deſpiciamus, & eorum ſalutem negligamus. *Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.* Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placere ſtudeat, illi ſe accommodet; ejus & commoda procuret, & infirmitatibus ſuccurrat, ad verum ejus bonum procurandum, ſcilicet fidem, pietatem, & ſalutem. Quod dum fit a nobis, ædificatur ipſe in templum ſanctum Domino.

Infirmorum defectus ſuſtinendi.

3. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit.* Chriſtus Dominus ac Magiſter noſter ſibi ipſi non indulſit, in ſuo bono non ita acquievit, ut aliorum ſalutem non curaret: *ſed, ſicut ſcriptum eſt; * Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.* Ex perſona Chriſti ſcriptum eſt: Injuriæ, o Pater, tibi illatæ a Judæis, veritati doctrinæ tuæ contradicentibus, & opera tua poteſtate facta dæmoni per execrandam blaſphemiam tribuentibus: quin etiam totius generis humani peccata, quibus nomen tuum blaſphematur & lex ſancta contemnitur, ceciderunt ſuper me tamquam in hircum emiſſarium, victimam a te deſtinatam ad illa expianda. Pro illis ut juſtitiæ tuæ ſatisfacerem, mortem ſubii, exolvens quæ non rapui.

Pſalm. 68. 10.

4. *Quæcumque enim ſcripta ſunt*, in Lege, Prophetis, & Pſalmis, in omnibus Scripturæ ſacræ libris, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt:* figuræ ſunt rerum Chriſto aut membris ejus eventurarum, & literis mandata ſunt ad noſtram inſtitutionem ſeu in fide ſeu in moribus. *Ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Ut exhibentes in adverſis patientiam, ad quam nos Scripturæ exhortantur, & ex iiſdem Scripturis conſolationem haurientes, ſpem firmam æternorum bonorum quæ in iis a Deo promittuntur, concipiamus, & in ea roboremus. Confer cum 2. ad Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.*

Scripturæ ſacræ utilitas ad conſolationem noſtram, & ſpei noſtræ confirmationem.

5. 6. 7. *Deus autem patientiæ & ſolatii, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum.* Deus patientiæ & conſolationis auctor, a quo eſt omne donum optimum, det vobis mutuam concordiam & benevolentiam, ſecundum doctrinam & exemplum Chriſti Jeſu. Hæc verba, *ſecundum Jeſum Chriſtum*, excludunt conſenſionem in doctrina falſa, qualis erat, Juſtificari hominem ex operibus Legis: Cibos aliquos eſſe immundos, &c. *Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut quaſi anima una & cor unum effecti per fidei & caritatis conſenſum, una oris confeſſione, quæ ex fidei unitate procedit, colatis & laudetis Deum omnium Creatorem, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem nos ſibi in filios adoptavit. *Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.* Quæ cum ita ſe habeant, vos ipſos mutuo caritatis affectu excipite, juvate, ſuſtinete; ſicut & Chriſtus vos, tam Judæos, quam Gentes aſſumpſit in curam protectionemque ſuam, ad Evangelium ſuum vocavit, ut fratres complexus eſt, ut membra ſibi ſociavit & conjunxit, ad Dei gloriam & honorem promovendum.

8. *Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum.* Chriſtum Jeſum vos ſuſcepiſſe, qui congregati eſtis in unitatem fidei tam ex Judæis, quam ex Gentibus, compertum eſt: nam quod Judæos circumciſos ſpectat, illis ſe ipſum exhibuit in propria perſona diſpenſatorem, miniſtrum & prædicatorem Evangelii, ut veracitas Dei comprobaretur adimplendo promiſſiones eorum Patribus factas de Meſſia mittendo: quas promiſſiones tametſi mere gratuitas, præſtare Deum oportuit ex juſtitia quam ſibi ipſi, non hominibus debebat.

9. 10. 11. 12. *Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.* Gentes autem quod attinet, Deum glorificare, & laudibus ac gratiarum actione celebrare debent, quod eas miſericorditer per Chriſtum vocare dignatus ſit, quamvis hanc illis miſericordiam non promiſiſſet. Tanto major erga Gentes Dei miſericordia, quanto minus expectata. Verumtamen licet Gentibus promiſſa non fuerit vocatio ad fidem Chriſti, non improviſo accidit, cum prænuntiata fuerit oraculis Prophetarum: *Sicut ſcriptum eſt*, * ex perſona Chriſti: *Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo.* Per Eccleſiam Gentium, ore & animo uno te laudantium & Miſericordiæ tuæ gratias perennes agentium ob ſuam vocationem & converſionem, tibi gratias agam & in ipſis ut caput, & pro ipſis ut ſacerdos; nomenque tuum jugiter celebrabo. *Et iterum dicit* (Scriptura) * *Lætamini Gentes cum plebe ejus.* Gentes, quæ alienæ eratis a converſatione Iſrael, & ſine Deo in hoc mundo, hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, ſimul cum Judæis ad Chriſtum converſis exultate, quia ex æquo facti eſtis populus Dei, & beneficiorum Chriſti participes. *Et iterum* *: *Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi:* ob magnam ejus miſericordiam, qua vos per Jeſum Chriſtum redemit, & e tenebris infidelitatis vocavit ad lumen Evangelii ſui. *Et rurſus Iſaias dicit: Erit radix Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.* Ex radice Jeſſe, id eſt ex familia David, exurget ſurculus, ſive ſoboles, Chriſtus ſcilicet, ut Gentibus imperet. In altum erigetur inſtar vexilli ad quod Gentes illum pro Rege agnoſcentes, undique confluant, illum ut ſalutis auctorem ſuæ deprecabuntur, & in eum ut verorum bonorum largitorem ac dominum ſperabunt, & cœleſtis gloriæ hereditatem ab eo expectabunt. Confer cum Geneſ. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium.* Hanc Prophetiam confirmat Iſaias, & Chriſtum ex Jeſſe & David ſecundum carnem genus ducere, & Gentibus dominari, & Gentes in eum credere declarat. *Digna vere lacrymis Judæorum eſt ſtupiditas, qui Prophetiam hanc attingunt Zorobabeli, qui neque Judæis omnibus præfuit, ſed paucis quibuſdam, Gentibus autem nullo modo.* Nec minus deflenda Hugonis Grotii, viri alioquin eruditi, temeritas, qui hoc Iſaiæ vaticinium ad Ezechiam detorquet, qui nec Gentibus imperavit, nec in eum Gentes ſperaverunt. Præterea ibidem ſcripſit Iſaias, *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Nondum igitur egreſſa erat virga hæc, nec flos ille aſcenderat, cum hæc vaticinia ederentur. At jam natus erat Ezechias: quippe hæc Achazo regnante ſcripta eſſe, ſeptimum caput oſtendit. Regnavit autem Achaz annos ſexdecim: cui cum ſucceſſit Ezechias annum agebat vigeſimum-quintum. Ergo jam in vivis erat Ezechias. Unde efficitur hoc Iſaiæ vaticinium ad illum perperam deflecti. Sed & S. Paulus id intelligendum de Jeſu Chriſto docet. Denique SS. Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Lib. 2. Commentar. in Iſaiam, Theodoretus, aliique Patres hoc Vaticinium in Chriſto Jeſu adimpletum fuiſſe teſtantur.

Pſal. 17. 50.

Deuteron. 32. 43. ſecundum Verſionem LXX. & Iſai. 66. 10. ſecundum ſenſum non iiſdem verbis.

Pſalm. 116. 1. Iſai. 11. 10. ſecundum LXX. ubi Vulgata noſtra habet: In die illa, radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum Gentes deprecabuntur.

Theodoret. in Iſai. Grotius refellitur.

13. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti.* Deus autem auctor & objectum ſpei noſtræ repleat vos perfecto & cumulato gaudio, & pace tum interna cum Deo, tum externa cum fratribus, in fide quam ſuſcepiſtis: ut ſpes veſtra magis ac magis augeatur per virtutem & efficacem operationem Spiritus ſancti. Vel, Ut proficiatis de bono in melius, non ſolum in ſpe, ſed etiam in caritate, quæ dicitur virtus Spiritus ſancti, quia

Digitized by Google

in cordibus noſtris diffunditur per Spiritum ſanctum.

14. *Certus ſum autem, fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere.* Perſuaſum habeo, & libenter credo quæ de vobis audio bona, ſcilicet vos, plerique, plenos eſſe, bonitate, caritate, & rerum omnium ad ſcientiam ſalutis pertinentium cognitione inſtructos, ita ut vos mutuo admonere poſſitis, etiamſi ego vos non admonerem de officiis hominis Chriſtiani.

15. 16. *Audacius autem ſcripſi vobis, Fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam quæ data eſt mihi a Deo.* Verumtamen paulo liberius & confidentius ſcripſi vobis, non ut docerem vos quaſi ignaros, vel ut reprehenderem quaſi immorigeros: ſed potius ut vobis in memoriam revocarem ea quæ probe noſtis. Hæc autem vos commonefaciendi libertate uſus ſum ut Apoſtolico muneri ſatisfacerem, ad quod divina gratia ſum vocatus: *Ut ſim Miniſter Chriſti Jeſu in Gentibus*: ut ſim publicus ſacrorum Miniſter, ſeu Sacerdos, ad Gentes præcipue docendas a Chriſto Jeſu electus; Græcus Textus λειτουργὸν habet, non διάκονον. *Sanctificans Evangelium Dei*: Evangelii Miniſterio veluti Sacerdotio fungens. Vel, *Conſecrans Evangelium Dei*. Sermo metaphoricus eſt, & ad veteris Sacerdotii functiones alludit: *Ut fiat oblatio Gentium accepta*: ut Gentes miniſterio prædicationis meæ ad Chriſtum convertendæ ac Deo in ſacrificium offerendæ, ſint victima ipſi accepta, *& ſanctificata in Spiritu ſancto*, utpote ſanctificata per Spiritum ſanctum. Alludit ad ritum veteris Teſtamenti, quo hoſtiæ Deo offerendæ ſanctificationibus quibuſdam externis præparabantur ac mundabantur. Ita ſignificat Gentes prius immundas, per fidem, operante Spiritu ſancto mundatas & ſanctificatas a ſe offerri Deo.

17. 18. 19. *Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum.* Eſt igitur unde glorier in rebus Dei, eſt unde exultem de fructu prædicationis laborumque meorum evangelicorum apud Gentes, non quaſi virtute mea iſta efficiam, ſed per Jeſum Chriſtum, cujus ſum Apoſtolus: cujus ſola gratia, non Prædicatorum ſermonibus, cor jugo fidei ſubditur. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo, & factis*: Abſit ut inanis gloriæ ſtudio aliquid commemorem, quod per me Chriſtus non effecerit ut Gentes ad obedientiam fidei adducerentur, verbo & operibus: *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti*: & per virtutem miraculorum & prodigiorum, per chariſmata Spiritus ſancti, cujus potenti & efficaci in cordibus operatione hæc ad hominum converſionem proficiunt. *Ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti.* Adeo ut Evangelium propagaverim, & multo quidem cum fructu, ab Jeruſalem uſque in Illyricum, per circumjacentes regiones, ſcilicet Antiochiam, Græciam, Cyprum, Aſiam, Phrygiam, Galatiam, Macedoniam.

20. 21. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Magno autem ſtudio conatus ſum Evangelium annuntiare in iis locis, ad quæ nondum ejus prædicatio pervenerat, ne ſuper fundamentum ab alio poſitum doctrinam Chriſti ædificarem. Apoſtolici enim muneris eſt novas Eccleſias fundare.

Iſaiæ 52. 15. ſecundum Verſionem LXX. Interpr.

Sed ſicut ſcriptum eſt, * implere ſtudui prædicando verba illa Iſaiæ Prophetæ; *Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* Gentibus quæ nullam Chriſti notitiam habuerunt, utpote oraculis Prophetarum deſtitutæ, dabitur ut eum videant per fidem, Apoſtolis prædicantibus: & ut intelligant, id eſt mentis aſſenſu recipiant eum per fidem, qui nihil de eo audierant.

22. 23. 24. *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.* Sacera illa functione Evangelii prædicandi apud eos quibus hactenus non eſt annuntiatum; ita diſtentus fui uſque in præſens, ut venire ad vos nondum potuerim. Hæc verba, *& prohibitus ſum uſque adhuc*, majoris explicationis gratia ab Interprete Vulgato addita ſunt, quibus nihil reſpondet in Græco Textu: nec illa agnoſcunt S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus Græciæ*, in quo oporteat me prædicare Evangelium, & novas Eccleſias fundare, *cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis*; cum aliunde ſummo tenear jampridem veniendi ad vos deſiderio. *Cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero.* Quandocumque iter in Hiſpaniam aggrediar, ſpero fore ut per Italiam tranſiens vos inviſam, & ab aliquibus veſtrum benevolis comitibus in illam regionem ducar, poſtquam veſtra præſentia & converſatione aliquandiu fruitus fuero. An vero S. Paulus ſuſceptum de Hiſpanico itinere conſilium executioni mandaverit, quæſtio eſt ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinens. Vide-ſis Diſſertationes noſtras in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi 1. Ut ut eſt, verba S. Pauli innuebant ejus propoſitum, non futurum eventum, qui erat ei incertus (inquit S. Thomas) ſed tamen S. Paulum non minus iviſſe in Hiſpaniam quam Romam, alibi fatetur Angelicus Doctor.

S. Thomas hic Lect. 2. & in 2. Cor. 11. Lect. 1.

25. 26. 27. *Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare ſanctis*, Nunc accinctus ſum ad Hieroſolymitanum iter, occupatus in miniſterio colligendæ, perferendæ & erogandæ pecuniæ Chriſtianis, qui Hieroſolymis commorantur. *Probaverunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem.* Placuit Eccleſiis Macedoniæ & Achaiæ conferre aliquid de ſuis facultatibus ad ſublevandam inopiam pauperum Chriſtianorum, qui Hieroſolymis degunt. *Placuit enim eis*, ſumma (inquam) animi devotione id fecerunt Macedones & Achæi Chriſtiani: *& debitores ſunt eorum*: & revera debitores ſunt Hieroſolymitanorum pauperum, non ſolum debito caritatis, verum etiam debito quodam juſtitiæ. *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* „ Illorum Patriarchæ patres ſunt: „ illis promiſſiones factæ: illorum Prophetæ bona „ communia prædixerunt: ex illis, quantum ad hu„ manam naturam attinet, Chriſtus Dominus eſt. „ ex illis Apoſtoli orbis terrarum præcones: per il„ los diſtributa ſunt dona Spiritus. Æquum eſt „ igitur ut qui majora acceperunt, ſint minorum „ participes. Et iden pecuniarum diſtributionem „ ſuperius quidem *ſocietatem*, inferius autem *mini„ ſterium* appellavit; ſocietate quidem retributio„ nem, miniſterio autem tributum quod debeatur „ ſubindicans. Hinc S. Thomas colligit non ſolum „ Prædicatoribus, ſed & Societatibus Eccleſiaſticis „ vel Religioſis, a quibus mittuntur, ſubſidia tem„ poralia deberi.

Theodoret.

S. Thomas. Lect. 3.

28. 29. *Hoc igitur cum conſummavero, & aſſignavero* ſeu reddidero eis fructum hunc fidei caritatiſque Eccleſiarum prædictarum, necnon apoſtolici miniſterii mei, *per vos*, id eſt per veſtras terras, *proficiſcar in Hiſpaniam.* Obſignandi verbo Apoſtolus utitur, quaſi dicat: *Per manus ſanctorum dextræ Dei quæ miſſa ſunt offerent, illa autem hæc intacta & inviolata ſervabit.* Verba ſunt Theodoreti. *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Chriſti veniam.* Certa fiducia perſuaſum habeo, quod meus ad vos adventus, meaque apud vos prædicatio & converſatio; abundantem benedictionem Evangelii Chriſti vobis procurabit, ſcilicet pleniorem Myſteriorum ejus cognitionem, perfectiorem Evangelicæ doctrinæ intelligentiam, amorem, conſolationem, gratiam, fructumque ſpiritualem.

Theodoret.

30. 31. 32. 33. *Obſecro ergo vos, Fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, cujus legatione ad vos fungor, *& per caritatem ſancti Spiritus*, per caritatem qua Spiritus ſanctus animos noſtros devinxit, *ut adjuvetis me orationibus veſtris pro me ad Deum.* Secundum Textum Græcum vimque verbi συναγωνίσασθαι, *ut mecum certetis* precibus veſtris pro me ad Deum. Preces ſcilicet certamen quoddam ſunt, cujus figuram geſſit certamen Jacob cum Angelo. *Ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa*, a Judæis pertinaciter reſiſtentibus Evangelio, & ejus Prædicatores perſequentibus. Ab illis enim grave periculum imminere proſpiciebat Apoſtolus. *Et obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem ſanctis.* Ut eleemoſyna quam procuravi, collegi, & perfero Hieroſolymam, accepta ſit & grata illius Eccleſiæ Fidelibus: ut ad illorum manus ſalva perveniat, nec propter perſonam meam illis diſpliceat, quibus perſuadere conantur hoſtes Evangelii me adverſarium eſſe Moiſis: ut denique Judæi qui in Chriſtum credunt, vocatos ex Gentibus ſincere diligant, illorum beneficentia ſublevati & recreati. *Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum.* Ita fiet ut veniam ad vos lætus & boni operis ſucceſſu, & veſtro conſpectu, volente & bene juvante Deo: & mutua conſolatione recreemur: ego quidem videns profectum veſtrum: vos autem Chriſtum per me loquentem audientes. *Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.* Deum pacis auctorem precor ut vobis adſit, faveat, opituletur, ut ſedatis contentionibus pacem inter vos mutuo conſervetis. Fiat.

C A-

CAPUT XV.

Senſus Moralis.

Aliorum infirmitates ſuſtinere, neceſſarium vitæ Chriſtianæ officium eſt.

S. Thomas.

1. 2. D*Ebemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* Sicut enim in materiali ædificio eliguntur aliqua firmiora ad ſuſtinendum totum ædificii pondus, ſcilicet fundamenta & columnæ: ita in ſpirituali Eccleſiæ ædificio, cujus Chriſtus eſt artifex, non ſolum eliguntur, ſed ejus gratia efficiuntur aliqui firmiores, ut ſuſtineant pondus aliorum. Suſtinent autem firmiores imbecillitates infirmorum, cum eorum defectus patienter ferunt, nec eis imprudenter contradicunt, cum eorum ſcandalum vitare ſtudent, cum eos opportunitate data docent, ſublevant, & confirmant. *Alter alterius onera portate*, (ait alibi Apoſtolus noſter) *& ſic adimplebitis legem Chriſti*. Metaphora ſumpta eſt ab itinerum ſociis, quorum validiores minus validos parte ſarcinarum levant. In præſenti vita quaſi in via ſumus qua ad patriam una pergimus. Firmiores ergo infirmos & imbecilles parte onerum ſuorum levare debent, caritate, patientia, benignitate. Si Deus ſublevari jubet inimici jumentum in via, quanto magis infirmum fratrem? *Debemus autem*, ait Apoſtolus. *Debemus, non donamus*. „ Non ſimplex conſilium, ſed „ præceptum eſt … Firmus factus es: Deo gratias „ age qui talem te fecit. Tunc autem rependes, „ cum infirmitatem ægroti correxeris. “ Ut porro illud Chriſtianæ vitæ tam neceſſarium officium impleamus, oportet *non nobis placere*, ita ut illud ſemper impleri velimus quod nobis placet, ſed condeſcendere voluntati aliorum, ut lubenter faciamus quæ aliis placent, & quæ eis ſunt utilia. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*, ait alibi Apoſtolus noſter, *non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*. Propterea hic addit: *Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem*. Ab omnibus id officii exigit Deus: *Unuſquiſque veſtrum*. Aliud eſt omnibus complacendi ſtudium quod mundus inſpirat: aliud quod Dei Spiritus imperat. Prior illa complacentia tendit ad perditionem proximi, cui blanditur in malo: poſterior tendit ad ejus curationem, dum infirmitates ejus ſuſtinens illum ædificat in bono. Non omnibus indulgere & accommodare nos proximo debemus, ſed in iis per quæ fieri melior poteſt. Nec adeo fovenda infirmitas, ut in pertinaciæ morbum pene inſanabilem degeneret. *Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem*.

Galat. 6. 2.

Eccl. 23. 5. S. Chryſoſt. Hom. 27.

S. Thomas, lect. 1.

1. Cor. 10. 33.

3. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me*. Exemplum Chriſti ſuprema lex eſto caritatis, indulgentiæ, patientiæ & benignitatis erga proximum. Chriſtus peccata noſtra, infirmitates noſtras, pœnas nobis debitas portavit in corpore ſuo ſuper crucem: & nos infirmitates fratrum ſuſtinere recuſamus. Chriſtus non quæſivit ſibi dulcia, non ſuis commodis, non ſuæ quieti, non ſuæ ſervivit voluntati: ſed ſui quaſi oblitus, ſe totum devovit voluntati & gloriæ Patris, noſtræque ſaluti, cujus cauſa nec vitæ pepercit ſuæ: & nos ſuperbia tumidi, amore proprio pleni, commoda noſtra unice quærimus, voluntati ac voluptati noſtræ unice ſervimus, fratrum imbecillitates ferre nolumus. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. „ Quod ſi Chriſtus portat infirmitates no„ ſtras, & Deus patienter fert delicta noſtra, quomodo „ & nos eorum qui paulo infirmiores videntur, ne„ quaquam delicta & negligentias toleramus? Hoc „ Chriſtum avertere eſt ab hoc affectu, ne portare „ velit infirmitates noſtras, ait Origenes. Nemo enim „ ita perfectus eſt, qui apud Deum in aliquo non „ inveniatur infirmus, & portetur a Chriſto: & „ ideo magis in hoc decet itidem compati invicem, „ & condolere, ut alibi ait Apoſtolus, *Supportantes* „ *invicem, & donantes volutmetipſis, ſi quis adver„ ſus aliquem habet querelam: ſicut Dominus dona„ vit vobis, ita & vos*. Hoc autem non ideireo „ præcipit ut delinquentes nutriat, & indulgentia „ largiore infirmantes diſſolvat, ſed ſciens quoniam „ ſi portetur infirmus, aut erubeſcit diutius portari, „ & corrigit vitium delinquendi: aut ſi emendare ſe „ non valet, erit certe fructus iſte portantis eum, „ ſi non proficit in pejus nec deterior efficitur.

Iſai. 53. 4.

Origenes l. 10. in hanc Epiſt.

Coloſſ. 3. 13.

Sacræ Scripturæ lectio ſaluberrima.

4. *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus*. Scriptura ſacra ad omnium hominum, cujuſcumque ſtatus & conditionis ſint, a Spiritu ſancto dictata eſt; ejus igitur lectio a nemine negligenda eſt: ſed intereſt ut ſecundum Eccleſiæ Regulas, ſecundum Paſtorum & ſapientium Directorum conſilium legatur cum pietate, docilitate, & humilitate. „ *Quicquid eſt in Scripturis* „ *illis, altum & divinum eſt: ineſt omnino veritas,* „ *& reficiendis inſtaurandiſque animis accommodatiſ-* „ *ſima diſciplina, & plane ita modificata, ut nemo* „ *inde haurire non poſſit quod ſibi ſatis eſt, ſi modo* „ *ad hauriendum devote ac pie, ut vera Religio po-* „ *ſcit, accedat*. Sancta Scriptura ea quæ aperta con„ tinet, quaſi amicus familiaris, ſine fuco ad cor „ loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero quæ „ in myſteriis occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo „ erigit, quo non audeat accedere mens tardiuſcula „ & inerudita, quaſi pauper ad divitem; ſed invi„ tat omnes humili ſermone, quos non ſolum mani„ feſta paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate, „ hoc in promtis quod in reconditis habens. Sed ne „ aperta faſtidiantur, eadem rurſus operta deſideran„ tur, deſiderata quodammodo renovantur, renovata „ ſuaviter intimantur. “ *His ſalubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando neſcit eſſe ſaluberrimam, vel odit ægrotando medicinam*. Nihil conducibilius eſt Scripturæ ſacræ lectione ad animum Chriſtiana patientia roborandum in tentationibus & rebus adverſis, nihil ad ſpem nutriendam efficacius. Harum virtutum altera alteram parit, patientia ſpem, ſpes patientiam: utraque vero ex Scripturis naſcitur. Conſolationes humanas, quæ vim ſanandi & roborandi animi non habent, ſed ipſum inani & plerumque noxia lætitia perfundunt, ne quæramus, ſed conſolationem verbi Dei & promiſſionum divinarum. *Ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus*. Si igitur ad conſolationem noſtram ſacra Scriptura preparata eſt, tanto magis eam debemus legere; quanto magis nos conſpicimus ſub tribulationum faſce laſſari.

S. Auguſt. lib. De utilitate credendi, cap. 6.

Idem Epiſt. 137. alias 3. ad Voluſianum.

S. Gregorius Epiſt. 37. ad Natalem Salonitanum Epiſcopum.

5. 6. *Deus autem patientiæ & ſolatii, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum: ut unanimes uno ore honorificetis Deum*. Quamvis Scriptura ſacra ad patientiam nos inſtituat, ad ſpem excitet, ad concordiam hortetur: has tamen virtutes ſolus Deus omnipotenti gratiæ ſuæ virtute in nobis operari poteſt. Quapropter orandus eſt *Deus patientiæ, Deus ſpei, Deus pacis*, ut patientiam, ſpem, & veram pacem atque concordiam cum proximis in nobis erect, nobiſque donet omnia facere & ſuſtinere, quæ ad mutuam concordiam prodeſſe poſſunt, *ſecundum Jeſum Chriſtum*; ita ut neque infirmus judicet firmiorem, nec firmior & doctior ſpernat infirmum: ut idem ſentiamus omnes in iis quæ Chriſtus docuit, & Spiritus ſanctus in Scriptura ſacra & Traditione revelavit Eccleſiæ, & per Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam docet, quæ eſt columna, firmamentum, & magiſtra veritatis. Concordia enim in iis quæ fidei & doctrinæ Catholicæ, quæ Chriſtianæ pietati, quæ unitati, paci, & ordini Eccleſiæ vel Reipublicæ adverſantur, non eſt *ſecundum Jeſum Chriſtum*. Ita fiet ut ſacrificium laudis Deo acceptiſſimum, uno corde unoque ore offeramus, in unitate fidei & caritatis Deum unum colentes, glorificantes, & imitari ſtudentes. *Pacificos & concordes atque unanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit: & quales nos fecit ſecunda nativitate, tales vult renatos perſeverare; ut qui filii Dei eſſe cœpimus, in Dei pace maneamus; & quibus ſpiritus unus eſt, unus ſit & animus & ſenſus. Sic nec ſacrificium Deus recipit diſſidentis & ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus & Deus poſſit eſſe pacatus. Sacrificium Deo majus eſt pax noſtra, & fraterna concordia, & de unitate Patris & Filii & Spiritus ſancti plebs adunata*.

Concordia & unanimitas Chriſtiana.

S. Cyprianus De Oratione Dominica.

7. *Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei*. Incomprehenſibilis condeſcenſus, indulgentia, & miſericordia, qua Filius Dei & naturam noſtram & infirmitates ſuſcepit, perſonæque ſuæ per Incarnationem inſeruit, ad unitatem Religionis conſtituendam in unitate Corporis Myſtici, quod caput eſt & membra, unus Chriſtus, in unitate ejuſdem Spiritus, exemplar eſt condeſcenſus, indulgentiæ, caritatis, qua proximis conjungi & colligari debemus ut unum in Chriſto cum illis effecti. In illo *Magiſterium & adjutorium* habemus *ad capeſſendam æternam ſalutem*. Reſpiciamus igitur ad exemplar quod nobis monſtratum eſt. Fratres ſuſcipiamus, diligamus, ſuſtineamus, juvemus, ſicut Chriſtus nos dilexit, ſuſcepit, ſuſtinet, adjuvat ad ſalutem. Chriſtus Jeſus Judæos & Gentiles ſuſcepit; Judæos, qui amici ejus cenſebantur, & populus ejus electus erant; Gentiles, qui inimici propter idololatriam erant ſerviebant. Suſcipiamus igitur, diligamus, ſuſtineamus, juvemus non ſolum amicos, ſed etiam inimicos noſtros, exemplo Chriſti. Judæos & Gentiles Chriſtus ſuſcepit *in honorem*

Chriſtus exemplar condeſcenſus, indulgentiæ, & caritatis noſtræ erga proximum.

S. Aug. Epiſt. 137. alias 3. ad Voluſian.

Dei:

Digitized by Google

Dei: amicis & inimicis noſtris conjuncti ſimus ob ſolam gloriam Chriſti & Patris ejus æterni. Chriſtus nos ſuſcepit ut media nobis conferret ad ſalutem noſtram neceſſaria: proximos igitur diligamus, ſuſcipiamus, juvemus ad ſalutem æternam conſequendam. Injuriæ quas Deo intuleramus, Filium ejus non deterruerunt a naturæ noſtræ ſuſceptione, nec ejus in nos beneficentiam impediverunt: nec igitur injuriæ a proximis nobis illatæ impedire debent noſtram erga illos caritatem & beneficentiam. Illorum infirmitates & defectus compatiente caritate ſuſtineamus, ſicut Chriſtus noſtras imbecillitates, noſtraque vitia ſuſtinuit. *Suſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.* Ex hoc potiſſima gloria Deo accedit quod unum per caritatem ſumus, unitatem pro viribus noſtris imitati, quam Deus ut perfectius conſtitueret atque conſecraſſet, Deum & hominem unam in Chriſto perſonam eſſe voluit. Itaque ſi quando ſui gratia nonnihil dolens a fratre diſſentis, animo perpendens quod ita dimittens Dominum tuum glorificas: etſi non propter fratrem, propter hoc ipſum reconciliare, immo propter hoc præcipue. Nam & Chriſtus ait Patri: *Roga ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quia tu me miſiſti.* Coaptemus itaque nos ipſos invicem, nec unitatem a Chriſto conſecratam & imperatam violemus. „ Quod ſi quis abs ſe ſeipſum avellere cupiat; cave, quantum in te eſt, ne ab ipſo avellaris. Neque frigidum iſtud & imbecillis animi verbum proferas: Si me dilexerit, diligam, ſi me dexter quoque non dilexerit oculus, effodiam illum. Satanica ſunt iſta, publicanorumque & Gentilium puſillanimitati convenientia. Tu vero cum ſis ad potiorem civitatem & converſationem vocatus, & in ipſum cœlum inſcriptus, majoribus quoque legibus obnoxius es. Ne dicas itaque iſta, ſed ſi quando amare te noluerit, tum majorem etiam dilectionem oſtendito, ut ipſum attrahas: membrum ſiquidem eſt. Membrum vero ſi neceſſitate quapiam a reliquo fuerit corpore abſcindendum, nihil non molimur, quo illud uniamus interim, ita ut, numquam majorem curam impendamus. Ita demum faciendum. Nam tum demum major expectanda tibi merces eſt, quando diligere recuſantem attraxeris. Qui enim dilectus diligit, mercedem tibi eo ipſo jam reddidit. Qui vero dilectus non diligit, Deum pro ſe ipſo debitorem tibi conſtituit. Præterea, ſi te dilexerit, non multa cura opus habebit: ſi vero non dilexerit, tum potiſſimum tua cura juvandus erit. Cauſam itaque curæ ac diligentiæ ne cauſam facias ſocordiæ ac negligentiæ, neque dicas: Quoniam morbo laborat, ideo ipſum negligam. Morbus ſiquidem eſt iſta dilectionis frigiditas. Tu vero quod frigidum eſt calefacito. *Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.* Averſaris hominem fidelem, quem Chriſtus, cum infidelis adhuc eſſet, non eſt averſatus? Quid dico, non eſt averſatus? Ita quippe illum adhuc inimicum & turpem dilexit, ut mortuus etiam pro illo ſit. Deinde ipſe illum quidem adeo fortiter ac talem dilexit: tu vero formoſum jam & admiratione dignum, membrumque Chriſti, immo dominicum corpus factum contemnis atque averſaris? *Caput habet ipſum Chriſtum, & menſam, & veſtimentum, & vitam, & lumen, & ſponſum. Nam omnia illi Chriſtus eſt, & audes dicere, Averſor illum?*

S. Chryſ. Hom. 8. in hanc Ep.

Joan. 17. 21.

8. *Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum.* Chriſtus Jeſus per ſe ipſum Judæis Evangelium prædicavit. Summus hic Judaicæ gentis honos, quod Filius Dei homo factus ipſorum Apoſtolus & Evangeliſta fuerit: ſed honor ille in judicium & damnationem vertitur iis qui illius beneficiis abuſi ſunt, & incredulitate ſua, ipſiuſque Chriſti perſecutione & occiſione ſeſe indignos æternæ vitæ præſtiterunt. Verum non minus rei ſunt Chriſtiani, qui regulis Evangelii non obediunt; & ipſi enim Chriſtum Jeſum ſpernunt in Evangelio quotidie ipſos docentem, ipſoſque ad viam ſalutis invitantem, non triennio dumtaxat ut Judæos, ſed toto vitæ noſtræ tempore; non jam mortalem, quod propter nos eſſe dignatus eſt; ſed glorioſum & immortalem. Væ Judæis qui Chriſtum ſpreverunt, perſecuti ſunt, & crucifixerunt? Væ Chriſtianis, qui illius Evangelio pravis moribus contradicunt, & qui illum in cordibus ſuis iterum crucifigunt!

9. *Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo.* Dei miſericordiam celebremus, qui nos ex Gentibus ad Evangelii lumen gratiamque vocavit. Gratias agamus Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui nos Patri ſuo reconciliavit cum adhuc inimici eſſemus. Verum ſicut olim fideles ad fidem per Apoſtolos converſi, videntes Spiritum ſanctum in Gentiles credentes effuſum antequam baptiſmo initiati eſſent, Deum laudarunt, ſed non ſine formidine: ita cum infideles ad fidem converti videmus vel audimus, aut peccatores ad pœnitentiam, Deum laudemus cum tremore, ne forte occulto judicio nos deſerat, gratiamque nobis datam ad alios transferat, propter peccata noſtra & horrendum ingrati animi vitium. „ Idcirco, inquit S. Gregorius, converſis Gentibus, ab Hebræis jam fidelibus formidoloſa laudatio prodiit: quia juſte Judæa repulſa eſt, dum pie eſt Gentilitas vocata; & damna ſuæ repulſionis timuit, dum lucra alienæ vocationis vidit. *Unde nos quoque quotidie, dum iniquos quoſque ad inopinatam vitæ celſitudinem provehi repente conſpicimus, ſub occultis Dei judiciis timendo gaudemus, ne per occulta judicia quoſdam Deus, qui digni putantur, deſerat, qui per hæc ad ſe eos, qui indigni æſtimantur, vocat.*

S. Gregorius lib. 37. Moral. cap. 26.

14. *Certus ſum autem, Fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere.* Cum in multis offendamus omnes, oportet ut nos invicem moneamus. Nam *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo.* Nemo autem hoc officio, ut par eſt, fungi poteſt, niſi perſuaſus ſit qui monetur, eum non ex odio, vel ira, vel tetricæ indolis & ad murmurationem propenſæ impetu, ſed ex dilectione monere. Unde Pſalmiſta ait: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me.* Hinc viro induto lineis in Viſione Ezechielis a Deo dictum eſt; *Imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt inter Cherubim:* quod ſymbolum eſt, caritatis. Ideo Apoſtolus noſter Chriſtianos Romanos *plenos eſſe dilectione* ſcribit, ut ſe mutuo monere poſſint: qui & alibi ait: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Secundo, Chriſtiano monitori neceſſaria eſt ſcientia veritatis: quidam enim zelo Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, alios admonent & corripiunt. Ideo addit Apoſtolus noſter, *repleti omni ſcientia, ut poſſitis alterutrum monere.* Quamvis autem hæ duæ dotes neceſſariæ ſint omnibus qui alios admonent & corripiunt, ſcilicet caritas & ſcientia earum ſaltem rerum ſeu officiorum de quibus alios monent & inſtruunt: Paſtoribus præſertim, Concionatoribus, & Moderatoribus conſcientiarum neceſſaria eſt plenitudo quædam caritatis & ſcientiæ. Plenitudo caritatis, ut difficultates ſuperent, & faſtidia in ſui muneris functionibus occurrentia: plenitudo ſcientiæ, ut omnis ſtatus & conditionis homines docere & admonere utiliter valeant, ad eorum ſalutem promovendam. Repleti igitur eſſe debent *omni ſcientia* divina & humana, veteris & novæ Legis, Sacrorum Canonum, Legum etiam civilium ex parte, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Dogmaticæ Moraliſque Theologiæ, ut Nobiles & Plebeios, Magiſtratus & Milites, mercatores, & artifices, Eccleſiaſticos Regulareſque Viros, conjuges & virgines de ſui ſtatus officiis admonere, & ad ſalutem æternam dirigere poſſint. „ Non una eademque exhortatio cunctis congruit: quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis proſunt. Quia & plerumque herbæ quæ animalia nutriunt, alia occidunt: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit: & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo Doctorum, ut & ad ſua ſingulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte numquam recedat. Quid enim ſunt intentæ mentes auditorum, niſi (ut ita dixerim) quædam in cithara tenſiones ſtratæ chordarum, quas tangendi artifex, ut non ſibimetipſi diſſimile canticum faciant, diſſimiliter pulſat? Et idcirco chordæ conſonam modulationem reddunt: quia uno quidem plectro, ſed non uno impulſu feriuntur. Unde & Doctor quiſque, ut in una cunctos virtute caritatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet.

Monitorum Chriſtianorum dotes.

Eccli. 17. 12.

S. Thomas

Pſalm. 140. 5.

Ezechiel. 10. 2.

Galat. 6. 1.

Plenitudo ſcientiæ & caritatis Paſtoribus & [illegible] neceſſaria.

S. Gregorius in Cura Paſtorali, 3. Part. [illegible]

15. *Audacius autem ſcripſi vobis, Fratres, ex parte: tamquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data eſt mihi.* Paſtores miniſterium ſuum ſancta & apoſtolica libertate honorare debent in emendatione vitiorum, in inſtructione, admonitione & reprehenſione hominum curæ ſuæ a Deo commiſſorum: ſingulari humanitate, comitate, & prudentia illorum animos tractare, & monitiones reprehenſioneſque temperare ac mitigare, ut illis proſint ad ſalutem. Hoc egregie præſtitit Apoſtolus noſter ad Paſtorum omnium exemplum. *Audacius autem ſcripſi vobis ex parte.* „ Vide humilitatem Pauli, vide ſa-

S. Joan. Chryſ. Hom. 29. in hanc Epiſt.

„ pientiam, quomodo & profundam fecerit inciſionem, & poſtquam quæ voluit correxit, multo rurſus ototur remedio. Ito ſe geſſit ad Hebræos, ad Corinthios, ad Galatos ſcribens. Ad Hebræos: *Confidimus autem de vobis, dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur*. Ad Corinthios: *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*. Ad Galatas: *Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud ſapietis*. Sic paſſim in aliis Epiſtolis: hic autem plus etiam quam alibi. Erant ſiquidem Romani nobiliores & celebriores ob Urbis imperatricis dignitatem. Unde oportebat tumidam illorum mentem ſedare, non ſolum ſtringendo, ſed & remittendo. *Audacius*, inquit, *ſcripſi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens*: De throno Doctoris deſcendens, tamquam cum fratribus, amicis, & æqualibus loquitur; id quod potiſſimum Doctoris & Paſtoris eſt, nimirum ſermonem ſecundum auditorum captum & ſpiritualem utilitatem vario temperare. Ideo cum dixiſſet Apoſtolus, *Audacius ſcripſi vobis, & ex parte, & veluti ſubmonefaciens vos*, addit ad ſermonem majori humilitate temperandum, *Propter gratiam quæ data eſt mihi a Deo*. Quaſi dicat: Honorem hunc ab illo non rapui, neque in Apoſtolicam dignitatem ac miniſterium prorupi non vocatus: ſed Deus ita mandavit, idque ex gratia, non ex meis meritis. Nolite igitur exaſperari. Non enim in vos exſurgo. Deus eſt qui hoc præcepit. Ejus legatione fungor, mandata ejus prætergredi non poſſum, rationem illi redditurus demandati mihi, (quæ mera ejus & maxima gratia eſt) Apoſtolici muneris.

Heb. 6. 9.

1. Cor. 11. 2.

Galat. 5. 10.

16. 17. 18. 20. *Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto*. Prædicatoris Evangelici munus, gratia eſt: Nemo igitur illud ſine vocatione ſuſcipiat: a Deo vocatus, & ab Epiſcopis miſſus; nihil ſuis meritis tribuat, ſed gratias agat Deo, novumque gratiæ adjutorium, novum lumen, ferventiorem caritatem, zelum ſalutis Animarum, humilitatem, orationis ſpiritum, virtutes omnes ad ædificationem populi Chriſtiani neceſſarias a Deo ſupplex poſtulet. Prædicationis Evangelicæ munus miniſterium eſt: *Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu in Gentibus* ..... Summa igitur fide & humilitate eſt exercendum. Functio ſacra eſt & Sacerdotalis: in hoc igitur incumbere debet Concionator ut auditores præparet atque ſanctificet, ut Spiritum ſanctum ſuper illos invocet, ut illos ſuis lachrymis, ſudoribus, & pœnitentiæ operibus, victimarum in modum aſpergat, expiet, mundet: ut illos vera converſione conſecratos, & igne Spiritus ſancti conſummatos Deo offerat acceptiſſimam hoſtiam. *Sanctificans Evangelium, ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto*. Quaſi „ dicat, ipſum mihi Sacerdotium eſt prædicare & evangelizare. Hanc offero hoſtiam: Sacerdoti vero nemo vitio vertit, quod immaculatam hoſtiam offerre ſatagit. Machæra mea Evangelium eſt, prædicationis videlicet ſermo. Cauſa vero non eſt ut ego glorificer; ſed ut animæ illorum quos inſtruo, Deo acceptæ fiant ut hoſtia ſanctificata. Quomodo? Per Spiritum ſanctum. Non ſola ſiquidem fide opus eſt, ſed & converſatione ſpiritali, & perſeverantia in bonis operibus, ut ſemel datum Spiritum ſanctum contineamus. Neque enim lignis, neque igne, neque altari, neque gladio opus eſt, ſed ſpiritalia ſunt apud nos omnia. Propterea omnia facio, ne ignis iſte extinguatur. Hoc etenim in mandatis habeo. Quemadmodum Sacerdos, ut ignem accendat, inſtat: ita & ego veſtram oblationem excitans.

Prædicatoris Evangelici Miniſterium & dotes.

S. Chryſoſt. Hom. 29.

Sanctificans Evangelium, ut fit oblatio Gentium accepta &c. Sicut ergo „ Pontifices cum offerebant, neceſſarium eis erat providendum ne macula ineſſet hoſtiæ, ne vituperationis vitium, ut poſſet accepta Deo eſſe & grata: ita & qui Evangelium ſanctificat, & verbum Dei annuntiat, curare omnimode debet, ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium, ne qua in magiſterio culpa naſcatur; ſed (ut ita dixerim) ſi fieri poteſt, ſemetipſum primo immolet, ſe primum vitiis jugulet, ut ſua prius peccato membra mortificet: ut non ſolum doctrina, ſed & vitæ exemplo, diſcipulorum ſalutem oblationem ſuam acceptam faciat Deo.

Origenes lib. 10. in Epiſt. ad Romanos.

Nec mundi gloriam aucupetur, & de hominum applauſu gaudeat Prædicator Evangelicus, ſed omnem miniſterii ſui gloriam ad Deum referat per Chriſtum Jeſum, ut Apoſtolus noſter: *Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum*. Neque etiam de ſucceſſu fructuque concionum ſuarum loquatur, niſi quadam neceſſitate compulſus, idque cum ſingulari modeſtia, ne inanis gloriæ & oſtentationis vitium, quicquid ſuis laboribus apud Deum promeritus eſt, depaſcatur. *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus in obedientiam Gentium verbo & factis*. Cavere denique debent Evangelici Operarii, ne fines ſibi præſcriptos prætergrediantur, ne zelum ſuum ultra menſuram imprudenter extendant, mittentes falcem in Meſſem alienam; & alienos labores decolorantes, & querelæ vel æmulationis occaſionem aliis Evangelii Miniſtris, aut Paſtoribus præbentes. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*.

21. *Sed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent*. Prædicatio Evangelii Infidelibus, Apoſtolicæ gratiæ portio eſt. Hanc curam ſola Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, a ſuo exordio ſuſcepit. Soli Epiſcopi Romani, S. Petri ſucceſſores, hæredes Apoſtolorum, Apoſtolicæ auctoritatis plenitudinem a Chriſto habentes, mittere poſſunt Evangelicos Operarios ad converſionem infidelium, ad novarum Eccleſiarum fundationem. Hæc eſt veræ Eccleſiæ nota, curare ut Evangelium ubique prædicetur, & ut Chriſti mandatum & promiſſa impleantur. Hæc ſollicitudo fuit Romanæ Eccleſiæ & ſummorum Pontificum ſingulis Eccleſiæ ſæculis, ab Apoſtolicis temporibus ad hanc uſque diem, ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta teſtantur. In ſocietatibus & conventiculis ab Eccleſiæ Romanæ fide & communione alienis, ſimilem curam, ſollicitudinem, zelum propagandæ fidei, annuntiandi Paganis Evangelium, non invenies. *De verbi autem adminiſtratione quid dicam?* (ait Tertullianus) *cum hoc ſit negotium illis non Ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi. Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione. Noſtra ſuffodiunt, ut ſua ædificent*.

Propagandæ fidei cura per Miſſiones in terras infidelium, Romanæ Eccleſiæ propria.

Tertullian. l. De Præſcript. cap. 42.

23. 24. *Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis: cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos: & a vobis deducar illuc, ſi vobis primum ex parte fruitus fuero*. Ardentiſſimum & tenerrimum erga Romanos amorem Paſtoribus omnibus erga gregem quem ipſis Deus commiſit, imitandum, his verbis Apoſtolus noſter ſignificat. „ Quemadmodum enim liberorum amans pater unigenitum filium diligit, ita ille fideles omnes. Unde & alibi ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Hunc imitari Paſtores debent. Unde & Petro dicebat Chriſtus: *Diligis me? Paſce oves meas*. Chriſtum enim diligens, & gregem illius utique diligit. Et Moſem tum primum populo Judæorum præfecit Deus, quando qua eſſet in populum illum benevolentia teipſa declaraverat. David quoque Rex inauguratus eſt, poſtquam apparuerat quam amico eſſet in populum affectu. Ita quippe juvenis adhuc populi cauſa doluit, tantoque zelo pro illius defenſione exarſit, ut vitam ſuam in ſingulari adverſus Goliathum certamine exponeret, nullam exigens mercedem. Samuel etiam benignus erat, & amator populi. Unde & dicebat: *Abſit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis*. “ Ita & Paulus: immo multo majori dilectione erga diſcipulos, quos Chriſto per Evangelium pepererat. Propterea & Judæorum Doctoribus Deus exprobrat dilectionis defectum, incuriæ in paſcendo grege cauſam: *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis*. Et Chriſtus optimi Paſtoris canonem ferens dixit: *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Hoc David ſæpenumero fecit, ſed tum maxime cum ita Dei in populi internecione ſerveret. *Ego ſum qui peccavi*, inquit, *ego inique egi: iſti qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*. „ Quaſi diceret, „ Etiamſi illi peccaſſent, ego tamen qui illos non correxi, ſupplicii reus eſſem. Quando vero meum eſt hoc peccatum, dignus ſum qui pœnas luam. Ita iram Dei ſtitit, ita ſententiam revocavit. Sed & amorem ſuum erga populum antea demonſtravit in optione pœnæ, non famem eligens, non hoſtilem perſecutionem, ſed immiſſam a Domino mortem, a qua ſperabat alios fore immunes, ſe vero ante reliquos omnes e medio tollendum, utpote reum unum peccati, de quo Deus ultionem ſumebat. Tantum valet amor & compaſſio optimi Paſtoris.

Paſtorum amor erga oves ſibi commiſſas.

S. Chryſoſt. Homil. 29.

2. Cor. 11. 29.

Joann. 21.

1. Reg. 17. & cap. 12. 23.

Ezech. 34. 2. 3.

Joan. 10.

2. Reg. 24. 17.

Talem

Digitized by Google

Talem oportet eſſe Principem & Paſtorem, & ob aliorum magis quam ob proprias dolere calamitates. Quos labores non ſuſtinent, quibus periculis non ſe exponunt irrationalium ovium Paſtores, ut greges ſuos paſcant, & conſervent? Quam igitur excuſationem afferent, Paſtores animarum? „ An ignoras gregis hujus dignitatem? An illius gratia Dominus tuus innumera non fecit? An non poſtremo & ſanguinem ſuum fudit? Tu vero requiem quæris? An non perpendis quod oves iſtas circumſtant lupi multo amatiores ac ſæviores? An apud temetipſum non reputas qua mente ſit opus ei, qui talem Præfecturam ſit adminiſtraturus? Et homines quidem qui populis præſunt, ſi quando de rebus fortuitis conſultuti ſunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: Nos vero qui pro ipſo cœlo certamen habemus, ipſo quoque die dormimus. Quis, quæſo, nos a ſupplicio eripiet, quod malis Paſtoribus debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, ſi innumeras mortes ferre oportebat: numquid ad hoc munus tamquam ad nundinas currendum erat. “ Hæc autem non ſolum Paſtores, ſed & oves audiant, ut alacriores faciant Paſtores, omnem illis obedientiam docilemque animum exhibentes. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis* (ait alibi Apoſtolus noſter.) *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Quando vero dicit, *Ipſi pervigilant*, innumeros labores, curas, & pericula complectitur. „ Bonus enim Paſtor, & talis qualem Chriſtus vult, cum innumeris componi poteſt Martyribus: ſiquidem martyr ſemel propter Chriſtum moritur: hic vero millies propter gregem, ſi talis ſit Paſtor, qualem eſſe oportet. Talis enim Paſtor ſingulis diebus mori poteſt. Quapropter & vos, cognito iſto labore, Paſtores veſtros & precibus, & diligentia, & animi alacritate, & dilectione juvate. Paulum, alioſque ſanctos Paſtores imitentur & Rectores animarum, & ſubditi. Licet enim & ſubdito pro parte Paſtorem agere, nempe domus ſuæ, amicorum, domeſticorum, uxoris, liberorum.

S. Chryſoſt. ibid.

Hebr. 13. 17.

25. 26. 27. 28. *Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare ſanctis*. Eleemoſynas procurare, perferre, & diſtribuere pauperibus, pars eſt Apoſtolici Miniſterii, quia pars eſt ſacrificii fidei. Hoc miniſterium ipſi per ſe exercere Paſtores quandoque debent exemplo S. Pauli; alias hoc opus viris aut mulieribus probatæ fidei, ſpectatæ pietatis, bonique teſtimonii committere, qui Paſtoribus ipſis pauperum ſtatum referant, & largitionum ſacrarum rationem reddant. *Si Paulus miniſtrat, cogita quantum ſit quod fit, nimirum quod Doctor orbis deferendum recipit, & quod ad Romanos profecturus, quoſque illos videre vehementer deſiderat, hoc tamen miniſterium Romano itineri præfert*. Qui ex Judæis primum converſi ſunt ad fidem Chriſti Hieroſolymis, venditis poſſeſſionibus ſuis, & pretio in commune ærarium illato, communiter vivebant: quod cum defeciſſet, maxime gravi fame imminente, quæ ab Agabo Propheta prædicta fuerat, Chriſtiani ex diverſis regionibus, prout quiſque poterat, eleemoſynas miſerunt pauperibus fratribus in Judæa degentibus. *Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem*, κοινωνίαν, id eſt *communicationem*, Græci legunt. Eleemoſynam porro & hic & alibi Apoſtolus noſter *communicationem* vocat, *quaſi lucrum commune: cum dantium, tum accipientium*. Porro pauperes ſanctos dicit, ut duplici ratione miſeratione dignos oſtendat, primum paupertatis, deinde virtutis nomine. *Placuit enim eis: & debitores ſunt illorum*. *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis*. Eleemoſyna debitum eſt divitum erga Miniſtros Eccleſiæ, erga Virorum Religioſorum familias, eorum præſertim qui laborant in doctrina & verbo veritatis, & erga pauperes. Sanctificantur enim Miniſterio Sacerdotum, juvantur & proteguntur apud Deum precibus Religioſorum, a Deo plerumque conſervantur & tolerantur in gratiam pauperum. Quod autem Deus exiguam facultatum portionem acceptam habere dignetur per manus Miniſtrorum & pauperum ſuorum, velut grati animi pignus pro tot beneficiis quæ in ipſos divites plenis manibus contulit, magna benedictio eſt, nova gratia, cujus ratione magis ſunt debitores Deo: *& debitores ſunt*. Tributum eſt quod debent Domino in pauperum univerſitate indigenti. *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt, debent & in carnalibus miniſtrare*. In ordine Miniſtrorum eos collocavit. Miniſtri ſunt enim divinæ providentiæ, Miniſtri Chriſti, Miniſtri fratrum exemplo Chriſti Domini, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.

Paſtoralis pauperum ſublevandorum cura.

S. Chryſoſt. Hom. 30.

Act. 11.

Theophylact.

Eleemoſyna debitum eſt.

Quanta dignitas! Quanta vero fides in hoc miniſterio deſideratur! Temporalium enim bonorum ſuorum œconomi & diſpenſatores magis ſunt, quam domini. Unde non ait Apoſtolus, *debent & in carnalibus ſuis miniſtrare*, qui tamen ſpiritualia Judæorum eſſe dixerat, *ſpiritualium eorum participes facti ſunt*. Temporales enim facultates & pecunias omnibus communes eſſe debere per communionem caritatis, non ad ſolos poſſidentes pertinere ſignificavit. *Hoc igitur cum conſummavero, & aſſignavero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam*. Eleemoſynas *fructum* vocat, ut oſtendat lucrum acquirere contributores. Fructus ſunt divinæ providentiæ, Evangelii Jeſu Chriſti, ſollicitudinis Paſtorum, pietatis fidelium, lacrymarum pauperum. Fructus ſunt oblati Majeſtati Dei de ipſius donis ac datis.

S. Chryſoſt. Theophylact.

30. *Obſecro ergo vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritatem ſancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*. Cum tot tantiſque donis gratiarum a Deo cumulatus eſſet S. Paulus, ſe nihilominus novorum Chriſtianorum precibus velut poſtremum Fidelium commendat. Neque vero id ſatis eſſe videtur Apoſtolicæ humilitati, ſed & illos obſecrat per id quod in Religione ſanctiſſimum eſt, ſcilicet per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per caritatem Spiritus ſancti, ut illum ſuis apud Deum precibus adjuvent. *Quis hæc legens, orare pro ſe contemnat, ſive negligat, vel deſpiciat orationes Eccleſiæ poſtulare, etiamſi inferiores meritis eſſe videantur ei, a quibus oratio poſtulatur?* Secundum vim Græci Textus verti poteſt, *Adjuvetis me in agone orationum apud Deum*, oſtendens in oratione ſibi eſſe certamen, adverſantibus ſine dubio illis, de quibus alibi ſcribit; *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*. „ Certum eſt quod iſti omnes ſicut adverſantur fidei & reſiſtunt pietati, ſicut contrarii ſunt juſtitiæ & veritati & omnibus bonis, ita orationi reſiſtunt & adverſantur: & ideo oſtendit Paulus non minimum eſſe in oratione certamen, ſiquidem in hoc certamine etiam auxilium Romanorum credidit implorandum. Obſiſtunt enim dæmones orationi, primo agentes ne talis inveniatur qui in orationis agone deludat; *ut levet puras manus ſine ira*. Quod & ſi quis obtinere potuerit ut ſit ſine ira, vix eſt ut effugiat eſſe *ſine diſceptatione*, hoc eſt ſine ſuperfluis & vanis cogitationibus. Vix enim invenies ut oranti cuiquam non aliquid inanis & alienæ cogitationis occurrat, & intentionem qua ad Deum mens dirigitur, declinet ac frangat, atque eam, per quæ non competit, rapiat. Et ideo agon magnus eſt orationis, ut obſiſtentibus inimicis, & orantis ſenſum in diverſa rapientibus, fixa ad Deum ſemper mens ſtabili intentione contendat; ut merito poſſit & ipſe dicere, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*.

Orationes Eccleſiæ & piorum poſtulandæ.

Origenes l. 10. in hanc Epiſt.

Epheſ. 6. 12.

Orationibus noſtris dæmones adverſantur.

1. Tim. 2. 8.

2. Tim. 4. 7.

C A P U T XVI.

Senſus Litteralis.

1. *COmmendo autem vobis Phœben, ſororem noſtram*, fide & religione, hujus latricem Epiſtolæ, *quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ*, Diaconiſſam, Catechumenas domi inſtituentem, illis in baptiſmo miniſtrantem, illiſque in temporalibus etiam neceſſitatibus ſubvenientem, & in Miniſtros Evangelii hoſpitalem & cumprimis beneficam, in Eccleſia *quæ eſt in Cenchreis*, portu Corinthiorum, ad ſinum Saronicum: *Ut eam ſuſcipiatis in Domino, digne ſanctis*: ut eam propter Dominum, cui ſervit, ſuſcipiatis, ea honeſtate & caritate, qua decet recipi ſanctos, id eſt Chriſtianos, qui ſanctitatem profitentur: *& aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit*, & eam auctoritate veſtra, facultatibus, commendatione, defenſione adjuvetis in quocumque vobis eguerit: *etenim ipſa quoque aſſitit multis, & mihi ipſi*, ut ſingularis Miniſtrorum Chriſti & fidelium omnium peregrinorum patrona, quos in domum ſidemque ſuam recipiebat, illiſque auxilio erat, in omnibus quibus indigebant, & in quibus ipſis opitulari poterat. Ejus memoria in Martyrologiis Uſuardi & Adonis celebratur die tertia Septembris.

3. 4. *Salutate Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto Jeſu*; Priſcillam habent pleriqne Codices Græci, & Syrus. Hæc uxor Aquilæ Scenopegi, de quo Act. 18. 3. Qui Edicto Claudii Imp. cum ceteris Chriſtianis Roma ejecti Corinthum venerant, ibique Sanctum Paulum hoſpitio ſuſceperant, eumque comitati fuerant Epheſum, ubi ab eo relicti, Evange-

lium Chriſti promoverunt, & Apollo ferventiſſimum Chriſti Prædicatorem in domum ſuam receperunt, diligentius ei Chriſtianam fidem & diſciplinam exponentes. Romam verò redierant mortuo Claudio, aut certe ſævitia Edicti ceſſante. *Qui pro anima mea cervices ſuas expoſuerunt: quibus non ſolus ego gratias ago; ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium.* Qui pro
Act. 7. 11. vita mea tuenda mortis periculo ſe ipſos expoſuerunt (vel in illa ſeditione cujus meminit Sanctus Lucas *Action.* 18. vel in illa Epheſi, cujus meminit *Action.* 19. a Demetrio argentario contra Paulum excitata) quibus & ego gratias ago, & cunctæ Gentium Eccleſiæ ſe devinctas profitentur, tum ob ſedulam operam in propagando apud Gentes Evangelio, tum ob vitæ meæ conſervationem, quod beneficium cunctæ Gentium Eccleſiæ ad ſe pertinere agnoſcunt, cum ſim earum Doctor & Apoſtolus. *Et domeſticam Eccleſiam eorum*, idèſt Chriſtianam eorum familiam, nomine meo ſalutate. S. Aquilæ memoria in Martyrologiis Uſuardi, Adonis, ceteriſque Latinis die octava Julii celebratur. Officium extat in Menæo Græcorum die 14. ejuſdem Menſis, eumque *Apoſtolum, Epiſcopum, & Martyrem* appellant.

5. *Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto*; id eſt, primitiæ Chriſtianorum Aſiæ, qui ſcilicet primus Aſiaticorum ad Chriſti fidem converſus eſt. In Græco legitur, *ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, primitias Achaiæ*, & ita legerunt S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & Syrus Interpres; ſed legendum *Aſiæ*, probant ſummus Latinorum Codicum conſenſus, Mſs. quædam Græca, inter alia Oxonienſe, Origenes, S. Hieronymus in Ezech. cap. 33. Verſ. 18. & Achaiæ primitiæ Stephanæ domus, Fortunatus, & Achaicus, ex Apoſtolo noſtro 1. *Corinth.* 16. 15. non Epænetus, quem hic ut primitias Aſiæ, utique minoris, commendat. Qui enim Epænetum filium fuiſſe Stephanæ dicunt, ii certe ariolantur. S. Epæneti memoriam Græci celebrant die trigeſima Julii.

6. *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Secundum Codices Græcos pleroſque, *in nobis*. Multum autem laboraſſe ſit piam illam feminam in promovendo Evangelio, Miniſtris Evangelicis, novitque Chriſtianis de facultatibus ſuis ſubveniendo, aliiſque Chriſtianæ caritatis officiis exercendo. An Judæa fuerit, an Gentilis, incertum. Mariæ nomen tunc apud Judæos frequentius ob Mariam ſororem Moſis.

7. *Salutate Andronicum & Juniam cognatos & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.* Andronicus & Junias, ſive Junia, Judæi, & S. Pauli ſanguine propinqui, ac ſocii vinculorum ejus in aliquo carcere, ſive Philippis, ſive alibi. Nobiles inter Apoſtolos, id eſt inter primos Evangelii Prædicatores fuerunt. Quo fit ut Juniam viri nomen eſſe exiſtimem, quamvis S. Chryſoſtomo aliiſque Græcis aliter viſum eſſe noverim. Apoſtoli alii primarii ut duodecim, & Paulus, & Barnabas: alii ſecundarii & communiter dicti, 2. *Corinth.* 8. 23. & *Philipp.* 2. 25. ubi Epaphroditum cooperatorem ſuum in Evangelio illorum Apoſtolum nominat. Ante S. Paulum in Chriſtum crediderant, quod ſignificat his verbis, *qui ante me fuerunt in Chriſto*. E numero LXX. Diſcipulorum fuiſſe Andronicum, Origenes, S. Chryſoſtomus aliique Græci conjiciunt. SS. Andronici & Juniæ memoriam Græci celebrant die decimaſeptima Maii, ut conſtat ex Menologio Baſilii Imperatoris Porphyrogeniti, ex Menologio per Sirletum edito, ex omnibus Menæis, & ex Anthologio novo auctoritate Clementis VIII. vulgato.

8. *Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino*, id eſt in Chriſto, ſive propter Chriſtum Dominum noſtrum. Memoriam illius Græci celebrant die trigeſima-prima Octobris.

9. *Salutate Urbanum adjutorem noſtrum in Chriſto Jeſu*, id eſt, in iis quæ ad fidei Chriſtianæ propagationem pertinent, *& Stachyn dilectum meum*. S. Urbani memoria celebratur in Martyrologio Romano die trigeſima Octobris. Urbanum Epiſcopum Macedoniæ a S. Andrea ordinatum Græci putant, nullis Antiquitatis Eccleſiaſticæ fulti monumentis.

10. *Salutate Apellem probum in Chriſto*, id eſt fidelem & probatum Jeſu Chriſti diſcipulum. Apellis memoria in Martyrologio Romano celebratur die vigeſima-ſecunda Aprilis, necnon in Græcorum Menologiis, in quibus LXX. Diſcipulorum unus dicitur, & Epiſcopus Smyrnæ. *Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtobuli domo*, id eſt familia. Illius memoriam celebrant Græci die 31. Octobris. Pſeudo-Dorotheus in Synopſi, Græci recentiores, & Baronius in Martyrol. 15. Martii Ariſtobulum S. Barnabæ fratrem, unum ex LXX. Diſcipulis, Apoſtolum & Epiſcopum Angliæ, Martyremque faciunt: ſed Venerabilis Bedæ in Hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ de Ariſtobulo ſilentium has narrationes refellit. Immo an Ariſtobulus ille Chriſtianus fuerit, incertum eſt, cum id non innuat Apoſtolus noſter, nec illum ſalutet, ſed Chriſtianos ex ejus familia: ſicut & ad Philippenſes ſcribens, illos ſalutat nomine Sanctorum *qui de Cæſaris domo ſunt*, quamvis ipſe Cæſar, id eſt Nero Imp. Chriſtianorum hoſtis & perſecutor, numquam vero Chriſtianus fuerit. Verumtamen Ariſtobulum iſtum congregatorem fuiſſe fratrum in Chriſto, ait Ambroſiaſter, & S. Paulum ſic ejus factum probare, ut eos quos congregabat, dignos ſalutatione ſua deſignet.

11. *Salutate Herodionem cognatum meum*, ſanguine mihi conjunctum, ſed multo magis fide. Colitur a Græcis die 8. Aprilis, unuſque LXX. Diſcipulorum dicitur, ac novarum Patrarum Epiſcopus. Martyrologio etiam Romano ejus nomen adſcriptum eſt. *Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo*, domeſticos *Narciſſi*. Hunc fuiſſe Claudii libertum viri quidam eruditi cenſent, quos Baronius ex eo refellit, quod celeber ille Claudii libertus ante aliquot annos obiiſſet cum Paulus ad Romanos ſcripſit. Hunc Græci 31. Octobris colunt, & LXX. Diſcipulorum unum, ac Epiſcopum Athenarum poſt S. Dionyſium faciunt: Ejus nomen Romano Martyrologio Baronius adſcripſit. Narciſſum illum Presbyterum fuiſſe, idque legi in nonnullis Codicibus, ait Ambroſiaſter; & quia præſens non erat, Apoſtolum ſalutaſſe eos qui ea ejus familia Chriſto crediderant. Sed quid ſibi vult addit Ambroſiaſter, *Narciſſus Presbyter peregrini officio fungebatur, exhortationibus firmans credentes?* Ut ut eſt, totam Narciſſi familiam Chriſtianam non fuiſſe recte colligit Origenes ex illis verbis Apoſtoli, *qui ſunt in Domino*, id eſt qui Chriſto credunt.

12. *Salutate Triphænam & Tryphoſam*, fide & pietate conſpicuas mulieres, *quæ laborant in Domino*, quæ Evangelii propagationi collaborant, modo illi ſexui conveniente. *Salutate Perſidem chariſſimam; quæ multum laboravit in Domino.* Sanctarum Tryphænæ & Thryphoſæ memoriam celebrat Romanum Martyrologium ad diem decimam Novembris.

13. *Salutate Rufum electum in Domino*, inter Chriſti fideles pietate eximium; *& Matrem ejus, & meam*; matrem ejus carne, meam affectu; quam ſcilicet ob officia mihi impenſa colo & diligo ut matrem. An Rufus ille filius fuerit Simonis Cyrenæi, quem S. Marcus patrem vocat Alexandri & Rufi, incertum. S. Rufi unius ex antiquis Diſcipulis, & Martyris, a quo plures Eccleſiæ Judæos inter & Gentiles fundatæ ſunt, memoriam celebrant Uſuardus, Ado, aliique Martyrologi ad diem 18. Decembris.

14. *Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, & qui cum eis ſunt fratres*, ejuſdem familiæ fideles. SS. Aſyncritum & Phlegontem Græcorum Menologia & Martyrologium Romanum celebrant die octava Aprilis. His Græci addunt S. Hermem, quem unum ex LXX. Diſcipulis faciunt. SS. Patrobam & qui ſequitur, Philologum, Martyrologium Romanum celebrat die quarta Novembris, quo die, & interdum ſequenti ſacris Græcorum Faſtis adſcripti leguntur.

15. *Salutate Philologum, & Juliam, Nereum, & ſororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos.* Juliam Philologi conjugem fuiſſe conjicit Origenes.

16. *Salutate invicem in oſculo ſancto*, ſymbolo amo- *Oſculum*
ris caſti, ſinceri, ſpiritualis, tali denique quale ſan- *ſanctum.*
ctos decet. Chriſtiani publicas orationes oſculo pacis claudebant. S. Juſtinus Apolog. 2. *A precibus finitis*, inquit, *mutuis nos invicem oſculis ſalutamus.* Tertullianus libro de Oratione cap. 14. „ Alia jam conſuetudo invaluit, Jejunantes habita oratione cum „ fratribus, ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis. Quando autem magis conſerenda cum fratribus pax eſt, niſi cum oratio „ commendabilior aſcendit, ut ipſi de noſtra operatione participes, jam audeant de ſua pace fratri tranſigere? Quæ oratio cum divortio ſancti „ oſculi integra? Quem Domino officium facientem „ impedit pax? Quale ſacrificium eſt, a quo ſine „ pace receditur? Quæcumque operatio ſit, non erit „ potior præcepti obſervatione, quo jubemur jejunia noſtra celare. Jam enim de abſtinentia oſculi „ agnoſcimur jejunantes. *Origenes Hom. 1. in Cantic.*: Os Sponſi intelligimus virtutem Dei, qua „ illuminat mentem, & velut ſermo ne quodam „ amoris ad eam facto, incognita quæque ſibi & „ obſcura manifeſtat: & hoc eſt verius, propiuſque „ & ſanctius oſculum, quod a Sponſo Dei Verbo „ porrigi dicitur Sponſæ, piæ ſcilicet animæ & perfectæ. Cujus rei imago eſt illud oſculum, quod

„ in

Digitized by Google

„ *in Eccleſia ſub tempore Myſteriorum nobis invi-*
„ *cem damus.*

Romana Eccleſia ceterarum mater & magiſtra.

Addit Apoſtolus: *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.* Non quod ab omnibus Eccleſiis rogatus eſſet ut illarum nomine ſalutaret Romanos, ſed quia earum ſummam venerationem erga Romanam Eccleſiam noverat, & affectum cum reverentia conjunctum erga Sanctos Romæ degentes. Omnium Eccleſiarum nomine eam Eccleſiam ſalutat, quæ ceterarum Eccleſiarum mater eſt & magiſtra.

17. 18. *Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos; qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.* Hortor vos ut vigilanter obſervetis eos qui diſſidia opinionum inter vos ſuſcitant contra doctrinam vobis traditam a Petro Apoſtolo, & aliis Evangelii Miniſtris illi cooperantibus, ſicque pariunt offendicula ſive ſcandala, multos perverſæ doctrinæ ſuæ blanditiis impellentes in ruinam; & conſortium eorum fugite. *Hujuſcemodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones & benedictiones, ſeducunt corda innocentium.* Doctrina ſua non ſerviunt gloriæ Chriſti & ſpirituali audientium utilitati, ſed quæſtus gratia docent, ut habeant unde laute vivant, & gulam expleant. (Confer enim *Philipp.* 3. 18. 19.) & ſermonibus adulatoriis & cupiditati faventibus, ſeducunt ſimplices & incautas animas.

Falſi doctores fugiendi.

19. *Veſtra enim obedientia in omnem locum divulgata eſt.* Veſtra docilitas & obedientia, qua prompte animum jugo fidei ſubmiſiſtis, longe lateque diffuſa fama celebratur. *Gaudeo igitur in vobis.* Ea de re vobis gratulor, plurimumque de bonis veſtris ſpiritualibus gaudeo. *Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Sed vos hortor ut ſapientes ſitis & prudentes ad bonum intelligendum, eligendum, faciendum, ut oportet: & ſimplices ad malum; quaſi male agere neſcientes, innocentes, malitia parvuli. Hujus meæ admonitionis cauſa eſt obedientia veſtra. Qui enim ſimpliciores & obedientiores eſtis, eo facilius a falſis Doctoribus decipiemini, ſi abſit prudentia.

20. *Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter.* Bene precantis verba ſunt. Deus pacis auctor, cito conterat ſub pedibus veſtris Satanam, qui per miniſtros ſuos errorum Magiſtros calcaneo veſtro inſidiatur, voſque ad lapſum impellere conatur. Futuri temporis verbum habent Græci Codices & Syriaca Verſio: *Conteret ſatanam ſub pedibus veſtris.* Quem ſenſum ſequuntur Origenes, & S. Chryſoſtomus: ſed MS. Alexandrin. & Theodoretus Vulgatam noſtram lectionem confirmant. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.* Vobis faveat & opituletur gratia ſua Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut ſatana, & miniſtris ejus ſuperiores ſemper evadatis, & in omni bono proficiatis. Hic Epiſtolam finire propoſuerat Apoſtolus, ſed tempore dato pauca adjecit & ipſe & Scriba ejus, ut ad calcem Epiſtolarum fieri ſolet.

21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus,* in Evangelii prædicatione, *& Lucius, & Jaſon, & Soſipater, cognati mei,* ſanguinis propinquitate mihi conjuncti. Timotheus ille ipſe eſt ad quem duplicem Epiſtolam dedit Apoſtolus noſter. Jaſon ille eſt qui S. Paulum hoſpitio ſuſcepit Theſſalonicæ, & caput ſuum pro illo expoſuit (*Act.* 17.) Soſipater, idem qui *Act.* 20. 4. Sopater vocatus contracto nomine, ut conjicit Origenes. SS. Jaſonis & Soſipatri memoriam Græci celebrant die 28. aut 29. Aprilis. Lucium eum S. Luca plerique poſt Origenem confundunt.

22. 23. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam, in Domino.* Ego Tertius Pauli Apoſtoli Amanuenſis, qui hanc Epiſtolam illo dictante ſcripſi, ſalutem vobis a Chriſto precor: *Salutat vos Caius hoſpes meus, & univerſa Eccleſia,* ſive potius, *& totius Eccleſiæ,* ſecundum Textum Græcum, καὶ τῆς ἐκκλησίας ὅλης cui conſentit Syriaca Verſio. Sane opus non erat ut Romanos interum univerſæ Eccleſiæ nomine ſalutaret, cum paulo ſuperius ſcripſiſſet, *Salutant vos omnes Eccleſiæ.* Caium igitur eo nomine commendat, quod domus ejus eſſet velut commune totius Eccleſiæ hoſpitium, quia Chriſtianos omnes Corinthum negotiorum cauſa venientes ſumma caritate excipiebat. *Salutat vos Eraſtus Arcarius civitatis,* Quæſtor, ſeu publici ærarii adminiſtrator, *& Quartus, frater,* noſter in Chriſto frater. S. Tertii & S. Quarti memoriam die decima Novembris Græci celebrant.

24. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Id ante poſitum Verſ. 20. hic repetit ad majorem ſui erga Romanos amoris ſignificationem, quaſi quis dicat, *Iterum valete.* Sequitur laus Dei & gratiarum actio, qua concluditur Epiſtola.

25. 26. 27. *Ei autem qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum & prædicationem Jeſu Chriſti, ſecundum revelationem Myſterii temporibus æternis taciti, (quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, ſecundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti: ſoli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* Gloria & honor ſit ei, qui omnipotens eſt ut vos confirmet in fide Evangelii & in doctrina Jeſu Chriſti, quam prædico. Qua prædicatione continetur non res aliqua vulgaris naturali lumine inventa, ſed revelatio Myſterii ſalutis humanæ per Chriſtum, quod omnibus retro ſæculis reconditum, & paucis cognitum eſt; nunc vero factum eſt manifeſtum per Prophetarum oracula, a Chriſto, & nobis ejus Apoſtolis Spiritu ſancto per nos loquente expoſita. Quæ patefactio Myſterii tam ſublimis convenienti tempore facta eſt ſecundum ordinationem & mandatum æterni Dei, ut cunctæ Gentes ad illius notitiam perductæ, fidei obedirent. Deo (inquam) qui ſolus ſapiens eſt ex ſe ut fons & autor omnis ſapientiæ, honor & gloria per Jeſum Chriſtum, in ſæcula ſempiterna. Amen.

CAPUT XVI.

Senſus Moralis.

1. COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, &c. Beata mulier quæ tanti Apoſtoli laudibus exornari meruit. Ante reliquos omnes a S. Paulo honorifice commendata, ſoror appellata, Sancta vocata, adjutrix, benefactrix, & patrona Miniſtrorum Chriſti, & omnium fidelium; atque imprimis ipſius Pauli orbis Magiſtri, tanta patientis, innumeros adjuvantis; ad Eccleſiæ Miniſterium ſexui ſuo conveniens, ob fidei pietatiſque præſtantiam evecta. Exemplar illa eſt piarum mulierum bonis operibus ſub Paſtorum directione deditarum. Pudeat viros in opere Dei ſegnes & ignavos eſſe: ſanctarum Heroinarum zelum, labores, pietatem & caritatem imitentur. In perſona hujus plures oſtendit rationes Apoſtolus, quæ Chriſtianos movere debent ad ſuccurrendum fratribus. 1. Merita & perſonam ipſam Chriſti in eis habitantis: *Ut eam ſuſcipiatis in Domino.* 2. Dignitatem & ſanctitatem profeſſionis Chriſtianæ: *Digne ſanctis.* 3. Bona illorum opera, & officia impenſa Eccleſiæ: *Etenim ipſa quoque aſtitit multis.* 4. Gratia animi ſignificationem ob beneficia nobis ſingulariter collata, *& mihi ipſi.* 5. Vinculum ſacræ fraternitatis quo fideles conjunguntur: *ſororem noſtram.* 6. Gradum quem in Eccleſia tenent: *quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ.* Caritas uno genere officii non circumſcribitur: ſuccurrit omnibus ope ſua egentibus, & in omnibus negotiis in quibus ipſis opitulari poteſt, *& adſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit.*

S. Chryſoſt. Hom. 31.

Phœbe exemplar mulierum pietatis operibus ſub Paſtorum directione deditarum.

3. 4. 5. *Salutate Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto Jeſu.* Magna Priſcillæ & Aquilæ gloria, qui tametſi laici, & opifices, Apoſtolo Gentium cooperati ſunt in Evangelii propagatione. Magna Pauli humilitas, qui gloriam Apoſtolatus cum tabernaculorum textore & ejus uxore communicare non eſt dedignatus: *adjutores meos in Chriſto.* 2. Nec Apoſtolatus tantum, ſed & martyrii gloriam ſunt adepti, innumeris ſub Nerone periculis pro Eccleſia, pro Apoſtolis, Apoſtoliciſque Viris ſe ultro & alacriter exponentes: *Qui pro anima mea cervices ſuas ſuppoſuerunt.* 3. Ad ſanguinem pro Chriſto effundendum paratiſſimi, facultates interim ſuas fidelibus omnibus communes eſſe voluerunt, domumque ſuam non ſolum Paſtoribus, ſed quibuſvis Chriſtianis aperuerunt: *Quibus non ſolus gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium.* 4. Ita probati erant, ut domus eorum Eccleſia videretur: *Et domeſticam Eccleſiam eorum.* Neque enim ſimpliciter domos Eccleſias vocare conſuevit Apoſtolus, niſi multa pietas, multuſque timor Dei in illis radicatus eſſet, Sic & Philemonis domum Eccleſiam vocavit. Ex his multa diſcimus. 1. Neque Matrimonii ſtatum, neque ſexus infirmitatem, neque conditionis ignobilitatem impedire quo minus Eccleſiæ utiles eſſe poſſint, qui illam vero diligunt, & Jeſum Chriſtum Sponſum ejus amant. 2. Laicos interdum colligere gratiam, quam Eccleſiaſtici Viri rejiciunt. 3. Fideles Paſtoribus, quemadmodum & Paſtores fidelibus arctiſſime conjunctos in Chriſto eſſe debere, ut nec eos perſecutio dividat, quorum animos caritas conglutinat. 4. Uniuſcujuſque Chriſtiani domum Eccleſiam eſſe debere pietatis profeſſione, diſciplinæ ordine, modeſtia, caritate. Hujus Templi domeſtici antiſtes

Uniuſcujuſque Chriſtiani domus Eccleſia ſit.

Digitized by Google

antiſtes ſit pudicitia, quæ nihil profanum inferri ſinat: ibi orationes in communi fundantur matutinis & veſpertinis horis, Sacramenta ſtatis diebus a conjugibus, filiis, domeſticis frequentarentur, pii libri legantur, maxime vero Novum Teſtamentum, pſalterium, Proverbia, liber Sapientiæ, & Eccleſiaſticus, aliique Scripturæ ſacræ libri, ſecundum probatas ab Eccleſia Verſiones, & ad arbitrium prudens Paſtorum, & conſcientiæ Moderatorum: nullus a domo arceatur pauper, nullus ſine eleemoſyna dimittatur. Opifices ipſi ex iis quæ labore manuum ſuarum lucrantur, ſeponant aliquid Dominica die ad pauperes juvandos, ſi facultas illis adſit, alioquin bonam voluntatem offerant Deo, qui illam coronabit, modo alia, quæ poſſunt, caritatis officia pauperibus impendant. Quæ de Priſcilla & Aquila hic Paulus commemorat, audiant & divites & pauperes. „ Si enim qui manibus ſuis victum quærebant, officinæque præerant, tantam „ oſtenderunt liberalitatem ut multis Eccleſiis eſſent „ utiles: quam veniam habebunt divites, qui pauperes deſpiciunt? Nam illæ quidem neque ſanguini „ ſuo pepercerunt, ut Deo placerent: tu vero modicis pecuniis parces, tuam animam contemnens? „ Verum ergo Apoſtolum quidem tales illi forte „ fuerunt, non erga diſcipulos; Immo erga Chriſtianos omnes. Nam & Eccleſiæ Gentium (inquit) illis gratias agunt: quamvis enim eſſent ex „ Judæis, ita tamen ſincere credebant, ut & Gentibus ad fidem converſis omni alacritate miniſtrarent. Tales oportet eſſe mulieres, non in tortis „ crinibus, aut auro, aut veſtimento pretioſo: ſed „ talibus factis adornatas & conſpicuas. Quænam „ Regina adeo ſplenduit; quænam ita veneranda „ fuit, ac ipſa tabernaculorum textoris uxor? Illa „ in ore eſt omnium, non decem aut viginti annos, „ ſed uſque ad ſecundum Domini adventum. Quid „ majus, quid par eſſe poterit, quod mulier illa „ Paulo fuerit adjumento? Quod propriis periculis „ Doctorem orbis conſervaverit? Obſerva quot & „ quantæ Reginæ in obſcuro ſunt ſilentio, dum interea tabernaculorum textoris uxor ubique cum ſuo „ tabernaculorum textore celebratur. Vide illorum „ circa prædicationem laborem, in martyrio coronam, in habitu honeſtatis ſtudium, dilectionem „ erga Paulum, erga Chriſtum amorem. Confer cum „ illis mores tuos, opera tua, & videbis quantum „ abſis ab illorum virtutibus. Verum inquies, quid „ faciam, qui Paulum non habeo, cujus magiſterio „ inſtituar ut Priſcilla & Aquila? Si volueris, plenius illum habebis, quam illi. Neque enim aſpectus Pauli tales illos fecit, ſed verba. Itaque ſi „ volueris, & Paulum & Petrum & Joannem, & „ Prophetarum omnium chorum cum Apoſtolis tibi „ loquentem, tecumque converſantem habebis. Accipe beatorum illorum libros, ſcriptaque interpella: illa quippe efficere poterunt ut tu inſtar „ uxoris ſcenofactoris. Et quid dico Paulum? Si „ volueris, habebis & ipſum Pauli Dominum. Per „ Pauli quippe linguam & ipſe tibi loquetur. Rurſus illum & aliter ſuſcipere poteris, nempe quando eorum curam habueris, qui in illum credunt.

S. Joan. Chryſoſt. Hom. 30. in hanc Epiſt.

3. *Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto.* Multi hanc Epiſtolæ partem, quæ meras ſalutationes, & nominum Catalogum contineat, negligenter prætereunt, non magnam utilitatem ex illius lectione ſe collecturos exiſtimantes. *Et aurifuſorum quidem pueri minuta etiam fragmenta curioſe conquirunt: iſti vero tantas auri maſſas negligunt, Eſt & in hiſce nominibus magnum invenire theſaurum.* Ἐπαινετὸς, *laudabilem* ſignificat. Vere laudabilis Epænetus, quem Apoſtolus *dilectum ſuum* vocat. Neque modica eſt laus iſta, ſed magnæ virtutis declaratio, a Paulo dilectum eſſe, qui non temerario gratiæ affectu, ſed judicio diligere novit. Si magnum eſt a Rege diligi, a Paulo diligi quantum eſt encomium? Magna laudis acceſſio, quod primitiæ credentium in Aſia fuerit. *Primitivus Aſiæ in Chriſto.* „ Si enim in civilibus negotiis primas obtinens magnus eſſe videtur, multo magis qui ceteris præit in fide & pietate. Itaque quoniam „ veriſimile eſt ipſum humili fuiſſe genere, veram „ nobilitatem & præeminentiam in illo commendat „ Apoſtolus: & non ſolum Corinthiorum, ſed & „ univerſæ gentis primitias vocat, tamquam qui „ porta ſit & introitus aliorum factus. Talium autem „ merces non eſt modica. nam & ex aliorum beneficiis multam retributionem capiet, qui dux „ & exemplum eis fuit ad bonum. “ Felix qui oblatam a Deo gratiam primus recipit; qui primus bonum propoſitum amplectitur, qui ad pietatis opera ceteris præit exemplo. Verumtamen ceteris in bono præiviſſe non ſufficit, niſi quis in ſuſcepto bono uſque in finem perſeveret, ut S. Epænetus.

S. Chryſoſt. Hom. 31.

Qui ceteris præit ad bonum, majori dignus præmio apud Deum eſt.

6. *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* Magni labores ſexus infirmi ad fidem propagandam, aut ad pietatem promovendam, ſolius gratiæ opus eſſe poſſunt. Ad virium ſuarum naturalium infirmitatem non attendit ut ſanctos labores refugiat, qui conſiderat quantum Jeſu Chriſto debeat, & cum ejus gratia omnia ſe poſſe confidit. Mulieres ipſæ, ſi caritate ferventes ſint, variis modis pro regno Dei, pro veritate, pro Eccleſia, pro inſtructione, converſione, ſanctificatione proximorum laborare poſſunt, & Evangelii Miniſtris, Paſtoribuſque cooperari. Maria non erga ſe ipſam ſolum laboravit, aut privatas virtutes excoluit; quod multæ mulieres nunc quoque faciunt, & jejunantes, & humi jacentes, & orantes, ſed & erga alios, *Apoſtolorum & Evangeliſtarum ſuſcepto curſu.* Cum ergo alibi ait Apoſtolus noſter, *Mulieri docere non permitto,* præſidentiam in medio Eccleſiæ illi prohibet, ſedemque in pulpito, non doctrinæ verbum familiare, privatim: Nam & virum, & filios, & proximos docere, corrigere, ad bonum invitare & adhortari ſapiens & pia mulier poteſt. 1. Corinth. 7. 16. *Unde enim ſcis, mulier, ſi virum ſalvum facies?* Sic Apollo Jeſu Chriſti Prædicatorem egregium Priſcilla confirmavit in fide, eique diligentius expoſuit viam Domini. Sic Maria pro Eccleſia laboravit. Non tamen ait Apoſtolus, Quæ multa docuit, ſed *quæ multum laboravit in vobis,* oſtendens quod non ſermone ſolum, ſed pecuniis, peregrinationibus, pietatis exemplis, perſecutionum & incommodorum perpeſſione, aditione periculorum, Eccleſiæ ſervierit. *Erant enim mulieres illæ leonibus ferventiores, & laborum Apoſtolicorum participes,* ait S. Chryſoſtomus.

Mulieres pietate, ſi caritate ferventes ſint, variis modis pro Dei gloria, pro Eccleſia, & ſalute animarum laborare poſſunt. S. Chryſ. ibid.

1. Tim. 2. 12

Act. 18

7. *Salutate Andronicum & Juniam cognatos & concaptivos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.* Utilius & glorioſius eſt conjunctum eſſe Sanctis crucis ſocietate, quam carnis & ſanguinis cognatione, ſocium eſſe vinculorum in cauſa religionis & pietatis, quam heredem bonorum. Andronicum & Juniam nobiles inter Apoſtolos fecit captivitas cum Paulo tolerata, aliaque pericula, quibus pro Chriſti amore ſe expoſuerunt. Sanctis viris conjunctum eſſe, magna laus eſt, ejus qui illos imitatur; contra vero tam illuſtris cognatio cedit in judicium & damnationem eorum, qui ipſorum fidem, virtutes, & opera bona imitari non curant. Imitanda S. Pauli æquitas cum ſumma caritate conjuncta erga cognatos. Sic enim laudes illorum temperat, ut in iis non commendet niſi quod commendatione dignum eſt, niſi quod a Chriſto, & propter Chriſtum eſt, & quod illis auctoritatem conciliare poſſit apud Romanos ad rem Chriſtianam promovendam. Imitanda etiam S. Pauli humilitas, qui cum ex laudibus Andronici & Juniæ radios aliquos gloriæ in ſe redundare poſſe animadverteret, ſe ipſum infra illos depreſſit, illos inde commendans quod ante ſe in Chriſtum credidiſſent, nec ejus Eccleſiam perſecuti umquam eſſent, ut ipſe, immo vero illi mirum in modum Apoſtolicis laboribus profuiſſent. Diſcamus etiam ab Apoſtoli ſalutationibus in hac Epiſtola, omnes honorare, qui vere laude digni ſunt, laudes pro cujuſque meritis diſpenſare, ut ſancta æmulatione accendantur ad bonum, nemini adulari. „ Salutavit unumquemque, juxta quod conveniebat, omnes illos; hunc „ vocans dilectum, iſtum cognatum, illum concaptivum, iſtum cooperarium, hunc probatum, „ alium electum, hanc Eccleſiæ miniſtram, aliam „ matrem, aliam a laboribus commendans, quos pro „ Eccleſia ſuſtinuit: hos a domo, alios a nomine „ fratrum, alios ab appellatione Sanctorum: & illos „ hoc ipſo honorat quod ſalutat, hos vero quod nominatim ſalutat; illos primitias appellans, illos „ ab antiquitate converſionis commendans. Verum „ plus omnibus Priſcillam & Aquilam. Licet enim „ omnes fuerint fideles, pares tamen non fuerunt, „ ſed præmiis diverſi. Propterea ſane ut ad majora „ excitaret univerſos, nullius obſcuravit encomia. „ Si enim qui plura præſtiterunt, plus mercedis „ acceperi non eſſent, multi redderentur ſegniores. „ Unde neque in Regno par honor, neque in Diſcipulis pares omnes, ſed præſtantiores reliquis „ tres erant, & in ipſis tribus multum rurſus differentiæ. Nam & *Stella differt a ſtella in claritate.*

Qui fructus ex Apoſtoli ſalutationibus in hujus Epiſtolæ fine colligendus?

S. Chryſoſt. Hom. 31.

1. Cor. 15. 41.

16. *Salutate invicem in oſculo Sancto.* Externas actiones bonas aut malas efficit animi diſpoſitio & affectio. Oſculum a cupiditate libatum, actio profana eſt, corrupti cordis indicium, carnalis amoris character, odii & proditionis quandoque inſtrumentum, ut in Joab & Juda Iſcariote. Oſculum a caritate impreſſum, ceremonia ſacra & myſtica eſt,

2. Reg. 20. Matth. 26.

rerum

eorum in religione maximarum & ſanctiſſimarum ſymbolum, ſcilicet Spiritus ſancti, qui nexus eſt & quaſi oſculum Patris & Filii; unionis duarum in Jeſu Chriſto naturarum per Incarnationem; reconciliationis peccatorum cum Deo; fidei & caritatis Chriſtianæ, quæ fideles omnes in Chriſto Jeſu, & Eccleſias omnes inter ſe conjungit. *Vitanda* ſumma cautione Chriſtiana oſcula, quæ cupiditatis & profani amoris impulſu porriguntur. Hinc Athenagoras in Legatione ſeu Apologia pro Chriſtianis, *Summa* (inquit) *cautione communicandum eſt oſculum: ut non aliter quam pia ſalutatio, vel potius adoratio quædam habeatur. Quæ ſi vel parum impura cogitatione inquinata fuerit, a vita nos alienat:* Et S. Clemens Alexand. lib. 3. Pædagogi cap. ultimo; *Oſcula*, inquit, *impudicitia ſæpe venena immittunt.*

Vitanda oſcula, quæ profani amoris impulſu feruntur.

17. 18. *Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* „ Hæc „ ad eos qui Eccleſiæ præſunt, & ad omnes credentes, per Spiritum ſanctum ſcribit Paulus, ut „ diligenter conſiderent & perſpiciant qui ſint qui „ diſſenſiones & offendicula in Eccleſia generant, „ & alieni ſint ab illa beatitudine quam Deus repromiſit, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Hoc enim, inquit, ut pacifici ſitis, & Domino per Evangelium didiciſtis: diſſenſiones vero „ commovere vel ſcandala, præter doctrinam eſt „ quam vos didiciſtis: & ideo alienus a vobis ſit, „ nec omnino recipiatur inter vos qui certamina „ commovet, qui ſerit jurgia, qui lites excitat, & „ ſtudia contentionis exercet. *Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri.* Quid „ cauſæ ſit cur jurgia ſuſcitantur in Eccleſia, & „ lites, divini Spiritus inſtinctu aperit: Ventris, „ inquit, gratia, hoc eſt, quæſtus & cupiditatis. „ Inde eſt quod nonnulli circumeunt domos, loquentes ad gratiam cum omni adulatione & deceptione, non ut in verbo Dei ædificent animas „ ad virtutem, ſed ut adulatoriis dulcibuſque ſermonibus permoveant, vel etiam proficere eas „ hortentur in vitiis, laudantes & bona dicentes „ ea quæ correptione digna ſunt: ponentes lucem „ tenebras, & tenebras lucem, dulce amarum, & „ amarum dulce. *Et per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Et ideo diligenter oportet intendere quo proſpectu doceat ille „ qui docet, utrum gratiam & honorem ab auditoribus quærens, an mercedem a Domino pro „ inſtructione & profectu diſcentium ſperans.

Origenes l. 10. in Epiſt. ad Rom. ad c. 16.

Vitandi & coercendi falſi doctores qui diſſenſiones & contentiones in Eccleſia excitant.

Ut ergo internoſci & vitari poſſint Pſeudo-Apoſtoli, multiplices eorum caracteres deſcribit S. Paulus 1. Diſſenſiones & diſcordias in Eccleſia ſerunt, inquieti ac turbulenti ingenii homines: *Diſſenſiones & offendicula faciunt.* 2. Doctrinæ traditionis inſidiantur & contradicunt; *præter doctrinam quam vos didiciſtis.* 3. Gloriam Jeſu Chriſti non quærunt, nec promovere ſtudent: *Chriſto Domino noſtro non ſerviunt.* 4. Id unum curant, ut vitæ commodis fruantur, eo omnes motus ſuos, functioneſque referunt homines molles & delicati, ac voluptatum magis amatores quam Dei: *ſed ſuo ventri.* 5. Adulatoriis ſermonibus utuntur ut ſimplices ſeducant: *Per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Qui vitam æternam vult conſequi, declinet ab illis. Cæci ſunt, & duces cæcorum. Incautas animas & a ſua primum cupiditate deceptas, ducunt per viam latam, cujus finis perditio & mors æterna, *Declinate ab illis.*

Falſorum doctorum caracteres.

19. *Veſtra enim obedientia in omnem locum divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Nihil Chriſtiana obedientia melius & ſalubrius, ſed cum ſapientia diſcretionis conjuncta ſit neceſſe eſt, ne decipiatur ſpecie boni: & cum ſimplicitate, ne facilior ſit, præcepſque ad ſuſpicionem mali. Sapientes in bono ſimus oportet, ut illius principium, finem, circumſtantias examinemus, ſine quibus verum bonum eſſe non poteſt: & ſimplices in malo, ut cupiditatis artes ac ſubtiles adinventiones rejiciamus, quibus pravos peccatoris affectus excuſat, corruptoſque ſæculi mores cum fidei Chriſtianæ & Evangelicæ legis profeſſione conciliare ſatagit. *Revera*, inquit Origenes, *non eſt parvæ diſcretionis, ſed probabilis & exercitatiſſimi judicii, ſcire cui verbo, cuive operi obediendum ſit, & cui renitendum.* „ Attendite „ vobis ab iis qui veniunt ad vos in veſtimentis „ ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. *Et ideo vigilans ſenſus & mens intenta requiritur, quæ probare noverit vel ovis in propatulo ſimplicitatem, vel lupi latentem rapacitatem. Unde videquam proximi periculis ſiant hi, qui exerceri in divinis Litteris negligunt, in quibus ſolis hujuſmodi examinis agnoſcenda diſcretio eſt.* „ Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſim„ plices in malo. *Quod Dominus ait*, Quia filii hu„ jus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione „ ſua ſunt, *huic dicto convenit. Filii enim hujus ſæculi prudentiores ſunt in malitia. Eo quod ſemper aliquid profundius & ſubtilius inveniunt in ea, unde plus noceant, & vehementius lædant: in bono autem ſtulti ſunt, vix enim inveniunt quid faciant boni. E contrario Paulus vult nos ſapientes eſſe in bono; hoc eſt, ſemper aliquid plus invenire, plus exquirere, & profundius cogitare, quid faciamus boni: ita ut ſi impediamur per alicujus malitiam ab opere bono, ſic nos ſapientes ſimus & exquiramus quomodo etſi opus bonum non poſſumus, vel ſermonem bonum proferamus: quod ſi nec hoc liceat, votum ſaltem bonum & animum demonſtremus. Sic ergo ſapientes debemus eſſe in bono, ſimplices vero in malo, ut ſi pulſemur malitia, pulſemur injuria, non ſimus callidi, non ſimus verſuti, artes & argumenta quærentes quibus reddere malum pro malo, & nequitiam pro nequitia debeamus: ſed meminiſſe debemus illius ſententiæ:* „ Si quis vult ſapiens „ eſſe apud Deum, ſtultus fiat in hoc mundo. „ *Simus ergo ſtulti accipientes injuriam & non reddentes, ut ſapientes ſimus apud Deum qui dicit*, MIHI „ *vindictam, & ego retribuam.*

Origenes lib. 10. in Epiſt. ad Rom. ad c. 16. Matth. 7.

Quid ſit ſapientia in bono, ſimplicitas in malo?

1. Cor. 3.

20. *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.* Serpenti de Eva, Eccleſiæ typo, dictum a Deo eſt: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.* „ Quod eſt caput ſerpentis? prima „ ſuggeſtio. Venit tibi in mentem neſcio quid illicitum: noli ibi tenere mentem tuam, noli conſentire. Hoc quod venit in mentem, caput ſerpentis eſt. Caput calca, & evades ceteros motus. Quid eſt, caput calca? Ipſam ſuggeſtionem „ contemne. Sed lucrum ſuggeſſit: magnum ibi lucrum eſt, magnum ibi aurum eſt; ſi hanc fraudem feceris, dives eris. Caput ſerpentis eſt, calca. Contemne quod ſuggeſſit. *Et quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Pereat mundi lucrum ne „ fiat animæ damnum. Hæc dicens obſervaſti caput ſerpentis, & calcaſti. Ille autem diabolus „ calcaneum tuum obſervat. Tu obſervas primam „ ſuggeſtionem, ille obſervat lapſum tuum, ſi „ enim lapſus fueris, cades; ſi cecideris poſſidebis. „ Ut autem non cadas, noli exire de via. Anguſtam tibi ſemitam ſtravit Deus: quicquid extra „ illam, lubricum eſt. Propterea lumen eſt Chriſtus, & via eſt Chriſtus. Si ab illo receſſeris, „ nec in lumine eris, nec in via. Et quid te ſequitur? Quod de impiis dicit Pſalmus. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum.* Ut autem ſatanas ſub pedibus noſtris velociter conteratur, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti opus eſt, quam Apoſtolus Romanis adprecatur. Illam fervente & perſeverante oratione a Deo poſtulemus, & Satanæ ſub pedibus noſtris contritam illudemus.

Caput ſerpentis, prima diaboli ſuggeſtio. Geneſ. 3. 15. S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 103. Serm. 4. Matth. 16. 26.

84. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Quid Chriſtiano deſiderari poteſt quod ipſo dignum ſit, niſi amor & gratia Jeſu Chriſti? Eam Romanis iterum optat Apoſtolus, quia ejus pretium, neceſſitatem, ac virtutem omnipotentem noverat... „ Tutiſſima arma, murus infractus; „ turris inconcuſſa: admonet enim illos gratiæ, ut „ alacriores reddat. Si enim a multo gravioribus, „ idque ſola gratia, liberati eſtis; multo magis liberamini & a minoribus: ſiquidem & amici facti „ eſtis, & quod veſtrum erat, ſimul attuliſtis. Vide „ quomodo neque precationem ſine operibus ponat, „ nec opera ſine precatione. Dato enim illis obedientiæ teſtimonio, precatus eſt, oſtendens utrumque nobis opus eſſe ad ſalutem, & quæ divinitus dantur, & quæ a nobis ſunt: idque non ſolum antea, ſed & nunc quoque, etiamſi magni „ celebreſque fuerimus, divina gratia opus habemus.

S. Chryſoſt. Hom. 32. in hanc Epiſt.

Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen. „ Vides unde exordienda, & quo terminanda ſint omnia. Nam & hinc initium fecit Epiſtolæ, & hinc illi finem impoſuit Apoſtolus, ſimul illis matrem omnium bonorum adprecatus, „ atque omnis beneficentiæ divinitus acceptæ admonens. Iſtud quippe potiſſimum germani Doctoris eſt, non ſolum ſermone quos imbuit ac docet, „ ſed & precibus juvare: unde dicebat: *Nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Quis igitur & nobis bene precabitur, poſteaquam Paulus „ hinc migravit? Æmulatores Pauli. Tantummodo „ nos tali patrocinio dignos exhibeamus: ne hic ſolum vocem Pauli audiamus; ſed & illic, poſtquam diſceſſerimus, Athletam hunc Chriſti videre mereamur. Immo ſi hic audiverimus, & illic

Act. [illegible]

„ ipſum

Digitized by Google

„ ipſum omnino videbimus apud regalem thronum „ ſplendentem. Ubi Cherubim Deum glorificant, „ ubi Seraphim volant, illic Paulum videbimus „ cum Petro in ſanctorum choro præſidentem, ge- „ nuinaque illius dilectione fruemur. Si enim cum „ hic eſſet, uſque adeo dilexit homines, ut cum „ diſſolvi ex animi propoſito; & cum Chriſto eſſe „ cupere, elegerit hic eſſe: multo magis illic fer- „ ventiorem amorem oſtendet. Verum ut ejuſdem „ cum illo beatitudinis conſortes eſſe mereamur, illum „ imitari ſtudeamus, quemadmodum alibi nos hortatur:
1. Cor. 11. 1. *Imitatores*, inquit, *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

25. 26. 27. *Ei autem qui potens eſt vos confirmare per Evangelium meum &c. Soli ſapienti Deo per Je-*
Summa Religionis Chriſtianæ. *ſum Chriſtum honor & gloria.* His tribus verſibus totius Religionis Chriſtianæ ſummam complexus eſt Apoſtolus ſub forma orationis & laudis. 1. ſcilicet Gloriam omnem ſalutis noſtræ ſoli Deo debitam eſſe: *Soli ſapienti Deo honor & gloria.* 2. Virtutem omnipotentem gratiæ unicam eſſe infirmitatis noſtræ ſuſtentationem, totamque fiduciam. *Ei autem qui potens eſt.* 3. Ut fidei noſtræ initium a gratia eſt, ita ejuſdem fidei confirmationem & perfectionem a gratia eſſe: *Qui potens eſt nos confirmare.* 4. Ejuſdem fidei regulam eſſe Jeſu Chriſti Evangelium, & doctrinam Apoſtolorum: *Juxta Evangelium meum & prædicationem Jeſu Chriſti.* 5. Myſteria quæ nobis revelata ſunt & patefacta in Novo Teſtamento per Evangelium, multis figuris in veteri fuiſſe adumbrata, & Prophetarum oraculis prædicta. 6. Myſteria illa revelata fuiſſe, prædicata, & credita, certis locis & temporibus, & a certis perſonis, non fortuito, ſed ſecundum Dei voluntatem ac præordinationem. 7. Quamvis omnibus prædicata fuerint, multiſque etiam reprobis revelata, & ab eis credita, Deum tamen illorum prædicationem & revelationem, ab æterno diſpoſuiſſe & operatum fuiſſe in plenitudine temporis præſertim propter ſalutem electorum. *Secundum revelationem Myſterii temporibus æternis taciti (Quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, ſecundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti.* 8. In his veritatibus ſuſcipiendis, tametſi rationis humanæ captum excedant, in ſapientia Dei eſſe acquieſcendum. Humana contra fidem ratiocinia ſtulta eſſe, ſolum Deum eſſe vere ſapientem. Sapientiæ ejus œconomiam in generis humani reparatione ad ejus gloriam unice referri, ut ab ipſa Sapientia Incarnata, Filio ſcilicet ſuo honoretur, in ipſo ſolo & nonniſi per gratiam ejus, cooperante Spiritu ſancto homines ſanctificans in terris, & per illum ſolum ab omnibus ejus membris adorandus & laudandus in cœlis. *Soli ſapienti Deo per Jeſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

IN EPISTOLAM I. S. PAULI AD CORINTHIOS, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

PRÆFATIO.

Act. 18. CORINTHUS celeberrimum totius Achaiæ & Græciæ emporium, hinc Ægæum, inde Jonium proſpectans Mare, commercio dives, luxu diſſoluta, unde natum Proverbium: *Non cuivis homini contigit adire Corinthum*. Ibi S. Paulus anno integro & ſex menſibus prædicans, multum populum ex Judæis & Gentilibus Chriſto acquiſivit, nobilemque fundavit Eccleſiam, totius Achaiæ Metropolim. Quamobrem hujus Epiſtolæ inſcriptio non hujus tantum urbis Chriſtianos reſpicit, ſed & univerſæ Achaiæ. Hæc Epiſtola ſcri-
Act. 19. pta eſt non Philippi, ut habet ſubſcriptio Græca, ſed Epheſi, ut conſtat ex cap. 16. ℣. 8. & 19. poſt tumultum a Demetrio argentario excitatum contra S. Paulum Epiſtolæ hujus multiplex argumentum eſt. 1. Dubiorum a Corinthiis per Epiſtolam propoſitorum diſcuſſio ac elucidatio, ſcilicet de Matrimonio & ejus legibus, de idolothytis, de reſurrectione. 2. Scandala & vitia poſt Apoſtoli noſtri diſceſſum Corinthi nata; ſcilicet ſuperbia ex Philoſophiæ ſtudiis ab antiquo ibi florentibus, præ quibus Evangelicæ Prædicationis ſimplicitas faſtidio Gentilibus erat. 3. Ortæ diſſenſiones & contentiones ex nimio erga magiſtros ſtudio. 4. Temeraria de Dei Miniſtris judicia. 5. Scortationes horrendæ, præſertimque inceſtus publicus privigni cum noverca impune toleratus. 6. Lites Chriſtianorum coram judicibus infidelibus diſceptatæ. 7. Abuſus celebrationem Cœnæ Dominicæ dedecorantes, & indigna Euchariſtiæ participatio. 8. Inordinatus in donorum ſpiritualium uſu. Tandem Corinthios hortatur ad eleemoſynas ante reditum ſuum colligendas
Theodoret. in Argumento hujus Epiſt. I. pro Eccleſiæ Hieroſolymitanæ pauperibus. De Chriſtianis autem dogmatibus ideo parcius loquitur Apoſtolus in hac ad Corinthios Epiſtola, quod non parvo tempore apud eos verſatus, quid ſentire oporteret eos accurate docuerat, & poſt eum veniens Apollo Apoſtolicam doctrinam confirmaverat. Optimum ergo Medicum imitatus eſt, & affectionibus morbiſque convenientia medicamenta præbuit. Epiſtolam tulerunt Stephanas, Fortunatus, & Achaicus ad ipſum miſſi a Corinthiis, ut conſtat ex cap. ultimo, ℣. 17. & 18.

CAPUT I.

Senſus Litteralis.

1. P*Aulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes Frater.* Paulus Dei vocatione Apoſtolus Jeſu Chriſti, non privata uſurpatione, ut Pſeudo-Apoſtoli; una cum Soſthene inter Chriſtianæ fidei profeſſores primario, & promovendi Evangelii ſtudioſiſſimo, quem bene noſtis. Soſthenes ille Princeps erat Synagogæ Corinthi, qui ante tribunal Gallionis Proconſulis a Judæis verberatus eſt Pauli cauſa, cujus defenſionem ſuſce-
Act. 18. 17. perat. Ejus memoriam Latini jam celebrabant ſæculo nono undecima Junii & vigeſima octava Novembris. Græci vero ſacris Faſtis adſcripſerunt die octava Decembris, ut unius e LXX. Diſcipulis, quos inter & Euſebii temporibus numerabatur er-
Euſeb. l. 1. c. 12. Martyrol. Adonis. Additio ad Martyrol. Bedæ. Martyrol. Rom. Decemb. 8. 134. rore facti, niſi duos Soſthenes fuiſſe ſupponamus. Sed Theodoretus alium non agnovit præter Sancti Pauli diſcipulum, de quo in Actis Apoſtolorum locutus eſt S. Lucas.

2. 3. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti; in omni loco ipſorum, & noſtro.* Eccleſiæ Dei Corinthi fundatæ, ſeu Fidelibus Corinthi in unius veri Dei cultu conſentientibus, per Jeſum Chriſtum & merito Paſſionis ejus in baptiſmo ſanctificatis, qui ſanctitatem profitentur, a qua & nomen illis inditum eſt; cum omnibus Jeſu Chriſti Domini noſtri cultoribus, ſeu in Chriſtum vere credentibus & eum adorantibus ut verum Deum, Deique Filium unigenitum: quocumque in loco degant, qui locus noſter eſt & ipſorum, *a* propter Eccleſiæ ubique diffuſæ unitatem. *a* S. Chryſoſt. Hom. 1.
Vel potius: *b* Invocantibus nomen Jeſu Chriſti Domini communis ipſorum & noſtri, quocumque in loco ſint. *b* Photius apud Oecumen.
Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, Qui gratiæ & pacis auctor & largitor eſt, non minus quam Deus Pater: Gratia, inquam, vobis multiplicetur, & pax quæ ex gratia naſcitur, pax cum Deo, quicum reconciliati eſtis per Chriſtum Jeſum; pax cum proximo, quæ diſſenſiones removet, ordinemque tuetur.

4. 5. 6. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu.* Gratias ago Deo meo aſſidue propter beneficia vobis ab illo collata, ob gratiam Dei multiplicem, quæ data eſt vobis, cum ad propriam ſanctificationem, tum ad aliorum utilitatem, per Jeſum Chriſtum. *Quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia*: propter ſpirituales divitias, quibus per illum cumulati eſtis, in omnibus quæ donum verbi & donum ſcientiæ ſpectant, id eſt, donum cognoſcendi divina & eadem apte eloquendi. Confer cum 2. Cor. 8. 7. *ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.* Quibus donis prædicatio Evangelii apud vos confirmata eſt. *Teſtimo-*
„ *nium* enim prædicationem Chriſti appellat. Qui
„ enim prædicant, quodammodo teſtantur. Ita etiam
„ ad Timotheum ſcribens dicebat: *Teſtificor ego co-*
„ *ram Deo qui mortuos vivificat.* Ita etiam dixit Do- 1. Timoth. 6.
„ minus in ſacris Evangeliis, *Prædicabitur Evange-* Matth. 24.
„ *lium hoc regni in omnibus gentibus in teſtimonium* Theodoret.
„ *ipſis.* Evangelii autem confirmationem admirabi-
„ lium ſignorum efficientiam appellat. Per illa enim
„ prædicationis veritas oſtendebatur.

7. 8. *Ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia, exſpectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ita ut nulla gratia careatis, ſive ad propriam ſalutem, ſive ad Eccleſiæ ædificationem & utilitatem neceſſaria, dum interim expectatis ſecundum adventum Chriſti, & diem extremi judicii, quo in ſua gloria palam conſpiciendus eſt, & gratiam ſuam conſummaturus in electis, eoſque ad gloriæ ſuæ conſortium aſſumpturus. *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et Deus vobis, quotquot electi eſtis ejus miſericordia, firmitatem & perſeverantiam in bono tribuet uſque in finem, ut inculpati & irreprehenſibiles ſitis in die adventus Chriſti. Non ad ſingulos, ſed ad totum Eccleſiæ Corinthiorum corpus hæc verba referuntur, *ita ut nihil vobis deeſt in ulla gratia.* Plurimi enim inter eos erant imperfecti. Neque etiam certus erat Apoſtolus donum perſeverantiæ Corinthiis omnibus a Deo conferendum, ſingulosque ſine crimine ſeu gravi peccato ſervandos uſque in adventum Domini: ſed certus quidem erat (quod fides Catholica docet) electos omnes donante Deo perſeveraturos in bono uſque in finem, ita ut vel numquam in ullum crimen labantur, vel lapſi reſurgant per Pœnitentiam, & in die Domini ſine macula inveniantur. Qui enim ſine crimine invenietur in die mortis, ſine crimine perveniet ad diem judicii. Vel, ſi ad totum corpus fidelium Corinthiorum, non ad ſolos electos hæc verba referantur, *qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine*, bonæ fiduciæ, non aſſeverationis verba ſunt, his Philipp. 1. 6. ſimilia: *Confidens hoc ipſum quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu, ſicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro o-*

Regula ad ſacræ Scripturæ intelligentiam neceſſaria. omnibus vobis. Denique hic locum habet Regula a S. Auguſtino tradita Epiſt. 149. (alias 59. ad Paulinum n. 30.) *Scripturæ mos eſt ita loqui de parte tamquam de toto: ſicut Corinthios in primis Epiſtolæ ſuæ partibus ita laudat tamquam omnes tales ſint, cum eſſent laudabiles quidam eorum: & poſtea in nonnullis Epiſtolæ ipſius locis ita reprehendit tamquam omnes culpabiles eſſent, propter quoſdam qui tales erant. Iſtam divinarum Scripturarum conſuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrime ſparſam, quiſquis diligenter adverterit, multa diſſolvet, quæ videntur inter ſe contraria.*

9. *Fidelis Deus: per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Deus, per quem vocatis eſtis in ſocietatem Filii ejus, vocatione ſecundum propoſitum, fidelis eſt & verax in promiſſis ſuis. Vobis igitur dabit perſeverantiam uſque in finem; quam vocatio ſecundum propoſitum complectitur. Vel, Deus qui vobis adoptionis donum largitus eſt, & tamquam filiis hereditatem regni ſui promiſit, vos non deſeret, niſi ipſum deſeratis: vobis auxilium non ſubtrahet ut pie ſemper juſteque vivatis.

10. *Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Obſecro autem vos per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod vobis inprimis venerabile eſt & amabile: ut idem ſentiatis, & animorum conſenſionem concordia ſermonis teſſetur: & ne quavis occaſione partes faciatis in Eccleſia. Sitis autem compacti & coadunati, ut corpus, quod ſuis omnibus membris apte inter ſe cohærentibus, & eodem ſpiritu animatis, perfectum eſt. Eadem ſit mens veſtra, eadem animorum affectio & conſpiratio voluntatum. Non eos reprehendit quod de fidei dogmatibus diverſa ſentirent, ſed quod de Magiſtris ſuis litigarent & contenderent. *Theodoretus.* Prædicationis quidem unus eſt ſenſus, inquit, ſed non una affectio. Hortatur ergo ut eadem cogitantes & ſentientes non diſſideant, & de iis qui præſunt non temere contendant.

11. 12. *Significatum eſt enim mihi de vobis, Fratres mei, ab iis qui ſunt Chloes, quia contentiones ſunt inter vos.* Denuntiatum eſt mihi ab iis qui ſunt ex familia Chloes religioſæ matronæ, contentiones eſſe inter vos, id eſt pugnas & concertationes verborum. Mira prudentia Apoſtoli! Familiam nominat, ut oſtenderet ſe non incerto rumore, ſed ab hominibus fide dignis hoc accepiſſe: perſonas non nominat, ne invidiam illis conflaret. *Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrum dicit:* Quod dictum volo, illud eſt, ſtudia partium eſſe inter vos, quibuſdam dicentibus: *Ego quidem ſum Pauli*, Gentium Apoſtoli & Doctoris diſcipulus & ſectator: alter, *ego autem Apollo*, eloquentioris Prædicatoris: alius, *ego vero Cephæ*, id eſt Petri Principis Apoſtolorum, a quo ſum inſtitutus & baptizatus (quod forte dicebant Judæi Petro prædicante ad Chriſti fidem Romæ converſi, qui Corinthum venerant, ibique domicilium elegerant) alius, *Ego vero Chriſti:* quæ vox eſt veritatis, non ſchiſmatis. *S. Chryſ. Hom. 3. Theodoret. Theophylact. Oecumen.* Sanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique, Græci Commentatores cenſent Sanctum Paulum figurato locutionis genere ſub nominibus eorum qui recte & ſincere Chriſtum prædicabant, quales erant ipſemet Paulus, Apollo, & Cephas, exempli gratia poſitis, Pſeudo-Apoſtolos & factionum capita deſignaſſe, ut minus moleſta & gravis eſſet eos oratio, tacitis eorum nominibus qui Eccleſiam dividebant. Idque colligunt ex his Apoſtoli noſtri verbis infra cap. 4. Verſ. 6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in vobis diſcatis, ne ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio.* Tanquam hoc velit Apoſtolus: Si Pauli, & Apollo & Cephæ nominibus contentioſe gloriari, ac partes in Eccleſia facere non licet, multo minus aliorum. Verum etſi hæc probabilis ſit expoſitio, alia tamen reſpuenda non eſt, ſed utraque potius conjungenda. Primam enim quæ communior & magis obvia eſt confirmat Apoſtoli noſtri ſententia infra cap. 3. Verſ. 21. 22. *Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas . . . . Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Confirmat & Sanctus Auguſtinus lib. De unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 5. *Temporibus Apoſtolorum qui dicebant, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cepha: quamvis non per impiorum, ſed ſanctorum nomina, ipſi tamen impia ſchiſmata faciebant: hoc ipſorum erat proprium deteſtabile vitium. Quod vero ſciebant Chriſtum pro ſe eſſe crucifixum, & ſe in ejus nomine baptizatos, non erroris eorum, ſed divini apud eos muneris erat.*

13. *Diviſus eſt Chriſtus?* Num alius a Paulo, alius ab Apollo, alius a Cepha Chriſtus prædicatur? Nonne idem eſt Evangelium quod annuntiant? Cur ergo Chriſtum conſcidiſtis, & ejus corpus diviſiſtis? Vel, Numquid Chriſtus diviſit Eccleſiam, & partem quidem ille accepit, partem autem Doctoribus veſtris dedit? *Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt?* Idemque de Apollo & Cepha dicendum. Numquid Paulus pro vobis in cruce moriendo vos redemit? *aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Numquid auctoritate, virtute, & merito Pauli baptizati eſtis? Numquid baptiſmus quo intincti & conſecrati eſtis, inſtitutus eſt a Paulo, & ab eo virtutem habet remittendi peccata & gratiam conferendi? Numquid invocato Pauli nomine perfectum eſt, ut ab illo nomen duceretis.

14. 15. *Gratias ago Deo, quod neminem veſtrum baptizavi, niſi Criſpum & Caium. Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati eſtis.* Gratias ago Deo, cujus *Act. 18. 8. Rom. 16. 23.* providentia factum eſt, ut neminem baptizaverim, Corinthi, præter Criſpum Synagogæ Principem, & Caium hoſpitem meum: ne occaſionem darem, vel nolens, erroris & peccati, quo plurimi veſtrum illis *Epiſt. 3. Johan. verſ. 7.* omnino ſtudentes & adhærentes a quibus baptizati ſunt, velut in eorum nomen tranſcripti, partes in *S. Thomas* Eccleſia faciant. „ Eſt enim optabile ſanctis viris, „ ne ex bonis quæ faciunt, alii ſumant occaſionem „ erroris ſeu peccati (ut obſervat S. Thomas). Et „ quia Corinthii in eum errorem devenerant, ut ſe „ a ſuis baptiſtis nominarent, dicentes; *Ego ſum* „ *Pauli, ego autem Apollo, ergo vero Cepha*, ac ſi in „ eorum nominibus eſſent baptizati: ideo gratias „ agit quod ſuo miniſterio talis error conſecutus „ non fuerit.

16. 17. *Baptizavi autem & Stephana domum*, id eſt familiam. Stephanas vir apud Corinthios celeber. *Ceterum neſcio ſi quem alium baptizaverim.* Id nec affirmavero, neque negavero, quia circa facta particularia quandoque memoria labitur & deficit. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.* Non enim principaliter ad hoc me Chriſtus miſit ut baptizem, neque hæc præcipua & primaria eſt Apoſtolatus mei functio; ſed ut prædicem Evangelium. Utrumque revera præcepit dicens: *Ite, docete* *Matth. 28.* *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* „ Sed prædicare præſtantius eſt, *Theodoret.* „ quam baptizare. Baptizare enim facile eſt omnibus, „ qui Sacerdotii honore ornati ſunt: Prædicare „ autem paucorum erat, qui hoc donum a Deo „ acceperant. Id munus vere & proprie Apoſtolicum. Ideo Apoſtolus noſter ait: *Non enim miſit me Chriſtus baptizare*, &c. id eſt, miſit me ad prædicandum magis quam ad baptizandum. Similes locutiones occurrunt. Jerem. 7. 22. Oſee 6. 7. Matt. 9. 13. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, id eſt, miſericordiam magis quam ſacrificium . . . . *Non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti:* non exquiſito & doctrinis ſæcularibus inſtructo ſermone, ſeu affectata eloquentia, ne doctrina de Chriſto crucifixo laude ſuæ virtutis ac potentiæ defraudetur. Quaſi dicat: Si eloquentia illa ſeculari, & verborum lenociniis uterer, non oſtenderetur potentia crucifixi. Omnes enim exiſtimarent eos qui credunt facundia & dicendi arte captos fuiſſe: Prædicantium autem imperitia, eos vincens qui ſe de eloquentia jactant, virtutem crucis aperte indicat.

18. 19. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, virtus Dei eſt.* Sermo enim ille & doctrina de generis humani redemptione per paſſionem, crucem & mortem Chriſti, ſtultitia videtur his qui Evangelio non credunt, & ideo in æternum pereunt: ſtultum, inquam, illis videtur & indignum fide, ſalutem ab homine crucifixo exſpectandam eſſe: Iis autem, qui in Chriſtum credunt, & fide per dilectionem operante ſalutem æternam conſequuntur, prædicatio illa crucis organum eſt & inſtrumentum virtutis & potentiæ Dei ab eo efficaciam habens ad illorum converſionem & ſalutem. Secundum Græcum Textum vertendum eſſet, *Nobis autem ſalvandis virtus Dei eſt.* Sed idem eſt Vulgatæ noſtræ ſenſus. Loquitur autem Apoſtolus in perſona electorum. *Scriptum eſt enim*: *Perdam ſapientiam ſapientium &* *Iſai 29. 14.* *prudentiam prudentium reprobabo.* Sapientiam & intelligentiam ſapientum hujus ſæculi abolebo, ſeu, ut, LXX. vertunt, ne luceat, *abſcondam*, efficiam & prudentiam eorum rejiciam ut inutilem ad negotium Evangelii & ſalutis humanæ promovendum. S. Hieronymus ex Hebræo vertit; *Peribit enim ſapientia a ſapientibus ejus; & intellectus prudentium illius abſcondetur.* Non quod Deus ſit inimicus ſapientiæ, cujus pater eſt, & per quem omnis eſt in

„ homi

S. Hieron. lib. 5. Comment. in Iſa. c. 59. „ hominibus ſapientia ; ſed ſapientiam & pruden„ tiam dicit populi Judæorum . Et revera grande „ miraculum Deus fecit in populo poſt adventum „ Domini Salvatoris, ut uno atque eodem tempo„ re arderet Jeruſalem, Templumque corrueret, & „ omnis Magiſtrorum ſcientia tolleretur , impleto „ quod ſcriptum eſt : „ Ecce dominator Dominus *Iſai. cap. 3.* „ exercituum auferet a Jeruſalem & a Juda vali„ dum & fortem, omne robur panis , & omne ro„ bur aquæ, fortem & virum bellatorem, judicem „ & prophetam, & ariolum & ſenem : Principem „ ſuper quinquaginta , & honorabilem vultu , & „ conſiliarium , & ſapientem de architectis , & „ prudentem eloquii myſtici . " Quod autem Propheta de ſapientia & prudentia Judæorum , id eſt Scribarum & Phariſæorum prædixit, Apoſtolus ad genus omne ſapientiæ ſæcularis tranſtulit.

20. *Ubi ſapiens ? Ubi ſcriba ? ubi conquiſitor hujus ſæculi ?* Ubi Philoſophi Gentium ? ubi Doctores & Legiſperiti Judæorum? Ubi qui humana tantum ratione & naturali ingenii perſpicacia ſe res quaſvis abſtruſiores , quin & ſublimiores ac reconditiores Scripturæ ſenſus ſcrutari , eruere , ac diſputando elucidare profitentur ? *Nonne Deus ſtultam fecit ſapientiam hujus mundi ?* Nonne Deus ſapientiam ſæcularem ſtultitiæ convicit ? Nonne inanem & inutilem oſtendit ad perſuadendum hominibus Evangelii veritatem? Nonne ipſo eventu declaravit nihil illam prodeſſe abſque fide & gratia Chriſti ad doctrinam ſalutis conſequendam? Hunc locum ita reddit Tertullianus lib. De Idololatria , cap. 10. *Ubi ſapiens , ubi litterator , ubi conquiſitor hujus ævi ? Nonne infatuavit Deus ſapientiam hujus ſæculi ?* Alludit Apoſtolus ad locum Iſaiæ 33. 18. cujus hæc ſunt verba: *Ubi eſt litteratus ? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?*

21. *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Cum enim mundus, id eſt homines ſæcularis ſapientiæ opinione inflati , per humanam illam ſapientiam Deum in divinæ ſuæ ſapientiæ operibus non cognoviſſent ad ſalutem , benigno conſilio viſum eſt Deo per crucis prædicationem , quæ infidelium hominum judicio ſtultitia eſt, ſalvos facere , id eſt a vitiis liberare in præſens , in poſterum donare vita æterna homines qui prædicationi illi crederent.

22. 23. 24. *Quoniam & Judæi ſigna petunt: & Græci ſapientiam quærunt .* Judæi ſignis ſeu miraculis olim aſſueti miracula exigunt , quibus velut divinis teſtimoniis ad credendum adducantur . Confer cum Matth. 12. *Magiſter volumus a te ſignum videre .* Luc. 11. 16. *Et alii tentantes , ſignum de cœlo quærebant ab eo .* Joan. 2. 18. *Reſponderunt ergo Judæi & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?* Joan. 4. 48. dixit Jeſus Regulo pro filii ſui ſanitate ſupplicanti : *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis .* Gentiles autem, quos inter eminent Græci, ſcientiam quærunt , & ſi quid illis proponatur novi dogmatis , id probari ſibi volunt Philoſophicis rationibus erudite ac diſerte expoſitis : adeo ut irrideant & explodant quod aſſequi ratione non poſſunt . *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum* , ejus Myſteria ſimpliciter exponentes, non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis , non philoſophicis argumentis innixi ; non oratoriis pigmentis orationem adornantes. *Judæis quidem ſcandalum* , quos crucis opprobrium turbavit ac impedivit ne crederent . Putabant enim Meſſiam temporaliter regnaturum . De- *S. Thomas, lect. 3.* ſiderabant virtutem miracula facientem , & videbant infirmitatem crucem patientem. *Gentibus autem ſtultitiam*: quia contra rationem illis videbatur docere hominem crucifixum eſſe Deum & mundi Salvatorem . *Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam .* Ipſis autem vocatis ſecundum propoſitum & electis tam ex Judæis quam ex Gentibus Chriſtum prædicamus *Dei virtutem* ſive potentiam , qua eripuit eos a poteſtate diaboli, & fortem armatum debellavit, mortiſque deſtruxit imperium : *& Dei ſapientiam* , quatenus per humilitatem & mortem Chriſti in cruce convenientiſſimo modo genus humanum , & ipſos imprimis electos redemit . Chriſtum ergo Dei virtutem & Dei ſapientiam vocat Apoſtolus noſter, quia per Chriſtum crucifixum Deus & potentiam ſuam , & ſapientiam declaravit : potentiam qua dæmones ſuperantur, peccata remittuntur, homines ſalvantur: ſapientiam, qua invenit difficillimi pretii *S. Thomas.* decentiſſimam ſolutionem. *Virtutem* porro ſeu potentiam *Dei* dicit propter Judæos qui ſigna poſtulabant: *Sapientiam* Dei, propter Gentiles qui ſapientiam quærebant.

S. Auguſt. lib. 2. De Doctr. Chriſt. c. 13.

25. *Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Quia quod in œconomia Dei & Myſterio crucis ſtultum videtur infidelium & carnalium hominum judicio, ſapientius eſt quam omnes homines : & quod in Deo infirmum videtur, fortius eſt quam omnes homines.

26. 27. 28. 29. *Videte enim vocationem veſtram, fratres ; quia non multi ſapientes ſecundum carnem , non multi potentes , non multi nobiles .* Conſiderate qui & quales ſint quos Deus vocavit ad fidem; qui & quales per quos vocavit. Pauci ſunt ex vobis qui vocati eſtis, & ex illis per quos eſtis vocati, ſapientia ſæculi & doctrina inſignes; pauci potentes ſeu dignitatibus ſæcularibus conſpicui ; pauci nobilitate generis illuſtres . *Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus , ut confundat ſapientes : & infirma mundi elegit Deus , ut confundat fortia .* Sed minus ſapientes ſecundum opinionem mundi , id eſt homines illiteratos & rudes elegit Deus ad fidem non modo ſuſcipiendam, ſed aliis prædicandam , ut pudore afficiat eos qui ſæculari ſapientia ſunt inflati : cujus vanis luminibus adducere alios non potuerunt ad ſalutem æternam, neque ipſi eam aſſequi, aut ejus viam cognoſcere & ingredi ; quod imperiti homines & piſcatores divina revelatione præſtiterunt . Et homines nulla ſæculi potentia conſpicuos , ſed plebeios & inopes elegit Deus , ut iſtorum comparatione potentes ſæculi pudore afficiat ; qui facere non potuerunt , quod per iſtos Deus effecit, nempe homines ad unius veri Dei cultum , & ad morum ſanctimoniam convertere, illiſque veræ beatitudinis iter, & media ad illam obtinendam oſtendere , *Et ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus* , id eſt, eos qui apud homines erant ignobiles & obſcuri , eoque nomine contemnebantur : *& ea quæ non ſunt* , id eſt homines nullius nominis , nullius pretii ſecundum opinionem mundi, Deus ad fidem vocavit , & ad Evangelii prædicationem, mundique ſpiritualem renovationem elegit , *ut ea quæ ſunt deſtrueret* : ut parvifaciendum eſſe oſtenderet quicquid mundus ut magnum & ſublime ſuſpicit . *Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus* ; Ut nemo homo coram Deo glorietur , & aliquid in negotio ſalutis æternæ ſibi tribuat, quaſi ob ingenii dotes , ob nobilitatem generis , ob divitias , ob potentiam ſæcularem, ſit ad fidem vocatus.

30. 31. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu.* Ex Dei miſericordia & gratia vocati eſtis ad fidem, & Chriſto Jeſu incorporati , omniumque bonorum ſpiritualium per illum participes effecti, *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo , & juſtitia , & ſanctificatio, & redemptio* : per quem nobis vera ſapientia data eſt, per quem juſti & ſancti facti ſumus accepta remiſſione peccatorum, & Spiritu ſancto animas noſtras expurgante & renovante ; per quem denique redempti ſumus a ſervitute peccati , a tyrannide diaboli, a mortis imperio. Ex ipſo dixit, non ratione creationis ſolum, ſed ratione datæ ſalutis : „ *Quotquot enim eum receperunt , dedit eis poteſtatem filios* *S. Thomas. Joan. 1. 12.* *Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus . Qui non ex* „ *ſanguinibus , neque ex voluntate carnis , neque ex* „ *voluntate viri , ſed ex Deo nati ſunt.* Quia enim „ dixit, quod quæ ſtulta ſunt mundi, & imbecil„ la, & ignobilia Deus elegit, apte ſubjunxit, *Ex* „ *ipſo autem vos eſtis*, collatam docens nobilitatem. „ Generationis autem modum etiam oſtendit , cum „ dixit *in Chriſto Jeſu*. Non enim in hoc vel illo „ denominati eſtis, ſed in Chriſto regeneratione di„ gni eſtis habiti. " *Ut quemadmodum ſcriptum eſt* * : *Qui gloriatur , in Domino glorietur .* Qui gaudet ſe bonum aliquod ſpirituale & ſalutare habere, id ne ſibi tribuat, ſed gratiæ Chriſti totum acceptum referat, qui nobis omnia factus eſt. Jeremiæ locus ſic habet : „ Hæc dicit Dominus : Non glorietur ſa„ piens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in „ fortitudine ſua , & non glorietur dives in divitiis „ ſuis ; ſed in hoc glorietur , qui gloriatur , ſcire „ & noſſe me ; quia ego ſum Dominus qui facio „ miſericordiam, & judicium , & juſtitiam in ter„ ra.

* *Jerem. 6. 23. 24. non iiſdem verbis, ſed eodem ſenſu.*

CAPUT I.

Senſus Moralis.

2. PAulus vocatus *Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater.* Propriæ imbe- *Humilitas S. Pauli.* cillitatis , impotentiæ , & indignitatis confeſſio , magna eſt gratiæ commendatio . Ejus impetrat incrementum, qui humiliter profitetur indebitum ſibi eſſe beneficium , & in ſpiritu humilitatis gratias agit. *Nihil boni in nobis eſt, niſi*

per voluntatem Dei.

agit. Deus enim *humilibus dat gratiam*. Id in hujus Epiſtolæ exordio præſtat Apoſtolus. *Paulus*, inquit, *vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei.* „ Non ipſe inveni quod didici, neque mea com„prehendi ſapientia, ſed cum Eccleſiam perſeque„rer & depopularer, vocatus ſum. Hic totum „eſt vocantis, ejus autem qui vocatus eſt nihil „eſt, niſi ſolum quod obedierit. *Per voluntatem* „*Dei*. Hæc prima omnis, quod in nobis eſt, boni „cauſa. Nos enim nihil boni egimus ex nobis, ſed „per voluntatem Dei ſalutem invenimus: & quia „ei placuit vocati ſumus, non quia digni eramus.

S. Chryſoſt. Hom. 1.

Sola Dei voluntas, vocatum ad ſacerdotium, curam animarum, verbi divini miniſterium ſuſcipienda ſunt.

Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei. Felix qui dicere cum Apoſtolo poteſt, ſe ad ſacrum Miniſterium, ad Sacerdotium, ad Paſtoralem curam, ad verbi divini prædicationem, ad Animarum directionem, non ſua, non parentum, ſed Dei voluntate vocatum. Felix qui non ſibi ſumit honorem, ſed a Deo vocatus tamquam Aaron. Felix qui nulla carnis & ſanguinis habita ratione, nulla ſæculari commendatione, ſed Dei electione, Spiritus ſancti præparatione ad Dignitates Eccleſiaſticas & ad curam animarum aſſumitur, Sacerdotii Chriſti non ſolum particeps, ſed imitator, qui *ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdos in æternum* conſtitutus eſt. „Cujus quidem divini Sacerdotii Sacramentum cum „ad humanas pervenit functiones, non per genera„tionum tramitem curritur, nec quod caro & ſan„guis creavit eligitur; ſed ceſſante privilegio Pa„trum, & familiarum ordine prætermiſſo, *eos Re*„*ctores Eccleſia accipit, quos Spiritus ſanctus præparavit: ut in populo adoptionis Dei, cujus univerſitas Sacerdotalis atque regalis eſt, non prerogativa terrenæ originis obtineat unctionem, ſed dignatio cæleſtis gratiæ gignat Antiſtitem*.

S. Leo Serm. 2. in anniverſario die Aſſumptionis ſuæ.

Et Soſthenes frater. Apoſtoli noſtri modeſtiam conſidera, qui ſibi Soſthenem dignitate, gradu & meritis longe inferiorem conſociare non dedignatur. „ Si autem hic ubi tantum intercedebat intervallum „ ſecum conjunxit eum qui erat inferior, quid di„xerint, qui eos deſpiciunt, qui honore ſunt pares? Hinc diſcant Prælati non dominari in Clero, ſed humilitatis & modeſtiæ Chriſtianæ, non minus quam ceterarum exemplo virtutum, fieri formam commiſſi gregis. Diſcant non arbitraria poteſtate, ſed canonico ordine ſibi ſubditos regere Presbyteros, ceterumque Clerum ac populum.

S. Chryſoſt.

2. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis &c.* Eccleſiæ nomen adhortatio eſt ad concordiam & conſenſionem animorum. „ Eccleſiam Dei vocat; inquit Sanctus Chry„ſoſtomus, oſtendens eam oportere eſſe unitam. „ Si enim Dei eſt, unita eſt; & una eſt non modo „ Corinthi, ſed & in toto orbe. Nomen enim Eccle„ſiæ non eſt nomen ſeparationis, ſed unionis, & „ concordiæ, & conſenſus. *Vocatis ſanctis*. Sola Dei „ miſericordia ſanctificatos fuiſſe Apoſtolus inculcat. „ Non enim, inquit, acceſſiſtis primi, ſed vocati „ eſtis. *Quamobrem ne hoc quidem partium totum eſt* „ *veſtrum*. Quamquam etiamſi acceſſiſſetis, eum mo„ lis innumerabilibus eſſetis obnoxii: ne ſic quidem „ vobis ſed Deo gratia. Propterea ad Epheſios ſcri„ bens dicebat: “*Gratia ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt*. Neque enim vos prius credidiſtis, ſed vocati obedivistis, ipſa gratia vocante fidem & obedientiam in vobis operante, & obedientibus cooperante. *Vocatis ſanctis*. Chriſtianum eſſe, & ſanctum ſtatu atque profeſſione, idem eſt. Verum ne nobis blandiamur de ſanctitate Religionis cujus profeſſores ſumus, niſi vitæ noſtræ morumque ſanctimonia illi omni ex parte reſpondeat. „ Sed heu, Paganis deteriores ſumus. „ Hoc ipſo utique deteriores ſumus, qui meliores „ eſſe debemus, ſi meliores non ſumus. Criminoſior „ enim culpa eſt, ubi honeſtior ſtatus: ſi honora„ tior eſt perſona peccantis, peccati quoque major „ invidia. Furtum in omni quidem homine malum „ facinus; ſed damnabilius abſque dubio Senator „ furatur aliqua, quam infima perſona. Cunctis for„ nicatio interdicitur; ſed gravius multo eſt ſi de „ Clero aliquis, quam ſi de populo fornicetur. Ita „ & nos qui Chriſtiani & Catholici eſſe dicimur, ſi „ ſimile aliquid Barbarorum impuritatibus facimus; „ gravius erramus: Atrocius enim ſub ſancti nominis „ profeſſione peccamus. Ubi ſublimior eſt prærogativa, major eſt culpa. Ipſa errores noſtros Religio, „ quam profitemur, accuſat. Criminoſior eſt enim „ impudicitia, qui promiſerit caſtitatem. Fœdius „ inebriatur ſobrietatem fronte prætendens. Nihil eſt „ Philoſopho turpius vitia obſcœna ſectante; quia „ præter eam deformitatem quam vitia in ſe ha„ bent, ſapientiæ nomine plus notatur. Et nos „ igitur in omni humano genere Philoſophiam Chri„ ſtianam profeſſi ſumus; ac per hoc deteriores nos

Eccleſiæ unionis & concordiæ.

S. Chryſoſt.

Gratia vocationis.

Ephes. 2.

Chriſtiani profeſſione ſancti.

Salvianus lib. 4 De Gubernatione Dei.

„ cunctis gentibus credi atque haberi neceſſe eſt, „ quia ſub tam magnæ profeſſionis nomine vivi„mus, & poſiti in Religione peccamus. *Nihil nobis* „ *prodeſt quod Lex eſt bona, ſi vita noſtra & con*„*verſatio non eſt bona*. Lex enim bona, muneris „ eſt Chriſti: vita autem non bona, criminis noſtri. „ Immo hoc magis culpabiles ſumus, ſi legem bonam „ colimus, & mali cultores ſumus. Quin potius nec „ cultores, ſi mali: quia cultor dici non poteſt malus „ cultor. Neque enim colit, qui rem ſanctam non „ ſancte colit. Ac per hoc accuſatrix noſtri eſt lex „ ipſa quam colimus.

Cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. Omnes quotquot Chriſtiani ſumus toto orbe terrarum, unius Domini ſumus, in fide nominis ejus, in ſpe regni ejus omnes adunati, omnes gratia ejus vocati, omnes ejus Spiritu ſanctificati: una igitur caritate copulari debemus. „ Quo„ modo enim qui in uno loco habitant, cum mul„ tos dominos habeant contrarios, ſunt divulſi, ne„ que ad concordiam quidquam prodeſt eis locus, cum Domini diverſa jubeant & ad ſe trahant: *Non* „ *poteſtis* enim, inquit, *Deo ſervire & Mammonæ*: „ ita qui ſunt in diverſis locis, ſi non habeant plu„ res Dominos, ſed unum ſolum, eis loca nihil „ obſunt ad concordiam, cum Dominus qui eſt u„ nus, eos conjungat. Non dico, inquit, quod cum „ Corinthiis ſolum popularibus veſtris vos concordes „ eſſe oporteat, ſed cum omnibus, qui ſunt in to„ to orbe terrarum, Chriſtianis, cum habeatis com„ munem Dominum.

S. Chryſoſt. Hom. 2.

3. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*. Deus Pater noſter eſt, quia membra Filii ejus unigeniti ſumus. Chriſtus Jeſus Dominus noſter eſt, quia pretio ſanguinis ejus redempti ſumus. Pater æternus dedit nos Filio ſuo ut nos redimeret, noſque in illo quo per gratiam ſuam ſanctificaret. Filius nos obtulit Patri, ut pacem æternam in ejus ſinu nobis daret, beatos nos ejus fruitione faciendo. Pax vera non eſt ſine gratia, Pax non prodeſt, ſi non ſit a Deo & cum Deo. „ Nihil „ nos juvat, ſi cum omnibus pacem habeamus, ad„ verſus Deum autem bellum geramus. Sicut nec „ nos lædit ſi bello appetamur ab omnibus, cum „ Deo autem pacem habeamus. Et rurſus nihil nos „ juvat ſi ab omnibus approbemur & commende„ mur, Dominum autem offendamus. Quomodo „ nullum eſt periculum ſi nos omnes oderint, Deo „ autem accepti ſimus & chari. Nam quæ vere eſt „ gratia, & quæ vere eſt pax, a Deo eſt. Nam „ qui Deo gratus eſt, neminem timet, etiamſi ma„ la patiatur innumera: non dico, hominem non „ metuit, ſed nec diabolum. Qui autem Deum of„ fenderit, omnes habet ſuſpectos, etiamſi videatur „ eſſe in tuto . . . . . David apud Deum habebat „ gratiam, Abſalon apud homines. Quemnam autem „ habuit alter finem, & quis fuerit magis probatus, „ ſcitis. Abraham gratiam habuit apud Deum, Pha„ rao apud homines: ei enim gratificantes, juſti u„ xorem prodiderunt. Quis autem fuerit præclarior, „ & quis beatius eſt, cuivis perſpicuum. Habebant „ Iſraelitæ gratiam apud Deum, odio autem ha„ bebantur ab omnibus Ægyptiis: eos tamen qui „ ipſos odio habebant, ſuperarunt. In hoc ergo o„ mnes ſtudium ponamus, ut gratiam & pacem apud Deum habeamus. Id autem quanam alia ratione conſequemur, quam humilitate? Deus enim *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Humilitas gratiam Dei promeretur, quia cor contritum & humiliatum non deſpicit, pacem cum Deo conciliat; pacem cum hominibus fovet. Nihil Chriſtianum tam admirandum facit quam humilitas. Nemo excelſioris & ſublimioris animi, quam vere humilis. Plura vide apud S. Chryſoſtomum.

Gratia & pax præſtantiſſima Chriſti dona.

S. Chryſoſt. ibid.

Jacobi 4. 6.

4. 5. 6. 7. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu*. Gratiarum actio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio. Nam irriſoria eſſet gratiarum actio, ſi ex hoc gratiæ agerentur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit. Sicut ſi homini gratias ageret homo pro eo quod illum vel putaret non præſtitiſſe, vel noſſet, adulatio vel irriſio verius quam gratiarum actio diceretur. Non ſolum autem pro beneficiis & gratiis particularibus nobis a Deo collatis: verum etiam pro gratiarum donis quæ aliis Eccleſiæ membris collata ſunt & in dies conferuntur, pro converſione infidelium & peccatorum, pro perſeverantia juſtorum, pro bonis omnibus quæ Deo operante ab electis fiunt, gratias Deo agere debemus, ut ejuſdem corporis membra. Quo nomine omnia illa bona, Deique dona noſtra ſunt. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, &c.* Gratiarum actio, quod ſacratius laudis ſacrificium eſt, frequens erat in ore primorum Chriſtianorum, præſertim in ore Paſtorum, qui po-

Gratiarum actio Chriſtianæ pietatis officium.

puli

Digitized by Google

puli ſunt quodam modo mediatores & ſequeſtres apud Deum. Cur tam infrequens apud nos? An minus Deo debemus quam illi? An minus Deus noſter eſt? an minus in nos beneficus? *Gratias ago Deo meo.* „ Ex magna affectione rapit quod eſt commune, & facit proprium: quod etiam dicere mos

Pſ. 62. & 117.

eſt Prophetis: *Deus Deus meus:* & eos hortatur ut ipſi quoque hoc dicant. Qui enim Deum omnium Deum ſuum ſpeciatim vocat, recedit ab

S. Joan. Chryſ. Hom. 2.

omnibus rebus humanis, & ad illum procedit, quem cum magna vocat affectione. Hoc enim poteſt vere & ſincere dicere, qui a rebus ſæcularibus ſemper ad Deum aſcendit, & eum ſemper præponit omnibus, & perpetuo gratias agit; non ſolum pro gratia jam data, ſed ei ſi quid boni poſtea acceſſit, pro eo quoque Deum laudibus proſequitur. Propterea non ſolum dixit, *Gratias ago*, ſed *ſemper pro vobis*, eos erudiens, ut & ſemper gratias habeant, & nulli alii niſi Deo ſoli. *Pro gratia Dei*, Gratiæ commemoratione ſuperbiam naturæ corruptæ ingenitam rurſus deprimit. Ubi enim eſt gratia, non ſunt opera; ubi ſunt opera, non amplius eſt gratia. Si autem eſt gratia, cur efferimini, ac de vobis magnifice ſentitis? Undenam inflati eſtis? *Quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu.* Non per me, aut per alium Apoſtolum, ſed per Jeſum Chriſtum. Nulla niſi per Jeſum Chriſtum, & in Jeſu Chriſto gratia: quia nemo niſi per ipſum & in ipſo ſalvus fieri poteſt. *Quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia.* Verbum Dei, & doctrina veritatis theſaurus eſt Eccleſiæ. Hoc theſauro divites ſunt, quicumque veritatem amant, & obedienter audiunt quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Patre accepit. Dogmata Chriſtianæ Religionis magis ac magis explicantur in dies & confirmantur. *Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.* Sed heu! amor & obſervantia præceptorum Evangelii minuitur in dies & refrigeſcit. *Ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia.* Nulla gratia qua Dei præcepta poſſibilia fiant, juſtis deeſt urgente præcepto: qui enim inſtat præcepto, præcurrit auxilio. Ipſis etiam peccatoribus auxilia ſufficientia a Deo præparata ſunt, qui vult omnes ſalvos fieri vera ſinceraque voluntate; ſæpe conferuntur, vel offeruntur per Chriſtum, qui pro omnibus mortuus eſt. *Deus enim impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis:* Quibus autem deſunt, pœna peccati eſt, ſive quod vitiata origine trahitur, ſive quod propria voluntate committitur. Juſti autem quibus nulla gratia neceſſaria deeſt, ideo non perfecti ſunt in gratia & juſtitia, quia ſemper in iis eſt infirmitas aliqua peccati, donec tota in illis perficiatur ſanitas, & Deus ſicuti eſt, videndus æterna veritate monſtretur. Semper igitur currendum, pugnandum, orandum, vigilandum & proficiendum eſt, *exſpectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Tempus revelationis & manifeſtationis non præveniendum inſipiente curioſitate; nec tempus beatitudinis temporali & fallaci voluptate.

S. Auguſt. Concil. Trid.

Gratia qua mandata Dei poſſibilia fiant juſtis non deeſt urgente præcepto.

Chriſtiani ſine crimine ſeu gravi peccato eſſe debent.

8. *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Deus virtutum, cujus eſt totum quod eſt optimum, gratiam & caritatem donat immeritis ut juſti ſimus: Nos pariter immeritos confirmat perſeverantiæ dono, ut uſque in finem ſine crimine ſimus. Demus operam ut ſiquidem ſine peccato eſſe omnino non poſſumus (*Si enim dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*) ſaltem ſine crimine ſimus. „ Crimen eſt peccatum grave, accuſatione & damnatione digniſſimum, ut homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cetera hujuſmodi. Cum cœperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis Chriſtianus homo) incipit caput erigere ad libertatem: ſed iſta inchoata eſt, non perfecta libertas. Ex parte libertas, ex parte ſervitus: nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Si non remanſiſſet infirmitas, ſine peccato hic viveremus. *Prima libertas eſt carere criminibus.* Hac a Chriſto donati, quicumque per baptiſmum, aut per pœnitentiam juſtificati ſunt, minuendo in ſeipſis peccato dent operam. *Minuitur autem in vita proficientium, quod in vita conſumitur perfectorum.* Id ſi totis viribus conemur & agamus, Deique adjutorium ſuppliciter flagitare non deſinamus ut liberet nos a malo, *confirmabit nos uſque in finem ſine crimine.* Nihil vero tam potens eſt ad vigilantiam noſtram & conſtantiam in bono excitandam, quam fides adventus Chriſti ad judicium, malos damnaturi; bonos, & qui perſeveraverint uſque in finem, coronaturi. *In die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

1. Jon. 1. 8.
S. Aug. Tract. 41. in Joann.

9. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Dei fides in promiſſis ſuis origo eſt vocationis ſanctorum, & fundamentum ſpei noſtræ. Faciamus quæ juſſit: reddet certiſſime quod promiſit. Fideles ſimus manendo in ſocietate corporis, Spiritus, vitæ, virtutum & paſſionum Jeſu Chriſti. & fidelis erit Deus, nos recipiendo cum illo in ſinum & ſocietatem gloriæ ſuæ. Verum cum ſit lux, & tenebræ in eo non ſint ullæ: *Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.*

Societas cum Chriſto.

Joan. 1. 6.

10. 11. 12. *Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Unum ſimus inter nos ipſos, qui in Chriſto Jeſu unum ſumus. Nomen ejus unitatis & ſocietatis nomen eſt. Unitas naturæ, & ſocietas perſonarum in ſancta Trinitate; unitas perſonæ, & ſocietas individua naturarum in Incarnatione, unitas Spiritus, & ſocietas bonorum ac malorum in Eccleſia, incitamento Chriſtianis eſſe debent ad ſchiſmata & diſſenſiones fugiendas, ad ſectandam unanimitatem & concordiam. *Pacem quærere debet & ſequi filius pacis, a diſſenſionis malo continere linguam ſuam debet, qui novit & diligit vinculum caritatis . . . . Pacificos eſſe oportet Dei filios, corde mites, ſermone ſimplices, affectione concordes, fideliter ſibi unanimitatis nexibus cohærentes.* Nec Petro, nec Apollo, nec Cephæ, nulli omnino homini propter ipſum, ſed propter unum Chriſtum Jeſum inhærendum eſt. Servis inhærere neglecto Domino, injuria Domini eſt. Unus ille mortuus eſt pro nobis. Illius ſanguine redempti; illius baptiſmo regenerati & ſanctificati ſumus. Ab illo uno omnium plenitudinem bonorum exſpectamus. *Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* „ Hinc intelligimus & bonos Paſtores non ſua quærentes, ſed quæ Jeſu Chriſti; & bonas oves, quamvis imitentur facta Paſtorum bonorum, tamen in eis non ponere ſpem ſuam, quorum miniſterio ſunt congregatæ; ſed in Domino potius, cujus ſanguine ſunt redemptæ: ut quando forte incurrerint in Paſtores malos, doctrinam illius prædicantes, & ſua mala opera facientes, quæ dicunt, faciant; quæ autem faciunt, non faciant; nec propter filios iniquitatis paleum deſerant unitatis.

Unanimitas & concordia Chriſtiana.

S. Cypr. Tract. De Unitate Eccleſiæ.

S. Aug. Epiſt. 208. al. 209.

17. 18. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.* Prædicatio præcipua eſt Apoſtolorum, & Epiſcoporum qui illis ſucceſſerunt, functio. Hanc ſacri Miniſterii partem exercere ipſi debent, non ſolum Evangelicos operarios mittendo in vineam Domini. *Væ mihi ſi non evangelizavero*, ait alibi Apoſtolus noſter, *neceſſitas enim mihi incumbit.* Verum non humanæ ſapientiæ fucis, non ſæcularis eloquentiæ lenociniis adornanda eſt, ſeu potius adulteranda Evangelii prædicatio, qui perniciosus abuſus eſt, Chriſtianæ Religionis ſpiritui, conſilioque contrarius, & eo nomine vitandus. 1. Ne occaſio detur hominibus adhærendi magis miniſtris veritatis, quam ipſi, quæ per eos prædicatur, veritati. 2. Ne honore converſionis mundi crux defraudetur, dum humanæ ſcientiæ & ſæculari eloquentiæ tribuitur. Quam metuendum Concionatoribus hujus temporis eſt, ne in divino judicio rei peragantur, quod Chriſti crucem laude ſuæ virtutis ac potentiæ defraudaverint. *Non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.* 3. Quia gratiam converſionis infidelium & peccatorum Deus in cruce Chriſti conſtituit, & potentiam ſuam ad electorum ſuorum ſalutem per crucem inclareſcere voluit. Væ Concionatoribus qui placere magis ſtudent amatoribus ſæculi, quam conſulere ſaluti electorum Dei. *Verbum enim crucis pereuntibus ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.* Non mirum quod infideles myſterium crucis ſtultitiam putent; cum vera ſapientia, quæ ex fide eſt, ſint deſtituti. Illorum miſereamur multo magis quam phreneticorum miſerentur amici cariſſimi, ipſos ignorantium, contumeliis afficientium, & forte verberibus. Illorum miſeriam defleamus, qui communem ignorant ſalutem. *Non enim oportet maritum adeo amare uxorem, ut non omnes homines, illos attrahendo ad ſalutem.* Gratias vero agamus Deo, qui nobis ſapientiam & potentiam ſuam in cruce manifeſtam fecit, & credere dedit. Cedat ſapientiæ & virtuti infinitæ Dei humanæ rationis, quæ circa res ipſas naturæ ſæpe ceſpitat, imbecillitas. „ Eſt enim crux ſupra rationem, & virtutis ineffabilis. Nam qui in malis fuit, malis eſſe ſuperiorem, & cum iis com-

Non humanæ ſcientiæ & eloquentiæ ſæculari, ſed virtuti crucis, animarum converſio adnexa eſt.

S. Chryſoſt. Hom. 4.

miſſa

Digitized by Google

„ miſſa pugna viciſſe, eſt infinitæ potentiæ. Quo-
„ modo enim in tribus *Pueris* fuit admirabilius in-
„ greſſos conculcaſſe flammam, quam non ingreſſos
„ eſſe fornacem: & in Jona multo erat majus a
„ bellua nihil eſſe paſſum, cum in eam incidiſſet,
„ quam omnino non incidiſſe in cetum, ita etiam
„ in Chriſto fuit admirabilius mortuum peſtregiſſe
„ mortem, quam non eſſe mortuum. Ne dicas ergo.
„ Cur ſibi opem non tulit in cruce? Nam cum
„ ipſa morte volebat pugnam committere. Non de-
„ ſcendit de cruce, non quod non poſſet, ſed quod
„ noluerit. Nam quem mortis tyrannis non deti-
„ nuit, quomodo potuiſſent detinere clavi crucis?
„ Sed hæc ſunt nobis nota, non infidelibus. Propte-
„ rea Apoſtolus ait: *Verbum enim crucis pereuntibus
ſtultitia eſt, iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis,
virtus Dei eſt.* 19. *Scriptum eſt enim: Perdam ſapien-
tiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.*
Vanitatem ſcilicet ſapientiæ ſæcularis, & ſcientiæ,
ingeniique Philoſophorum oſtendit Deus, prædicatio-
ne crucis efficiens, quod illi falſæ ſapientiæ ratioci-
nus & eloquentiæ vi efficere numquam potuerunt.

20. *Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus
ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus
mundi?* Summa eſt Chriſti Jeſu gloria quod Evan-
gelii ſui prædicationem illiteratis, ignobilibus, &
pauperibus piſcatoribus committens, Philoſophos,
Oratores, Barbaros, Gentiles, Judæos; orbem uni-
verſum fidei jugo ſubdiderit, populis & regibus re-
ſiſtentibus, ipſa pugnante natura, temporis antiqui-
tate, & longa acriter adverſante conſuetudine, dæ-
monibus armatis, & diabolo ſtante in acie & nihil
non movente. „ Si viri duodecim rei militaris igna-
„ ri, non ſolum inermes, ſed etiam corpore debi-
„ les, impetu facto in innumerabilem & armatam
„ militum aciem, ab illis quidem nihil mali paſſi
„ eſſent, neque innumeris telis appetiti eſſent ſau-
„ ciati, ſed alios interemiſſent, alios captivos ab-
„ duxiſſent, ipſi nullis acceptis vulneribus, dice-
„ ret ne aliquis humanum eſſe quod geſtum eſt?
„ Atqui Apoſtolorum trophæum eſt illo longe ad-
„ mirabilius. Nam quod imperitus & illiteratus &
„ piſcator ſuperaverit ſæculi Sapientes & Oratores
„ facundiſſimos, & neque paucitate, neque pau-
„ pertate, neque periculis, nec ea, quæ præoccu-
„ paverat, conſuetudine, neque quotidianis cædibus,
„ neque eorum qui decepti fuerant multitudine,
„ neque eorum qui deceperant auctoritate fuerit
„ deterritus, longe admirabilius & præter opinionem
„ erat, quam nudum non eſſe ſauciatum. „ *Nonne
Deus ſtultam fecit ſapientiam hujus mundi?*

21. *Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus
per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam præ-
dicationis ſalvos facere credentes.* Viam ſalutis pec-
catum immutavit. Hanc primum viam conſtruxerat
Creator, qua homines ad ſui notitiam per rationis
uſum & conſiderationem ſapientiæ, quam effudit
ſuper opera ſua, perduceret. Sicut enim diſcipulus
cognoſcit Magiſtri ſapientiam per verba quæ ab ipſo
audit: ita homo poterat ad cognoſcendam Dei ſa-
pientiam per creaturas ab illo conditas conſiderando
pervenire, ſecundum illud Rom. 1. *Inviſibilia Dei
per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Hæc
via hominis innocentis. Sed cum homo propter ſui
cordis vanitatem a rectitudine divinæ cognitionis de-
viaſſet, ejus miſertus Redemptor aliam viam con-
ſtituit, qua illum ad ſalutiferam ſui cognitionem per-
duceret, verbum ſcilicet crucis, ſubjectione ratio-
nis, obedientia voluntatis, documentis fidei. Hæc
via hominis reparati. Sine gratia quippe Salvatoris
prior via non modo inutilis, ſed periculoſa fuiſſet
ob ſuperbiam & curioſitatem hominum. *Quia cali-
gantes hominum mentes conſuetudine tenebrarum,
quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, per-
ſpicuitati ſanctitatique rationis aſpectum idoneum in-
tendere nequeunt, ſaluberrime comparatum eſt, ut in
lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis
humanitatis opacatam, inducat auctoritas.*

*Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos fa-
cere credentes.* „ Hæc ſtultitia prædicationis ac ſtul-
„ tum Dei, quod ſapientius eſt hominibus, multos
„ contrahit ad ſalutem, ut non ſolum qui nondum
„ certa valent intelligentia conſpicere naturam Dei,
„ quam fide tenent, verum etiam qui nondum in
„ ipſa anima ſua ita incorpoream ſubſtantiam a cor-
„ poris generalitate diſcernunt, quemadmodum certi
„ ſunt ſe vivere, noſſe, velle, iden non ſint alieni a
„ ſalute, quam ſtultitia illa prædicationis fideli-
„ bus confert. Nam ſi propter eos ſolos Chriſtus
„ mortuus eſt, qui certa intelligentia poſſunt iſta
„ diſcernere, pene fruſtra in Eccleſia laboramus.
„ Si autem, quod veritas habet, infimi populi cre-
„ dentium ad Medicum currunt, ſanandi per Chri-
„ ſtum, & hunc crucifixum, ut ubi abundavit
„ peccatum, ſuperabundet gratia; miris fit modis
„ per altitudinem divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ
„ Dei, & per inſcrutabilia judicia ejus, ut & non-
„ nulli a corporibus incorporea diſcernentes, cum
„ ſibi ex hoc magni videntur, & irrident ſtultitiam
„ prædicationis, qua ſalvi fiunt credentes, ab unica
„ via longe exerrent, quæ ad vitam æternam ſola
„ perducit: & multi in cruce *Chriſti* gloriantes, &
„ ab eadem via non recedentes, etiamſi iſta, quæ
„ ſubtiliſſime diſſeruntur, ignorant, quia non perit
„ unus ex illis pro quibus mortuus eſt, ad eamdem
„ perveniant æternitatem, veritatem, caritatem, id
„ eſt ad ſtabilem, certam, plenamque felicitatem,
„ ubi manentibus, videntibus, amantibus ſunt cun-
„ cta perpetua. „

22. 23. 24. *Quoniam & Judæi ſigna petunt: &
Græci ſapientiam quærunt: Nos autem prædicamus
Chriſtum crucifixum, &c.* Ubi gratia Chriſti non adeſt,
& ſtulta ſapientia Gentilis, & ſuperba ſcientia Judæi,
& fides mortua Chriſtiani, illos pariter errare fa-
ciunt a ſalute. Gentilis propriæ ſapientiæ opinione
inflatus; Judæus Dei potentiam tentans & ſigna
petens; malus Chriſtianus Dei virtute & ſapientia,
quæ Chriſtus eſt, abuſus, ſimul pereunt. Timen-
dum ne horum omnium criminum rei coram Deo
inveniamur: ne Gentilibus ſimiles ſimus, Evangelio
Adami, ſcilicet naturali cognitione creaturarum abuſi
per animi timorem: ne ſimiles ſimus Judæis, Evan-
gelio Moyſis, id eſt Lege, promiſſis & verbo Dei
abuſi per infidelitatem & diffidentiam: ne mali
Chriſtiani ſimus, abuſi Evangelio & Myſteriis Jeſu
Chriſti per ingrati animi vitium, violationem Legis
ejus, contemptumque crucis. *Quia quod ſtultum eſt
Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt
Dei, fortius eſt hominibus.* „ Quis eſt ſapientior, iſne
„ qui multis perſuadet, an qui paucis, aut potius
„ nulli? Qui de maximis perſuadet, an de minimis,
„ & quæ ad rectam vitæ rationem & ſalutem inu-
„ tilia ſunt? Quantum laboravit Plato de linea &
„ angulo & puncto, & numeris paribus & impari-
„ bus, & inter ſe æqualibus & inæqualibus, aliiſque
„ hujuſmodi rebus diſſerens, quæ non magis vitæ
„ proſunt quam aranearum telæ? Quantum laboravit
„ ut oſtenderet animam eſſe immortalem? & cum
„ evidens nihil dixiſſet, & nulli perſuaſiſſet audi-
„ tori, ſic exceſſit. Crux autem perſuaſit per ho-
„ mines imperitos, & perſuaſit toti orbi terrarum,
„ nec de rebus quibuslibet, ſed de Deo diſſerens,
„ & vera pietate ac religione, de evangelica vi-
„ tæ inſtitutione, & futuro judicio: & ruſticos &
„ indoctos omnes fecit Philoſophos. Vides quemad-
„ modum quod ſtultum eſt Dei, eſt ſapientius homi-
„ nibus, & quod eſt imbecillum, fortius. Quomodo
„ fortius? Quod pervaſit univerſum orbem terræ,
„ & vi cœpit omnes homines; & cum innumerabi-
„ les Crucifixi nomen conarentur extinguere, eve-
„ nit contrarium: nempe crux floruit, & majorem
„ in modum crevit Chriſtiana Religio: illi autem
„ perierunt, & exitio addicti ſunt: *Quia quod ſtul-
tum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infir-
mum eſt Dei, fortius eſt hominibus.*

26. 27. 28. *Videte enim vocationem veſtram, fra-
tres; quia non multi ſapientes ſecundum carnem,
non multi potentes, non multi nobiles &c.*: Non ſo-
lum Magiſtros indoctos & imperitos, ſed & primos
diſcipulos maximam partem tales eſſe voluit. Hinc
ejus ſapientia & potentia magis elucet, quod &
multis perſuaſerit, & perſuaſerit inſipientibus. In-
docto enim perſuadere difficillimum eſt, quando de
rebus neceſſariis & magnis agitur; perſuaſerunt ta-
men, & ipſos hujus rei teſtes appellat, *Videte*,
inquit, *vocationem veſtram*. Nam quod dogmata
adeo ſapientia; & omnibus ſapientiora ſuſceperint
indocti, hoc teſtimonium eſt maximæ ſapientiæ Ma-
giſtri. Indocti & imperiti facilius de Chriſtianæ Re-
ligionis dogmatibus perſuaſi ſunt, quia humiliores
erant. Ii enim ſtulti ſecundum Dei judicium, quan-
tumvis ſapientes hominum carnalium, ſui ſimilium,
judicio videantur, qui rationibus probari volunt,
quod ſola fide certo cognoſci poteſt. „ Quomodo
„ enim ſi cum faber ærarius candens ferrum e for-
„ nace extrahit, manu id facere contendat, eum
„ extremæ damnabimus amentiæ: ita etiam Philo-
„ ſophi, qui myſteria & dogmata a rationis captu
„ remotiſſima ratione duce invenire contenderunt,
„ fidem probro aſſecerunt. *Non multi potentes, non
„ multi nobiles.* Nam ii quoque faſtu ſunt pleni.
„ Perfectæ autem & accuratæ Dei cognitionis nullus
„ major eſt obex arrogantia & cupiditate divitiarum.
Efficiunt enim ut nobiles, potentes, divites præſen-
tium admiratione & amore capti, futura ſpernant
vel negligant, & aures obturant veritati propter
earumdem multitudinem. *Sed quæ ſtulta ſunt mundi
elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mun-*
di

Admirabilis Chriſtianæ Religionis & Eccleſiæ fundatio & propagatio.

S. Chryſoſt. Hom. 3.

Alia via homini innocenti, & homini reparato, ad Dei notitiam perducit.

S. Thomas, Lect. 3.

S. Auguſt. lib. De Moribus Eccleſ. Cath.

S. Aug. Epiſt. 165. alias 102.

Vera & falſa ſapientia.

S. Chryſoſt. Homil. 4.

Perfectæ Dei cognitionis nullus major eſt obex ſuperbia & cupiditate divitiarum.

S. Chryſoſt. Homil. 5.

Felicitas noſtra, nihil habere quod Deo acceptum non referatur.

ſti elegit Deus, ut confundat fortia: & contemptibilia elegit Deus; & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret. Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. „ Omnia enim propter hoc facit Deus ut nihil „ nobis imputemus, ut omnia Deo adſcribamus; „ utque oſtendat omnes ſuperna egere ſapientia. Non „ ſolum autem in cognitione, ſed & in aliis omni„ bus, auxilio ſuo nos opus habere conſtituit: ut „ hac ratione maximam habeant occaſionem & ſub„ jectionis, & cum eo conjunctionis, & neceſſitu„ dinis. Propterea non eos ita dimiſit ut ſibi ſuffi„ cerent. Nam ſi nunc etiam, cum opus habeant, „ multi deſpiciunt: niſi hoc eſſet, quo non veniſſent „ contemptus & deſpicientiæ? Quamobrem hic glo„ riandi occaſionem, non eis invidens ſuſtulit, ſed „ abſtrahens ab exitio quod inde proficiſcitur. Hæc „ felicitas noſtra eſt, nihil omnino habere, quod „ Deo acceptum non referatur, *Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*

S. Aug. Serm. 23. alias De verbis Apoſto. li 27.

Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, &c. „ Si enim eligeret Chriſtus primitus „ Oratorem, diceret Orator, Eloquentiæ meæ me„ rito electus ſum. Si eligeret Senatorem, diceret „ Senator, Dignitatis meæ merito electus ſum. Po„ ſtremo, ſi prius eligeret Imperatorem, diceret Im„ perator, Poteſtatis meæ merito electus ſum. „ Quieſcant & differantur iſti, paululum quieſcant; „ non omittantur, non contemnantur; ſed aliquan„ tulum differantur, qui poſſunt gloriari de ſemeti„ pſis in ſemetipſis. Da mihi, inquit, illum piſcato„ rem, da mihi idiotam, da mihi imperitum, da mihi „ eum, eum quo non dignatur loqui Senator, nec „ quando emit piſcem: ipſum da, hunc ſi implevero, „ ro, manifeſtum erit quod ego facio. Quamquam „ & Senatorem, & Oratorem & Imperatorem Chri„ ſtianos ego ſum facturus: ſed certius ego piſcato„ rem: Poteſt Senator gloriari de ſemetipſo, poteſt „ Imperator: non poteſt niſi de Chriſto Piſcator, „ Veniat propter docendam humilitatem ſalubrem, „ prius veniat Piſcator; per ipſum melius adducitur

S. Aug. Enarr. in Pſalm. 65. n. 4.

„ Imperator... Melius eſt ut Romam cum venerit „ Imperator, depoſito diademate ploret ad Memoriam „ Piſcatoris, quam ut Piſcator ploret ad Memoriam „ Imperatoris. *Ut non glorietur omnis caro in con„ ſpectu ejus.* Videte quemadmodum abſtulit gloriam, „ ut daret gloriam: abſtulit noſtram, ut daret ſuam; „ abſtulit inanem, ut daret plenam; abſtulit nutan„ tem, ut daret ſolidam. Quanto ergo gloria noſtra „ fortior & firmior, quia in Deo eſt?

Gratiæ Chriſti maximum donum eſt, quod nonniſi in illo de omnibus ejus donis gloriemur.

30. 31. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtificatio & ſanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ne ſalutem noſtram viribus noſtris, ingenio, induſtriæ, operibuſque tribuamus, voluit Deus ut illam extra nos quæramus in Chriſto Jeſu. Exeamus igitur e nobis ipſis, renuntiantes proprii ſenſus ac judicii erratico lumini, falſæ juſtitiæ noſtræ, peccatis noſtris, omnique cordis noſtri corruptioni, ut Chriſtus Jeſus ſit *nobis ſapientia* divino verbi ſui lumine; ut ſit nobis *juſtitia*, meritis ſacrificii ſui: *ſanctificatio*, virtute & ſanctitate vitæ ſuæ glorioſæ: *& redemptio*, perfectaque libertas, Spiritus ſui, gratiæque omnipotentiſſima poteſtate. *Ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur*, Ita Jeſu Chriſto Domino noſtro omnia debemus, ut hoc ipſum gratiæ illius maximum donum ſit, quod nonniſi in illo de omnibus ejus donis gloriamur. „ Nemo de „ ſua juſtitia glorietur, etiamſi juſtus eſt. De ſua quippe juſtitia glorianti dictum eſt, *Quid enim habes*

S. Aug. Serm. 160. alias 111. inter editos ex Carthuſia Mſ.

„ *quod non accepiſti?* Ergo *Qui gloriatur, in Do„ mino glorietur.* Quid enim ſecurius, quam in illo „ gloriari, de quo nemo poteſt omnino confundi? „ Nam ſi gloriatus fueris in homine, poteſt inveniri „ aliquid in homine, immo multa inveniri poſſunt „ in homine, de quibus confundatur qui in illo glo„ riatur. Cum autem audis non eſſe in homine glo„ riandum, utique nec in te. Si gloriaris in te, in „ homine gloriaris: & hoc eſt ſtultius & exiecrabi„ lius. Quia ſi gloriatus fueris in homine juſto ali„ quo vel alio ſapiente, ille non in ſe gloriatur in „ quo tu gloriaris; tu autem ſi in te gloriaris, non „ ſapiens, non juſtus es: ſi autem non oportet in „ homine ſapiente gloriari, multo minus oportet in „ inſipiente gloriari. Qui autem gloriatur in ſe, in „ inſipiente gloriatur. Eo enim ipſo inſipiens con„ vincitur, quia in ſe ipſo gloriatur. *Ergo qui glo„ riatur, in Domino glorietur*: nihil tutius, nihil „ ſecurius. Si potes, habes quod apprehendas, in „ Domino gloriatus non confunderis. Non enim „ aliquid reprehenſionis inveniri poteſt in illo, in „ quo gloriaris.. Si pertines ad Teſtamentum No„ vum, agnoſce Dei juſtitiam, & noli tuam velle „ conſtituere hanc ipſam, ſi quam habes; ſi bene vi„ vis, ſi præcepta Dei facis, noli tamen putare, hoc „ eſt enim velle ſuam juſtitiam conſtituere. Agnoſce „ a quo acceperis & habes quod accepiſti. Non enim „ habes, quod non accepiſti. Si autem accepiſti, „ quid gloriaris quaſi non acceperis? Cum enim glo„ riaris, quaſi non acceperis, in te gloriaris: & „ ubi eſt, *Qui gloriatur, in Domino glorietur?* Datum „ tene, ſed Datorem agnoſce."

CAPUT II.

Senſus Litteralis.

S. Paulus in prædicatione ſua nullam ſapientiæ aut eloquentiæ ſæcularis æmulationem oſtendit.

1. 2. *Et ego cum veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti.* Quod ſuperiori capite dixerat Apoſtolus, Deum quæ ſtulta ſunt mundi elegiſſe, ut confundat ſapientes, & infirma mundi ut confundat fortia, ſuo confirmat exemplo. Mea, inquit, prædicandi & agendi ratio cum apud alios, tum apud vos inprimis, o Corinthii, huic Dei œconomiæ congruit. Siquidem cum veniſſem ad vos annuntiaturus vobis Evangelium, quod teſtimonium eſt de Chriſto, nullam oſtendi in prædicatione mea eloquentiæ aut ſapientiæ ſæcularis eminentiam. Sublimi & ornato dicendi genere, ac mundanæ Philoſophiæ argumentis poſtpoſitis, Chriſti Myſteria & ſalutis documenta ſimpliciter vobis expoſui. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Non enim profeſſus ſum apud vos me ſcire aliquid niſi ea quæ fidem, in Chriſtum, & mortem ejus in cruce pro humani generis redemptione, conſecutamque reſurrectionem ſpectant. Hæc enim vobis quaſi parvulis primum explicare ſatis habui, ſublimiorum & profundiorum Myſteriorum expoſitione in aliud tempus reſervata. *Eis enim loquebatur, qui capere altiora de Chriſti deitate non poterant. Quibus etiam paulo poſt dicit*, Non potui vobis loqui „ quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus." *Hoc ergo inter illos neſciebat, quod per illum ſcire non poterant. Et hoc ſolum ſe ſcire dicebat, quod eos per illum ſcire oportebat. Denique ſciebat inter perfectos, quod inter parvulos neſciebat: ibi quippe ait,* „ Sapientiam loquimur inter perfectos." *Eo namque genere locutionis neſcire quiſque dicitur quod occultat, quo dicitur foſſa cæca, quæ occulta eſt. Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in conſuetudine humana non inveniatur; quia utique hominibus loquuntur.*

S. Joan. Chryſ. Hom. in

3. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Quamdiu apud vos converſatus ſum, in ſtatu fui humili & abjecto, manibus meis victum mihi comparans, ne cuipiam eſſem oneri, quin etiam variis perſecutionibus & periculis expoſitus fui. Confer cum Galat. 4. 13. ubi Apoſtolus noſter ait: *Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: & tentationem veſtram in carne mea non ſpreviſtis.* Et 2. Corinth. 11. 30. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. Damaſci Præpoſitus gentis Aretæ Regis cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet.* Et cap. 12. 10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Quod Paulus pericula timeret, naturæ infirmitas erat, non crimen; virtus autem & animi fortitudo, quod nulli ceſſerit periculo, ſed difficultates omnes, inſidias, minas, terrores, perſecutiones, tormenta ſuperaverit.

S. Pauli prædicatio miraculis confirmata.

4. 5. *Et ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis.* Sermo quo utebar in prædicando Evangelio, non is erat quo ſolet uti ſapientia ſæcularis, non erat dicendi arte & eloquentia inſtructus, non diſputandi ſubtilitati ad perſuadendum accommodatæ innixus: ſed prædicatio mea efficax fuit virtute Spiritus ſancti, quam miracula demonſtrabant: Ait autem *in oſtenſione Spiritus & virtutis*, ut vera miracula indigitet, quibus Evangelii prædicatio confirmata eſt, virtute nimirum Spiritus ſancti edita, fallacia ſigna excludens, qualia ſunt præſtigiatorum, *Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Ne fides veſtra innixa & fundata videatur in ſapientia & eruditione ſæculari, & humanæ Philoſophiæ ac eloquentiæ veſtra converſio adſcribatur, ſed uni divinæ gratiæ virtuti, uni Dei omnipotentiæ, humana corda quocumque voluerit inclinanti, flectenti, & ab infidelitate ad fidem, ex contumacia ad obedientiam, ex odio ad amorem transferenti.

6. 7. 8.

6. 7. 8. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non hujus ſæculi, neque Principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur.* Altiora vero & reconditiora religionis myſteria prædicamus adultis in fide & ſpiritualibus, qui ſolidioris cibi ſunt capaces.
Hebr. 5. 13. 14. Nam *Omnis qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ: parvulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali;* ait alibi Apoſtolus noſter. Quam vero tradimus & docemus, ſapientia ſæcularis non eſt, quæ ſolo naturalis rationis lumine, & argumentis ingenioſe excogitatis, artificioſe diſpoſitis, ſubtiliter diſputat de rebus phyſicis, ethicis, politicis: Non illa eſt ſapientia, quam excogitarunt & illuſtrarunt Philoſophi, Oratores, & qua ut plurimum utuntur in conſiliis ſuis viri Principes, Reges, eorumque Miniſtri, politicis artibus inſtructi, & perituri ſæculi rebus ſervientes, ultra quod non extenditur eorum potentia & imperium: de quibus ſcriptum eſt: *Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, &c.* (Pſalm. 2. 2. Act. 4. 26. 27.) *Sed loquimur Dei ſapientiam in Myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.* Conſilia divinæ ſapientiæ in Incarnationis, Paſſionis & mortis Chriſti Jeſu Myſteriis prædicamus, quæ Deus voluit eſſe abſcondita, & ante Filii ſui mortem ac reſurrectionem paucis revelata. Quæ ſapientiæ ſuæ altiſſima conſilia Deus ab æterno præordinavit, decrevit, præparavit exequenda convenienti tempore, ut hujus ſapientiæ, Myſteriorumque cognitione ac fide nos ad honorem adoptionis filiorum, & conſequenter ad cœleſtem gloriam adduceret. Hujus nimirum pignus eſt & inchoatio fides in Chriſtum Jeſum. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* (Joann. 17. 3.) *Quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit.* Quam ſapientiam in myſterio Incarnationis Filii Dei latentem nemo cognovit principum infidelium, quales erant Pilatus, Herodes, Cæſares, & ex Judæis, Annas, Caiphas, Scribæ, Phariſæi. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Si cognoviſſent Chriſtum Jeſum eſſe Dei Filium hominem factum, cujus paſſione & morte humanum genus a diaboli ſervitute redimere Pater decreverat, numquam Deo Patri in gloria coæqualem & gloriæ auctorem ac largitorem, morti crucis addixiſſent. Confer cum Act. 3. 17. ubi Petrus ait: *Et nunc, fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri.*
Tertull. lib. 3. adverſ. Marcion. cap. 6. Hæc loca reſpiciens Tertullianus ait: *Non eas Scripturas evolvam, quæ interemptibilem Chriſtum edicentes, utique & ignorabilem affirmant: Niſi enim ignoratus nihil ſcilicet pati poſſet.* Et infra: *Si omnis ſpes Judæorum, ne dicam etiam Gentium, in Chriſti revelationem deſignabantur, ſine dubio ita demonſtrabantur non agnituri, & non intellecturi, ablatis agnitionis & intelligentiæ viribus, ſapientia atque prudentia, quod nuntiabatur, id eſt Chriſtus, erraturis in eum principalibus ſapientibus eorum, id eſt Scribis, & prudentibus eorum, id eſt Phariſæis: pariter & populo auribus auditure, & non audituro, utique Chriſtum docentem: & oculis viſuro, & non viſuro, utique Chriſtum ſigna facientem, ſecundum quod & alibi: Et quis cæcus, niſi pueri mei? & quis ſurdus, niſi qui dominatur eorum?*
Iſai. 64. 4. 5. 9. *Sed ſicut ſcriptum eſt,* * de ſapientiæ Dei reconditis
Quod ſenſum, cujus veritatem Apoſtolus exprimit, non verbum ex verbo reddit. conſiliis in Verbi Incarnati Myſterio loquimur: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Oculus non vidit, qui tamen ſenſus ad rerum ſcientiam comparandam plurimum valet: nec auris audivit, qui tamen ſenſus eſt diſciplinæ, neque mens humana cognoſcendo aſſequi poteſt, niſi Deo revelante, Myſterium illud adorandum Incarnationis, & præparata in Chriſto & per Chriſtum beneficia hominibus Deum diligentibus, id eſt electis, quos ſui dilectores facit, nempe redemptionem, gratiam adoptionis, & gloriam æternæ felicitatis. Quem reſpexit Apoſtolus Iſaiæ locum, S. Hieronymus ita vertit: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti exſpectantibus te.* Septuaginta vero Interpretes ita reddidere: *A ſæculo non audivimus, neque oculi noſtri viderunt Deum præter te, & opera tua quæ facies ſuſtinentibus miſericordiam.* Hebraicam veritatem magis inſpexit Apoſtolus, quam Verſionem LXX. Interpretum. Minus ergo probabile eſt, quod ex libris apocryphis, nimirum ex Aſcenſione Iſaiæ, & Apocalypſi Eliæ hanc ſententiam deſcripſerit. Vide S. Hieronymum *lib. 17. in Iſaiam,* ad cap. 64.

10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum,* Ne quis objiceret, ſi ſapientia hæc tam abdita eſt, cur eam te traditurum ſpondes, & te eam inter perfectos docere aſſeris? Hanc objectionem occupans Spiritus ſ[illegible] di[illegible]
Apoſtolus reſpondet: Nobis Apoſtolis ſuis revelavit Deus hanc ſapientiam per Spiritum ſuum; qui Spiritus eſt veritatis, docens omnem veritatem rationis humanæ captum excedentem, & ad ſalutem neceſſariam. Niſi enim Deus revelaſſet nobis ſapientiæ ſuæ conſilia, ſuaque Myſteria, illa penitus ignoraremus. *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Spiritus enim ſanctus accurate cognoſcit & penetrat omnia, etiam altiſſima, intima, & maxime recondita Dei conſilia & myſteria. *Scrutatur non utique ut quod neſcit inveniat, ſed quia nihil relinquat* S. Auguſt. Enarrat. in
omnino quod neſciat. Vel *ſcrutatur,* id eſt ſcrutari Pſalm. 118.
nos facit, quo modo clamat & gemit in nobis. *Quod* Serm. 11.
dona ipſius facit, ille facere dicitur, quia ſine illo tu Idem in Pſal.
non faceres. Ex hoc & ſequentibus duobus Verſibus 52.
Spiritus ſancti divinitas probatur.

11. *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Nemo homo alterius hominis arcanas cogitationes, intimoſque & abditos ſenſus ac affectus novit, ſed uniuſcujuſque dumtaxat propria mens novit cogitata ſua, conſilia, ſecretoſque motus: *ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Ita cogitationes & arcana conſilia Dei nemo novit niſi Spiritus Dei, qui in ipſo eſt, eamdemque cum Deo naturam & cognitionem habet. Subintelligendum, *& cui Spiritus revelaverit.* Neque tamen Filius excluditur, qui ait: *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt:* & de Spiritu ſancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

12. 13. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a* S. Chryſoſt.
Deo donata ſunt nobis. Creatum ſpiritum non ac- Theophylact.
cepimus, nec per Angelum rerum divinarum revelationem ſuſcepimus: ſed ipſe qui a Patre procedit Spiritus, occulta myſteria nos docuit. Vel, Inſtituti non ſumus ſapientia ſæculari & humana, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, id eſt coeſſentialem Deo, nacti ſumus præceptorem: ut ab eo illuminati & edocti, certo noſcamus Chriſti myſteria, & beneficia in ipſo nobis præparata, & per ipſum nobis collata, & conferenda. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.* Quæ etiam ex Chriſti præcepto populis omnibus annuntiamus, non ſermone in quo humana micet eruditio, & eloquentia, ſed quem docet ac ſuggerit Spiritus ſanctus; rebus ſpiritualibus & divinis verba & argumenta ſpiritualia accommodantes, ex Scripturis ſacris depromta, prout dat eloqui Spiritus ſanctus, & prout ſpiritualibus viris congruit, quibus cœleſtem illam doctrinam tradimus. Eoſdem hic nominat *ſpirituales,* quos ſuperius *perfectos* dixit, quia per Spiritum ſanctum homines perficiuntur in virtute, ſecundum illud: *Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Non egemus, S. Thomas,
inquit, humana ſapientia. Sufficit enim nobis do- Lect. 3.
ctrina Spiritus. *Spiritualibus ſpiritualia comparantes.*
Habemus enim & veteris Teſtamenti teſtimonium, S. Chryſoſt.
& Novum per illud confirmamus. Utrumque enim Hom. 7. Theo-
ſpirituale eſt. Noſtrorum Sacramentorum figuras doret. Theo-
oſtendere volentes, agnum Paſchalem proferimus, phylact.
& ſanguinem illitum poſtibus, & maris tranſitum, & aquas e petra manantes, & Manna, & innumera ejuſmodi, & per figuras veritatem oſtendimus. Hæc ratio docendi, prædicandi, & perſuadendi ſpiritualia & divina Myſteria ſpiritualibus hominibus.

14. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intel-* S. Thomas.
ligere, quia ſpiritualiter examinantur. Animales homines dicuntur, interprete S. Thoma, qui ſenſibus ducuntur, & de Deo rebuſque divinis judicant juxta corporum phantaſiam, vel legis litteram, vel rationem Philoſophicam. Hi animales ſenſu, alibi *carnales & parvuli in Chriſto, imbecilles ad audiendum,* ab Apoſtolo vocantur. *Spirituales* vero e contrario, *per-* Quis de
fecti, eſcæ ſolidioris capaces, ſenſum exercitatum haben- ſpiritualibus
tes ad boni malique diſcretionem. Animales homines recte judica-
hoc ſenſu plurimi ſunt fidelium, rudes ſcilicet ac re poteſt?
imperfecti. Dicitur & animalis homo quantum ad ſentientem appetitum, quia magis movetur ejus affectus ad ſenſibilia & temporalia, quam ad ſpiritualia & æterna bona. *Non enim tam cito anima ſubjuga-* S. Auguſt.
tur ſpiritui ad bonam operationem, quam cito Spiritus lib. de Fide
Deo ad verum fidem & bonam voluntatem: ſed aliquan- & Symbolo,
do tardius ejus impetus, quo in carnalia & temporalia cap. 10.
diffluit, refrenatur. Hoc utroque ſenſu animalis homo mente ſenſibilibus phantaſmatis aſſueta non intelligit altiora illa & reconditiora fidei myſteria & dogmata, quæ Spiritus ſanctus Apoſtolis revelavit, ut ea perfectis traderent. „ Videntur enim illi abſurda „ & cum ratione pugnantia. Quomodo enim his

„ oculis

S. Chryſoſt. Hom. 7.

„ oculis nemo didicerit ea quæ ſunt in cœlis; ita „ nec anima ſola quæ ſunt ſancti Spiritus. Et „ quid dico, quæ ſunt in cœlis? Ne omnia quidem „ quæ ſunt in terra. Nam procul videntes turrim „ quadratam, putamus eam eſſe rotundam: eſt autem „ ea omnino deceptio oculorum. Ita etiam quando „ res a nobis procul ſemotas ſola cogitatione exa- „ minaverit quiſpiam, multus conſequitur riſus. „ Non ſolum enim ea qualia ſunt non videbit, ſed „ etiam eorum quæ ſunt exiſtimabit contraria." *Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* Homo ſenſibus addictus intelligere non poteſt ea quæ ſupra ſenſum ſunt: & homo carnalibus affectus non intelligit eſſe bonum, niſi quod eſt delectabile ſecundum carnem: & rerum ſpiritualium examinatio fit a viris ſpiritualibus, modo ſpirituali, fidei lumine, Spiritus ſancti afflata. Numquam enim inferior examinare & judicare poteſt ea quæ ſunt ſuperioris; verbi gratia ſenſus ea quæ ſunt mentis; nec ratio igitur humana, ſenſibus depreſſa, poteſt examinare, diſcernere, judicare ea quæ ſunt Spiritus Dei, id eſt quæ Deus per fidem revelat: *quia ſpiritualiter examinantur.* Ita Græcum Textum verti poſſe clariori ſenſu, eruditi Interpretes obſervant. S. Chryſoſtomus legit: *Stultitia enim eſt illi, quoniam non novit quod ſpiritualiter examinatur.* Theophylactus: *Neſcire poteſt, quod ſpiritualiter dijudicantur.* Id eſt (inquit) non intelligit quod fide egeant quæ dicuntur, nec ratione comprehendi poſſint. Id enim eſt, *ſpiritualiter dijudicantur;* hoc eſt, per fidem & Spiritum demonſtrationem habeat. Verſio Syriaca: *Homo animalis non recipit ſpiritualia: ſtultitia enim ei ſunt; nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritu dijudicantur.*

S. Chryſoſt. Hom. 7. Theophylact. Oecum.

15. *Spiritualis autem judicat omnia.* Homo adultus in fide, & Spiritu ſupra ſenſus, & rationem naturalem evectus, intelligit, diſcernit, dijudicat omnia, ſuperiora & inferiora, ſpiritualia & ſenſibilia: non ſolum ea quæ animalis homo imaginatione ſua, vel naturali ratione, aut etiam fide imperfecta cognoſcit, verum etiam altiora myſteria. *Judicat omnia*, tum quæ præſentis ſæculi ſunt, quod caduca ſint & fluxa; tum quæ futuri, quod ſint ſtabilia: tum quæ ſua ſunt, tum quæ aliorum, verum a falſo, bonum a malo diſcernens in iis quæ ſalutem & veram pietatem ſpectant. Judicat omnia, judicio diſcretionis, non poteſtatis & auctoritatis; *& ipſe a nemine judicatur*, qui non ſit ſpiritualis. Quemadmodum qui videt, & ſua videt, & quæ eorum ſunt qui non vident. Illi vero neque quæ ſua ſunt, neque quæ illius ſunt cernunt, quippe qui cæci ſunt in omnibus. Qui recte diſpoſitus eſt, rectum de ſingulis fert judicium, ait S. Thomas: qui autem male diſpoſitus, non recte judicat ſeu diſcernit. Vigilans enim recte judicat & ſe vigilare, & alium dormire: ſed dormiens non habet rectum judicium de ſe, nec de vigilante. Unde tales res non ſunt quales videntur dormienti, ſed quales videntur vigilanti. Idem exemplis ſani & infirmi circa judicium ſaporum, debilis & fortis circa judicium ponderum, hominis virtute præditi & vitioſi circa judicium de rebus agendis compertum eſt. „ Igitur *Spiritualis judicat omnia*, quia homo habens intelle- „ ctum illuſtratum, & affectum ordinatum per Spi- „ ritum ſanctum, de ſingulis quæ pertinent ad ſalu- „ tem, rectum fert judicium. Ille vero qui non eſt „ ſpiritualis, habet intellectum obſcuratum, & affe- „ ctum inordinatum circa ſpiritualia bona. Et ideo „ ab homine non ſpirituali ſpiritualis homo judicari non poteſt, „ ſicut nec vigilans a dormiente.

S. Thomas Lect. 3.

16. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* Quis cognovit penitus mentem, ſapientiam, conſilia Dei? Quis ipſum docere & dirigere poteſt? Nemo homo: quamobrem ſpiritualem hominem, qui ſecundum Dei mentem & ſecundum ſapientiæ divinæ regulas, ſecundum lumen fidei & directionem Spiritus ſancti de omnibus judicat, nemo arguere & judicare poteſt. Confer cum Iſaiæ 40. 13. *Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit, & oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitas juſtitiæ, & erudivit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?* Hunc Iſaiæ locum reſpexit Apoſtolus noſter. *Nos autem ſenſum Chriſti habemus.* Nos Apoſtoli, mentem Chriſti Domini, ſententiam ejus, doctrinam, altiora myſteria, voluntatem, Spiritu ſancto revelante cognoſcimus: & propterea a nemine poſſumus judicari, ſeu erroris convinci, ſicut nec ipſe Chriſtus, cujus mentem habemus & tenemus. Ex hoc poſtremo verſu Chriſti divinitas aperte confirmatur.

C A P U T II.

Senſus Moralis.

Forma Prædicatoris evangelici.

1. 2. 3. 4. E*T ego cum veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti.* Hæc Prædicatoris Evangelici forma Concionatoribus noſtris imitanda. Quid mirum ſi nullum fructum faciunt plerique prædicando, qui vim prædicationis in eloquentiæ ſecularis artificio, in exquiſita periodorum commenſuratione, in verborum lenociniis, humanæque rationis excurſibus & argumentis totam collocant? Nihil minus annuntiant fidelibus populis quam *teſtimonium Chriſti*. Evangelium ejus non docent, ſed inventa ſua: Jeſum ſcilicet crucifixum neſciunt, ſcientiam crucis ejus ignorant; Academicos Oratores lubentius ſibi proponunt imitandos, quam Prophetas, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Nihil ignorat ad ſalutem & æternam beatitudinem neceſſarium, qui hoc unum perfecte ſcit. Huic libro Spiritu Dei ſcripto intus & foris ſtudendum eſt diligenter & aſſidue, ut ſcientiam ſalutis diſcamus, & plebi Chriſtianæ tradamus. Simplicitatem vero ſermonis, Chriſtiana non penitus deſtitutam eloquentia, naturali decore ornatam, non fucatam, comitetur & ſuſtentet humilitas in vita & converſatione Concionatoris omni ex parte conſpicua. Timeat ne ſuperbia ſua, gloriæ humanæ plauſuſque captatione, oſtentatione eloquentiæ, Dei opus impediat. Timeat ne quem offendat converſatione degenere. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Quo major ejus humilitas, quo ferventior oratio, quo minor in mediis humanis fiducia, quo minor eloquentiæ ſæcularis affectatio, eo major Spiritui & virtuti Dei ad converſionem animarum locus datur. *Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis.*

Fides noſtra non humanæ ſapientiæ, ſed uni Dei virtuti innititur.

5. *Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Solus Deus humanæ menti rationique ſummo jure imperat, humani cordia dominus eſt. Sola igitur ejus auctoritas & virtus captivam ducere poteſt mentem, & ſubjicere voluntatem jugo fidei. Non humanæ ſapientiæ fructus eſt, ſed divinæ virtutis & gratiæ; donum Dei mentem illuminantis, convincentis & obedientem verbo ſuo voluntatem, ac in ſola virtute omnipotentiaque ſua confidentem facientis. Sapientia namque humana & eloquentia ſæpe decipit homines & in errorem trahit: ſola Dei ſapientia errare non poteſt, nec in errorem quempiam inducere; ſola Dei virtus non poteſt deficere. Quamobrem huic uni fidem noſtram inniti, idque omnibus Chriſtianæ Religionis profeſſoribus & cultoribus axiomatis inſtar notum & perſuaſum eſſe voluit. *Ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.*

Vera ſapientia in Chriſtiana ſolum Religione & Myſterio hominis Dei invenitur.

6. 7. 8. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: Sapientiam vero non hujus ſæculi, neque Principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in Myſterio, quæ abſcondita eſt, &c.* Stultitia prædicationis vera ſapientia eſt, in ſublimitate dogmatum, in Myſteriorum altitudine, in ardore Spiritus ſancti poſita. Hæc ſola ſapientia digna Chriſtianis etiam perfectioribus. Secularis vero ſapientia, vana & peritura ut ſæculum ipſum, Principibus ejus, ſcilicet dæmonibus, ſervit ad hominum everſionem & perditionem. Indigna proinde eſt Chriſtiano, & ad æternum fidei ac ſalutis ædificium fundandum atque ſuſtentandum prorſus invalida. *Omnis ſapientia hominis in hoc non eſt ut Deum cognoſcat & colat. Hoc eſt illud quod Philoſophi omnes in tota ſua vita quæſierunt, nec umquam tamen inveſtigare, comprehendere, tenere valuerunt: quia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitus ſuſtulerunt.* „ Faceſſant igitur illi omnes, qui humanam vitam non „ inſtruunt, ſed turbant. Quid enim docent, aut „ quem inſtruunt, qui ſe ipſos, nondum inſtruxerunt? „ Quem ſanare ægroti quem regere cæci poſſunt? … „ Ecce vox de cœlo veritatem docens, & nobis „ ſole ipſo clarius lumen oſtendens. Quid nobis ini- „ qui ſumus, & ſapientiam ſuſcipere cunctamur, „ quam docti homines, contritis in quærendo ætati- „ bus ſuis, numquam reperire potuerunt? Qui vult „ ſapiens ac beatus eſſe, audiat Dei vocem, diſcat „ juſtitiam, Sacramentum nativitatis ſuæ norit, hu- „ mana contemnat, divina ſuſcipiat, ut ſummum „ illud bonum ad quod natus eſt, poſſit adipiſci. „ *Sapientiam loquimur inter perfectos; ſapientiam autem non hujus ſæculi*, &c. Quid autem putamus „ fuiſſe cauſæ, cur tot ingeniis, totque temporibus

Lactantius lib. 3. Divinarum Inſtitutionum. c. 29.

Lactantius lib. 4. De vera Sapientia & Religione, c. 26.

Digitized by Google

„ ſummo ſtudio & labore quæſita non reperiretur; niſi quod eam Philoſophi extra fines ſuos quæſierunt? Qui quoniam peragratis & exploratis omnibus nuſquam ullam ſapientiam comprehenderunt, & alicubi illam eſſe neceſſe eſt, *apparet illic potiſſimum eſſe quærendam, ubi ſtultitiæ titulus apparet; cujus velamento Deus, ne arcanum ſummi ſui divini operis in propatulo eſſet, theſaurum ſapientiæ ac veritatis abſcondit* . . . *Sed loquimur Dei ſapientiam in Myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.*

Miratur Lactantius, quod cum Pythagoras, & poſtea Plato, amore indagandæ veritatis accenſi, ad Ægyptios & Magos & Perſas uſque penetraſſent, ut earum gentium ritus & ſacra cognoſcerent (ſuſpicabantur enim ſapientiam in Religione verſari) ad Judæos tantum non acceſſerint, penes quos ſolos tunc erat, & quo facilius ire potuiſſent. „ Sed averſos eſſe ait divina providentia, ne ſcire poſſent veritatem: quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri juſtitiamque cognoſcere. *Statuerat enim Deus appropinquante ultimo tempore, Ducem magnum cœlitus mittere, qui eam perfido ingratoque populo ablatam, exteris gentibus revelaret.*

Hanc ſapientiam in Myſterio hominis Dei abſconditam, & ante ſæcula prædeſtinatam, non cognoverunt Philoſophi Principeſque ſæculi; ſunt enim inter ſe individuo nexu conjuncta Sapientia & Religio. „ *Sapientia ſpectat ad filios, quæ exigit amorem; Religio ad ſervos; quæ exigit timorem.* Nam ſicut illi patrem diligere debent & honorare; ſic hi dominum colere ac vereri. Deus autem qui unus eſt, quoniam utramque perſonam ſuſtinet, & patris & domini; & amare eum debemus; quia filii ſumus; & timere, quia ſervi. Non poteſt igitur nec religio a ſapientia ſeparari; nec ſapientia a religione ſecerni: quia idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiæ, & honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia præcedit, religio ſequitur: quia prius eſt Deum ſcire, conſequens colere. . . . Fons autem ſapientiæ & religionis Deus eſt, a quo hi duo rivi ſi aberraverint, areſcant neceſſe eſt: quem qui neſciunt, nec ſapientes eſſe poſſunt, nec religioſi. Sic fit, ut Philoſophi, & qui Deos colunt, ſimiles ſint aut filiis abdicatis, aut ſervis fugitivis, quia neque illi patrem quærunt, neque hi dominum; & ſicut abdicati, hæreditatem patris non aſſequuntur, nec fugitivi impunitatem; ita neque Philoſophi immortalitatem accipiunt, quæ eſt regni cœleſtis hæreditas, id eſt, ſummum bonum, quod illi maxime quærunt: neque cultores Deorum pœnam ſempiternæ mortis effugient, quæ eſt animadverſio veri Domini adverſus fugitivos ſuæ majeſtatis ac nominis.

Lactant. ejuſdem libri, cap. 4.

Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Judæorum ignorantia & peccatum fuit deicidii, & pœna peccati, & cauſa peccati. Juſtum enim eſt ut animum qui ſe ipſum peccato tradidit, tenebris aliiſque peccatis inde conſequentibus Deus tradat. Veruntamen Dei conſiliis ſerviunt pœnalis ignorantia, ipſaque peccata. „ Quamvis igitur furentes Judæi fecerunt in Dominum Jeſum quæcumque voluerunt, & ſuſceptæ hominis veritatem nullis eorum auſibus poteſtas divina ſubtraxerit, patientia tamen Domini conſilii ſui munus implevit, & pertinacia ſacrilegæ crudelitatis profecit operi Salvatoris; quod non Scribæ non Phariſæi, nec ſummi intellexere Pontifices. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Nec ipſe itaque diabolus intellexit quod ſæviendo in Chriſtum, ſuum deſtrueret principatum: quia antiquæ fraudis jura non perderet, ſi ſe a Domini Jeſu ſanguine contineret. Sed malitia nocendi avida dum irruit, ruit; dum capit, capta eſt; dum perſequitur mortalem, incidit in Salvatorem.

S. Leo, Serm. 58. de Paſſione Domini 9.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos, &c. Hanc œconomiam Apoſtoli Concionatores imitentur, ſeque auditorum ingenio, captui, & ſtatui ſeu diſpoſitioni accommodantes, ea non prædicent quæ illorum captum ſuperant, aut quæ ipſos perturbare poſſunt vel offendere; quæ (ut uno verbo dicam) ſpectata illorum infirmitate, vel incapacitate præſenti, nocere magis poſſunt quam prodeſſe. Ita ſe geſſerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Chriſtus ipſe illuminator Prophetarum, Magiſter Apoſtolorum, exemplar Concionatorum. „ Quiſquis (*inquit S. Auguſtinus*) populi terreni temporibus uſque ad illuminationem interioris hominis meruit pervenire, genus humanum pro tempore adjuvit, exhibens ei quod ætas illa poſcebat, & per prophetiam intimans id quod exhibere opportunum non erat; quales Patriarchæ & Prophetæ, inveniuntur ab eis, qui non pueriliter inſiliunt, ſed piæ diligenterque pertractant divinarum & humanarum rerum tam bonum & tam grande ſecretum. Quod etiam temporibus novi populi a magnis & ſpiritualibus viris Eccleſiæ Catholicæ alumnis video cautiſſime provideri; ne quid populariter agant, quod nondum eſſe temporis ut cum populo agatur, intelligunt; alimenta lactea large avidis infirmioribus pluribus atque inſtanter infundunt, validioribus autem cibis cum ſapientibus paucis veſcuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus vero & animalibus, quamvis novis hominibus, adhuc tamen parvulis, nonnulla obtegunt, ſed nulla mentiuntur. Non enim honoribus ſuis vanis conſulunt & manibus laudibus; ſed utilitati eorum cum quibus ſocietatem vitæ hujus inire meruerunt. Hæc enim lex eſt divinæ providentiæ ut nemo a ſuperioribus adjuvetur ad cognoſcendam & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eamdem puro affectu inferiores adjuverit.

Apoſtoli œconomia Concionatoribus imitanda.

S. Auguſt. lib. De vera Religione, cap. 18.

Sed loquimur Dei ſapientiam in Myſterio. Quonam myſterio? Ait Chriſtus, *Quod in aure audiviſtis, prædicate ſuper tecta*. Quomodo ergo eam vocat Myſterium? Quoniam neque Angelus, neque Archangelus, neque ulla alia Poteſtas creata id noverat priuſquam factum eſſet. Et ideo dicit: *Ut innoteſceret Principatibus & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*. Hoc autem fecit Deus nos honorans, ut nobiſcum audirent Myſteria. Nam nos quoque eis quos fecerimus amicos, hoc dicimus eſſe indicium noſtræ erga eos amicitiæ, quod nemini præterquam ipſis dicamus arcana.

Matth. 10. 27. S. Chryſoſt. Hom. 7. in hanc Ep. I.

„ *Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio.* Myſterium divinum vocatur, quando alia videmus, alia credimus. Aliter enim fideles, aliter infideles iiſdem rebus afficiuntur. Audio quod Chriſtus fuerit crucifixus, & ſtatim admiror ejus benignitatem & in homines caritatem; audit infidelis, & exiſtimat imbecillitatem. Audio factum eſſe ſervum, & quam noſtri curam gerit admiror: audit ille, & reputat inſaniam. Audio eſſe mortuum, & ſtupeo virtutem ac potentiam, quod cum a morte teneretur, non fuerit victus, ſed mortem etiam fregerit: audit ille, & ſuſpicatur infirmitatem. Audiens ille reſurrectionem, dicit eſſe fabulam: ego autem argumenta quibus Chriſtus ſe a mortuis redivivum oſtendit, ac Prophetarum vaticinia, ejuſque prædictionem cum illis conſentientem, & eventum illis reſpondentem conſiderans, adoro Dei conſilium & diſpenſationem. Audiens ille lavacrum, aquam ſolum eſſe exiſtimat: ego autem non aſpicio ſolum id quod videtur, ſed etiam mundationem animæ quæ fit per Spiritum. Ille exiſtimat ſolum mihi lotum eſſe corpus; ego vero credo animam quoque eſſe mundam & ſanctam, & repeto ſepulturam, reſurrectionem, ſanctificationem, juſtitiam, redemptionem, filiorum adoptionem, regnum cœlorum, ſubminiſtrationem Spiritus. Non enim viſu judico ea quæ apparent, ſed mentis oculis. Audio corpus Chriſti: aliter ego intelligo, aliter infidelis: & quomodo pueri videntes libros non norunt vim litterarum; immo vero & ſi quis ſit imperitus litterarum, hoc ipſum ei accidet: peritus vero inveniet magnam vim in litteris reconditam. Et ſi epiſtolam acceperit imperitus, putabit nihil eſſe quam chartam & atramentum: peritus autem & vocem audiet, & cum abſente diſſeret, & quod voluerit rurſus dicet per litteras, ita etiam fit in Myſterio. Infideles quidem licet audiant, non videntur audire. Fideles autem habentes peritiam, quæ fit per Spiritum, vident vim ac poteſtatem eorum quæ ſunt recondita. *Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio, quæ abſcondita eſt.*

De Chriſtianæ Religionis Myſteriis longe aliter judicant fideles & infideles.

Quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram. „ Alibi dicit, in gloriam ſuam. Gloriam enim ſuam exiſtimat ſalutem noſtram, quomodo etiam ſuas vocat divitias, etiamſi ipſe ſit divitiæ bonorum, & nullo indigeat ut ſit dives. Prædeſtinaſſe autem dicit ante ſecula, ut Dei curam de ſalute noſtra ſignificet, æternumque in nos amorem. Illi enim nos maxime amare cenſentur, qui longo ante tempore parati ſunt nobis benefacere, quod quidem faciunt parentes filiis. Etenim ſi poſtea filios promovent, ipſiſque pecunias largiuntur, id longe antea facere decreverunt. Hoc quoque Paulus oſtendit, quod Deus ſemper nos amabat, etiam nondum natos. Si enim non amaſſet, æternas divitias, æternam felicitatem & gloriam nobis non prædeſtinaſſet.

S. Chryſoſt. ib. d.

Deus gloriam ſuam exiſtimat ſalutem noſtram.

9. *Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Chriſtiani non ſumus

Chriſtiani non ſumus ut fruamur temporalibus

ut

bonis, ſed ſpiritualibus & æternis. *S. Aug. Serm. 331. alias De Diverſis 100.*

ut fruamur temporalibus & ſenſibilibus bonis, ſed ſpiritualibus & æternis, quæ cognoſci non poſſunt niſi per fidem: nec perfecte poſſideri niſi per amorem. „ Dedit nobis Deus naturam, ut eſſemus: dedit animam, ut viveremus; dedit mentem, ut intelligeremus: dedit alimenta, ut mortalem vitam ſuſtentaremus: dedit lucem de cœlo, fontes de terra: ſed hæc omnia communia dona ſunt bonorum & malorum. Si hæc dedit & malis, nihil ergo proprium ſervat bonis? Servat plane. Et quid eſt illud quod ſervat bonis? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.* Quod enim in cor hominis aſcendit, infra cor hominis erat. Quod ſervat bonis, cor illuc aſcendit. Non quod aſcendit in cor tuum, ſed quo aſcendit cor tuum, hoc tibi ſervat Deus. Noli ſurdus audire, *Surſum cor.* Quæris quid ſit illud quod Deus promiſit diligentibus ſe. *Ero*, inquit, *illorum Deus.* Præmium nobis ſe ipſum promiſit. Quære aliud, ſi inveneris melius. Si dicerem, Promiſit aurum, gauderes; ſe promiſit, & triſtis es? Si dives Deum non habet, quid habet? *Nolite aliquid a Deo quærere, niſi Deum. Gratis amate, ſe ſolum ab illo deſiderate. Nolite timere inopiam: dat ſe ipſum nobis, & ſufficit nobis.*

Levit. 26. 12.

Eccleſiæ auſcultandum eſt ut oraculo veritatis.

10. 11. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Summum bonum, æterna beatitudo, quæ Deus eſt, ſolis nota eſt Chriſtianis, quibus ſolis eſt præparata. Solus Spiritus ſanctus dat ut de illa digne loquantur Eccleſiæ Doctores, Paſtores, & Prædicatores. Deus per Spiritum ſuum omnia revelavit Apoſtolis, & per illos Eccleſiæ: ab illa proinde hujuſmodi revelationes recipiendæ ſunt. Infantes ſumus, quamdiu hac vita mortali vivimus: ab Eccleſia quæ mater noſtra eſt, omnia recipere debemus. *Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur.* Illi a Chriſto promiſſus & datus eſt Spiritus ille veritatis, qui ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei. Illi igitur auſcultandum eſt ut oraculo veritatis.

S. Cyprianus lib. de Unitate Eccleſiæ.

Spiritus ſancti ductum ſequi ſemper debemus, ut ad æternam beatitudinem perveniamus.

12. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis.* Ut Dei Myſteria, & effuſas in Eccleſiam miſericordiæ illius divitias, donaque electis ab ejus bonitate præparata intelligamus, illaque populis digne eloqui poſſimus, non ſufficit Spiritum ſanctum in baptiſmo ſemel accepiſſe; ſed illius inſpirationem, motionem, & ductum ſequi ſemper debemus; illiuſque continuum adjutorium humilitate, oratione, & cordis munditia ut impetremus, ſatagere. Per illum fiet ut cognoſcamus quæ a Deo donata ſunt nobis, utique gratias illi agentes omnibus diebus vitæ noſtræ, novis gratiis cumulemur. Per divinum illum Spiritum deducemur in terram a Deo promiſſam, in cœleſtem patriam, debellatis hoſtibus, difficultatibus, erroribus, terroribus hujus viæ ſuperatis, quod præſtare non poteſt ſpiritus hujus mundi. Quod in Caleb homine ſancto & Deo obediente typice ſignificatum eſt, de quo Deus Moyſi dixit: *Servum meum Caleb, qui plenus alio Spiritu ſecutus eſt me, introducam in Terram hanc.* Dicitur autem ſecutus Dominum, ſive obſecutus Domino, quia Terra promiſſionis explorata, quam populo Iſrael ſe daturum Deus promiſerat, cum ad populum ab illius aditu & invaſione deterrendum ceteri omnes exploratores conſpiraſſent, Caleb ad murmur populi compeſcendum Spiritu Dei animatus dixit: *Aſcendamus & poſſideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam.* Et rurſus: *Terra quam circuivimus, valde bona eſt: ſi propitius fuerit nobis Dominus, inducet nos in eam .... Nolite rebelles eſſe contra Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia ſicut panem ita eos poſſumus devorare. Receſſit ab eis omne præſidium, Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere.*

Num. 14. 24.

Num. 13. 31.
Num. 14. 7. 8. 9.

Sæcularis ſapientiæ verba divinæ religionis majeſtatem & ſanctitatem non decent.

13. *Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualia ſpiritualibus comparantes.* Sæcularis ſapientiæ verba, divinæ religionis majeſtatem & ſanctitatem non decent: Quod ſolus Spiritus ſanctus revelare poteſt, ſolus poteſt eloqui. De Deo, verbis Dei loquendum eſt. A myſteriorum & dogmatum cœleſtium prædicatione procul abigatur terrenarum caligo rationum, quæ ſola vanitate lucent, ac ſæculi amatores præſtringunt; locutiones novæ, ſæculares; non dicam Academiæ, ſed gynecæo, ſed theatro, quam Eccleſiæ magis convenientes, Spiritu Dei prorſus indignæ, eliminentur: eloquentia mollis & effeminata, compta, fucata, verbum Dei adulterans, procul abſcedat. Eloquentia adhibeatur ſapientiæ comes, qualis eſt ſacrorum Auctorum, qualis æternæ & incarnatæ Sapientiæ filios & miniſtros decet. Etſi ab eis non ſpernatur nec vitetur, tamen non affectetur nec oſtentetur elocutionis elegantia, orationis ornatus: ſed ita res verbis, verba rebus, moduſque dicendi perſonæ Concionatoris congruant, ut quaſi ſapientiam de domo ſua, id eſt de ejus mente a Spiritu ſancto illuminata, de ejus pectore Dei amore incenſo procedere auditores intelligant, *& tamquam inſeparabilem famulam etiam non vocatam ſequi eloquentiam.*

S. Aug. lib. 4. De Doctrina Chriſtiana.

Spiritualia capere non poteſt homo animalis.

14. *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere*, &c. Animalis homo, *qui carnaliter adhuc ſapit, & carnalia de Deo vel in hac vita, vel poſt hanc vitam deſiderat*, ut loquitur S. Auguſtinus, non percipit res ſpirituales divinaque Myſteria, de quibus Spiritus ſanctus mentem illuſtrat. Ea enim ſunt ſupra ſenſum & rationem humanam, ſecundum illud Eccli. 3. 25. *Plurima ſuper ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi.* Quapropter ab eo intelligi & capi non poſſunt, qui ſoli cognitioni ſenſuum innititur, aut debili rationis lumini. Dei revelantis, & Spiritus ſancti per os Prophetarum & Apoſtolorum loquentis auctoritati, Eccleſiæ judicio ſimpliciter credendum eſt. Hæc vera ſapientia, eo modo divina dogmata ſuſcipiens, quo modo Deus ea tradidit, nullis rationibus, ſed ſola Dei veracitate & revelantis auctoritate confirmata. Qua de re Lactantius: *Divina tradita ſunt breviter ac nude. Nec decebat aliter, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis aſſereret ſuas voces, tamquam fides ei non haberetur: ſed ut oportuit eſt locutus, quaſi rerum omnium maximus Judex, cujus non eſt argumentari ſed pronunciare verum.* Capere non poteſt quæ Dei ſunt homo animalis, & carnalibus deſideriis deditus, quæ militant adverſus animam, *Qui fertur laſcivia animi ſui, quam non regit Spiritus, neque coercet intra metas naturalis ordinis, quia & ipſe non ſe ſubdit regendum Deo*, ut loquitur S. Auguſtinus. Spiritus ſanctus accendit affectum ad diligendum ſpiritualia bona, ſenſibilibus bonis contemptis. Ideo qui animalem & carnalem vitam agit, capere non poteſt ſpiritualia bona. Qualis enim unuſquiſque eſt, talis finis videtur ei. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ: niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ejus.* Et, *Cum dormiente loquitur qui narrat ſtulto ſapientiam: & in fine narrationis dicit: Quis eſt hic?* Stulta illi videntur, quæ ſecundum Spiritum Dei aguntur. Hæc cæcitas, vitæ carnalis juſtiſſima pœna eſt. *Deus enim lege infatigabili ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates*, ait S. Auguſtinus. Sapientis oraculum eſt: *In via, ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* Homo carnalibus affectibus deditus, conſuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque mens ejus velatur, non intelligit eſſe bonum, niſi quod eſt delectabile ſecundum carnem: *Et non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* De carnalibus autem hominibus ſcriptum eſt: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Et, *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* De hujuſmodi hominibus ſcribit Apoſtolus Judas: *Animales, Spiritum non habentes.*

Idem lib. De Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 15.

Lact. Divinar. lib. 3. Inſtit. c. 1.

S. Aug. lib. Quæſtionum octoginta trium, quæſt. 67. *S. Thomas Lect. 3.*

Prov. 18. 2.

Eccli. 22. 9.

S. Aug. Conf. lib. 1. c. 18.

Eccle. 10. 3.

Geneſ. 6. 3.
Pſal. 81. 5.

Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Qui ea tantum ratione ſunt animales, quia rudes, quia imbecilles & imperfecti, quamvis altiora myſteria, ac profundiora dogmata Religionis non percipiant, modo tamen explicite credant quod explicite credendum eſt, cetera implicite, mentem ac voluntatem ſuam ſubjicientes omnibus quæ Deus Eccleſiæ ſuæ revelavit, Deique & Eccleſiæ mandata fideliter ſervantes, quamvis offendentes in multis, alieni non ſunt a ſalute, quæ eſt in Chriſto Jeſu cum gloria cœleſti. „ Non timeant imperfecti, tantum proficiant. Nec quia dixi, Non timeant, ament imperfectionem, & ibi remaneant ubi inventi ſunt: tantum proficiant, quantum in ipſis eſt. Quotidie addant, quotidie accedant: tamen a corpore Domini non recedant; ut in uno corpore & in his membris compaginati poſſint mereri de ſe dictam eſſe vocem illam; IMPERFECTUM meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.

S. Aug. Enarr. in Pſal. 138.

Qui vere ſpirituales?

15. *Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe a nemine judicatur.* Spiritualis eſt homo habens intellectum illuſtratum & affectum ordinatum, Deique amore inflammatum per Spiritum ſanctum. Spirituales igitur ſunt interdum viri illiterati & indocti, ſimpliceſque feminæ, & omnia ad ſalutem neceſſaria Deo illuminante, dirigente, & adjuvante diſcernunt: Doctores vero litteratique viri ſunt interdum animales & carnales, & cum doctrinis ſuis in cœno vitiorum volutantur. *Scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa fide plurimum: aliud eſt enim ſcire tantummodo quid homo credere debeat, propter adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi æ-*

S. Aug. Lib. 14. De Trinit. c. 1.

Digitized by Google

terna eſt : aliud autem ſcire quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur. Poſtremum iſtud Spirituales omnes non ſciunt : ſed primum. Sciunt, inquam, & diſcernunt quid credendum, quid diligendum, quid agendum, quid fugiendum. *Spiritalis judicat omnia, quia ſuper omnia eſt, quando cum Deo eſt. Cum illo autem eſt, quando puriſſime intelligit, & tota caritate quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum poteſt lex ipſa etiam ipſe fit, ſecundum quam judicat omnia, & de qua judicare nullus poteſt.*

Idem lib. De vera Religione cap. 31.

16. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* Nihil arrogentibus illis ingeniis exilius & imbecillius, qui ſupra Deum ſe extollunt, & de Myſteriis ejus, conſiliis, ac viis in Eccleſiæ fundatione ac regimine judicare præſumunt. De regni Chriſti Jeſu negotiis recte judicare non poteſt, niſi qui Spiritum accepit per quem formatur & gubernatur. Qui Deum in cœlo, & Eccleſiam in terra diligit : Qui Chriſti & Eccleſiæ illius legibus ac Decretis obſequitur, vitam agens Chriſtiano dignam, cui Salvator noſter Myſteria ſua, ſuamque & Patris voluntatem ut amico revelavit, dicere cum Apoſtolo pia fiducia poteſt : *Nos autem ſenſum Chriſti habemus*; Tantis beneficiis ne ingrati ſimus, neque tanquam ſervi mercenarii, ſed tanquam filii & liberi omnia agamus propter amicitiam patris, & oſtendamus mundo eſſe aſtrai, ut Gentiles pudore afficiamus. Alioqui metuendum eſt ne eos vincentes rationibus & veritate dogmatum, ex vitæ comparatione nos eorum contemptui & irriſioni exponamus, ſi unum verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum, agnoſcentes, & in eum pro noſtra redemptione crucifixum & mortuum credentes, ejuſque cultum amplexi, ac æterna bona ab illo promiſſa ſperantes, moribus pejores ſimus quam Gentiles ipſi, qui nihil hujuſmodi credunt, neque ſperant.

S. Chryſoſt. Hom. 7.

CAPUT III.

Senſus Litteralis.

1. ET *ego, Fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tamquam parvulis in Chriſto.* Et ego Gratium Apoſtolus tantis Dei donis inſtructus, non potui convenienter vobis loqui quaſi ſpiritualibus, id eſt quaſi perfectis ſive adultis in fide Chriſti, & intelligentiæ altiorum myſteriorum in veteris Teſtamenti hiſtoria & figuris latentium capacibus: ſed loqui vobis compulſus ſum quaſi carnalibus, id eſt, quaſi imperfectis, rudibus, carnis ſenſum & animales affectus adhuc ex parte ſequentibus, tamquam parvulis in Chriſto, id eſt infantibus, incipientibus, novitiis in ſchola Chriſti, in Chriſtiana Religione. Non ait, *Non locutus ſum*, ne videretur ex invidia ipſis perfectiore communicare nolle, ſed, *Non potui*. Quia enim ſenſibus adhuc ducimini, & affectibus carnis adhuc addicti eſtis, non potui vobis ceu perfectis verba facere, ſed veſtro captui me accommodare oportuit.

Corinthiorum, faſtum comprimit Apoſtolus.

2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Lac vobis potandum dedi, veſtræ condeſcendens infirmitati ſimpliciorem doctrinam vobis tradidi, fidei rudimenta, Chriſtique præcepta ad edomandas carnalium affectuum reliquias vobis plano modo inſtillavi; non ſolidum cibum præbui, id eſt ſublimiorem doctrinam, quæ adultis in religione & perfectis conveniat. *Nondum enim poteratis* ferre altiorum Myſteriorum explicationem præ tarditate mentis veſtræ ad ſpiritualia percipienda : *ſed nec nunc quidem poteſtis.* Imo ne nunc quidem adhuc poteſtis ferre ſolidum cibum, reconditiorem Chriſtianæ Religionis doctrinam capere. *Adhuc enim carnales eſtis.* Adhuc in vobis carnales affectus prævalent. Corinthiorum faſtum deprimit Apoſtolus. 1. Quod quæ ſunt perfecta neſciunt. Secundo quod cauſa eſt in eos conferenda quod neſciant. Tertio, quod ne nunc quidem poſſint poſt tantum tempus quo proficere debuerant in doctrina Chriſti, & revera profeciſſent, ſi animum a carnalibus affectibus expurgaſſent. Confer enim Hebr. 5. ubi Apoſtolus noſter de Chriſti ſacerdotio loquens ait : *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum : Quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cum deberetis Magiſtri eſſe propter tempus : rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei : & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ; parvulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus; eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.*

S. Joan. Chryſoſt. Hom. 8. Theophylact. Oecumen.

S. Thomas. Lect. 1.

3. *Cum enim ſit inter vos zelus & contentio; nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Quandoquidem inter vos regnant prava æmulatio ſive invidia, & quæ ex hac radice ſuboriuntur contentiones ſive pugnæ verborum, diſſenſionem, ſtudia partium, factiones, quæ ad opera carnis pertinent, nonne carnales eſtis, id eſt, carnis affectus ſequimini, non ſancti Spiritus impulſum, & more hominum pravis cupiditatibus abreptorum, nec ſpiritu mentis ſuæ renovatorum, converſamini? Cum enim naturæ humanæ ſit conſonum ut ſpiritus cognitionem a ſenſibus carnis accipiat, inde conſequens eſt ut affectus rationis humanæ ſecundum ea quæ ſunt carnis moveatur, niſi ſpiritus hominis per Spiritum Dei ſupra hominem elevetur (inquit S. Thomas.) Unde Sapiens ait : *Et ſicut parturientis cor tuum phantaſias patitur, niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum.* Eſt ergo ſenſus, Secundum hominem ambulatis, id eſt, ſecundum naturam humanam ſibi ipſi a Dei Spiritu derelictam, ſicut ſacer Pſaltes ait : *Filii hominum, uſquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?*

Galat. 5. 20.

Eccli. 34. 6.

Pſal. 4. 3.

4. 5. *Cum enim quis dicat : Ego quidem ſum Pauli; alius autem, Ego Apollo, nonne homines eſtis?* Cum enim plurimi veſtrum de ſuis doctoribus adverſus alios glorientur, & partes in Eccleſia faciant, quaſi a celebrioribus Apoſtolis & Magiſtris inſtituti ſint vel baptizati; nonne humanis & carnalibus affectibus ducimini, Deique Spiritu deſtituti eſtis? *Quid igitur eſt Apollo, quid vero Paulus?* Cujus dignitatis ſunt aut poteſtatis, ut de eis gloriemini, & inter vos diſſideatis atque contendatis? *Miniſtri ejus cui credidiſtis*, ſive ut habet vis Græci Textus, *Quid ſunt, niſi miniſtri per quos credidiſtis?* Quod agunt in baptiſmo & doctrina, non principaliter agunt ſicut domini, ſed ſicut miniſtri, ſine quibus ad Deum patet acceſſus per fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ipſique conjuncti ſumus, ut ait Apoſtolus noſter, Rom. 5. 1. *Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Paulus & Apollo ſolum ſunt Miniſtri Chriſti, a quo interius illuminati, baptizati & ſanctificati eſtis per fidem, & baptiſmum eorum miniſterio vobis collatum : *& unicuique ſicut Dominus dedit*: Non a ſe ipſis dignitatem aliquam, virtutem aut meritum habent, quo idonei Apoſtolico Miniſterio facti ſunt, ſed totum Dei gratiæ debent, qui illos fecit idoneos Miniſtros Novi Teſtamenti.

2. Cor. 3. 6

6. *Ego plantavi, Apollo rigavit : ſed Deus incrementum dedit.* Comparatio elegans eſt ſumpta ab agricolis, qui arborum ſemina ſerere & rigare exterius poſſunt, incrementum dare non poſſunt, quod ab ipſius terræ virtute eſt, matris ac matricis omnium, ſeu potius ab omnipotentia & efficientia Dei illam fœcundantis. Ego, inquit Apoſtolus noſter, primum Evangelii ſemen jeci apud vos prædicatione doctrinaque mea, primus Chriſtum vobis annuntiavi. Apollo adhortationibus ſuis, doctrina, præceptis ſementem Evangelicam provexit, deditque operam ne tentationum æſtu areſceret. Sed Deus interius operando in animis hominum per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti vim dedit verbi ſui ſemini germinandi, adoleſcendi, & multiplicandi fruges juſtitiæ.

Act. 18.

7. 8. *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Nihil ſunt illi præ Deo, quia operatione ſua effectum interiorem non attingunt ſeu vegetationis in natura, ſeu ſanctificationis in anima; ſed ſolius Dei, qui dat incrementum, virtus & operatio magnificanda eſt, & in ipſo uno gloriandum. *Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt.* Cum Dei Miniſtri ſint, nihil niſi a Deo habentes, & ſolum exterius operantes, unum ſunt & naturæ conditione, & miniſterii ratione, & fine operis, cum ad Dei gloriam, hominumque ſalutem promovendam collaborent. Propter eos ergo partes non ſunt faciendæ in Eccleſia. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Si quæ autem inter Miniſtros ipſos meritorum diſparitas eſt, ea Dei judicio ponderatur, qui reddet unicuique propriam in regno cœlorum mercedem *ſecundum ſuum laborem*, quibus verbis non æqualitas, ſed proportio laboris cum æterno gloriæ pondere ſignificatur, ut exponit S. Thomas. Laboris vero ſeu operis nobilitas, & magnitudo caritatis, magis quam difficultas ex parte operantis ſeu laborantis, in mercedis retributione a Deo meritorum æquiſſimo ponderatore & remuneratore attenditur. Ait autem, *ſecundum ſuum laborem*, non ſecundum fructum laboris, quia fructus laboris non eſt in poteſtate Miniſtri.

S. Thomas. Lect. 2.

Bonorum operum meritum.

9. *Dei*

Digitized by Google

9. *Dei enim ſumus adjutores.* Deo ad ſalutem hominum cooperamur, ejuſque adminiſtri ſumus; quamvis quod præcipuum eſt in eo opere, ſcilicet, vita ſpiritualis, gratia, fides, ſpes, caritas, & incrementum, a ſolo Deo fit, non a Miniſtris exterius ſolum per verbum prædicationis & doctrinæ ac Sacramentorum miniſterium operantibus: & tota noſtra cooperatio, Dei operatio ſit, facientis ut faciamus. Dupliciter aliquis alium adjuvat (inquit S. Thomas) primo, augendo ejus virtutem; quo modo nemo Dei adjutor eſſe poteſt. Job 36. 2. *Cujus adjutor es? Numquid imbecillis? & ſuſtentas brachium ejus qui non eſt fortis?* Secundo, obſequendo & ſerviendo operationi alterius, & opus ejus exequendo, qua ratione miniſter dicitur domini ſui adjutor. Sic miniſtri Dei dicuntur ejus adjutores, quamvis eis non indigeat, & ſine illis perficere poſſit opus ſuum, dignationiſque ſit quod eis utitur cooperariis. Hoc ſenſu Apoſtolus noſter 2. Corinth. 6. 1. ait: *Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Sicut ergo Miniſtri hominum exequentes eorum opera mercedem laborum ab eis accipiunt, ſecundum ſuum laborem, ita & Miniſtri Dei.

Dei agricultura eſtis. Populum fidelem alloquitur. Ager eſtis, inquit, a Deo excultus. Primarius iſtius agricultor Deus eſt. Nos colimus exterius verbo prædicationis & doctrinæ, Deus vero interius per Spiritum ſuum, ut bonorum operum fructum feratis. *Dei ædificatio eſtis.* Domus Dei vivi, ab ipſo ceu primario architecto exſtructa ut ipſe in ea habitet: Nos autem cooperarii Dei ſumus ad ædificationem veſtram. Quod ſi Dei agricultura eſtis & ædificatio, a Domino debetis nominari, non ab hominibus agricolationis & ædificationis miniſtris.

S. Chryſoſt. Hom. 8. Theodoret. Theophylact. S. Thomas, Lect. 2.

10. *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat.* Secundum gratiam Dei, quæ mihi data eſt ad executionem Apoſtolici muneris, non mea virtute, ut peritus architectus primum apud vos ſpiritualis ædificii fundamentum poſui, Chriſtum vobis primus annuntians, ſeu fundamentalem de Chriſto doctrinam prædicans: alius autem quilibet Prædicator & Doctor fundamento fidei a me poſito doctrinam ſuperaddit qua fides fundata magis explicatur & confirmatur, necnon præcepta morum, ad ſpiritualis ædificii perfectionem & conſummationem. Sive, quilibet ex vobis fundamento fidei in Chriſtum, quod in ejus corde poſitum eſt, ſuperædificat opera ſua, bona vel mala. *Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.* Diligenter attendant alii Prædicatores & Doctores qualem doctrinam ſuperædificent, ne forte ex ſæculari Philoſophia, aut ex privatarum opinionum figmentis peregrina & prava dogmata ſuperſtruant, quibus fundamentum fidei labefactetur. Vel, attendat unuſquiſque veſtrum qualia opera fidei in ſe fundatæ ſuperſtruat.

11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Nemo aliud ſpiritualis ædificii fundamentum ponere poteſt, præter id quod apud vos poſui prædicatione mea, quod fundamentum eſt Chriſtus Jeſus, ſeu doctrina de Chriſto Jeſu vobis a me tradita, quam fide ſuſcepiſtis. Primarium Eccleſiæ fundamentum &

Iſai. 28.

fundator Chriſtus eſt, *Lapis angularis, probatus, pretioſus*, non ab alio, ſed ex ſe ipſo ſoliditatem &

Epheſ. 2.

firmitatem habens inconcuſſam. Apoſtoli vero Eccleſiæ *fundamenta* vocantur ſecundaria, minus præ-

Apocal. 21.

cipua, quia ipſi primi ſuperædificati Chriſto per fidem & caritatem, accepta ab ejus Spiritu ſoliditate & firmitate, doctrina quam a Chriſto acceperunt totum Eccleſiæ ſuſtinent ædificium. Ceterum

S. Thomas.

in Apoſtolos mundus non credidit, ſed ipſis prædicantibus in Chriſtum credidit tanquam in unicum ſalutis auctorem.

12. 13. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit.* Si quis fundamento rectæ fidei ab Apoſtolis traditæ doctrinam ſuperædificat ſolidam, ſinceram, puram, conducentem ad pietatem, & pertinentem ad ornamentum Eccleſiæ, quæ doctrina auri, argenti, & lapidum pretioſorum typo adumbratur: unde Proverb. 10. dicitur, *Argentum electum lingua juſti*. Vel, fidei ab Apoſtolis fundatæ novarum opinionum commenta inutilia, dubia, nec veritatis ratione firmata, ſed vana & inania ſuperaddit, typo ligni, fœni, & ſtipulæ ſignificata. Vel, ſi quis ſeu Doctor, ſeu Chriſtianus quilibet fidei in corde ſuo fundatæ & caritate formatæ ſuperædificat opera perfecta virtutum, quæ ſunt inſtar auri, argenti, lapidum pretioſorum, præclara, electa, ſplendentia, pretioſa: vel peccata venialia ligno, fœno, ſtipulæ comparata, ſecundum majorem vel minorem affectus humani ad res temporales adhæſionem. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit*, in divino ſcilicet judicio, quale ſit. Nunc enim latet per humanam ignorantiam; ſed tenebras omnes lux divinæ veritatis diſpellet, *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur.* Dies enim ille quo Dominus vivos & mortuos judicaturus adveniet, uniuſcujuſque opus manifeſtum faciet, adhibito ſevero & accurato operum examine a ſupremo Judice: qui dies per ignem admirabilem ſupra modum & terribilem innoteſcet, qui præcedet ante faciem Chriſti ut juſtitiæ illius inſtrumentum. Quo de igne opera probaturo S. Petrus Epiſt. II. cap. III. 10. 11. 12. 13. Lactantius lib. VII. Divinarum Inſtitutionum cap. XXI. S. Baſilius libro de Spiritu ſancto, cap. XV. S. Hilarius in

Quo igne uniuſcujuſque opus probandum?

cap. II. S. Matthæi n. 4. & in Pſalm. CXVIII. litt. 3. 11. 12. Sanctus Ambroſius in eumdem Pſalmum Serm. 3. n. 14. & Serm. 20. n. 12. S. Paulinus Epiſt. XXVIII. n. 2. & Poemate VII. Cæſarius Arelatenſis in Appendice Serm. Auguſtini CIV. n. 4. & S. Eligius Noviomenſis Homil. VIII. Antiquus Auctor Homiliarum quæ ſub Euſebii Emiſſeni nomine vulgatæ ſunt, Homil. 3. de Epiphania, leg. poſſunt. Verum ignis nomine ſeverum Dei judicium quo hominum opera examinantur & probantur, præſtat intelligi. Nam & Scriptura ſacra Deum ut judicem igni comparat; Deuteron. 4. Hebr. 12. *Deus noſter ignis conſumens eſt.*

14. 15. *Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet.* Si cujus opus, quod ſuperædificavit, illæſum permanſerit ab igne probatorio; ſi purum, ſanctum, irreprehenſibile fuerit inventum: pro eo opere mercedem a juſto Judice accipiet: *Si cujus opus arſerit*, ſi ab igne correptum & combuſtum fuerit inſtar ligni, fœni, aut ſtipulæ, ſi malum ac reprehenſibile inventum fuerit in Dei examine ac judicio, ideoque pœna dignum, ipſe ædificator *detrimentum patietur*, diſpendium operis ſui ac laboris, nihil pro eo mercedis accepturus, immo propter illud puniendus. *Ipſe autem ſalvus erit*, ſalutem æternam conſequetur; *ſic tamen quaſi per ignem*: ita tamen ut prius expiet venialia peccata,

S. Gregorius M. lib. 4. Dialog. cap. 39. poſt S. Auguſtinum, lib. de Fide & Operibus, cap. 15. & 16. lib. de octo Dulcitii Quæſtionibus, Qu. 1. lib. 21. de Civitate Dei, cap. 26. Enchirid. c. 68.

quibus vel doctrinam vel vitam infuſcavit, permanente fundamento, fide ſcilicet per dilectionem operante; ſive igne tribulationis, ut aliqui Patres intelligunt, Auguſtinus præſertim & Gregorius Magnus: ſive igne ultimæ conflagrationis mundi, qui Chriſtum judicem præcedet; quo purgabitur & expiabitur quicquid tunc in juſtis purgandum & expiandum manebit; ſive igne Purgatorii, quo poſt hanc vitam & particulare judicium purgantur animæ, quibus aliqua labes terrenorum affectuum expianda, ſeu aliqua pœna luenda ſupereſt, propterea quod juſtitiæ divinæ non ſatisfecerint homines dum viverent, qui tamen in ſtatu gratiæ & caritatis defuncti ſunt, ut idem SS. Auguſtinus & Gregorius interpretantur; & Latini Theologi in Concilio Florentino.

Ut ut autem probabiles ſint variæ illæ interpretationes, planior tamen videtur illa de igne tribulationis, cui maxime S. Auguſtinus inſiſtit in Enchiridio. „Ligna, *inquit*, & fœnum, & ſtipula non abſurde accipi poſſunt rerum ſecularium, quamvis licite conceſſarum tales cupiditates, ut amitti ſine animi dolore non poſſint. Cum autem iſte dolor urit, ſi Chriſtus in corde fundamenti habet locum, id eſt ut nihil ei anteponatur, & mallet homo, qui tali dolore uritur, rebus quas ita diligit magis carere quam Chriſto, per ignem fit ſalvus. Si autem res hujuſmodi temporales ac ſeculares tempore tentationis maluerit tenere quam Chriſtum, eum in fundamento non habuit, quia hæc priore loco habuit, cum in ædificio non ſit prius aliquid fundamento. Ignis enim de quo eo loco eſt locutus Apoſtolus, talis debet intelligi ut ambo per eum tranſeant, id eſt, & qui ædificat ſuper hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretioſos, & qui ædificat ligna, fœnum, & ſtipulam. Cum enim hoc dixiſſet, ſubjunxit; " Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus permanſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus autem opus exuſtum fuerit, damnum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. *Non ergo unius eorum, ſed utriuſque opus ignis probabit. Eſt quidam ignis tentatio tribulationis, de qua aperte alio loco ſcriptum eſt.* " Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. *Iſte ignis in hac interim vita* facit quod Apoſtolus dixit, ſi accidat duobus fidelibus, uni cogitanti quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo, hoc eſt, ædificanti ſuper Chriſtum fundamentum, aurum, argentum, lapides pretioſos;

Eccli. cap. 6.

„ alteri

„ alteri autem cogitanti ea quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, id eſt, ædificanti ſuper idem fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam. Illius enim opus non exoritur, quia non ea dilexit quorum amiſſione crucietur: exuritur autem hujus, quoniam ſine dolore non pereunt, quæ cum amore poſſeſſa ſunt. Sed quoniam alterutra conditione propoſita, eis potius carere mallet quam Chriſto, nec timore amittendi talia deſerit Chriſtum, quamvis doleat eum amittit; ſalvus eſt quidem, ſic tamen quaſi per ignem: quia urit eum rerum dolor, quas dilexerat, amiſſarum; ſed non ſubvertit neque conſumit, fundamenti ſtabilitate atque incorruptione munitum. Tale aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita ſit, quæri poteſt: & aut inveniri, aut latere: nonnullos fideles per ignem quemdam Purgatorium, quanto magis minus-ve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiuſque ſalvari; non tamen tales de quibus dictum eſt, quod regnum Dei non poſſidebunt, niſi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur.

1. Cor. 6. 10.

S. Chryſoſt. Hom. 7. Theophylact. Photius apud Oecumenium.

S. Joannis Chryſoſtomi, & Græcorum Commentatorum, qui illum ſequuntur, interpretationem ut penitus improbabilem rejicere cogimur, qui ligna, fœnum, ſtipulam interpretantur opera digna incendio gehennæ, æternaque damnatione: & eum qui hujuſmodi opera ſuperædificavit fundamento fidei Chriſtianæ, ſalvum fore per ignem, quia quamvis in ignem gehennæ mittendus ſit, numquam tamen conſumetur, ſed in igne ſervabitur, ſemper recens ad pœnam .... Alienum enim eſt a Scripturæ ſacræ locutione, & a communi ſenſu, ut ſalvari ſeu ſalutem conſequi dicatur, qui igne æterno cruciatur: immo illum perire Scriptura aſſerit.

Spiritus ſancti divinitas.

16. 17. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* An ignoratis vos Chriſti fideles, quicumque juſti eſtis, vos templum eſſe Dei, & Spiritum ſanctum, qui verus Deus eſt, in vobis habitare, non ſolum per dona ſua, ſed per ſubſtantiam ac deitatem, perſonamque ſuam una cum Patre & Filio ſibi intime inexiſtentibus, ut ipſe illis? Ex hoc loco Spiritus ſancti divinitas a Patribus demonſtrata eſt contra Macedonium Hæreſiarcham. *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Si quis templum Dei profanaverit, ſive falſis doctrinis, quæ fundamentum ſubvertunt & deſtruunt ædificium, ſive pravis moribus & exemplis, diſperdet illum Deus pœna ignis æterni, ne ſe ſalvum fore putet quaſi per ignem. Sic Athaliam, ſic Baltaſſarem perdidit Deus, illam quod Templum, hunc quod Templi donaria profanaſſet. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Templi enim Deo conſecrati violator, ſacrilegii reus eſt, proindeque dignus qui a Deo ultionum domino diſperdatur. Vos autem eſtis templum Dei longe ſanctius templo materiali, cujus violatio capitalis eſt.

Vera & falſa ſapientia.

18. 19. 20. *Nemo ſe ſeducat*, Nemo inani perſuaſione, amore & ſtudio ſæcularis ſapientiæ, Philoſophiæ, eloquentiæ; vel ſuæ, vel ſuorum magiſtrorum, ſe fallat: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.* Si quis ſibi videtur ſapientia & eloquentia ſæculari eximius, doctrinæ Chriſtianæ, quæ infidelium opinione ſtultitia eſt, tum in fide, tum in morum præceptis ac regulis ſe ſubjiciat, mentem ſuam in obſequium Chriſti captivet, ſectetur ſcholam crucis, ut vere ac reipſa ſit ſapiens, de rebus divinis & æternis recte judicans, eaque eligens media quæ ad vitam æternam certo perducere poſſunt. *Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum.* Sapientia ſæcularis contemnitur & reprobatur Dei judicio quaſi ſtultitia; cum nihil divinum æternumque ſapiat, nihil conferat ad negotium ſalutis. Quamobrem ejus adminiculo Chriſtus uti non eſt dignatus in Evangelii ſui propagatione. *Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.* Deprehendam, detegam, eludam omnem aſtutiam ſapientum hujus ſæculi; quod præſtitit Deus Philoſophos inter ſe committendo, ut nihil alter pro certo aſſirmet, quod non alter æque ingenioſus evertat. Vel, Sapientes hujus mundi aſtutia ipſorum quaſi laqueis Deus implicat & comprehendit, quin per hoc ipſum quod aſtute cogitant contra Deum, impedit Dominus eorum conatum, & implet ſuum propoſitum. Sic per malitiam fratrum Joſeph Principatum ejus impedire volentium, divina providentia impletum eſt ut Joſeph in Ægypto venditus Principatum obtineret. Unde eodem libri Job capite Verſ. 12. dicitur: *Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperunt ... Non eſt enim ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Alio Scripturæ veteris teſtimonio præclaram illam ſententiam, ſcilicet, *Sapientiam hujus mundi* apud Deum ſtultitiam eſſe, confirmat Apoſtolus noſter: *Et iterum: Dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt*, Secundum Textum Hebraicum habetur, *Dominus ſcit cogitationes hominum*, Pro quo S. Paulus poſuit, *Sapientium*, quia id inſtituto ſuo conveniebat, & de iis maxime intelligendus eſt Propheta, qui ſibi plurimum ſapere videbantur. Vanas autem dicit eorum cogitationes, quia non pertingunt ad finem cognitionis humanæ, quæ eſt cognitio veritatis divinæ. Unde alibi ait Spiritus ſanctus: *Vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum. Qui eſt, neque operibus attendentes, agnoverunt quis eſſet artifex.*

Job 5. 13.

S. Thomas. Lect. 3.

Proverb. 21.

Pſal. 93. 11.

Sap. 13. 1.

21. 22. 23. 24. *Nemo itaque glorietur in hominibus.* Cum tanta ſit ſæcularis ſapientiæ vanitas, nemo de Magiſtris ſuis quaſi ea præcellentibus ac celebrioribus glorietur; cum nec in ullo homine, quantavis ſapientiæ cœleſtis ac virtutum laude præſtantiſſimo gloriandum ſit, ſed in ſolo Deo; ſicut nec in hominibus confidendum eſt. *Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura.* Facile autem erit ne in hominibus glorierini, o fideles Chriſti, & a Deo electi, ſi ad veſtram dignitatem attendatis. Omnia enim propter vos ſunt, & ad veſtram utilitatem ordinata, etiam Chriſti Miniſtri & Apoſtoli, ſervi veſtri per Jeſum, ſalutiſque veſtræ cooperatores, ſive Paulus qui plantavit, ſive Apollo qui rigavit, ſive Petrus qui *Paſtor* eſt *univerſalis* ovium Chriſti: *ſive mundus*, id eſt univerſæ creaturæ corporales, quibus juvantur electi, ſive ad neceſſitates corporis, ſive ad cognitionem Dei: *ſive vita, ſive mors*, quia electis & vita utilis eſt, in qua merentur vitam æternam, & mors qua ad eam perveniunt. Unde Apoſtolus noſter alibi ait: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Ad hæc autem duo omnia bona & mala hujus mundi revocantur, quia per bona, vita conſervatur; per mala pervenitur ad mortem: *ſive præſentia, ſive futura*, ſeu inſtantia, aut in poſterum eventura proſpera vel adverſa. *Omnia enim veſtra ſunt.* Omnia, inquam, veſtræ utilitati ſerviunt: ſiquidem diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Vos autem Chriſti* eſtis, ut Domini, capitis, ac redemptoris veſtri. *Chriſtus autem Dei* eſt, ſiquidem ut homo ſubjectus eſt Deo. Unde alibi Apoſtolus noſter ait: *Omnis viri caput Chriſtus eſt: caput vero Chriſti Deus.* Quia ergo nullus gloriari debet de eo quod infra ipſum eſt, ideo non debent fideles Chriſti de Miniſtris & doctoribus ſuis gloriari, ſed magis miniſtri & doctores de ipſis. Unde idem Paulus alibi ait: *Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis.* Verum de Chriſto fidelibus gloriandum eſt. *Mihi*, inquit, *abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti:* ſicut Chriſtus de ſolo Patre gloriatur.

Pſal. 144. 2.

Jerem. 17. 5.

S. Thomas. Lect. 3.

Philipp. 1.

infra, cap. 11.

2. Cor. 7.

Galat. ult.

CAPUT III.

Senſus Moralis.

Paſtores & Concionatores doctrinam ſermoneſque ſuos ovium ſuarum & auditorum capacitati attemperare debent.

1. ET *ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Chriſto.* Agricolam cognoſcere indolem terræ in qua ſemen ſparſurus eſt: Concionatorem, Doctorem & Paſtorem animarum cognoſcere oportet ingenia & propenſiones hominum quorum in animos divini verbi, cœleſtiſque doctrinæ ſemen immiſſurus eſt; & eorum capacitati doctrinam ſermoneſque ſuos attemperare. Carnalibus & imperfectis verus Paſtor non adulatur, eorum vitia & defectus non diſſimulat. Concionator & Moderator conſcientiarum, qui carnalibus & imperfectis quaſi ſpiritualibus & provectis in religione & virtute loquitur, ut ſpiritualis hominis famam aucupetur, quaſi nubes & ventus, & pluviæ non ſequentur. Omnium eſt fides Chriſtianorum Catholicorumque dogmatum, intelligentia vero ſpiritualibus ſervatur. Sed & intelligentiæ & virtutis varii ſunt gradus. Nemo repente fit ſummus. In vita ſpirituali variæ ſunt ætates. Eſt pueritia, eſt adulta ætas, eſt virile robur. *Poteſt fieri ut jam ſit aliquis ſapientiæ perfectus auditor, cujus nondum ſit perfectus & doctor: poteſt perfectus eſſe juſtitiæ cognitor, nondum perfectus effector: poteſt perfectus eſſe ut diligat inimicos, qui nondum eſt perfectus ut ſufferat. Et qui perfectus eſt in eo quod omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem pervenerit; quæritur utrum jam ſit in iſta dilectione perfectus, id eſt, utrum quos diligit*

S. Auguſt. l. 2. de Peccatorum meritis & remiſſione, cap. 15.

ſantum

tantum diligat, quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos eſſe præſcribit.

S. Auguſt. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 21.

Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Quam multi ſpirituales videntur, qui ſecundum ſpiritum carnales ſunt, ſicut illi de quibus hic loquitur Apoſtolus noſter? Et homo ſpiritualis ſic in hac vita dicitur, ut tamen corpore adhuc carnalis ſit, & videat aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ. Hæc cauſa gemitus piorum in hac valle peregrinationis & miſeriæ. Erit autem etiam corpore ſpiritualis homo, cum eadem caro ſic reſurrexerit, ut fiat quod ſcriptum eſt, *Seminatur corpus animale, reſurget ſpiritale.* Hæc bonorum in agone Chriſtiano fiducia.

1. Cor. 15. 44.

2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis adhuc enim carnales eſtis.* Nullum majus impedimentum eſt contemplandæ veritatis, quam carnales affectus. Ab his purganda eſt anima, & ſananda, ut ſolida ſublimiorum veritatum intelligentia nutriatur. Qui enim in illas prius mentis aciem intendere nituntur, quam mundati & ſanati fuerint, ita illa luce reverberantur veritatis, ut non ſolum nihil boni, ſed etiam mali plurimum in ea putent eſſe, ejuſque lumen averſentur, ac delicias ejus contemplationi adjunctas faſtidiant, & cum quadam libidine & voluptate miſerabili in ſuas tenebras, quas eorum morbus pati poteſt, medicinæ maledicentes refugiant. Unde Propheta ait: *Cor mundum crea in me Deus; & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* „Spiritus „enim rectus eſt, quo fit ut anima in veritate „quærenda deviare atque errare non poſſit. Qui „profecto in ea non inſtauratur, niſi prius cor „mundum fuerit, hoc eſt, niſi prius ipſa cogitatio ab omni cupiditate ac fœce rerum mortalium „ſeſe cohibuerit & eliquaverit. Sic autem purgato animæ oculo, & cuſtodita atque perfecta ſanitate, agnoſcemus per Dei virtutem atque ſapientiam quam vera nobis credenda imperata ſint, „quamque optime ac ſaluberrime apud matrem Eccleſiam nutriti fuerimus, quæve ſit utilitas lactis illius „quod Apoſtolus parvulis ſe potum dediſſe prædicavit, *Quod alimentum accipere cum quis a matre nutritur, utiliſſimum eſt: cum jam grandis eſt, pudendum; reſpuere cum opus eſt, miſerandum; reprehendere aliquando aut odiſſe, ſceleris & impietatis: tractare autem ac diſpenſare commode, laudis & caritatis pleniſſimum eſt.*

Carnales affectus, impedimenta contemplandæ veritatis.

S. Auguſt. lib. de Quantitate Animæ, cap. 33.

Pſal. 50. 12.

Falſa & illuſoria ſpiritualitas.

Male autem tractant ac diſpenſant Eccleſiæ Miniſtri, qui Animas vitiis capitalibus ſordeſcere & in eorum habitu & conſuetudine ſecure quieſcere ſinunt, dum vanæ, ſterilis & ſuperbæ ſpiritualitatis fallacibus idæis interim deluduntur. Quanto damnabilior & pernicioſior error eſt, infelices animas abducere a via mortificationis, ab exercitatione virtutum, a meditatione Myſteriorum vitæ mortiſque Chriſti, & veritatum Evangelicarum, ut ad illuſoriæ ac fanaticæ contemplationis genus efferantur, ac lapſu graviore ruant? Vita ſpiritualis gradus ſuos habet, ac ſtatus, purgationis, illuminationis, unionis. *Librum ſcribat ipſe qui judicat, ut in humeris meis portem illum, & circumdem illum quaſi coronam mihi. Per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum, & quaſi principi offeram eum.* „Beatus Job incrementa virtutum, quia „diſtincte hominibus ſuperno munere tribui conſpexit, gradus vocavit: quoniam per ipſos aſcenditur, ut ad cœleſtia obtinenda veniatur. Sacri „itaque libri, id eſt, divini eloquii memoriam „faciens, dicit: *per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum.* Quia illa ad doctrinam Dei veraciter „aſcendit, cui ad obtinendam hanc gradibus ſanctæ operationis eruperit. Et quaſi per ſingulos gradus ſuos librum pronunciat, qui percepiſſe ſe ejus „ſcientiam non per verba tantummodo, ſed etiam „per opera demonſtrat . . . . . Incipientibus ergo vox „illa cœleſtis interius audienda eſt: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me.* Noli feſtinare „audire quod non capis, ſed creſce ut capias. Sic „parvulum alloquimur, in ſinu matris Eccleſiæ pio „lacte nutriendum, & ad eſcam Menſæ Dominicæ „idoneum faciendum.

Job. 31. 35. 36. 37.

S. Gregorius M. lib. 22. in Job cap. 14.

S. Auguſt.

3. *Cum enim ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Invidia, æmulatio, contentio, carnalis hominis ſunt affectus: unitas, caritas, pax, fructus ſunt Spiritus Dei. Fruſtra ſe ſpirituales eſſe exiſtimant: qui a vitiis craſſioribus, quæ carne conſummantur, liberi ſunt: carnales ſunt enimvero quicumque ſuperbi ſunt, inanis gloriæ amatores, ambitioſi, invidi, aut aliis vitiis animi dediti; ſecundum hominem vivunt, non ſecundum Deum, ſecundum quem ſi viverent, dii eſſent, ut in Pſalmo ſcriptum eſt, *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* „Æmulatio & contentio carnis concupiſcentiæ ſunt, quas Chriſtus „in ſuis ſanat, ſed in nullis amat. Unde ſancta Eccleſia quamdiu habet etiam membra talia, nondum „eſt ſine macula & ruga. Carnalium certe hominum vitia ſunt invidia & contentio, omnis pravi operis ſontes. Unde Jacobus Apoſtolus ait, *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite glorari, & mendaces eſſe adverſus veritatem: non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum.* Zelus & contentio, ait S. Thomas; non habent locum niſi in carnalibus hominibus; quia ipſi circa bona corporalia afficiuntur: quæ ſimul a pluribus integre poſſideri non poſſunt; & ideo propter hoc quod aliquis bonum corporale poſſidet, alius impeditur a plena poſſeſſione illius. Ex quo ſequitur invidia, & inde contentio. Sed ſpiritualia bona, quibus ſpirituales afficiuntur, ſimul a pluribus poſſideri poſſunt: & ideo bonum unius non eſt alterius impedimentum. Quamobrem in hujuſce generis bonis nec invidia, nec contentio locum habent. Unde Sapientiæ VII. dicitur, *Quam ſine invidia communico.* Unde Sanctus Auguſtinus ait: *In ſpiritualibus bonis, tuum deputa, quod amas in fratre; ſuum deputet, quod amat in te.* Quid igitur corporalia bona unice diligimus, ſpiritualia faſtidimus, negligimus, contemnimus? *Filii hominum, uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quia Spiritu Dei non ducimur, carnales ſumus, ſecundum veterem hominem ambulamus.

Pſalm. 81. 6.

S. Aug. lib. de Continentia, cap. 11.

Jacobi 3. 14. 15.

S. Thomas, Lect. 1.

Serm. 205. alias de Diverſis 63.

Pſalm. 4. 3.

4. 5. *Cum enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli, alius autem, Ego Apollo: Nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo, quid vero Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis.* Veritates Evangelicas negligit carnalis homo; ſolis compti ſermonis verbis & fucatæ eloquentiæ lenociniis attendit, illi ſimilis qui theſaurum contemneret, figulino vaſi, quo theſaurus ille contineretur, adhærens. Qui aures dumtaxat corporis verbo Dei accommodat, Concionatori auribus blandienti humano affectu adhæret. Qui vero cordis aure verbum Dei excipit: ſoli Deo, qui ad cor loquitur, illudque aperit, docet, movet, flectit & ad ſe convertit, ſe adhærere profitetur & gaudet. Et certe quantacumque ſapientiæ & eloquentiæ laude præſtent Paſtor Eccleſiæ, Doctor, Concionator; quantiſcumque dotibus inclareſcant, *Miniſtri ſunt ejus cui credidimus, Chriſti Jeſu Domini noſtri*; Præcones, non auctores fidei noſtræ: canales dumtaxat, non fontes, a Deo habentes & miniſtri ſui dignitatem, & dona gratiarum, quibus digne tanto miniſterio perfungantur, *Et unicuique ſicut Dominus dedit.* Rom. 5.

6. 7. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Eccleſia, & hominis anima, Dei ager eſt. Apoſtoli in eo fidem plantaverunt Chriſti Domini auctoritate: Paſtores rigant verbi prædicatione, Sacramentis, orationibus: Deus creſcere facit, & bonorum operum fructus ferre in ſalutem, interiori operatione gratiæ ſuæ. Incrementum dare, ſolius Dei opus eſt; quamquam & præveniente, & operante Deo Paulus plantet, Apollo riget. „Quemadmodum ergo creationem rerum viſibilium Deus „interius operatur, exteriores autem operationes ſive bonorum ſive malorum, vel angelorum vel hominum, ſive etiam quorumcumque animalium, ſecundum imperium ſuum & a ſe impertitas diſtributiones poteſtatum & appetitiones commoditatum, „ita rerum naturæ adhibet, in qua creat omnia, „quemadmodum terræ agriculturam; ita in ipſa vita noſtra mentem juſtificando formare non poteſt „niſi Deus: prædicare autem Evangelium extrinſecus & homines poſſunt, non ſolum boni per veritatem, ſed etiam mali per occaſionem.“ *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Hoc ſolidum fundamentum eſt humilitatis Paſtorum, & gratiarum actionis fidelium Domino Deo noſtro: Deum omnia operari in nobis: illi acceptum referri debere & laborem, & fructum laboris: Miniſtros ſive qui plantant, ſive qui rigant, nihil eſſe, Deo, qui dat incrementum, comparatus. „Sonus verborum noſtrorum aures percutit, Magiſter intus eſt. Nolite putare „quemquam aliquid diſcere ab homine. Admonere „poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: ſi non ſit „intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter. Numquid non ſermonem iſtum omnes audiſtis? Quam „multi hinc indocti exituri ſunt? Quantum ad me „pertinet, omnibus locutus ſum: ſed quibus unctio „illa intus non loquitur, quos Spiritus ſanctus intus non docet, indocti redeunt. Magiſteria foriſecus, adjutoria quædam ſunt & admonitiones. „Cathedram in cœlo habet, qui corda docet. Propterea ait & ipſe in Evangelio. „Nolite vobis „dicere

Solus Deus dat incrementum, interiuſque docet & adjuvat.

S. Aug. lib. 3. De Trinit. cap. 8.

S. Aug. Tract. 3. in Epiſt. 1. S. Johan.

Digitized by Google

Matth. 23. 8. „ dicere magiſtrum in terra, unus eſt magiſter veſter Chriſtus. Ipſe ergo intus vobis loquatur, quando nemo hominum illic eſt: quia etſi aliquis eſt a latere tuo, nullus eſt in corde tuo. Et non ſit nullus in corde tuo: unctio ipſius ſit in corde; ne ſit in ſolitudine cor ſitiens, & non habens fontes quibus irrigetur. Interior ergo magiſter eſt qui docet, Chriſtus docet, inſpiratio ipſius docet. Ubi illius inſpiratio & unctio illius non eſt, forinſecus inaniter perſtrepunt verba. Sic ſunt iſta verba quæ forinſecus dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem, forinſecus operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ: quælibet forinſecus adhibeat, numquid poma format? numquid nuditatem lignorum veſtit umbra foliorum? Numquid tale aliquid intrinſecus agit? ſed quis agit hoc? Audite agricolam Apoſtolum, & videte quid ſumus, & audite Magiſtrum interiorem: Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit: neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus. „ Hoc ergo vobis dicimus: Sive plantemus, ſive rigemus loquendo, non ſumus aliquid; ſed ille qui incrementum dat Deus, id eſt, unctio illius quæ docet nos de omnibus.

S. Chryſoſt. Hom. 8. 8. *Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Non fructum, ſed laborem coronat & remunerat Deus. Fructus enim non eſt a Miniſtris, ſed a gratia & benedictione Dei, quam humilitas & oratio impetrant, non merentur. Eum qui plantat, & qui rigat, unum eſſe Apoſtolus ait, ne alter adverſus alterum efferatur. Unum eſſe aſſerit, eo quod nihil poſſint abſque Deo, qui dat incrementum. Cum hoc autem dixiſſet, ne eos quidem qui multum laborant, permiſit inſurgere adverſus eos qui pauciora intulerunt, neque alios his invidere. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Nam ſi ad Dei opus conferantur, ſunt unum: propter labores autem non ſunt unum, ſed unuſquiſque propriam mercedem accipiet. Verumtamen merces incomparabiliter major eſt labore, ſive ſpectetur opus, ſive duratio operis. Nam *Quod in præſenti eſt momentaneum & leve* 2. Cor. 4. *tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Ædificium ſpirituale. 9. *Dei enim ſumus adjutores.* Dei bonitas laudanda, qui homines operis ſui, id eſt, ſalutis hominum cooperatores eligit & facit. Nullam eo in opere partem nobis tribuere debemus, niſi quam Dominus operis tribuere nobis dignatur. *Dei agricultura eſtis. Dei ædificatio eſtis.* Eccleſia & anima ſunt ædificium, cujus præcipuus & ſupremus artifex Deus eſt, præcipuum fundamentum Chriſtus Jeſus; Apoſtoli, architecti ſubalterni; operarii, Epiſcopi; adjutores, Presbyteri; corpus ædificii, bona opera; fides, ſecundum fundamentum, caritas, faſtigium & conſummatio. Felix qui inter hujus ædificii vivos lapides locum habet! felicior, qui in eo æternum col- 1. Petri 2. 5. locatus manebit! *Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis.* Nunc ædificatio, in fine dedicatio: ædificatio in labore; dedicatio in æterna exultatione. Ceterum impræſentiarum unitas ſervetur in ædificio, ne ruina timeatur. Si ædifi- S. Chryſoſt. Theophylact. cium eſtis, non oportet eſſe divulſos: ſi ager a Deo exculcus, non oportet dividi, ſed muniri una ſepe concordiæ.

10. *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificat.* Nihil in pietate ſolidum eſt, niſi quod in Apoſtolica fide fundatum. Huic fundamento nihil ſuperædificemus, quod eo indignum ſit. Vitam ſæcularem pravaque opera, cum fide divina & corruptionem peccati cum nomine Chriſtianæ profeſſione 2. Cor. 6. conjungi, prorſus indignum eſt. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial? quæ autem conſenſio templo Dei cum idolis?*

Chriſto firmiter adhærendum. 11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Fides in Chriſtum Jeſum unum Dei & hominum mediatorem, fundamentum eſt ſuper quod Eccleſia Chriſtiana ædificatur, cui functiones omnes miniſtrorum ejus innituntur, cui omnes actiones membrorum ejus ſuperexſtrui debent. Nullum igitur opus faciamus, quod per illum non offeramus Patri in laudem gloriæ gratiæ ejus, ex directione fidei, ex impulſu S. Joann. Chryſoſtom. Hom. 8. charitatis. „ Super Chriſtum ædificemus ut fundamentum, adhæreamus ei ut palmes viti, inter nos & ipſum nihil ſit medium. Nam ſi intermedium ſit aliquid, ſtatim perimus. Palmes enim ex eo quod ſit continens, attrahit pinguedinem, & ædificium ſtat eo quod ſit conglutinatum. Quod ſi disjunctum ſit, perit, ut quod non habeat cui innitatur. Non ſolum ergo Chriſto adhæreamus, ſed ei etiam agglutinemus. Nam ſi disjuncti fuerimus, perimus. Nam *Qui ſe*, in- Pſalm. 72. 27. quit, *elongant a te, peribunt.* Et ergo agglutinemus per facta & opera. Nam *Qui ſervat*, inquit, *mandata mea, ipſe in me manet.* Ipſe eſt caput, 1. Joann. 3. 24. nos corpus. Inter caput & corpus nullum poteſt eſſe interſtitium. Ipſe eſt fundamentum, nos ædificium. Ipſe eſt vitis, nos palmites. Ipſe eſt ſponſus, nos ſponſa. Ipſe eſt Paſtor, nos oves. Ille eſt via, nos qui ingredimur. Nos templum, ipſe eſt qui inhabitat. Ipſe primogenitus, nos fratres. Ipſe hæres, nos cohæredes. Ipſe eſt vita, nos viventes. Ipſe reſurrectio, nos reſurgentes. Ipſe eſt lux, nos qui illuminamur. Hæc omnia indicant unitatem, nec ſinunt aliquid vacuum eſſe intermedium, ne minimum quidem. Nam qui parum abſceſſerit, multum etiam pro- In vita Chriſtiana nihil negligendum. cedens abſcedet. Corpus enim ſi ab enſe accepit disjunctionem, interibit: & ædificium ſi vel parum dehiſcat, diſſolvetur. Et palmes ſi a radice parum fuerit abſciſſus, fit inutilis. Quamobrem hoc parum non eſt parum, imo fere eſt totum. Quando ergo parum deliquerimus, aut etiam pigri ac ſocordes fuerimus, ne illud parum negligamus; cito enim neglectum fit magnum. Ita etiam veſtimentum ab initio ruptum & neglectum, per totum producit ſciſſuram; & tectum, ſi cum paucæ regulæ deciderint, fuerit neglectum, totam domum dejicit. Nos ergo hæc conſiderantes, parva numquam deſpiciamus, ne in magna incidamus."

12. 13. 14. 15. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit.* Qui coram Deo non ſub ſit neque vivit niſi in Chriſto Jeſu, opera ſua conformare debet exemplari vitæ & virtutum, puritati præceptorum & in- Nemo vivit in Chriſto Jeſu, niſi qui ipſi conformatur. tentionum, ſanctitati Spiritus & diſpoſitionum ejuſdem Salvatoris ac Domini noſtri. Actionum enim illius paſſionumque infinito merito, opera noſtra, quæ ex ſe ipſis nullius ſunt pretii ac meriti, auro, argento, lapidibus pretioſis æquiparantur. Contra vero quæ creaturarum amore, tametſi non dominante; fiunt, & humanæ glorioſæ ac laudis vanitate infuſcantur, ſimilia ſunt ligno, quod in terra putreſcit; fœno, quod in tectis areſcit, ſtipulæ ardenti, quæ in aere ſubito evaneſcit. Omnia igitur opera noſtra fiant tamquam ſub oculis Dei judicis, Qui enim nos in ultimo die judicabit, jam nunc opera noſtra, cogitationes, affectus, intentioneſque ſcrutatur, videt, probat, judicat. Nos Opera noſtra facienda tamquam ſub oculis Dei. ipſos igitur operaque noſtra probemus, ut humiliatione pœnitentiæ præteritos defectus expiemus, & igne tribulationum hujus vitæ ac operibus ſatisfactoriis purgemus. Caritatis igne & ſancta intentione præſentia futuraque opera in conſpectu Dei dirigamus, ut ipſi accepta ſint. Nullum enim opus in cœlo coronabitur, niſi quod ea principio charitatis, & ob Dei gloriam editum fuerit. *Si cujus manſerit, quod ſuper ædificavit, mercedem accipiet.* Quot opera quæ hominibus bona videntur, propter occultas ſordes & non ſatis puram intentionem peribunt? *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur.* „ Qualicumque terrenis rebus adhæſione, S. Aug. Enar. in Pſalm. 80. num. 21. ſordes ac rubiginem contrahit anima, divini judicii igne purgandas. Sunt homines omnino contemptores ſæculi hujus, quibus non eſt gratum quicquid temporaliter fluit, non hærent dilectione aliqua terrenis operibus, ſancti, caſti, continentes, juſti, fortaſſis & omnia ſua vendentes, & pauperibus diſtribuentes, aut poſſidentes tamquam non poſſidentes, & utentes hoc mundo tamquam non utentes. Sunt autem alii qui rebus infirmitati conceſſis inhærent aliquantum dilectione. Non ſapit villam alienam, ſed ſic amat ſuam, ut ſi perdiderit, contriſtetur. Non appetit uxorem alienam, ſed ſic inhæret ſuæ, ſic miſcetur ſuæ, ut modum non ibi teneat præſcriptum tabulis, liberorum procreandorum cauſa, Non tollit aliena, ſed repetit ſua, & habet cum fratre ſuo judicium. Talibus enim dicitur, *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quia judicia habetis vobiſcum.* „ Verum ipſa judicia in Eccleſia ju- 1. Cor. 6. 7. bet agi, non ad forum trahi, tamen delicta eſſe dicit. Contendit enim Chriſtianus pro rebus terrenis amplius quam decet eum cui promiſſum eſt regnum cœlorum: Non totum cor ſurſum levat, ſed aliquam partem ejus trahit in terra. De-

nique

Digitized by Google

„ niquæ ſi veniat tentatio ducendi Martyrii, illi qui habent in fundamento Chriſtum, & ædificant „ aurum, argentum, lapides pretioſos, quid dicunt ex hac opportunitate? *Bonum eſt mihi diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Alacres currunt, aut nihil, „ aut modice de terrena fragilitate contriſtantur. „ Illi autem amantes res proprias, domos, prædias, graviter conturbantur, fœnum & ſtipula, & ligna ardent. Habens ergo ligna, fœnum, ſtipulam ſuper fundamentum; ſed rerum „ conceſſarum, non illicitarum. Dicat autem, Fratres, Poſſides fundamentum, hæc cœlo, calca „ terram. Si talis es, non ædificas niſi aurum, „ argentum, & lapides pretioſos. Cum autem dixeris, Amo poſſeſſionem iſtam, timeo ne pereat, „ & imminet damnum, & tu contriſtaris. non „ quidem præponis eam Chriſto, nam ſic amas poſſeſſionem iſtam, ut ſi dicatur tibi, Ipſam vis an „ Chriſtum? etſi triſtis eam perdis, plus tamen amplecteris Chriſtum, quem poſuiſti in fundamento: „ ſalvus eris tamquam per ignem. Audi aliud: Non „ potes tenere poſſeſſionem iſtam, niſi dixeris falſum teſtimonium. Et hoc non facere, Chriſtum „ in fundamento ponere eſt: Veritas enim dixit, „ *Os quod mentitur, occidit animam*. Ergo ſi poſſeſſionem tuam diligis, non tamen propter illam facis „ rapinam, non propter illam dicis falſum teſtimonium, non propter illam facis homicidium, non „ propter illam falſum juras, non propter illam „ Chriſtum negas, eo quod propter illam facis hæc, „ Chriſtum habes in fundamento. Sed tamen quia „ diligis illam, & contriſtaris ſi perdas illam, ſuper fundamentum poſuiſti, non aurum, aut argentum, aut lapides pretioſos; ſed ligna, fœnum, „ ſtipulam. Salvus ergo eris, cum ardere cœperit quod ædificaſti, ſic tamen quaſi per ignem. „ Nemo enim ſuper fundamentum hoc ædificans „ adulteria, blaſphemias, ſacrilegia, idololatrias, „ perjuria, putet ſe ſalvum futurum per ignem, „ quaſi iſta ſint ligna, fœnum, ſtipula: ſed qui ædificat amorem terrenorum ſuper fundamentum „ regni cœlorum, id eſt, ſuper Chriſtum, ardebit „ amor rerum temporalium, & ipſe ſalvus erit per „ idoneum fundamentum.

Philipp. 1. 23. Quid ait Chriſtum habere in fundamento, & ſuperædificare lignum, fœnum, ſtipulam?

Sap. 1. 11.

Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Non ſolum ab iis caveamus quæ æterno igne punienda, ſed etiam ab iis quæ tranſitorio igne purganda ſunt. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Non ſim inter illos, quibus dicturus es, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*. „ In hac vita „ purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non ſit opus, propter illos qui ſalvi „ erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur, *ſalvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita „ plane, quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen „ erit ille ignis, quam quicquid poteſt homo pati „ in hac vita. Et noſtis quanta hic paſſi ſunt mali, & poſſunt pati; tamen tanta paſſi ſunt, quanta potuerunt pati & boni. Quid enim quiſque „ maleficus, latro, adulter, ſceleratus, ſacrilegus „ pertulit legibus, quod non pertulit Martys in „ confeſſione Chriſti? Iſta ergo quæ hic ſunt mala, multo faciliora ſunt: & tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quicquid „ juſſeris faciunt. Quanto melius faciunt quod jubet Deus, ne illa graviora patiantur?

S. Auguſt. in Pſal. 37. n. 3.

Purgatorius ignis.

16. 17. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis*. Magna Animæ dignitas, templum Dei eſſe, Deum in ſe inhabitantem habere per fidem & charitatem. Epheſ. 3. 17. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris*. 1. Joann. 4. 16. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Templum Deo quod extruam? (ait Minucius Felix) *Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente? in noſtro imo conſecrandus eſt pectore?* Hoc in templo quod ei per baptiſmum conſecratum eſt; in altari, quod eſt cor noſtrum, offerimus illi hoſtiam puram, ſanctam, acceptam, placationis & laudis, holocauſtum igne fervidæ caritatis incenſum. Nam *litabilis hoſtia, bonus animus, & pura mens, & ſincera ſententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat; qui juſtitiam, Deo libat; qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum. qui hominem periculo ſubripit, opimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt. Sic apud nos religioſior eſt ille, qui juſtior.* Quanta vero debet eſſe ſanctitas Templi Deo conſecrati, Sancto ſanctorum? Hujus templi ſit antiſtes pudicitia, quæ nihil profanum inferſi ſinat. *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Templum Dei violant falſi Doctores, qui prava dogmata diſſeminant, fidei aut unitati & paci Eccleſiæ, ſeu Ordini Hierarchico adverſa; aut Moribus Chriſtianæ ſanctitati, ut nomen ſibi faciant, vel temporalia ſibi commoda procureat. De quibus ait Propheta: *Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Non modo falſi Doctores, ſed quivis mortale peccatum committentes, templum Dei violant: ſed illi multo gravius, qui pravis exemplis obſtant ne alii fiant vel permaneant templum Dei. *Tranſgreſſus eſt Juda, & abominatio facta eſt in Iſrael, & in Jeruſalem: quia contaminavit Judas ſanctificationem Domini, quam dilexit.* „ Qui autem „ Dei templum hoc modo violaverit, hunc diſperdi æterna damnatione juſtum eſt. Unde idem „ Propheta ait: *Diſperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum, de tabernaculis Jacob.* „ Fallunt animas ſuas, qui ſe ſufficere exiſtimant, „ ſi quod ſibi fieri nolunt, nulli hominum faciant, „ ſeſeque vita luxurioſa ita corrumpant, ut Deo „ facere conentur, quod ſibi ab homine fieri nolunt. Neque enim volunt a quoquam perverti „ domum ſuam, qui in ſe ipſis domum Dei miſerabili cæcitate pervertunt. Nemo ſe fallat. Qui „ ergo ſe putans ſervare erga alios homines innocentiam ſuam, cum ſibi ita noceant ut Deo careant habitatore, & puniantur ultore? Hinc „ etiam fit ut per noxias voluptates lapſi & effuſi, „ non ſolum templum Dei eſſe deſinant, verum „ etiam ruinæ fiant, in quibus habitant mala dæmonia: fiuntque illis *noviſſima pejora prioribus*.

Anima juſti, templum Dei.

Templum Dei violant falſi doctores.

Ezech. 13. 19.

Quolibet peccato mortali templum Dei violatur.

Malach. 2. 11.

S. Aug. Serm. 323. alias 10. inter Hom. 50 num. 2.

18. *Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.* Sapientia Evangelica in eo poſita eſt ut falſis mundanæ ſapientiæ luminibus renunciemus, credendo quod illa impoſſibile judicat, adorando quod illa contemnit, diligendo quod ſuæ felicitati contrarium exiſtimat, paupertatem, humiliationem, crucem. Non igitur hominis ſenſu, ſed Dei Spiritu de Deo rebuſque divinis judicandum eſt. *Crucifixus eſt Dei Filius: non pudet, quia pudendum eſt. Mortuus eſt Dei Filius: prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt: & ſepultus reſurrexit: certum eſt, quia impoſſibile eſt* (ait Tertullianus.)

Tertull. l. De Carne Chriſti, cap. 5.

19. *Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum, &c.* Qui Dei judicio mundi judicium, Dei damnationi approbationem laudemque mundi præponit, ſtultiſſimus eſt. Mundus enim cæcus eſt & inſipiens, utpote qui a vera luce mentium ac veritate, quæ Deus eſt, averſus, & tenebris ignorantiæ ac erroris involutus: „ Stulti Principes Taneos, „ ſapientes Conſiliarii Pharaonis dederunt conſilium „ inſipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius ſapientium ego, filius regum antiquorum? Ubi „ nunc ſunt ſapientes tui? Annuncient tibi & judicent quid cogitaverit Dominus exercituum ſuper „ Ægyptum .... Dominus miſcuit in medio ejus „ ſpiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum „ in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.” Anima ergo terrenis rebus inhærens fit ſtulta, ſpiritum vertiginis patitur, errat ac titubat ſicut ebrius: cum vero a terrenis rebus ad Deum convertitur, fit vero ſapiens, eoque ſapientior evadit, quo magis illi conjungitur affectu pietatis. „ Anima humana (*inquit S. Auguſtinus*) recedens a Sole juſtitiæ, ab illa ſcilicet interna contemplatione incommutabilis Veritatis, omnes vires ſuas in terrena convertit, & eo magis magiſque obſcuratur in interioribus ac ſuperioribus ſuis: ſed cum „ redire cœperit ad illam incommutabilem ſapientiam, quanto magis ei appropinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, ſed „ interior renovatur de die in diem, omniſque lux „ illa ingenii quæ ad inferiora vergebat, ad ſuperiora convertitur, & a terrenis quodammodo aufertur, ut magis magiſque huic ſæculo moriatur, „ & vita ejus abſcondatur cum Chriſto in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens; & „ hoc terræ, id eſt eis qui terrena ſapiunt, melius „ videtur, cum laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & quia iniqua gerit, benedicitur. Mutatur autem in melius, cum intentionem ſuam & „ gloriam a terrenis, quæ in hoc ſæculo apparent, „ paulatim avertit, & ad ſuperiora atque interiora „ convertit; & hoc terræ, id eſt eis qui terrena „ ſapiunt, deterius videtur.

Judicium mundi præponere judicio Dei ſumma ſtultitia eſt.

Iſai. 19. 11.

S. Aug. Epiſt. 55. al. 119. ad Januar. num. 9.

21. *Nemo itaque glorietur in hominibus*. Maledictus enim omnis qui confidit in hominibus, in quibus non eſt ſalus. Qui Paſtorem, Concionatorem, conſcientiæ Moderatorem aliter reſpicit quam ut Miniſtros & organa Dei; qui in eorum talentis ſive naturalibus, ſive ſupernaturalibus requieſcit, nec illis utitur ut adjumentis a Deo datis, quibus ad illum

Non glorian-dum in hominibus.

illum dirigatur & ducatur, in homine confidit. Si vero Paſtores ipſi, Concionatores, animarum Directores, in ſuis talentis confidunt, in ſe ipſis, non in Deo gloriantur. *Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriantes. Recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* „ Ipſe vos ſcit, & ubi nemo ſcit; Quoniam „ *Qui putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Hæc dicuntur adverſarius civitatis Dei ad „ Babyloniam pertinentibus, de ſua virtute præſumentibus, in ſe, non in Domino gloriantibus; ex „ quibus ſunt etiam carnales Iſraelitæ, terrenæ Jeruſalem cives terrigenæ, qui, ut dicit Apoſtolus, „ *ignorantes Dei juſtitiam*, id eſt, quam dat homini „ Deus, qui ſolus eſt juſtus & juſtificans; *& ſuam volentes conſtituere*, id eſt, velut a ſe ſibi partam, „ non ab illo impertitam; *juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, utique quia ſuperbi, de ſuo putantes, non „ de Dei, poſſe placere ſe Deo, qui eſt Deus ſcientiarum, atque ideo & arbiter conſcientiarum, ibi „ videns *cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*, „ ſi hominum ſunt, & ab illo non ſunt.

1. Reg. 2.

Galat. 6. 3.

S. Aug. l. 17. De Civit. Dei cap. 4. n. 3.

Pſalm. 93. 11.

Chriſti ſumus. Quibus ad officiis generis devenimus?

22. 23. *Omnia enim veſtra ſunt . . . . Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Quidquid a Deo conditum eſt, quicquid evenit in mundo, Dei providentia ordinatur & refertur ad formationem Eccleſiæ & ſalutem electorum: Eccleſia autem & omnes electi, ut unum Chriſti corpus ſint, immo unus Chriſtus, Caput & membra. Chriſtus autem omnibus ſuis membris adunatus, Dei Sacerdos æternus eſt, victimam ejus Majeſtate dignam illi offerens, Sacrificium æternum in cœlis. Si Chriſti ſumus, & Chriſtus Dei: Chriſtum ſequi, Chriſti mandatis obedire, Chriſtum imitari, Chriſtum diligere, Chriſti gloriam ſtudiis omnibus promovere debemus, & per ipſum, cum ipſo, & in ipſo omnia opera noſtra, vitam, ac mortem noſtram ad Dei gloriam referre; non in ipſo Chriſto, ut homo eſt, ſiſtere ac permanere. „ Hinc „ enim intelligere debemus quam nulla res in via „ tenere nos debeat, quando nec ipſe Dominus, in „ quantum via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos „ voluerit, ſed tranſire; ne rebus temporalibus, „ quamvis ab illo pro ſalute noſtra ſuſceptis & geſtis, hæreamus infirmiter, ſed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipſum, qui noſtram „ naturam a temporalibus liberavit, & collocavit ad „ dexteram Patris, provehi atque pervehi mereamur. *Omnia enim veſtra ſunt: Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.* Chriſti ſervi ſumus, ejus pretioſo ſanguine redempti: ne indignam ſerviamus ſervitutem, mundo, peccato, diabolo nos mancipantes. Membra Chriſti ſumus: ne ab illo avellamur, ne indignis capite noſtro operibus violemus tanti nominis dignitatem & ſanctitatem. Diſcipuli Chriſti ſumus: doctrinam & præcepta Magiſtri noſtri audiamus & impleamus. Oves Chriſti ſumus: a paſcuis ſalutaribus, in quibus nos collocavit, ne aberremus; ne ſ alienorum paſtorum voces audiamus, ne mercenariis adhæreamus, ne ab ovium ſimplicitate & manſuetudine deficiamus. *Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

S. Aug. lib. 1. De Doctrina Chriſt. c. 34.

CAPUT IV.

Senſus Litteralis.

1. 2. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Corinthii quoſdam Evangelii Miniſtros intemperanter extollentes, alios præ ipſis deprimebant: in illis gloriabantur, iſtos aſpernabantur. Ideo Apoſtolus eorum elationem ac malam in judicando libertatem atque temeritatem redarguit, oſtendens quo loco habendi ſint Evangelii Prædicatores. Nos reputent & exiſtiment homines, quales revera ſumus, ut Miniſtros Chriſti Domini, ad ſerviendum fidelium ſaluti ab ipſo vocatos: & ad arcana Evangelii ejus dogmata, ab ipſoque inſtituta Sacramenta ſalutis, diſpenſanda. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.* Ceterum præcipua virtus in diſpenſatoribus alienæ rei requiſita & deſiderata eſt ut rem domini tractent, non ut ſuam, ſed ut fidei ſuæ commiſſam, eamque diſpenſent quibus, ubi, & quando diſpenſanda eſt, non pro ſuo arbitrio, ſed ſecundum domini voluntatem, & mandata. Luc. 12. 42. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram?*

Hominum de ſe ipſis fallax judicium.

3. 4. *Mihi autem pro minimo eſt ut a vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque me ipſum judico.* Minimi facio veſtra aut quorumlibet hominum privata de me judicia. Humanus dies pro hominum judicio hic uſurpatur, quemadmodum dies Domini pro judicio divino. Sic Jerem. 17. 14. 16. *Domine, laus mea tu es . . . . & diem hominis non deſideravi.* Sed nec ego ipſe, qui melius ceteris conſcientiam meam novi, certo judicare poſſum quam recte & ſincere verſer coram Deo in diſpenſatione mihi credita. Hominis enim de ſe ipſo judicium & ex ignorantia, & ex ingenita ſuperbia, ſibique ipſi blandiendi ſtudio errare poteſt. *Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Conſcientia quidem mea nullius malæ fidei aut pravæ intentionis, in functionibus Miniſterii mei me accuſat: Non inde tamen ſequitur me juſtum eſſe & plane irreprehenſibilem coram Deo, quaſi perfecte omnes muneris mei partes impleverim. Deus enim forte nævos in me videt, quos non video. Abyſſus enim eſt cor meum, quam ſcrutari ſic non valeo, ut nihil penitus me lateat. Confer cum Job 9. 21. *Etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Et cum Jacobi 3. 2. *In multis offendimus omnes.* Et cum Oratione Dominica in qua omnes dicere jubemur, *Dimitte nobis debita noſtra.* Tanta certe profunditas eſt in homine, ut ipſum lateat hominem, licet ſanctum, licet juſtum, licet in multis proficientem. *Qui autem judicat me, Dominus eſt.* Ille unus qui deteſtis non ſolum actibus, ſed & cogitationibus meis, accuratiſſimum, nullique obnoxium errori, de me & omnibus ac ſingulis aliis hominibus fert judicium. Illi uni æquiſſimo Judici, cui omnia certo patent, me judicandum permitto; non vobis, qui veſtris ſuffragiis juſtitiam Chriſti Miniſtris nec tribuere poteſtis, nec auferre.

S. Aug. Enarr. in Pſal. 41. n. 13.

Judicium de alienis operibus, conſiliis, affectibus, intentione Chriſto reſervandum.

5. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.* Proinde ne Judicii tempus præoccupetis, ne vobis ſumatis partes judicandi de occultis Miniſtrorum Chriſti operibus, cogitationibus, affectibus: hæc enim judicio ipſius Domini reſervantur; qui veniet aliquando vivos & mortuos judicaturus, & apertam in lucem protrahet ea quæ occulte & quaſi in tenebris geſſerunt: patefaciet latentes cogitationes animorum, ſive quo conſilio, quo fine, qua intentione quiſque fecerit opera ſua etiam in ſpeciem bona. Hæc enim noſſe, ſolius Dei & Chriſti eſt, ut Scriptura docet. Et tunc laus vera erit unicuique fideli Miniſtro, ſive unicuique bonum bene operanti, a Deo perſpicaciſſimo cognitore & æquiſſimo judice, qui nec decipi, nec decipere poteſt. Non ergo ut homines, ſed ut Deus ipſe judicavit, unicuique bonorum ſua laus, ſuum prœmium reddetur.

Act. 1. 24. & 15. 8.

6. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis diſcatis, ne ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio.* Hæc propoſui in perſona mea & Apollo; quæ ſcilicet dixi de Miniſtris, in quibus gloriamini, & pro quibus contenditis, figura quadam ſermonis in me & Apollo tranſtuli propter veſtram utilitatem, ut Magiſtrorum nomini parcerem, propter quos diſſidetis: ut noſtro exemplo diſcatis Chriſtianam humilitatem, ne aliter de Magiſtris veſtris, aut de vobis ipſis ſentiatis, quam ſentiendum eſſe ſupra ſcripſi; ne propter Doctores & Prædicatores, a quibus eſtis inſtituti, extollamini ſuperbia & oſtentatione adverſus fratres veſtros, qui ab aliis Miniſtris fidem Chriſti & doctrinam Evangelicam acceperunt: quaſi veſtri Doctores aliis ſanctiores, doctiores, vel eloquentiores ſint: ſed qui gloriatur, in Domino glorietur; nec hominibus, ſed Dei nomini det gloriam.

7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Te, quiſquis es, ſive Doctor, ſive Paſtor, ſive quiſpiam alius ex fidelium grege, compello. Quis inter te & alios diſcrimen fecit? Quis te aliis præſtantiorem eſſe dedit, niſi Deus? Quæcumque ſint vero dotes tuæ, quæcumque talenta & dona, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, nonne illa a Deo accepiſti, ſeu auctore naturæ, ſeu gratiæ largitore? Quid ergo de illis gloriaris, quaſi Deo accepta referre non deberes, ſed tibi ex te ipſo eſſent? „ Confer cum Joan. 3. 27. Non poteſt homo accipere „ quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo, & cum „ *Jacobi* 1. 17. Omne datum optimum, & omne do„ num perfectum, deſurſum eſt deſcendens a Patre „ luminum. *Quis te diſcernit? &c.* Nihil autem huic „ ſenſui tam contrarium eſt, quam de ſuis meritis ſic „ quemquam gloriari, tamquam ipſe ſibi ea fecerit, „ non gratia Dei: ſed gratia quæ bonos diſcernit a „ malis, non quæ communis eſt bonis & malis. „ *Hinc etiam intelligere debemus.* Ab illa perditionis „ maſſa quæ facta eſt per primum Adam, neminem „ poſſe diſcerni niſi qui hoc donum habet quiſquis ha„ bet, quod gratia Salvatoris accepit. Hoc autem „ Apoſtolicum teſtimonium tam magnum eſt, ut bea„ tus Cyprianus ad Quirinum ſcribens, ipſum ſubje-

Sola gratia Chriſti bonos diſcernit a malis.

S. Aug. lib. de Prædeſtin. Sanctor. c. 5.

S. Aug. lib. De Corr. & Grat. c. 7. Concil. Arauſic. can. 5.

„ cerit

Digitized by Google

„ cedit *illi titulo*, in quo ait, In nullo eſſe glorian-
„ dum, quando noſtrum nihil ſit. *Proinde* Si quis
„ ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſide-
„ rantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus,
„ ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus
„ nobis miſericordiam dicit conferri divinam non
„ autem ut credamus, velimus, & hæc omnia,
„ ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem &
„ inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confite-
„ tur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ
„ ſubjicit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes &
„ humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit,
„ reſiſtit Apoſtolo dicenti, Quid habes quod non
„ accepiſti?

8. *Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis: ſine nobis regnatis, & utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus*. Eleganti ironia Corinthiorum doctores & ipſoſmet Corinthios coarguit, ut eorum ſuperbiam quaſi inuſto cauterio ſanet. Jam, inquit, ad ſatietatem repleti eſtis fide, doctrina, ſapientia, omnibuſque interioribus bonis, ut vobis quidem videtur; ita ut nihil vobis expetendum ſupereſſe exiſtimetis. Jam vos ſpiritualibus divitiis, ſcientia, virtutibus, donis tam abundantes reputatis, ut in alios etiam poſſitis effundere donorum redundantiam. Ex quo a vobis diſceſſi, videmini vobis regnum Dei adepti, fidei plenitudinem, juſtitiæ, pacis, & felicitatis Evangelicæ conſummationem, idque ſine noſtro miniſterio & auxilio. Atque utinam vobis revera nihil ſpiritualium bonorum deeſſet. Utinam revera in Chriſto & per Chriſtum regnetis, ut & nos veſtræ felicitatis participes ſimus per caritatem, qua veſtrum bonum noſtrum putamus: veſtra gloria, noſtra eſt; Quandoquidem cuivis Præceptori perfectio diſcipulorum deſiderabilis eſt. *Theophylact.*

9. *Puto enim quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus*. Tantum abeſt ut apud vos regnemus, & glorioſe ac proſpere agamus, ut alii, de quibus gloriamini, doctores veſtri. Quin potius Deus nos Apoſtolos ſuos quaſi hominum poſtremos, & præ ceteris viles & deſpectos, in theatrum hujus mundi produxit velut homines damnatos ad beſtias. Non regno, temporalique felicitati, ſed perſecutioni & morti nos deſtinavit: & certamen noſtrum, perſecutiones, paſſiones mundo, ſeu præcipuis mundi creaturis, Angelis ſcilicet, hominibuſque, bonis & malis ſpectandas propoſuit. Omnes enim ſpectatores ſunt, quamquam diſpari ſtudio favoris & odii, ut in ſpectaculis contingit. Concurrebant enim ad eorum ſpectaculum boni Angeli ad confortandum, mali ad impugnandum, boni homines ad compatiendum, & exemplum patientiæ ſumendum, mali ad perſequendum & irridendum. *S. Thomas, Lect. 2.*

10. *Nos ſtulti propter Chriſtum: vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles*. Nos veſtro & ſæculi judicio ſtulti cenſemur, quia crucem Chriſti prædicamus, & contemptum atque opprobria patimur, noſque periculis graviſſimis objicimus Evangelii cauſa: vos autem veſtro, ſæculique judicio prudentes eſtis in Eccleſia ſeu Religione Chriſti, quam ita prædicatis, ut caute proſpiciatis ne perſecutioni pro ejus cauſa ſitis expoſiti. Nos infirmi & imbecilles judicio ſæculi ſumus, propter ærumnas & afflictiones, quas Evangelii cauſa ſuſtinemus, malis nequaquam obſiſtentes: vos autem fortes, quia ſecure vivitis ſine tribulatione, & ſapientia, eloquentia, amicitia hujus ſæculi, mala imminentia facile repellitis. Vos nobiles, honore digni, veſtro quidem judicio, in pretio habiti propter ſapientiam & eloquentiam ſæcularem, eaſque non indotatas, ſed opibus auctas: nos autem obſcuri, & deſpecti ſumus mundo, qui parvifacit & contemnit quicquid externo ſplendore ſapientiæ ſæcularis, eloquentiæ, opum, humanique favoris deſtitutum eſt.

11. 12. 13. *Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus*. Ab initio prædicationis noſtræ, & etiam nunc, inediam patimur, tenuiſſimo victu contenti, laceri ac pene nudi ſumus, veſtibus ad frigus arcendum neceſſariis deſtituti, cum Pſeudo-Apoſtoli & Pſeudo-Doctores omnibus abundent: & contumelioſe tractamur, inflictis etiam verberibus; & certam quietamque ſedem non habemus, ubique locorum vagari compulſi cum vitæ continuo periculo ad circumferendum & propagandum Evangelium. *Et laboramus operantes manibus noſtris*. Ad laſſitudinem laboramus propriis manibus, ut nobis victum quæramus, ne cuiquam graves ſimus. *Maledicimur, & benedicimus*. Conviciis, calumniis, & contumeliis affecti, bene precamur, tantum abeſt ut convicia & maledicta regeramus. *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus*, patienti & æquo animo, abſque ullo vindictæ deſiderio, ſine ullo impatientiæ motu. *Blaſphemamur & obſecramus*. Convicium affecti, humiliter & demiſſe reſpondemus obiectantium more. *Tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc*. Reputamur, velut ſordes everrendo collectæ, moxque rejiciendæ, ut lutum calceis adhærens, ut mortalium omnium viliſſimi, a Judæis & Gentibus. S. Ambroſius Serm. VIII. in Pſalm. 118. legit, *Tamquam luſtramenta hujus mundi facti ſumus*. Id eſt, velut homines viles & inutiles, qui tempore peſtis, aut alterius calamitatis publicæ Diis immolabantur a Græcis, ut civitates ſuas luſtrarent & expurgarent. *Apoſtolica patientia.*

14. 15. *Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo*. Quæ autem ſcribo de noſtra apud vos vilitate & contemptu, deque aliorum Magiſtrorum gloria, non eo conſilio & animo ſcribo ut vos pudore ſuffundam; ſed vos admoneo officii veſtri tamquam filios, quos affectu paterno diligo. *Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres*. Etſi multos magiſtros in doctrina Chriſti habeatis, non multos tamen patres habetis. Pædagogos, qui ab alio genitos ſuſcipiunt educandos & inſtituendos, patribus opponit, quia illi durius agere ſolent cum pueris, nec tanto in ipſos afficiuntur amore ac parentes. Et ego quidem a vobis ut pater ſpiritualis haberi debeo. *Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui*. Nam in fide Chriſti, in Religione Chriſtiana, non mea, ſed ipſiuſmet Chriſti virtute, per Evangelii prædicationem ego vos genui.

16. 17. *Rogo ergo vos, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Vos adhortor ut me imitari ſtudeatis, quemadmodum ego Chriſtum Dominum noſtrum imitari ſtudeo. Filios enim decet patrem imitari. Quia parvuli adhuc & imperfecti erant, medium ſe inter ipſos & Chriſtum ponit, tamquam exemplar inferius & imitatione facilius. Ad Epheſios autem ſcribens in Chriſtiana perfectione magis provectos ait; *Eſtote imitatores Dei*. Ceterum hæc verba, *ſicut & ego Chriſti*, abſunt a Græcis codicibus, & Verſionibus Orientalibus, Syriaca, Arabica, Æthiopica. Non legit Ambroſiaſter. Extant tamen in divina S. Hieronymi Bibliotheca. *S. Chryſoſt. Hom. 13.* *Epheſ. 5. 1.*

Ideo miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ ſunt in Chriſto Jeſu, ſicut ubique in omni Eccleſia doceo. Ut autem diſcatis vitæ meæ inſtitutum, & converſationis rationem, miſi ad vos Timotheum, quem ut filium diligo, qui fidelem mihi præſtat operam in prædicatione Evangelii, qui cum mihi comes individuus adhæſerit, res meas intime novit. Ille vobis in memoriam revocabit quas regulas & præcepta tradam, quomodo vivam ipſe & vivendum eſſe doceam ſecundum Evangelium Chriſti Jeſu, & exempla quæ nobis præbuit. Quæ autem vos doceo, quæ a vobis exigo, non privata, non occulta, aut ſingularia ſunt; ſed omnibus Chriſtianis ad ſalutem neceſſaria, quæ propterea doceo ubique, in omnibus Eccleſiis ad eorum mores informandos.

18. 19. 20. *Tamquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam*. Quidam ſuperbe ſe gerunt, & factiones excitant in Eccleſia, quaſi non ſim venturus ad vos, ut eorum ſuperbiam comprimam auctoritate Chriſti. *Veniam autem ad vos cito, ſi Dominus voluerit*. Mihi propoſitum eſt quantocyus ad vos venire, ſi Deo placuerit, a quo greſſus hominis diriguntur: *& cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem*. Experiar & probabo, non eorum grandiloquentiam & facundiam, quæ aures demulcet, ſed quæ ſit virtus & efficacia Spiritus ſancti in illis, ut animas ad fidem ac pietatem moveant & convertant. *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute*. Non in ſimplici profeſſione, nec in ſermonis cultu & eloquentia ſæculari ſitum eſt regnum Dei; non his mediis regnum ſuum exercet in cordibus hominum, ſed Spiritus ſancti vi ac poteſtate, juſtitiam & pacem, omniaque opera bona efficiente.

21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate, & Spiritu manſuetudinis?* Utrum e duobus eligitis? An ut veniens ad vos ſeveritatem diſciplinæ erga vos exerceam? quod neceſſe erit ſi peccata veſtra id exigant: an ut vos reſipiſcentes paterna benignitate & manſuetudine conſoler?

Digitized by Google

CAPUT IV.

Senſus Moralis.

Paſtores animarum ſunt diſpenſatores Myſteriorum Dei.

1. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Regnum Dei & Jeſu Chriſti, Eccleſia eſt. Hujus regni theſauri, ipſius Chriſti myſteria, merita, & gratiæ; hujus theſauri diſpenſatores, Eccleſiæ & animarum Paſtores. Veſtros Paſtores reveremini & honorate, Chriſtiani; ſiquidem Dei nomine & auctoritate vos docent, Chriſti vice vos regunt. Mediatores ſunt Deum inter & vos. Preces veſtras & vota illi offerunt; ejus Myſteria & mandata vobis exponunt, ejus Sacramenta vobis diſpenſant, ejus dona & gratias vobis procurant. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus* (ait Moyſes Iſraelitis.) Humiliamini, & contremiſcite, Paſtores; ſervi enim & diſpenſatores eſtis. Deo proinde rationem reddetis adminiſtrationis & diſpenſationis vobis creditæ, tanto accuratiorem, quanto pretioſiores & ſanctiores ſunt theſauri divinorum Myſteriorum & Sacramentorum, quorum vobis diſpenſationem commiſit.

Deuteron. 5.5.

Paſtorum & Doctorum fidelitas.

2. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur.* Deo fideles ſint Paſtores & Doctores in prædicatione & defenſione veritatis, cum zelo prudenti, cum invicta conſtantia & fortitudine, omnibus mundi terroribus ſuperiore. Fideles ſint Chriſto, Sacramenta gratiæ ejus diſpenſando cum diſcretione & caritate, quando ubi, & quibus oportet, non dando *ſancta canibus*, non projiciendo margaritas ante porcos, non admittentes indignos ad Sacramentorum participationem, Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas in eorum diſpenſatione diligenter obſervantes. Fideles ſint Eccleſiæ, & animabus Chriſti ſanguine redemptis, illas in viam ſalutis dirigendo ſanctis exemplis & doctrinis, vigilando ſollicite ne fures & lupi gregem Domini invadant, diſpergant, & perdant, alligando quod confractum eſt, reducendo quod devium, curando quod infirmum, confirmando quod imbecille, ad perfectionem Chriſtianæ vitæ cum patientia promovendo quod imperfectum, pacificando quod inquietum, & turbulentum, conſolando quod triſte, ſublevando quod egenum & calamitoſum eſt. Fideles ſint miniſterio ſuo, non dominationem, non honores, non divitias, non quæ ſua ſunt ullo modo quærentes, ſed laborem, crucem, fructum ſalutis animarum, unam Dei & Jeſu Chriſti gloriam, cujus miniſtri ſunt: & cum miniſterium ſuum impleverint, non extollantur, ſed dicant: *Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.*

Luc. 17. 10.

S. Joann. Chryſoſtom. Homil. 10.

Hic jam quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis
„ *inveniatur*. „ Diſpenſatoris fidelis eſt recte ad-
„ miniſtrare quæ ſunt ei tradita, non ſua dicere
„ quæ Domini ſunt, ſed contra Domino tribuere
„ quæ ſua ſunt. Unuſquiſque hæc cogitans, & qui
„ dicendi habet facultatem, & qui pecunias poſſi-
„ det, nempe quod res Domini ſunt ei creditæ,
„ & non ſunt ſuæ, eas non apud ſe teneat, ne-
„ que ſibi adſcribat, ſed Deo acceptas ferat, qui
„ omnia donavit. Ad magnam perveniſti aucto-
„ ritatem, & Eccleſiaſticam aſſecutus es admini-
„ ſtrationem; ne ingentes ſumas ſpiritus. Non
„ tu acquiſiviſti gloriam, ſed Deus ea te induit.
„ Parce ergo tamquam alienæ, ea non abutens,
„ neque intumeſcens, ſed exiſtima te eſſe paupe-
„ rem & ingloriam. Neque enim ſi purpura regia
„ tibi ſervanda eſſet tradita, oporteret abuti ve-
„ ſte, & eam corrumpere, ſed ei qui illam dedit
„ conſervare diligentius. Dicendi facultatem acce-
„ piſti? Noli inflari, nec inſoleſcere. Tuum enim
„ non eſt donum. Ne ſis ingratus & immemor in
„ iis quæ ſunt Domini, ſed ea diſtribue conſervis:
„ & neque iis efferaris tamquam propriis, neque
„ parcas ut non diſtribuas. Diſpenſator divitiarum
„ es, non dominus. Quomodo ergo quæ non ſunt
„ tua conſumis in iis in quibus non oportet? Ne-
„ ſcis nos propterea eſſe accuſandos, quod eis male
„ uſi ſumus? Ne dicas, Ego de meis conſumo,
„ meis fruor, & ex iis voluptate me expleo. Non
„ ex tuis, ſed ex alienis. Alienis dico, quoniam ſu
„ vit. Nam Deus vult eſſe tua, quæ pro fratribus
„ tibi ſunt tradita. Fiunt autem tua, quæ ſunt a-
„ liena, ſi in alios inſumpſeris. Sin autem in te
„ ipſum profuſe impenderis, quæ tua ſunt, fiunt
„ aliena. Nam quoniam eis uſus es crudeliter, &
„ dicis æquum eſſe ut eis ſolus ad tuas fruaris de-
„ licias; propterea ea dico aliena. Tua enim, ſunt
„ etiam conſervorum communia, ſicut ſol eſt com-
„ munis, & aer, & terra, & alia omnia: quem-
„ admodum in corpore eſt & totius corporis, & u-

Divites ſibi datas opes a Deo intelligant ut diſpenſatoribus.

„ niuſcujuſque membri miniſterium. Quando autem
„ fuerit unius ſolius membri, etiam propriam per-
„ dit operationem: ita etiam in pecuniis accidit.

Miniſter fidelis Chriſti nec laudes hominum quærit, nec prava judicia veretur.

3. 4. *Mihi autem pro minimo eſt ut a vobis judicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.* Miniſtro fideli Chriſti Jeſu perinde eſt an laudetur an vituperetur ab hominibus: nec laudes eorum quærit, nec prava judicia, contemptum, maledicentiam admodum curat. Voluntas & lex Dei ſui, Regis ſui, qui eſt in ſancto, ejus regula eſt, non hominum opiniones & judicia. Teſtimonio conſcientiæ noſtræ magis credendum eſt quam judiciis hominum, ſed tamen Dei teſtimonio magis credendum quam noſtro proprio. Illius unius timendum judicium eſt, qui nos judicaturus ad veritatem duntaxat ſuam, ad officia noſtra, ad gratias ſuas, ad opera noſtra attendet.... „ Non ideo bona eſt conſcientia mea,
„ quia vos illam laudatis (ait S. Auguſtinus) Quid
„ enim laudatis quod non videtis? Ille laudet, qui
„ videt: ille etiam corrigat, ſi quid ibi videt quod
„ oculos ejus offendit. Quia & nos non dicimus per-
„ fecte nos ſanos; ſed tundimus pectus noſtrum, & di-
„ cimus Deo, Propitius eſto, ne peccem. Sæpe cor
„ noſtrum de ſe ipſo ſibi mentitur, conſilia ſua, inten-
tionemq; ſuam non reprehendit, quia non ſatis accurate diſcutit. *Spirituum ponderator eſt Dominus; omnes viæ hominis patent oculis ejus*,.. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus, ſcrutans cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* Nos ipſos tamen judicemus, ne a Domino judicemur. Judicemus cor noſtrum judicio diſcuſſionis, de quo ait Propheta. *Et meditatus ſum nocte cum corde meo; & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Nos ipſos judicemus judicio condemnationis quoad ea quæ manifeſte mala ſunt, ut nos Spiritus ſanctus docet per os ſancti Job: *Vias meas in conſpectu ejus arguam: & ipſe erit Salvator meus*. Sed nos ipſos ne judicemus judicio abſolutionis, ne nos innocentes eſſe præſumamus, quia nos conſcientia noſtra non reprehendit. Quædam enim peccata nos latere poſſunt, quorum nihilominus coram Deo, quem nihil latet, rei ſumus. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit.*

S. Auguſt. Serm. 237. alias 49. De Verbis Domini.

Proverb. 16. 2.

Jer. 17. 9. 10.

Pſalm. 76. 17.

Job. 13. 15.

Job 9. 20.

Domini judicium expectandum: Temerarium de perſonis, perverſum ac rebus judicium vitandum eſt.

5. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus; qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.* Quanta mala, quanta bona latent ſub tenebris ſæculi præſentis, & cordis humani! Quot cæca & temeraria judicia; quot injuſta vituperia; quot falſæ laudes; quam mendax ſæpe fama? Exſpectemus cum fide & pace lumen ſæculi venturi, apertionem libri conſcientiarum ab eo cui uni clauſus non eſt; laudem publicam & remunerationem bonorum a Judice cujus nec ſcientia falli, nec integritas corrumpi poteſt. Ne de occultis & dubiis, quæ Dominus judicio ſuo reſervat, temere judicemus. Judicium enim temerarium jus Dei uſurpat, violat juſtitiam proximo debitam, lædit caritatem, occidit animam temere judicantis, ſi fiat in materia gravi. Non ſolum autem temerarium de perſonis, ſed perverſum de rebus judicium, quod longe pernicioſius eſt, vitare debemus.
„ Pertinet ad nos (inquit S. Auguſtinus,) ne per-
„ nicioſa opinione fallamur, ut quia non poſſumus
„ hominum indagare conſcientiam, de ipſis rebus
„ habeamus veram certamque ſententiam. Hoc eſt,
„ ut ſi ille vel ille homo utrum ſit impudicus pu-
„ dicus-ve neſcimus; oderimus tamen impudicitiam,
„ & pudicitiam diligamus: & ſi illum vel illum
„ injuſtum eſſe juſtum-ve neſcimus, amemus tamen
„ juſtitiam & injuſtitiam deteſtemur, non quas nobis
„ ipſi errando confingimus, ſed quas fideliter, hanc
„ appetendam, illamque vitandam in Dei veritate
„ conſpicimus: ut cum de ipſis rebus quod appe-
„ tendum eſt appetimus, quod devitandum eſt de-
„ vitamus, ignoſcatur nobis quod de occultis homi-
„ num aliquando, immo aſſidue non vera ſentimus.
„ Hoc enim ad humanam tentationem pertinere ar-
„ bitror, ſine qua duci iſta non poteſt vita, ita ut
„ Apoſtolus diceret, *Tentatio vos non apprehendat*
„ *niſi humana*. Quid enim tam humanum, quam
„ non poſſe inſpicere cor humanum; & ideo non
„ ejus latebras perſcrutari, ſed plerumque aliud
„ quam quod ibi agitur ſuſpicari? Quamquam & in
„ his rerum tenebris humanarum, hoc eſt cogitatio-
„ num alienarum, etſi ſuſpiciones intelligere non
„ poſſumus, quia homines ſumus; judicia tamen,
„ id eſt, definitas firmaſque ſententias continere de-
„ bemus, nec ante tempus quidquam judicare, do-
„ nec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tene-

„ bra-

S. Aug. Tract. 90. in Joann. num. 2.

1. Corint. 10. 13.

Digitized by Google

„ brarum, & manifeſtet cogitationes cordis; & tunc laus erit unicuique a Deo.

S. Chryſoſt. Hom. 12.

7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* „ Nihil habes domo allatum, ait S. Chryſoſtomus, ſed a Deo acceptum. Quid ergo te habere præ te fers, quod non habes? At tu hoc habes, & alii tecum. Acceptum ergo habes, non hoc aut illud, ſed omnia quæ habes. Non enim tua ſunt hæc recte facta, ſed gratiæ Dei. Etiamſi fidem dicas, ea extitit ex vocatione. Etſi dicas remiſſionem peccatorum, ſi dona & chariſmata, ſi docendi talentum, omnia inde accepiſti. At ipſe ex te ipſo recte egiſti? Non potes hoc dicere, ſed accepiſti, & propterea te effers, & tibi places? Propter idipſum vero oportebat te intra fines modeſtiæ continere. Non enim tuum eſt quod datum eſt, ſed ejus qui dedit. Si enim accepiſti, ab illo accepiſti. Si autem non tuum accepiſti, quid magnifice ac præclare de te ſentis, tamquam habens tuum? Magnum in his Apoſtoli verbis Chriſtianæ humilitatis documentum. *Hæc eſt tota ſcientia magna, hominem ſcire quia ipſe per ſe nihil eſt, & quoniam quicquid eſt, a Deo eſt, & propter Deum eſt. Tota ergo ſpes noſtra in Deo ſit, nihilque de nobis tamquam de noſtris viribus præſumamus; ne noſtrum facientes quod ab illo eſt, & quod accepimus amittamus ...... Commendat nobis Apoſtolus gratiam Dei, commendat nobis quia nos per noſmetipſos nihil ſumus: commendat nobis, quia quicquid ſumus, illius miſericordia ſumus; Quicquid autem ex nobis ſumus, mali ſumus.*

Nihil habemus boni quod a Deo non accepermus.

S. Aug. ſerm. 1. in Pſal. 70.

Gratiæ Dei adjutorium in vaſis miſericordiæ, documentum in vaſis iræ. *S. Aug. l. 2. ad Boniface. cap. 7.*

Quis te diſcernit; Quid habes, quod non accepiſti? „ Hoc eſt gratiæ Dei non ſolum adjutorium, verum etiam documentum: adjutorium ſcilicet in vaſis miſericordiæ; in vaſis autem iræ documentum: in eis enim oſtendit iram, & demonſtrat potentiam ſuam, quia tam potens eſt bonitas ejus ut bene utatur etiam malis: & in eis notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſis miſericordiæ; quoniam quod ab iræ vaſis exigit juſtitia punientis, hoc vaſis miſericordiæ dimittit gratia liberantis; nec beneficium, quod quibuſdam gratis tribuitur, appareret, niſi Deus aliis ex eadem maſſa pariter reis juſto ſupplicio condemnatis; quid utriſque deberetur, oſtenderet. *Quis enim te diſcernit*; utique ab iræ vaſis, a maſſa perditionis, quæ per unum omnes miſit in damnationem. Et tamquam reſpondiſſet, Diſcernit me fides mea, propoſitum meum, meritum meum. *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* hoc eſt, quaſi de tuo ſit, unde diſcerneris. Ergo ille diſcernit, qui unde diſcernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo.

Inanis eſt ſpiritualium bonorum, qui ſe divitem putat. *Apocal. 3.* S. Chryſoſt. *Hom. 12.*

8. *Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis, ſine nobis regnatis, &c.* Vero inanis & inops eſt ſpiritualium bonorum, qui ſe plenum ac divitem putat, ac de donis ſibi collatis gloriatur. *Dicis, Dives ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Non ita qui vere ſpirituales & pii ſunt. Paucis ſaturari „ (inquit S. Chryſoſt.) eſt animi imbecilli, paucis exiſtimare ſe ditari, eſt nauſeantis & miſeri. Inſatiabilis enim res eſt pietas: & mentis eſt puerilis arbitrari ſe totum accepiſſe: & cum vix inceperit, ſe efferre ac magnifice de ſe ſentire, tamquam finem apprehenderit.

Spectaculum Deo dignum Chriſtiani cum dolore congredus.

9. *Spectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus.* Miniſterium & officium ſuum implere, animo fideli, conſtanti, intrepido, ſemperque tranquillo, inter adverſa, inter opprobria, ludibria, maledicta, perſecutiones, vexationeſque mundi, ſpectaculum eſt dignum veneratione hominum, angelorum admiratione, Dei ipſius oculis & commendatione. *Bonum agonem ſubituri eſtis*, ajebat Tertullianus ad Martyres, *in quo agonothetes Deus vivus eſt, Xyſtarches Spiritus ſanctus, corona æternitatis, brabium angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum.* „ Quam pulchrum ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus cum dolore congreditur; cum adverſum minas & ſupplicia componitur, cum ſtrepitum mortis & horrorem carnificis irripiens inculcat, cum libertatem ſuam adverſus reges & principes erigit, ſoli Deo, cujus eſt, cedit..... Vicit enim, qui quod contendit obtinuit.

Minutius Felix.

Prudentia Evangelica omnia pati potius eligit, quam ut ſuo deſit officio. *Pſalm. 21. 7.*

10. 11. 12. *Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto, nos infirmi, vos autem fortes, vos nobiles, nos autem ignobiles.* Prudentia humana nulli ſe diſcrimini exponit, vel famæ, vel auctoritatis, vel favoris, vel fortunæ, ſuum ut fideliter impleat officium: prudentia vero Evangelica omne diſcrimen ſubire, omnia pati, omnium jacturam facere potius eligit, quam ut ſuo deſit officio, Chriſtus ipſe per Prophetam de ſe ait: *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Et ejus diſcipuli pro ejus nomine, veritate, gloria, pro ejus Eccleſia contemni, vexari, conculcari formidabunt?

Patientia hominis Chriſtiani propria dos eſt.

Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, &c. Quam longe diſtant ab Apoſtolica vivendi ratione quidam ex Ordine Eccleſiaſtico Viri, quorum menſæ opiparæ & delicatæ, currus magnifici, ædes ſuperbæ, pretioſa ſuppellex, vita mollis & inutilis Eccleſiæ, dum interim de bonis Eccleſiæ vivunt, quæ ſunt *Oblationes fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum?*.... Veri Chriſti diſcipuli non ſunt, qui maledictis maledicta rependunt, convicia conviciis, perſecutionibus vindictam. Patientia Chriſtiani hominis propria dos eſt, non Philoſophi ſæcularis. „ Nos autem, *inquit S. Cyprianus*, qui Philoſophi non verbis, ſed factis ſumus; nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus, qui virtutum conſcientiam magis quam jactantiam novimus; qui non loquimur magna, ſed vivimus; quaſi ſervi & cultores Dei, patientiam quam magiſteriis cœleſtibus diſcimus, obſequiis ſpiritalibus præbeamus. Diligenda res homini, quæ Deo chara eſt. Bonum quod amat, majeſtas divina commendat..... Patientia Dei res eſt; & quiſquis lenis, & patiens, & mitis eſt, Dei patris imitator eſt. *Hanc Jeſus Chriſtus Dominus noſter non ſolum verbis docuit, ſed implevit & factis:* & Omnes ejus actus ab ipſo ſtatim adventu patientia comite ſignantur.

S. Cypriani, lib. De bono Patientiæ.

14. *Non ut confundam vos hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo, &c.* Caritas cum ſeveritate, verborum lenitas cum increpatione jungenda eſt ut Dei negotium in animarum converſione peragatur. Paſtorum ſermones patris amorem, magis quam imperium & dominationem ſpirare debent. Sic ovium amorem ſibi, immo Chriſto conciliant: ſic novos filios in ipſis generant verbo veritatis. *Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.*

16. *Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Quis ſe ipſum ut exemplar fidelibus imitandum proponere poteſt, niſi qui ſe ipſum Chriſto perfecte conformaverit, ejuſque imaginem in ſe expreſſerit, omnium ejus virtutum imitatione, ac præſertim humiliationum & crucis amore? Verumtamen Paſtores & Rectores animarum prælucere ipſis debent ſanctæ converſationis exemplo, ut eas ad Chriſtum perducant, & in ejus imaginem ipſas transforment, quod exemplis magis perficitur quam verbis. Nec tamen excuſantur, qui Paſtores habent ab Imitatione Chriſti remotiſſimos, Apoſtolo diſſimillimos... „ Si facio quæ dico, vel quæ audio; (aiebat S. Auguſtinus ovibus ſuis) imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Si autem dico, & non facio, Dominum audite: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Ergo ſi bene de me ſentis, laudas me: ſi male ſentis, accuſas me, ſed non excuſas te. Quomodo enim te excuſabis, ſi in malum Prædicatorem veritatis verbum Dei tibi dicentem, & ſua mala opera facientem contorqueas accuſationem; cum Dominus tuus, Redemptor tuus, effuſor pretii, aggregans te militiæ ſuæ, & faciens de ſervo ſuo fratrem ſuum, non te deſinat commonere, & dicat, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite? Dicunt enim, & non faciunt.* Bona dicunt, mala faciunt: tu audi bona, & noli facere mala.

Rectores animarum prælucere ipſis debent ſanctæ converſationis exemplo. *S. Aug. ſerm. 179. alias De Diverſis 27.*

20. *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute:* Doctrinam ſalutis non ſola docet lectio, ſed unctio; non littera, ſed Spiritus. *Nemo recte diſcit quæ pertinent ad vivendum cum Deo, niſi fiat a Deo docilis Deo, cui dicitur in Pſalmo,* Doce me facere voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus. *Unde & ipſi Timotheo idem dicit Apoſtolus, loquens utique ad diſcipulum doctor,* „ Tu autem perſevera in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens a quo didiceris. *Sicut enim corporis medicamenta quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonniſi eis proſunt, quibus Deus operatur ſalutem, qui & ſine illis mederi poteſt, cum ſine ipſo illa non poſſint, & tamen adhibentur: ita & adjumenta doctrinæ tunc proſunt homini adhibita per hominem, cum Deus operatur ut proſint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus neque per hominem.* Sæcularis eloquentiæ ſplendor animas non convertit. Regnum Dei non amplificant ac promovent Concionatores qui id unum ſibi proponunt, ut demulceant aures auditorum; qui adulterorum inſtar voluptatem quærunt, non prolem, *adulterantes verbum Dei.* Non promiſſa, ſed opera; non folia, ſed fructus Deus in agro Eccleſiæ ſuæ quærit, ſinceræ (ſi loquar) pietatis fructus, quos Spiritus ſancti virtus parturit.

S. Aug. lib. 4. De Doctrina Chriſtiana. Pſal. 142. 10.

2. Tim. 3. 14.

Non eloquentia ſæcularis, ſed virtute Dei animarum converſio peragitur. *S. Auguſt.*

Mini-

Digitized by Google

Miniſterium quidem ſuum Prædicatores & Paſtores exhibent: ſed ut obedienter & fructuoſe verbum Dei audiatur, *habet qualibet granditate dicentis majus pondus vita dicentis*.

Caritas ſeveritatis, & caritas manſuetudinis.

S. Auguſt. lib. 3. Contra Parmenianum. c. 1.

21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate & Spiritu manſuetudinis?* Non modo manſuetudinem, ſed ſeveritatem præ ſe ferre debet caritas, prout convenire Animarum ſaluti judicat prudentia ſpiritus. Nam *& virga caritatem habet. Sed aliud eſt caritas ſeveritatis, aliud caritas manſuetudinis. Una quidem caritas eſt, ſed diverſa in diverſis operatur*. Sic S. Stephanus inimicos objurgabat, & pro illis orabat; ore ſæviebat, corde diligebat. Sævit caritas, ſed more columbino. Deum imitatur, qui *quem diligit, corripit, flagellat autem*

Hebr. 12. 6.

omnem filium quem recipit. Erga ſubditos ineſſe Rectoribus debet & juſte conſulens miſericordia, & „ pie ſæviens diſciplina. Hinc eſt quod docente „ Veritate, per Samaritani ſtudium ſemivivus in „ ſtabulum ducitur, & vinum atque oleum vul„ neribus ejus adhibetur: ut per vinum mordean„ tur vulnera, per oleum foveantur. Neceſſe quippe „ eſt ut quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino „ morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pie„ tatis: quatenus per vinum mundentur putrida, „ per oleum foveantur ſananda. Miſcenda ergo eſt „ lenitas cum ſeveritate, faciendum quoddam ex „ utroque temperamentum: ut neque multa aſperi„ tate exulcerentur ſubditi, neque nimia benigni„ tate ſolvantur. Quod juxta Pauli vocem bene „ illa tabernaculi Arca ſignificat, in qua cum ta„ bulis virga ſimul & manna eſt: quia cum Scri„ pturæ ſacræ ſcientia in boni Rectoris pectore ſi „ eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. „ Hinc David ait: *Virga tua, & baculus tuus ipſa* „ *me conſolata ſunt*. Virga enim percutimur, ba„ culo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ quæ „ feriat, ſit & conſolatio baculi quæ ſuſtentet. Sit „ itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed „ non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderate „ ſæviens: ſit pietas, ſed non plus quam expedit „ parcens: ut dum ſe in arce regiminis juſtitia cle„ mentiaque permiſcet, is qui præeſt, corda ſub„ ditorum & terrendo demulceat, & tamen ad „ terroris reverentiam demulcendo conſtringat.

S. Greg. M. Paſtor. Cura 2. p. cap. 6. — *Hebr. 9.* — *Pſalm. 22.*

CAPUT V.

Senſus Litteralis.

Corinthius inceſtuoſus ab Apoſtolo excommunicatur.

1. **O**mnino *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat*. Certa & conſtans fama eſt impudicos concubitus inter vos inveniri, & quidem tam nefarios, tam horrendos, ut vix inter populos a Dei fœdere alienos, inter idolorum cultores ſimilia flagitia perpetrentur; adeo ut unus ex vobis, ſuo nimis notus ſcelere, noverca ſua velut concubina utatur, idque patre adhuc vivente. Confer cum II. *Corinth. 7. 12.*

2. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis ut tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit*. Et vos tumore ſuperbiæ inflati eſtis, quaſi conſcii minime ſitis ſceleris: & non potius lugentes (ut decebat) ob publicum illud ſcandalum, procuraſtis ut e publico Eccleſiæ cœtu per excommunicationem ejiceretur, ac diris devoveretur, qui facinus tam horrendum commiſit.

3. 4. 5. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum qui ſic operatus eſt*. Ego licet abſens corpore, animo tamen & ſollicitudine Apoſtolica præſens, jam decrevi ſententiam ferre in eum qui flagitium illud perpetravit, ac ſi præſens eſſem; ut quod in Eccleſia veſtra neglexiſtis, auctoritate mihi a Chriſto commiſſa ſuppleatur. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu, tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Decrevi, inquam, vice & auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua fungor ut ejus Apoſtolus, ut in publico Eccleſiæ cœtu, cui ſpiritu præſens adero, ad exemplum & terrorem ceterorum, tanti criminis reus, poteſtate a Domino noſtro Jeſu Eccleſiæ data, per excommunicationis ſententiam a Sacrorum participatione & fidelium ſocietate excluſus, diaboli tyrannidi & incurſibus dimittatur; ut pœna gravitati ſceleris reſpondeat. Interimatur in eo ſcelerata carnis concupiſcentia, per quam peccavit, ut anima ſalva ſit, & conſequenter ex conſortio ejus corpus ſalutis particeps

S. Ambr. l. 1. De Pœnitent. cap. 16. S. Aug. lib. 3. Contra Epiſt. Parmen. cap. S. Chryſ. Hom. 15. Theophyl. Oecumen. S. Thomas, Lect. 1.

fiat in die judicii. Vel, decrevi non ſolum ipſum e cœtu Eccleſiæ ejicere, ſed etiam tradere ſatanæ corporaliter affligendum ac vexandum, ut caſtigata & mortificata carne anima ſalva fiat. *Hinc docemur*, inquit Theodoretus, *quod eos qui ſegregantur, & ab Eccleſiaſtico corpore ſeparantur, invadit diabolus, illos gratia deſtitutos inveniens*.

6. 7. *Non eſt bona glorIatio veſtra*. Nulla vobis eſt ratio gloriandi, quaſi inſontes ſitis, multiſque donis abundetis. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* acido ſapore ſuo inficit: ſic homo improbus totam ſocietatem vitio ſuo facile imbuit & commaculat. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi*. Omnia per quæ corrompi poteſt Eccleſia, eliminate; inceſtuoſum hunc e cœtu veſtro divina cenſura excludite, ne mores aliorum corrumpat: ut ſitis populus ſanctus, vitæ novitate ſpectabilis, ſicut per baptiſmum facti eſtis a fermento peccati puri & ſancti, & eo ipſo quo vos Chriſti diſcipulos profitemini, abſtinere debetis ab omnibus iis per quæ corrumpi mores ſolent. Senſus eſt myſticus legis latæ *Exodi 12. verſ. 18. 19. & 20.* de azymis comedendis, & fermento eliminando e domibus Iſraelitarum ſeptem diebus Paſchalibus. *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Paſcha enim Chriſtianorum, cujus Paſcha Judæorum typus fuit, id eſt, agnus Paſchalis, Chriſtus eſt in cruce pro nobis immolatus.

8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis*. Feſtum igitur illud, Paſcha, quod nobis perpetuum eſt, celebremus, non in fermento veteris vitæ, peccatis infectæ, neque in operibus malignitatis & doli; ſed in ſinceritate & veritate, per azymos panes, quibus Iſraelitæ in Paſchalibus epulis veſcebantur, ſignificata.

9. 10. *Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini fornicariis*. Scripſi vobis antehac in Epiſtola quadam, ne commercium ullum aut familiaritas vobis intercederet cum ſcortatoribus & impudicis hominibus. *Non utique cum fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe* (Quod quidem non intellexi, nec intelligi volui de fornicariis, qui ſunt extra Eccleſiam, ſive Ethnicis, mundum perditum componentibus) aut cum avaris, id eſt cum iis qui numquam ſatis habent, ſed rem ſuam per fas & nefas augent; aut cum rapacibus id eſt, cum hominibus iis qui non modo furtim, fraude & dolo, ſed aperta vi aliena rapiunt; aut cum idolorum cultoribus; ethnicos (inquam) his deditos criminibus ut vitaretis, nullumque cum ipſis commercium haberetis, non præcepi. Id enim obſervare vobis impoſſibile eſſet: alioquin vobis ex hoc orbe migrandum eſſet, qui hujuſmodi hominibus plenus eſt. Nec ab eorum convictu vos omnino abſtinere convenit. „ Oportet enim veſtrum in hoc mundo illud eſt, ut „ peccatores Chriſto ad ſalutem lucremini. Quod „ fieri non poterit, ſi eorum colloquia convictum„ que fugiatis.

S. Aug. lib. 3. Contra Parmenian. cap. 1.

11. *Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri: ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax; cum ejuſmodi nec cibum ſumere*. Verumtamen eo ſenſu ſcripſi vobis ut nullum haberetis commercium cum ejuſmodi hominibus: ſi quis Chriſtianam Religionem profitetur, ac a vobis vult frater nominari, & nihilominus fornicator eſt notorius & famoſus, aut infidelium ſacris ſe admiſcet vel idolum colendo, opere ſaltem externo & ſolemnibus ceremoniis, vel de idolothytis edendo; aut avaritiæ, vel ebrietati, aut maledicentiæ, aut rapinæ rei alienæ palam deditus, ac in illis vitiis hærens: cum hujuſmodi criminum reis nec menſam quidem habeatis communem: eorum familiaritatem, contubernium, & conſortium modis omnibus fugite, tum ut pudore affecti, & peccati ſui horrore perculſi, ad pœnitentiam convertantur; tum ne ceteros pravo exemplo corrumpant; tum ne eorum criminibus Eccleſia connivere videatur.

Flagitioſorum ſcopulibicorum peccatorum familiaritas vitanda.

12. 13. *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare?* Quid enim ad me attinet de infidelibus, qui extra Eccleſiam ſunt, nec illius ſpirituali juriſdictioni ullo modo ſubſunt, judicare, ſive eos punire? *Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?* Nonne jus habetis judicandi eos qui ad Eccleſiam veſtram pertinent, eoſque caſtigandi; & ſi contumaces ſint, a veſtra conſuetudine ſegregandi? Non ad omnes Corinthios promiſcue, ſed ad Præſides Eccleſiæ, hæc Apoſtoli verba referuntur. *Nam eos qui foris ſunt, Deus judicabit*. Infideles enim Dei judicio relinquendi ſunt, qui puniet eos ſuo tempore. Vos autem, quod eſt officii veſtri, & quod in vobis eſt, *Auferte malum ex vobis ipſis*. Sceleratum illum, inceſtuoſum homi-

S. Aug. l. 2. Retract. c. 17. Idem: Quæſt. 39. antiquior.

Digitized by Google

hominem a veſtro conſortio per Eccleſiaſticam diſciplinam ſegregate. Sententia eſt ex *Deuteronom.* 24. 7. appoſite ab Apoſtolo uſurpata: *Hoc enim nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio*, (ait S. Auguſt.)

CAPUT V.

Senſus Moralis.

1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, &c.* Gravius longe crimen eſt impudicitia Chriſtiani quam Infidelis, ſiquidem tollit membra Chriſti, ut faciat membra meretricis; polluit templum Spiritus ſancti, violat carnem baptiſmo ſanctificatam, Chriſti corpore & ſanguine paſtam, glorioſæ reſurrectionis candidatam. Quale probrum, ut vos Dei filii, Chriſti fratres, myſteriorum ejus participes, ad cœleſte regnum vocati, Eccleſiæ virginis alumni, impudicitiæ ſerviatis? Caſtitas veri Chriſtiani caracter. „ Nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus (*inquit Minucius Felix*) unius Matrimonii vinculo libenter inhæremus. Cupiditate procreandi aut unam ſcimus, aut nullam. Convivia non tantum pudica colimus, ſed & ſobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, ſed gravitate hilaritatem temperamus, caſto ſermone, corpore caſtiore. Plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius quam gloriantur. Tantum denique abeſt inceſti cupido, ut nonnullis rubori ſit etiam pudica conjunctio.

Impudicitia Chriſtiani longe gravior quam infidelis.

2. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit.* Publicas lacrymas poſtulant publica peccata & ſcandala. Ob unius crimen tota ingemiſcat Eccleſia neceſſe eſt. Unius enim corporis myſtici membra ſumus: & ſi patitur unum membrum, compatiuntur cetera membra. „ Non poteſt corpus de unius membri vexatione lætum agere: condoleat univerſum, & ad remedium collaboret neceſſe eſt. In uno & altero Eccleſia eſt, Eccleſia vero Chriſtus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Æque illi cum ſuper te lacrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus Patrem deprecatur. Facile impetratur ſemper, quod Filius poſtulat.

Publicas lacrymas poſtulant peccata publica.

Tertull. l. De Pœnit. c. 10.

3. 4. 5. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Excommunicationis pœna quam terribilis, qua peccator a Sacramentorum participatione, a Menſa Dominica, a communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegatur; qua traditur ſatanæ capitali generis humani inimico ut membrum ejus, ut mancipium ejus, Chriſti Jeſu protectione deſtitutus, armis ſpiritualibus nudatus! Verum longe horribilius ac terribilius peccatum eſt, quod pœnam tam gravem promeretur. Quanta ergo ſollicitudine fugiendum? Pœna porro illa in ſpiritu & virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti infligenda eſt, ſecundum intentionem ejus, ſecundum Eccleſiæ regulas, ad emendationem & ſalutem peccatoris, ad terrorem aliorum, ad contagium mali ab Eccleſia avertendum. Finis excommunicationis idem qui Incarnationis & Paſſionis Chriſti, ſcilicet deſtructio corporis peccati. Quam grave malum peccatum eſt, cui ſanando tam acre remedium adhibetur! Ut vero peccatori contumaci & in peccato perſeveranti proſit ad ſalutem medicinalis cenſura, ſolius gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti virtus eſt, cujus bonitas & miſericordia graviora mala in remedia ſaluberrima convertit: cum e contrario malitia hominis excellentioribus remediis abutatur ad morbos inſanabiles animæ ſuæ procurandos, ad ſalutem ſuam æternam profligandam. *Cum ad talem vindictam neceſſitas cogit, humilitas lugentium debet impetrare miſericordiam, quam repellit ſuperbia ſævientium: nec illius ipſius qui de medio fratrum tollitur debet negligi ſalus; ſed ita agendum eſt, ut ei talis vindicta ſit utilis; & agendum voto & precibus, ſi corrigi objurgationibus non poteſt. Imitandus Apoſtolus, qui fraternam ab eo non ſeparat caritatem; quem de fraterna congregatione præcipit ſeparari.* „ Cum igitur quiſque fratrum, id eſt Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt, id eſt, cum ea dilectione de qua alibi præcipit dicens, *Ut inimicum non eum exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem:* Non enim ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Quod ſi ſe non agnoverit, neque pœnitendo correxerit, ipſe foras exiet, & per propriam voluntatem ab Eccleſiæ communione dirimetur. Nam & ipſe Dominus cum ſervis volentibus zizania colligere dixit, *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem:* præmiſit cauſam dicens, *Ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis ſimul & triticum.* Ubi ſatis oſtendit, cum metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de frumentorum ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt, quando ita cujuſque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere; *non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conſervatio caritatis.* „ Tunc autem hoc ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cum congregationis Eccleſiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena eſt. Tunc enim adjuvat Præpoſitum potius corripientem, quam criminoſum reſiſtentem: tunc ſe ab ejus conjunctione ſalubriter continet, ut nec cibum quiſquam cum eo ſumat, non rabie inimica, ſed coercitione fraterna. Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore ſanatur, cum ab univerſa Eccleſia ſe anathematizatum videns, ſociam turbam cum qua in delicto ſuo gaudeat, & bonis inſultet, non poteſt invenire.

Excommunicatio terribilis pœna. Medicinalis eſſe debet.

S. Aug. lib. 3. Contra Parmenian. c. 1. & ſeq.

2. Theſſ. 3. 15.

6. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Nihil pravis exemplis periculoſius, quia ceteros illiciunt & provocant ad peccandum; vel certe peccati participes & conſcios faciunt, dum conſentiunt peccanti, ſaltem non corrigendo cum poſſunt, ſecundum illud Rom. 1. *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Ideo maxima cautione opus eſt ad pravorum exemplorum corruptionem avertendam. Hic autem excommunicationis finis eſt, ut unius morbidi membri abſciſſione totum corpus a contagione morbi ſervetur. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Male affici facilius eſt, quam bene; vitiari, quam ſanari. Malos facilius imitatur maxima pars hominum quam bonos, Adeo propenſa ad malum eſt humana voluntas.

Malorum exemplorum periculum.

7. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quam ſancta eſt Chriſtianiſmi profeſſio, tam ſancti & caſti ſint Chriſtianorum mores. Chriſtus ſeipſum victimam obtulit Patri, ſanguinem ſuum profudit, pro nobis mortuus eſt, ut hanc ſanctitatem nobis promereretur, quid illam negligimus? Quid ab illa tam facile excidimus? O adorandam Paſchatis noſtri victimam, id eſt, tranſitus noſtri a peccato ad juſtitiam; ab Adami vetuſtate ad vitæ novitatem in Chriſto Jeſu; a captivitate diaboli, ad libertatem gloriæ filiorum Dei. Perpetuum Paſcha Chriſtianis agendum eſt, idcoque perpetuo abſtinere debent a fermento veteris ac pravæ converſationis. *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Sicut ergo ſanguine agni Paſchalis illito poſtibus liberati ſunt Iſraelitæ ab excidio, ita & Chriſtiani per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti a peccato & ab æterna damnatione illi debita liberantur.

Perpetuum Paſcha Chriſtianis agendum.

8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* „ Fermentum vetus ſuperbia eſt & vana gloria. Superbia quippe ex vetuſtate primi hominis, qui ſuperbia lapſus eſt, quaſi fermentata & corrupta mente facit elatos in unam conſperſionem, qui ſibimet in eam ſimul jactantiæ vanitate conſentiunt. Et gloriari quidem non de peccatis ſuis, ſed ſuper aliena peccata, tamquam ex comparatione innocentiæ ſuæ, modicum videtur fermentum; quia de ſuis etiam iniquitatibus gloriari, multum fermentum eſt; ſed & illud modicum totam maſſam corrumpit. Cadit enim ſuperbus merito ſuperbiæ ſuæ, & incipit etiam peccata ſua defendendo velle gloriari. Ideo Apoſtolus ait: *Non eſt bona gloriatio veſtra: Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi:* Statimque ſubjunxit: „ *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus:* „ ut tantæ humilitatis exemplo diſcerent expurgare vetus fermentum, id eſt, quicquid in eis ſuperbiæ de veteri homine remanſiſſet. *Itaque*, inquit, *epulemur*, diem feſtum celebremus, non utique unam diem, ſed totam vitam: *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. Malitia quippe & malignitas eſt velut de alieno peccato gloriari, quaſi tunc debeat de juſtitia ſua quiſque gaudere, cum alium juſtum

Superbia vetus fermentum.

S. Aug. l. 3. contra Parmenianum, c. 2.

Permittit ſæpe Deus ut homines merito ſuperbiæ cadant in aliquod apertum manifeſtumque peccatum.

„ eſſe

„ eſſe non conſpexerit. Sinceritas autem & veritas „ eſt, etiamſi prohcit aliquis, meminiſſe quid fuerit, „ & multo magis miſereri lapſorum, quandoquidem „ ipſe erectus eſt a lapſu ſuo per Chriſti miſericor„ diam, qui ſine ullo ſuo peccato ſe pro peccatori„ bus humiliavit ... Eo autem ſtudioſius expurgandum eſt vetus illud ſuperbiæ fermentum, quod Deus permittat ſæpius ut ſuperbiæ merito cadant homines in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, etiam impudicitiæ, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant.

S. Aug. lib. 4. De Civit. Dei, cap. 13.

11. *Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri: Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Non de mundo, ut ait Apoſtolus, ſed heu, de Eccleſia jam exeundum eſſet, ſi Chriſtiani horum criminum rei neceſſario vitandi eſſent. Minora modo non ſunt vitia iſta quam initio naſcentis Eccleſiæ, ſed ea pervicacium homines corrupti, *Penſantes en non in ſtatera æqua divinarum Scripturarum, ſed in ſtatera doloſa conſuetudinum ſuarum. Quicquid enim ſceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit exnimius veritatem. Sed ideo ſunt tamquam ſinceriſſimum ſpeculum propoſita hominibus Oracula cæleſtium paginarum, ut ibi quiſque videat quodlibet peccatum quantum ſit, quod forte magnum eſt, & male viventium cæco more contemnitur.* Quam ingens nunc eſſet Chriſtianorum excommunicatorum numerus, ſi fornicatores omnes, ſi avari, ſi ebrioſi, ſi maledici excommunicatione plecterentur, & non ſolum a Menſa Dominica, ſed etiam a communi convictu removerentur? O deplorandam, tametſi neceſſariam indulgentiam, cujus neceſſitas ex multitudine peccantium, & criminum redundantia & colluvie oritur! Pravorum hominum ſocietatem vitemus, quantum in nobis eſt, cum publicis peccatoribus, cum impudicis, cum avaris, cum ebrioſis, cum maledicis, familiaritatem ne ineamus, quantum nobis poſſibile eſt... O ubi eſtis fontes lacrymarum? *Fiſe jam inter nocentes innoxium, crimen eſt; malos quiſquis non imitatur, offendit. Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt.*

S. Aug. ibid. Peccata in ſtatera divinarum Scripturarum, non in ſtatera conſuetudinum penſanda ſunt.

S. Cyp. Epiſt. 2. ad Donatum.

12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Multi ſunt ex iis qui Chriſtiano nomine gloriantur, quorum familiaritas, convictus, converſatio longe periculoſior eſt converſatione Paganorum; ſed qui in Eccleſia ſic vivunt, ab Eccleſiæ ſpiritu alieni ſunt; ſolo nomine, non re Chriſtiani.

13. *Auferte malum ex vobis ipſis.* In id incumbere ſtudiis omnibus debemus, ut hominem peccati, pravam concupiſcentiam, quæ in nobis habitat, & cor noſtrum corrumpere potis eſt, ex nobis ipſis per ſanctam mortificationem auferamus. Demus operam ut caritas in nobis augeatur, ut cupiditas minuatur.

CAPUT VI.

Senſus Litteralis.

Chriſtiani contra fratres ſuos Chriſtianos ad infidelium tribunalia litigare non debeant.

1. 2. 3. **A***Udet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* Quomodo aliquos veſtrum non pudet, pro rebus temporalibus, fratres ſuos Chriſtianos in judicium vocare ad infidelium tribunalia? Quid ab ipſis juſtitiam quæritis, quam non habent? Siquidem veræ virtutes in iis non ſunt, qui fide & religione ſunt deſtituti? Cur non potius lites veſtras judicandas permittitis Chriſtianis; quaſi delectis arbitris, quorum ſententiæ ex compromiſſo ſtetis? Hanc litigandi coram ethnicis judicibus audaciam graviter Apoſtolus noſter perſtringit, quod cum ſcandalo infidelium, & Chriſtianæ Religionis dedecore & injuria conjunctæ eſſent hujuſmodi lites; ſiquidem apud judices infideles detegebantur Chriſtianorum vitia, diſſidia, avaritia, injuriæ mutuæ. *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt?* Eam eſſe neſcitis Chriſtianorum, qui ſancte vixerint, dignitatem & auctoritatem, ut mundum reliquum, id eſt totum genus infidelium & reproborum ſint judicaturi, non ſola comparatione vitæ ſuæ, virtutumque ſuarum, quibus improba illorum vita damnabitur; ſed approbatione ſententiæ in illos a Chriſto Domino latæ in die judicii, quin etiam proferendo quodam modo ſententiam ut aſſeſſores Chriſti judicis, quod pertinet ad Apoſtolos, & eorum ſimiles, qui contemptis rebus mundi, ſolis ſpiritualibus inhæſerunt. *Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis?* Et ſi per vos infideles & reprobi judicabuntur in cauſa maximi momenti, ubi de æterna ſalute vel damnatione agetur, vos-ne indignos cenſetis qui de rebus caducis, quæ minimi ſunt momenti, judicetis; ut ideo ad Judices Ethnicos lites veſtras referre oporteat? *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis ſæcularia?* Neſcitis quod Angelos malos judicabimus, non ſolum ſuffragiis noſtris eorum damnationem probantes; ſed eorum malitiam, ſuperbiam, imbecillitatem traducentes, eiſque tamquam a Chriſto, & a nobis per ejus gratiam victis, projectis, ac damnatis inſultantes? Quanto magis digni habendi ſumus, nos fideles, qui de rebus ad uſum præſentis vitæ pertinentibus judicemus?

Pſalm. 57. 11. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* Pſ. 149. *Et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus.* Matth. 19. 28. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael.*

4. 5. 6. *Sæcularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Si lites inter vos habeatis de rebus ad uſum hujus vitæ pertinentibus, eos qui minimi ſunt in Eccleſia potius judices arbitros deligite, quam ut cauſas veſtras ad infidelium tribunalia deferatis. *Ad verecundiam veſtram dico.* Quod dico, Minimos Eccleſiæ, ignobiliores & minus ſpirituales a vobis eligendos eſſe ad judicandum de rebus terrenis, propterea dico ut vobis pudorem ſalutarem incutiam. *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Itane vos qui de ſapientia gloriamini, viris prudentibus & juriſperitis deſtituti eſtis, ut ne unus quidem inter vos inveniri poſſit, qui ex æquo & bono judicare valeat inter fratres ſuos de rebus temporalibus contendentes? *Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles.* Chriſtianus Chriſtianum, quem ut fratrem diligere debet, in jus vocat, & quidem ad Ethnicorum tribunalia, quod longe gravius.

7. 8. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Lites hujuſmodi quas inter vos habetis, ſine peccato non ſunt, cum ex cupiditate oriantur, caritatem lædant, ultionis libidine ut plurimum agitentur, ſcandalum pariant, vix ſient cum animi præparatione ad detrimentum rerum temporalium ſubeundum potius quam Deus vel leviter offendatur. Cur non potius æquo animo injurias ſuſtinetis, & fraudes patimini, quam ut cupiditati ſuccumbatis, & lites cum tanto Eccleſiæ offendiculo perſequamini? *Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* At vos tantum abeſt ut patienter feratis injuriam, & fraudem, ut etiam inferatis & faciatis, & id quidem fratribus, ejuſdem fidei conſortibus. *Omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos.* „ Etenim vel ipſum litigare odioſum eſt. (ait Theodoretus) *Quare non magis injuriam accipitis? &c.* Hæc pertinent ad *legem perfectiorum*, ἥττημα, quod Vulgatus interpres vertit *delictum*, alii *minorationem* ſeu *diminutionem*, *dejectionem*, *defectum*, *imperfectionem* vertunt, S. Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, Sedulius, Primaſius, Ambroſiaſter *peccatum* proprie dictum interpretantur; quos ſequitur S. Thomas. S. Auguſtini locum deſcribere convenit. *Nam & hoc poſſet putari, judicium habere adverſus alterum non eſſe peccatum, ſed tantummodo id extra Eccleſiam velle judicari, niſi adjungeret Apoſtolus,* Jam quidem omnino delictum eſt, quia judicia habetis vobiſcum. *Et ne quiſquam hoc ita excuſaret, ut diceret ſe juſtum habere negotium, ſed iniquitatem ſe pati, quam vellet a ſe judicum ſententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit,* Quare non magis ini„ quitatem patimini? Quare non potius fraudami„ ni? *Ut ad illud redeatur quod Dominus ait,* Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & judicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. *Et alio loco.* Qui abſtulerit tua, noli repetere. „ Prohibuit itaque „ ſuis de ſæcularibus rebus cum aliis hominibus ha„ bere judicium: ex qua doctrina Apoſtolus dicit „ eſſe delictum. Tamen cum ſunt in Eccleſia talia „ judicia, ſiunt inter fratres fratribus judicantibus, „ extra Eccleſiam vero terribiliter vetat; manife„ ſtum eſt etiam hic quid ſecundum veniam conce„ datur infirmis. Propter hæc atque hujuſmodi pecca„ ta, & alia, licet iis minora, quæ ſiunt verborum „ & cogitationum offenſionibus, Apoſtolo Jacobo „ confitente ac dicente. *In multis enim offendimus* „ *omnes*, oportet ut quotidie crebroque oremus Do„ minum, dicentes, *Dimitte nobis debita noſtra.*

Lites vix ſine peccato ſunt.

S. Chryſ. Hom. 16. S. Aug. Enchiridii, cap. 78. S. Thomas, Lect. 2.

Matth. 5. 40. Luc. 6. 30.

9. 10. *An neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?* An ignoratis injuſtos eos, qui gravem injuriam aliis inferunt, regnum Dei hereditate non poſſeſſuros, ſed ab eo excluſum iri? Id non dicit Apoſtolus de iis qui non potius injuriam patiuntur quam judicio contendant; quia quamvis iſtud ſit peccatum, non tamen per ſe mortiferum eſt, ſed veniale, niſi odium, ultionis libidinem, gravem injuſtitiam, aut ſcandalum comites habeat. *Nolite errare,* exiſtimantes aliqua ex his quæ modo ſum enumeraturus, non eſſe gravia peccata, vaſtantia conſcientiam, uno iſto permentia, a regno Dei excludentia.

Peccata a regno Dei excludentia.

Neque

Digitized by Google

Neque fornicarii, ſimplicis fornicationis rei, *neque idolis ſervientes*, etiamſi externo dumtaxat ritu, & pro Deo colentes quod non eſt Deus; *neque molles*, privatæ & ſolitariæ libidini indulgentes, ſeipſos voluntaria pollutione corrumpentes; *neque maſculorum concubitores*, abominabiles ſodomitæ; *neque fures*, qui clam aliena ſurripiunt nullo colore juris; *neque avari*, qui plus ſemper appetentes, per fas & nefas, per fraudes & injuſtos contractus ſtudent augendæ rei temporali; *neque ebrioſi*, qui vino ſe ita ingurgitant ut uſum rationis ſibi adimant, vel eam plurimum obnubilent; *neque maledici*, detractores, calumniatores, conviciatores; *neque rapaces*, qui rem alienam per vim apertam invadunt; *regnum Dei*, id eſt vitam æternam poſſidebunt. Non ad ſolum habitum, ſed ad quemvis actum deliberatum hujuſmodi peccatorum, quandiu per veram & ſinceram Pœnitentiam non eluuntur, hæc referenda. Unde & in jure furem & adulterum dicimus eum qui ſemel furatus eſt, aut adulterium fecit.

11. Et *hæc quidam fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*. Et quidam veſtrum tales olim fuerunt, alii huic, alii illi crimini addicti: ſed per baptiſmum ab his omnibus vitiorum ſordibus mundati eſtis & veram ſanctitatem ac juſtitiam adepti, gratiæ ac donorum infuſione, per meritum Redemptoris ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per efficacem operationem ſancti Spiritus a Deo noſtro, Patre Filioque, procedentis.

12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*.

Quæcumque licent, non expediunt.

Non eſt quod libertatem Evangelii quis obtendat, ut ſua in judicio repetere Chriſtianis fas eſſe oſtendat. Omnia quæ nullo Domini præcepto prohibentur, mihi licent: ſed non omnia conducunt ad finem ſalutis æternæ, ad ædificationem proximorum, ad gloriam Dei & honorem Chriſtiani nominis; immo quædam impedimento ſunt finium tam ſanctorum conſecutioni; tametſi eam per ſe non excludant.

S. Thomas, Lect. 2.

Fornicari nuſquam licet, nec expedit, cum Dei lege vetitum ſit, & a vita æterna excludat. Matrimonium licitum eſt, ſed non expedit ſemper. Sua in judicio repetere, indifferenter omnibus cibis uti, ſumptus accipere ab iis quibus prædicatur Evangelium, licet, quia hæc nec juſtitiæ repugnant, nec lege aliqua prohibentur: non tamen hæc expediunt, vel quia pacem impediunt cum proximo, vel ſcandalum præbent infirmis, vel aliquam maledicendi occaſionem. *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate*. Sub nullius, ſive hominis, ſive rei cujuſpiam creatæ poteſtate me redigi patiar. Porro qui utitur eo quod non expedit (ſive liceat, ſive non liceat) ſervus efficitur rei quam nimis amat; quo ſenſu Apoſtolus noſter ad Romanos cap. ultimo ſcribit, *Hujuſmodi non Chriſto Domino ſerviunt, ſed ſuo ventri*: Fit etiam hominis ſervus, quia ſubjicitur aliorum judicio, aut illis blandiri ac placere cogitur, aut ab illis vincitur, & multiplicibus curis a Dei ſervitute avocatur, in qua vera libertas poſita eſt.

In litibus ſæpe vincitur qui cauſam obtinet.
S. Chryſoſt. Hom. 16.

Qui non patitur injuria affici, (inquit S. Chryſoſtomus) *ſi eum in judicium traxerit, etſi eum ſuperaverit, tunc eſt maxime victus. Nam quod nolebat, paſſus eſt: cum enim coegit adverſarius & dolere, & judicio contendere. Quid enim quod viciſti? Quid quod univerſas recepiſti pecunias? Quod nolebat interim ſuſtinuiſti, ut qui ſis coactus judicio contendere. Sin autem toleraris injuriam, vincis, pecuniis quidem privatus, nequaquam autem victoria quæ eſt ob hanc Philoſophiam*.

13. 14. *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & illas deſtruet*. Occupat Apoſtolus objectionem eorum qui dicerent: Res meæ ad alendam familiam mihi ſunt neceſſariæ, domeſtica neceſſitas exigit ut eas judicio repetam . . . . Eſcæ ventri debentur & deſtinantur, ut in eo decoctæ in totius corporis nutrimentum cedant: & venter eſcis recipiendis & decoquendis ſervit: licet igitur cuique res ſuas judicio repetere, ut ſibi ſuiſque victum comparet; licet evangelii Prædicatori ſtipendia accipere ob eleatum neceſſitatem: licet omnibus cibis uti: ideo dixi, *Omnia mihi licent*. Verum cum eſcæ, & venter a Deo deſtruenda ſint ſeu abolenda quoad uſum, in beata reſurrectione, cum erunt Sancti ſicut Angeli in cœlo, his neceſſitatibus expediti; non expedit ut de illis admodum curent Chriſtiani felicis reſurrectionis candidati.

Fornicatio graviſſimam Chriſto Domino infert injuriam.

Non enim expedit ut homo in bonis æternis detrimentum aliquod patiatur propter res corruptibiles & temporarias. Ideo dixi, *Non omnia expediunt*. Non autem idem eſt ferendum judicium de fornicatione, quæ apud vos impune committitur, ac de cibis: *Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori*. Corpus enim non eſt fornicationi deſtinatum, ſicut venter eſcis, ſed Domino, ut illi velut capiti mancipetur & ſerviat in caſtitate & ſanctitate; & Dominus datus eſt corpori in caput a quo regatur, & motum ad omne opus bonum accipiat; datus eſt in Salvatorem, qui illud ad vitam æternam ſuſcitabit, & gloriæ ſuæ conformabit: Quamobrem illi caſte ſervire debet. *Deus vero & Dominum ſuſcitavit: & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam*. Quemadmodum Deus Chriſtum Dominum, qui caput noſtrum eſt, a mortuis excitavit; ita nos membra ejus omnipotentia ſua ad vitam ſuſcitabit immortalem.

15. 16. 17. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* Scire certe debetis quicumque per baptiſmum eſtis in Chriſto regenerati corpora veſtra eſſe Chriſti membra, quatenus Chriſtus caput myſticum eſt non ſolum totius Eccleſiæ, ſed etiam ſingulorum fidelium, non modo ſecundum animas, ſed etiam ſecundum corpora; ſiquidem & corpus & animam de noſtro genere ſuſcipere dignatus eſt, ut nos ſecundum utrumque ſalvaret. *Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis?* Numquid ergo membra, Chriſti conſecrata ſervitio, injuſte illi ſubtraham; ut ea turpi commixtione membra faciam meretricis? Abſit a me tam horrendum ſacrilegium. *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur: Erunt enim, inquit, duo in carne una*. Qui meretrici agglutinatur, unum cum ea corpus efficitur commixtione carnali: ſcriptum eſt enim de viro & muliere convenientibus: *Erunt duo in carne una*, id eſt, *erunt una caro, unum corpus*. Quod tametſi de conjugibus a Moyſe & a Chriſto Domino dictum ſit, recte ab Apoſtolo fornicatoribus & ſcortis applicatur, quia conjugum & fornicantium iidem actus ſunt in genere naturæ, quamvis in genere moris differant. *Qui autem adhæret Domino*, ſeu (Quæ vis eſt Græci verbi) qui agglutinatus eſt Chriſto Domino fide & ardenti caritate, *unus ſpiritus eſt*, fit unus cum eo ſpiritus perfecta conſenſione voluntatis ſuæ cum illius voluntate. Sic amici dicuntur *anima una* propter animorum concordiam. Curandum ergo ut tam ſancta, tam felix conjunctio ſarta tectaque maneat, quod fieri non poteſt in fornicariis, qui cum ſint membra mortua Chriſti, Spiritu ejus non vegetantur, neque ipſi agglutinantur, neque vero ſpiritus coinquinatus & immundus unum fieri poteſt cum Spiritu puriſſimo & ſanctiſſimo.

S. Thomas, Lect. 3.

Act. 4. 32.

18. *Fugite fornicationem*. Maxima diligentia ab illa cavete; quam longiſſime abeſte ab omni ejus occaſione & incentivo. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt*: in pleriſque omnibus aliis peccatis objecto extra corpus proprium poſito, ſeu creaturis aliis homo abutitur; *Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*. Qui fornicationem committit, (quo nomine omne genus impudicitiæ, ſive ſecundum, ſive contra naturam intelligitur) corpore proprio adverſus ſemetipſum abutitur: illud facit non ſolum organum, ſed etiam objectum peccati; illi ſummum dedecus & contumeliam infert fœda libidine, qua ſic abſorbetur animus ut in eo actu turpitudinis nihil aliud cogitare poſſit: nec jam dici poſſit animus ſuus eſſe, ſed ſimul totus homo dici poſſit quod caro ſit, ab imperioſa libidine victus, abſorptus, inquinatus.

Fornicator in corpus ſuum peccat.

S. Aug. ſerm. 161. alias 18. De Verbis Apoſtoli, n. 4.
S. Tomas, Lect. 3.

19. 20. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri?* Non certe attenditis ad corporum veſtrorum conditionem & dignitatem. Corpus veſtrum templum eſt Spiritus ſancti, tum quia per baptiſmum ipſi ad inhabitandum conſecratum eſt, tum quia Spiritus Sanctus ejus inhabitator eſt: *Qui in vobis eſt*, non ſolum per gratiam ſanctificantem & dona ſua, ſed per ſubſtantiam divinitatis, & majeſtatem perſonæ ſuæ; quem habetis a Deo Patre & Filio, a quibus velut ab uno principio procedit verus Deus. In Deum igitur tanti Doni auctorem ingrati eſtis & injurioſi, ſi Spiritum ſanctum per fornicationem expellatis, & templum ejus violetis. Accedit quod non eſtis veſtri juris. *Empti enim eſtis pretio magno*. Redempti eſtis a Chriſto Domino, pretio magno, ſcilicet ejus ſanguine, ideoque in ejus poteſtate eſſe & permanere debetis, ut ſervus in poteſtate emptoris ſui; eique, non libidini ſervire debetis. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro*. Deum per caſtitatem in corpore veſtro honorate & circumferte velut habitatorem in templo ſuo. Addunt quidam Codices, *& in ſpiritu veſtro*, ſed abſunt hæc verba a melioris notæ Manuſcriptis, nec ea legit in ſuis Sanctus Hieronymus, qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit.

Templum Spiritus ſancti fornicatione violatur.

C A P U T VI.

Senſus Moralis.

1\. 2. 3. 4. A*Udet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt?* Fratrem contra fratrem, membrum contra membrum ejuſdem corporis myſtici, oves contra Paſtores litigare; viros Eccleſiaſticos, qui cum adlecti ſunt in Clerum, dixerunt: *Dominus pars hæreditatis meæ*, in litibus pro rerum temporalium poſſeſſione meliorem vitæ ſuæ partem conterere, quam indignum, quam pudendum eſt? Nominis Chriſtiani ſanctitas a litibus deterrere nos debet. *Servum* enim *Domini*, quales nos eſſe profitemur, *non oportet litigare*. Secundo, Chriſtianos a litibus deterrere debet auctoritas & poteſtas ipſis a Chriſto deſtinata, mundum infidelem judicandi. *An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? & ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis?* Sacerdotes etiam in præſenti de rebus conſcientiæ, de negotiis ſalutis æternæ judicant, & fratres ſuos in jus vocant ad ſæcularia Tribunalia? Judicium ſæcularium Magiſtratuum experiri malunt, quam Epiſcopi ſui, aut Conſacerdotum arbitrio ſtare. Ordinis ſui deprimunt dignitatem, caracteris ſui excellentiæ & auctoritati injuriam faciunt. Tertio, Chriſtianos a litibus adverſus fratres deterrere debet poteſtas, quam illis dedit Chriſtus in dæmones, quos etiam in die ultimo judicabunt. *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis ſæcularia?* Sed cupiditatis dæmonium illis dominatur & imperat, qui dæmonibus in Chriſti nomine imperare, illiſque terrori eſſe deberent. Quarto, Chriſtianos deterrere debent, a litibus adverſus fratres ſuſcipiendis vilitas bonorum pro quibus litigatur, & pretium inæſtimabile bonorum, quorum jactura ſæpe fit litigando. Pro rebus terrenis & perituris judicio contenditur; æterna bona quæ nec dari poſſunt ab hominibus, nec auferri, in diſcrimen adducuntur. *Sæcularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Judices arbitros eligere longe convenientius eſt Chriſtianæ profeſſioni, longe conducibilius & conſcientiæ, & domeſticæ paci, & rei familiari. Nam ipſi quoque Advocati millies ſolent dicere, Melius eſſe lites componere per arbitros, quam in foro perſequi, ait S. Chryſoſtomus: ſed cupiditas & pecuniarum ſceleſtus amor eo abripit Chriſtianos ut cum fratribus judicio contendant. Heu quantum abſunt a ſancta primorum Chriſtianorum diſpoſitione! quorum nomine Tertullianus ait: *Ego nihil foro, nihil Curiæ debeo, nulla noſtra præoccupato, nulla Prætoria obſervo. In me unicum negotium mihi eſt. Aliud non curo, quam ne curem.* Unicum negotium, unum neceſſarium Chriſtiano eſſe debet, ſalutis ſcilicet æternæ. *Quid enim prodeſt ei, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* (ait Chriſtus Dominus) Ad negotium æternitatis temporalia omnia referenda, eique omnino poſtponenda ſunt. Apoſtolica illa de vitandis litibus doctrina ſanctiſſimam in Eccleſia diſciplinam primis ſæculis introduxerat, ut Chriſtiani controverſias ſuas de rebus temporalibus Judicio Epiſcoporum ſuorum permitterent, qui Paſtorali caritate eas componebant. Qua de re S. Auguſtinus enarrans hæc verba, „Declinate a me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei, *ait:* Maligni exercent ad „facienda mandata, a ſcrutandis autem avocant; „non ſolum cum perſequuntur, aut litigare nobiſcum volunt, verum etiam cum obſequuntur & „honorant, & tamen ſuis vitioſis & negotioſis cupiditatibus adjuvandis ut occupemur, & eis noſtra „tempora impendamus, efflagitant; aut certe infirmos premunt, & cauſas ſuas ad nos deferre „compellunt: quibus dicere non audemus: Dic „homo: quis me conſtituit judicem aut diviſorem „inter vos? Conſtituit enim talibus cauſſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens „jurgare Chriſtianos. Ne illis quidem qui non aliena „rapiunt, ſed ſua cupide repetunt, dicimus, Cavete ab omni cupiditate, conſtituentes eis ante oculos hominem cui dictum eſt, *Stulte, hac nocte auferetur a te anima tua, quæ præparaſti cujus erunt?* „Quia & quando dicimus, non recedunt, nec declinant a nobis, ſed inſtant, urgent, precantur, „tumultuantur, extorquent, ut ipſis potius ad iſta „quæ diligunt, quam ſcrutandis Dei mandatis, „quæ diligimus occupemur. O quanto tædio turbarum turbulentarum, & quanto deſiderio divinorum eloquiorum, dictum eſt; *Declinate a me maligni, „& ſcrutabor mandata Dei mei?* Ignoſcant obedientes „fideles; qui pro ſuis ſæcularibus cauſſis raro nos „quærunt, & judiciis noſtris facillime adquieſcunt; „nec nos conterunt litigando, ſed obtemperando „potius conſolantur. Certe propter eos qui & inter „ſe pertinaciter agunt, & quando bonos premunt, „noſtra judicata contemnunt, faciuntque nobis perire tempora rebus eroganda divinis; certe, inquam, propter iſtos & nobis liceat exclamare in „hac voce corporis Chriſti, *Declinate a me maligni, „& ſcrutabor mandata Dei mei.*

Quam alieni a litibus eſſe debeant Chriſtiani, maximeque Clerici?

1. Tim. 2. 24.

S. Chryſoſt. Hom. 16.

Tertull. lib. De Pallio.

S. Aug. in Pſ. 118. Serm. 24. n. 3.

Luc. 12. 20.

7\. 8. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos.* Licet ſua in judicio repetere apud Chriſtianos Judices non ſit per ſe peccatum, immo aliquando neceſſarium ſit, & meritorium: lites tamen plerumque peccatum quadruplex concomitatur. Primo, cupiditas & avaritia, quæ ad lites ſuſcipiendas movere & impellere ſolet. Unde cum quidam Chriſto Domino dixiſſet, *Dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem*: Dominus reſpondit, *Quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos?* & addidit, *Videte & cavete ab omni avaritia.* Secundo, diſcordia & exacerbatio animorum, odia, detractiones & calumniæ inter collitigantes. *Ubi zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum,* (ait alius Apoſtolus.) *Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.* Tertio, fraudes, artes malæ, ſubtilitates captioſæ, quibus cauſam ſuam promovere, & adverſarii ſui cauſſam evertere conantur. *Injuſtitiam ſcripſerunt* (ait Propheta) *ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei.* Quod etiam Apoſtolus noſter reprehendit; *Sed vos*, inquit, *injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Quarto, ſcandalum quo ſibi mutuo peccandi occaſionem præbent: cujus vitandi gratia Dominus mandat; *Et qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Nihil magis rerum terrenarum contemptui, quem nobis Evangelium imperat; nihil magis Chriſtianæ patientiæ adverſatur, quam propenſio ad lites. *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* „Crimen eſt duplum, fortaſſe „autem & triplum & quadruplum, (ait S. Chryſoſtomus.) Unum quidem, neſcire ferre cum injuria „ſit affectus. Secundum, injuriam facere. Tertium, „iniquis de his permittere cognitionem. Quartum, „hoc facere fratrem. Neque enim ſimiliter judicantur peccata, quando admittuntur in quemlibet, & in membrum proprium: hoc enim major committitur impudentia: & illic quidem eſt conculcata ſola rei natura, hic autem etiam perſonæ qualitas. *Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Sua judicio repetere, & fraudem non pati, humanum eſt: lites ſuſcipere & perſequi ad rapiendum aliena, ad faciendum injuriam, ad fraudandum Chriſtianum fratrem, non humanæ infirmitatis, ſed diabolicæ malitiæ eſt.

Peccata lites plerumque comitantia. S. Thomas, Lect. 2.

Luc. 12. 13.

Jacobi 3. 16. 18.

Iſai. 10. 2.

Matth. 5. 40.

S. Chryſoſt. Hom. 16.

9\. *Nolite errare: neque fornicatores, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt.* Fruſtra vobis de Chriſtiana profeſſione & nomine blandimini: fruſtra de Dei clementia & miſericordia præſumitis. Nec fides ſine bonis operibus cuiquam proderit ad ſalutem æternam: nec cuiquam ſuffragabitur ad regni cœleſtis poſſeſſionem, quod Chriſtum *Dominum* vocaverit: immo gravior erit Chriſtianorum damnatio, qui Filium Dei conculcant, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt, in quo ſunt ſanctificati, qui majoribus ſunt ingrati beneficiis, qui Sacramentis ſalutis abuſi ſunt. *Nolite errare.* Miſericors eſt Deus, ſed & juſtus eſt. „Uſque adeo juſtitia etiam „plenitudo eſt divinitatis ipſius, exhibens Deum „perfectum, & patrem, & dominum: patrem clementia; dominum diſciplina; patrem poteſtate „blanda, dominum ſevera; patrem diligendum pie, „dominum timendum neceſſarie; diligendum, quia „malit miſericordiam quam ſacrificium; & timendum quia nolit peccatum; diligendum, quia malit „pœnitentiam peccatoris quam mortem; & timendum, quia nolit peccatores ſui jam non pœnitentes. Nolite errare, neque ſola fides, neque ſola Sacramenta, neque eleemoſynæ ſolæ ad ſalutem æternam ſufficiunt; aut proſunt ſine caritate. Quicquid igitur contrarium eſt caritati, excludit a regno cœlorum, quod ſola caritas promeretur & obtinet. Omne porro peccatum mortale repugnat caritati, adeoque excludit a regno. Non ſolum ergo execranda illa peccata, quæ non tam delicta ſunt quam monſtra, ut loquitur Tertullianus, a regno cœlorum excludunt, ſed & illa quæ hominum opinione leviora videntur, quia frequentiora, ut ebrietas & maledicentia. *Neque ebrioſi, neque maledici regnum Dei poſſidebunt*, Via ſancta vocabitur; non tranſibit per eam

Peccata, regno cœlorum excludentia.

Peccatorum error.

Tertullian. lib. 3. contra Marcionem.

Iſai. 35. 8. Apocal. 21.

Digitized by Google

eam pollutos: in cœleſtem Jeruſalem nihil coinquinatum intrabit. Hinc frequens illa vox S. Auguſtini: Peccata mortifera non facit bonæ fidei & bonæ ſpei Chriſtianus, ſed illa ſola, quæ orationis penicillo, & miſericordiæ operibus terguntur. An vero a peccatis mortiferis immunis & purus dici poteſt, cujus vita circulus eſt Confeſſionum & relapſuum in hujuſmodi peccata? Abſolvere, & ad ſacram Communionem admittere hujuſmodi peccatores, in quibus nullum veræ converſionis ſignum, nullus ſinceræ Pœnitentiæ fructus apparet, & in quibus pravi habitus criminum adhuc vivunt, firmiterque radicati ſunt, quid aliud eſt quam illos regno cœlorum dignos judicare contra Apoſtoli ſententiam? Qualis error! *Nolite errare, neque molles, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, regnum Dei poſſidebunt*. Ebrioſorum nomine non ſolum illi intelliguntur qui ſe ita vino ingurgitant ut rationis deliquium patiantur: verum etiam quicumque immodico vini aut alterius potus per ſe inebriare potentis amore menſuram & fines neceſſitatis multum excedunt. Unde Spiritus ſanctus per os Sapientis ait: *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet*. E alibi, *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*.

Proverb. 23. 29. 30. 31.

Iſai. 5. 22.

11. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis; ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti; & in Spiritu Dei noſtri*. O quantum diſcrimen eſt inter id quod ſumus ex nobis, & id quod ſumus per virtutem & gratiam Jeſu Chriſti Domini noſtri; inter primam & ſecundam nativitatem! Hæc nos abluit a peccatis; nos ſanctificat, conſecratque Deo ut membra Filii ejus, & templa Spiritus ejus, nos juſtificat; & cor noſtrum rectum facit amore legis Dei. Filii Adami ex ſeipſis nihil habent niſi mendacium & peccatum: Merita Chriſti Jeſu; & operatio medicinalis Spiritus ſancti, ſpes unica illorum eſt. „ In cauſſa duorum hominum, „ quorum per unum venundati ſumus ſub peccato, „ per alterum redimimur a peccatis; per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur „ ad vitam; quorum ille nos in ſe perdidit faciendo voluntatem ſuam, non ejus a quo factus eſt, „ iſte nos in ſe ſalvos fecit, non faciendo voluntatem ſuam, ſed ejus a quo miſſus eſt: in horum „ ergo duorum cauſſa proprie fides Chriſtiana conſiſtit. *Ideo Apoſtolus noſter ait*: Sed abluti eſtis, ſed „ ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Quid ſumus ex nobis, quid per gratiam Chriſti?

S. Auguſt. lib. De Peccato Origin. c. 24.

12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*. Multa prohibet ſpiritus legis, quæ legis ipſius littera permittit.... Ea licent, & non expediunt, quæ per „ juſtitiam quidem, quæ coram Deo eſt, permittuntur; ſed propter offenſionem hominum, ne ob hoc „ impediantur a ſalute, vitanda ſunt: ea vero non „ licere, & ideo non expedire, quæ ſic ipſa juſtitia vetantur, ut facienda non ſint; etiamſi ab eis, „ quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur. „ Quod ſi ita eſt, ideo non niſi illicita prohibentur „ a Domino, ut ea quæ licita ſunt & non expediunt, non legis vinculo, ſed libera dilectionis „ beneficentia caveantur. Hæc ſunt quæ amplius „ erogantur ſaucio, qui curandus ad ſtabulum Samaritani illius miſeratione perductus eſt. Et ideo „ dicuntur non a Domino præcipi, quamvis Domino „ moneantur offerri; ut tanto intelligantur eſſe gratiora, quanto magis oſtenduntur indebita.

Multa prohibet ſpiritus legis, quæ legis littera permittit.

S. Auguſt. lib. 1. de adulterinis conjugiis, c. 14. & 16.

Luc. 10. 35.

13. 14. *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet. Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori*. Corpus hoc mortale & corruptibile eſcis non indigebit, cum induerit immortalitatem & incorruptionem. Solus Deus hominem ſuſtentabit, & reficiet ad menſam ſuam, in regno ſuo, pane Angelorum, æterna Veritate, quæ ipſe eſt. Tunc nullus alius erit membrorum noſtrorum uſus, quam glorificatio Creatoris. Quam irrationales, quam ſtulti, quorum Deus venter eſt aliquando deſtruendus, ſicut eſcæ quibus ſaginatur? Corpora noſtra Chriſto Jeſu ſervire debent ut ejus membra, non fornicationi, non comeſſationibus, non ebrietati, non voluptati. Chriſtus Jeſus corporum noſtrorum caput, diſſimilia ſibi membra, id eſt, iniquitati & libidini ſervientia non vivificat. In corporibus ergo noſtris Chriſti vitam manifeſtemus ſuper terram, & virtutes quas docuit & exercuit, in mundo exerceamus; ut in ſanctificatis, ac renovatis per reſurrectionem corporibus immortalitatem gloriamque ſuam in cœlis manifeſtet. *Deus vero & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam*. Reſurrectio Capitis, membrorum reſurrectionem operatur. Corpus mortale, immo & mortem ipſam ab hominibus Filius Dei accepit: vitam & immortalitatem cum illis commutavit. O admirabile commercium. Mercatus eſt a nobis quod hic abundat, naſci & mori. Reſurgere & in æternum vivere non hic erat: invenit hic viles merces & terrenas, & terreſtribus attulit peregrinas & cœleſtes. Qui hanc ſui corporis felicitatem ex fide exſpectat, qua ratione ipſum per crapulam, ebrietatem & libidinem polluere poteſt?

Corpora noſtra Chriſto conſecranda.

15. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit*. Id neſcire non licet Chriſtiano, id fidei dogma eſt: & tamen ita vivunt plerique quaſi id ignorarent. Proh dedecus! Grave quidem in Pagano crimen eſt fornicatio; ſed in Chriſtiano longe gravius, & ſpecies quædam ſacrilegii. Quis enim corpora noſtra Dei voluntate & Chriſti Jeſu operatione in baptiſmo, ceteriſque Sacramentis ipſi Deo & Jeſu Chriſto conſecrata non fatebitur, ſi corpus cujuſcumque virginitatem voventis conſecratum cenſetur propria ejus voluntate, devotione, profeſſione? Tam vere Chriſtus in baptiſmo Chriſtiani dicit, *Hoc eſt corpus meum* verum, tametſi myſticum & per gratiam adoptionis: quam vere dicit in Euchariſtia, *Hoc eſt corpus meum* naturale per tranſubſtantionem. Membra igitur ſua a Chriſto avellit, qui corpus ſuum, aut aliquod ejus membrum tradit impudicitiæ, verbis, obtutibus, deſideriis, actionibus impudicis. „ Si Dominus noſter Jeſus Chriſtus tantummodo animam humanam ſuſciperet, membra ejus „ non eſſent niſi animæ noſtræ. quia vero & corpus „ ſuſcepit, per quod etiam caput eſt nobis, qui ex „ anima & corpore conſtamus; profecto illius membra ſunt & corpora noſtra. Si ergo unuſquiſque „ cupiens fornicari, vileſcebat ſibi, & in ſe ipſo „ contemnebat ſe ipſum, non in ſe contemnat Chriſtum: non dicat, Faciam, nihil ſum. Omnis caro „ ſcenum. Sed corpus tuum membrum eſt Chriſti. „ Quo ibas? Redi. Quo te tamquam præcipitare „ cupiebas? Parce in te Chriſto, agnoſce in te „ Chriſtum. *Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* Meretrix eſt enim quæ tibi ad adulterium conſentit: & forte ipſa Chriſtiana tollit „ membra Chriſti, & facit membra adulteri? Invicem in vobis contemnitis Chriſtum, nec agnoſcitis Dominum veſtrum, nec cogitatis pretium „ veſtrum. Qualis autem ille Dominus, qui ſervos „ ſuos fecit fratres ſuos? Sed parum erat fratres „ ſuos, niſi faceret membra ſua. Ita-ne tanta dignitas viluit? Quia tam benigne præſtita eſt, non „ honor ei tribuitur? Si non præſtaretur, deſideraretur: quia præſtita eſt, contemnitur?

Fornicationis eno mitas.

S. Auguſt. Serm. 161. alias 18. De Verbis Apoſt.

17. *Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*. Homo Deum inter & creaturas ſtat medius. Penes ipſum eſt aut carnalem fieri adhærendo creaturis, aut ſpiritualem, adhærendo Creatori. Hoc fit homo, quod diligit. Amor transformat quod unit. Carnem fieri malumus, quam unum cum Deo ſpiritum? Quæ cæcitas! *Optant in homine perſeverare, fieri ſe Deos metuunt*.

Minucius Felix in Octavio.

18. *Fugite fornicationem*. Summa vigilantia vitandæ ſunt proximæ peccati cujuſque, præſertim vero fornicationis occaſiones. „ Cum impudicitia fugiendo „ pugnate, dignum eſt fortitudine Chriſtiana. Beatus Joſeph ut impudicam poſſet evadere dominam, pallium quo apprehenſus fuerat, reliquit, „ & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Nec ſit „ tibi verecundum fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere... Sed ego; inquis, libidinis impetum tamquam adverſarium meum volo captivum „ jugiter retinere. Vide ne contra te incipiat ipſa „ captivas prævalere, & unde te putabas obtinere „ triumphum, inde in æternum incurras opprobrium. *Inter omnia enim Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia caſtitatis; ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria*. „ Gravem namque caſtitas „ ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur, & „ timetur. Et ideo nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, nemo de ſuis viribus periculoſe præſumat; „ ſed audiat Apoſtolum dicentem: *Fugite fornicationem*. De longe vidit David illam, in qua captus eſt. *Mulier longe, libido prope. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet*. „ Attendenda eſt ergo hæc infirmitas carnis. Recordanda ſunt verba Apoſtoli: „ *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore*. „ Non dixit, Non ſit; ſed non regnet. *Ineſt peccatum, cum delectaris; regnat, ſi conſenſeris. Carnalis delectatio, præſertim uſque ad illicita & aliena progrediens, frenanda eſt, non relaxanda; imperio domanda, non in imperio collocanda*, *Attende ſecurus, ſi non habes*

Cum impudicitia pugnandum fugiendo.

S. Cæſarius Arelat. Serm. 89. inter Auguſtinianos De Tempore ſermone in Appendice 293.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 50.

Rom. 6. 12.

unde moveris. Sed reſpondet, Fortiter ſtabo. Numquid tu fortior quam David?

Fornicatio violatio eſt templi Dei.

19. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri?* Corpus hominis Chriſtiani templum eſt manu Dei conditum, a dæmone uſurpatum, peccato pollutum, ſanguine Chriſti Jeſu redemptum, mundatum & denuo conſecratum a Spiritu ſancto. Impudicitia igitur Chriſtiani, ſacrilega profanatio eſt, injuſtitiæ & ingrati animi vitio cumulata. „ Propter corpus Chriſti corpora noſtra „ membra ſunt Chriſti. propter inhabitantem Spiri- „ tum Chriſti corpora noſtra ſunt templum Spiri- „ tus ſancti. Quid horum in te contemnis? Chri- „ ſtum, cujus membrum es? an Spiritum ſanctum, „ cujus templum es? Ipſam meretricem, quæ tibi „ conſentit ad malum, non audes fortaſſe introdu- „ cere in cubiculum tuum, ubi habes lectum tuum „ conjugalem: ſed quæris aliquem abjectum in domo „ tua & turpem locum, in quo turpiter voluteris; „ Defers ergo honorem cubiculo uxoris tuæ, & „ non defers templo Dei tui? Non introducis im- „ pudicam, ubi dormis cum conjuge tua, & tu „ ipſe is ad impudicam, cum ſis templum Dei? Puto „ quia melius eſt templum Dei, quam cubiculum „ uxoris tuæ. Quocumque enim ieris, Jeſus videt „ te, qui fecit te, & perditum redemit te, & pro „ mortuo mortuus eſt pro te. Tu te non agnoſcis: „ ſed ille a te oculos non avertit, non ad adjuvan- „ dum, ſed ad puniendum. *Vultus enim Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* De qua terra? De qua dicitur, *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium.*

S. Auguſt. Serm. 161. alias 18. De verbis Apoſtoli.

Pſal. 33. 16. Pſal. 141. 6.

Deus in corpore noſtro glorificandus.

20. *Empti enim eſtis pretio magno, Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Si contemnis corpus tuum, conſidera pretium tuum. Cur enim tanti nos emit Chriſtus Dominus noſter, niſi ut nos totos & ſecundum animam, & ſecundum corpus, ſolus poſſideat? Deum in corpore noſtro tamquam templo ejus glorificamus, quando illud purum ab omni immunditia ſervamus. *Nam cum omnes templum Dei ſimus, illato in nos & conſecrato Spiritu ſancto, ejus templi æditua & antiſtita pudicitia eſt, quæ nihil immundum nec profanum inferri ſinit, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* Deum in corpore noſtro portamus, cum totum Dei obſequio mancipamus. Impudicus vero diabolum in templo Dei portat, Deique hoſtem irreconciliabilem, ſpreto Deo, in corpore ſuo glorificat. O ſcelus! o ſacrilegium omni execratione dignum!

Tertull. l. 2. De cultu feminar. c. 1.

CAPUT VII.

Senſus Litteralis.

1. **D**E *quibus autem ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Ad dubia quæ mihi per litteras propoſuiſtis ut Doctori ac Prædicatori veſtro, omniumque Gentium, reſpondeo: Bonum eſſe homini mulierem non attingere. Rogarant Corinthii, an oporteat eos qui legitimo Matrimonio uxoribus conjuncti ſunt, deinde baptiſmum acceperunt, uti conjugali conſuetudine. *Bonum eſt*, res per ſe bona eſt in genere moris, præclara, eximia, ad vitam æternam conducibilis; bonum eſt viro uxorem non ducere, quin etiam ea, quam legitime duxerit, non uti, ut Deo liberius ſerviat. Vel, *bonum eſt*, id eſt melius, expeditius, perfectius, ab uſu conjugii virum abſtinere, ut rebus divinis vacet. In uno ſexu alterum intelligi perſpicuum eſt. Non enim minus honeſta, decora, & utilis eſt mulieri continentia, quam viro, ut cogitans quæ Domini ſunt, ſanctam corpore & ſpiritu ſe illi exhibeat. Quanquam vero Moſes ſcripſerit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: cum Apoſtolo non pugnat, nec Apoſtolus cum Moſe. Moſes enim loquitur de bono ſpeciei propagandæ pro tempore quo mundus erat hominibus vacuus; loquitur de bono vitæ temporalis duntaxat: Paulus vero de bono individui, pro tempore quo genus humanum ſatis propagatum eſt, de bono denique ad vitam æternam conducente. Sane melius eſt homini (quod bonum individui ſpectat) a muliere ſibi temperare. Primo quantum ad animam, quia *Nihil ſic dejicit animum virilem ab arce, ſicut contactus illi corporum ſine quo uxor haberi non poteſt.* Et ideo dicitur populo accepturo legem Dei: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris.* Et Achimelech Davidi ait: *Si mundi ſunt pueri maxime a mulieribus, manducent panem ſanctum.* Secundo quantum ad corpus, quod vir per matrimonium ſubjicit poteſtati uxoris, ſe ex libero ſervum conſtituens. Quæ ſervitus præ omnibus aliis amara eſt, judicio Sapientis. *Inveni*, inquit, *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius.* Tertio, quantum ad res exteriores, quarum occupatione neceſſe eſt hominem implicari, qui habet uxorem & filios nutriendos, cum tamen dicatur: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.*

Bonum continentiæ.

Theodoret.

Geneſ. 2. 18.

S. Thomas, Lect. 1. in hoc caput.

S. Aug. l. Soliloq. c. 10.

Exod. 19. 15.

1. Reg. 21. 4.

Eccleſ. 7. 27.

2. Timot. 2. 4.

2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat: & unaquæque virum ſuum habeat.* Propter fornicationem, ſeu, quæ vis eſt Græci Textus, propter *fornicationes*, id eſt, ob evidens libidinis & immunditiæ cujuſvis periculum vitandum, unicuique matrimonii capaci, (quales non ſunt qui continentiæ & caſtitatis voto ſunt obſtricti, qui cum ſuum corpus Domino conſecraverint, illius poteſtatem mulieri facere non poſſunt, ſine fidei Deo datæ violatione) unicuique (inquam) marito permittitur & indulgetur uxoris ſuæ uſus; unicuique uxori conſuetudo cum proprio viro. Sed & liberis ac ſolutis ſive viris, ſive mulieribus, ad idem periculum avertendum conceditur nubendi licentia. Prima neceſſitas attingendi mulierem eſt procreatio filiorum. Unde Geneſ. 1. dicitur: *Maſculum & feminam creavit eos, & benedixit Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Sed hæc neceſſitas fuit circa inſtitutionem humani generis, quamdiu oportuit multiplicari populum Dei per ſucceſſionem carnis. Sed Apoſtolus conſiderans humanum genus jam multiplicatum, & populum Dei jam propagatum, non generatione carnali, ſed regeneratione ſpirituali ex aqua & Spiritu ſancto, prætermiſit hanc neceſſitatem qua primitus inſtitutum fuerat matrimonium in officium naturæ, & proponit ſecundam neceſſitatem, ſecundum quam inſtitutum eſt in remedium culpæ. Quia enim carnalis concupiſcentia adhuc poſt baptiſmum in fidelibus remanet, licet non dominetur, inſtigat maxime homines ad actus venereos propter vehementiam delectationis. Et quia hujuſmodi concupiſcentiæ omni ex parte perfectaque victoria ſuperandæ impares ſunt hominis vires, ſecundum illud, *Non omnes capiunt verbum hoc*: neceſſe fuit reſtringi ſaltem & coerceri, ne in vagos concubitus contra regulas rationis & honeſtatis effunderetur & luxuriaret. Reſtringitur porro matrimonio, & legitimo ejus uſu. Unde Proverb. 5. 17. *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ*, id eſt, quam ab adoleſcentia tua uxorem accepiſti .... *Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & quare foveris in ſinu alterius?*

Ob periculum fornicationis vitandum, uſus matrimonii conjugibus conceſſus.

S. Thomas, in Commentar. Lect. 5.

Matth. 19.

3. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro.* Conjugalis officii debitum mutuo ſibi reddant conjuges, dum ab alterutro exigitur; & quoties infirmitas conjugis ob incontinentiam periclitantis id admonet, nulla que negandi legitima cauſa eſt, qualis eſt conſortis adulterium, apoſtaſia a fide Chriſtiana ſive Catholica, ſævitia, lepra ſeu venerea lues, evidens periculum abortus vel mortis. Græci *debitam benevolentiam* interpretantur, quod Latinus Interpres *debitum* ſimpliciter appellat. Intimi enim & mutui amoris, quo conjuges duo in unam carnem junguntur, argumentum eſt, & ad hoc opus conjuges mutuo ex ordine juſtitiæ, & ratione pacti conjugalis obligantur. Uxoris autem cum viro jus æquale eſt quoad thorum, ſecundum Apoſtoli doctrinam, tametſi in ceteris jus viri in uxorem ſit potius.

Debitum conjugale.

4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Uxor jus plenum, integrum & abſolutum ſui corporis non habet ut pro ſua voluntate poſſit vel continere invito marito, vel alteri cuipiam ſe conjungere; nec tamen permittere vir uxori poteſt ut alteri copiam ſui corporis faciat, quod & pacto matrimoniali, & Dei præcepto repugnat. Quamvis excellens ſit continentiæ bonum, non tamen vovenda eſt a conjugatis, *niſi ex conſenſu & voluntate communi. Et ſi præpropere facta fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio. Neque enim Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid voverit, ſed potius uſurpare vetat alienum.* Hic autem uxoribus priore loco legem tulit Apoſtolus: quoniam hæ maxime ante viros continentiam ſolent amplecti, ut Theodoretus obſervat.

S. Aug. l. 22. Cont. Fauſtum, c. 31.

Conjuges vovere continentiam niſi mutuo conſenſu non poſſunt.

S. Aug. Ep. 9. 127. alias 45. ad Armentarium & Paulinam.

5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Ne vos invicem jure veſtro fraudetis, negando conjugale debitum, etiam ſtudio continentiæ: ſed tantum ex conſenſu mutuo abſtinete vos interdum, ut vacetis orationi. Græcus Textus & Syriaca Verſio addunt, *& jejunio*. Sed Vulgata noſtra SS. Cyprianum & Hieronymum adſtipulatores habet. De oratione publica & ſolemni,

S. Hier. Apol. ad Pammachium contra errores Joviniani.

lemni, ad quam Chriſtiani omnes Dominicis aliiſque ſolemnibus diebus conveniebant, cui adnexa erat oblatio Sacrificii, & corporis ſanguiniſque Domini Communio, intelligenda hæc Apoſtoli verba. S. Hieronymus auctor eſt. Nec tamen his ipſis diebus, & eo fine juſta ſit denegatio debiti, ſed fraus eſt petenti conjugi facta, niſi conſenſus ejus accedat, debiti ſolutionem importunius non urgentis. Poſt tempus vero orationis iterum ad idem convenite, ſcilicet ad opus conjugale, ne diabolus ex infirmitate veſtra & ingenita ad incontinentiam propenſione occaſionem arripiat vos impellendi in adulterium, aliaſve libidines. Hæc verba, *iterum revertimini in idipſum*, præcipientis non ſunt, ſed indulgentis, & carnalium Corinthiorum infirmitati per caritatis viſcera condeſcendentis, ut ex ſequenti Verſu perſpicuum eſt.

S. Gregor. M. lib. 1. Epiſt. 24.

6. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Quod dixi, *Unuſquiſque uxorem ſuam habeat*, &c. &c. *Iterum revertimini in idipſum*, dixi, *ſecundum indulgentiam*, hoc eſt, parcens infirmitati veſtræ, *non ſecundum imperium*; quaſi ſit vobis neceſſarium ad ſalutem. Sumi hic poteſt indulgentiæ nomen pro permiſſione; quæ duplex eſt una minoris mali, ſicut *Moyſes permiſit Judæis dare libellum repudii propter duritiam cordis eorum*, ſcilicet ad vitandum uxoricidium, ad quod proni erant. Talis permiſſio non ſit in novo Teſtamento, quia ipſius perfectioni minime convenit. Alia permiſſio eſt minoris boni, cum ſcilicet homo præcepto non cogitur ad majus bonum. Sic Apoſtolus hic indulget, id eſt permittit Chriſtianis matrimonium, quod minus eſt bonum ſancta virginitate, quæ non præcipitur; ſed ſuadetur. Alio modo ſumitur indulgentiæ nomen pro venia quatenus culpam reſpicit, ſecundum illud Iſaiæ 26. *Indulſiſti, Domine, indulſiſti genti.* Eo ſenſu indulgentia refertur ad actum conjugalem, quatenus habet annexam culpam, venialem tamen propter bona matrimonii, ſine quibus eſſet mortalis. Actus ſcilicet conjugalis quandoque meritorius eſt, & omnis peccati non ſolum mortalis, ſed venialis expers, cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ & educandæ ad cultum Dei. Sic enim eſt actus religionis: vel cum fit cauſa reddendi debitum; qua ratione eſt actus juſtitiæ. Omnis autem actus virtutis eſt meritorius; ſi fiat ex caritate. Quandoque opus conjugale eſt cum culpa veniali, cum quis ad illud ex concupiſcentia excitatur; quæ tamen intra limites matrimonii ſiſtit, ita ut vir ſolam uxorem, mulier unum maritum concupiſcat. Interdum vero eſt culpa mortalis, cum nempe concupiſcentia fertur extra limites matrimonii, & vir accedit ad uxorem, æque libenter aut libentius ad aliam acceſſurus. Opus conjugale primo modo ſpectatum non requirit indulgentiam. Secundo modo habet indulgentiam, inquantum vir concupiſcentiæ propriæ dumtaxat uxoris conſentiens non fit reus peccati mortalis. Tertio modo nullam omnino indulgentiam habet. *In ipſa immoderatiore exactione debiti carnalis*, ait S. Auguſtinus, *quam eis non ſecundum imperium præcipit, ſed ſecundum veniam concedit Apoſtolus, ut etiam præter cauſſam procreandi ſibi miſceantur; etſi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio ſeu fornicatione defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, ſed propter nuptias ignoſcitur.*

Matrimonii ſuum quo ſenſu indulgere ſe dicat Apoſtolus.

Matth. 19.

S. Thomas, Lect. 1. in hoc Caput.

S. Auguſt. lib. de Bono Conjugali, cap. 6.

7. *Volo enim omnes vos eſſe ſicut me ipſum: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic.* Optarem quidem ſingulos veſtrum, ſi fieri poſſet ſpectatis rerum circumſtantiis, perpetuam caſtitatem ſervare, a conjugii vinculo & opere liberos uni Deo ſervire: ſed unuſquiſque fidelium proprium donum habet a Deo, non omnia ſinguli. Quidam donum habent caſtitatis conjugalis, alii vidualis, alii virginalis. Quamvis enim illud longe excellentius, duo tamen priora etiam Dei dona ſunt. Indicat, iis qui donum continentiæ ſentiunt, ſe non habere, nec ad illud obtinendum ſerio eniti volunt per orationes, jejunia, vigilias, paratum eſſe ex conjugio remedium. * *In continentia & perfectionem indicavit Apoſtolus, & quæ ſunt minora conceſſit: & imbecillitati quidem opem ferentia medicamenta protulit; ad ea autem quæ potiora ſunt eligenda ſe ipſum exemplar proponit, caſtitatis ſuæ theſaurum coactus nobis revelare.*

Caſtitas perpetua matrimonio melior.

8. 9. *Dico autem non nuptis, & viduis*, his qui nuptias non ſunt experti, ſeu viris, ſeu mulieribus, vel, qui conjuges amiſerunt: *Bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Melius eſt, excellentius, utilius ad ſalutem, ut cœlibes permaneant, ſicut & ego cœlebs maneo. *Quod ſi non ſe continent, nubant.* Si nimis arduum ac difficile ipſis eſt ſervare continentiam, matrimonii remedium eligant. *Melius eſt enim nubere, quam uri*, id eſt, quam occulta flamma concupiſcentiæ vaſtari. Abuſiva & impropria comparatione utitur Apoſtolus, qua bonum cum malo confertur, ut Eccleſiaſtis 7. *Melior eſt patiens arroganti*; nam nubere bonum eſt, licet minus, uri autem eſt malum. Melius eſt ergo, id eſt magis tolerandum, quod homo minus bonum habeat, quam incurrat incontinentiæ malum. „Nec iis ergo qui „ſe non continent peccatum ſunt nuptiæ, quæ ſi „in comparatione fornicationis eligerentur, minus „peccatum eſſent quam fornicatio, ſed tamen pec„catum eſſent. Nunc autem quid dicturi ſumus adverſus evidentiſſimam vocem Apoſtoli dicentis: *Quod vult faciat, non peccat ſi nubat, &, ſi acceperis uxorem, non peccaſti, & ſi nupſerit virgo, non peccavit?* „Hinc certe jam dubitare fas non eſt, nuptias non „eſſe peccatum. Sæpe & aliis Scripturæ locis comparatio adverſativæ æquipollet: Pſal. 117. 8. *Bonum eſt* (id eſt melius) *confidere in Domino, quam confidere in homine.* Bonum illud, malum iſtud. Lucæ 18. 14. *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo*, ſeu magis quam ille, id eſt, hic juſtificatus, ille non. Joan. 3. 19. *Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, id eſt, tenebras, non lucem dilexerunt. Joan. 12. 43. *Dilexerunt magis gloriam hominum quam gloriam Dei*, id eſt, non gloriam Dei dilexerunt, ſed gloriam hominum. Act. 5. 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*; id eſt non hominibus contraria Dei legi ac mandatis jubentibus. Sic, *Melius eſt nubere quam uri*, id eſt, bonum eſt nubere, non uri, ſeu libidinis ardore flagrare, eique conſentire.

* *Theodoret. in hunc locum. nec ille ſolus, ſed & alii Patres S. Paulum in perpetua caſtitate vixiſſe ſenſerunt, SS. Epiphan. Hæreſ. 58. Hieronymum lib. de Cuſtodia Virgin. Chryſoſt. Hom. 19. Auguſt. lib. De Gratia & ...*

Libero vobis ... c. 4. & ante ... omnes. Tertull. lib. 1. Ad Uxorem, & alibi, S. Aug. l. De ſancta Virginit. cap. 34. S. Thomas, d. ... S. Auguſt. lib. De Bono ... cap. ...

Melius eſt nubere, non omnibus qui continendi patiuntur difficultatem graviſſimam, & in peccandi periculum frequens propter carnis infirmitatem & tentationes vehementes adducuntur; ſed iis tantum quibus contrahendi conjugii poteſtas eſt, & qui nulla lege ac voto continentiæ ſunt adſtricti. Unde Apoſtolus noſter Viduas quæ ſe ad perpetuam continentiam Deo devoverunt, & poſtea nubere volunt damnationi obnoxias pronuntiat alibi. „Quia primam „fidem irritam fecerunt, *non quia ipſæ nuptiæ vel* „*talium damnandæ judicantur*, Sed damnatur pro„poſiti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur „non ſuſceptio a bono inferiore, ſed ruina ex bono „ſuperiore, ait S. *Auguſtinus*. *Qui & infra ſubdit*: „Lapſus & ruinæ a caſtitate ſanctiore; quæ vovetur „Domino, adulteriis eſſe pejores. Si enim; quod „nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chri„ſti pertinet, cum membrum ejus fidem non ſervat „marito; quanto gravius offenditur cum illi ipſi non „ſervatur fides in eo quod exigit oblatum, qui non „exegerat offerendum? cum enim quiſque non red„dit, quod non imperio compulſus, ſed conſilio com„monitus vovit; tanto magis fraudati voti auget ini„quitatem, quanto minus habuit vovendi neceſſita„tem.

Nuptiæ iis non permiſſæ, qui continentiæ voto ſunt obſtricti.

1. Tim. 5. 12.

S. Auguſt. lib. De Bono Viduitatis, c. 9. & 11.

10. 11. *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt præcipio, non ego*, ex propria ſententia, ab Apoſtolica etiam auctoritate & impulſu Spiritus ſancti, *ſed Dominus*, Chriſtus ipſe legem ferens Evangelicam. præcipio inquam, ſeu potius a Chriſto Domino noſtro præceptum denuntio, *uxorem a viro non diſcedere*, cum viro paris cultus non facere divortium, excepta cauſa fornicationis, quam Chriſtus excepit, & quæ hic tacetur utpote notiſſima. Hanc ſolam excepit Dominus, ceteras omnes moleſtias pro fide conjugii juſſit fortiter ſuſtineri. *Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Si vero ſeparata fuerit a viro ex cauſa fornicationis, præcipio ut innupta maneat quamdiu vivet maritus; quia etſi ſolvitur matrimonium quoad thorum, indiſſolubile tamen eſt quoad vinculum. Si autem ſine viri conſuetudine vivere non poſſit, ejuſque, vel viri ſalus in periculo verſetur propter infirmitatem carnis & incontinentiam, redeat in gratiam, donum, & thorum mariti ſui, ſi vir penitens eam recipere velit. *Et vir uxorem non dimittat.* Subintelligitur niſi ex cauſa fornicationis. Similis enim forma in viro & uxore ſervanda eſt; in hoc enim paris ſunt conditionis. Supplendum igitur eſt quod de uxore præmiſit, ſcilicet, ſi vir uxorem omnino dimiſerit, non ducat aliam, vel reconcilietur uxori. Reſpuenda Ambroſiaſtri commentatio ut Scripturæ ſacræ & Traditioni contraria. „Ideo, *inquit*, non ſubdit de „viro ſicut de muliere; quia licet viro aliam du„cere, quia inferior non omnino hac lege utitur „qua & ſuperior. *Sed S. Ambroſius diſerte pronun*„*tiat*: Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum. „Omne ſtuprum adulterium eſt, nec viro licet, „quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab „uxore debetur caſtimonia. *Et alibi*: Dimittis ergo „uxorem quaſi jure, ſine crimine, & putas id tibi „licere quia lex humana non prohibet; ſed divina „prohibet. Qui hominibus obſequeris, Deum vere„re.

Indiſſolubilitas matrimonii.

Matth. 19. 9. Marci 10. 11. Luc. 16. 18.

S. Aug. lib. ... ſermone Dom. in monte, cap. 14. & 16. ... Lect. 2.

S. Ambr. lib. De Abraham c. 4. & lib. 8. in Lucam, n. 5.

Digitized by Google

re. Audi legem Domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferunt. Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet. Cajetanum Cardinalem & Catharinum in Ambroſiaſtri commentum propendentes ab eo penitus abduxiſſet ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ contraria definitio. „

Concil. Trident. Seſſ. 24. Can. 7.

12. 13. *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Quod enim ſpectat ceteros conjuges diſparis cultus & religionis, quorum ſcilicet alter Chriſto nomen dedit poſt matrimonium, alter infidelis permanet, *ego dico*, Apoſtolica quidem auctoritate & ſancti Spiritus afflatu, conſilium do, præceptum Domini non denuncio, quod ea de re nullum eſt; auctor ſum, inquam, ut *ſi quis frater* ſi quis Chriſtianus *uxorem habet infidelem*, quam duxit quo tempore & ipſe infidelis erat, *& hæc conſentit habitare cum illo*, ſine contumelia Creatoris, ſine Chriſtianæ Religionis injuria, *non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem*, cui nupſit antequam in Chriſtum ipſa crederet, *& hic conſentit habitare cum illa*, ſine contumelia Creatoris, *non dimittat virum*: ab eo ne ſeparetur .... „Si ergo non præcipit Apoſtolus ex Domini perſona, ſed ex ſua perſona monet, ita eſt hoc bonum, ut ſi quis aliter fecerit, non ſit præcepti tranſgreſſor: ſicut de virginibus paulo poſt dicit, præceptum Domini ſe non habere, conſilium autem dare; atque ita laudat virginitatem, ut arripiat eam qui voluerit, non tamen ut ſi non fecerit, contra præceptum feciſſe judicetur. Aliud enim eſt quod jubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoſcitur. Jubetur mulier a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam; aut viro reconciliari: aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis, ſi habet uxorem infidelem conſentientem ſecum habitare, non eam dimittere: licet ergo & dimittere: quia non eſt præceptum Domini, ne dimittat, ſed conſilium Apoſtoli; ſicut monetur virgo non nubere, ſed ſi nupſerit, conſilium quidem non tenebit, ſed contra præceptum non faciet. Ignoſcitur cum dicitur, *Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium.* Quapropter ſi licet ut dimittatur conjux infidelis, quamvis melius ſit non dimittere, & tamen non licet ſecundum præceptum Domini ut dimittatur conjux niſi cauſa fornicationis, fornicatio eſt etiam ipſa infidelitas. Quid enim tu dicis, Apoſtole? Certe ut vir fidelis conſentientem ſecum habitare mulierem infidelem non dimittat. Ita, inquit. Cum ergo hoc Dominus præcipiat, ne dimittat vir uxorem, niſi cauſa fornicationis, quare hic dicis, *Ego dico non Dominus?* Quia ſcilicet idololatria quam ſequuntur infideles, & quælibet noxia ſuperſtitio, fornicatio eſt. Dominus autem permiſit cauſa fornicationis uxorem dimitti: ſed quia permiſit, non juſſit, dedit locum Apoſtolo monendi; ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quo ſic fortaſſe poſſit fieri fidelis.

S. Aug. lib. De Sermone Domini in Monte, c. 16.

Et lib. 1. De Conjugiis adulterinis, cap. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Sedulius in Commentar. S. Thomas, Lect. 2.

„Licet igitur fideli conjugem infidelem dimittere; quia hoc nec prohibuit Dominus, nec juſſit; ſed non expedit, ut monet Apoſtolus, ne propter conjugum ſeparationes offenſi homines, ipſam doctrinam ſalutis, qua illicita prohibentur, exhorreant, ac ſic pejores perituri in eadem infidelitate remaneant ... Aliud eſt itaque Domini jubentis imperium, aliud conſervi ſecundum miſericordiam caritatis, quæ eſt illi a Domino inſpirata atque donata, fidele conſilium. Ibi aliud facere non licet, hic autem licet: ita ſane ut ipſum licitum partim quidem expediat, partim vero non expediat. Expedit tunc, quando non ſolum per juſtitiam, quæ coram Domino eſt, permittitur, ſed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum ſalutis infertur: velut cum dat conſilium non nubendi Apoſtolus virgini, unde præceptum Domini ſe non habere teſtatur; licet aliud facere id eſt nubere, & minus quam continentiæ, bonum tamen tenere nuptiarum. Ipſumque licitum etiam expedit: quoniam in vetita & illicita ruituram carnis infirmitatem ſic excipit honeſtate nubendi, ut neminem impediat ad ſalutem; quamvis magis expediret; magiſque honeſtum eſſet, ſi virgo conſilium, quod præceptum eam non compellit, arriperet. Tunc autem non expedit id quod licitum eſt, quando permittitur quidem, ſed uſus ipſius poteſtatis aliis affert impedimentum ſalutis. Sicut eſt diſceſſio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injuſta non eſt, ſed prohibet Apoſtolus conſilio caritatis, quia infidelibus affert impedimentum ſalutis: non ſolum quia pernicioſiſſime ſcandalizantur offenſi; verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint viventibus eis a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime reſolvuntur. „

Conjugem infidelem dimittere licet non ſemper expedit.

14. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Præparatur & diſponitur vir infidelis ad veram ſanctitatem per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virum fidelem. Quia dum conjugi ſine contumelia Creatoris & injuria religionis pacifice cohabitare conſentit, dum pia conjugis exercitia non impedit, dum filios fide Chriſti imbui baptiſmo & initiari ſinit, quaſi viam ſternit ſibi ut per preces, verba & exempla fidelis conjugis ad Chriſti fidem convertatur & ſanctus fiat. Confer cum 1. Petri 3. *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram.* Et cum verſu Apoſtoli noſtri, verſ. 16. hujus capitis, *Unde enim ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?* „Exempla jam forte præceſſerant, & virorum, quos uxores, & uxorum quas mariti lucrifecerant Chriſto, & parvulorum ad quos faciendos Chriſtianos voluntas Chriſtiana etiam unius parentis vicerat. „

Conjux infidelis per fidelem diſponitur ad fidem ſuſcipiendam.

S. August. lib. 1. De Peccatorum merit. & remiſſ. c. 12. & lib. 1. De Sermone Dom. in Mont. c. 16.

Alio modo exponi poteſt hic locus de quadam ſanctitatis aſpergine, quam conjux infidelis ex conſortio conjugis fidelis participat, illius exemplo diſcens & aſſueſcens abſtinere non modo ab adulterio, verum etiam a ceteris impudicitiis, quibus Gentiles tuum naturalem in eum qui eſt contra naturam plerumque immutant. Confer cum 1. ad Theſſalonic. 4. 3. 4. 5. *Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos a fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore; non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.* Sane Gentilis uxorem ſuam ex gentibus vocatam ad fidem Chriſti *ſcit meliorem factam, ex quo Chriſtianam, ſic & ipſe Dei candidatus eſt timens. Ita facilius hujuſmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia conſuetudinem fecit.* (ait Tertullianus.)

Tertull. lib. 2. Ad Uxorem, cap. 7.

Alioquin filii veſtri immundi eſſent, idololatriæ ſordibus, profanis devotionibus, ritibuſque ſuperſtitioſis polluti, in cultum idolorum educati, ab Eccleſia prorſus alieni: nunc autem ſancti ſunt, ab illis immunditiis ſervantur, procuratur illis ſanctitas, dum cura Chriſtiani parentis baptizantur, in Chriſti fide inſtituuntur, & Chriſtiane educantur. Deus ſcilicet ad educationem liberorum opitulatur parti meliori. Cujus rei exemplum habemus in Timotheo: nec dubium quin multa extiterint alia hujuſmodi cum hæc Paulus ſcriberet. Hunc Tertullianus: *Si ergo*, inquit, *ratum eſt apud Deum matrimonium ejuſmodi, cur non & proſpere cedat, ut preſſuris, & anguſtiis: & impedimentis, & inquinamentis non ita laceſſatur, habens jam ex parte divinæ gratiæ patrocinium?* Ceterum nec fidei peccati originalis, nec baptiſmi neceſſitati præjudicat hic Apoſtoli locus, quem egregie Tertullianus tractat & exponit in eum, quem mox dixi, ſenſum. „Cui enim hominum, *inquit*, non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam janua nativitatis animas aucupabundus, vel qua invitatus tota illa puerperii ſuperſtitione? Ita omnes idololatria obſtetrice naſcuntur, dum ipſi adhuc utero infulis apud idola confectis redimiti, genimina ſua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur: dum per totam hebdomadam Junoni menſa proponitur: dum ultima die Fata ſcribunda advocantur: dum prima etiam conſtitutio infantis ſuper terram, Statinæ deæ ſacrum eſt. Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut aliquem excipit crinem, aut tota novacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro obſignat, pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione? ... Adeo nulla ferme nativitas munda eſt, utique ethnicorum. Hinc enim & Apoſtolus ex ſanctificato alterutro ſexu ſanctos procreari ait, tam ex ſeminis prærogativa, quam ex inſtitutionis diſciplina. Ceterum, inquit, immundi naſcerentur: quaſi deſignatos tamen ſanctitati, ac per hoc etiam ſaluti, intelligi volens fidelium filios; ut hujus ſpei pignore matrimoniis, quæ retinenda cenſuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis, Niſi quis naſcetur ex aqua & Spiritu, non ibit in regnum Dei, id eſt, non erit ſanctus. Ita omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur: tamdiu immunda, quamdiu recenſeatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate. „ Hunc Tertulliani locum S. Hieronymus laudat, ejuſque expoſitionem approbat. Paulino reſpondens: „De ſecundo problemate tuo, *inquit*, Tertullianus in libris de Monogamia diſſeruit, aſſerens ſanctos dici fidelium filios, quod quaſi candidati ſint fidei, & nullis idololatriæ ſordibus polluantur. Simulque conſidera, quod & vaſa ſacra in Tabernaculo legimus, & cetera quæ ad ritum

Tertull. lib. De Anima, c. 39. & 40.

Chriſtianorum filii quaſi deſignati ſanctitati, & candidati fidei,

Originale peccatum.

S. Hieron. Epiſt. 153. Ad Paulinum & Epiſt. 7. Ad Lætam.

„ cere-

„ ceremoniarum pertinent; cum utique ſancta eſſe non poſſint niſi ea quæ ſentiunt & venerantur Deum. Idioma igitur Scripturarum eſt, ut interdum ſanctos pro mundis & purificatis atque expiatis nominent; ſicut & Bethſabee ſanctificata ſcribitur ab immunditia ſua: & ipſum Templum Sanctuarium nominatur. Et alibi: Sancta & fidelis domus virum ſanctificat infidelem. Jam candidatus eſt fidei, quem filiorum & nepotum credens turba circumdat.

S. Auguſt. Serm. 294. alias 14. De Apoſtolo.

Sanctus Auguſtinus de baptiſmo parvulorum contra Pelagianos diſſerens, eorum objectioni contra peccatum originale, ac baptiſmi neceſſitatem ex hoc loco Apoſtoli petitæ ſic reſpondet: „ Quomodo intelligis de fidelibus natum ita ſanctum, ut baptizari non debeat? Quomodo libet, accipias iſtam ſanctitatem. Multi enim modi ſunt ſanctitatis, & multi modi ſunt ſanctificationis. Non enim omne quod ſanctificatur, ad regnum cœlorum mittitur. De eſca noſtra dixit Apoſtolus, *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*. Numquid quia eſca noſtra ſanctificatur, non ſcimus quo mittatur? Diſce ergo eſſe aliquem modum, & quaſi umbraculum quoddam ſanctificationis, quod non ſufficiat ad perceptionem ſalutis. Diſtat, & quid diſtet, Deo notum eſt, Tamen cum filio fidelium curratur ad baptiſmum, non ſic errent parentes, ut putent eum jam fidelem natum. Natum enim poſſunt dicere, non renatum. Nam ut noveris quo modo intelligas ſanctificatos filios fidelium, ut modo non quæram, quia longum eſt, modum ſanctificationis hujus, ibi & maritum habes infidelem, ibi habes & uxorem fidelem. „ *Sanctificatus* eſt, *inquit*, vir infidelis per mulieren fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. „ Numquid quia eſt ibi forte modus aliquis ſanctificationis, ut vir infidelis ſanctificetur in uxore fideli, ideo jam ſecuritatem debet accipere, quod in regnum cœlorum intraturus eſt, & non baptizandus, non regenerandus, non Chriſti ſanguine redimendus? Quomodo ergo ſanctificatur vir infidelis in uxore, & tamen perit, niſi baptizetur: ſic filii fidelium, etſi ad quemdam modum ſanctificati, pereunt tamen, ſi non fuerint baptizati.

1. Tim. 4. 5.

Cultus diſparitas matrimonium dirimit.

S. Joan. Chryſoſt. Hom. 19. in hanc Ep. S. Ambroſius lib. 8. in Lucam, n. 2. & 8. & Ambroſiaſter in hunc locum. Theophilact. Oecumenius, S. Thomas, in Comment.

15. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat*. Si autem pars infidelis cohabitare nolit fideli ſine Creatoris injuria, ejuſque religione offenſus eam relinquat, ſinat eum diſcedere, tamquam per illius diſceſſum ac ſeparationem libertati ſuæ reſtituta. *Non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*: Vir aut mulier fidelis ſubjecti non ſunt matrimonii ſervituti in hujuſmodi caſu, ſed ſoluti ſunt a vinculo & lege matrimonii, ita ut alteri nubere, aut continentiam vovere poſſint; nec infidelem conjugem ſequi, aut reconciliationem cum illo tentare teneantur. *In pace autem vocavit nos Deus*. Ad pacem, ſive ad Deum pacifice & tranquille colendum vocati ſumus, quod fieri non poſſet niſi vir aut mulier fidelis a ſervitute matrimonii liberarentur in eo caſu quo infidelis Chriſtianæ Religionis odio ſeparat ſe a fideli conjuge, vel ipſi cohabitare non vult ſine contumelia Creatoris, ut ſi ſacrificare jubeat, aut eſſe ſociam impietatis, & quotidie rixetur & pugnet ut illam pertrahat ad damnabilia peccata.

Vide cap. *Quanto*: & cap. *Gaudemus*, Ext. De Divortiis, quæ ſunt Innocentii 3.

16. *Unde enim ſcis, mulier, ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?* Si autem, ut dictum eſt, conjux infidelis pacifice cohabitare velit conjugi fideli ſine Creatoris injuria, eum non dimittat fidelis. Spes enim eſt fore ut mulier infidelis per virum fidelem, & vir infidelis per mulierem fidelem ad Chriſti fidem & veri Dei cultum adducendus ſit, conſortis monitis & exemplis.

17. *Niſi unicuique ſicut diviſit Dominus, unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet*. Verumtamen unuſquiſque in eo vitæ genere & ſtatu maneat, ac Deo ſerviat, in quo vocatus eſt; ſorte ſibi per divinam providentiam data ſit contentus, ne exoſa ſit infidelibus Chriſtiana Religio, & pax turbetur, ſi fidei prætextu ſtatus & conditiones mutentur; *& ſicut in omnibus Eccleſiis doceo*. Nec vobis ſolum, o Corinthii, id præcipio, ſed omnium Eccleſiarum fidelibus, non eſſe neceſſe mutare vitæ genus ac ſtatum propter fidei Chriſtianæ profeſſionem, modo id vitæ genus honeſtum ſit: quia baptiſmus delet peccata, vitæ ſtatus & conditiones non mutat, non evertit. Vel, *Unicuique ſicut diviſit Dominus*. Quod dixi, fidelem infideli conjuge diſcedente non eſſe ſubjectum ſervituti, ut eum ſequatur aut retineat, quo minus tamen id faciat non prohibeo, ſi Dei gratia ſingulari moveatur & impellatur ad retinendum conjugem infidelem, divortium facere volentem, ſperans illum ad Chriſtianam religionem converſum iri.

Chriſtiana Religio ſtatus & conditiones mutare non cogit, modo ſit honeſtum vitæ genus.

18. *Circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium*. Qui ad fidem vocatus eſt cum prius circumciſus eſſet, utpote Judæus, non affectet incircumciſum videri, ſeu ut incircumciſum ſe gerere: non attrahat arte medica & quibuſdam inſtrumentis ad hoc adinventis reſiduam præputii pelliculam, quaſi circumciſionis notam ducens dedecori: non ipſum pœniteat aut pudeat circumciſionis in Judaiſmo ſuſceptæ, cum legis ceremoniæ nondum eſſent mortiferæ. Maimonides inter eos qui partem non habent in ſæculo futuro, recenſet eum qui attrahit præputium ſuum. Nonnulli itaque ex Judaiſmo ad Chriſtianam Religionem vocati, cum adeo ſuperſtitioſi eſſent, ut aliqua Judaici ritus veſtigia in corpore ſuo ſupereſſe nollent, præputia quæ infantes amiſerant, reparare conabantur. Ideo Apoſtolus ait: Qui vocatus ad fidem eſt ex circumciſione, ne ſe feliciorem aut ſanctiorem exiſtimet ſi ſit præputiatus. *In præputio aliquis vocatus eſt, non circumcidatur*. Qui ex Gentibus incircumciſis vocatus eſt ad fidem Chriſti, ne circumciſionem ſuſcipiat, quæ Judaiſmi profeſſio eſt, & Chriſti abnegatio. Unde idem Apoſtolus alibi ſcribit: *Ecce ego Paulus dico vobis: Quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*.

Conferrum 1. *Machab.* 1. 16. & Joſepho lib. 12. *Antiqu. Judaic.* c. 6. Vide *Celſum Medicum*, l. 7. c. 25. S. Epiphan. *De Ponderibus & Menſur.* 1. n. 16. p. 171. Theophylact. in Comment.

Galat. 5. 2.

19. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt: ſed obſervatio mandatorum Dei*. Circumciſum eſſe vel incircumciſum, nullius eſt momenti ad ſalutem æternam, quæ in obſervatione mandatorum Dei unice poſita eſt. Non ait Apoſtolus, Circumciſionem nihil fuiſſe tempore veteris legis, erat enim ſignaculum juſtitiæ fidei, & adjuncta fide in Chriſtum Mediatorem plurimum Judæis proderat, immo neceſſarium erat maſculis qui diem octavum a nativitate attigiſſent, ad delendum peccatum originale, Sacramentum; ſed tempore legis Evangelicæ, abrogatis per Chriſti mortem & reſurrectionem legis Moſaicæ ritibus & ſacramentis, perinde eſt ad ſalutem eſſe ex Judaiſmo vel Gentiliſmo vocatum ad Chriſti fidem, eſſe circumciſum, vel incircumciſum, modo mandata Dei ſerventur ex caritate, quæ novam creaturam efficit, ut noſter Apoſtolus alibi inculcat. *Nam in Chriſto Jeſu*, inquit, *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per caritatem operatur*. Et rurſus: *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*.

Galat. 5. 6. & *cap.* 6. 15.

20. *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*. Nemo temere & abſque juſta cauſa mutet vitæ genus & ſtatum ſeu conditionem, in qua divinæ providentiæ conſilio conſtitutus erat, cum ad Chriſti fidem vocatus eſt, modo ea conditio nihil obſit fidei, boniſque moribus, alioquin vocatio non eſſet, ſed humanæ cupiditatis præſumptio, & diabolica tentatio.

21. *Servus vocatus es?* Servus eras cum ad Chriſti fidem vocatus es? *Ne ſit tibi curæ*. Ne te res illa angat, quaſi conditio ſit indigna Chriſtianis; ne propterea fugias a Domino eo prætextu ut Chriſto liberius ſervias. *Sed etſi potes fieri liber, magis utere*. Sed etſi poſſis te in libertatem vindicare, permittente domino, potius permane in conditione ſervi, tum ad Chriſtianæ humilitatis & patientiæ exercitationem, tum ut domini tui ſalutem procures, ipſum ad Chriſti fidem perducendo, ſi Deus dederit.

22. 23. *Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini*. Rationem reddit Apoſtolus ſuperioris ſententiæ, *Servus vocatus es? Non ſit tibi curæ*, ac ſervi liberique hominis parem in Chriſto conditionem eſſe docet. Qui enim ad Chriſti fidem vocatus eſt cum ſervus eſſet, a ſervitute peccati ab eo liberatus, ei tamquam liberatori ſuo ac Domino in perpetuum obnoxius eſt. *Similiter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti*. Qui vocatus eſt ad fidem, cum liber eſſet, ſervus nihilominus eſt Chriſti, a quo redemptus pariter eſt a dæmonis & peccati ſervitute. *Pretio empti eſtis*, magno & inæſtimabili, ſanguine ſcilicet Chriſti, qui vos redimendo ſervos ſuos fecit. *Nolite fieri ſervi hominum*. Ne vos ita ſervitute & obſequiis hominum addicatis, ut ab obſequiis Chriſto Domino debitis impediamini vel retrahamini, cui periculo vos exponeretis, ſi hominum infidelium ſervitio ſponte vos manciparetis. Etſi corpore ſerviatis, animi libertatem Chriſti partam ſanguine ſervate, mentes & conſcientias veſtras ne hominibus ſubjiciatis, ſed unius Chriſti Domini fidei ac legi.

Servi liberique hominis par in Chriſto conditio.

24. *Unuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum*. Unuſquiſque in eo ſtatu maneat, in quo erat cum vocatus eſt ad Chriſti fidem, ſalva obedientia quæ Deo debetur, cui magis obediendum eſt quam hominibus. Hoc idem cohortationis præmium & epilogum poſuit Apoſtolus.

25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino ut ſim fidelis*. De virginibus autem, quæ nondum continentiam voverunt, præceptum non habeo traditum a Domino, ut ſine conjugio

Virginitas ut melius bonum ſuadetur, non præcipitur.

Digitized by Google

jugio maneant & continentiam ſervent: conſilium autem do de continentia ſervanda, ut de meliori bono, tamquam Apoſtolatum Dei miſericordia conſecutus, ut bona fide omnes per Chriſtum vocatos doceam quid melius & ipſi acceptius. *Sola eſt virginitas*, ait S. Ambroſius, *quæ ſuaderi poteſt, imperari non poteſt. Rei magis voti eſt, quam præcepti. Quod enim gratiæ eſt, non jubetur, ſed deſideratur: electioniſque magis eſt quam ſervitutis . . .* „ Præcepto quiſquis non obtemperat, reus eſt & debitor pœnæ (ait S. Auguſtinus). Proinde quia uxorem ducere vel nubere peccatum non eſt, ſi autem peccatum eſſet, præcepto vetaretur; propterea præceptum Domini de virginibus nullum eſt. Sed quoniam de vitiatis remiſſiſve peccatis, adeunda eſt vita æterna, in qua eſt quædam egregia gloria; non omnibus in æternum victuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda, cui conſequendæ parum eſt liberatum eſſe a peccatis, niſi aliquid ipſi Liberatori voveatur, quod non ſit criminis non voviſſe; ſed voviſſe ac reddidiſſe ſit laudis, ideo ait Apoſtolus, *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis*. Neque enim invidere debeo fidele conſilium, qui non meis meritis, ſed Dei miſericordiam ſum fidelis.

S. Ambroſ. in Exhortatione Virginitatis, cap. 3.

S. Auguſt. lib. De ſancta Virginit. cap. 25.

26. *Exiſtima ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quia bonum eſt homini ſic eſſe*. A Spiritu ſancto edoctus exiſtimo id quod dixi de virginitate ſervanda bonum eſſe præclarum & eximium, ſive melius eſſe & ad vitam æternam conducibilius, manere cœlibem ac virginitatem ſervare, propter moleſtias conjugatis imminentes, onera & incommoda ſtatus conjugalis, quæ ſunt impedimenta ſalutis, quia cogitare cogunt quæ mundi ſunt. Bonum, inquam, eſt tam viro quam mulieri virginem permanere, continentiam ſervare, utrique ſexui melius eſt; non ſolum propter præſentem neceſſitatem, & moleſtias vitandas, quæ a conjugio ſunt inſeparabiles, ſed propter futuram æternitatem. Præſentis namque neceſſitatis rationem Apoſtolus non haberet, niſi providens & conſulens in futurum: cum omnis ejus diſpenſatio hominiſ ad vitam æternam vocet. *Præſens ergo eſt vitandæ neceſſitas, ſed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum. qua neceſſitate vita cogitur conjugalis cogitare quæ mundi ſunt, quomodo placeat vir uxori & uxor viro. Non quod eu ſeparent a regno Dei, ſicut ſunt peccata, quæ ideo præcepto, non conſilio cohibentur, quia Domino præcipienti non obedire damnabile eſt: ſed illud quod in ipſo Dei regno amplius haberi poſſet, ſi amplius cogitaretur quomodo placendum eſſet Deo, minus erit utique cum hoc ipſum minus conjugii neceſſitate cogitatur*.

S. Auguſt. lib. De ſancta Virginit. cap. 14.

27. *Alligatus es uxori? Noli quærere ſolutionem*. Duplici vinculo Matrimonii ligatus es, ſcilicet conſenſu, quo ratum eſt Matrimonium, & copula qua conſummatum, noli quærere divortium: indiſſolubile enim vinculum eſt. (Quamquam ſola ſponſione aut conſenſu obligatus poſſit ſolutionem quærere per ſolemnem trium votorum in Religione approbata profeſſionem) *Solutus es ab uxore?* Liber es a conjugio? *Noli quærere uxorem*. Illud conſilii. Primum de divortio ſine cauſa legitima non quærendo, præcepti. Noli quærere uxorem, ſi tamen continere poſſis: quod quidem verbum non omnes capiunt. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit: & cui datum non eſt, *Melius eſt nubere, quam uri*, ait Apoſtolus noſter.

S. Thomas in Comm. ac. Lect. 5. cap. Commiſſum. Juſt. De Sponſal. Concil. Trid. Seſs. 25. Can. 6.

28. *Si autem acceperis uxorem, non peccaſti*, cum nuptiæ per ſe bonæ ſint, & a Deo inſtitutæ: *& ſi nupſerit virgo*, quæ Deo non eſt ſancta profeſſione dedicata, ſeu voti religione obſtricta, *non peccavit*. Ceterum ſi nupſerit vel nubere voluerit virgo Chriſto conſecrata, damnationi obnoxia eſt, quia primam fidem irritam fecit; nec adultera ſolum eſt, ſed inceſta. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi*. Plures tamen moleſtias & afflictiones in carne ſeu exteriori homine experientur conjuges. *Ego autem vobis parco*. Has afflictiones percenſere nolim, veſtræ conſulens infirmitati, ne etiam incontinentes cum ſuæ ſalutis periculo a nuptiis abſterreantur. „ Hoc modo exhortatur Apoſtolus ad virginitatem continentiamque perpetuam, ut aliquantulum a nuptiis etiam deterreat, modeſto ſane, non tanquam a re mala & illicita, ſed tamquam ab oneroſa & moleſta. Aliud eſt enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem, illud eſt criminis facere, hoc laboris eſt pati, quem pleruſque homines pro officiis etiam honeſtiſſimis non recuſant. *Sed pro habenda conjugio jam hoc tempore, quo non per carnis propaginem ventura Chriſto ipſius prolis propagatione ſervitur? iſtam tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apoſtolus, ſuſcipere tolerandam perſtultum eſſet, niſi metuerentur incontinentibus, ne tentante ſatana in peccata damnabilia laberentur. Quod autem ſe dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim ſanius occurrit; quam eum noluiſſe aperire & explicare verbis eamdem ipſam carnis tribulationem, quam prænuntiavit eis qui eligunt nuptias, in ſuſpicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus & mæroribus orbitatis. Quotus enim quiſque, cum ſe connubii vinculis alligaverit, non iſtis trahatur atque agitetur affectibus? Quos neque nos exaggerare debemus, ne ipſis non parcamus quibus parcendum exiſtimavit Apoſtolus*.

Nuptiæ per ſe bonæ.
1. Tim. 5.
S. Hier. lib. 1. Contra Jovinian. cap. 7.

S. Auguſt. lib. De ſancta Virginitate cap. 16.

Moleſtiæ nuptiarum.

29. 30. 31. *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve eſt: reliquum eſt ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint*. Tempus hujus vitæ, quo non generatione carnali propagandus eſt populus Dei, ſed regeneratione ſpirituali colligendus, contractum eſt, anguſtum, breve; ex hoc mundo citius abeundum eſt quam putemus. Id ſupereſt agendum, ut conjugati libidini & operi carnali non ſerviant, quo animus a Deo avocatur; ne animum atque amorem in uxoribus magis quam in Domino defigant, ſed affectum omnem divino ſervitio, æternæque ſaluti procurandæ ſerio impendant. *Et qui flent, tamquam non flentes*. Quibus adverſa & triſtia accidunt, ut ſæpe contingit in Matrimonio, patienter & æquanimiter ferant, utpote non diu duratura, ſeque ſpe futuræ vitæ æternique gaudii conſolentur. *Et qui gaudent, tamquam non gaudentes*. Quibus proſpera & læta eveniunt, ne in gaudium nimis effundantur, imminentia mala & pericula, gaudiorumque hujus ſæculi brevitatem ac vanitatem conſiderantes. *Et qui emunt, tamquam non poſſidentes*. Qui res hujus mundi quomodolibet acquirunt, ne illis cor apponant; ſed ita ſe gerant ac ſi uſufructuarii tantum eſſent ad vitam, non domini: ad ſuas & proximorum neceſſarios uſus ſibi precario conceſſas exiſtiment. *Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*. Qui rebus temporalibus utuntur, ne illis nimium adhæreant, ne plus occupentur quam viatores, peregrinos, & exules decet, ne denique abutantur. *Præterit enim figura hujus mundi*. Mundi hujus facies & diſpoſitio tranſitoria eſt, & præter exſpectationem invertitur, ſcenarum inſtar comicarum aut tragicarum, quæ ſubito cum perſonis mutantur.

Bonus uſus matrimonii, & rerum omnium temporalium.

32. 33. *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe*. Quod de ſervanda continentia do conſilium, eo ſpectat ut ſine anxia illa & animarum a divinis obſequiis diſtrahente, rerum temporalium cura vivatis, & uni Deo tranquille ſerviatis. *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt*. Qui conjugii vinculis non eſt implicatus, in id ſtudiis omnibus intendit ut placeat Deo per cordis puritatem, & opera pietatis. *Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori; & diviſus eſt*. Qui vero duxit uxorem, rerum temporalium curis implicatur; uxori placere, eamque demulcere ſtudet, ejus affectibus ſerviendo; & contrariis curis diſtractus & in ſe ipſo diviſus, duobus quaſi dominis ſervire cogitur ad diverſa vocantibus: hinc Deo ad ſpiritualia & æterna trahenti & invitanti; hinc uxori ad rei familiaris curam, ad temporalium bonorum acquiſitionem, ad ſæculi mores & voluptates avocanti.

34. *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*. Et mulier a conjugio libera, præſertim virgo, quæ carnis voluptatem experiri noluit, rebus divinis, quæ Domini ſpectant obſequium, expeditius ac liberius vacare poteſt, omnique ſtudio, cura, cogitatione intendere, ut corpus & animum Deo ſervet immaculatum. Corpus a vitiorum carnalium fœditate, animum a vitiorum ſpiritualium labe. *Quæ autem nupta eſt; cogitat quæ mundi ſunt*; de filiorum educatione, de regimine domus, de cultu corporis, de mundo muliebri ſollicita, *quomodo placeat viro*, ejuſque amorem ſibi magis ac magis conciliet.

Græca lectio, Syriaca Verſio, & nonnulli Codices Latini, Tertulliano, S. Hieronymo, & S. Auguſtino, Ambroſiaſtro, & Sedulio viſi, aliter habent quam Vulgata noſtra, ſic nimirum: *Diviſa eſt mulier & virgo* ſeu, *Differentia eſt inter uxorem & virginem. Innupta cogitat quæ Domini ſunt*. Sed ſinceriorem ac meliorem eſſe lectionem noſtram, veterque Apoſtolicam, certum eſt ex S. Hieronymi divina Bibliotheca, & aliis

35. *Porro hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*. Quod tam ſtudioſe vobis commendo ſeu, celibatum & continentiam, id non alio animo facio, quam ut ſpiritualem veſtram utilitatem promoveam, vobis ſuadens quod honeſtum ac decorum eſt, & quod facultatem præſtat vacandi orationi, remotis impedimentis quæ animum diſtrahunt & avocant, ſcilicet affectibus & curis conjugalibus: non ut vobis laqueum injiciam, quaſi præcepti neceſſitate vos ad cœlibatum ſervandum conſtringens. Pro his verbis, *Dominum obſecrandi*, quidam Codices antiqui habent, *Domino obſervandi*, ſeu, *Dominum obſervandi*, non abſimili ſenſu. Nam qui dominum aut magiſtrum obſervat, illi aſſiduus eſt & adhærens, ac perpetuo pendens ab ore vel præcipientis vel docentis. Hac ſignificatione uſurpatur vocabulum

obſer-

Digitized by Google

Contra Jovinianum cap. 7. Sed & MSſ. Græca Roberti Stephani, & Alexandrinus Codex & quo uſus eſt Simon Colinæus Typographus in Editione ſua Græca Novi Teſtamenti, Vulgatæ noſtræ Verſioni conſonant.

obſervandi 1. Reg. 2. 22. ubi mulieres ad oſtium Tabernaculi obſervaſſe dicuntur. Hoc ſenſu Pſalmo 122. dicitur: *Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum*, nutus eorum obſervantes ut prompte & alacriter obediant: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*. Cum igitur conjuges ſe mutuo obſervent, alter ut alteri placeat, conjugales curæ & affectus impedimenta ſunt ne Dominus unice obſervetur.

36. *Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, ſi nubat*. Si quis autem ſibi futurum putet dedecori, ſi filiam ſuam plus ſatis maturam nuptui non tradiderit, & id fieri puellæ ingenium moreſque poſtulent, urgeatque incontinentiæ periculum, & metus dedecoris hinc in familiam redundaturi: eam elocet, ſi velit. Non peccat pater aut cuſtos puellæ, quo auctore nubit.

37. 38. *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, bene facit*. Nam qui firmum propoſitum habet filiam ſuam innuptam ſervandi, (ipſa nuptiis præponente cœlibatum) nulla ad id neceſſitate compulſus, ſed poteſtatem habens faciendi quod voluerit, cum ſit ſui juris, non ſervus ex alterius voluntate pendens; nulloque præcepto hac in re conſtrictus: Quod maturo judicio apud ſe ſtatuit, ſervare filiam ſuam in ſtatu virginitatis, laudabiliter exequitur, quia Chriſti conſilium ac meum, qui ſum ejus Apoſtolus, & Spiritum Dei habeo, adimplet. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam*, ſeu filiam ſuam, *bene facit*, ſpectatis operis tum natura, quia matrimonium res ſecundum ſe bona eſt; tum fine, dum id agens conſulit pudicitiæ & ſaluti filiæ ſuæ, ac ſuæ familiæ honori. *Et qui non jungit*, certus de ſancto propoſito puellæ virginitatem ſervare volentis ac ſpondentis, *melius facit*, rem facit ex genere ſuo meliorem, præſtantiorem, Deoque gratiorem.

39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino*. Uxor ligata eſt lege matrimonii, quamdiu vivit vir ejus, ut ſcilicet ab eo diſcedere, alteri nubere non poſſit. Matrimonii ergo vinculum inſolubile eſt utroque conjuge vivente, etiam ob cauſſam fornicationis, quæ mors eſt animæ, non corporis. Quod ſi maritus ejus mortuus fuerit, libera eſt, jus habet de ſe ſtatuendi, & ſecundo nubendi. Hinc ſecundæ & ulteriores nuptiæ adverſus Montaniſtas & Novatianos licitæ probantur. *Tantum in Domino*. Ea lege ſecundæ nuptiæ illi permittuntur, ut nubat ſecundum legem Dei, quæ præcipit ut cum temperentia, & ſuſcipiendæ prolis, aut vitandæ fornicationis ſtudio matrimonium contrahatur, non ex impetu libidinis. *Tantum in Domino*, duobus aliis modis accipi poteſt, id eſt, *aut Chriſtiana permanens, aut Chriſtiano nubens*. (ait Sanctus Auguſtinus) *Non enim*, inquit, *tempore revelati Teſtamenti Novi, in Evangelio vel ullis Apoſtolicis litteris ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi. Quamvis beatiſſimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis conſtituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id eſſe dicat proſtituere Gentilibus membra Chriſti*. Sancto Cypriano in hac interpretatione præiverat Tertullianus, quo Magiſtro in bonis gloriabatur. Sanctum Martyrem Epiſcopum ſecuti ſunt S. Hieronymus, Sanctus Ambroſius, Theodoretus, Ambroſiaſter, Sedulius, Haymo, S. Thomas.

Hanc dictionem, legi, non agnoſcunt Veteres, Tertull. SS. Cyprian. Baſil. Hier. antiquus Codex Vaticanus.

S. Aug. lib. De adulter. Conjugiis, cap. 3. & 4. Ibid. cap. 25.

Secundæ nuptiæ permittuntur.

S. Cyprian. lib. De Lapſis. Tert. lib. II. Ad Uxorem, c. 1. & 2. De Monogamia, cap. 7. & 11. S. Ambr. lib. 1. De Abraham, cap. 9. & 8. in Lucam. S. Hieron. lib. 1 cont. Jovin. c. 5. Theodor. in Comment. S. Thomas, Lect. 8.

40. *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium*. Beatior eſt ſecundum Deum, cui liberius & expeditius ſervire poteſt, & a quo majus præmium jure exſpectat, ſi permaneat in ſtatu viduitatis, & perpetuam deinceps continentiam ſervet, quod meum conſilium eſt. *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*. Exiſtimo autem me, perinde ac ceteros Apoſtolos, Spiritum Dei habere, quo ſancta & ſalutaria conſilia fidelibus dare poſſim. Illud ergo conſilium ſequatur, & propter fructum conſequentem, quia beatior erit; & propter conſulentis auctoritatem, quia *ſecundum conſilium meum*: & propter Dei inſpirationem: *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam*.

CAPUT VII.

Senſus Moralis.

S. Aug. lib. De ſancta Virgin. c. 8.

„ 1. B*Onum eſt homini mulierem non tangere*. Nul-
„ la quippe fœcunditas carnis ſanctæ virgini-
„ tati etiam carnis comparari poteſt. Neque enim
„ & ipſa quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata
„ eſt, honoratur, quæ licet in carne ſervetur, ſpi-
„ ritus tamen religione ac devotione ſervatur. Ac
„ per hoc ſpiritalis eſt etiam virginitas corporis,
„ quam vovet & ſervat continentia pietatis. Sicut
„ enim nemo impudice utitur corpore, niſi ſpiritu
„ prius concepta nequitia; ita nemo pudicitiam ſer-
„ vat in corpore, niſi ſpiritu prius inſita caſtitate.
„ Porro autem ſi pudicitia conjugalis, quamvis cu-
„ ſtodiatur in carne, animo tamen, non carni tri-
„ buitur, quo præſide atque rectore, nulli præter
„ proprium conjugium caro ipſa miſcetur: quanto-
„ magis quantoque honoratius in animi bonis illa
„ continentia numeranda eſt, qua integritas carnis
„ ipſi Creatori animæ & carnis vovetur, conſecra-
„ tur, ſervatur?

Laus ſanctæ Virginitatis.

S. Hieron. lib. 1. Adverſus Jovinian. cap. 4.

„ *Bonum eſt homini mulierem non tangere*. Non
„ dixit Apoſtolus, Bonum eſt uxorem non habere;
„ ſed, Bonum eſt mulierem non tangere: quaſi &
„ in tactu periculum ſit: quaſi qui illam tetigerit,
„ non evadat, quæ virorum pretioſas animas rapit,
„ quæ facit adoleſcentium evolare corda. Alligabit
„ quis in ſinu ignem, & non comburetur? aut am-
„ bulabit ſuper carbones ignis, & non ardebit?
„ Quomodo igitur qui ignem tetigerit, ſtatim adu-
„ ritur? ita viri tactus & feminæ ſentit naturam
„ ſuam, & diverſitatem ſexus intelligit. Narrant
„ & Gentilium fabulæ Mithram & Erichthonium, vel
„ in lapide, vel in terra, de ſolo æſtu libidinis eſſe
„ generatos. Unde & noſter Joſeph, quia tangere
„ eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, &
„ quaſi ad morſum rabidiſſimæ canis, ne paulatim
„ virus ſerperet, pallium quod tetigerat, abjecit.

Tactus feminæ periculoſus.

2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, &c.* Quale bonum quod non habetur
„ niſi amiſſione præſtantioris boni, & ad malum
„ damnabile vitandum! Felix qui non ſervit volu-
„ ptati, quam ſolum matrimonii vinculum excuſat.
„ Non ſic tamen conjugium dicitur bonum, ut in
„ fornicationis comparatione ſit bonum: alioquin
„ duo mala erunt, quorum alterum pejus: aut bo-
„ num erit & fornicatio, quia eſt pejus adulterium.
„ Pejus eſt enim alienum matrimonium violare,
„ quam meretrici adhærere. Hoc autem falſum eſſe
„ quis dubitet? Non ergo duo mala ſunt connubium
„ & fornicatio, quorum alterum pejus: ſed duo bo-
„ na ſunt connubium & continentia, quorum alte-
„ rum eſt melius. Sicut iſta temporalis ſanitas &
„ imbecillitas non ſunt duo mala, quorum alterum
„ pejus: ſed iſte ſanitas & immortalitas duo bona
„ ſunt, quorum alterum melius. Item ſcientia &
„ vanitas non duo mala ſunt, quorum vanitas pe-
„ jus: ſed ſcientia & caritas duo bona ſunt, quo-
„ rum caritas melius. Namque *ſcientia deſtruetur*,
„ ait Apoſtolus; & tamen huic tempori neceſſaria
„ eſt: *caritas autem numquam cadet*. Sic & mortalis
„ iſta generatio, propter quam fiunt nuptiæ, deſtrue-
„ tur, ab omni autem concubitu immunitas, & hic
„ angelica meditatio eſt, & permanet in æternum.
„ Sicut autem jejuniis ſacrilegorum meliora ſunt
„ prandia juſtorum, ita nuptiæ fidelium virginitati
„ anteponuntur impiorum. Verumtamen neque ibi
„ prandium jejunio, ſed juſtitia ſacrilegio, neque hic
„ nuptiæ virginitati, ſed fides impietati præfertur.
„ Ad hoc enim juſti, cum opus eſt, prandent, ut
„ tamquam boni domini, quod juſtum & æquum eſt
„ ſervis corporibus præbeant: ad hoc autem ſacrile-
„ gi jejunant ut dæmonibus ſerviant. Sic ad hoc
„ nubunt fideles ut maritis pudice copulentur, ad
„ hoc autem ſunt virgines impiæ ut a vero Deo
„ fornicentur. Sicut ergo bonum erat quod Martha
„ faciebat, occupata circa miniſterium ſanctorum,
„ ſed melius quod Maria ſoror ejus ſedens ad pedes
„ Domini, & audiens verbum ejus: ita bonum Su-
„ ſannæ in conjugali caſtitate laudamus, ſed tamen
„ ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ
„ Virginis anteponimus.

Bonum conjugium, ſed melior Continentia.

S. Aug. lib. De Bono Conjugali, cap. 8.

3. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro*. Debitum eſſe meminerint conjuges, quod exigitur ex juſtitia, quod non ſolvitur ob voluptatem; non donum quod ſine menſura fieri, ſine neceſſitate exigi poſſit. Nec enim peti, nec reddi Chriſtiane poteſt, niſi ob finem matrimonii, ſcilicet procreationem liberorum in Chriſti fide & timore educandorum. „ Alia ſcilicet bona dat nobis Deus, quæ
„ propter ſe ipſa expetenda ſunt, ſicut eſt ſapien-

Bonus uſus conjugii.

S. Aug. lib. De Bono Conjugali, cap. 9. 10. & 11.

„ tia, ſalus, amicitia; alia quæ propter aliquid ſunt neceſſaria, ſicut doctrina, cibus, potus, ſomnus, conjugium, concubitus. Horum enim quædam neceſſaria ſunt propter ſapientiam, ſicut doctrina; quædam propter ſalutem, ſicut cibus & potus & ſomnus; quædam propter amicitiam, ſicut nuptiæ vel concubitus: hinc enim ſubſiſtit propagatio generis humani, in quo ſocietas amicalis magnum bonum eſt. His itaque bonis quæ propter aliud neceſſaria ſunt, qui non ad hoc utitur propter quod inſtituta ſunt, peccat, alias venialiter, alias damnabiliter. Quiſquis vero eis propter hoc utitur, propter quod data ſunt, bene facit. Cui ergo non ſunt neceſſaria, ſi non eis utitur, melius facit. „ Itaque concubitus neceſſarius cauſſa generandi, inculpabilis & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille autem qui ultra iſtam neceſſitatem progreditur, jam non rationi, ſed libidini obſequitur. Et hunc tamen non exigere, ſed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiſcentiæ ſubjiciuntur, rem faciunt non plane nuptiarum. Veruntamen ſi magis in ſua conjunctione diligant quod honeſtum, quam quod inhoneſtum eſt, id eſt, quod eſt nuptiarum, quam id quod non eſt nuptiarum, hoc eis auctore Apoſtolo ſecundum veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices nuptias, ſed deprecatrices, ſi Dei miſericordiam non a ſe avertant, vel non abſtinendo quibuſdam diebus ut orationibus vacent, & per hanc abſtinentiam ſicut per jejunia commendent preces ſuas, vel immutando naturalem uſum in eum qui eſt contra naturam, quod damnabilius fit in conjuge.

Ibi. cap. 6. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir,* &c. Æquale jus utriuſque conjugis, mutuum debitum ac officium eſt. Neuter corpus ſuum alteri, ne quidem ex mutuo conſenſu commodare poteſt, aut locare. „ Debent ergo ſibi conjugati non ſolum ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem liberorum procreandorum cauſſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo ſervitutem, ut etſi alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit. Et ad hoc enim uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier; ut & quod non filiorum procreandorum, ſed infirmitatis & incontinentiæ cauſſa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non ſibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante ſatana, propter incontinentiam, vel amborum, vel cujuſquam eorum.

Mutua conjugum ſervitus in debiti conjugalis redditione.

Mulier ſui corporis non habet poteſtatem ſed vir. Quando ergo videris te tentari a fornicatione, dic, Corpus non eſt meum, ſed uxoris. Hæc etiam dicat mulier iis qui volunt ad ejus evertendam pudicitiam agere per cuniculos; Non eſt meum corpus, ſed mariti.

S. Chryſoſt. Hom. 19. in hanc Epiſt.

5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram.* Quam caute, quam vigilanter ambulare debemus, ut abſconditos ubique dæmonis laqueos vitemus; ſiquidem ipſa continentiæ ſpecie laqueos tegit, & fornicationum, aut pejorum libidinum, vel certe diſſenſionis & inteſtini belli occaſionem præbet. Quid autem prodeſt continentia, ſi rupta ſit caritas, paxque domeſtica turbata? In his quæ Dei lege non prohibentur, uxor marito, maritus morem gerat uxori: alter alteri conjugale ne recuſet officium, quod ſine injuſtitia & fraude non poteſt; juſtitiam & caritatem conjugalem præponat continentiæ, quæ illis virtutibus minus bonum eſt, & ſine quibus Deo placere non poteſt. Veruntamen ex mutuo conſenſu ad tempus ut ſecubent conjuges, & ab opere conjugali ſibi temperent, Apoſtoli conſilium eſt, & diſciplinæ quæ ſecutis ſæculis in Eccleſia invaluit, fundamentum, ut ſcilicet diebus Pœnitentiæ, orationi, Communioni Euchariſtiæ, & magnorum Myſteriorum ſolemni commemorationi deſtinatis, continentia conjugibus ab Eccleſia proponatur, ſuadeatur, & ſacris Canonibus indicatur, ut potiore animo, minuſque diviſo ac diſtracto, Deo intendant ac vacent. Carnis enim voluptas, etſi ad legitimum uſum redacta, non modicum divinis communicationibus & religionis exercitiis impedimentum affert. *Oro te*, ait S. Hieronymus, *quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quod corpus Chriſti accipi non permittit? Quando impleo mariti officium, non impleo continentis. Jubet Apoſtolus in alio loco ut ſemper oremus. Si ſemper orandum eſt, numquam ergo conjugio ſerviendum; quotieſcumque uxori debitum reddo, orare non poſſum*, ita libere & expedite. Petrus Apoſtolus experimentum habens „ conjugalium vinculorum, vide quomodo informet Eccleſiam, quid doceat Chriſtianos: *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.* „ Ecce eodem ſenſu, quia eodem & Spiritu, impediri dicit orationes officio conjugali. Quod autem ait, *ſimiliter*, idcirco ad imitationem provocat viros, quia jam ſupra uxoribus præceperat, dicens: *Conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Cernis quale conjugium inter viros uxoreſque præcipiat: Cohabitatores juxta ſcientiam, ut noverint: quid velit, quid deſideret Deus, ut tribuant honorem vaſculo muliebri. Continendo tribuitur honor uxori, ultra modum ei uxoriæ indulgendo, infertur contumelia.

Continentia certis temporibus ſervanda conjugibus proponitur & ſuadetur.

S. Hieron. l. Adverſus Jovinianum.

1. Petri 3.

6. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Voluptas finis matrimonii vel operis conjugalis eſſe non poteſt, ſed ſola generatio filiorum. Quicumque ſolam in eo voluptatem quærunt, ut damnabilem fornicationis aut alterius impudicitiæ voluptatem vitent, ſibi vulnus levius infligunt, ut gravius avertant. Quis hoc eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus, Apoſtolica auctoritate S. Paulus fateatur? „ Cum igitur culpabilis non ſit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus eſt, quid ſecundum veniam concedit Apoſtolus, niſi quod conjuges, dum ſe non continent, debitum ab alterutro carnis expoſcunt, non voluntate propaginis, ſed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad ſe, ignoſci faciunt propter ſe. Aliud eſt non concumbere niſi ſola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, ſed non præter conjugem, quod venialem habet culpam. Quia etſi non cauſſa propagandæ prolis concumbitur, non tamen hujus libidinis cauſſa propagationi prolis obſiſtitur, ſive voto malo, ſive opere malo. Nam qui hoc faciunt, quamvis vocentur conjuges, non ſunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudini obtendunt.

Peccant, qui ſolam voluptatem in opere matrimonii quærunt, non prolem.

S. Auguſt. Enchirid. cap. 78. & lib. 1. De Nuptiis, cap. 14.

7. *Volo enim vos omnes eſſe ſicut me ipſum: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo.* Cœlibatus S. Pauli imitatione dignus eſt. Optandus eſt præ matrimonio ſtatus ille ob perfectionem; ſed abſque divina vocatione periculoſus eſt ob tentationem. Qui ergo vult cœlebs permanere, vires ſuas, indolem ſuam, affectus, infirmitatem, gratiæ ſuæ menſuram, Dei voluntatem ſtudioſe exploret, prudentem conſcientiæ Moderatorem conſulat, orationum fervore, Sacramentorum frequentatione, jejuniis, ſacro ſeceſſu, lumen cœleſte deprecetur, ut ſtatum eligat ſaluti ſuæ convenientiorem, ut intelligat quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum.* Igitur, *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis.* Opem gratia fert iis qui bonum animi propoſitum afferunt, ait Theodoretus; ſed ipſum bonum propoſitum Deus in nobis efficit, gratia ſua cupiditatis victrice. *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*, (ait Apoſtolus noſter.) *Sed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo.* Suum in his verbis ſolatium inveniunt & conjugati. Matrimonium enim Dei donum etiam appellat Magiſter Gentium. Hujus enim doni ope adjutus unuſquiſque conjugalem ſervat continentiam inferiorem quidem viduali & virginali, quod meritum ſpectat ac præmium, ſed tamen ſanctam & Deo gratam.

Cœlibatus abſque Dei vocatione periculoſe ſuſcipitur.

Jacobi 1. Matth. 7. Luc. 11. Philipp. 2. 13. Theodoret.

8. 9. *Dico autem non nuptis, & viduis: Bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Libertatem ſuam fœlicius conſervat, qui Deo conſecrat. Virgines & viduæ continentes tanto magis liberæ ſunt, quanto Chriſti ſolius ancillæ: *Quod ſi non ſe continent, nubant.* Qui eligunt continere, aliquid utique melius eligunt quam eſt nuptiarum bonum, hoc eſt generatio filiorum. Unde ſi eligitur continentia ut bono nuptiarum melius aliquid capeſſatur, quanto potius cuſtodienda eſt ut adulterium caveatur? Verum tamen iis qui nullo matrimonii aut voti vinculo ſunt obſtricti, & continere non poſſunt, *Melius eſt*

nubere

nubere quam uri. Paratum habent in conjugio infirmitatis ſuæ remedium: ſed memores ſint remedia non ſumi abſque neceſſitate, abſque repugnantia & faſtidio, nec eorum amore, ſed ſanitatis adhibita cautione, ſervata menſura. *Melius eſt nubere, quam uri*. Concupiſcentia *ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*. Illo igne ne uratur ac vaſtetur Chriſtianus, ardeat illo igne quem Chriſtus venit in terram mittere, & quem vult vehementer accendi. Accendatur caritas, ut noxiæ cupiditatis ardor refrigeſcat.

Job. 31. 12.

10. 11. *Iis autem qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*, &c. Matrimonium ſignum honorarium eſt unitatis, ſocietatis, mutuæ inſeparabilitatis, & caritatis conjugalis, quæ Chriſtum inter & Eccleſiam intercedunt: quas proinde repræſentare debet ac imitari. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto & in Eccleſia*, ait alibi Apoſtolus noſter. Chriſtus Deus Crucem paſſus eſt ut ſponſam ſuam ſibi reconciliaret; Lavit eam a peccatis ſuis in ſanguine ſuo, ut exhiberet eam ſibi ſine macula & ruga glorioſam: Quidni ergo Chriſtiani conjuges grato erga optimum Redemptorem animo ſe mutuo diligant, ſibi mutuo ignoſcant ſi quid alter peccavit in alterum: ſibi tandem mutuo reconcilientur? Quod ſi fieri non poſſit, faciant quod facere deberent ſi haberent conjuges diuturno languore marceſcentes, vel loco ſibi inacceſſibili abſentes. „ Non „ eos terreat ſarcina continentiæ: Levis erit, ſi „ Chriſti erit; Chriſti erit, ſi fides aderit, quæ „ impetrat a jubente quod juſſerit. Nec eo frangat, quod videtur eorum continentia neceſſitatis „ eſſe, non voluntatis: quia & illi qui eam voluntate delegerunt, fecerunt eam eſſe neceſſitatis, „ quoniam jam ſine damnatione ab illa deviare non „ poſſunt; & qui in eam neceſſitate contruſi ſunt, „ faciunt eam eſſe voluntatis, ſi non de ſe ipſis, „ ſed de illo a quo eſt bonum omne confidunt. Illi „ ad eam conſcenderunt cauſſa majoris gloriæ, ut aliquid amplius invenirent: iſti ad eam confugerunt „ cura ſalutis noviſſimæ, ne perirent. Utrique permaneant, utrique in quod pervenerunt ambulent „ uſque in finem, ferveant ſtudiis, ſupplicent voti; quia & illis ſalus cogitanda eſt, ut ab eo „ quod voluntas arripuit cadere timeant; & iſtis „ gloria deſperanda non eſt, ſi in eo quod neceſſitas „ intulit, perſiſtere deligant.

Conjugibus divortio ſeparatis ſervanda eſt neceſſario continentia.
Epheſ. 5. 32.
S. Aug. l. 2. De Conjugiis adulterinis, cap. 19.

14. *Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*, &c. Vita, Chriſtiana & pietas mariti aut uxoris, prædicatio domeſtica eſt, eaque perpetua, ad conſortis & totius familiæ ſanctificationem & ſalutem a Deo deſtinata. *Mone & admone*, ait S. Joannes Chryſoſt. *Conſule & perſuade. Nullus enim Doctor tantum poterit valere, quantum mulier*. Si unicuique mandavit Deus de proximo ſuo, ſi caritatis officium eſt ut eos quos diligimus ad Deum ducamus, & ab iis a quibus diligimur ad eum ducamur, qui finis eſt noſtræ beatitudinis, & omnis appetitionis finis: tunc ſe vere diligunt vir & uxor, cum ſe mutuo juvant ad ſanctificationem ſuam & æternam ſalutem aſſequendam. Sic maritus Apoſtolus fit uxoris ſuæ, ſic mulier fit apoſtola mariti ſui, præmium duplex acceptura, & propriæ virtutis, & ſollicitudinis de ſalute viri, operæque ad eam navatæ per ſuaves adhortationes, orationes, bonum exemplum, patientiam. 16. *Unde enim ſcis, mulier, ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis, vir, ſi mulierem ſalvam facies?*

S. Chryſoſt. *Hom. 19.*
Tunc ſe vere diligunt conjuges cum ſe mutuo juvant ad ſanctificationem & ſalutem.

15. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi: in pace autem vocavit nos Deus*. Marito quamvis infideli & vitioſo ſerviat uxor Chriſtiana, ſed numquam ſerviat vitiis, nec ipſi cohabitet ſi illam infidelitatis ſuæ ſociam efficere, aut ad peccata damnabilia pertrahere nitatur. Malum conſenſum dirimit caritas, laudabilem concordiam juſta diſſenſione comparat. Unde Dominus ait: Nolite arbitrari, „ quia pacem venerim mittere in terram: non veni „ pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare „ hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum „ ſuam ... Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & „ fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, „ non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Uxor marito ſerviat, non ejus vitiis.
Matth. 10. 25.
Luc. 14. 26.

17. *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet*. Voluntas Dei in omnibus exploranda & probanda eſt, Dei vocatio ſequenda; non ſolum tolerandus, ſed amandus ſtatus eſt, in quo nos Majeſtati ſuæ ſervire voluit; in eo manendum ſine murmuratione, ejus officia implenda cum alacritate, gratiæ ſuæ ac dono reſpondendum conſtanti fidelitate.

Externa pietatis ſigna ſine Dei amore, qui verus Dei cultus eſt, non proſunt ad ſalutem.

19. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei*. Arbitrariis ſignis & externis quaſi pietatis exercitiis, nec a Deo inſtitutis aut præſcriptis, nec ab Eccleſia probatis inhærere, circumciſi ſuperſtitio eſt: quæ a Deo inſtituta ſive præſcripta ſunt, vel ab Eccleſia probata, contemnere & rejicere, incircumciſi ſuperbia eſt. Inutilia ſunt ad ſalutem ſigna pietatis, Roſaria, Scapularia, pia Sodalitia, Confraternitates, Religioſus habitus, iis qui virtutem pietatis abnegant: externa pietatis exercitia, eleemoſynæ, jejunia, orationes ſine Dei amore nihil proſunt, ſine obſervatione mandatorum Dei infructuoſa ſunt. *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo .... PIETAS cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando*.

Eccleſ. 12. 13.
S. Aug. Epiſt. 140. Edit. poſtrema Pariſ.

20. *Unuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat*. Omnia quæ ſunt, a Deo ordinata ſunt, qui Deus eſt pacis: pax vero tranquillitas ordinis eſt. „ Reipublicæ igitur aut familiarum ordinem „ religionis prætextu Deus perturbari vetat. Ec„ cleſia Catholica mater Chriſtianorum veriſſima, „ tu feminas viris ſuis, non ad explendam libidinem, ſed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris ſocietatem, caſta & fideli obedientia ſub„ jicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum „ imbecilliorem ſexum, ſed ſinceri amoris legibus „ præficis. Tu parentibus filios libera quadam ſer„ vitute ſubjungis, parentes filiis pia dominatione „ præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo „ firmiore atque arctiore quam ſanguinis nectis. „ Tu omnem generis propinquitatem & affinitatis „ neceſſitudinem, ſervatis naturæ voluntatiſque ne„ xibus, mutua caritate conſtringis. Tu dominis „ ſervos non tam conditionis neceſſitate, quam offi„ cii delectatione doces adhærere. Tu dominos ſer„ vis, ſummi Dei communis Domini conſideratio„ ne placabiles, & ad conſulendum quam coercendum propenſiores facis. Tu cives civibus, gen„ tes gentibus, & prorſus homines primorum pa„ rentum recordatione, non ſocietate tantum; ſed „ quadam etiam fraternitate conjungis. Doces Re„ ges proſpicere populis, mones populos ſe ſubdere „ Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affe„ ctus, quibus reverentia, quibus timor, quibus „ conſolatio, quibus admonitio, quibus cohorta„ tio, quibus diſciplina, quibus objurgatio, quibus „ ſupplicium, ſedulo doces; oſtendens quemadmo„ dum & non omnibus omnia, & omnibus caritas, „ & nulli debeatur injuria.

S. Aug. l. De Moribus Eccleſiæ Catholicæ, c. 30.
Reipublicæ aut familiarum ordinem Religionis prætextu Deus perturbari vetat.

21. 22. 23. *Servus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, magis utere*. Conditio ſervilis eo ſecurior, quo humilior. Subjectionem non ſolum patienter tolerabit Chriſtianus, ſed amabit, qui ea ſe Chriſto Domino ſimilem fieri conſiderabit. Qui propter nos *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens*, & *Non venit ut faceret voluntatem ſuam, ſed Patris: nec miniſtrare, ſed miniſtrari*. Nullum apud Chriſtum diſcrimen eſt ſervi & liberi. Omnes homines ex æquo ſervi Dei ſunt: omnes ex æquo liberi libertate filiorum Dei, ſi velint. Servum eſſe Chriſti Jeſu tanta dignitas eſt, tanta gloria, ut Chriſtianum hominem non angat, non dejiciat jugum humanæ ſervitutis, ſi peccati jugum excuſſerit. Servire Deo, regnare eſt. In quocumque ſtatu & conditione poſiti ſimus, Chriſti Domini ſumus, qui nos pretio infinito ſanguinis ſui a peccati & diaboli ſervitute redemit. *Qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti: Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*. Illi ſoli ſerviendum, qui nos condidit ac redemit. Quam amabilis Dominus, qui nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes in ſanguine ſuo, qui nos fratres ſuos & coheredes effecit! *Nolite fieri ſervi hominum*. Vere ſervi ſunt, quos malorum temporalium timor pravis hominum voluntatibus ſervire compellit; quoſve ſpes bonorum terrenorum ſæculi Magnatibus & Principibus ad omne obſequium, etiſi legi Dei contrarium, alligat; qui ſuis & aliorum cupiditatibus ſerviunt. Solus Sapiens liber, quoniam qui ea facit quæ vult, liber eſt. „ Non omnis bona voluntas, ſed Sapientis eſt omnia „ quæ bona ſunt velle. Eſt ergo ſapienti & ſervire „ libertas; ſtulto & imperare ſervitus eſt: & quod „ pejus eſt, cum paucioribus præſit, pluribus do„ minis & gravioribus ſervit, cupiditatibus ſuis. „ Servit peccator formidini, ſervit cupiditati, ſer„ vit avaritiæ, ſervit libidini, ſervit malitiæ, ſer„ vit iracundiæ, & videtur hujuſmodi ſibi liber: „ ſed magis ſervit quam ſi ſub tyrannia poſitus. „ Contra vero ſervitus Juſtitiæ vera libertas. *Libera ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed caritas ſervit*. Quia ma-

Servilis conditio eo ſecurior, quo humilior.
Quæ ſervitus Chriſtiano indigna?
Leges S. Ambroſ. Ep. 37. Ad Simplicianum. Edit. poſtremæ Pariſ.

S. Auguſt.

gis liber, an Joſeph, an ejus domina Putipharis impudica conjux? An quæ rogabat, an qui rogabatur? an quæ ſupplicabat, an qui ſupplicantem deſpiciebat?

Directorum prudentia in dando de ſtatus electione conſilio.

Sanctæ Virginitatis excellentia.

25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*, &c. Chriſtianis jugum imponere quod Deus non imponit, ſummæ temeritatis eſt. Id qui aggreditur, Spiritui ſancto mentitur. Qui zelo imprudenti, ac levi, nimiaque facilitate, nec ſatis conſiderato cujuſque dono, vel infirmitate, ſuadet Animabus quas dirigit ut jugum illud ſubeant, illas exponit periculo ſuccumbendi. Verumtamen qui viam perfectionis & Evangelica conſilia illis non proponit, qui ad illa capeſſenda non hortatur ut Apoſtolus, infidelis Miniſter eſt, ſuoque erga Deum & Animas deeſt officio. De virginibus prophetice dictum eſt ſub eunuchorum myſtico nomine: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, qui non peribit.* Hi *ſequuntur Agnum quocumque ierit.*

Iſai. 56. 5.

S. Aug. lib. De ſancta Virgin. cap. 29.

„ Ad quod libet aliud ſanctitatis donum quo eum „ ſequantur, hortari poſſumus conjugatos, præter „ hoc quod irreparabiliter amiſerunt. Vos itaque „ ſequimini eum tenendo perſeveranter, quod vo„ viſtis ardenter. Facite quod poteſtis, ne virgini„ tatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil po„ teſtis ut redeat. Videbit vos cetera multitudo „ fidelium, quæ Agnum ad hoc ſequi non poteſt: „ videbit, nec invidebit: & collætando vobis, quod „ in ſe non habet, habebit in vobis . . . . . Præ„ ſumite itaque, fidite, roboramini, permanete, „ qui vovetis & redditis Domino Deo veſtro vota „ perpetuæ continentiæ, non propter præſens ſæ„ culum, ſed propter regnum cœlorum. Vos et„ iam qui hoc nondum voviſtis, qui poteſtis cape„ re, capite; perſeveranter currite, ut compre„ hendatis. Tollite hoſtias quiſque ſuas, & introite „ in atria Domini, non ex neceſſitate, poteſtatem „ habentes veſtræ voluntatis. Neque enim ſicut, „ *Non mœchaberis*, *Non occides*, ita dici poteſt, Non „ nubes. Illa exiguntur, iſta offeruntur. Si fiant „ iſta, laudantur: niſi fiant illa, damnantur. In „ illo Dominus debitum imperat vobis: in his „ autem ſi quid amplius erogaveritis, in redeundo „ reddet vobis. Cogitate, quicquid illud eſt, in „ muro ejus locum nominatum, meliorem multo „ quam filiorum atque filiarum. Cogitate illic no„ men æternum. Quis explicet quale nomen erit? „ Quicquid tamen erit, æternum erit. Hoc cre„ dendo, ſperando, & amando, potuiſtis connugia „ non devitare prohibita, ſed tranſvolare con„ ceſſa.

Bonum virginitatis.
S. Thomas, *Lect.* 5.
S. Auguſt. lib. *De ſancta Virginit. cap.* 13.

26. *Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.* Bonum virginitatis, honeſtum propter puritatem; delectabile propter libertatem; utile propter mercedem. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis: illa non eſt in poteſtate, illa non eſt in æternitate: fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cœlum. Profecto habebunt magnum aliquid præter ceteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne.* Quam præclarum bonum eſt, neſcium eſſe voluptatis, cujus ſenſus inevitabilis, difficilis moderatio, periculum certum, tentatio violenta, adhæſio vitioſa! Quantum bonum eſt, liberum a ſollicitudinibus ſæculi, a curis rei familiaris expeditum, uni Deo ſervire!

In tribulationibus matrimonii quid agendum conjugibus Chriſtianis?

28. *Si acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi.* Tribulationes illæ ſtatus matrimonii comites, graves certe tentationes ſunt, quæ ut vincantur, gratia Chriſti cum in Sacramento data, tum in ipſarum tentationum periculis collata, omnino neceſſaria eſt. Hanc frequentibus orationibus, jejuniis, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus ferventer implorent conjugati, ne deficiant in tribulatione. Voluptati carnali ne ſe immergant, ut e tribulationibus conjugio annexis fœliciter & ſine conſcientiæ naufragio emergant. Cruces ſtatus ſui Chriſtiano ferant animo, ut peccata quotidiana eluant: Carnis delectationes, tametſi ſecundum veniam conceſſas, compenſent doloribus & ærumnis, quarum tolerantiam ſola caritas & patientia meritoriam apud Deum efficiunt. Tribulationum, quas prædicit & ſilentio præterit Apoſtolus, in iis qui ſe matrimonii vinculo implicant multitudo, deflenda eſt; illarum experientia commiſeratione dignior. *Nos ignari rerum putabamus nuptias ſaltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio eſt, in qua ſola videbantur habere delicias: quid erit reliquum propter quod nubant, cum & in ſpiritu & in anima, & in ipſa carne tribulatio multa ſit?*

S. Hieron. lib. 1. Contra Jovinianum.

[Bonus uſus temporis & rerum temporalium.

29. 30. 31. *Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve eſt: reliquum eſt, ut & qui habent uxores tamquam non habentes ſint.* Tempus breve eſt, & teritur, quaſi nullius eſſet momenti bonus ejus uſus ad æternam felicitatem comparandam. Sæculum nihil eſt ei cui æterna vita cordi eſt. Uxorem habet quaſi non habens, qui magis ingemiſcit de infirmitate ſua cui neceſſaria uxor eſt, quam de illius ſocietate lætetur: qui non amat niſi bonum propter quod a Deo data eſt, ſcilicet bonum fidei conjugalis, bonum prolis, bonum ſacramenti; odit vero malum concupiſcentiæ, quæ a Deo non eſt. *Et qui flent, tamquam non flentes, & qui gaudent tamquam non gaudentes.* Spes futurorum bonorum, præſentium malorum ſenſum extinguit: timor judiciorum Dei omne ſæculi gaudium impedit. Fides Chriſtiani hominis animum roborat, ut nec rebus adverſis frangatur, nec proſperis extollatur & corrumpatur. *Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* „ Qui gaudium totum „ ſuum totamque felicitatem ſuam conſtituit in man„ ducando, bibendo, uxorem ducendo, emendo ven„ dendo, utendo mundo iſto, ſine ſollicitudine eſt „ & talia, ſed præter arcam, væ illi a diluvio. „ Quiſquis autem ſive manducat, ſive bibit, ſive „ aliquid agit, omnia in gloriam Dei facit: & ſi „ aliqua triſtitia eſt de rebus ſæcularibus, ſic flet „ ut intus in ſpe gaudeat; & ſi aliqua lætitia eſt „ in rebus ſæcularibus, ſic gaudet ut intus ſpiri„ taliter timeat, nec donet ſe corrumpendum feli„ citati, nec ſe det adverſitati frangendum (hoc „ eſt enim flere tamquam non flentem, & gaudere „ tamquam non gaudentem) Quiſquis etſi habet „ uxorem, ejus infirmitati compatiens, reddit, „ non exigit debitum; aut ſi propter propriam in„ firmitatem ducit uxorem, plangens potius quia „ ſine uxore eſſe non potuit, quam gaudens quia „ duxit: Quiſquis vendit, quod novit quia etſi ma„ neret, beatum non faceret; quiſquis quod emit, „ novit quia tranſiet; & de his omnibus etſi abun„ dantibus, etſi circumfluentibus non præſumit, fa„ citque ex eo quod habet, miſericordiam cum eo „ qui non habet, ut & ipſe accipiat quod non ha„ bet, ab illo qui omnia habet: Quiſquis talis eſt, „ ſecurus exſpectat diem noviſſimum.

S. Aug. in Pſalm. 147. num. 4.

Rebus temporalibus amore non inhærendum.

Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. „ Qui amat ſæculum, amare „ Deum non poteſt; occupatam habet manum. Di„ cit illi Deus, Tene quod dono. Non vult dimit„ tere quod tenebat: non poteſt accipere quod offer„ tur. Numquid dico, Non poſſideat neſcio quis? „ Si poteſt, ſi hoc de illo exigit perfectio, non „ poſſideat. Si non poteſt, aliqua neceſſitate impe„ ditus, poſſideat, non poſſideatur; teneat, non te„ neatur: Dominus ſit rei ſuæ, non ſervus . . . . „ Noli amare quod poſſides in hoc ſæculo? Non „ teneat manum tuam unde tenendus eſt Deus. „ Non occupetur amor tuus, quo potes in Deum „ tendere, & inhærere ei qui te creavit. Dicis & „ reſpondes mihi. Et Deus ſcit quia innocenter „ poſſideo. Tentatio probat. Turbatur tibi quod „ poſſides, & blaſphemas. Turbatur quod poſſides, „ & non inveniris qui eras, & oſtendis aliud eſſe „ nunc, & aliud pridie in voce tua. Hoc argu„ mentum eſt non te mundo ſic uti, quaſi non uta„ ris: cupiditatem qua temporalibus rebus adhære„ ſcis, probat dolor quo in earum amiſſione ureris: *Tantum urit dolor, quantum hæſerat amor.*

S. Aug. Serm. 155. alias 15. ex additis a Sirmondo.

S. Aug. alibi.

Uxor Chriſtiane non diligitur a marito, niſi propter Deum diligatur.

32. 33. *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* Miſera neceſſitas quæ cor dividere compellit, quod Deus integrum exigit! Funeſta diviſio, in qua Deus ſæpe poſt habetur aut omnino negligitur! Facilius totum cor, totum ſtudium, totus affectus, tota ſollicitudo Deo devovetur ſine diviſione, quam dividatur ſalvo Dei jure. Fidelis maritus, quem conjugalis amor ſolicitum reddit quomodo placeat uxori, magis ſaltem ſolicitus ſit quomodo placeat Deo; nec placere curet uxori niſi propter Deum, cujus ad amorem referat omnes animi ſui affectus, omnes rei familiaris curas. Alioqui Deum non diligit toto corde, tota anima, tota mente. Cum enim id præcepit Deus, *Nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare ut alia re frui velit, ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit.*

S. Aug. lib. 1. De Doctrina Chriſt. c. 22.

34. *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.*

Digitized by Google

Virgines Chriſti non ſunt, quæ mundo aut ſibi ipſis amorem ſuum, ac ſolicitudinem ſuam devovent.

tiro. Hoc Virgines Deo conſacratæ, & Sanctimoniales cogitent, ad id ſerio attendant. Parum eſt quod Chriſtum Jeſum ut ſponſum unicum ſibi elegiſſe videantur, ſi mundo, aut ſibi ipſis, non Chriſto Jeſu, amorem ſuum, ſtudia ſua, complacentiam ac ſolicitudinem ſuam tribuant, quæ marito innocentius forte tribuerent. Virgines Chriſti propriæ non ſunt, quæ ex animi indolentia, aut liberioris & tranquillioris vitæ amore dumtaxat nuptiis renunciant, ut ſe ipſis fruantur, Deo utantur. Quæ propter ſolum Deum virginitatem non eligunt, non vovent, proprii amoris victimæ, proprii cordis adulteræ ſunt. Virginis Chriſtianæ ſtatus non ſola eſt conjugii privatio ac faſtidium; ſed perfecta corporis, ſpiritus, cordiſque conſecratio, ſummaque ſolicitudo & zelus ardentiſſimus pro omnibus Jeſu Chriſti ſponſi ſui, & Eccleſiæ ejus negotiis.

S. Cyprianus De Diſciplina & habitu Virginum.

„ Virgo non eſſe tantum, ſed & intelligi debet & credi, ut nemo cum virginem videt, dubitet an virgo ſit. Parem ſe integritas in omnibus præſtet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quaſi maritum aut habeat, aut quærat? Timeat potius placere, ſi virgo eſt; nec periculum ſui appetat, quæ ad meliora & divina ſe ſervat. Quæ virum non habent, cui placere ſe ſimulent, integræ & puræ non tantum corpore, ſed etiam ſpiritu perſeverent. Neque enim fas eſt virginem ad ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carne & de ejus pulchritudine gloriari; cum nulla ſit illi magis quam adverſus carnem colluctatio, & vincendi corporis ac domandi obſtinata certatio . . . . Neminem Chriſtianum decet, & maxime virginem non decet, claritatem ullam computare carnis & honorem, ſed ſolum appetere ſermonem Dei, bona in æternum manſura complecti. " Carnem virginitate conſecratam, abſtinentia, jejuniis, vigiliis, ſacro receſſu, ſilentio, labore, ſpiritum orationis aſſiduitate, Scripturæ ſacræ, aliorumve piorum librorum lectione, & humilitate virgo ſanctificet.

S. Aug. lib. De ſancta Virginit. c. 51. 54. 55.

Cuſtos virginitatis caritas; „ locus autem hujus cuſtodis humilitas. O virgines ſanctæ, ſi nuptias contempſiſtis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate ſpecioſum forma præ filiis hominum: vacat vobis, liberum eſt cor a conjugalibus vinculis. Inſpicite pulcritudinem Amatoris veſtri: cogitate æqualem Patri, ſubditum & matri; etiam in cœlis dominantem, & in terris ſervientem, creantem omnia, creatum inter omnia. Illud ipſum quod in eo derident ſuperbi, inſpicite quam pulchrum ſit: internis luminibus inſpicite vulnera pendentis, cicatrices reſurgentis, ſanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate, hæc in ſtatera caritatis appendite, & quicquid amoris in nuptias veſtras impendendum habebatis, illi rependite. *Si magnum amorem conjugibus deberetis, eum propter quem conjuges habere noluiſtis, quantum amare debetis?* Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis eſt fixus in cruce: totum teneat in animo veſtro, quicquid noluiſtis occupari connubio. Parum vobis amare non licet, propter quem non amaſtis & quod liceret. Sic amantibus autem & humilem corde nullam vobis ſuperbiam pertimeſco.

38. *Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Nullus matrimonii abuſus impedire poteſt quin ejus inſtitutio ſancta, vinculum ſacrum, Sacramentum divinum, finis honeſtus fructus utiles & Eccleſiæ neceſſarii ſint.

Bonum matrimonium, melior & ſanctior virginitas.

Nec etiam matrimonii ſanctitas impedire poteſt quin virginitatis bonum ſit excellentius ac divinius, præmium in vita immortali uberius atque copioſius.

S. Auguſt. lib. De Bono Conjugali cap. 24.

„ Hæc omnia bona ſunt, propter quæ nuptiæ bonæ ſunt, proles, fides, Sacramentum. Nec prolem autem carnalem jam hoc tempore quærere, ac per hoc ab omni tali opere immunitatem quamdam perpetuam retinere, atque uni viro Chriſto ſpiritualiter ſubdi: melius eſt utique & ſanctius: ſi tamen ea vacatione ſic utantur homines, quomodo ſcriptum eſt, ut cogitent quæ ſunt Domini, quomodo placeant Deo; id eſt, ut perpetuo cogitet continentia ne quid minus habeat obedientia;

Obedientia virtus radicalis & matrix.

quam virtutem tamquam radicalem, atque, ut dici ſolet, matricem & plane generalem ſancti antiqui Patres in opere exercuerunt: illam vero continentiam in animi habitu tenuerunt. Qui profecto per obedientiam qua juſti & ſancti erant, & ad omne opus bonum ſemper parati, etiamſi ab omni concubitu abſtinere juberentur, efficerent. Quanto enim facilius poſſent vel juſſione vel exortatione Dei non concumbere, qui prolem cui uni propagandæ concumbendo ſerviebant, obediendo poterant immolare?

39. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat, tantum in Domino.* 40. *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit.*

S. Auguſt. De Bono Viduitatis, c. 4. & 8.

Satis oſtendit Apoſtolus, beatam eſſe „ in Domino etiam poſt mortem viri iterum nubentem fidelem, ſed in eodem Domino viduam beatiorem: hoc eſt, ut Scripturarum non tantum verbis, verum etiam exemplis loquar, beatam eſſe Ruth, ſed Annam beatiorem. Nubere certe vidua poteſt & ſecundo & tertio, ſed tamen beatior eſt vidualis continentiæ ſtatus. Nuptiarum bonum ſemper eſt quidem bonum: ſed in populo Dei fuit aliquando legis obſequium; nunc eſt infirmitatis remedium, in quibuſdam vero humanitatis ſolatium.

Vidualis continentiæ ſtatus laudabilior matrimonio.

Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more per uſum promiſcuum feminarum, ſed honeſto ordine conjugali, non eſt in homine improbandus affectus: etiam ipſum tamen laudabilius tranſcendit & vincit cœleſtia cogitans animus Chriſtianus.

Quid ſit nubere in Domino?

Cui vult nubat, tantum in Domino. Nubunt in Domino, quos nec ambitio ad nuptias impellit, nec opum cupiditas, neque carnalis voluptatis illecebræ movent; ſed procreandorum & ſecundum legem Chriſti educandorum liberorum finis, propriæ infirmitatis conſcientia, Dei voluntas orationibus & devota Sacramentorum ſuſceptione exquiſita, pii & eruditi Directoris conſilio manifeſtata.

Quæ regulæ ſequendæ in dirigendis animabus?

Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Beatior eſt, ſi quicquid intentionis animi his rebus impenderet quibus placendum eſſet viro, colligat & redigat in eam intentionem quo placendum eſt Domino. Tanto beatior, quanto plus illi ſtudere placere qui diſplicuit mundo, ut placentes ei liberarentur ea mundo. Beatior, quæ melius bonum elegit, quod Apoſtolus auctore Spiritu ſancto propoſuit. Qui hunc imitantur conſcientiarum Moderatores, recta ſancta, tutaque conſilia dant illis quos dirigunt. Non humanum, ſed divinum conſilium eſt, quod Scripturæ Sacræ Traditioniſque lumini fertur acceptum. Has Regulas in dirigendis Animabus ſequi oportet Sacerdotes Domini.

CAPUT VIII.

Senſus Litteralis.

Cum plerique e novis Chriſtianis qui Corinthi degebant, Ethnicorum conſuetudine & familiaritate uterentur, & ad eorum convivia invitati veſcerentur cibis ab illis appoſitis, non inquirentes ſcrupuloſius num idolis immolata fuiſſent animalia quorum carnes edebant: ſcientes nullum cibum per ſe immundum eſſe, aut animam inquinare, cum a Deo conditus ſit, & oratione ac verbo Dei ſanctificetur, plurimis in Chriſtiana diſciplina rudioribus id erat offenſioni, qui aliorum exemplo carnes idolis immolatas comedebant, tametſi idolum aliquid eſſe putarent, & idolothytorum eſu conſcientiam pollui, & carnes illas partes eſſe vel extra victimarum in falſorum numinum honorem cæſarum & oblatarum certo ſcirent.

De Idolothytis edendum non eſt repugnante conſcientia, aut cum aliorum ſcandalo.

Quocirca illos reprehendit Apoſtolus, qui hac in re fratrum infirmitati non ſatis conſulebant, & a rebus per ſe non malis abſtinendum eſſe docet, ſi earum uſus infirmis offenſioni eſſe poſſit, eiſque peccandi occaſionem præbere.

1. *De iis autem quæ idolis ſacrificantur, ſcimus quia omnes ſcientiam habemus.*

Scientia inflat, ſi caritate deſtituta ſit.

Quod cibos attinet idolis immolatos, nos qui in Chriſtiana Religione plenius inſtituti ſumus, certo ſcimus idolum nihil eſſe, omnem creaturam Dei eſſe bonam, cibos, ex eo quod idolis oblati ſint, nullam immunditiam contrahere, quæ ſinceros veri Dei cultores ab ethnicis ſuperſtitionibus prorſus alienos inquinare valeat. *Scientia inflat, caritas vero ædificat.* Scientia caritate deſtituta vanitatis & arrogantiæ occaſio eſt, non ſuo vitio, ſed malo uſu & prava voluntate eorum qui ſcientia eſt præditos: caritas vero non ſolum noſtro, ſed proximorum etiam ſpirituali bono conſulit, ab iiſque nos abſtinere jubet, quamvis per ſe licitis, quæ infirmorum ſaluti nocere poſſunt, eiſque peccandi occaſionem præbent.

2. *Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire.* Si quis opinione ſcientiæ in ſuperbiam extollitur, inſoleſcit, alios contemnit, ignorat quod præcipuum eſt, ſcientiam non eſſe per ſe ſalutiferam, ſed quatenus ad dilectionem ducit, quatenus ad Dei gloriam promovendam, ad noſtram & proximorum ſalutem juvandam conducit. Nondum novit modum quo debet

uti

uti ſcientia, in ædificationem, non in perniciem infirmorum.

3. *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.* At vero ſi quis Deum diligit, & quod illi conneaum eſt, proximum propter Deum, hic a Deo cognitus eſt ſeu approbatus, & filiorum loco & numero habetur: Novit enim Dominus qui ſunt ejus.

4. *De eſcis autem quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus.* Quod igitur ſpectat eſum ciborum idolis immolatorum, ſcimus idolum nomen eſſe ſine re: quamvis enim ratione materiæ lignum ſit vel lapis, argentum vel aurum, ratione tamen rei quam ſignificat & repræſentat, quam illi inſidere credunt Idololatræ, merum humani cordis figmentum eſt: ratione virtutis quam in illo incluſam putant, nihil eſt omnino, nihil eſt in eo ſacri aut religionis, nulla vis quæ cibos illi immolatos ſanctificare poſſit vel polluere: uno verbo, quod ſignificat & repræſentat numen in mundo nullum eſt: quia nullus eſt alius Deus, niſi unus, verus ſcilicet Deus, quem nos colimus. Confer cum Jeremiæ 10. 14. *Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia, confuſus eſt artifex omnis in ſculptili, quoniam falſum eſt quod conflavit, & non eſt ſpiritus in eis. Vana ſunt, & opus riſu dignum.*

Dei nomen. 5. 6. *Nam etſi ſunt qui dicantur dii, ſive in cælo, ſive in terra (ſiquidem ſunt dii multi & domini multi) Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Etiamſi ſint qui vocentur Dii a Gentilibus idololatris, ſive in cælo, ut Sol, Luna, Aſtra; ſive in terra, ut Heroes, Jupiter, Mars, Apollo, &c. beſtiæ & res inanimæ apud Ægyptios, quamvis revera dii non ſint (ſiquidem inolito errore & more loquendi apud Gentes recepto multi dii & domini vocantur) Nobis tamen recte ſentientibus unus Deus eſt, qui non nuncupative tantum, ſed vere & proprie Deus & Dominus eſt, Pater Chriſti Jeſu Filii ejus, natura; & per eum noſter, adoptione: A quo ut primaria & ſumma cauſa res omnes ex nihilo creatæ ſunt: & nos in illum, ſive propter ipſum conditi ſumus, ad ejus gloriam, cultum & ſervitium. Et unus Dominus jure redemptionis, Jeſus Chriſtus, per quem omnia creata ſunt, & ſine quo factum eſt nihil: & nos per ipſum conditi & redempti ſumus, & acceſſum ad Patrem habemus, tamquam per Mediatorem & Advocatum. Per ipſum enim omnia, nos autem qui credidimus, ſumus per ipſum ſalutem aſſecuti, *renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi & permanentis in æternum.* Quod hic Patrem Deum, Filium Dominum vocet Apoſtolus, Filium unum cum Patre Deum eſſe non negat. Si enim quoniam unus Deus Pater, non eſt Deus Filius: nec Pater ergo Dominus, quia eſt unus Dominus Jeſus Chriſtus. At divinus Apoſtolus oſtendit æqualitatem, ut qui unius vocem ſimiliter & in Patre & in Filio poſuerit, & vocem *Domini* æqualem cum *Dei* voce vim ac poteſtatem habere oſtenderit. Porro in veteri quoque Scriptura hæ conjunctæ ſunt appellationes. *Ego enim*, inquit, *ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, &, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus Dominus eſt*; &, *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* Qui eſt ergo vere Deus, omnino eſt etiam Dominus, & qui eſt vere Dominus, eſt omnino etiam Deus. Alioqui nec eſt aliter Deus Pater, unus enim Deus Pater: nec aliter Dominus Jeſus Chriſtus, unus enim Dominus Jeſus Chriſtus. Præterea multis in locis Filium Deum nominat: *Expectantes*, inquit, *adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*, &, *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus*, &, *In regno Chriſti Dei.* Verum hic Patrem Deum appellavit, Filium vero Dominum, ne iis qui non ita pridem a Gentilium errore liberati fuerant, præberet occaſionem redeundi ad multorum Deorum errorem. Hæc Theodoreti commentatio eſt.

Filius unus cum Patre Deus.

Exod. 20. Deuteron. 6. Pſalm. 103. Theodoret. in hunc locum, poſt S. Chryſoſt. Hom. 20.

7. *Sed non in omnibus eſt ſcientia.* Sciunt quidem majores & doctiores inter vos, idolum nihil eſſe, nihil in eo eſſe virtutis, unde cibi illi immolati vim ſanctificandi aut polluendi hauriant: ſed hujuſmodi ſcientia deeſt minoribus & rudioribus. *Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant*: Quidam eodem pene modo affecti erga idolum poſt converſionem ſuam, quo antea erant affecti, & ſentientes aliquid eſſe numinis in idolo, cibos illi immolatos comedunt, quaſi ipſa oblatione immutatos; & ſacros effectos, vel cum aliquo reverentiæ ſenſu: *& conſcientia ipſorum, cum ſit infirma, polluitur.* Et conſcientia eorum morbida & erronea peccato contaminatur, vel quia in honorem idoli comedunt; vel quia repugnante conſcientia manducant idolothyta, pravo aliorum exemplo tracti.

8. 9. *Eſca autem nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus.* Eſcæ eſus nos Deo gratos & acceptos per ſe non reddit. Neque enim ſi ſed cattus & manducaverimus quoviſ cibos indifferenter magis abundabimus gratia Dei, doniſque ſpiritualibus; neque ſi abſtineamus, minus gratiæ habebimus. Nec Eſau eſu lenticulæ juſtificatus eſt, nec Elias eſu carnium inquinatus & pollutus. Eſca ventri proficit non menti; cum igitur non pertineat ad veritatem vitæ, juſtitiæ, & doctrinæ, dimittenda eſt propter ſcandalum infirmorum. *Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.* Sed cavete ne hæc libertas utendi rebus mediis & indifferentibus, quam ſine ſcrupulo uſurpatis, rudioribus & teneræ adhuc fidei Chriſtianis occaſio ſit lapſus & ruinæ. Ceterum etſi eſca nos non commendet Deo; plurimum commendat obedientia divinis ejus mandatis, & Eccleſiæ præceptis, quibus abſtinentiam a carnibus, & jejunium certis temporibus imperat, neceſſario exhibenda.

Eſca nos per ſe Deo gratos non reddit.

10. 11. *Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem, nonne conſcientia ejus, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* Si enim quis ex illis videns eum qui in diſciplina Chriſtiana magis eruditus eſt, menſæ aſſidentem, ſuper quam carnes idolo immolatæ apponuntur, nonne conſcientia ejus erronea, vel adhuc dubia & meticuloſa exemplo illius impelletur ad edendum cibos immolatitios, vel in honorem idoli, vel cum idoli conſcientia, quamvis ſcilicet adhuc opinetur idolum aliquid eſſe, & vim aliquam ſanctificandi, vel polluendi cibis immolatis affricare? *Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Et frater tuus in fide infirmus, peribit per tuam ſcientiam, ſeu occaſione ſcientiæ tuæ timidæ & arrogantis, videns te qui ſapientiæ opinionem habes, idolothyta comedere, credenſque te illis veſci in reverentiam idoli; peribit, inquam, culpa tua & pravo exemplo frater, pro cujus ſalute Chriſtus mortuus eſt. Mortuus eſt Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus, igitur & pro illis qui pereunt.

A rebus etiam indifferentibus abſtinendum eſt, ſi ex eo uſu ſit ſcandalum oriturum.

Chriſtus pro illis etiam, qui pereunt, mortuus eſt.

12. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* Sic autem peccantes in eos qui ſecundum Chriſtum fratres veſtri ſunt, ejuſdemque capitis membra, & conſcientiam eorum infirmam quaſi gladio mali exempli vulnerantes, in Chriſtum peccatis, ſi quidem injuria membrorum in caput, ſervorum in dominum redundat; caritatis legem a Chriſto ſancitam violatis, fructum mortis Chriſti impeditis.

13. *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Quæ cum ita ſint, ſi tututum eſt carnes comedendo fratri meo Chriſtiano præbeam occaſionem ſcandali, non ſolum a carne idolis immolata, ſed etiam ab aliis omnibus, non nunc ſolum, ſed perpetuo abſtinebo, ne fratri meo demonſtrationem ruinæ ſpiritualis, & animam Chriſti ſanguine redemptam in diſcrimen ſalutis adducam.

C A P U T VIII.

Senſus Moralis.

1. *Scientia inflat, caritas vere ædificat.* Quid ergo? Scientiam fugere debetis, & eligere eſſe nihil ſcire potius quam inflari? Ut quid loquimur, ut quid ſcribimus, ut quid diſputamus, ut quid concionamur, ſi melior eſt ignorantia, quam ſcientia? Ergo amate ſcientiam, ſed anteponite caritatem. Scientia ſi ſola ſit, inflat. Quia vero caritas ædificat, non permittit ſcientiam inflare. Ibi ergo inflat ſcientia, ubi caritas non ædificat: ubi autem ædificat, ſolidata eſt. Scientia ſine caritate vana & ſuperba, caritas ſine ſcientia cæca eſt: zelum parit, ſed periculoſum, quia lumine deſtitutum. *Sic itaque adhibeatur ſcientia tamquam machina quædam per quam ſtructura caritatis aſſurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum ſcientia deſtruetur; quæ ad finem caritatis adhibita, multum eſt utilis; per ſe autem ipſa ſine tali fine, non modo ſuperflua, ſed etiam perniciosa probata eſt.* Cum caritate, ſcientia Chriſtiani; ſine caritate, ſcientia dæmonis. Deum noſſe & diligere; ſe ipſum noſſe, & humiliari, ſcientia eſt ceteris omnibus præponenda. Deum cognovimus, amemus, ut magis cognoſcamus. *Non intratur in veritatem niſi per caritatem.*

Scientia ſine caritate vana: caritas ſine ſcientia cæca eſt.

S. Aug. Serm. 354. alias ex De Verbis Domini.

S. Aug. Epiſt. 55. alias 119. Ad Januarium, c. 21.

S. Aug. lib. 32. contra Fauſtum, cap. 18.

2. Si

2. *Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire*. Quantacunque vis ſcientia præditus ſis, ignarus es, niſi principium & finem ſcientiæ tuæ noveris. Principium Deus eſt: hoc fundamentum humilitatis: finis, ſalus eſt proximi, hoc fundamentum eſt caritatis. Fructum & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit Apoſtolus. Quis vero modus ſciendi? „ Ut ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat: quo ordine, ut id prius, quod maturius ad ſalutem: quo ſtudio; ut id ardentius quod vehementius ad amorem: quo fine; ut non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui ſcire volunt, eo tantum fine ut ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt ut ſcientiam vendant pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt qui ſcire volunt, ut ædificent: & caritas eſt. Et qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere ut benefaciant. Reliqui omnes audiant, Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.

S. Bernard. Serm. 36. in Cantica c. 3.

Jacobi 4.

Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire. Ut quis ſciat Chriſtianum ſciendi modum, novem neceſſaria ſunt, ut commentatur S. Thomas. 1. Ut ſciat humiliter, ſine animi inflatione. Philipp. 4. *Scio humiliari*. Pſal. 130. *Si non humiliter ſentiebam*. 2. Sobrie, ſine præſumptione. Rom. 12. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. 3. Certo, ſine hæſitatione. 2. Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*. 4. Veraciter & ſine errore. 2. Timoth. 3. *Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*. 5. Simpliciter ſine deceptione. 1. Tim. 6. *Depoſitum cuſtodi, devitans ... oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*. 6. Salubriter cum caritate. 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem ſcientiam, caritatem autem non habuero, nihil ſum*. 7. Utiliter cum proximorum ædificatione. 1. Cor. 12. *Alii datur ſermo ſcientiæ in eodem Spiritu*. 8. Liberaliter cum gratuita communicatione. Sap. 6. *Ponam in lucem ſcientiam illius*. 9. Efficaciter cum bona operatione. Jacobi 4. *Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*. Humilitas ſcientiæ arguit Sapientes ſuperbos; ſobrietas curioſos; certitudo dubios, veritas hæreticos; ſimplicitas Advocatos; ſalubritas Magos; utilitas iniquos; liberalitas avaros; efficacia otioſos.

Chriſtianus ſciendi modus.

S. Thomas, Lect. 1. in hoc Cap.

3. *Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo*. Deum diligere nemo poteſt, niſi ab ipſo prius diligatur; & ipſa dilectione meretur, ut ab eo plus ametur. *In hoc eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*. Quære unde homini diligere Deum: nec invenies omnino, niſi quia illum prior dilexit Deus. Dedit ſe ipſum quem dileximus; dedit unde diligeremus. *Caritas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*. Unde? *Per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Habentes ergo tantam fiduciam, *amemus Deum de Deo*. Amor Dei non eſt ſterilis. *Qui diligit Deum, hic cognitus eſt illi*. Cognitio Dei fructuoſa & benefica eſt, amoriſque ſui in homine effectrix. *Ipſe ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit*. *Amorem itaque noſtrum pium quo colimus Deum, fecit Deus, & vidit quia bonum eſt: ideo quippe amavit ipſe quod fecit. Sed in nobis non faceret quod amaret, niſi antequam id faceret, nos amaret*. Amor Dei creaturas ſuas diligentis longe diſpar eſt amori noſtro. Quia enim voluntas noſtra non eſt cauſſa bonitatis rerum, ſed ab ea movetur ſicut ab objecto: amor noſter quo bonum alicui volumus, non eſt cauſſa bonitatis ipſius: ſed bonitas ejus vel vera, vel æſtimata provocat amorem, quo ei volumus & bonum conſervari quod habet, & addi quod non habet: & ad hoc operamur. Sed amor Dei eſt infundens & creans bonitatem in rebus.

Deum diligimus, quia dedit unde diligamus.

1. Joann. 4. 10.

Rom. 5. 5.

S. Aug. Serm. 35. alias De Diverſis 2.

Idem Tract. 102. in Joan.

S. Thomas, 1. P. Q. 20. Art. 2.

4. *De eſcis autem quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus niſi unus*. Idolum nihil eſt. Nullus eſt Deus niſi unus. Nemo Chriſtianus eſt qui id neſciat: veruntamen tot ſibi Deos peccator conſtituit, quot creaturas mandoria dilectione diligit, illis ſuui volens præ Deo. Cupiditas cuique ſua idolum eſt. Nemo eſt qui Dei nomen audeat uſurpare: ſed Dei gloriam plerique rapiunt, independentiam affectant, ſubeſſe & parere Superioribus vice Dei præſidentibus renuunt; relicto eo a quo conditi ſunt principio, ſibi ipſis ita ſuperbe placent, quaſi ſuimet ſibi ipſis eſſent principium. *Avaritia eſt ſimulacrorum ſervitus*. Idololatria dicta eſt avaritia: quia in ipſa divinitate avarus eſt, cui non ſufficit Deus unus & verus. Quæ ſibi facit multos Deos, niſi avara anima? Auro & argento, principibus ſimulacrorum materiis, ingenium ſuum immolat, ſudorem ſuum libat, prudentiam ſuam accendit: illis ſaginatiorem & majorem hoſtiam cædit, ſalutem ſuam.

Cupiditas cuique ſua idolum eſt.

6. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Hæc ſumma religionis eſt: Unus Deus Creator, unus Dominus Jeſus Chriſtus reparator & mediator. Deus condidit omnia per Sapientiam ſuam, quæ Filius ejus eſt: Deus omnia refert ad ſe ipſum per caritatem, quæ Spiritus ejus eſt. Unum caput nos omnes ſibi ipſi unit per Incarnationem ſuam. Unus Dominus nos omnes acquirit & ſuos facit per redemptionem. Unus Sacerdos & Mediator nos omnes Deo reconciliat, & ad eum accedere facit per Religionem. Hæc autem omnia in uno Chriſto habemus. Deum imitemur nihil agendo niſi per Filium ejus; & omnes actus noſtros ad eum referendo per Spiritum ſanctum. *Nos in illum*, id eſt, ad ipſum converti, ad ipſum reſpicere, ipſum debemus perpetuo laudare. *Et nos per ipſum*, Chriſtum Jeſum, ſalutem aſſecuti, nos ipſi totos rependere ac devovere debemus. „ Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo; Nec enim tam facile refectus, quam factus: ſiquidem non ſolum de me, ſed de omni quoque quod factum eſt, ſcriptum eſt: *Dixit & facta ſunt*. At vero qui me tantum & ſemel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, ſed & indigna. *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe: & ubi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? Nam etiam ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?

Summa religionis.

Deo nos totos debemus.

S. Bernar. lib. De diligendo Deo cap. 5.

8. *Eſca nos non commendat Deo*, &c. Non immunditia obſonii, ſed immunditia cupiditatis timenda eſt. Populus in eremo, non quia carnes deſideravit, ſed quia eſcæ deſiderio adverſus Dominum murmuravit, punitus eſt. David propter aquæ deſiderium a ſe ipſo reprehenſus, Rex noſter non de carne, ſed de pane tentatus. Adverſus tentationes gulæ quotidie pugnandum. Cibus & potus cauſſa neceſſitatis, non voluptatis ſumendus. „ Hoc me docuiſti, Domine, ait S. Auguſtinus, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſocietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. Ipſe enim tranſitus voluptas eſt, & non eſt alius qua tranſeatur quo tranſire cogit neceſſitas. Et cum ſalus ſit cauſſa edendi & bibendi, adjungit ſe tamquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus cauſſa fiat, quod ſalutis cauſſa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpe incertum fit utrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infelix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium, gaudens non apparere quod ſatis ſit moderationi valetudinis, ut obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos, quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat. *Aufer a me ventris concupiſcentias*. Da quod jubes, & jube quod vis.

Cibus & potus cauſſa neceſſitatis, non voluptatis ſumendus.

S. Aug. l. 10. Confeſſ. c. 31.

Eccli. 23. 6.

9. 10. 11. 12. *Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet ſcientiam in idolio recumbentem, nonne conſcientia ejus, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis*. Infirmitatibus proximi ea caritate compatiendum eſt: a rebus etiam innoxiis abſtinendum, ſi ſcandali, lapſus & ruinæ occaſionem aliis præbeant. Scientia noſtra abutimur, & lumen quod eſt in nobis tenebræ ſunt, ſi exempla noſtra fiant aliis offendicula. Periculoſius cadimus, quia alios in præcipitium impellimus. Salutem noſtram, fructum ſanguinis Chriſti nihil facimus, qui ſalutem fratris contemnimus, & fratris quidem infirmi, quem Chriſtus tanti fecit, ut pro eo ſanguinem fuderit, & mortem ſubierit. „ Eſto enim, Non corrigis, neque excitas: quid ſupplantas, & facis offendere, cum oporteret „ manum

A rebus etiam innoxiis abſtinendum, ſi ſcandali occaſionem præbeant.

S. Joannes Chryſoſt. Hom. 20. in hanc Epiſt.

Digitized by Google

„ manum porrigere? At hoc non vis: ergo neque dejeceris. Nam ſi malus quidem eſſet, opus haberet punitione; ſin autem infirmus, curatione. Nunc autem non eſt ſolum infirmus, ſed etiam frater, pro quo Chriſtus mori non recuſavit. Tu autem ne in animum quidem inducis, ut ad ejus imbecillitatem te demittas & accommodes. Et non dixit, Pro quo te etiam mori oportebat, ſed quod erat multo majus, quod etiam Chriſtus propter ipſum mortuus eſt. Deinde Dominus quidem tuus pro te mori non dubitavit; tu autem adeo nullam ejus habes rationem, ut nec propter ipſum a menſa impia & ſcelerata abſtineas: ſed poſt ſic datam ſalutem eum ſinis interire, & quod eſt graviſſimum, propter cibum. Neque enim dixit, Propter tuam perfectionem, neque propter tuam ſcientiam, ſed propter tuam eſcam. Sunt itaque quatuor crimina, eaque maxima, quod & frater, & imbecillus, & cujus Chriſtus tantam habuit rationem, ut etiam pro eo ſit mortuus, & quod poſt hæc omnia, propter cibum perit. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis*. Non dixit, Scandalizantes ſeu offenſionem afferentes, ſed percutientes, ut dictionis emphaſi oſtenderet crudelitatem. Quid enim homine ſævius, qui ægrotantem verberat? Eſt enim quovis vulnere gravius, ſcandalizare. Hoc quidem ſæpe etiam mortem attulit. Et quomodo peccant in Chriſtum? Primo, quod quæ ſunt famulorum ipſe ſibi tribuit. Secundo, quod qui verberantur, ſunt ejus corpus & membra. Tertio, quod opus Chriſti morte ædificatum illi diruunt propter ſuam ambitionem & honoris cupiditatem. *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem*. Novit (*inquis*) Deus cor meum. Sed frater tuus non novit cor tuum. Si infirmus es, cave majorem ægritudinem: ſi firmus es, cura fratris infirmitatem. Et ne contemnas infirmum, addit, *Propter quem Chriſtus mortuus eſt*. Quem vis contemnere, pretium ipſius attende, & cum morte Chriſti totum mundum appende. Noli contemnere, ſi non vis deleri de Libro vitæ.

S. Aug. Serm. 61. al. 6. De Verbis Domini.

C A P U T IX.

Senſus Litteralis.

1. N*On ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino?* Doctrinam de ſcandalo fratrum vitando confirmat Apoſtolus noſter exemplo ſuo, qui non ſolum ab idolothytorum eſu, ſed a multis aliis per ſe licitis abſtinuit, ne quam offendiculi occaſionem præberet Neophytis in fide adhuc infirmis, vel Gentilibus, quibus Evangelium prædicabat. *Non ſum liber?* Non ſum in aliena poteſtate conſtitutus, ſed mei juris: & quemadmodum Chriſtiana libertate quovis genere ciborum veſci poſſem, & tamen ab immolatitiis mihi tempero ne infirmis fratribus ſim offenſioni: ſic Apoſtolica libertate poſſem accipere ſtipendium ſuſtentationis a populis, quibus Evangelium prædico, mercedem retributionis exſpectans a Domino; & tamen labore manuum mearum victito, ne cuiquam ſim oneri aut offenſioni. *Non ſum Apoſtolus?* Cum ſim Apoſtolus; uti certe poſſum Apoſtolorum jure, quod eſt ex Evangelio vivere. *Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi?* Nec minus aliquid habeo ceteris Apoſtolis, cum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum pariter viderim corporeis oculis, non quidem in carne adhuc mortali, ſed in ſtatu gloriæ ſuæ, cum ſe mihi conſpicuum præbuit Damaſcum eunti, meque in terram proſtratum convertit & vocavit per gratiam ſuam. Nonne opus meum vos eſtis in Domino? Vos certe Chriſto genui per Evangelii prædicationem, & in fide inſtitui; tametſi non meæ virtuti, ſed ejus gratiæ id acceptum referri debeat.

Act. 9. 17. & 27. & cap. 22. 6. 7. 8. 14. 15.

2. *Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum*. Etſi Apoſtolatus officio apud alios functus non eſſem; vel, etſi aliorum judicio non eſſem Apoſtolus; negare tamen non poteſtis quin Apoſtolus veſter ſim. *Nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino*. Converſio veſtra, edita apud vos meo miniſterio & Domini virtute miracula, chariſmata & dona Spiritus ſancti, per fidem apud vos vigentia, velut ſigillum ſunt, quod mei apud vos Apoſtolatus fidem facit. Confer cum II. Corinth. XII. 12. *Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis & virtutibus*.

3. *Mea defenſio apud eos qui me interrogant, hæc eſt*. Hæc mea defenſio eſt apud eos qui Apoſtolatum meum in dubium revocant, ſive qui me arguunt ob ſingularitatem.

S. Paulus apud Gentes abſtinet a certis rebus per ſe licitis, ne illis ſcandali occaſionem præbeat.

4. 5. *Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?* Numquid non habemus jus accipiendi alimoniam ab Eccleſiis quibus Evangelium prædicamus? *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Numquid non habemus jus feminam aliquam Chriſtianam, & ſanctæ converſationis, comitem itinerum noſtrorum aſſumendi, quæ de facultatibus ſuis neceſſaria nobis ad victum ſubminiſtret ac præparet, ne illis neceſſitatibus diſtrahamur in opere Evangelii? Mos erat apud Judæos, ut piæ mulieres magiſtris neceſſaria miniſtrarent, & ad hoc caritatis officium illos comitarentur. Sic Dominum Jeſum ſequebantur, quæ in Evangelio commemorantur. Hac facultate Apoſtoli uſi ſunt apud Judæos, & cognati Domini Jacobus Minor & Joſeph, & Petrus Apoſtolici Collegii Princeps. Paulus vero eo jure non eſt uſus apud Gentes, quibus id ſcandalo eſſe poſſe judicabat.

Tertullian. lib. De Monogamia, c. 8. S. Hieron. lib. 1. contr. Jovinia. S. Aug. lib. De Opere Monach. cap. 4. Ambroſiaſter, Sedulius, Primas. Matth. 27. Luc. 8. 3.

6. *Aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?* An nos duo ſoli, Barnabas qui pariter ad converſionem gentium miſſus eſt a Spiritu ſancto, & ego, non habemus poteſtatem non operandi manibus noſtris, & vivendi ex Evangelio, mulieremque ex ſororibus noſtris circumducendi?

7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte ejus non manducat?* Nemo miles ſtipendiis ſuis militare tenetur, ſed jus habet accipiendi frumentariam annonam & ſtipendium a Principe, ſeu a provincialibus ex edicto Principis. Et qui plantat vineam, jus habet edendi ex ejus fructu, ex ejus uvis aliquid delibandi. Et qui paſcit gregem ovium, jure vivit ex earum lacte. Igitur Prædicatores Evangelii, omneſque Eccleſiæ Miniſtri, qui Chriſto militant, & vineam ejus myſticam plantant aut colunt, & gregem ovium Chriſti paſcunt, jus habent accipiendi ſtipendia ſuſtentationis a populo Chriſtiano.

Prædicatores Evangelii, & omnes Eccleſiæ Miniſtri jus habent accipiendi ſtipendia ſuſtentationis a populo Chriſtiano.

8. 9. 10. *Numquid ſecundum hominem hæc dico? An & Lex hæc non dicit?* An ſecundum morem hominum, aut jus apud Gentes omnes receptum, hæc de alimentis Prædicatoribus Evangelii debitis adſtruo? Minime gentium. Nam & Lex a Deo data id docet. *Scriptum eſt enim in Lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti*. Non occludes os bovi, qui grana ex ariſtis pedibus exterit, ne de frugibus comedat? Laborantium enim animalium os occludere, inclementiæ cujuſdam & injuſtitiæ eſſet. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Numquid propter boves præcipue lex hæc a Deo lata eſt? Quamvis enim minima quæque providentia ſua complectatur, & regat: homo tamen præcipua eſt divini ingenii cura. *An propter nos utique hoc dicit?* Propter nos præcipue Evangelii præcones & miniſtros id a Deo præceptum eſt. *Nam propter nos ſcripta ſunt*. Propter nos id ſcriptum eſt in lege, & Prædicatores Evangelii, Eccleſiæque Miniſtri, boum arantium & triturantium typo deſignantur. *Quoniam debet in ſpe qui arat, arare: & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi*. Siquidem & homo qui arat, merito ſperat fructum labori ſuo debitum, nec ea ſpe fraudandus eſt; & qui triturat fruges, jure ſperat fore ut fructuum ſit particeps. Qui juvencis de ſuſtentatione conſultum voluit Deus optimus maximus, multo magis hominibus laborantibus, ſive detur in parte rei ipſius in qua laboratur, ut fit colonis partiariis; ſive in pecunia, quæ rerum omnium vicem ſubit.

11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Bis argumentum ducit a minori; primum a juvencis ad homines; deinde ab hominibus laborantibus in iis quæ ad hanc vitam attinent, ad homines laborantes in rebus ducentibus ad vitam meliorem. *Seminare* hoc loco eſt, operam præſtare; *metere*, pro opera aliquid accipere: ſi nos vobis ſpiritualia ſeminamus, id eſt, doctrinam Evangelicam, Sacramenta, & quæ eo pertinent miniſtramus & diſpenſamus; minime mirum eſt ſi nos alimenta, aliaque corporis ſubſidia viciſſim a vobis accipiamus. Nec ſane magnum quid vos conferre exiſtimare, cum hæc præſtatis. Cum enim ſeminans multo plura exſpectet quam in terram projecit, hic longe aliter ſe res habet: Spiritalia enim quæ ſeminamus, incomparabiliter meliora ſunt corporalibus ſubſidiis quæ metimus. Temporalia illa ſubſidia pretia quidem non ſunt ſpiritualium, ſed tamen juſta ſunt operariorum Evangelicorum & Miniſtrorum Eccleſiæ ſtipendia.

12. *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia*

S. Paulus victum labore

Digitized by Google

manuum ſibi comparavit, ne Corinthiis eſſet oneri, & offendiculum daret Evangelio.

omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. Si alii, Pſeudo-Apoſtoli, hac poteſtate apud vos utuntur, ut bonorum veſtrorum ſint participes, ut temporalia ſubſidia a vobis accipiant: cur nos eam non haberemus poteſtatem vero Apoſtolatui jure potiori adnexam? Veruntamen ea noluimus uti: quin potius omnia ſuſtinemus incommoda, famem, ſitim, frigus, nuditatem, manuum laborem, ne aliquod obſtaculum, aliquam moram injiciamus Evangelicæ Prædicationis curſui & fructui. Noverat ſcilicet ſe apud Corinthios minus habiturum auctoritatis, ſi ipſis oneri fuiſſet ut Pſeudo-Apoſtoli.

Confer cum Levitici 7. 31. 32. 33.

13. 14. *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt; & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* Neſcitis Miniſtros Templi vivere de oblationibus, primitiis, decimis, quæ Templo offeruntur; & miniſtros Altaris, Sacerdotes ac Levitas, Sacris operantes, ſeu perpetuo aſſiſtentes & ſervientes, partem unam hoſtiæ ſibi vindicare ad victum, exceptis holocauſtis, quæ tota igne abſumuntur. *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*, Matth. 10. Verſ. 10. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*. Et Luc. 10. Verſ. 7. *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt. Dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Argumentum eſt a veteri Lege ad novam. Si enim veteris Legis & Tabernaculi Templique Miniſtris attributum eſt a Deo jus ex ſuo miniſterio vivendi, quanto magis æquum erat jus idem a Chriſto Domino conſtitui pro Miniſtris novæ Legis? *Ita & Dominus ordinavit*, non jubendo, ſed permittendo, ut quiſquis vellet,

Aug. l. De Opere Monach. cap. 6.

„ eo uteretur, quod ſibi liceret ex Chriſti conſtitu-
„ tione. Si quis uti nollet, non contra juſſum fa-
„ ceret, ſed de ſuo jure cederet miſericordius &
„ laborioſius converſatus in Evangelio, in quo &
„ debitam mercedem nollet accipere.

15. *Ego autem nullo horum uſus ſum*. Quamvis divina auctoritate, ratione, exemplo conſtet me jus habere accipiendi vitæ ſubſidia ab iis quibus Evangelium prædico, eo tamen jure ceſſi, neque ullo horum argumentorum uſus ſum ut ſtipendium ſuſtentationis exigerem. *Non autem ſcripſi hæc ut ita fiant in me*. Neque vero hæc a me ſcripta ſunt eo animo ut mihi ſubminiſtrentur a vobis aut ab aliis neceſſaria. *Bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*. Melius eſt mihi non ſolum egeſtatis incommoda pati, ſed mortem ipſam, quam ut gloria, quam mihi parit apud Deum & homines gratuita modis omnibus prædicatio, & ceſſio juris tam legitime quæſiti, propter ſalutem animarum, aliquis excidere me faciat. Apoſtoli noſtri magnanimitatem admirare. Magnum animum olim oſtendit Abraham nihil de præda bello parta ſibi vindicans aut cupiens: Multo majorem S. Paulus, pro gravi ac ſalutifero labore ne alimenta quidem ſibi ſumens.

Geneſ. 14. 23, 24.

S. Pauli magnanimitas & liberalis animus in Evangelii prædicatione.

16. *Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero*. Si evangelium prædicem dumtaxat, non eſt unde gloriari poſſim præ Pſeudo-Apoſtolis, quaſi de opere ſupererogationis: ſive, non eſt mihi ratio ſperandi præmium excellentius quam aliis Evangelii Prædicatoribus, Chriſti enim Domini mandato pariter ac ceteris Apoſtolis, Evangelii prædicandi munus mihi impoſitum eſt: *a* Quod mandatum neceſſe eſt me exequi ut ſalvus fiam. Si enim Evangelii prædicationem negligam ac deſeram, æternæ maledictioni ero obnoxius, tanquam dominici præcepti tranſgreſſor, & divini talenti mihi crediti non ſolum infidelis diſpenſator, ſed defoſſor ignavus. Vel, ſi evangelizavero eo animo ut ſumptus accipiam, nulla mihi pars in cœleſti gloria ſperanda eſt; quippe cum animo mercenarii, non Apoſtoli id faciam, & ſolo timore ſervili prædicem, neceſſitate præcepti conſtrictus, quod violare non audeo æternæ damnationis metu; non ex dilectione Dei & proximi, nec libera modis omnibus voluntate, ſeu liberali animo id exequor.

a Matt. 28. 19. Marci 16. 15. Act. 1. 2. 8. Act. 13. 2. Act. 22. 17. 21. Act. 26. 16. 17. 18. S. Chryſ. Hom. 22. in hanc Epiſt. Theophilact. Oecumenius. S. Thomas, lect. 3.

17. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt*. Si ex animo, alacriter, & liberaliter Evangelium prædico, ſolam Chriſti gloriam, & animarum pretioſo illius ſanguine redemptarum ſalutem, non gloriam meam, & privata commoda quærens, merces mihi repoſita eſt apud Deum ex ejus gratia, & merces quidem copioſior, ſi gratis prædicem, nulla ſubſidia temporalia ab Eccleſiis accipiens. Si autem non ex animo, ſed timore pœnæ velut coactus, aut privatam ac temporalem utilitatem quærens, Evangelici Prædicatoris munus obeo; nihilominus Evangelii prædicatio mihi commiſſa eſt, quamvis non mihi, ſed aliis dumtaxat profutura. „ Volentem ſe dicit
„ facere, (inquit S. Auguſtinus) ſi nulla vitæ hujus

S. Auguſt. lib. De Opere Monachorum, cap. 10.

„ fulciendæ neceſſitate compulſus facit, & ob hoc
„ habere mercedem, utique apud Deum gloriæ ſem-
piternæ. „ *Si autem invitus, diſpenſatio mihi credita*
„ *eſt*; id eſt, ſi neceſſitate tranſigendæ hujus vitæ
„ invitus cogor evangelizare, diſpenſatio mihi cre-
„ dita eſt, ut ſcilicet ex diſpenſatione mea, quia
„ Chriſtum, quia veritatem prædico, quamvis ex
„ occaſione, quamvis mea quærens, quamvis terreni
„ emolumenti neceſſitate compulſus, alii proficiant;
„ ego autem apud Deum mercedem glorioſam illam
„ ſempiternamque non habeam.

18. *Quæ eſt ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate mea in Evangelio*. Qua igitur ratione mercedem ſingularem & eximiam a Domino promerebor? Evangelium Chriſti ita prædicando ut auditoribus non ſim oneri, neque ab iis ſumptus ad ſuſtentationem neceſſarios accipiam, ne ab iis venale putetur verbum Dei. Quos ſi paſſim & indifferenter acciperem, & jure meo uterer cum aliorum ſcandalo, & impedimento propagationis fidei, vere abuterer facultate & libertate mihi conceſſa, accipiendi ſumptus neceſſarios ab iis quibus Evangelium annuntio. Ab iis enim quæ licent, tunc abſtinendum eſt cum non expediunt, cum non ædificant.

19. 20. 21. *Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem*. Ob eumdem Evangelii ſucceſſum accelerandum, tametſi reſpectu omnium liber eſſem, nemini obnoxius, alienæ poteſtati nequaquam ſubditus, ſponte tanquam ſervum omnium me geſſi, nullos labores refugiens, nulla incommoda, ipſorum cauſa, me omnium ſpiritualibus utilitatibus, neceſſitatibus, & infirmitatibus accommodans, ſerviens omnium ſaluti ſine temporali mercede, ut quamplurimos Chriſto acquirerem. *Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer*. Judæis, apud quos agebam, converſationem meam attemperavi, obſervando cum illis ceremonias Legis Moſaicæ, quas, etſi per Chriſtum abolitas, & ad ſalutem inutiles, obſervare tamen liceat ad tempus, ut Synagoga cum honore ſepeliretur. Similis (inquam) factus ſum Judæis in diſcretione ciborum, in circumciſione Timothei, in purificatione legali, voto, & oblationibus. Has autem ceremonias ſervando tanquam Judæum exterius ſe geſſit, *non ſimulatione fallaciæ, ſed compaſſione miſericordiæ*, ut S. Auguſtinus exponit. *Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem*. Me, inquam, accommodavi Judæis, qui legis Moſaicæ ſervitute premuntur, eam velut neceſſariam ſervantes, ac per hoc a gratia Chriſti alieni, legis ceremonias obſervans occaſione data, quaſi adhuc obnoxius eſſem legi (*cum ipſe non eſſem ſub lege*, utpote ab ejus jugo per Chriſti baptiſmum, gratiam, ac fidem liberatus) idque præſtiti *ut eos qui ſub lege erant*, Judæos, Samaritanos, Proſelytos, *lucrifacerem*, ad Chriſti fidem converterem. *Iis qui ſine lege erant*, Gentilibus; me attemperavi, *tanquam ſine lege eſſem*, non ex Moſaicæ Legis præſcripto, ſed ex legis naturalis, in cordibus eorum impreſſæ, dictamine cum illis agens, & cum ipſis diſputans, non ex Moyſe & Prophetis, ſed ex inſcriptionibus Ararum, & carminibus Poetarum, & optimis rationibus illos convincens (*Cum tamen ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti*) Ita (inquam) erga illos me geſſi, quaſi ſolam naturam ducem ſequerer, quamvis tamen non ſim nec vivam ſine lege a Deo data, cui mente ſervio; ſed obſervem legem Chriſti Domini & Dei noſtri, legem novam, legem gratiæ & caritatis. *Ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant*. Ita vero egi, ut homines exleges, ſcilicet Gentiles, Chriſto acquirerem, & ſervarem. Hoc verbum quater repetit, non ſine emphaſi, ut ſignificet hunc quæſtum uberrimum eſſe, & theſauris omnibus præferendum.

S. Paulus ſe miſericorditer Judæis & Gentilibus attemperat, ut eos Chriſto acquirat.

Act. 15. 29. & c. 16. 3. c. 21. 26. & 25. 17. 18.

Act. 17. 23. & 28.

22. *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem*. Chriſtianis rudioribus, nec ſatis intelligentibus libertatis Chriſtianæ, me attemperavi, a licitis abſtinens, ne ipſis eſſem offenſioni: tanquam nutrix cum parvulis in Chriſto repueraſcens; tanquam medicus ægroto condeſcendens & ſerviens commiſerationis affectu. Fit enim ægrotus qui miniſtrat ægroto, non cum ſe febres habere mentitur, ſed eum cogitat animo condolentis quomodo ſibi miniſtrari vellet, ſi ipſe ægrotaret. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*. Omnium ſtudiis, moribus, & affectibus me accommodavi in rebus licitis & indifferentibus, ut (quantum in me erat) omnium æternam ſalutem procurarem. Omnibus omnia factus eſt. *Non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu, id eſt, non omnia mala hominum fallaciter agendo, ſed alterum omnium malis omnibus, tanquam ſua eſſent, miſericordiæ medicinæ diligen-*

S. Auguſt. Epiſt. alias 9. nunc 40. ad S. Hieron. c. 4. Idem Epiſt. alias 19. nunc 82. ad eumdem.

Y

tiam

Galat. 6.

tiam procurando. Hunc compatientis affectum in Epiſtola ad Galatas præcipit, dicens : „ Si præoccupa„tus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiri„tuales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenita„tis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. *Vide ſi non dixit, Fieri tamquam ille, ut illum lucrifacias. Non utique ut ipſum delictum fallaciter ageret, aut ſe id habere ſimularet, ſed ut in alterius delicto, quid ſibi etiam accidere poſſet, attenderet, atque ita alteri, tamquam ſibi ab altero vellet, miſericorditer ſubveniret, hoc eſt, non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu. Sic Judæis, ſic Gentili, ſic cuilibet homini Paulus in errore vel peccato aliquo conſtituto, non ſimulando, quod non erat, ſed compatiendo, quod eſſe potuiſſet, tamquam qui ſe hominem cogitaret, omnibus omnia factus eſt, ut omnes lucrifaceret.*

23. *Omnia autem facio propter Evangelium : ut particeps ejus efficiar*. Hæc autem omnia facio ut ex Evangelio fructus uberrimus ſequatur : utque ſim comparticeps præmii æterni, quod fidelibus omnibus, & præſertim Apoſtolis & Apoſtolicis Prædicatoribus promittitur. „ Evangelii enim „ ſcopus eſt ſa„lus hominum. Hac namque de cauſa Dominus „ ipſe & cum publicanis veſcebatur & peccatricem „ mulierem ad pedes flentem ſuſtinebat, docens „ ſe veniſſe propter ſalutem hominum.

Theodoret.

24. *Neſcitis quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis*. Neſcitis id eſſe diſcriminis inter athletas qui in ſtadio currunt, aut pugnant, quod omnes quidem currunt & contendunt de præmio ; ſed unus illud obtinet ac reportat : in ſtadio autem vitæ Chriſtianæ, & mandatorum Dei, omnes qui currunt, præmium & coronam aſſequuntur, modo in bono curſu perſeverent. Quamobrem ſic currite, ſic vos in fide, ſpe, & caritate, & in omnibus Chriſtianæ vitæ officiis exercete, ut vitæ æternæ præmium & coronam gloriæ aſſequi poſſitis. Ut enim ibi non ſatis eſt curſum inchoaſſe, ſed conſummaſſe oportet, metamque contigiſſe : ita hic non ſufficit Evangelii ſtadium ingredi, niſi uſque ad metam & mortem pergas, & in curſu Chriſtianæ pietatis ac vitæ ſecundum Evangelium inſtitutæ perſeveres: Juſti ergo omnes non ita currunt ut præmium æternæ vitæ obtineant. Excidere enim poſſunt a juſtitia. Veram igitur juſtitiam amitti poſſe qui negant Hæretici, Apoſtolo refragantur.

Hæretici ſunt, qui negant veram juſtitiam amitti poſſe.

Matt. 10. 22. & 24. 13. in Apocal. 2. 10.

25. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet : & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant ; nos autem incorruptam*. Athletæ omnes a rebus omnibus abſtinent, quæ corporis agilitatem & velocitatem poſſunt impedire, a Venere continent, a certis ciborum generibus ſibi temperant; & illi quidem hoc faciunt ut corruptibilem coronam accipiant, puta ex oleaſtro, ut in Olympicis, aut picea ſive pinu, ut in Iſthmicis; aut lauro, ut in Pythiis; aut apio, ut in Nemeis. Eodem itaque modo nos geramus, moderatiſſime utendo rebus hujus ſæculi ; & ab omnibus quæ curſum noſtrum remorari, pugnamve impedire poſſent, abſtinendo, ut incorruptam coronam accipiamus, ſcilicet vitam æternam atque cæleſtem.

Epict. in. Plato lib. 8. De Legibus. Ælianus, Var. Hiſt. 11. 3. Philo. lib. Cont. Flaccum Tertull. lib. Ad Martyres.

26. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum : ſic pugno, non quaſi aerem verberans*. Sic curro in Evangelico Miniſterio, non temere & incerta via, ſed recto curſu, totoque conatu tendens ad metam, ad finem gloriæ Dei & ſalutis animarum, ad coronam juſtitiæ mihi a ſummo & æquiſſimo Judice reddendam. Pugno, non inani conatu, ut pugiles qui alterna brachia jactant, & ictibus verberant aerem, non adverſarium, qui ſua dexteritate illorum ictus eludit.

27. *Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Carnem meam caſtigo ut ſervum petulantem, & ſpiritui parere cogo, illam fame, ſiti, laboribus, vigiliis, frigore, nuditate, humicubationibus, flagellis, coercens, macerans, attenuans: a *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Ne cum alios docuerim viam ſalutis, excidam ipſe a ſalute, rejectus ac reprobatus a ſupremo judice & agonotheta Deo. Hinc perſpicuum & Apoſtolos ipſos a juſtitia excidere potuiſſe; nec certos fuiſſe infallibili certitudine ſe magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum habituros. Quanto minus ceteri?

a S. Baſilius lib. De vera Virginit. p. 718. Theodoretus in Comment. S. Iſidorus Peluſ. lib. 3. Epiſt. 265. S. Paulinus Epiſt. 43. S. Aug. lib. De Agone Chriſtiano, c. 6.

C A P U T IX.

Senſus Moralis.

Quæ gloriatio innocens.

1. 2. N*On ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino?* Innocens & ſancta eſſe poteſt gloriatio, cum eo animo quis gloriatur quo Paulus Apoſtolus, cum Domini gloria, cum fraterna caritas, cum famæ adverſus maledicos & invidos tuendæ neceſſitas id exigunt. *Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra*, ſeu vitæ integritas & conſcientiæ puritas, *aliis fama noſtra*. Sed ſi quando noſtra commendare talenta & labores, ſi jura noſtra & privilegia recenſere neceſſe ſit, hæc Deo, non nobis tribuantur ; hæc ad ejus gloriam unice referantur. *Qui gloriatur*, ait alibi Apoſtolus noſter, *in Domino glorietur. Non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Non ergo inſipiens eſt quicumque gloriatur, ſed qui in ſeipſo, non in Domino gloriatur. Dignitatem ſuam, labores ſuos Apoſtolicos, prædicationis ſuæ fructum, fundationem & inſtitutionem Eccleſiarum, converſionem animarum commemorat Paulus : ſed hæc omnia gratiæ & miſericordiæ Dei accepta refert. *Nonne opus meum vos eſtis in Domino? Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino*. Aliter gloriari, non eſt juſtitiæ veritas, ſed ſuperbiæ vanitas. Paſtores, Doctores, Concionatores, & quicumque ad perfectionem juſtitiæ alios erudiunt, vel ad eam contendunt, inanis gloriæ vitium diligenter caveant, in caritate & humilitate Chriſti radicati. *Quo primo enim vitio lapſa eſt anima, hoc ultimum vincit. Initium autem omnis peccati ſuperbia*. Et *Tanto quiſque eſt Deo ſimilior, quanto eſt ab hac immunditia mundior*.

S. Auguſt.

Inanis gloriæ vitium diligenter cavendum.

S. Auguſt. in Pſal. 7. n. 4. Idem lib. 5. De Civ. Dei, c. 14.

4. *Numquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi?* Alimenta ab Eccleſia accipere, de oblationibus & bonis Eccleſiæ vivere, & pro Eccleſiæ utilitatibus ac ſalute animarum non laborare, domeſticum furtum eſt : ſumptus ab Eccleſia & fidelibus accipere, de reditibus Eccleſiaſticis aut oblationibus vivere, cum Eccleſiæ miniſterium exhibetur & pro ea laboratur, jus eſt & ſtipendium bonis Miniſtris debitum. Ex Eccleſiæ bonis plus accipere aut ſibi retinere quam ad ſuſtentationem ſuam ſit neceſſarium, avaritia mercenariorum eſt. Nihil omnino ab Eccleſia accipere, & ipſi nihilominus inſervire, Apoſtolica perfectio, heroica virtus eſt, cujus paucos imitatores videmus. Sanctum Paulum hac in re ſin minus imitentur Paſtores animarum, Prædicatores, aliique Eccleſiaſtici viri, ut a conceſſis & licitis abſtineant ad Dei gloriam & ſalutem animarum facilius procurandam, abſtineant ſaltem ab illicitis, a ludis alearum, a venatione, a comeſſationibus, a luxu, ab alterius ſexus liberiori frequentatione, a litibus ex nimio rerum temporalium ſtudio ſuſcipiendis, ab omnibus quæ avaritiæ ſuſpicionem ingerunt, quæ ſtatum Eccleſiaſticum dedecent ac dedecorant, quæ fidelibus, non ſolum infirmis, ſed fortibus, & in fide ac lege Dei optime inſtitutis, offenſioni eſſe poſſunt.

Eccleſiaſticorum virorum labores, frugalitas, & modeſtia.

5. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli?* Apoſtolos ex Apoſtolis ſequebantur aliquæ mulieres ardentiorem fidem oſtendentes, & ab eorum doctrina pendentes, & prædicationem Evangelicam adjuvantes; non juvenculæ, ſed matronæ & anus; quarum caſtitatem gravitas, modeſtia, ſancta converſatio, ſermones, habitus ipſe, palam teſtabantur. Apoſtoli quos ſequebantur, & quibus miniſtrabant ut ſorores in Chriſto, viri erant ſane, ſiti, vigiliis, laboribus corpora ſua conficientes, mortificationem Chriſti Jeſu in carne ſua circumferentes, mundo crucifixi, virtutibus heroicis & miraculis clari, infideles ac peccatores ab erroribus ad fidem, a peccatis ad pœnitentiam, tum verbis, tum exemplis convertentes, ab omni ſuſpicione liberi, victum aliunde parare non valentes, quam ex piis ſanctarum illarum feminarum ſubventionibus & miniſteriis. Similes mulieres ſorores, ſimiles Apoſtolis Paſtores & Sacerdotes in domibus ſuis ad miniſterium ſine populi Chriſtiani offenſione haberent. Verum cum e contrario ſe res habeant, cum ſtimulis carnis plerique tententur ; cum mulieribus cohabitare ſine fidelium offenſione, & ſine lapſus periculo vix poſſint ; cum hujuſmodi contubernium occaſionem præbeat ſiniſtri maleficii adverſus Eccleſiaſtici Ordinis viros calumnias, detractiones, ſuſurros, murmurationes, dicteria evomendi ac diſſeminandi, neceſſe eſt ut S. Pauli exemplum ſequantur eo ſtudioſius & fidelius, quo ipſis illicitum eſt, ac prohibitum Canonibus Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia conſecratis, ne ſubintroductas in ædibus ſuis mulieres habeant, præter matrem, aut ſororem, aut amitam, vel materteram, vel eas perſonas, quæ ſuſpicionem omnem effugiunt : immo & illas, quarum in eadem domo cohabitationem Nicæna Synodus induſit, quædam Concilia mediæ ætatis prohibuerunt, ut omnia occaſio malæ ſuſpicionis, vel ſa-

Eccleſiaſticorum virorum cum mulieribus cohabitatio quam periculoſa, & quam merito prohibita ſit a Canonibus?

Concil. Nicæn. can. 3. Concil. Forojul. cap. 4. Mogunt. ſub

eſt

Digitized by Google

Arnulfa c. 10. Meſenſe c. 3. Nannetenſe c. 3. Theodulphus Aurel. c. 12. S. Gregor. lib. 7. Epiſt. 39. S. Hieron. Epiſt. ad Nepotianum.

cti iniqui penitus auferatur. Melius certe faciunt, qui conceſſa etiam per antiquos canones indulgentia non utuntur, S. Auguſtini exemplo, qui neque cum ſorore ſua commorari voluit, dicens: Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt. *Incautæ præſumptionis eſt*, ait Sanctus Gregorius Magnus; *quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non ad conceſſa.* Nepotianum ſuum ad vitam clericalem inſtituens Sanctus Hieronymus, ſcribit: *Hoſpitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas aut virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto maneas, nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior David, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quod paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier dejecerit . . . . . Solus cum ſola ſecreto & abſque arbitro vel teſte; non ſedeas . . . . . Caveto omnes ſuſpiciones; & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante devita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandaſque & dulces litterulas, ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias & lepores, & riſu dignas urbanitates, & ceteras ineptias amatorum in comœdiis erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur, quanto magis in Monachis & Clericis, quorum & Sacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur ſacerdotio?*

Gratiæ Apoſtolicæ ſunt participes, qui ſubſidia Miſſionariis conferunt.

Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi? Piæ mulieres gratiæ Apoſtolicæ participes eſſe poſſunt, non miniſterio & prædicatione verbi; ſed charitate & eleemoſynis in ſubſidium Operariorum Evangelicorum collatis. Qui ſtipendia conferunt ad alendos Miſſionarios, qui in pagis, caſtellis, & oppidis catechizent, prædicent, & Sacramenta diſpenſent Epiſcoporum auctoritate, Miſſionibus cooperantur, & in partem veniunt meritorum, ac præmiorum, quæ Prædicatores Evangelici comparant vineam Domini excolendo. Ex auro, argento, lapidibus pretioſis, divites ſuſcitare poſſunt filios Abrahæ non modo, ſed & Apoſtolos.

S. Chryſoſt. Hom. 21. Paſtores & Eccleſiæ Miniſtri ſolis neceſſariis ſint contenti.

7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?* &c. Paſtores & Prædicatores oportet habere & fortitudinem militis, & agricolæ diligentiam, & vigilantiam curamque paſtoris: & poſt hæc omnia nihil amplius quærere quam neceſſaria. Unde non ait Apoſtolus, Quis militat, & non eſt dives? ſed, Quis militat ſuis ſtipendiis? Neque dixit, Quis plantat vineam, & aurum non colligit? aut fructum integrum non vindemiat? ſed, ex fructu ejus non comedit? Neque dixit, Quis paſcit gregem, & de agnis non exercet mercaturam? ſed ex ejus lacte non comedit? Non ex agnis, ſed ex lacte: oſtendens Paſtores & Eccleſiæ Miniſtros parvo ſolatio, ſoloque neceſſario cibo contentos eſſe debere. Sed quam hodie

S. Thomas, Lect. 1.

multi ſunt (inquit S. Thomas) qui ſtipendia accipiunt, & non militant, edunt fructum vineæ, & non plantant, lac comedunt, & gregem non paſcunt! *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos:*

Ezech. 34.

Nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abjectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia, &c.

Injuſtitia eſt Paſtoribus & Evangelicis Operariis vitæ ſubſidia non ſubminiſtrare.

Concil. Mogunt. can. 58.

Auctor Sermonis 86. in Appendice S. Aug. olim Homil. 48. inter 50.

11. *Si nos vobis ſpiritalia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Semen illud longe pretioſius & excellentius eſt temporalis vitæ ſubſidiis, quæ Paſtores & Prædicatores a fidelibus accipiunt. Immanis injuſtitia eſt: & horrendum ingrati animi vitium, Chriſtianos Paſtoribus ſuis ac Evangelicis Operariis neceſſaria non ſubminiſtrare, decimas non ſolvere, a quibus ſpiritalia incomparabilis pretii bona recipiunt, verbum ſalutis, Sacramenta, vitæ æternæ pignora. *Timendum eſt ne qui Deo debitum ſuum ſubtrahit, ne forte Deus per peccatum ſuum auferat ei neceſſaria ſua, & qui decimam dare neglexerit, novem partes auferantur ab eo.* „ Majores noſtri, ait antiquus Pater, ideo copiis „ omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, „ & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem quia „ diſceſſit devotio Dei, acceſſit indictio fiſci. No„ luimus partiri cum Domino decimas; modo autem „ totum tollitur, Hoc tollit fiſcus, quod non acci„ pit Chriſtus.

Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ nihil quærant præter victum & veſtitum.

Gaufridus

13. 14. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt. & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Oblationes & redditus Eccleſiaſtici, bona ſunt Dei. Hæc Miniſtris ſuis dividit, & eos alit ac ſuſtentat.

Abbas Claravallenſis in Declamat. Evangel. Ecce nos reliquimus omnia ex Sermonibus S. Bernardi contexta, inter Opera ejuſdem ſancti Patris edita. §. 16.

Verum otioſos & inutiles Miniſtros alere non intendit, ſed Altari aſſiſtentes, in ſacro Miniſterio aſſidue laborantes, in Eccleſiis & Beneficiis ſuis reſidentes. " De Altari vivat Miniſter Altaris, Sacer„ dos, Paſtor, Epiſcopus, quicumque Clericus: „ vivat, non ſuperbiat, non luxurietur, non dite„ tur. Non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia „ fabricet, mutans quadrata rotundis; nec loculos „ inde congreget: nec in vanitate aut ſuperfluitate „ diſpergat: non extollat de facultatibus Eccleſiæ „ conſanguineos ſuos, aut nepotes (ne filias dixerim) „ nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus „ dare, par ſacrilegio crimen eſſe dignoſcitur. *Sane patrimonia ſunt pauperum, facultates Eccleſiarum: & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quicquid ſibi Miniſtri & diſpenſatores, non utique domini vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt & veſtitum: nec enim ordinavit Deus his qui Evangelio ſerviunt, de Evangelio quærere delitias, vel ornatum, ſed vivere ex eo, ut videlicet ſint contenti alimento corporis: non irritamenta gulæ, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.*

Cupiditatis & avaritiæ ſuſpicionem in juribus temporalium exactione vitare debent Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ.

Act. 20.

15. *Ego autem nullo horum uſus ſum: non autem ſcripſi hæc ut ita fiant in me, bonum eſt enim mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Plurimi ſerviendo Regibus terræ patrimonia opeſque ſuas exhauriunt: nemo pene invenitur qui Deo ſumptibus ſuis ſervire, & Eccleſiæ gratis miniſtrare velit. Attamen temporalia jura ſua gloriæ Dei, paci, publicæ ædificationi, pauperum amori poſtponere tenentur interdum Paſtores & Eccleſiæ Miniſtri, ne cupiditatis & avaritiæ notentur ab iis quibus præſunt, & ab iis offendiculum Evangelio Chriſti & ſaluti infirmorum ponatur. Ita ſemper affectus fuit Apoſtolus noſter, qui Presbyteros Epheſios Miletum convocatos his verbis alloquebatur: *Argentum, & aurum aut veſtem nullius concupivi, ſicut & ipſi ſcitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quam accipere.* Qui in juribus ſuis exigendis ardentior, pertinacior, & durior eſt, primum quærit cibum, & deinde regnum Dei, id eſt, hoc priore loco ponit, iſtud poſteriore. „ Neque enim ideo evangelizare debe„ mus, ut manducemus, ſed ideo manducare ut

S. August. lib. 2. De Sermone Domini in Monte c. 16.

„ evangelizemus: nam ſi propterea evangelizamus, „ ut manducemus, vilius habemus Evangelium quam „ cibum; & erit jam bonum noſtrum in manducan„ do, neceſſarium autem in evangelizando. Quod „ etiam Apoſtolus prohibet, cum dicit, licere ſibi „ quidem & permiſſum eſſe a Domino, ut qui E„ vangelium annuntiant, de Evangelio vivant, id „ eſt de Evangelio habeant quæ huic vitæ ſunt ne„ ceſſaria: ſed tamen ſe non eſſe abuſum hac pote„ ſtate. Erant enim multi, qui occaſionem habere „ cupiebant acquirendi, & vendendi Evangelium, „ quibus eam volens amputare Apoſtolus, manibus „ ſuis victum ſuum toleravit. Quamquam etiam licet, „ ut ceteri boni Apoſtoli, permiſſu Domini de Evan„ gelio viveret, non ideo in eo victu conſtitueret „ finem evangelizandi, ſed magis ipſius victus ſui „ finem in Evangelio collocaret; id eſt, non ideo „ evangelizaret, ut perveniret ad cibum, & ſi quæ „ ſunt alia neceſſaria; ſed ideo iſta ſumeret, ut „ illud impleret; ne non volens, ſed neceſſitate „ evangelizaret.

Prædicatio Evangelii præcipuum eſt Paſtorum munus.

16. *Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.* Prædicatio præcipuum Paſtoris munus eſt. Eo fungi ſine vocatione, uſurpatio ſacrilega: ad id vocatum eſſe, & non fungi, infidelitas punienda. *Væ mihi, ſi non evangelizavero.* Hinc Synodus Tridentina Seſſione V. *De Reformatione*, cap. 2. *Quia*, inquit, *Chriſtianæ Reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio Evangelii quam lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus, ſtatuit & decrevit ſancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium. Si vero contigerit Epiſcopos, & alios prædictos, legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii* (Lateranenſis IV. Can. 10.) *Viros idoneos aſſumere teneantur ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Archiepiſcopi quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam Animarum habentes Eccleſias, quomodocumque obtineant, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas, pro ſua & earum*

capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnino neceſſarium eſt ad ſalutem.... Ne illud impleatur: PARVULI petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Si hoc officio fungi negligant, Dei maledictione feriuntur. *Paſcebant Paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant.... Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos ut ultra non paſcant gregem meum, nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam.*

Jerem. *Thr. n. 4.* *Ezechiel. 34.*

Paſtor animarum, omnium infirmitatibus caritate compatiente condeſcendat. *S. August. S. Gregor. Nazianz.*

23. *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Paſtores omnibus omnia fieri, omnium debent infirmitates portare, omnibus condeſcendere caritate compatiente, prudenti manſuetudine, quantum ſalva veritate & Dei lege licet, ut eorum ſanent infirmitates, & ad ſalutem ipſos perducant. *Caritas omnibus mater eſt. Quis infirmatur, & ego non infirmor?* ait alibi Apoſtolus noſter. Paſtores ſunt animarum Medici. *Divinæ animarum medicinæ nos Miniſtri & adjutores ſumus, quicumque aliis præſidemus.* Bonus Medicus infirmo ſe attemperat, potionem amaram prægustat, ut eum ad bibendum invitet, ejuſque faſtidium ſanet. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* „Neque enim egregius Prædicator, ut quaſi Judæus fieret, ad perfidiam erupit: neque ut quaſi ſub lege eſſet, ad carnale ſacrificium rediit: neque ut omnibus omnia fieret, ſimplicitatem mentis in erroris varietatem commutavit: ſed condeſcendendo appropinquavit infidelibus, non cadendo: ut videlicet ſingulos in ſe ſuſcipiens, & ſe in ſingulos transfigurans, compatiendo colligeret, ſi ita ipſe, ut illi, eſſet, quid impendi ſibi ab aliis recte voluiſſet: & tanto verius unicuique erranti concurreret, quanto ſalutis ejus modum ex propria conſideratione didiciſſet. Unde S. Job ait: *Et viſitans ſpeciem tuam, non peccabis*. Species quippe hominis eſt alter homo. Recte enim ſpecies noſtra dicitur proximus noſter, quia in illo cernimus quid ipſi ſumus. Corporali viſitatione ad proximum greſſuum acceſſu venimus; ſpiritali vero, non greſſu, ſed affectu ducimur. Speciem ergo ſuam viſitat, quiſquis ad eum, quem ſibi ſimilem per naturam conſpicit, paſſibus amoris tendit: ut in altero ſua conſiderans; ex ſe ipſo colligat, qualiter alterius infirmitati condeſcendat.

S. Gregorius M. lib. 6. in Job cap. 16. *Job 5.*

24. *Neſcitis quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? ſic currite ut comprehendatis.* Quod ex caritate non fit, corona gloriæ a Deo non remuneratur. Caritate operante ad Deum ducimur; caritate ardente ad Deum currimus; caritate perſeverante pervenimus. *Agonem iſtum non cupiditas, ſed caritas facit. Omnes currentes amant ſe: & amat ipſe cujus eſt*, ait S. Auguſt. in Pſalm 39. Inanis eſt curſus extra viam, extra ſtadium. Chriſtus, & Lex Evangelica eſt via quæ ducit ad vitam æternam. Omnes qui in ſtadio currunt, ad metam non perveniunt, quia non currunt ut oportet in ſtadio Chriſtianæ virtutis, deficiunt in curſu, terrenas cupiditates non exuunt, quæ ſunt impedimenta, ne curramus. Qui nimis indutus eſt, qui onere externo gravatus, qui craſſo & obeſo corpore, non eſt expeditus ad curſum. Qui non reſiſtit fortiter adverſario, qui illum ſupplantare & dejicere nititur; qui ad metam non pervenit, præmium victoribus promiſſum ac deſtinatum non obtinet. „Nonnulli, inquit S. Gregorius Magnus, mundum nequaquam funditus deſerentes, non perſeveraturi anguſtum iter arripiunt, ſed ad quærendam anguſtam viam exemplo ſuo eos qui perſeveraturi ſunt accendunt. Unde plerumque contingit ut ipſum hoc quod videntur bene vivere, non ſibi, ſed ſolis potius electis vivant, dum exemplis ſuis ad bene vivendi ſtudia perſeveraturos alios non perſeveraturi provocant. Sæpe enim quoſdam videmus viam ingredi, ad locum propoſitum feſtinare, quos alii, quia euntes conſpiciunt, ſequuntur, eumdemque locum pariter petunt. Sed fit plerumque ut irruente aliquo implicationis articulo, poſt ſe redeant, qui præibant, & hi ad locum perveniant, qui ſequebantur. Ita nimirum ſunt qui non perſeveraturi viam ſanctitatis arripiunt. Idcirco enim virtutis iter non perventuri inchoant, ut eis qui perventuri ſunt, qua gradiantur, oſtendant. Quorum etiam caſus utilitate non modica electorum profectibus ſervit, quia illorum lapſum dum conſpiciunt, de ſuo ſtatu contremiſcunt; & ruina quæ illos damnat, iſtos humiliat. Diſcunt enim in ſuperni adjutorii protectione confidere, dum pleroſque conſpiciunt de ſuis viribus cecidiſſe. Quando ergo bene agere videntur reprobi, quaſi planum iter electis ſequentibus monſtrant: quando vero in lapſum nequitiæ corruunt, electis poſt ſe pergentibus quaſi cavendam ſuperbiæ foveam oſtendunt. *Sic currite ut comprehendatis*. Curramus, credendo, ſperando, deſiderando, corpus caſtigando, & eleemoſynas in dandis bonis, maliſque ignoſcendis, hilariter & ex corde faciendo.

Cur non ſit in certamine victoria, gloria non meretur.

S. Gregorius M. lib. 34. in Job cap. 13.

Qui in virtutis itinere non perſeverant, electorum profectibus ſerviunt.

S. Aug. lib. De Perfectione Juſtitiæ, cap. 8.

25. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* Temperantia & jejunium diſpoſitiones ſunt ad Chriſtiana certamina, ſiquidem hoſtem noſtrum, corpus ſcilicet noſtrum debilitant. Magis autem neceſſaria eſt temperantia generalis, in eo poſita ut rebus omnibus viſibilibus ſobrie utamur, & intra fines neceſſariarum nos contineamus. „Continentiam appellamus, non ſi quis ſe a cibo penitus abſtineat; quando hæc violenta vitæ diſſolutio eſt (*ait S. Baſilius*) ſed eam quam tollendæ contumaciæ corporis cauſa, pietatis ergo de induſtria ſequimur rerum voluptatem titillantium abſtinentiam. Atque ut uno verbo omnia complectar, quarum rerum voluptates ab iis qui ex libidine vitam agunt, expetiſolitæ ſunt, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, eſt temperandum. Proinde nequaquam in una tantum eſcarum fugienda voluptate, continentiæ culturam conſiſtere exiſtimandum eſt: ſed eam ad omnem etiam rem, quæcumque propoſito nobis hæc adverſaria ſit, & impedimento, pertinere. Ex quo intelligitur, qui hanc perfecte virtutem tenuerit, eum nullo modo, cum ventrem in poteſtatem redegerit ſuam, humanam ſibi paſſurum gloriam dominari; aut cum obſcœnam voluptatem devicerit, opum cupiditatem: aut aliam quamvis degenerem animi affectionem, veluti iram, aut quæcumque imperitis animis dominari conſueverunt, non ſuperaturum. Ferme enim quod in omnibus præceptis animadvertimus, ea videlicet inter ſe connexa eſſe, neque fieri poſſe ut ullo modo uni ſeparatim ab altero ſatisfiat, hoc præcipue in continentia cernitur. Nam & demiſſe de ſe ſentit vere humiles qui in gloria continentiam adhibet, & Evangelicæ paupertatis menſuram explet, qui in congerendis opibus continentiam ſervat; & ab ira tranquillus eſt, qui animi elationem atque iracundiam in officio continet. Ea denique abſolutæ continentiæ ratio eſt, ut linguæ, ut oculis limites præſcribat, ut auribus nunime curioſam indulgeat auſcultationem, & ſingulis his cancellos ipſorum officii quaſi quoſdam circumſcribat, extra quos qui egreſſus ſit, is incontinens ac petulans eſt.

S. Baſilius Regul. fuſius Diſput. Interrog. 16.

Temperantia & continentia generalis, eſt neceſſaria diſpoſitio ad Chriſtiana certamina.

26. 27. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Vita Chriſtiana curſus eſt, certamenque continuum. Victoria perfecta, & pax omnimoda & æterna, cœleſtis beatitudinis ſunt appendices. Ille porro pugnat in incertum, qui omnem actionem ſuam & intentionem ad Deum, qui ſolus eſt beatitudo noſtra, non dirigit; qui a via quam Chriſtus in Evangelio ſignavit, deviat & deflectit, ut ſemitis ab hominibus ſeipſos mundumque amantibus ufitatis errabundus inſiſtat. Aerem verberat, qui ſenſus ſuos, innatamque concupiſcentiam non mortificat. „Non currit in incertum, qui cœleſtem Jeruſalem conſpiciens, defixum habet quo ſibi cordis ſui indeflexibilis ſit dirigenda pernicitas. Non currit in incertum, qui obliviſcens poſteriora, ad ea quæ priora ſunt, extendit ſe, ad deſtinatum perſequens bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu, quo ſemper dirigens ſuæ mentis obtutum, & ad eum omni cordis præparatione feſtinans, cum fiducia proclamat: Bonum agonem certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Illud autem eſt cunctorum luctaminum velut ſolidiſſimum fundamentum, ut primitus carnalium deſideriorum incentiva perimantur. Nam nullus carne propria non devicta legitime decertare poterit. Et qui legitime non decertat, ſine dubio nec in agone confligere, nec coronæ gloriam, nec victoriæ gratiam poterit promereri. Quod ſi hoc fuerimus certamine ſuperati, velut ſervi carnalis concupiſcentiæ comprobati, & per hoc nec libertatis, nec roboris inſignia præferentes, a ſpiritualium congreſſionum conflictu ut indigni, ſervique, non ſine confuſionis nota protinus repellemur.

Vita Chriſtiana curſus eſt, certamenque continuum.

Caſſianus lib. 5. Inſtit. cap. 16. 17. 18.

Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. „Vocati ſumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cum in Sacramenti verba reſpondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubi-

Tertull. ad Martyres, cap. 3. & 4.

„culo

Digitized by Google

culo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis, ubi omnis duritia & imbonitas, & inſuavitas conſiſtit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediſcunt: in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem dentando. Sudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaveſcant: de umbra ad Solem, de Sole ad cœlum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde quodcumque durum eſt, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus vivus eſt: Xiſtarches Spiritus ſanctus: corona æternitatis: brabium angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum.... Athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur a luxuria, a cibis lætioribus, a potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria ſperant. *Et illi* (inquit Apoſtolus) *ut coronam corruptibilem conſequantur, nos autem incorruptam*. Colloquatur ſpiritus cum carne de communi ſalute.

Agonis Chriſtiani labores.

Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

S. Gregorius M. lib. 20. Moral. in Job, cap. 5.

Electi quamdiu in hac vita ſunt, ſecuritatis ſibi confidentiam non promittunt. Hoſtis enim omnibus contra tentamenta ſuſpecti, occulti hoſtis inſidias metuunt; qui etiam tentatione ceſſante, vel ſola graviter ſuſpicione turbantur. Nam ſæpe multis grave periculum incauta ſecuritas fuit: ut callidi hoſtis inſidias non tentati, ſed jam proſtrati cognoſcerent. Vigilandum quippe ſemper eſt, ut mens continue ſollicita numquam relaxetur intentione ſuperna: ne laborioſa deſerens, in cogitationibus fluxis, quaſi in quibuſdam mollibus ſtramentis jacens, venienti corruptori diabolo mens ſe reſoluta proſtituat. Semper vero eſt ad certamen adverſarii erigendus animus: ſemper contra occultas inſidias cautela providenda.... Videamus qualiter Paulo & arridetur jam per ſupernam gratiam, & ipſe adhuc non credit per ſuſpicionis metum. Jam de cœlo illi Dominus loquens, ejuſque interius oculos aperiens, exterius claudens, potentiam ſuæ majeſtatis oſtenderet: jam de eo Ananiæ dixerat, *Vas electionis eſt mihi iſte*; jam ad tertium cœlum raptus fuerat: jam in paradiſum ductus, arcana verba, quæ dicere non poſſet, audierat; & tamen adhuc timidus dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Ecce arridenti ſibi divinæ gratiæ & jam credit per ſpem, & necdum tamen credit per ſecuritatem. Adhuc timet qui in cœlum ducitur, & timere non vult qui adhuc in terra converſatur! Quem non terreat Apoſtoli timor? Tremit aries, & agnus non timebit? Ab Apoſtolo diſcamus, ſine humilitate, pœnitentia, & mortificatione viam in cœlum non patere.

Vigilantia Chriſtiana, metuique ſimulatis.

Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, &c.

S. Aug. Serm. De Utilitate Jejunii, c. 5.

Habet caro ex conditione mortali quaſi quoſdam terrenos appetitus ſuos: in hos tibi jus freni conceſſum eſt. Regat te præpoſitus, ut poſſit a te regi ſubjectus. Infra te eſt caro tua, ſupra te eſt Deus tuus: cum vis ut ſerviat tibi caro tua, admoneris quomodo te oporteat ſervire Deo tuo. Attendis quod ſub te eſt, attende & quod ſupra te eſt. Leges in inferiorem non habes, niſi a ſuperiore. Servus es, ſervum habes: ſed Dominus duos ſervos habet. Servus tuus plus eſt in poteſtate Domini tui, quam in tua. Itaque vis tibi obediri a carne, numquid in omnibus poteſt? In omnibus obtemperat Domino tuo: Non in omnibus obtemperat tibi. Quomodo, inquis? Ambulas, pedes moves, ſequitur: ſed numquid quantum vis ibit tecum? Animatur a te, numquid quamdiu vis? Numquid quando vis, doles? Quando vis, ſanus es? Exercet enim te plerumque Dominus tuus per ſervum tuum: ut quia fuiſti Domini contemptor, mereatis emendari per ſervum. Sed ad te quid pertinet? Delectationem carnis non relaxare uſque ad illicita, aliquantum & a licitis refrænare. Qui enim a nullis refrænat licitis, vicinus eſt & illicitis. Proinde, Fratres, licitum eſt conjugium, illicitum eſt adulterium: & tamen temperantes viri, ut longe ſint ab illicito adulterio, refrænant ſe aliquantum & a licito conjugio. Licita eſt ſatietas, illicita eſt ebrioſitas: tamen modeſti homines, ut longe ſe faciant a turpitudine ebrietatis, caſtigant ſe aliquantum & a libertate ſatietatis. Ita ergo agamus, Fratres, temperemus; & quod facimus, ſciamus quare faciamus. Ceſſando a lætitia carnis, acquiritur lætitia mentis.

Caſtiganda & refrenanda caro.

C A P U T X.

Senſus Litteralis.

VEterum Judæorum ob capitalia peccata, idololatriæ, fornicationis, tentationis Dei, murmurationis contra Deum, graviter ab ejus juſtitia vindice punitorum, exemplis Corinthios a ſimilibus peccatis, quæ ventris ingluviem ſæpe ſequuntur, hoc in capite Apoſtolus noſter abſterret.

1. 2. *Nolo enim vos ignorare, Fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt; & omnes mare tranſierunt.* Ne vobis propterea blandiamini quod multa & excellentia dona a Deo recepetitis: ne ideo in pernicioſa ſecuritate vivatis; ſed timete ne reprobi efficiamini, quemadmodum ipſe pro me ipſo timeo. Scite enim vos velim, quod gentis noſtræ Patres, Hebræi omnes, qui Moſe duce egreſſi ſunt ex Ægypto, a duriſſima ſervitute Dei potentia & miſericordia liberati fuerunt ſub columna nubis Tabernaculum operiente cum populus quieſceret, & populum præcedente cum incederet, ac protegente contra Solis ardorem: & omnes Mare Rubrum ſicco pede tranſierunt, diviſis aquis, & ſubmerſis hoſtibus. *Et omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari.* Et omnes Moyſe duce typice baptizati ſunt, nube & mari baptiſmum præſignificantibus. Mare ſcilicet quod tranſmittebant, & quo undique cincti erant, aquæ baptiſmalis; nubes, gratiæ ſancti Spiritus, Moſes, Sacerdotis; virga, crucis; perſequentes Ægyptii, dæmonum figuræ erant. Fides qua Moyſi divinæ voluntatis interpreti crediderunt, fidem in Chriſtum Mediatorem ſignificabat. *Crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus.* (Exodi 14. 31.) *Cum populus de Ægypto expeditus, vim Regis Ægyptii per aquam tranſgreſſus evadit* (inquit Tertullianus) *ipſum Regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifeſtior in baptiſmi Sacramento. Liberantur de ſæculo nationes, per aquam ſcilicet: & diabolum dominatorem priſtinum, in aqua obrutum dereliquunt.*

Figura baptiſmatis.

Exod. 13. 21. Numer. 9. Pſalm. 104. 19. Sap. 10. S. Chryſoſt. Homil. 23. Theodoret. S. Joann. Damaſc. lib. 4. orthod. fid. cap. 10.

Tertullian. lib. De Baptiſmo, cap. 9.

3. *Et omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt.* Omnes in deſerto manducaverunt manna. Quam eſcam ſpiritalem vocat Apoſtolus. 1. Origine, non natura; quia non humana opera, ſed præter naturam, divino miraculo ſubminiſtrabatur. 2. Qua Angelorum miniſterio parabatur. Unde *Panis Angelorum* dicitur. 3. Significatione, quia typus erat Sacramenti Euchariſtiæ noſtræ, Chriſtum ſubſtantialiter præſentem continentis; *Panem vivum, qui de cœlo deſcendit*.

Manna typus Euchariſtiæ. Petra e qua eductæ ſunt aquæ, figura Chriſti. Pſalm. 77. 5. Joann. 6. 32.

4. *Et omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt:* eumdem potum divinitus datum, typum ſpiritalis potus, ſcilicet ſanguinis Chriſti, quo animæ noſtræ roborantur, & recreantur, ardor concupiſcentiæ reſtinguitur. *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra.* Bibebant autem aquas e petra a Moſe percuſſa miraculo ſcaturientes, & per deſertum longo ſpatio fluminum inſtar profluentes, ita ut Iſraelitas itinerantes in terra arida & inaquoſa ſemper comitarentur aquæ e petra Dei omnipotentis admirabili virtute elicitæ. *Petra autem erat Chriſtus.* Res per petram illam ſignificata, erat Chriſtus; cujus ex latere in cruce percuſſo ſanguis & aqua, Sacramenta Eccleſiæ militantis, fontes ſalutis manarunt. *Illa petra jam erat in creatura*, inquit S. Auguſtinus, *& per actionis modum nuncupata eſt nomine Chriſti quem ſignificabat, ſicut lapis ille quem Jacob poſuit ad caput, etiam unctione ad ſignificandum Dominum aſſumpſit; ſicut Iſaac Chriſtus erat, cum ad ſe immolandum ligna portabat. Acceſſit iſtis actio quædam ſignificativa jam exiſtentibus.*

Exod. 17. 6. Numer. 20. 11.

Pſal. 17. 6. Pſal. 104. 41. S. Aug. l. 3. De Trinit. c. 10.

5. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.* Sed e tanto numero pauci admodum Deo placuerunt, immo diſplicuere vehementer, & ejus iram in ſe provocaverunt incredulitate, murmurationibus, pravis concupiſcentiis, idololatria, gula, fornicatione. Quamobrem vindice Deo perierunt in deſerto; ita ut e ſexcentis tribus millibus virorum quingentis quinquaginta, altero anno exitus ex Ægypto numeratis, duo tantum, ſcilicet Caleb & Joſue, poſt annum quadrageſimum ſuperſtites fuerint, & in terram promiſſam ingreſſi ſint.

Veterum Iſraelitarum punitio Chriſtianis ad terrorem propoſita. Numer. 26.

6. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.* Hæc autem typi fuerunt & figuræ eorum quæ nobis contingent, ſi divinis beneficiis ingrati ſimus,

ut

ut carnales illi Iſraelitæ. Pœnæ illis inflictæ exempla ſunt nos admonentia, ne res illicitas concupiſcamus, aut per ſe quidem bonas, ſed illicito modo, ſicut illi concupiverunt carnes, piſces, cucumeres, pepones, porros & cepe, & allia quibus in Ægypto veſcebantur, faſtidientes manna cœlitus datum, & contra Dominum ac Moyſen murmurantes. Videte igitur, Corinthii, quæ pœnæ vos maneant, ſi carnes idolis immolatas in conviviis Gentilium, aut alias cum infirmorum fratrum ſcandalo appetatis & comedatis.

Numer. 11.

7. *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Neque ad idololatriam redeatis, ſive ex animo falſos Deos colendo, illiſque victimas offerendo & thus adolendo, ſive cum ethnicis communicando in feſtis & conviviis, in delubris idolorum epulando, aut alias edendo carnes idolis immolatas cum ſcandalo fratrum. Sic Iſraelitæ quidam gulæ dediti facti ſunt idololatræ, vitulum aureum ceu Deum colentes, quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus ad edendum & bibendum, & ſurrexerunt ad ludendum. Saturati ſunt victimis pacificis, quas aureo vituli ſimulacro obtulerant, choros duxerunt, tympana pulſarunt, cantilenis, aliiſque lætitiæ ſignificationibus, conflati & erecti Idoli ſolemnitatem celebrarunt.

Exod. 32. 6. 7. 8. 18. 19. Nehem. 9. 18.

Pœna fornicatorum.

8. *Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt* cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua, ſuggerente Balaam, ut juvenes earum amore initiarentur Idolo Moabitarum Beelphegor, quod S. Hieronymus *Priapum* interpretatur, quem Jeremias *Chamos* appellat: *& ceciderunt una die viginti tria millia.* Moſes viginti quatuor millia occiſa commemorat hac occaſione, *Numerorum xxv.*

Apoſtoli cum Moyſe conciliatio. Numer. 25.

9. Sed facilis conciliatio. Moſes enim eo numero complectitur tum Principes Dei juſſu ſuſpenſos, tum initiatos Beelphegor ejuſdem mandato cæſos, tum denique ſcortatores omnes lue a Deo immiſſa una die extinctos. At S. Paulus de his tantum poſtremis loquitur. Itaque ex Moſe & Paulo inter ſe collatis colligitur, mille circiter ſuſpendio & gladio, viginti tria millia peſte interiiſſe; quæ ſimul juncta, ſummam circiter viginti quatuor millium faciunt. Viginti tria millia una die, mille circiter pridie ceciderunt. Aliter hanc difficultatem ſolvit S. Thomas. Major, inquit, numerus non excludit minorem, ſed continet. Vel forte vitium ſcribarum eſt. Variaſſe Codices Græcos teſtis eſt Oecumenius: *Fuerunt*, inquit, *interfecti in plaga viginti tria millia. Quidam autem veterum Scriptorum poſuerunt viginti quatuor millia.* Sunt qui viginti tria millia interfecta non ad fornicatores illos referant, qui puniti dicuntur *Numeror. xxv.* Sed ad vituli aurei adoratores, qui *Exodi xxxii.* hoc præciſe numero interfecti referuntur, & Apoſtolum verſum Metatheſi ſeu tranſpoſitione Hebræis familiari ad primam ſuæ locutionis partem, ſcilicet ad Verſum 7. retuliſſe, quod connexum eſt cum ſecunda, id eſt cum Verſu 8. eo maxime quod idololatria fornicatio quædam ſpiritualis ſit, ut paſſim appellatur a Prophetis. Ut ut eſt, error, ſi quis eſt in numeris, nec divino Legislatori, nec Apoſtolo tribuendus eſt, ſed ſcribarum oſcitantiæ.

S. Thomas, Lect. 2. Oecumenius, in Comment.

Exod. 32. 28.

Pœna tentantium Deum.

9. *Neque tentemus Chriſtum*, diffidendo ejus promiſſis, & velut experimentum potentiæ ejus quærentes, ac propterea ſigna petentes: *ſicut quidam eorum* (Chriſtum) *tentaverunt*, cujus typus erat Angelus ductor; cum itineris ac laboris pertæſi, contra Deum & Moyſen clamaverunt dicentes: *Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Propter hoc peccatum tentationis Chriſti, de qua & Pſalm. 77. 18. 19. ea pœna plexi ſunt quam Apoſtolus poſt Moyſen commemorat; *& a ſerpentibus perierunt.* Morſibus, inquam, ſerpentum ignitorum ſeu urentium fuerunt interfecti, donec ſerpens æneus erectus eſt in remedium. Perſtringit Apoſtolus Corinthios pleroſque, qui Chriſti promiſſis diffidentes, de reſurrectione dubitabant; & qui diverſis linguis loquebantur ad gloriam potius & oſtentationem, quam ad utilitatem Eccleſiæ. Ex hoc loco divinitas Chriſti diſerte probatur. Siquidem Apoſtolus veteres illos Iſraelitas Chriſtum tentaſſe ſcribit: Moyſes vero illos tentaſſe Deum. Chriſtus igitur eſt verus Deus. Angelum autem qui populum Iſrael duxit per deſertum, & Moyſi tam ſæpe locutus eſt, perſonam Chriſti geſſiſſe cenſent antiqui Patres, immo ipſum fuiſſe Filium Dei, qui ſe Moyſi & Patribus conſpicuum præbuerit in corpore, non quidem proprio, ſed alieno, ad tempus aſſumpto ut his apparitionibus ſerviret, exiſtimarunt antiquiores tam Græci, quam Latini ante S. Auguſtinum: Quorum ſententiam juvare videntur illa ſancti Judæ verba in Epiſtola Catholica Verſ. 5. *Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundo eos, qui non crediderant, perdidit.*

Numer. 21. 5.

Chriſti divinitas.

Theodoret.

S. Aug. lib. 2. contra Maximinum Arianum, cap. 26.

10. *Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Ne murmuretis contra Dei inſtitutionem aut adminiſtrationem, quaſi non recte agat, aut durius nos tractet; ne adverſus Superiores veſtros inſurgatis, aut ipſis obloquamini, de eorum legibus, mandatis, regimine, ſine juſta ratione conqueſti, ſicut quidam ex Iſraelitarum populo contra Moyſen & Aaronem murmuraverunt, & contra illos ſeditionem moverunt, & occiſi ſunt ab Angelo per quem Deus judicia ſua exequebatur, qui inſolito plagæ mortiſque genere illos exterminavit ac diſperdidit. Fuerunt autem qui percuſſi ſunt, quatuordecim millia hominum & ſeptingenti, præter illos qui perierant in ſeditione Core. Angelum ductorem Iſraelitarum divinæ in illos ultionis Miniſtrum fuiſſe, colligitur ex verbis Dei, Exod. 23. 20. 21. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi. Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo.*

Pœna murmurantium contra Deum & Superiores.

Numer. 16. 14. & 16.

11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.* Hæc autem omnia quæ antiquis illis Iſraelitis contigerunt, typi fuerunt, figuræ, exempla, & veluti tabellæ prænuntiæ eorum quæ in novo Dei populo, in Eccleſia Chriſti, gerenda erant. Scripta ſunt autem ad noſtram admonitionem, ut iis lectis vel auditis ſapiamus, ne ſimiliter peccantes, ſimilibus, immo gravioribus pœnis afficiamur, nos qui in ultima mundi ætate vivimus, qua priorum temporum figuræ & prophetiæ omni ex parte implentur uſque ad conſummationem mundi.

12. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Qui ſibi videtur ſtare, falſa ſecuritate de juſtitia ſua, aut futura perſeverantia deluſus, alienis doctus exemplis caveat ne cadat. Calvini errores de inamiſſibilitate juſtitiæ, & de fide ſpeciali qua quis ſe certo juſtificatum eſſe, aut e numero prædeſtinatorum credere debeat, aut perſeverantiæ donum ſe certo habiturum, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, hac Apoſtoli ſententia refelluntur. Quos errores ſacra Synodus Tridentina Spiritu ſancto ducente, dirigente, & per eam pronuntiante damnavit.

Errores Apoſtolo Pl[illegible]

Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 9. 12. 13. 15. & Can. 13. 14. 15. 16. 23.

13. *Tentatio vos non apprehendat niſi humana: fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Opto & precor ut tentatio vos non ſollicitet niſi humana, id eſt, levis, mediocris, viribus veſtris cum ordinario gratiæ auxilio attemperata, ut eam facile vincatis. Vel, nulla peccati delectatio vos apprehendat, niſi forte venialis, ſine qua vita humana non ducitur. Secundum Græcos codices vertendum eſt verbo præteriti temporis, *Tentatio vos non apprehendit*, εἴληφε, *niſi humana*, hoc eſt, parva. Hac enim voce uti conſuevit Apoſtolus pro parvo: quemadmodum cum dicit, *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ*, pro eo quod eſt naturæ conveniens. Codicibus Græcis concordat Syriaca Verſio. Græci interpretes omnes ad unum legunt, εἴληφε, *apprehendit*. S. Cyprianus lib. III. Teſtimoniorum, cap. 91. legit, *Tentatio vos non occupavit niſi humana.* Hanc lectionem confirmat Sedulius in Collectaneis: *Dicitur nobis*, inquit, *pugnam carnis non ſuſtinentibus per beatum Apoſtolum, cum his inter quos fornicatio nominatur:* Tentatio vos non apprehendit niſi humana. *Non enim meremur mentis robore conquiſito graviores pugnas nequitiarum cœleſtium experiri, qui carnem fragilem reſiſtentem ſpiritui noſtro ſubjugare non quivimus. Quod Apoſtoli teſtimonium non intelligentes quidam, poſuerunt pro indicativo optativum modum, id eſt,* Tentatio vos non apprehendat niſi humana. *Quod ab ipſo dici manifeſtum eſt, non optantis, ſed pronuntiantis vel exprobrantis affectu.* Tentatio hucuſque vos non apprehendit, niſi levis & vulgaris a gula ſollicitante ad eſum idolothytorum; nondum tentationes experti eſtis, quas commovet mundus perſequendo fideles non ſolum uſque ad bonorum proſcriptionem, ſed etiam uſque ad internecionem. *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis.* Vobis graviores tentationes imminent. Verumtamen ne deſpondeatis animos, infirmitatis veſtræ conſcii. *Fidelis autem Deus eſt*, qui ſe promiſit electis ſuis, ac juſtis omnibus in tribulatione adjutu-

S. Thomas. Lect. 3.

Theodoret.

Hebr. 12. 4.

Digitized by Google

Pſalm. 33.

ſuorum. *Multæ tribulationes juſtorum, & ex omnibus liberabit eos Dominus.* Ideo *faciet cum tentatione proventum*, id eſt, vobis tribuet e tentatione *evadendi facultatem*, ut explicat S. Cyprianus loco laudato, electis ſuis, ad quos præcipue pertinent promiſſiones Novi Teſtamenti, & quos nemo rapiet de manu illius, certiſſime tribuet evaſionem e tentationibus & in fine ſaltem vitæ tentationum victoriam; juſtis autem omnibus, quibus nihil impoſſibile præcipit, evadendi & vincendi facultatem, eorum infirmitatem auxilio ſufficienti gratiæ ſuæ muniens quoties urget præceptum. De electis præſertim hanc Apoſtoli ſententiam intellexerunt S. Auguſtinus lib. *De Dono perſeverantiæ*, cap. 9. Hormiſda Pontifex Maximus Epiſt. ad Poſſeſſorem Epiſcopum, aliique inter Eccleſiaſticos Tractatores doctiſſimi. Sed ad juſtos omnes, immo ad fideles univerſos Apoſtoli pertinere ſententiam, docet S. Cyprianus lib. III. *Teſtimon.* cap. 91. ex ea probans, *Tantum unumquemque tentari, quantum poteſt ſuſtinere*. S. Auguſtinus in Pſalmum 56. *Neque imperaret Deus ut hoc faceremus, ſi impoſſibile judicaret ut hoc ab homine fieret. Sed conſiderans infirmitatem tuam, deficis ſub præcepto? confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum eſt? Adeſt ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* S. Leo Sermone 17. De Jejunio decimi menſis 7. *Natura mutabilis, & de peccati labe mortalis, licet etiam jam redempta, & ſacro baptiſmate ſit renata, in quantum eſt paſſibilis, in tantum eſt ad deteriora proclivis; corrumpereturque carnali deſiderio, niſi ſpirituali muniretur auxilio; quia ſicut illi nunquam deeſt, unde corruat; ita ſemper præſto eſt unde ſubſiſtat, dicente Apoſtolo: Fidelis enim Deus, qui vos non patitur tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet proventum ut poſſitis ſuſtinere.* Hic omnino ſenſus eſt Apoſtolicæ ſententiæ: *Fidelis Deus eſt*, id eſt verax & conſtans in promiſſis ſuis. Promiſit autem auxilium invocantibus ſe in tribulatione & tentatione. Vos igitur tentari non ſinet ſupra vires quas vobis ſubminiſtrabit vincendæ tentationi pares: ſed vobis dabit facultatem e tentatione exeundi. Dabit arma & auxilium ſufficiens quo vincere poſſitis, ſi non ſitis deſertores abjecto clypeo fidei & orationis, in quo poſſitis omnia tela Nequiſſimi ignea extinguere: & hunc mundum cum omnibus, erroribus, amoribus, & terroribus ſuis vincere.

Tentationes etiam graviſſimas ſuperare nemini impoſſibile eſt.

Ad eas vincendas auxilium ſufficiens omnibus a Deo paratum.

Epheſ. 6. 17.

14. *Propter quod, Chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura.* Ab idolorum cultu quam longiſſime recedite, & omnino abhorrete ab idolothytorum eſu, quæ conjunctio eſt cum idolis, & gradus quo ad illorum cultum facile devolventur, qui a maledictis illis epulis idololatriarum non abſtinent. Confer cum 1. Joan. 5. 21. *Filioli, cuſtodite vos a ſimulacris.*

15. *Ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico.* Cum prudentibus & intelligentibus mihi ſermo eſt. Quæ dico, adeo conſona ſunt rationi & æquitati, ut vos ipſos judices appellare non verear. Tanta mihi eſt cauſæ quam ago fiducia, ut prudentiæ veſtræ diſcretioni judicium permittam eorum quæ ſum dicturus.

Ex Communione Euchariſtica corporis & ſanguinis Chriſti argumentum ducit Apoſtolus ut Corinthios abſterreat ab eſu idolothytorum.

S. Thomas, in Proſa ſanctiſſimi Sacramenti, quam Eccleſia adoptavit.

S. Thomas, Lect. 4.

16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Nonne calix benedictus, quem ſolemni prece benedicimus, Deum orantes ut quod in eo continetur, omnipotenti virtute ſua Chriſti ſanguinem efficiat, & quem nos Sacerdotes Sacrorum Myſteriorum Miniſtri conſecramus, Chriſti ſanguinem verum poſt benedictionem & conſecrationem continet, nobiſque bibendum communicat & exhibet? Metonymice calicis nomen uſurpat Apoſtolus pro potu in calice contento. *Et panis quem frangimus*, quem manducamus in altari, Chriſti Domini verbis conſecratum, & in ſacris conventibus diſtribuimus fidelibus, *nonne participatio & communio corporis Domini eſt?* Euchariſtiam panem vocat Apoſtolus, quia ſpeciem & operationem panis retinet, & quia ex pane facta. Frangi dicit, non ſecundum rem ſub Sacramento contentam, & ſignificatam, ſed ſecundum ſignum & ſpeciem. *Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura.* Hoc argumento utitur Apoſtolus, ut Corinthios abſterreat ab idolothytis: Sicut participans calicem Domini fit unum cum eo, ſic participans calicem dæmoniorum fit unum cum eis: porro qui conviviis idololatricis communicant, calicem dæmoniorum participant: unum igitur fiunt cum dæmonibus: ſi itaque Sanguini & Corpori Chriſti communicetis, fugere debetis ab idolorum cultu & externa cum eis communione. Veritas Sacramenti, Sacrificii, & Communionis Euchariſticæ veri Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, res erat temporibus Apoſtolicis adeo nota & confeſſa in Eccleſia, ut nullus fidelium huic dogmati fundamentali fidei, qua Chriſtiani Catholici ſumus, contradicere auderet. Ideoque ex eo inconcuſſum ducit argumentum Apoſtolus noſter. Ita hunc locum intellexit S. Irenæus adverſus Hæreticos diſputans, qui mundum a Deo conditum negabant, & carnis ſalutem ac reſurrectionem. *Vani autem omni modo* (inquit) *qui univerſam diſpoſitionem Dei contemnunt, & carnis ſalutem negant, & regenerationem ejus ſpernunt, dicentes non eam capacem eſſe incorruptibilitatis. Sic autem ſecundum hæc videlicet, nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos, neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis ejus eſt; neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus eſt. Sanguis enim non eſt niſi a venis & carnibus, & a reliqua quæ eſt ſecundum hominem ſubſtantia, qua vere factum Verbum Dei, ſanguine ſuo redemit nos... Et quoniam membra ejus ſumus, & per creaturam nutrimur; creaturam autem ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult; eum calicem qui eſt creatura, ſuum ſanguinem qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem, & eum panem qui eſt a creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia; quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & fit membrum ejus?*

S. Irenæus lib. 5. cap. 2.

Realis Præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia inconcuſſa fides.

S. Joannes Chryſoſtomus idem fidei dogma luculenter confirmat, hæc Apoſtoli verba exponens, *Calix benedictionis, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Hoc eſt autem quod dicit Apoſtolus, ipſo interprete: *Id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit e latere, & illius ſumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quod eum habentes in manibus, ſic eum hymnis & laudibus proſequimur admirantes, ineffabile donum ſtupentes benedicentes, bonique verbi proſequentes, quod illum ipſum effudit ne maneremus in errore, & non ſolum effudit, ſed etiam cum ipſum nobis impertivit. Quamobrem ſi ſanguinem* (inquit) *cupis, non idolorum altare brutorum cæde, ſed meum Altare meo cruenta ſanguine. Quid amabilius? dic quæſo. Hoc faciunt etiam qui amant. Cum viderint eos quos amant, aliena concupiſcere, & propria deſpicere, ſua dantes perſuadent ut abſtineant ab iis quæ ſunt illorum. Sed qui amant quidem, in poſſeſſionibus, pecuniis, & veſtibus ſuam oſtendunt liberalitatem & magnificentiam, in ſanguine autem nullus unquam, Chriſtus autem etiam in eo ſuam noſtri oſtendit curam, & ardentem in nos charitatem. Et in veteri quidem quoniam affecti erant imperfectius, quem idolis offerebant ſanguinem, eum ipſe ſuſtinuit ſuſcipere, ut ab illis abduceret: quod ipſum quoque erat amoris ineffabilis. Hic autem in eo quod eſt terribilius & magnificentius, longe commutavit operationem, ut qui & ipſum mutavit ſacrificium, & pro cæde brutorum ſeipſum juſſit offerri.*

S. Chryſoſt. Hom. 24.

17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Quoniam unus eſt panis de quo omnes participamus, ſcilicet corpus Chriſti panis vivi, hinc per illius participationem & communionem multi, id eſt omnes fideles efficimur & ſumus unum corpus Chriſti myſticum, charitate nos in Chriſtum transformante, & inter nos ut ejuſdem corporis membra, eodem Spiritu animata, colligante. Cujus unitatis Euchariſtia ſymbolum eſt, quia Chriſtus in iis rebus inſtituit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, ſcilicet panis; aliud in unum ex multis acinis confluit, ſcilicet vinum, quæ in corpus & ſanguinem Chriſti verbis conſecrationis ſubſtantialiter tranſmutantur. Duplicem porro unitatem divino illo Sacramento ſignificari docet Apoſtolus: primam incorporationis, qua in Chriſtum transformamur. Panis enim vivus nos in ſe transformat, non nos illum in ſubſtantiam noſtram tranſmutamus ut cibos carnis noſtræ: *Unus panis multi ſumus.* Aliam vitæ & ſenſus, quam a Chriſto capite accipimus: *& unum corpus multi ſumus.*

Duplex unitas in Sacramento Euchariſtiæ ſignificata.

S. Aug. Tract. 26. in Joan.

S. Thomas, Lect. 4.

18. *Videte Iſrael ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Conſiderate carnales Iſraelitas, ſeu Judæos ex Jacob ſecundum carnem progenitos. Nonne qui apud ipſos de victimis immolatis comedunt, participes ſunt altaris, in quo pars una victimæ pacificæ aut pro peccato Deo oblatæ igne conſumitur, alteram comedunt Miniſtri ſacrificii, & illi pro quibus offertur? Igitur qui carnes idolis immolatas comedunt in idolio cum Ethnicis, ſunt altaris dæmoniorum, & idolorum cultus participes.

19. 20. *Quid ergo? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid? aut quod idolum ſit aliquid?* Quid ergo dicere videor monendo ut ab idolothytorum eſu

abſti-

Digitized by Google

abſtineatis? Num quod idolis immolatum vim aliquam ex ſacrificiis contrahat ad contaminandum comedentes, aut quod idolum ex materia inſenſibili conflatum vel ſculptum habeat in ſe virtutem aliquam qua hominibus prodeſſe aut nocere poſſit? *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.* Confer cum Deuteron. 32. 17. *Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant.* Et enim Pſal. 95. 5. *Omnes dii Gentium dæmonia.* Dœmones enim ſimulacris aſſiſtebant, vel oracula ex ipſis reddentes, vel aliqua beneficia illorum cultoribus ſe præſtare mentientes. „Scimus, *ait Tertullianus*, nihil eſſe nomina mortuorum, ſicut & ipſa ſimulacra eorum. Sed non ignoramus, qui ſub iſtis nominibus inſtitutis ſimulacris operentur & gaudeant, & divinitatem mentiantur, nequam ſpiritus, ſcilicet dœmones... De ſacrificiis quidem certi ſumus nulla ex parte nobis competere ea, qui his idolis renuntiavimus, non quod idolum ſit aliquid (ut Apoſtolus ait) ſed quod quæ faciunt, dœmoniis faciunt, conſiſtentibus ſcilicet in conſecrationibus idolorum, ſive mortuorum, ſive (ut putant) deorum. *Minutius Felix:* Iſti igitur impuri ſpiritus dæmones, ut oſtenſum a Magis, a Philoſophis, & a Platone, ſub ſtatuis & imaginibus conſecrati delitеſcunt, & afflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur, dum inſpirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt falſis pluribus involuta. Nam & falluntur, & fallunt, ut & neſcientes ſinceram veritatem, & quam ſciunt, in perditionem ſui non confitentes. Sic a cœlo deorſum gravant, & a Deo vero ad materiam avocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, ut ſpiritus tenues: morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, ut ad cultum ſui cogant, ut nidore altarium, vel hoſtiis pecudum ſaginati, remiſſis quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur.

Tertull. lib. De Spectaculis cap. 10. & 13.

Minutius Felix in Octavio.

Pergit Apoſtolus: *Nolo autem vos fieri ſocios dæmoniorum.* Nolo vos, qui fideles eſtis, ullo modo cum dæmonibus, Dei & ſalutis humanæ inimicis ſocietate jungi, vel ſacrificia ipſis offerendo, vel hujuſmodi ſacrificiis adſiſtendo, vel idolothyta comedendo. Deuteron. 32. 37. *Ubi ſunt Dii eorum in quibus habebant fiduciam? De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: ſurgant & opitulentur vobis.* De variis ſuperſtitionum generibus, quibus ſocietas pernicioſa cum dæmonibus initur, lege S. Auguſtinum lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, cap. 20. & ſeq. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Non poteſtis jure, licite, ſpiritaliter virtutem Sacramenti participando, bibere calicem Domini, id eſt Chriſti Domini ſanguinem in calice ſecundum ejus inſtitutionem, ejuſque verbis conſecrato, contentum, & vinum in honorem dæmonum libatum, quod Hebræi *vinum cultus extranei* appellabant.

21. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Non poteſtis participes eſſe cum fructu Corporis in Altari ejus oblati & conſecrati, & altaris dæmoniorum, ſeu ſacrificiorum falſis diis oblatorum. Menſæ nomine hic & alibi in Scriptura ſacra Altare intelligi certum eſt. Notum quod S. Auguſtinus ſcripſit de Menſa Cypriani Martyris Carthagine, in qua ſacrificium Deo, cui ipſe oblatus eſt, offerebatur, & in qua fidelium multitudo in Natali Cypriani Sanguinem bibebat Chriſti, quia ibi propter nomen Chriſti, ſanguis fuſus erat Cypriani.

Iſai. 65. 11. Malach. 1. 7. 12. Concil. Trid. Seſſ. 22. cap. 1. S. Auguſtin. Serm. 310. alias De Diverſis 113.

22. 23. *An æmulamur Dominum?* An ita inſanimus, ut Dominum Deum zelotem provocare ad æmulationem & iram pro nihilo ducamus, ad rivalem & hoſtem ipſius tranſeuntes? *Numquid fortiores illo ſumus?* ut ipſum veluti laceſſamus, experiri volentes an punire nos valeat? Confer cum Deuteron. 32. 16. *Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt:* Metaphora ſumpta videtur ab impudicis mulieribus, quæ viris ſuis contemptis, adulteros admittere non verentur. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Omnia quæ per ſe licita ſunt, utpote quæ nullo Dei præcepto naturali, vel poſitivo prohibentur, non expediunt, ob rerum circumſtantias, per quas etiam illicita redduntur, quale eſt edere idolothyta in idolio, vel cum ſcandalo fratrum. *Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Non omnia quæ licent, ad ſtabiliendum aut promovendum publicum Eccleſiæ bonum; quod in ſalute Animarum a Chriſto redemptarum poſitum eſt, conducunt, immo intempeſtive & imprudenter uſurpata, illud deſtruunt.

24. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Nemo Chriſtianus privata commoda, propriamque utilitatem & voluptatem bono ſpirituali & ſaluti proximi anteponat. Dei namque præceptum de proximi dilectione violaret, proinde nec Deum diligeret. Amor enim proximi ex amore Dei ortum ducit. 1. Joann. 4. 20. 21. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatum habemus, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

25. 26. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Quaslibet carnes quæ in macello venduntur, manducare licite poteſtis, non diſquirentes ex conſcientiæ ſcrupulo, an ſint idolis immolatæ. *Domini eſt terra & plenitudo ejus.* Omne quod terra gignit aut nutrit, Deum habet auctorem ac dominum: bonum igitur ac mundum eſt, nec a dœmonibus poteſt immutari, aut vim contaminandi conſcientiam ex eorum ſacrificiis accipere.

27. 28. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Si quis infidelium amicitiæ cauſa vos invitat ad convivium domeſticum, extra idolium, & vultis ire, quod vobis licet: ex omni cibo qui apponitur & miniſtratur vobis, comedere poteſtis, non inquirentes meticuloſa & ſcrupuloſa curioſitate an ſit immolatum idolis; ut pura tutaque conſcientia manducetis. *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam.* Si quis autem infidelis, aut frater infirmus & ſcrupuloſus vos monuerit, carnes quæ vobis offeruntur, immolatas eſſe idolis, ab illis abſtinete, ne ſcandalum præbeatis monitori, ſive infideli, ſive fideli. Infidelis enim nequiter gaudebit, vos in honorem idoli comedere exiſtimans, Chriſtianamque, quam profitemini religionem parvifacere. Fidelis vero infirmus adhuc in fide & ſcrupuloſus, exemplo veſtro comedet, repugnante forte conſcientia. Igitur ab hujuſmodi cibo temperate, ne illius conſcientiam facto veſtro vulneretis. Codices Græci pene omnes, & Interpretes, hic repetunt ſententiam illam: *Domini eſt terra & plenitudo ejus:* ſed eam non habent Manuſcriptum Alexandrinum, antiquus Codex Claromontanus eximiæ vetuſtatis, Syriaca Verſio, & Arabica ab Erpenio edita, nec S. Hieronymi Verſio, qui Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit. Huic loco extraneam eſſe inde confirmatur, quod veriſimile non ſit adhibitam eſſe ab Apoſtolo ad probandum poſſe comedi omne genus eduli quod in macello venditur, & non eſſe comedendas carnes, quæ idolis immolatæ dicuntur. Tandem orationis conſequentia poſtulat ut ſequens Verſus illis verbis, *propter conſcientiam*, immediate ſubjungatur.

De cibo non idolis immolatorum ceſſu videtis Epiſtolam S. Auguſtini 47. alias 154. *Ad Publicolam*.

29. *Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.* Conſcientiam, propter quam prohibeo ne manducetis carnes quæ dicuntur idolis immolatæ, non tuam dico, quæ bene formata eſt; (cum noveris idolum nihil eſſe, & cibos idolis immolatos per ſe non inquinare animum comedentis) ſed fratris infirmi, aut etiam infidelis qui te invitaverat, ac Gentilium convivarum. *Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conſcientia?* Cur enim & cui bono darem occaſionem alteri damnandi Chriſtianam libertatem edendi omne genus ciborum, qua in illis rerum circumſtantiis abuterer? Gentilis certe me damnaret, dicens: Fabula eſt Chriſtianorum Religio: Aiunt quidem idola eſſe execrari, & interim ea quæ idolis immolata ſunt, oblata libenter comedunt.

Confer cum Apoſtolico Decreto de abſtinentia ab immolatis. *Act.* 15. Hoc Decreto Corinthios conſtrictos non fuiſſe, reſpondet Eſtius, & probat ex ipſius inſcriptione: *His qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus.*

30. *Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* Si ego cum gratiarum actione comedo ex omni cibo quem mihi dedit Deus ad veſcendum, fide firma perſuaſus Idolum nihil eſſe: cur me, immo Chriſtianam Religionem exponam Gentilium maledictis pro ea ciborum participatione, de qua Deo gratias ago? Gentiles enim qui me volentem ſcientem carnes idolis immolatas comedere videbunt, Chriſtianos quaſi hypocritas ſugillabunt, qui ab Idolis & eorum cultu ſe abhorrere ſimulent, & tamen idolothyta comedant. Vide ſanctum Chryſoſtomum, *Homil.* 25.

Corinthus autem ſita erat in Achaia: nec Corinthiorum Eccleſia coaleſcebat ex Gentibus & Judæis, ut Eccleſiæ Paleſtinæ, & vicinæ. Ad Corinthios igitur pertinuiſſe non videtur Apoſtolicum Decretum de abſtinentia ab immolatis, niſi in periculo ſcandali, ipſe S.

31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* Cavete ne ullo veſtro opere Dei lædatur honos: immo propter ejus gloriam omnia veſtra facite, ad eum omnes actiones ut ad finem ultimum intentione pura dirigite, cui ſervire unice debetis, quem ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus diligere. Hoc legis ipſius naturalis præceptum quo fit ut omnis actio humana bona ſit vel mala, nulla indifferens in individuo, ut ſequuntur Theologi ...

Digitized by Google

Paulo Interprete. nialis Moralis vindices. Sufficit autem ut virtuali intentione omnia opera noſtra fiant ut Deus laudetur & glorificetur. Id niſi fiat, non impletur præceptum charitatis, ut docet S. Thomas. Confer eum *Coloſſ.* 3. 17.

32. *Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei.* Ita vos gerite ut nullum offendiculum detis ſive Gentilibus nondum ad fidem Chriſti converſis, ſive fidelibus, qui ſunt Eccleſiæ membra, pleraque infirma, quibus propterea propenſiori charitate conſulendum eſt.

33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.* Nam & ego non ſolum caveo ne cuiquam offendiculum præbeam; verum etiam omnibus placere ſtudeo, illis me accommodans in omnibus, quæ nulli legi, præſertim divinæ adverſantur: non quærens quod mihi uni utile eſt, ſed quod multis; & eorum ſalutem, privatis meis commodis neglectis & poſtpoſitis, procurare & promovere ſatagens. Contrarium videtur quod ſcribit Apoſtolus noſter ad Galat. 1. 10. *An quæro hominibus placere?* Sed ibi negat ſe velle placere propter propriam gloriam aut privata commoda: hic autem placere ſtudet propter Dei gloriam, & fraternam ſalutem. *Nulli autem prodeſt ut ſalvus ſit, ſi homo ei propter ſe ipſum placeat: qui non placet utiliter, niſi cum propter Deum placet, id eſt, ut Deus placeat & glorificetur, cum dona ejus attenduntur in homine, vel per miniſterium hominis accipiuntur; cum autem ſic homo placet, non jam homo, ſed Deus placet.*

Loca Apoſtoli in ſpeciem pugnantia conciliantur. *S. Auguſt. in Expoſit. Epiſt. ad Galat. n. 5.*

CAPUT X.

Senſus Moralis.

1. 2. 3. 4. 5. 6. *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari. Et omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt.* Veritatem diſcamus in figuris. Meminerimus quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, nos in morte ipſius baptizatos eſſe; Chriſtum laviſſe nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *Nihil aliud in figura tunc portendebat tranſitus populi per Mare, niſi tranſitum fidelium per baptiſmum. Nihil aliud inſequentes Ægyptii, niſi abundantiam præteritorum delictorum. Premunt Ægyptii, urgent, inſtant peccata, ſed uſque ad aquam. Quid eſt Mare Rubrum? Baptiſmus ſanguine Domini conſecratum.* Chriſtus per gratiam Spiritus ſancti ſui nos in nocte hujus ſæculi ambulantes illuminat, ardorem concupiſcentiæ noſtræ temperat, omnipotentia ſua nos protegit, providentia paterna nos dirigit in hujus mundi deſerto, ubi viatores ſumus. Scripturarum ſuarum, Fideique luce nos ducit. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt.* Quid eſt ſub nube? Sub caligine: non eis intelligentibus ſpiritaliter, quæ cum eis corporaliter gerebantur. Nos longe fœliciores, quibus revelata ſunt in novo Teſtamento, quæ in veteri obumbrata erant. *Vobis datum eſt noſſe Myſteria regni Dei.* Næ nos miſeros, ſi in tanta luce excutiamus! *Et omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt.* Illi manna de cœlo; nos Corpus & Sanguinem Chriſti. Umbram illi, nos veritatem; illi panem Angelorum, nos Dominum Angelorum; illi panem, quem qui manducaverunt, mortui ſunt; nos panem vivum, qui de cœlo deſcendit, quem qui digne manducaverit, vivet in æternum. Illi aquam de petra biberunt, nos aquam vivam in Sacramentis haurimus, quæ ex Chriſti latere in cruce percuſſo manarunt. *Percuſſum eſt latus Chriſti morientis, & fluxerunt Sacramenta Eccleſiæ militantis.* Petra ſequebatur Iſraelitas ratione aquarum quæ ex ipſa manabant: Chriſtus nos comitatur, & in nobis eſt per Spiritum ſanctum ex ipſo ab æterno procedentem, & in tempore nobis datum, quo ſemper indigemus, quamdiu in deſerto hujus mundi peregrinamur. *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Verum timeamus ne contingat nobis quod illis evenit, ſi Dei gratiis abutamur. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.* Plures baptiſati ſunt, pauci pactum & votum baptiſmi ſui ſervant: nomen habent Chriſtiani, mores non habent. Multi Sacramenta frequentant; pauci per Sacramenta meliores fiunt; multi ad cœleſtem patriam, quam Deus novo ſuo populo promiſit, vocati ſunt; pauci perveniunt. *Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo.* Niſi pravis deſideriis renuntiemus, niſi cupiditates noſtras mortificemus, Baptiſmus & Communio Corporis Chriſti nobis in judicium & damnationem vertentur. Id figuræ veteris Teſtamenti nos docent. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.* Quomodo in beneficiis præceſſerunt figuræ, & ſecuta eſt veritas, ita etiam in ſuppliciis: & ſicut longe majora & excellentiora ſunt beneficia quæ Chriſtianis Deus impertit; ita, longe graviores pœnæ quibus plectentur, qui tantis beneficiis abuſi fuerint; illæ enim temporales, iſtæ æternæ. *Non ſimus concupiſcentes malorum &c.* Et ſi ſunt prava deſideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur.

Longe excellentiora beneficia Chriſtianis a Deo collata quam Iſraelitis. longe graviores pœnæ illis ingratis paratæ.

S. Aug. in Pſal. 80. n. 8.

Joann. 6.

S. Auguſt.

S. Chryſoſt. Hom. 23.

7. *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Amor proprius & concupiſcentia, non quoſdam tantum, ſed plurimos e Chriſtianis idololatras efficiunt, vel ſui, vel creaturarum; *Avaritia, ſimulacrorum ſervitus eſt,* ait alibi Apoſtolus noſter; guloſorum & ebrioſorum *Deus venter eſt.* Quam multi ſunt quorum tota vitæ ſeries otioſitas eſt, voluptas, luſus, ſpectacula, choreæ, *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Nonne idola colunt amatores impudici, libidines ſuas, & quas deperennt creaturas? *Colis autem non ſpiritu veliquam nidoris alicujus, ſed tuo proprio: nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis quam ſacerdos. Diligentia tua numen illorum eſt. Illis ſaginatiorem, & auratiorem, & majorem hoſtiam cædis, ſalutem tuam.* Non uno modo prævaricatoribus Angelis ſacrificatur, idque non in templis tantum idolorum apud Ethnicos; ſed in ipſis templis Dei vivi.

Plerique Chriſtiani vel ſui, vel creaturarum, aliorum idololatras cupiditas facit.

Tertull. lib. De Idolol. cap. 5.

Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die viginti tria millia. Quia conviviorum & gulæ mentionem fecerat Apoſtolus, fornicationem ſubjungit, ſub qua omnis carnis immunditia, omne libidinis genus comprehenditur. Hæc enim gulæ, & ſaturitatis filia eſt. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia & otium ipſius & filiarum ejus* (ait Dominus per Prophetam) Venter eſcis repletus facile deſpumat in libidinem. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* „ Intellige ſanctæ „ Scripturæ verecundiam, (inquit Tertullianus) ludum niſi impudicum non denotaſſet. Veneris & „ Bacchi templa olim apud Romanos vicina. “ *Duo iſta dæmonia conſpirata & conjurata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis.* Fornicatio hodie frequentiſſima, terribilius a Deo ultionum Domino punitur, æterna morte animæ & corporis, ſtagno inextinguibilis ignis & ſulphuris, quæ mors ſecunda eſt.

Impudicitia gulæ [illegible]

Ezechiel. 16. 49.

Tertull. De Jejuniis c. 6. Idem De Spectac. cap. 10. Apocal. 21. 7.

9. 10. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Deum tentant, qui de illius potentia diffidunt, qui de illius verbis & promiſſis dubitant, qui vitiis & cupiditatibus ſuis illum provocant, tam libere peccando, ut experiri velle videantur, an illorum peccata plectere poſſit. Grave certe peccatum tentatio Dei, quo ſerpentium tartareorum præda fiunt, qui illud committunt. Grave pariter ac lethale peccatum murmuratio tum adverſus Deum & ejus providentiam, tum adverſus Superiores, qui nobis Dei vice præſunt. Qui adverſus Deum murmurant in adverſis, aut contra Præpoſitos ſuos, æterno digni ſunt extermínio a Patria cœleſti. Qui adverſus Superiores ſuos murmurant, Deum ipſum murmurationibus ſuis læcunt. Unde Moyſes Iſraelitas, qui contra illum & Aaronem murmurabant, his verbis compellat: *Nos quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos? Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Heu nimium frequentes ſunt in familiis Chriſtianis, in Societatibus & Congregationibus Eccleſiaſticis & Religioſis murmuratores illi querulí! Ne leve exiſtimetur eſſe peccatum, aut levi pœna in Dei judicio plectendum. *Unuſquiſque ob proprium ſuum peccatum damnatur,* ait S. Baſilius, *ita & qui murmuraverint, ob murmurationem. Verum ſæpe alii alia de cauſa murmurant. Nam hi quidem propterea murmurant, quod unde ventrem ſuo more diſtendant, non habent (ut qui gulæ præter modum dediti ſunt, & ventrem faciunt Deum ſuum) illi vero quod in pari honore non habeantur cum his quos ſibi vident præponi, quod eſt invidiæ: quod vitium cum homicidio conjungi ſolet. Alii alia de cauſa.*

De tentatione quam grave peccatum.

Murmuratio contra Deum & Superiores gravi pœna plectenda.

Exod. 16. 7. 8.

S. Baſilius in Regulis brevioribus Interrog. 63.

11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.* „ His figuris populus „ Chri-

S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 77. num. 2. & 3.

„ Chriſtianus admonetur ut caveat ne ſit ingratus beneficiis Dei, ejuſque in ſe provocet iracundiam, cujus obedienter & fideliter debet ſuſcipere gratiam. Nam ſi ille interitus a ſerpentibus, & ab exterminatore illa perditio, & gladii trucidatio, figuræ fuerunt, ſicut evidenter dicit Apoſtolus: quanto majore diligentia pietatis cavendæ ſunt pœnæ, quarum figuræ illæ fuerunt? Procul dubio quippe ſicut in bonis rebus multo amplius boni eſt in eo quod per figuram ſignificatur, quam in ipſa figura: ita & in malis longe utique pejora ſunt quæ ſignificantur figuris, cum tanta mala ſint etiam ſignificantes figuræ. Nam ſicut terra promiſſionis, quo ille populus ducebatur, in comparatione regni cœlorum nihil eſt, quo Chriſtianus populus ducitur, ita & pœnæ illæ quæ figuræ fuerunt, cum tam ſint atroces, in comparatione pœnarum quas ſignificant, nihil ſunt. “

Nemo ſe in bono perſeveraturum præſumat, ſed timeat caſum, & caveat.

22. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Nemo Chriſtianus, quantumvis a peccatis mortalibus alienus, quantumvis pietatis cultor, quantumvis Sacramentorum religioſus frequentator, de viribus ſuis præſumat. Angeli in cœlo, Adam & Eva in Paradiſo, tot Iſraelitæ, qui Deo placebant, cum eos ex Ægypto liberavit, in deſerto ceciderunt, duo ſolum ex tanto numero Terram promiſſam ingreſſi ſunt, Joſue & Caleb, ceteri perierunt in deſerto. David Rex ille ſecundum cor Dei, Salomon prodigium ſapientiæ, Chriſti typus, divinorum librorum Auctor, Judas in Apoſtolorum collegio, tot ſanctitate (ut videbatur) inſignes viri lapſi ſunt. Nemo ergo ſe perſeveraturum præſumat, ſed timeat; non efferatur, ſed Chriſtiana humilitate deprimatur, ne cadat. *Deus melius eſſe judicavit miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum; ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim a perniciosa elatione reprimit quod ait Apoſtolus: Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Voluntate autem ſua cadit, qui cadit; & voluntate Dei ſtat, qui ſtat.*

S. Auguſt. lib. De Dono Perſever. cap. 8.

Recte dixit Apoſtolus, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* „ Hoc enim non eſt ſtare, ut ſtare oportet, ſibi ipſi confidere. Nam cito cadet qui eſt ejuſmodi. Quamobrem etiam ſi ſtes, caveas ne cadas. Hic enim ſtare, non eſt firmiter ſtare, donec fuerimus liberati a fluctibus vitæ præſentis, & ad tranquillum portum navigaverimus. Ne ergo eo quod ſtes, efferaris & inſoleſcas, ſed cave caſum: Nam ſi timuit Paulus qui erat omnium fortiſſimus, multo magis nos timere oportet. Atque Apoſtolus dicebat, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Nos autem ne hoc quidem poſſumus dicere, cum omnes ceciderint, & proſtrati ſint, & humi jaceant. Cui enim hoc dicam? Num ei qui rapit quotidie? Sed jacet, ut qui magno caſu corruerit. An ſcortatori? ſed humi eſt projectus. An ebrio? ſed humi quoque jacet, & neſcit quidem ſe jacere. Quamobrem non eſt hujus verbi tempus, ſed illius Prophetici quod dictum eſt Judæis: *Domus Iſrael cecidit, & non adjiciet ut reſurgat.* Etenim omnes jacent, nec volunt reſurgere. Quamobrem nobis eſt adhortatio, non ut non cadamus, ſed ut jacentes poſſimus reſurgere. Reſurgamus ergo, & fortiter ſtemus. Quouſque jacemus? Quouſque inebriamur rerum ad hanc vitam pertinentium magno gravati deſiderio? O ſi nudas videre liceret animas, ſicut in caſtris poſtquam commiſſum eſt prælium, alios quidem licet cernere mortuos, alios autem vulneratos, ita etiam videremus in Eccleſia! Quamobrem alter alteri manum viciſſim præbeamus, & exſurgamus. Nam ego quoque ex iis ſum qui ſunt vulnerati, & qui egent ope Medici, qui vulnera mea curet. Sed ne propterea animum deſpondeatis, nec deſperetis. Nam etſi gravia ſunt vulnera, non ſunt tamen inſanabilia. Talis eſt noſter Medicus, modo vulnera ſentiamus, etiamſi ad vitii extremum venerimus, aperit nobis multas vias ſalutis.

S. Chryſoſt. Hom. l. 23.

Amos 5. 1.

Tentatio humana & diabolica.

S. Gregorius M. lib. 11. Moral. cap. 3.

13. *Tentatio vos non apprehendat niſi humana; fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* „ Humana tentatio eſt, inquit S. Gregorius Magnus, qua plerumque turpi cogitatione tangimur etiam nolentes: quia ut nonnumquam & illicita ad animum veniant, hoc in nobiſmetipſis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam vero dæmoniaca eſt & non humana tentatio, cum ad hoc quod carnis corruptibilitas ſuggerit, per conſenſum ſe animus adſtringit. Hinc iterum dicit, *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Peccatum quippe in mortali corpore non eſſe, ſed regnare prohibuit: quia in carne corruptibili non regnare poteſt, ſed non eſſe non poteſt. Hoc ipſum namque ei de peccato tentari, peccatum eſt, quo quia quamdiu vivimus perfecte omni modo non caremus: ſancta prædicatio quoniam hoc expellere plene non potuit, ei de noſtri cordis habitaculo regnum tulit: ut appetitus illicitus etſi plerumque bonis noſtris cogitationibus occulte ſe quaſi fur inſerit, ſaltem ſi ingreditur, non dominetur.

Rom. 6.

„ Fiunt autem tentationes per ſatanam, non poteſtate ejus, ſed permiſſu Domini, ad homines aut pro ſuis peccatis puniendos, aut pro Domini miſericordia probandos & exercendos. Sunt etiam tentationes humanæ, cum bono quiſque animo, ſecundum humanam tamen fragilitatem, in aliquo conſilio labitur, aut irritatur in fratrem ſtudio corrigendi, paulo tamen amplius quam Chriſtiana tranquillitas poſtulat: “ de quibus Apoſtolus dicit, *Tentatio vos non apprehendat niſi humana.* Cum idem dicit: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* „ In qua ſententia ſatis oſtendit non id nobis orandum eſſe ut non tentemur, ſed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim, ſi tales acciderint quas ferre non poſſumus. *Sed cum tentationes periculoſæ, in quas inferri atque induci perniciosum eſt, aut proſperis rebus temporalibus, aut adverſis oriantur, nemo frangitur adverſarum moleſtia, qui proſperarum delectatione non capitur.* Cibat nos Deus pane lacrymarum, potum dat nobis in lacrymis in menſura, ait Rex Propheta. Quid eſt in menſura? Apoſtolum audi: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis,* &c. Ipſa eſt menſura, pro viribus tuis: ipſa eſt menſura, ut erudiaris, non ut opprimaris... Noli ergo timere permiſſum aliquid facere tentatorem: habes enim miſericordiſſimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodeſt ut exercearis; ut proberis; ut qui te neſciebas, a te ipſo invenîaris. Nam ubi, vel unde niſi de hac Dei poteſtate & miſericordia ſecuri eſſe debemus? “

S. Aug. lib. 2. De Sermone Domini in Monte, c. 9. n. 34.

Miſericors Deus nos tentari non permittit ſupra id quod poſſumus.

Pſalm. 79.

S. Auguſt. Enarrat. in hunc Pſalm. n. 6. Idem in Pſ. 71. n. 20.

24. *Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura.* Plurimi ex iis qui ſe illuminatos videri volunt, idola ſuis in cordibus circumferunt. Numquam errare, angelica perfectio eſt. In errorem labi, aut de lumine & ſcientia veritatis extolli, humana tentatio eſt. Errores ſuos amare, & Eccleſiæ Decretis, definitionibus, ſententiæ, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ & Summorum Pontificum Conſtitutionibus, Epiſcoporum unanimitati (ſive de fidei dogmatibus ſive de Morum diſciplina, ſive de ſacro regimine & Hierarchico ordine agatur) privatas opiniones ſuas anteferre, nimioque propriæ ſententiæ amore pacem Eccleſiæ perturbare, ſinum Matris lacerare, partes & factiones in ea faciendo, excitando, fovendo, diabolica tentatio eſt. Eorum qui ita agunt, phantaſmata, idola ſunt, quorum cultui reverentiam & obedientiam Eccleſiæ debitam immolant. *Non ſit religio in phantaſmatibus noſtris.*

Hominum qui docti videri volunt opiniones & phantaſmata, plerumque idola ſunt quæ colunt. Sive de ſenſu librorum.

S. Auguſt. lib. De vera Religione.

25. *Ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico.* Admonitiones & correptiones ut ſalutares ſint, boneſtate & manſuetudine condiri debent. „ Imitandum hac in re Apoſtoli exemplum, qui cum peccatum Corinthiorum exaggeraret, vocans idolorum culturam, ne illos exaſperaret, eis permittit judicium, & cum encomio & laude illos conſtituit judices. *Ut prudentibus,* inquit, *loquor.* Quod quidem eſt ejus qui ſuo juri valde confidit, ipſum qui accuſatur conſtituere judicem eorum quæ dicuntur. „ Hoc etiam auditores magis excitat, quando non ut jubens, neque ut legem ferens, ſed tamquam conſulens, & illorum judicium ſubiens ſic, loquitur. Nam cum Judæis inſipientibus & ad puerilia propenſis non ſic Deus loquebatur, neque eis exponebat cauſas mandatorum, ſed ſolum jubebat. Hic autem quoniam magnam adepti ſumus libertatem, conſilium quoque conſequimur, & loquitur tamquam cum amicis, & dicit: Non opus habeo aliis judicibus: vos accipio judices. „ Hæc œconomia caritatis in corripiendis multitudinis peccatis obſervanda eſt. Ut enim docet S. Auguſtinus, *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur: magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine: ſeveritas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Et ſi quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur. Ita prius movebuntur ſpiritales vel ſpiritalibus proximi, quorum auctoritate, & leniſſimis quidem,*

Oeconomia caritatis in correptionibus.

S. Chryſoſt. Homil. 24.

S. Auguſt. Epiſt. 22. alias 64. Ad Aurelium.

Digitized by Google

dem, ſed inſtantiſſimis admonitionibus cetera multitudo frangatur.

16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?*

Digna, & indigna Communio.

Calix benedictionis eſt innocentibus & pœnitentibus, digne communicantibus Sangoini Chriſti, per quem omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus cumulantur. Verum indigne communicantibus fit calix maledictionis & iræ Dei. Eucharistia accedentibus cum fide & caritate *Panis eſt, non venenum*, panis vivificus, Communio Corporis Domini, non Sacramento ſolum, *ſed uſque ad Spiritus participationem*, quia in illum feliciter mutantur, illique inſeruntur. Ficte vero ſeu cum peccati mortalis conſcientia accedentibus, participatio Corporis Domini eſt Sacramento dumtaxat, non gratia Sacramenti. Corpus Chriſti ſumunt mali pariter & boni, ſed inæquali ſorte, illi ad vitam, illi ad interitum. Par illorum ſors eſt ac Judæ proditoris, de quo ſcriptum eſt in Evangelio; *Poſt buccellam introivit in eum ſatanas.*

S. Auguſt.

17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Religio & Sacrificium vera ſunt vincula ſocietatis & unitatis Chriſtianæ. Eumdem omnes panem manducando, quod Corpus eſt Chriſti Filii Dei, cor unum & anima una eſſe debemus, participando Spiritum ejus, qui nexus æternus eſt Patris & Filii. *Quid dico communicationem? Sumus ipſum illud corpus. Quid enim eſt panis? Corpus Chriſti, non multa corpora, ſed unum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compoſitus eſt unitus, ut nuſquam appareant grana, ſed ſint quidem ipſa, non manifeſta autem ſit eorum differentia propter conjunctionem: ita etiam inter nos & Chriſto conjungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, ſed ex eodem omnes, Si autem ex eodem, & idem efficimur omnes, cur non etiam eamdem oſtendimus charitatem, & eo ratione unum quoque efficimur?* Ea ratione primi Chriſtiani unum erant. *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Verum nunc temporis non ita ſe res habet. Nam Chriſtianos inter fervent diſtenſiones, inimicitiæ, bella, rixæ, lites paſſim regnant quod argumento eſt ipſos panem Chriſti, ſeu potius panem Chriſtum ſpiritaliter non manducare, quia in Chriſto non manent, nec in illis Chriſtus, qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Manemus autem in illo, cum ſumus membra ejus; manet autem in nobis, cum ſumus templum ejus, *Ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat. Ut compaginet unitas, quæ facit niſi charitas?* „ Quæ diffunditur in cordibus noſtris
„ per Spiritum ſanctum. Sic membra Chriſti ſumus,
„ cum ejus Spiritu vegetamur. Amemus igitur uni-
„ tatem, timeamus ſeparationem. Nihil enim ſic
„ debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari a Cor-
„ pore Chriſti. Si enim ſeparatur a Corpore Chri-
„ ſti, non eſt membrum ejus: ſi non eſt mem-
„ brum ejus, non vegetatur Spiritu ejus. *Si quis*
„ *autem*, inquit Apoſtolus, *Spiritum Chriſti non ha-*
„ *bet, hic non eſt ejus.*

Chriſtianorum unitas cum Chriſto & inter ſe.

S. Chryſoſt. Homil. 24.

Act. 4. 32.

Joann. 6.

S. Auguſt. Tract. 27. in Joannem.

Rom. 8. 9.

18. 19. 20. *Videte Iſrael ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid? aut quod idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Manducatione victimæ communicamus Sacrificio, & ſocietatem habemus cum eo inprimis cui offertur, deinde cum eo qui ſacrificii particeps eſt. Quale ſacrificium, talis communio & ſocietas. Societas ſacrilega & damnabilis Ethnicorum cum diabolo per ſacrificia idolis & falſis numinibus oblata. Societas vera quidem, ſed typica & prophetica Judæorum cum Deo per Sacrificia veteris legis, ſed inutilis iis qui carne dumtaxat & externo ritu, non ſpiritu, ſacrificiorum hujuſmodi participes erant: id eſt qui fide, ſpe, & charitate Chriſto Jeſu unicæ victimæ per illa ſignificatæ & quæ ſola Deo digna eſt, non erant conjuncti. At ſocietas Chriſtianorum cum Deo per ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacrificium longe excellentior, longe ſanctior, & prorſus ineffabilis. Judaica enim Sacrificia ab hominibus peccatoribus offerebantur: Sacrificium vero Euchariſticum offertur Deo per hominem Deum. Chriſtus enim ut ſummus & æternus legis novæ Sacerdos hoc ſacrificium offert: homines vero Sacerdotes in eo agunt ut Miniſtri dumtaxat & membra ſummi & æterni Sacerdotis. Judæi carnes brutorum animantium dumtaxat in veteribus ſacrificiis Deo offerebant: Eccleſia vero hominem Deum in Euchariſtiæ Sacrificio ceu novam & infiniti pretii victimam offert Deo. „ Mediator
„ Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, cum in
„ forma Dei Sacrificium cum Patre ſumat, cum
„ quo & unus Deus eſt, tamen in forma ſervi Sa-
„ crificium maluit eſſe quam ſumere, ne vel hac
„ occaſione quiſquam exiſtimaret cuilibet ſacrifican-
„ dum eſſe creaturæ. Per hoc & Sacerdos eſt,
„ ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cujus rei Sacra-
„ mentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ Sacri-
„ ficium? quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſeipſam
„ per ipſum diſcit offerre. Hujus veri Sacrificii
„ multiplicia variaque ſigna erant ſacrificia priſca ſan-
„ ctorum, cum hoc unum per multa figuraretur,
„ tamquam verbis multis res una diceretur, ut
„ ſine faſtidio multum commendaretur." Judæi participes tantum erant animalium immolatorum: Chriſtiani in Sacrificio Euchariſtiæ ſunt participes corporis & ſanguinis Chriſti hominis Dei. Judæorum ſanctiſſimi Deo conjungi non poterant in veteribus „ ſacrificiis niſi actibus fidei, ſpei, & charitatis; Chriſtiani vero in Euchariſtiæ ſacrificio non hoc tantum modo conjungi Deo poſſunt, ſed ita reali & intimo, ut manducatione corporis Chriſti unum cum ipſo corpus, unus Chriſtus fiant, homines Deo mixti.

Societas Chriſtianorum cum Deo per Sacrificium Euchariſtiæ.

S. Aug. l. 10. De Civit. Dei, cap. 20.

Nolo autem vos fieri ſocios dæmoniorum. Paris eſt periculi ſocium fieri dæmonum, & malis illis ſpiritibus communicare ſuperbia, invidia, impudicitia, ebrietate, inimicitiis, avaritia, rapinis, fraudibus, uſuris, calumniis, aliiſque vitiis, quibus paſcuntur, & quorum auctores & patres in Scripturis ſacris dicuntur, ac victimarum illis immolatarum carnes comedere, quæ nullam ad illos per ſe relationem habeat, ſed ex ſola hominum inſipientium ſuperſtitione. Certe magis tutima eſt prior illa ſocietas, quam poſterior.

Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. 21. *Non poteſtis Menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Qui pravis cupiditatibus inflammatus, & cum affectu peccati ad ſacram Menſam accedit, nonne calicem Chriſti, & calicem dæmonum ſimul bibit? Vanitas enim honorum, divitiarum, voluptatum, calix eſt quo dæmon filios hujus ſæculi inebriat, panis eſt quo ſervos ſuos alit. A Sacrificio Miſſæ, ab Euchariſtiæ Communione ad ſpectacula quibus dæmon præſidet, ad choræas in quibus tripudiat, ad ludos alearum in quibus colludit, qui tranſeunt, nonne menſæ Domini & menſæ dæmoniorum participes ſimul eſſe volunt? Ita *Vis infertur corpori & ſanguini Domini.*

Indigne communicantium crimen.

Tertullian.

23. 24. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Ædificatio Eccleſiæ, & proximorum ſalus, duæ regulæ ſunt quæ nos dirigere debent. Ab his qui deflectunt, errant in via ſalutis, & alios ducunt per ambages dubiarum viarum, faciendo quod Lex permittit, & caritas prohibet. Proprius autem caracter caritatis eſt, privata commoda ſpirituali fratrum utilitati poſtponere; cuilibet utilitati temporali renuntiare potius quam fratri occaſio ſcandali præbeatur: quaſvis delectationes & voluptates ejus ſaluti immolare. Erat olim ſententia Gentilis: *Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi:* Apoſtolica ſententia eſt, a Deo qui caritas eſt accepta, a Spiritu ſancto dictata: *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.*

Ædificationi Eccleſiæ & proximorum ſaluti privata commoda poſtponere debemus.

31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Inconcuſſum Moralis Chriſtianæ principium eſt, omnia eſſe a Deo ut a primo principio per ejus bonitatem: omnia ad Deum ut ad ultimum finem referenda per caritatem. Hæc pars eſt primi & maximi mandati, quo Deum ſuper omnia, & præ omnibus diligere tenemur. Id ſi obſervaremus, omnia opera noſtra, etiam mere naturalia, ut manducare & bibere, meritoria nobis eſſent beatæ æternitatis. Unus ergo omnium actionum noſtrarum ſcopus ſit gloria Dei, ſicut etiam præcepit Dominus: *Luceat*, inquit, *lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui eſt in cælis.* Non ſolum glorificatur Deus cum laudes ejus canuntur, & orationes ad ipſum funduntur, ſed cum opus quodcumque per ſe non malum, nec lege prohibitum, fit propter illius gloriam, & ex caritatis affectu. „ Non ſolum vox tua ſonet laudes Dei, ſed
„ opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo
„ voce cantaveris, ſilebis aliquando: vita ſic canta,
„ ut numquam ſileas. Negotium agis, & fraudem
„ cogitas, ſiluiſti a laude Dei: & quod gravius eſt,
„ non ſolum a laude ſiluiſti, ſed in blaſphemiam per-
„ rexiſti. Cum enim Deus laudatur de bono opere
„ tuo, opere tuo laudas Deum; & cum blaſphe-
„ matur Deus de malo opere tuo, opere tuo blaſ-

Omnia opera noſtra ad Deum per caritatem referenda, ut meritoria ſint.

S. Aug. in Pſal. 148. n. 2.

„ phemas Deum. Itaque ad aurium exhortationem cantata voce: corde ne ſileas, vita ne taceas. Non cogitas in negotio fraudem, pſallis Deo. Cum manducas & bibis, pſalle, non intermiſcendo ſonorum ſuavitates ad aures aptas, ſed modeſte & frugaliter & temperanter manducando & bibendo . . . Si ergo bene agis, quod & manducas & bibis, & ad refectionem corporis ſumis reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili iſta ſupplementorum ſolatia, & cibus tuus, & potus tuus laudat Deum: ſi vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua ſonet, vita blaſphemat. Poſt cibum & potum requieſcis ut dormias; nec aliquid in lecto turpiter agas, nec excedas ultra conceſſam licentiam in lege Dei: ſit caſtus cum conjuge thorus; & ſi eſt cura propagandi liberos, non ſit effrenata luxuries libidinum: defer in lecto tuo conjugi tuæ quia; membra Chriſti eſtis ambo, ambo ab illo conditi; ambo ipſius ſanguine reparati: Hæc agens laudas Deum, nec omnino ſilebit laudatio tua. Quid cum ſomnus advenerit? Et cum dormis, non te excitet a quiete mala conſcientia tua; & innocentia ſomni tui laudat Deum . . . Laudas cum agis negotium, laudas cum cibum & potum capis, laudas cum in lecto requieſcis, laudas cum dormis, quando non laudas? Perficietur in nobis laudatio Dei, cum ad illam civitatem venerimus, quando effecti fuerimus æquales Angelis Dei, quando nos nulla corporalis neceſſitas ulla ex parte ſollicitat, non fames, non ſitis interpellat, non æſtus fatigat, non frigus conſtringit, non febris dejicit, non mors finit. Ad illam perfectiſſimam laudem exerceamus nos laudatione iſta in bonis operibus. " Ipſa eſt actio tecti itineris quæ oculos ſemper habet ad Dominum. Talis actio nec frangitur negotiis, nec frigida eſt otio, nec turbulenta, nec marcida eſt; nec audax, nec fugax; nec præceps, nec jacens.

S. Aug. Epiſt. 46. alias 81. Ad Eudoxium.

S. Chryſoſt. Hom. 25.

32. 33. *Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei.* Caritas nos omnibus debitores facit, nos cautos & attentos reddit, ne tot & tam variæ indolis, conditionis & profeſſionis hominum judiciis & cenſuris expoſiti quemquam offendamus, cuiquam lapſus & ſpiritualis ruinæ occaſionem præbeamus. *Nam ſi ſumus lux, & fermentum, & luminaria, & ſal; illuminare, non tenebras offundere oportet; conſtringere, non diſſolvere, ad nos ipſos attrahere infideles, non fugare.* Id autem exemplo ſuo confirmat Apoſtolus, ſe ipſum proponens in exemplum 1. Pacificæ converſationis: *Sicut & ego per omnia omnibus placeo.* 2. Fructuoſæ operationis: *Non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis.* 3. Rectæ intentionis: *Ut ſalvi fiant.* Felix Prædicator cujus converſatio amabilis, operatio utilis, intentio ſalubris! Aliis placere velle, vel in bonis, ob propriam utilitatem temporalem, ignobilis & avara adulatio eſt. In malis blandiri ex timiditate, ignava & crudelis aſſentatio eſt: omnibus placere ut veritas bonumque virtutis placeat; omnium ingeniis ſe accommodare, omnium infirmitatibus condeſcendere propter Chriſtum, ad omnium æternam ſalutem procurandam, Chriſtianæ & Apoſtolicæ caritatis eſt. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.* „ Adulatores non alienam utilitatem quærunt, ſed propriam; immo nec propriam quidem: ſibi enim ante alios exitium afferunt, „ ait Theodoretus.

S. Thomas, Lect. 7.

Quo modo omnibus placendum?

Adulatores ſibi ipſis exitium efferunt.

CAPUT XI.

Senſus Litteralis.

1. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Imitatores mei eſtote, in eo præſertim quod omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant, ſicut ego Chriſti ſum imitator; qui *non ſibi placuit*, ſed *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*

Rom. 15. 3. 1. Tim. 2. 6.

2. *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Laude illos diſponit ad ſequentem admonitionem obedienter ſuſcipiendam. Laudem autem illam ad Corinthios omnes pertinere non permittit Apoſtoli veracitas, ſed ad bonos dumtaxat & pios. Laudo vos, quod omnium, quæ mea ſunt, memores ſitis, & præcepta mea, inſtituta, traditiones, ſive quæ fidei doctrinam ſpectant & dogmata, ſive quæ morum diſciplinam & Eccleſiaſticam politiam, non ſolum memoria teneris, ſed ſummo ſtudio obſervatis. *Ergo & ſine ſcripto multa tunc illis tradebat, quod etiam multis aliis in locis indicat.* Hinc adverſus Hæreticos traditionum impugnatores, & ſolam admittentes Scripturam ut regulam fidei & morum, invictum ducitur argumentum.

Traditiones Apoſtolicæ.

S. Chryſoſt. Homil. 26.

3. *Volo autem vos ſcire*, id eſt, certo tenere & perſuaſum habere, *quod, omnis viri caput Chriſtus eſt*, ratione præcellentiæ, poteſtatis & dominii, quia omnia ſubjecta ſunt ei, & in hoc mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur. *Caput autem mulieris*, non ſolum nuptæ, ſed etiam innuptæ, id eſt, totius ſexus, *eſt vir*, ratione præcellentiæ & regiminis. *Caput vero Chriſti*, ut hominis & mediatoris, *Deus*. Si enim mentem recte „ dicimus principale hominis, id eſt, tamquam caput humanæ ſubſtantiæ, cum ipſe homo cum mente ſit homo, cur non multo congruentius, multoque magis Verbum cum Patre quod ſimul Deus eſt, caput eſt Chriſti, quamvis Chriſtus homo niſi cum Verbo quod caro factum eſt, intelligi non poſſit? Hunc locum contra Arianos, qui eo abutebantur ad probandum Chriſtum eſſe creaturam, ſic urget Theodoretus, Chriſtus noſtrum caput eſt, non quatenus eſt Deus, ſed quatenus homo: Corpus enim ejus dicimur. Oportet autem caput eſſe ejuſdem generis cum corpore. Quod ad humanitatem ergo attinet, noſtrum eſt caput: ergo & ſecundum hanc ejus caput Deus eſt. Quod ſi volunt hoc etiam dictum eſſe ſecundum divinitatem, ſciant quod quemadmodum noſtrum, qui naturam humanam habemus, & in ipſum credimus, ſecundum humanitatem, caput dicitur, ſecundum hanc quippe eſt ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ: ita Pater, qui ejus caput appellatur, eamdem eum eo ſubſtantiam indicat, & eſt ipſe ſecundum divinitatem quidem ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, ejuſdem autem nobiſcum ſecundum humanitatem.

Chriſtus ut homo, caput noſtrum.

Rom. 14. 9. 1. Cor 15. 27.

S. Aug. l. 6. De Trinit. c. 9.

Theodoret. in hunc locum.

Chriſtus ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ ſecundum divinitatem, & ejuſdem nobiſcum ſecundum humanitatem.

4. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.* Omnis vir orans in Eccleſia, aut Scripturæ ſacræ, maxime vero Prophetarum reconditos ſenſus exponens, vel occulta quædam auditoribus proferens ſancti Spiritus afflatu, ſeu latentia quædam myſteria, aut res futuras Deo revelante prænuntians operto capite, dedecorat caput ſuum, quia ſubjectionis ſignum illi imponit. Diſcooperto enim capite in publicum prodire, ſymbolum eſt libertatis, dignitatis & dominii. Ceterum tecto aut diſcooperto capite Sacra facere, & orare, non uniformis fuit apud Gentes uſus. Judæi tecto orant capite in Templo, metuentes ne ipſi minus digni Majeſtatem Dei conſpicerent. *a* Apud Græcos mos fuit Sacra facere capite diſcooperto. *b* Romani tecto capite Sacris operabantur & interrant. *c* S. Paulus Græcis Corinthiis ſcribens Græcum præfert morem, & rationes addit quales pro negotii natura ſuggeſſit Spiritus ſanctus. Ex Apoſtoli præſcripto hunc morem Chriſtiani veteres perpetuo tenuerunt. Unde Tertullianus ait; *d Illuc, ſcilicet in cœlum, ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore, oramus*, &c.

a Maimonides in Miſna. Lightfoot. Horis Hebraic. in hunc locum. b Macrob. 1. Saturnal. c. 8. & 10. & lib. 3. c. 6. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 1. Plutarchus in Rom. Quæſt. 1. c Virgil. 3. Æneid. & in eum Servius. Aurel. Victor. in Breviar. Plutarch. d Tertull. Apolog. cap. 30. Joel. 2.

5. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: unum enim eſt ac ſi decalvetur.* In Eccleſia primitiva fuerunt etiam mulieres Propheteſſæ ut Philippi unius e ſeptem primis Diaconis filiæ virgines, & aliæ permultæ, chariſmatis Spiritus ſancti ſuper utrumque ſexum effuſis, ſecundum Joelis vaticinium; *Prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ.* Uſurpatur & prophetandi vox pro *Deum laudare, in Hymnis & Pſalmis* 1. Reg. 5. 10. & 1. Paralip. 25. 1. 2. & hoc ſenſu apte junguntur *orare & prophetare* & hoc loco, & cap. 14. hujus Epiſtolæ Verſ. 15. Vetat igitur Apoſtolus mulierem ſeu nuptam, ſeu virginem, aut viduam uſquam deponere velamen capitis, maxime vero cum orant in Eccleſia, aut in privatis feminarum cœtibus aut collegiis Pſalmos Deo canunt, aut etiam cum ex afflatu & impulſu Spiritus ſancti futura prædicunt quæ hoc donum a Deo accepere. Caput enim ſuum denudando dedecorant, quia velum abjiciunt, quod modeſtiæ & ſubjectionis ſymbolum eſt. Multis autem tam turpe eſt nudato capite prodire in publicum, quam indecorum eſſet raſo capite incedere; ſiquidem capilli pro velamine naturali illis dati ſunt, ut Apoſtolus noſter inferius docet.

6. *Nam ſi non velatur mulier*, velo artificiali quo caput ejus obtegatur & quod ſubilitur in ſignum pudoris,

doris, *tondeatur*, amoveat & velamen illud capillorum a natura datum. *Si vero turpe eſt mulieri tondere, aut decalvari, velet caput ſuum.* Nam ſicut natura dedit ei crines pro velamine, ita ratio & honeſtas poſtulant ut velo artificiali caput ſuum obtegat. Hinc perſpicuum eſt, ſemper turpe eſſe mulieri caput ſuum nudare, quia ſemper illi turpe eſt raſo capite incedere, non ſolum in Eccleſia, & orationis vel prophetiæ tempore. Per deductionem igitur ad abſurdum muliebri ſexui pudorem incutit. Verum, inquies, quomodo cedit in dedecus mulieris nudo capite prodire in publicum, quæ hoc modo ad virilem potius gloriam aſcendit? Immo (inquit S. Joannes Chryſoſt.) non aſcendit, ſed a ſuo honore excidit. Intra ſuos enim fines & leges a Deo latas non manere, ſed eas tranſgredi, non eſt incrementum, ſed detrimentum. Quomodo qui aliena concupiſcit, & rapit quæ non ſunt ſua, non plus accipit, ſed detrimento afficitur apud Deum, ut primis parentibus in paradiſo accidit. Mulier ergo velum capitis abjiciens non conſequitur viri nobilitatem, sed ſui ſexus amittit honeſtatem.

S. Chryſ. Hom. 26. Theophyl. Oecumenius.

7. *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt.* Vir imago Dei, & Deus in illo ceu in opere perfectiſſimo gloriatur, aut gloriari poteſt. Sive, eſt imago in qua Dei gloria, majeſtas, & dominium ſplendidius elucent. Eſt enim dominus omnium poſt Deum ab ipſo conſtitutus, illique immediate ſubjectus. Oportet ergo eum qui princeps eſt omnium quæ ſunt in terra, & ipſius quoque mulieris, ad Deum accedere, & in publicum prodire cum inſignis libertatis, detecto ſcilicet capite, non velato. Mulier vero gloria viri eſt, qui neque in ea gloriatur tamquam in opificio ex ſe & propter ſe facto, tamquam in adjutorio ſimili ſibi. Quæ tametſi quoad mentem, liberum arbitrium, juſtitiam, ſanctitatem ad imaginem Dei condita æque fuerit ac vir, tamen quoad dominium. Unde non imago Dei, ſicut vir, ſed imago imaginis Dei, ſcilicet viri, a Græcis commentatoribus appellatur. Quamquam enim mater-familias ſuæ familiæ imperet, id tamen præſtat viri nomine, cui ſubjecta eſt. Et hac ratione dicitur gloria viri, ſicut ſubditi dicuntur gloria Regis ratione ſubjectionis. Propterea velanda eſt mulier, ut capitis velamine ſubjectionem ſuam profiteatur.

Mulier ſine velo in publicum prodire non debet; quod Symbolum ſubjectionis eſt.

8. 9. *Non enim vir ex muliere eſt*, in prima rerum creatione, *ſed mulier ex viro* condita eſt, Deo coſtam e latere Adami dormientis ſublatam ædificante in mulierem. *Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*, ut illi adjutrix eſſet ad vitæ ſocietatem & prolis propagationem. Illum igitur colere debet ut dominum, ſuæque ſubjectionis ſymbolum velameo perpetuo ſuper caput gerere.

Geneſ. 2. 21.

10. *Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.* Has ob cauſſas debet habere ſuper caput ſignum poteſtatis quam in illam vir habet. Signum autem virilis imperii ſub quo eſt mulier, eſt velamen quo caput ejus obtegitur & obumbratur, ſicut illa viri poteſtate, tutela, patrocinio. Accedit & alia ratio cur velatæ ſemper mulieres eſſe debeant, ſed maxime in ſacris fidelium cœtibus, nempe Angelorum præſentia, quæ maximam ipſis reverentiam, modeſtiam, & pudorem inſpirare debet. Quin etiam propter Sacerdotes ſacris operantes, quos honorifico Angelorum nomine Propheta * deſignat, velatæ eſſe debent; vel propter juſtos & probos viros, ne decore ſuo libidinis invitatore illis offendiculo ſint.

** Malach. 2. 7. Clemens Alexand. lib. Hypotyp. Theophyl. Oecumenius.*

11. 12. *Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino.* Nihilominus mutua ope indigent vir & mulier in liberorum procreatione & educatione, reique familiaris procuratione ſecundum regulas Chriſtianæ Religionis in qua, & in ſalutis negotio, pares ſunt, tametſi ſexu, dignitate, juribuſque diſpares. *Nam ſicut mulier de viro* primum condita eſt; *ita & vir per mulierem*, jam conſtituto rerum ordine, in lucem editur: *Omnia autem ex Deo*, tam viri quam mulieres Deum ut principium & auctorem agnoſcere debent; qui & viri imperium, & mulieris ſubjectionem inſtituit, diſpoſuit, ordinavit.

13. *Vos ipſi judicate: Decet mulierem non velatam orare Deum?* Vos ipſi perpendite & taciti judicate, num deceat mulierem in publicos Eccleſiæ Conventus ſine velo procedere Deum oraturam.

14. 15. *Nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi. Mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt?* Nonne ipſa naturalis inclinatio cuique ſexui propria vos docet indecorum eſſe viris prolixam comam alere, ornare, comere, in cincinnos flectere, convolvere & religare in capite more muliebri? Mulierem vero decere comam promiſſam, & formam ejus commendare; nam coma pro velamine data eſt ei, ad innuendum ſcilicet eam velamine altero indigere? Ut non ea natura ſolum, ſed etiam voluntate ſubjectionem, humiliationem & pudorem profiteatur. Nam quod te oporteat caput operire, o mulier, etiam prior natura legem ſtatuit: adde ergo & quæ tua ſunt, ne videaris cum natura pugnare.

S. Chryſoſt. Hom. 26.

16. *Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Si quis prolatis a me rationibus non cedit, ſed diſputare amat & verbis contendere, nos conſuetudinem non habemus contendendi, ſed Magiſtrorum præcepti, naturæ legi, conſuetudini populi Dei abſque contradictione obtemperandi. Nec Eccleſia contentiones amat, ſed veritatem doctrinæ ac diſciplinæ filiis ſuis ſimpliciter tradit & exponit. Vel, nos Apoſtoli, quorum inſtituta ſequi debetis, hanc non habemus conſuetudinem, ut mulieres orare vel in publicum prodire diſcooperto capite permittamus. Vel, nos Judæi, a quibus Evangelium ad vos Gentiles pervenit, quorum proinde bonas conſuetudines vos imitari convenit, talem morem non habemus. Apud nos enim feminæ ſemper velatæ in publicum prodeunt. Nec Synagogæ ſolius, ſed & Eccleſiæ Dei hæc conſuetudo eſt. Græcus Textus habet, *οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ. Neque Eccleſiæ Dei*, toto orbe diſperſæ.

17. *Hoc autem præcipio; non laudans, quod non in melius, ſed in deterius convenitis.* Vos laudare non poſſum in eo quod modo ſum vobis auctoritate Apoſtolica denunciaturus: ſcilicet quod veſtri conventus non ad profectum ſpiritualem & mutuam ædificationem, ſed ad detrimentum animarum cedunt. Vos, inquam, non laudo, quod meo præcepto opus habeatis ad conventuum veſtrorum vitia emendanda.

18. *Primum quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo.* Cum in eam domum convenitis, in quam Eccleſia ſeu fideles cauſa Religionis congregantur, audio inter vos eſſe ſchiſmata, & diſſidia, & partem credo eorum quæ mihi de vobis narrata ſunt? vel, de quibuſdam veſtrum hæc credo, non de omnibus. Oriebantur hæc diſſidia occaſione Agapum ſeu conviviorum charitatis. Statis ſcilicet diebus peracta Synaxi, poſt Sacramentorum Communionem commune inſtruebatur convivium, divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem & qui nihil habebant, etiam vocatis, & ſimul veſcentibus fratrum inſtar. Pia autem illa conſuetudo corrumpi cœperat ratione factionum & ſtudiorum contrariorum. Digreſſo enim Paulo, divites qui Doctores ſuis aptos ingeniis ſibi adſciverant, cum illis epulas lautiores habebant, ſpretis pauperibus. Ita convivia illa Chriſtiana, quæ fomenta erant caritatis, ſolatia paupertatis, doctrina humilitatis, in luxum & oſtentationem degeneraverant emendatione dignam.

S. Chryſoſt. Homil. 27.

Diſſidia inter Corinthios occaſione conviviorum caritatis.

19. *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis:* Non mirum quid inter vos animorum diſſidia ſint occaſione menſarum & conviviorum, loci & temporis accumbendi; ſiquidem oportet etiam hæreſes eſſe, quæ multo graviora mala ſunt: hæreſes, inquam, eſſe neceſſe eſt, ſpectata ſatanæ malitia, hominum perverſitate, ſuperbia, inconſtantia, & propenſione ad novitates. Deus autem has oriri permittit, ut qui Probati ſunt fidei ac pietatis, ſeu qui ab ipſo Deo electi, manifeſti fiant inter vos, cum ſe opponunt doctrinarum corruptelis, nec ab unitate recedunt, fidei ſinceritatem cum caritate retinentes. His verbis, *ut & qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis*, alludit Apoſtolus ad probationem auri per ignem.

Cur Deus hæreſes eſſe permittat?

20. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare.* Cum ergo in eumdem cœtum convenitis, quod a vobis inſtituitur convivium poſt ſacrorum Myſteriorum participationem ſeu poſt Communionem Euchariſtiæ, cœnam Dominicam non repræſentat. Dominus enim cum Diſcipulis ſuis ſervuſque ſuis in eadem Menſa accubuit, iiſdemque cibis uſus eſt. Vos autem, pauperes fratres & commenſales veſtros a menſis & epulis veſtris excluditis. Hæc Apoſtoli verba, *cœnam Dominica*, pro Cœna Sacramentali, ſive pro Euchariſtia non ſupponunt. In ea enim contingere non poterant quæ hic memorantur & reprehenduntur, ſcilicet quod alii alios non exſpectarent (quia in poteſtate erat Sacerdotum non prius inchoare Myſteriorum celebrationem, quam omnes convenirent) nec quod alii laute, alii tenuiter tractarentur; quod alii eſuri-

S. Joan. Chryſ. Homil. 27. Theophyl. Oecumenius, Sedulius.

Digitized by Google

S. Auguſtin. Epiſt. 54. alias 118. ad Januarium. Theod. Oecumen. S. Thomas in Comment.

eſurirent, alii ebrii eſſent. Contraria tamen Expoſitio, quæ hæc verba, *Dominicam cœnam manducare*, ad Euchariſtiam refert, magnis nominibus nititur, S. Auguſtini, Theodoreti, Oecumenii, S. Thomæ, ſecundum quos Apoſtolus ab Euchariſtica Menſa ducit argumentum ad luxum & faſtum menſarum communium reſecandum & emendandum. *Dominicam cœnam*, inquit Theodoretus, *vocat Sacramentum Dominicum. Illius enim omnes ſunt æque participes, & qui in paupertate degunt, & quibus divitiæ abundant, & Domini & ſervi, & Principes, & qui eorum parent imperio. Oportebat ergo*, inquit, *& communes menſas eſſe communes, & imitari dominicam, quæ eſt omnibus ex æquo propoſita: nunc autem non ita facitis.*

21. *Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Unuſquiſque enim veſtrum, qui capita familiarum eſtis, & divites, cum familiaribus ſuis, commenſalibus, amicis, inſtructæ in Eccleſia ſeu domo conventus deſtinata ad ſacros menſæ aſſidet, ac allatos e domo ſua cibos manducat, non invitatis, ſed excluſis pauperibus. Et alius quidem, ſcilicet pauper, eſurit, nihil habens quo famem expleat; alius autem ſcilicet dives, laute epulatur ad ſatietatem uſque.

22. *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Si cœnam privatam facere vultis, non communem, ſi convivia, ad luxum & oſtentationem, non ad ſolatium pauperum inſtruere, numquid domos non habetis privatis epulis opportunas? Summæ certe irreverentiæ eſt in loco Sacris celebrandis dicato id facere. An cœtum fidelium in Dei nomine congregatorum contemnitis, pauperes, qui nihil attulerunt, pudore & probro in conſpectu Eccleſiæ afficientes, & illis ob inopiam veluti inſultantes? *Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.* Quid ea de re amplius vobis dicam? Etſi in aliis laudare vos poſſum, & jam ante laudaverim, in hoc tamen facto quo Dominicam cœnam dedecoratis, a charitate Chriſti degeneres, cujus Menſæ accumbunt ſimul in unum dives & pauper, & uno pane cœleſti reficiuntur, ſacro ſcilicet illius corpore, in hoc (inquam) facto, quo pauperes a cœna veſtra excluditis, vos laudare non poſſum.

23. 24. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*

Communio Euchariſtica.

A doctrina enim mea, immo a doctrina Chriſti deficitis, Euchariſtiæ communione vos reddentes indignos, illiuſque fructum ſalutiferum in vobis impedientes epularum luxu, ſuperbia, intemperantia, pauperum injuria, Eccleſiæ Dei contemptu. Quod enim ego didici non ab hominibus, ſed a Chriſto Domino per revelationem*, id ipſum integre, fideliter, ac ſincere vos docui, five ſcripto primum, jam vero per Epiſtolam, ad perpetuam tanti Myſterii memoriam.

Galat. 1. 12.

Euchariſtia verum Chriſti corpus, non mera figura corporis.

Dominus Jeſus ipſa nocte qua in mortem traditus eſt a Juda & Judæis, cœna legali facta, poſt eſum Agni Paſchalis, accepit panem, & cum gratias egiſſet Patri pro beneficiis in ſe & in corpus ſuum Myſticum collatis, maxime vero pro Sacramento mox inſtituendo, *fregit, & dixit* Diſcipulis ſuis, qui ſoli cum ipſo recumbebant; *Accipite & manducate; Hoc* quod vobis do manducandum eſt corpus meum, non merum ſignum & vacua figura corporis, ſed verum corpus, quod pro vobis mox tradendum in mortem eſt, ſeu (ut habet Græcus Textus) ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *quod pro vobis frangitur*, propter ſpecies quæ franguntur; vel quod mox graviſſimis cruciatibus contundendum, lacerandum & confringendum pro vobis eſt in paſſione & in cruce. Hoc quod ego nunc facio, quodque vos, me jubente, facitis, id a vobis & ſucceſſoribus veſtris, ceteriſque fidelibus reſpective fieri jubeo in paſſionis mortiſque meæ commemorationem. „ His verbis Apoſtolos ſuos
„ Novi Teſtamenti Sacerdotes Chriſtus conſtituit,
„ eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent
„ præcepit, quemadmodum Eccleſia Catholica ſemper intellexit & docuit.

Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 1.

Ad Apoſtolos igitur pertinent hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, quatenus offerendi Sacrificii corporis & ſanguinis Chriſti poteſtatem ipſis & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus tribuunt. Ad omnes fideles nihilominus referuntur, quatenus præceptum accipiendi & edendi corpus Chriſti in memoriam paſſionis ejus includunt.

Chriſtus Apoſtolos ſuos Novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituit.

Euchariſtia porro ſacrificium commemorationis mortis Chriſti, ſimul & redemptionis ac propitiationis eſt, quo corpus ejus pro nobis in cruce immolatum, & ſanguis pro nobis effuſus in remiſſionem peccatorum offeruntur Deo, & virtus paſſionis ac mortis ejus nobis applicatur ab ipſomet Chriſto ſacerdote & victima, ſeipſum per Sacerdotis miniſterium offerente. *Quoties ergo hujus Hoſtiæ commemoratio celebratur, toties opus noſtræ redemptionis exercetur*, ut loquitur Eccleſia in Orationibus Liturgicis.

25. *Similiter & calicem*, id eſt, ſimili ritu & ordine ſervato, *poſtquam cœnavit*, poſt cœnam legalem, accepit in manus ſuas poculum myſticum, *dicens: Hic calix Novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Metonymia eſt continentis pro contento. *Hic calix*, id eſt, quod hoc calice continetur, eſt ſanguis meus, quo Novum Teſtamentum, ſeu novum fœdus ſancitur & confirmatur, uti et vetus per brutorum animalium ſanguinem. Chriſti Teſtamentum evertunt, qui figuram vacuam ſanguinis Chriſti, pro vero ejus ſanguine, quod pretium noſtræ redemptionis eſt, ſubſtituunt Hæretici. *Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.* Hoc in mei memoriam facite quoties illum bibetis, recolite quod ille ipſe Sanguis quem bibitis in Sacramento, pro veſtra & omnium hominum redemptione ſit effuſus in paſſione & cruce mea. Non dicit abſolute de calice, *Hoc facite*, quaſi Chriſtus præcipiat omnibus communionem Sanguinis ſui ſub ſpecie vini; ſic abſolute præcepit omnibus Communionem corporis ſui ſub ſpecie panis; ſed Spiritu ſancto dictante addidit verba determinantia, *quotieſcumque bibetis.*

26. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quotieſcumque manducabitis panem hunc Euchariſtiæ, Chriſti carnem quæ vere cibus eſt, & panis vivus ac vivificus, ſanguinem qui fluxit ex ejus latere, bibetis in calice, mortis Domini commemorationem facientis uſque ad ſecundum ejus adventum.

Indigna & ſacrilega Communio.

Tamdiu durabit in Eccleſia incruentum corporis & ſanguinis Chriſti Sacrificium. Mors Domini annuntiatur & repræſentatur jugi Euchariſtiæ Sacrificio; cum offertur, immolatur, & ſiſtitur reipſa & ſubſtantialiter præſens Chriſti corpus vi verborum ipſius Chriſti a Sacerdote prolatorum, velut exſangue & mortuum ſub ſpecie panis; & ſanguis ſeorſim in calice velut gladio verborum effuſus, ſub ſpecie vini. Mortem etiam Chriſti annuntiat & in memoriam revocat corporis & ſanguinis Chriſti Communio ſub alterutra ſpecie.

27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Quicumque panem hunc, qui Chriſti Domini corpus eſt, indigne manducaverit, aut ſanguinem ejus, qui in calice eſt, indigne biberit, reus erit corporis & ſanguinis Domini violati. Disjunctiva particula, *vel*, ab Apoſtolo conſulto adhibita, corpus & ſanguinem Chriſti ſub alterutra ſpecie ex æquo contineri ſignificat; ſiquidem perinde reus eſt corporis & ſanguinis Domini, qui Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis ſumit, ut ſolebant abſtemii, ægri, & quicumque in domos ſuas illam ferebant opportuno tempore ſumendam, vel ad quos in infirmitate ferebatur, ne ſine ſalutari Viatico decederent. Indigne porro manducat vel bibit, qui ad tremendam Menſam accedit reatum aut affectum peccati mortalis gerens, Chriſto inimicus, nec nondum ei reconciliatus.

28. 29. *Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quamobrem unuſquiſque conſcientiam ſuam diſcutiat & exploret num digne diſpoſitus ſit ad panis illius vivifici, corporis ſcilicet Chriſti manducationem, ſacramentalem ſimul & ſpiritualem, & ad pretioſi ſanguinis participationem. Pœnitentiæ Sacramento conſcientiam ſuam expurget... „ Eccleſiaſtica enim conſuetudo decla-
„ rat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus
„ ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi
„ contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali
„ Confeſſione ad Euchariſtiam accedere debeat:
„ quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacer-
„ dotibus quibus ex officio incubuerit celebrare,
„ perpetuo ſervandum, modo illis non deſit copia Confeſſarii, ſacra Synodus Tridentina decrevit.

Concil. Trid. Seſſ. 13. c. 7.

Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Hæc Myſteria convenienti religione non tractans, nec ad ea pura conſcientia accedens, & ab omni reatu & affectu mortalis peccati libera, damnationem æternam in ſe arceſſit, Corpus Domini a cibis communibus & profanis non diſcernens, ſed perinde ad illud ſumendum accedens conſcientia non diſcuſſa, nec purgata, ut ad vulgares cibos, quibus mortale corpus alitur. Ex his invicte probatur realis & ſubſtan-

Realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia.

Digitized by Google

ſtantialis præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia. Unde Sanctus Juſtinus Martyr exponens Imperatoribus quæ in ſacris Conventibus Chriſtianorum aguntur, ſcribit: *Ei qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum univerſarum Patri, per nomen Filii & Spiritus ſancti offert, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem abſolvit, populus qui adeſt omnis fauſta approbatione acclamat, dicens: Amen. Amen autem voce Hebræa, Fiat, ſignificat. Præſidens vero poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus univerſus adprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia: quod nulli alii participare licitum eſt, quam veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluti, & ita, ut Chriſtus tradidit, viventi. Non enim ut communem panem, neque ut communem potum, iſta ſumimus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe docti ſumus. Nam Apoſtoli in commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum. Eum enim pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe:* „Hoc facite in „mei recordationem: Hoc eſt corpus meum. *Et* „*poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis, dixiſſe:* „Hic eſt ſanguis meus: *ac ſolis ipſis ea tradidiſſe.*

S. Juſtinus M. Apologia ad Impp. quaſe-cunda inſcribitur.

30. 31. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Ideo plurimi inter vos, qui ſacram Euchariſtiam indigne ſumpſerunt, gravibus morbis laborant, & valetudinarii ſunt ac languidi, & ſatis multi immatura morte rapiuntur. *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Si noſmetipſos probaremus diſcutiendo conſcientiam noſtram, confitendo, redarguendo & puniendo peccata noſtra, non puniremur a Domino, ſive in hoc ſæculo, ſive in futuro, ſed præſentia & futura ſupplicia effugeremus.

32. *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Dum punimur in hac vita morbis, languoribus, morte, in peccatorum expiationem acceptis, quorum nos ſincere pœnitet: a Deo corripimur, erudimur, caſtigamur, ut pueri a patre vel præceptore, ne cum infidelibus, impiis, & reprobis æterna morte damnemur.

33. *Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate.* Cum ad Agapem ſeu cœnam caritatis poſt Euchariſtiæ Communionem convenitis, divites exſpectent pauperes, nec cœnam apparent & ſumant ipſis non invitatis, immo ſpretis, quod maxime caritati adverſatur, & injuriam infert myſtici Corporis Chriſti unitati, in quo *ſimul in unum dives & pauper.*

34. *Si quis eſurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis.* Si quis fame adeo premitur ac debilitatur ut permanere jejunus non poſſit donec omnes in Eccleſiam convenerint, manducet ſive prægustet aliquid domi, ut facilior ſit ipſi cœnæ communis exſpectatio: ne ea quæ in conventibus veſtris perperam fiunt contra caritatem & ſobrietatem, Dei vindictam in vos arceſſant. *Cetera autem, cum venero, diſponam.* Cetera quæ ſpectant dignum Myſteriorum celebrationem, & conventuum Eccleſiaſticorum ordinem ac diſciplinam, conſtituam ac ſigillatim præſcribam, cum ad vos venero. *Unde intelligi datur,* ait S. Auguſtinus (*quia multum erat, ut in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia*) *ab ipſo ordinatum eſſe quod nulla morum diverſitate variatur.*

S. Aug. Epiſt. 54. alias 118. Januarium.

CAPUT XI.

Senſus Moralis.

S. Chryſoſt. Hom. 25.

1. I*Mitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Hæc eſt perfecti Chriſtianiſmi regula, ea quærere quæ proximorum ſpirituali bono, & ſaluti conducibilia ſunt & opportuna. Nihil enim æque facere poteſt imitatorem Chriſti, ac proximorum curam gerere. Si jejuniis, humi cubationibus, cineris conſperſione, cilicio, aliiſque mortificationibus carnem maceraveris, proximi autem tui curam non geras, a

Deus ſalutem noſtram cum ſtudio ſalutis proximo tam

Chriſtiana perfectione longe abes, cujus vinculum eſt caritas. Nam, ut alibi ſcribit Apoſtolus noſter, *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Vides quantum a nobis poſtulet S. Paulus. At qui bona ſua pauperibus diſtribuit, non quærit quod eſt ſuum, ſed quod proximi. Sed hoc ſolum non ſufficit. Nam ingenue & ſincere hoc vult fieri, & cum magna commiſeratione. Cum ergo ille quidem tantam exigat menſuram, nos autem ne quod minimum quidem eſt exhibuerimus, quanam erimus digni venia? Ad proximorum igitur ſalutem procurandam non Abrahami ſolum & Moſis, ſed Pauli, imo & Chriſti Domini exempla excitemur, Dei ordinatione, qui ſalutem noſtram cum ſtudio ſalutis proximi ita conjunctam eſſe voluit, ut ſi ſalutis proximorum nullam curam habuerimus, & vitio noſtro, ſeu dato a nobis ſcandalo pereant, ſalvi eſſe non poſſimus.

conjunctam eſſe voluit.

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Chriſtus eſt primordiale exemplar, quod omnes creaturæ imitantur tamquam veram & perfectam imaginem Patris. Unde dicitur Coloſſ. 1. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt univerſa.* Speciali tamen quodam modo exemplar eſt gratiarum quibus ſpirituales creaturæ donantur. Unde Pſalm. 109. dicitur Filio a Patre æterno: *In ſplendoribus ſanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Quo ſignificatur oraculo, Chriſtum eſſe exemplar omnium gratiarum & virtutum quæ in Sanctis omnibus ſplenduerunt. Divinum autem illud exemplar prius erat a nobis valde remotum, ſecundum illud Eccleſiaſtici 2. *Quid eſt homo, ut ſequi poſſit Regem factorem ſuum?* Et ideo homo fieri voluit, ut hominibus exemplum præberet. Unde S. Auguſtinus ait: *Quo perverſitatis non caret, qui dicta & facta illius hominis intuetur, diligit, & ſectatur, in quo ſe nobis ad exemplum vitæ præbuit Filius Dei?* Et ſicut divinitatis ejus exemplar primo quidem imitantur Angeli, ſecundario vero reliquæ creaturæ, ut ait S. Dionyſius lib. *De cœleſti hierarchia:* ita humanitatis exemplar principaliter quidem imitandum proponitur Prælatis Eccleſiæ tamquam Superioribus. Unde Dominus Apoſtolis ait: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Deinde vero ipſi Prælati informati exemplo Chriſti, proponuntur exemplar vitæ ſubditis, ſecundum illud 1. Petri cap. ultimo, *Forma facti gregis ex animo.* Et Apoſtolus noſter: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Non ait ſimpliciter & indefinite, *Imitatores mei eſtote,* ſed addit, *ſicut & ego Chriſti:* quia ſubditi Prælatos ſuos in omnibus imitari non debent, ſed in iis ſolum in quibus Chriſtum imitantur, qui eſt indeficiens ſanctitatis exemplar.

S. Thomas. Lect. 2.

Chriſtus omnium ſanctorum exemplar.

S. Aug. lib. De Agone Chriſtiano. cap. 11.

Joan. 13.

2. *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Gaudere quod in hominum memoria & exiſtimatione ſimus, quod ab iis colamur & diligamur, propter nos, amoris proprii & vanitatis eſt: ea de re gaudere propter Deum, ut eos ad Dei amorem & legis ejus dilectionem & obſervantiam trahamus, pietatis & caritatis eſt. Sic enim Deum & ejus legem magis quam nos ipſos diligimus. Ita affectus erat Apoſtolus noſter. Poſtulat enim caritas ut ejuſdem Apoſtoli exemplo Præpoſiti laudent interdum ſubditos in bonis quæ agunt, tum ut patienter correptiones ferant, & ex iis proficiant, perſuaſum habentes non ex moroſitate aut amaritudine animi, ſed ex ſincero deſiderio procurandæ gloriæ Dei, & ſalutis ipſorum illas adhiberi: tum ut ad perſeverandum in bono & melius agendum excitentur qui bene cœperunt, ceterique ad illorum imitationem accendantur.

Subditi a Præpoſitis interdum laudandi in bonis quæ agunt.

3. *Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput vero Chriſti, Deus.* Reverentia & obedientia quam æterno Patri Chriſtus in omnibus exhibuit, exemplar eſt & forma reverentiæ & obedientiæ quam vir Chriſto, & mulier viro debent. Chriſtus omnia Patri ſuo æterno accepta refert, vitam ſuam divinam, magnitudinem, & gloriam ſuam. Vir omnia ſua ad Chriſtum referre debet, ut ad principium, in quo renatus eſt ſpiritualiter per baptiſmum, ut ad Dominum, a quo emptus pretioſo illius ſanguine; ut ad liberatorem, a quo ereptus eſt a tyrannide diaboli, a ſervitute peccati: ut ad exemplar, ad quod formatus, & ſecundum quod reformandus eſt. denique ut membrum, ad caput. Mulier vero virum revereatur, eique obediat ut principio, ex quo formata; ut directori, cujus conſilio & prudentia regenda eſt: ut domino, cui a Deo ſubjecta: ut capiti deni-

Omnia noſtra referre ad Chriſtum debemus.

Mulieris erga virum reverentia & obedientia. 1. Petri 3. 6.

Digitized by Google

denique Chriſtum repræſentanti. Sic ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ſubjectæ erant propriis viris. *Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* Confer cum Epheſ. 5. 22. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris:* ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.

Modeſtia in cultu & habitu fœminis ſervanda.

5. 10. *Omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.* Mulier quæ immodeſto ornatu formoſa vult videri & hominibus placere, coram Deo turpis eſt. Quæ in Eccleſiam immodeſto habitu oratura procedit, Dei Miniſtris offendiculum ponit, laqueum objicit. Hos ſi non reveretur, quos Angelorum nomine Deus honorat in Eccleſia; timeat ſaltem & revereatur cœleſtium Angelorum poteſtatem, qui fidelium orationibus præſunt, & ſanctitatis altarium ac ſacrorum Miniſtrorum zelatores adſunt & vindices. Nec tamen in Eccleſia ſolum, ſed in omni loco modeſtus eſſe debet mulierum cultus & habitus. In publicum procedere nunquam debent niſi velatæ. Hanc illis modeſtiam natura, Scriptura, diſciplina imperant. *Scriptura legem condit, natura conteſtatur, diſciplina exigit. Dei eſt Scriptura, Dei eſt natura, Dei eſt diſciplina. Quicquid contrarium eſt iſtis, Dei non eſt. Si Scriptura incerta eſt, natura manifeſta eſt, & de ejus teſtimonio Scriptura incerta non poteſt eſſe. Si de natura dubitatur, diſciplina quid magis Deo gratum ſit, oſtendit. Nihil eſt illi carius humilitate, nihil acceptius modeſtia, nihil pretioſius gloria, & ſtudio hominibus placendi.* Ut quid oſtentabit *mundinatitia ſupita*, ſi caſtæ ſunt? Ut quid meretricio incedunt habitu, ſi honeſtæ? Ut quid rejiciunt velamen capitis, ſuæ ſubjectionis & ſervitutis indicium, ſi Chriſtianam humilitatem profitentur? Ut quid viros naturalibus & adſcititiis capitis & vultus ornamentis impellant in ſuitam? *Non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Quæ viro data eſt a Deo in adjutorium, qua fronte ille illi laqueas, occaſio peccati, ſalutis impedimentum? „ Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus. Quid igitur excitas in te malum iſtud? Quid invitas, cujus te profiteris extraneam? Tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam, quod Deus a ſuis abigat, inſtando perficiunt, certe vel ſpiritum ſcandalo permovent. Debemus quidem ita ſancte & tota fidei ſubſtantia incedere, ut confiſæ & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes perſeverare id in nobis, non tamen præſumentes. Nam qui præſumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur. Timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris... Quid autem alteri periculo ſumus? Quid alteri concupiſcentiam importamus? Quam ſi Deus non ampliando legem, a facto ſtupri non diſcernat in pœna, neſcio an impune habeat, quæ alicui fuerit cauſa perditionis... Cum igitur & noſtra & aliorum cauſa verſetur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, jam non tantum conſictæ & elaboratæ pulcritudinis ſuggeſtum recuſandum a vobis ſciatis, ſed etiam naturalis ſpecioſitatis obliterandum diſſimulatione & incuria, ut perinde oculorum incurſibus moleſtum. Vera & integra caſtitas nihil magis timet quam ſemetipſam; etiam feminarum oculos pati non vult, Alios ipſa oculos habet. Confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus jacula ſcandalorum, adverſus ſuſpiciones & ſuſurros; & æmulationem, ipſum quoque livorem. Quamobrem oro te, ſive mater, ſive ſoror, ſive filia virgo, ſecundum annorum nomina dixerim, vela caput: ſi mater, propter filios: ſi ſoror, propter fratres: ſi filia, propter patres. *Omnes in te ætates periclitantur; indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.*

Tertull. lib. De Virginibus velandis.

Tertull. lib. 2. De Cultu Feminarum, c. 2.

Tertull. lib. De Virgin. veland. c. 15.

Ne cerebrum ſolum mitris, linteolis, & vittis colligandum, ſeu ex parte velandum eſt, ſed cervices totæ. „ Sciant quia totum caput mulier eſt. Limites & fines ejus eo uſque porriguntur, unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crinis occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipſæ enim ſunt quas ſubjectas eſſe oportet, propter quas poteſtas ſupra caput haberi debet: velamen jugum illarum eſt. Judicabunt vos Arabiæ feminæ ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ ſint dimidiam frui lucem, quam totam faciem proſtituere.... Oportet ergo omni tempore & omni loco memores legis incedere, paratas & inſtructas ad omnem Dei mentionem: qui ſi fuerit in pectore, cognoſcetur & in capite feminarum.

Idem cap. 16.

In ſpiritu modeſtiæ, humilitatis & caritatis ad Eccleſiam conveniendum.

17. 18. *Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, ſed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo.* Sacris Parochiarum Conventibus intereſſe ad Miſſam Parochialem, & exhortationes audiendas, ad Dei laudes & orationes, ad Sacramentorum frequentationem, ad cetera pietatis officia non ſufficit, niſi hæc fiant in ſpiritu caritatis, humilitatis, modeſtiæ, concordiæ & pacis. Væ utriuſque ſexus perſonis, quæ *propter mutuum videre & videri* illuc conveniunt! Væ mulieribus quæ totam mundi muliebris pompam illic oſtentant, & ad pedes uſque altarium ſcandala jaculantur! Væ illis qui ſignum ſuperbiæ extollunt in loco ſancto, ubi humiliari debent Deo ſupplicaturi. Væ illis qui ex domo unitatis & pacis Chriſtianæ, domum faciunt diſſidiorum, contentionum, partium, jurgiorum, ob honorum chimericorum ambitionem! Qui propter honorum ſuorum jura, ſeu vera, ſeu fictitia, in Templo Dei irreverenter ſe gerunt, lites movent, jurgia excitant, Chriſti Miniſtris & Paſtoribus inſultant, damnationis potius quam abſolutionis ſententiam; maledictionem potius quam benedictionem; pœnam magis quam gratiam inde referunt. *Non in melius, ſed in deterius convenitis.* Hujuſmodi hominibus ad pudorem ſuffundendum ponatur ob oculos Theodoſii Magni Imperatoris exemplum. Is cum Mediolani poſt oblationem intus in Sanctuario ad cancellos ſubſtitiſſet, ſicut conſueveſat, ſanctus Ambroſius interrogavit eum num quid vellet. Et cum Imperator reſpondiſſet, præſtolari ſe ſacrorum Myſteriorum perceptionem; per Archidiaconum hæc ei ſignificavit: *Interiora loca, Imperator, ſolis ſacerdotibus patent: reliquis omnibus inacceſſa ſunt & intacta. Igitur & una cum aliis conſiſte. Nam purpura Imperatores facit, non Sacerdotes.* Quam admonitionem æquo animo ſuſcipiens fideliſſimus Imperator, renuntiari juſſit Ambroſio, ſe nequaquam arrogantia elatum intra cancellos ſubſtitiſſe; ſed quia Conſtantinopoli eum morem eſſe didiciſſet. *Ceterum pro hac etiam curatione gratiam ſe habere.* Porro pietatis regulas, quas a Magno Antiſtite acceperat, reverſus poſtea Conſtantinopolim, illic quoque ſervavit. Nam cum feſtus quidam dies ipſum denuo ad Eccleſiam adduxiſſet, oblatis ad ſacram Menſam muneribus ſuis ſtatim abſceſſit. Cumque Eccleſiæ illius Pontifex Nectarius rogaret quamobrem intus non remanſiſſet, ſuſpirans reſpondit: *Vix tandem edoctus ſum quid eſſet diſcriminis inter Sacerdotem ac Principem. Veritatis Magiſtrum vix tandem inveni. Unum enim Ambroſium novi, qui Epiſcopus dici meretur.* Tantam utilitatem habet reprehenſio quæ fit a viro excellenti virtute prædito, ait Theodoretus hanc hiſtoriam commemorans.

Tertull.

Trad. hiſtoria Theodoſii Imperatoris exemplum.

Theodoret. lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 18.

19. *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Adoranda & laudanda Dei miſericordia & omnipotentia, qui ex magnis malis majora bona elicit. Permittit hæreſes ad Eccleſiæ ſuæ patientiam, ſapientiam, caritatem exercendam, ut amor & ſtudium veritatis & Paſtorum vigilantia excitetur; ut lupi in ovili dominico latentes detegantur, ut oves quæ paſcuntur veritate, & creſcunt in caritate in conſpectu ſummi Animarum electarum Paſtoris, manifeſtæ fiant; ut vaſa miſericordiæ per vaſa iræ purificentur; ut diabolus confundatur; ut Scripturæ impleantur; ut Chriſtum nunquam Eccleſiæ ſuæ deeſſe magis ac magis innoteſcat. „ Multa ad fidem Catholicam pertinentia, inquit *S. Auguſtinus*, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab adverſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio. *Et alibi*: Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid pravumque ſapiunt, ſi correpti ut ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis. Etiam ſic quippe veris illis Catholicis membris Chriſti malo ſuo proſunt, dum Deus utitur & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Eccleſiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitia depraventur, ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam; ſi tantummodo male ſentiendo adverſentur, exercent ejus ſapientiam; ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam, aut etiam beneficentiam, ſive ſuadibili doctrina cum eis agatur, ſive terribili diſciplina. Ac per hoc diabolus princeps impiæ civitatis, adverſus pro-

Quæ bona Deus ex hæreticis eliciat?

S. Auguſt. lib. 16. De Civit. Dei, cap. 2.

Lib. 18. c. 51.

„ ſu-

„ grinantem in hoc mundo civitatem Dei vaſa pro-
„ pria commovendo, nihil ei nocere permittitur.
„ Cui proculdubio & rebus proſperis conſolatio, ut
„ non frangatur adverſis; & rebus adverſis exerci-
„ tatio, ut non corrumpatur proſperis, per divinam
„ providentiam procuratur.

20. 21. *Convenientibus vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim cœnam ſuam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* Superbia, Vitia divitum hujus ſæculi. vermis divitiarum. Luxus, intemperantia, duritiæs erga pauperes, eorumque contemptus, Chriſtianæ violatio diſciplinæ, Sacramentorum abuſus, vitia ſunt divitum hujus ſæculi, a Sancto Paulo in Corinthiis divitibus reprehenſa. Quæ ſi Eccleſiæ naſcentis faciem temporibus Apoſtolicis adeo turpiter deformarunt, quis negaverit divitias ſaluti impedimenta frequentius eſſe, quam adjumenta? Lugenda ergo conditio divitum hujus ſæculi, qui ſuperbe ſapiunt, qui pauperibus ſua facile non communicant, qui non ſtudent divites fieri operibus bonis, qui lautioribus epulis quotidie indulgent, & pauperum eſurientium gemitibus & lacrymis non moventur, nec illis partes mittere curant, & vel fruſtum panis, vel denarium importune rogantibus dare, Judæis arrogantiores, Paganis duriores & inhumaniores. *Porrigat manum Juppiter; & accipiet* (ajebat ironice Tertullianus) *Chriſtus in omnium pauperum univerſitate mendicat* (ait Salvianus) & non accipit. Proh pudor! in eadem Chriſti & Eccleſiæ familia *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*, divitum ſuperborum, luxui deditorum, & immiſericordium vitio. Convivia caritatis, Agapes, jam a prima inſtitutione degenerare cœperant apud Corinthios Sancti Pauli tempore: nunc Chriſtianorum convivia pene nihil habent Chriſtianæ temperantiæ, modeſtiæ, caritatis. Comparentur cum primorum Chriſtianorum conviviis, quæ nunc a divitibus inſtruuntur. Illa ſic deſcribit Tertullianus. „ Cœna

Tertullian. Apol. c. 39.

„ noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Id vo-
„ catur quod dilectio penes Græcos. Quantiſcum-
„ que ſumptibus conſtet: lucrum eſt pietatis nomine
„ facere ſumptum. Siquidem inopes quoſque refrige-
„ rio iſto juvamus, non qua penes vos paraſiti affe-
„ ctant ad gloriam famulandæ libertatis ſub aucto-
„ ramento ventris inter contumelias ſaginandi; ſed
„ quia penes Deum major eſt contemplatio medio-
„ crium. Si honeſta cauſa eſt convivii, reliquum
„ ordinem diſciplinæ exiſtimate qui ſit, de religionis
„ officio. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit.
„ Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum
„ præguſtetur. Editur quantum eſurientes cupiunt:
„ bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur,
„ ut qui meminerint etiam per noctem adorandum
„ Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant
„ Dominum audire. Poſt aquam manualem & lu-
„ mina, ut quiſque de Scripturis ſanctis vel de pro-
„ prio ingenio poteſt: provocatur in medium Deo
„ canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque
„ oratio convivium dirimit. Inde diſceditur non in
„ catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſatio-
„ num, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eam-
„ dem curam modeſtiæ, ut qui non tam cœnam
„ cœnaverint, quam diſciplinam. Proh quale inter
hæc, & quæ a divitibus hujus ſæculi, qui tamen Chriſtianorum nomine gloriantur, ſiunt convivia, diſcrimen eſt!

Diſcrimen conviviorum quæ a divitibus hujus ſæculi fiunt, a conviviis primorum Chriſtianorum.

23. 24. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.* Euchariſtiæ Miniſtri, & quicumque digne communicare volunt, memoria recolant immenſum divinæ largitatis beneficium, ineffabile divini amoris pignus, quo Chriſtus corpus ſuum in cibum Animarum noſtrarum in tam admirabili Sacramento nobis dedit, ut unum cum ipſo corpus efficeremur. „ Facti ſumus unum Chriſti Corpus &
„ una caro. Quis paſtor oves proprio paſcit cruo-
„ re? Unicuique Fidelium Chriſtus ſemetipſum per
„ Myſteria commiſcet, & quos genuit, per ſeme-
„ tipſum enutrit, nec alteri tradit: per hoc rurſum
„ tibi perſuadens quod carnem tuam aſſumpſit. Ne
„ torpeamus igitur tanta digni caritate & honore
„ putati. Nonne videtis quanta promptitudine par-
„ vuli papillas capiunt, & quanto impetu labia u-
„ beribus infigunt? Accedamus cum tanta nos quo-
„ que alacritate ad hanc Menſam: quinimo cum
„ longe majori trahamus tamquam infantes lacta-
„ ntes Spiritus gratiam, & unus ſit nobis dolor hac
„ eſca privari. Ille Miſſæ Sacroſanctum Sacrificium celebrat, & ſacram Euchariſtiam percipit in Chriſti commemorationem, qui ad ſanctum Altare accedit fide firmus, caritate fervens; carne & ſpiritu mortificatus, in gratiarum actionem pro tanto beneficio effuſus, ſeipſum Deo in ſacrificium offerens cum Chriſto & per Chriſtum, ipſi vitam, mortemque ſuam devovens, & peccatum in ſeipſo deſtruere ſincero & conſtanti animi propoſito decernens, omnibuſque peccati motibus, affectibus, deſideriis ſemper & in omnibus occaſionibus & locis ad mortem uſque reſiſtere. *Nondum uſque ad Sanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes.* Sanguinem noſtrum, vitamque Chriſto debemus, qui pro nobis pretioſum Sanguinem ſuum fudit, illumque nobis in potum dedit. Ne beneficentiſſimo & amantiſſimo Redemptori cor ſaltem noſtrum negemus. In cordis enim noſtri conſecratione fœdus novum cum Deo per aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti ineundum poſitum eſt. *Hic calix Novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine. Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.* Euchariſtia inſtituta eſt ut omnibus locis ac temporibus mortem Chriſti repræſentet, ut virtutem ejus notam faciat, ut meritum ejus nobis applicet, ut gratiarum actionem ob tantum beneficium Chriſto perſolvamus. Illi Chriſti mortem annuntiant, qui imitantur, qui in ſe ipſis & in corpore ſuo adimplent Paſſionem Chriſti, & per mortificationem ac pœnitentiam exprimunt. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Vigilemus cum Domino, compungamur cum diſcipulis, precationi vacemus, non deliciis nos dedamus, ex quibus riſus intempeſtivus, verba ſcurrilia, facetiæ, & nugæ exitio plenæ, iiſque indignæ qui Chriſti Corpus perceperunt, & mortem Domini annuntiare debent.

Diſpoſitio ad ſacram Euchariſtiæ Communionem.

S. Joan. Chryſ. Hom. 60. ad Popul. Antioch.

Hebr. 12. 4.

27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* „ His verbis ſignificat A-
„ poſtolus, quod quemadmodum tradidit illum Ju-
„ das, ipſi autem inſultarunt Judæi: ita eum igno-
„ minia & dedecore afficiunt, qui ſanctiſſimum ejus
„ Corpus immundis manibus accipiunt, & in pol-
„ lutum os immittunt ..... Quot ſub nomine
„ ſacrificantium & communicantium, Chriſti ſunt
„ interfectores & Deicidæ! Quomodo ergo & qui
„ tunc pupugerunt, non ut biberent pupugerunt,
„ ſed ut effunderent: ita etiam qui indigne ad id
„ accedit, & nihil fructus inde percipit. Quomodo
„ non indigne percipit, qui deſpicit eſurientem? qui
„ præterquam quod deſpicit, etiam pudore afficit? Si
„ enim non dediſſe pauperibus, expellat a regno,
„ etiamſi quis ſit virgo, immo vero non large de-
„ diſſe (nam & virgines fatuæ habebant oleum,
„ ſed non ſatis habebant) tam multa abſurda feciſ-
„ ſe & indigna, cogita quantum ſit malum. Talis
„ Menſæ factus particeps; & cum omnibus deberes
„ eſſe mitior & clementior, & par Angelis, fa-
„ ctus omnium crudeliſſimus. Guſtaviſti ſanguinem
„ Dominicum, & ne ſic quidem fratrem agnoſcis.
„ Et quam mereberis veniam? Quamquam etſi eum
„ antea ignorares, a ſacra Menſa eum oportebat
„ agnoſcere. Nunc autem etiam ipſam Menſam igno-
„ minia afficis, eum qui dignus fuit habitus ut illius
„ eſſet particeps, tuis cibis non dignum exiſtimans.
„ Quam multa paſſus eſt qui centum exigebat de-
„ narios? Quomodo donum ſibi collatum infirmavit,
„ & irritum reddidit? Non cogitas quiſnam cum eſ-
„ ſes, quis factus ſis? Non in memoriam revocas
„ quod hoc paupere in pecunia, longe eras egentior
„ in bonis operibus, cum eſſes plenus peccatis? Sed
„ tamen ab his omnibus te liberavit Deus, & te
„ tali Menſa dignatus eſt. Tu autem ne ſic quidem
„ factus es benignior & magis miſericors. Nihil ergo
„ reſtat, niſi ut tradaris tortoribus.

Indignæ Communionis crimen. Theodoret. in hunc locum.

S. Chryſoſt. Homil. 27.

Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. „ Domine Jeſu Chriſte, Sacramen-
„ tum Corporis & Sanguinis tui quaſi pignus &
„ obſidem cœleſtis gratiæ dimiſiſti, & in eo conſti-
„ tuiſti nobis non mortem, ſed vitam; non judi-
„ cium, ſed ſalutem. *Quam perditus ergo eſt qui redemptionem in perditionem, qui ſacrificium in ſacrilegium, qui myſterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem!* „ Prohibet Dominus in lege
„ Moyſi, ne de agno Paſchali comedat peregrinus,
„ advena, vel immundus. Quanta ergo & quam
„ damnabili temeritate Sacerdos indignus miniſtrare
„ præſumit, qui, ut verbo utar Apoſtoli, *Filium Dei conculcat, & ſanguinem Teſtamenti pollutum ducit, in quo ſanctificati ſumus, & Spiritui gratiæ contumeliam facit?* Verbum S. Gregorii eſt: „ *Qui Chri-*
„ *ſti corpus indigne conficit, Chriſtum tradit*, ut Chri-
„ ſtus dum traditur, dicat: *Ecce manus tradentis*
„ *me mecum eſt in menſa.* S. Auguſtinus ſuper illum Verſiculum, *Dederunt in eſcam meam fel*, ait: *Gra-*

Petrus Bleſenſis Ep. 123. ad Richardum Londonienſem Epiſcopum.

In Pſal. 68.

vius peccant offerentes indigne Chriſtum regnantem in cœlis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris..... Magis peccant qui tradunt Chriſtum peccatoribus membris, quam qui tradidit ipſum crucifixoribus Judæis. „ Et adaptat Sacerdotibus pravis hæc verba: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Dominus quidem ſalutem noſtram ſitit & eſurit: & ideo damnabiliter peccat, qui ad corpus ejus cum felle conſcientiæ pravæ, & cum aceto iniquitatis accedit.

28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Cor noſtrum probemus, quis in eo dominetur amor, Dei, an creaturæ, ſerio diſcutiamus, hinc enim indigni, inde digni Corporis & Sanguinis Chriſti Communione ſumus. Qui conſcientiam ſuam non diſcutit, qui affectum peccati non deponit, qui pravos habitus non eradicat, qui cupiditatibus ſuis non reſiſtit, qui in eadem relabitur identidem peccata, de quibus ſe pœnitentiam agere profitetur, qui pro peccatis ſatisfacere juſtitiæ divinæ negligit; qui nec innocentiam, nec veram & ſinceram pœnitentiam affert ad altare, mortem invenit in communione vitæ, judicium ſibi manducat & bibit. Quod manducamus & bibimus, in noſtram ſubſtantiam convertitur, ita nobis intimum fit ut a nobis nequeat avelli; ita communionis indignæ peccatum adhæreſcit ſacrilego Sacerdoti, & cuilibet Chriſtiano cum peccati mortalis conſcientia ad ſacram Menſam accedenti, vix ut ab eo reſipiſcat. Hinc enim cæcitas mentis, & obduratio cordis.

S. Auguſt. in Pſal. 40. n. 16

Quam multos Judas implet ſatanas, indigne accipientes buccellam ad judicium ſuum! Non malum eſt quod datur, ſed bonum malo in judicium datur. Bene eſſe non poteſt male accipienti quod bonum eſt.

S. Cyprian. lib. De Lapſis.

Indigne communicant, & judicium ſibi manducant & bibunt, qui *Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, Domini corpus invadunt.*

S. Chryſoſt. Hom. 28.

Probet autem ſeipſum homo &c. „ Non ſicut nos facimus, qui tempore moti magis accedimus, quam ſtudio animi. Non enim eo ſpectamus ut accedamus parati, & malis noſtris expiatis, & pleni compunctione, ſed ut in diebus feſtis, & quando omnes accedunt. Sed non ſic juſſit Paulus: ſed unum novit tempus aditus & communionis, puritatem conſcientiæ. Si enim menſæ ſenſibilis non fuerimus participes febricitantes, & malis pleni humoribus, ne pereamus: multo magis nefas eſt hanc tangere cum malis cupiditatibus, quæ ſunt graviores febribus. Quando autem pravas dico cupiditates, & corporum dico cupiditates, & pecuniarum, & iræ, & odii, acceptæ injuriæ recordationis, & omnes ut ſemel dicam, pravas. Et oportet eum qui accedit, his omnibus exhauſtis, ita illud mundum tangere Sacrificium & neque ſegniter & miſere affectum neceſſe habere propter diem feſtum accedere: neque ruſus compunctum & paratum prohiberi propterea quod non ſit dies feſtus Dies enim feſtus eſt bonorum operum oſtenſio, & pietas animæ, & vita recte inſtituta. Et ſi hæc habeas, poteris ſemper diem feſtum agere, & ſemper accedere.

Cur ſui probatio ante ſacram Communionem neceſſaria?

Lib. 2. in 1. Reg. cap. 1.

S. Gregorius, ſeu quiſquis eſt Auctor Commentarii in lib. 1. Regum inter ejus Opera editi, explicans hæc verba Cantici Annæ, *Repleti prius pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt*, hunc locum negligentibus Altaris Miniſtris, & ſacrilegis Dominici corporis ſuſceptoribus accommodat: „ Qui nimirum comedunt, & ſaturari non poſſunt: quia etſi Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti nequaquam replentur. A virtute ergo illa Sacramenti ideo jejunant, quia prius repleti fuerant. Salutis quippe fructum non percipiunt in comeſtione ſalutaris hoſtiæ, qui ea, quibus ſe repleverant, flagitia portant in mente: Non ſaturantur ergo niſi famelici: quia a vitiis perfecte jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia ſine peccato electi etiam viri eſſe non poſſunt, quid reſtat, niſi ut a peccatis quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etſi minima ſunt peccata, quæ congerit, paulatim Anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus inſinuans, ait, *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* „ Quid enim eſt hoc loco probare, niſi evacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ad Dominicam Menſam, & purum exhibere? De repletis etiam ſubdit: *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit.* „ Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad Pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipſa ſola virtus eſt, quæ evacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc vere famelici ſaturantur, quia quo ſtudioſius mundantur lamento pœnitentiæ, eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in ſpiritali refectione.

30. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Hæc publica executio eſt occulti judicii Dei in eos, qui Chriſti corpus indigne percipiunt. Hinc pleræque calamitates & privatæ, & publicæ. *Si incredulis quibuſdam minor fides eſt futurorum, vel præſentibus terreantur. Nec hic eſſe ſine pœna poſſunt* indignarum communionum rei, *quamvis necdum venerit dies pœnæ. Plectuntur interim quidam, quo ceteri corrigantur. Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum.* De muliere lethalis criminis rea, quæ ad ſacram Menſam latenter obrepſit, S. Cyprianus refert quod ſuo tempore contigit terribile Dei judicium „ Non cibum, *inquit*, ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus ſanguinem admittens; angi, & anima exeſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens & concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen. Quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem. *Alia ſubdit exempla non minus terribilia.* Et cum quædam arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et alius, quia & ipſe maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum ceteris auſus eſt latenter accipere; Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre ſe apertis manibus invenit. Documento unius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quando Gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente mutetur. Quam multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur? Quam multi uſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quam delinquentium multitudo numeroſa. Unuſquiſque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur. Nec evaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, quem ſibi Dei judicis cenſura ſervavit.

Terribile Dei judicium in eos qui Corpus Chriſti indigne recipiunt.

S. Cyprian. l. De Lapſis.

Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles & dormiunt multi. Infirmitates cupiditatum, languores animarum, ſomnus letargicus & mors peccati, multo magis timendæ, quam ægritudines, languores, & mors corporum. Hæc autem juſto Dei judicio contingere indigne communicantibus certum eſt, tametſi interdum proſpera valetudine ad ſeram uſque ſenectutem vivant. *Multi*, inquit Caſſianus, *qui cum illicita uſurpatione præſumunt, infirmantur fide, & imbecilli ſunt mente, paſſionum ſcilicet languoribus involuti, & dormiunt ſomno peccati, ab hoc ſopore lethali nequaquam ſalutari ſollicitudine reſurgentes.*

Caſſianus Collat. 22. cap. 5.

31. *Quod ſi noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur.* „ Hoc eſt, inquit Caſſianus, ſi noſmetipſos perceptione Sacramentorum, quotieſcumque peccati vulnere prævenimur, judicaremus indignos, impenderemus utique ſtudium, ut per pœnitudinis emendationem ad ea digne poſſimus accedere, & non tanquam indigni, ſeveriſſimis infirmitatum flagris caſtigaremur a Domino, ut vel ſic compuncti ad remedia noſtrorum vulnerum recurramus, ne digni præſentis ſæculi breviſſima correptione non habiti, in futuro ſimul cum hujus mundi peccatoribus condemnemur. Quod etiam in Levitico evidenti denunciatione præcipitur: *Omnis homo, qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino. Ego ſum Dominus.* „ Quiſquis ergo mortiferis inquinatus eſt peccatis, majorem in ſe ſeveritatem debet exercere, ut a ſeipſo judicatus, non judicetur a Domino. Aſcendat itaque homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ. Conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat. Atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtremo ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui ſeparari a regno cœlorum timet per ultimam ſen-

Dei judicium prævenire debemus, nos ipſos judicando.

Levit. 22. 3.

S. Auguſt. Serm. 351. alias 50. inter Homil. 50. cap. 4. n. 7.

„ ten-

„ tentiam ſummi Judicis, per Eccleſiaſticam diſci„ plinam a Sacramento cœleſtis panis interim ſupa„ retur. Vertetur ante oculos imago futuri judicii: „ ut cum alii accedunt ad Altare Dei, quo ipſe „ non accedit, cogitet quam ſit contremiſcenda, „ illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æter„ nam, alii in mortem præcipitantur æternam. Ad „ hoc enim Altare quod nunc in Eccleſia eſt in ter„ ra poſitum, terrenis oculis expoſitum, ad Myſte„ riorum divinorum ſignacula celebranda, multi „ etiam ſcelerati poſſunt accedere: quoniam Deus „ commendat in hoc tempore patientiam ſuam, ut „ in futuro exſerat ſeveritatem ſuam. Ad illud autem „ Altare quo præcurſor pro nobis introiit Jeſus, „ quo Caput Eccleſiæ præceſſit, membris ceteris ſe„ cuturis, nullus eorum accedere poterit; de quibus „ dixit Apoſtolus, *Quoniam qui talia agunt, regnum* „ *Dei non poſſidebunt*. Solus enim Sacerdos, ſed plane „ ibi totus aſſiſtet, adjuncto ſcilicet corpore cui ca„ put eſt, quod jam aſcendit in cœlum. Quomodo „ ergo in interiora veli, & in illa inviſibilia Sancta „ ſanctorum intrare audebit aut poterit, qui me„ dicinam cœleſtis diſciplinæ contemnens, noluit „ paulisper a viſibilibus ſeparari? Qui enim noluit „ humiliari, ut exaltaretur: cum exaltari voluerit, „ dejicietur; & in æternum ſejungetur ab æternis „ Sanctis, quiſquis hoc tempore per merita obedien„ tiæ, & per ſatisfactionem pœnitentiæ non ſibi „ providit locum in corpore Sacerdotis. Qua enim „ fronte impudentiæ tunc volet averti faciem Dei „ a peccatis ſuis, qui nunc toto corde non dicit,
Pſalm. 50. 5. *Quoniam facinus meum ego agnoſco, & peccatum meum ante me eſt ſemper?* „ Quo pacto quæſo, Deus di„ gnatur ignoſcere, quod in ſe ipſe homo dedigna„ tur agnoſcere? . . . . Judicet ergo ſeipſum homo „ in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores conver„ tat in melius; ne cum jam non poterit, etiam „ præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum „ ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed ta„ men medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, „ per quos illi ab Eccleſia claves miniſtrantur: & „ tamquam bonus jam incipiens eſſe filius, mater„ norum membrorum ordine cuſtodito, a Præpo„ ſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ mo„ dum: ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati „ devotus & ſupplex, id tamen agat quod non ſo„ lum ipſi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam „ ceteris ad exemplum. Ut ſi peccatum ejus, non „ ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcan„ dalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati „ Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, „ vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non „ recuſet, non reſiſtat, non lethali & mortiferæ „ plagæ per pudorem addat tumorem.

S. Gregor. M. lib. 25. Moral. cap. 5. *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*. „ Debet uniuſcujuſque mens & cauſas ſuas „ apud Dominum, & cauſas Domini contra ſe ſol„ licita inquiſitione diſcutere: debet caute penſare „ vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bo„ nis illius perverſe vivendo rependerit. Quod ele„ cti quidem quotidie facere omnino non ceſſant.
Proverb. 12. „ Unde bene Salomon, ait: *Cogitationes juſtorum* „ *judicia*. Accedunt enim ad ſecretarium judicis „ juxta ſignum cordis: conſiderant quam diſtricto „ quandoque feriat, qui diu patienter exſpectat: „ metuunt in his, quæ ſe egiſſe meminerunt, & „ puniunt flendo, quod perpetraſſe ſe intelligunt: „ timent ſubtilia Dei judicia, etiam de his, quæ „ in ſemetipſis intelligere fortaſſe non poſſunt. „ Vident enim videri divinitus, quod ipſi in ſe „ per humanitatem non vident: conſpiciunt diſtri„ ctum judicem, qui quo tardius venit, eo ſeverius „ percutit: Sanctorum etiam Patrum conventum „ enim eo pariter contemplantur, eorumque vel „ exempla, vel dicta, ſe contempſiſſe reprehendunt: „ atque in hoc ſecreto interioris judicii ipſa men„ tis ſuæ executione conſtricti pœnitendo feriunt, „ quod ſuperbiendo commiſerunt. Ibi namque ad„ verſum ſe quicquid ſe impugnat, enumerant: ibi „ ante oculos ſuos omne quod defleant, coacervant: „ ibi quicquid per iram diſtricti judicis decerni poſ„ ſit, inveniunt: ibi tot patiuntur ſupplicia, quot „ pati timent; nec deeſt in hoc judicio mente con„ cepto omne miniſterium, quod punire reos ſuos „ plenius debeat. Nam conſcientia accuſat, ratio „ judicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod judi„ cium eo certius punit, quo interius ſævit: quia „ videlicet ab exterioribus non accedit. Unuſquiſ„ que enim cum cauſſam hujus examinis contra ſe „ aggredi cœperit, ipſe eſt actor, qui exhibet: ipſe „ reus, qui exhibetur: odit ſe, qualem fuiſſe ſe „ meminit; & ipſe qui eſt, per ſemetipſum inſequi„ tur illum qui fuit: atque ab ipſo homine adver„ ſus ſemetipſum fit quædam rixa in animo, par„ turient pacem cum Deo.

32. *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Deus miſeretur peccatoris non ſolum ignoſcendo peccata, verum etiam illis temporaliter puniendo. Caſtigando erudit & emendat in hac vita, quos æterna morte damnare non vult cum reprobis. *Deus tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum*. Non ſolum *Pſalm. 98. S. August. in hunc Pſalm. n. 11.* „ donans peccata, ſed etiam vindicans propitius fui„ ſti. Videte Fratres mei, quid hic commendavit Pſalmiſta. *Illi Deus iraſcitur, quem peccantem non flagellat. Nam cui vere propitius eſt, non ſolum donat peccata ne noceant in futurum ſæculum: ſed etiam caſtigat, ne ſemper peccare delectet*.

C A P U T XII.

Senſus Litteralis.

1. D*E ſpiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres*. De ſpiritualibus donis, ſeu chariſmatis ex- *Bonus donorum ſpiritualium uſus.* ternis Spiritus ſancti, quæ in pluſimos veſtrum effuſa ſunt, vos ignorare nolo, quæ ſcire debetis, ſcilicet a quo, & quem ob finem vobis donata ſint, quis eorum uſus, quæ eorum præſtantia, & quodnam ſit veſtrum, qui illis inſtructi eſtis, officium. *S. Chryſoſt. Homil. 29. Theodoret. Tom. 3. in hanc Epiſt. cap. 12.* „ In illis ſcilicet Eccleſiæ naſcentis exordiis, ple„ riſque eorum qui Evangelio crediderant, & ſalu„ tari baptiſmate digni fuerant habiti, evidenter „ dabatur ſpiritalis gratiæ operatio. Et alii quidem „ variis linguis loquebantur, quas neque ſecundum „ naturam noverant, nec ab aliis didicerant: alii „ vero miracula faciebant, & morbis medebantur: „ alii propheticum donum percipiebant, & futura „ prædicebant, atque interdum ea quæ occulto fie„ bant manifeſtabant, ſubſiſtentis gratiæ operatio„ nem revelantes. Neque enim fieri poterat, inquit „ Theodoretus, ut qui dæmonum fraudi diutiſſime „ ſerviebant, indoctis hominibus, & inopibus tam „ facile crederent, & ab eis veritatem diſcerent, „ niſi divina gratia evidenter appareret, & fidei „ veluti pignora miracula præberet. Hæc acceperant etiam Corinthii, ſed iis quæ data erant non „ uſi ſunt ut oportuit. Ad oſtentationem enim potius quam ad Eccleſiæ utilitatem & Dei gloriam, operationes gratiæ gratis datæ oſtendebant, præſertim vero donum linguarum, quo rite & debito ordine ſervato non utebantur. Alii dolebant de hujuſmodi ſpiritualibus donis non acceptis, aut quod minora aliis accepiſſent. Quamobrem operæ pretium duxit Apoſtolus noſter Corinthios, & in iis fideles omnes docere Spiritum ſanctum eſſe hujuſmodi donorum auctorem, ejuſque arbitrio varie diſpenſari in Eccleſiæ membra, ad communem utilitatem: quod quidem hoc capite exequitur: deinde quod donum ceteris omnibus antecellat, & præ omnibus ſit expetendum... Quod ſequentibus capitibus declarat. *De ſpiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres*. Spiritalia dona vocat, quia ſolius Spiritus ſancti opera ſunt, ſtudio ſeu induſtria humana nihil ad hoc conferente.

2. *Scitis quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, prout ducebamini euntes*. Propria noſtis experientia, quod cum adhuc ethnici eſſetis, ad ſimulacra ſeu idola, ut vocis, ita intellectus expertia, ibatis ſacrificaturi, abducti more pecudum, tum dæmonis impulſu, tum inſtitutione majorum, & ſacrificulorum, ac Principum auctoritate, tum curioſitate inſtigante, & ſpe diſcendi futuros eventus a Vatibus arreptitiis, qui dæmonis impulſu, emota *Atuli, ſeu vates dæmoniaci, & veri Prophetæ diſcrimen.* mente, illa quandoque prædicebant, permittente Deo, quibus eventus reſponderet. „ Non ſic Pro„ phetæ noſtri. Prædicebant enim futura, aut re„ velabant occulta, cum intelligentia & libertate. *S. Chryſoſt. Hom. 29. Theophil. Oecum.* „ Erat in eorum poteſtate & dicere & non dicere: „ non eos premebat neceſſitas, ſed honorabat poteſtas. Propterea & fugit Jonas, & differebat Eze„ chiel, & excuſabat Jeremias. Deus autem non „ eos agebat cum neceſſitate, ſed conſilio, adhorta„ tione, minis impellebat ad loquendum quæ ſugge„ rebat: non menti tenebras offundens, quod pro„ prium dæmonis eſt, ſed illuminans. Et id qui„ dem primum arioli ſeu vatis dæmonum & veri „ Prophetæ a Spiritu ſancto afflati diſcrimen.

3. *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu. Et nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto*. Vobis igitur a priſtina ignorantia & idolorum ſervitute liberatis declaro quod nemo ex afflatu Spiritus ſancti loquens, Jeſu maledicat & illum execretur. Alterum id di-

ſerimen eſt, quo Prophetæ Dei a vatibus dæmonis dignoſcebantur. Non ſolum apud Gentiles, ſed etiam apud Judæos, circumvagabantur arioli, pythones, magi, præſtigiatores Exorciſtæ, qui ſe cœleſti virtute donatos jactarent, futurorum prædictionem ſponderent, & prodigia edere viderentur. At certum ſe habere, ait Apoſtolus noſter, hoſce homines non loqui, non agere, non agi Spiritu Dei, quia Jeſu maledicunt, nomen ejus execrantur, Chriſti fidem & doctrinam deteſtantur & probris inceſſant. Et nemo poteſt ſincero & pio cordis affectu confiteri Jeſum eſſe Dominum, Chriſtum a Deo promiſſum & datum, verum Deum, Dei Filium, Mediatorem ac Redemptorem ſuum, niſi ex dono, revelatione, & motione Spiritus ſancti. Confer cum 1. Joannis 4. 2. *In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus.*

Gratiarum gratis datarum & Miniſteriorum varietas in Eccleſia.

4. 5. 6. *Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Varia ſunt dona ſpiritualia, ſeu gratiæ gratis datæ, & ita diviſæ ſunt in Eccleſia, ut hæc uni, illa alteri detur; ſed ab uno fonte ſunt, ſcilicet a Spiritu ſancto, & ad unum finem referuntur, ſcilicet ad communem Eccleſiæ utilitatem & ædificationem. *Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus.* Et varia ſunt miniſteria & officia ad Eccleſiæ regimen deſtinata, Apoſtoli, Evangeliſtæ, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi. Pertinet enim ad perfectionem & decorem Eccleſiæ ut in ea univerſa miniſteria fiat: quorum typi erant varii ordines miniſtrantium, quos Regina Saba in Aula Salomonis Regis admirata eſt. Omnes tamen uni Domino Jeſu Chriſto Eccleſiæ ſponſo & capiti ſerviunt, per quem omnia, & nos per ipſum. *Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et facultates potentes & efficaces (Græce *ἐνεργήματα*) operandi ſupernaturalia, ut edendi miracula, variæ ſunt, idem vero Deus omnipotens Pater, qui cum Filio & Spiritu ſancto intime & indiviſe operatur omnia in omnibus cauſſis ſecundis ut prima cauſa movens & ita impellens „ ad motum atque actionem, ut quamvis cauſarum „ ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat „ tamen, cum ejus occultiſſima vis ad ſingula per„ tineat, & quemadmodum Sapiens teſtatur, *Attin„ gat a fine uſque ad finem fortiter, & diſponat omnia „ ſuaviter.* Gratias ſeu dona ſpiritualia Spiritui ſancto, qui amor eſt Patris & Filii, congrue tribuit Apoſtolus: quia ex amore procedit quod aliquid gratis detur. Miniſteria vero tribuit Filio tamquam Domino. Operationes tandem Patri tamquam primo omnium principio & fonti totius deitatis.

3. Reg. 10.

Catechiſmus Concil. Trid. P. 1. Art. 8. n. 4. S. Thom. Lect. 1.

7. *Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.* Cuicumque datur aliquod hujuſmodi donorum conſpicuorum, & Spiritus ſancti præſentiam teſtantium, ad utilitatem Eccleſiæ confertur. Manifeſtatur autem Spiritus ſanctus per dona illa ſpiritualia, quæ Theologi gratias gratis datas appellant, dupliciter: vel ut inhabitans Eccleſiam, & docens & ſanctificans eam, verbi gratia cum peccator, cujus animum Spiritus ſanctus non inhabitat, facit miracula ad probandam veritatem fidei quam prædicat. Unde Apoſtolus noſter ad Hebræos 2. 4. ſcribit, prædicationem fidei fuiſſe confirmatam *conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus, ſecundum ſuam voluntatem.* Vel manifeſtatur Spiritus ſanctus ut inhabitans eum, cui dona illa eximia conferuntur; unde Act. 6. de Stephano primo Diacono ſcriptum eſt: *Stephanus plenus gratia, faciebat prodigia & ſigna magna in populo.* Sic autem non conferuntur hujuſmodi ſpiritualia dona niſi Sanctis.

S. Thomas, Lect. 2.

8. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ.* Huic quidem datur a Spiritu ſancto gratia de Chriſtianæ Religionis Myſteriis, & de omnibus quæ ad doctrinam fidei & pietatis ſpectant, opportuno tempore diſſerendi ea altiſſimis cauſis, qualis gratia Apoſtolis, & Protomartyri Stephano, & aliis collata eſt. De qua ſuperius ſcribit Apoſtolus noſter: *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

Alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum. Alter ab eodem Spiritu accipit donum loquendi cum ſcientia de rebus Chriſtianæ Religionis, adhibendo non modo argumenta ex ſacris Litteris deprompta, ſed ratiocinia, comparationes, exempla ex Philoſophia ſæculari & rebus humanis quæſita, & ad perſuaſionem vel explicationem dogmatum fidei aut Moralis Evangelicæ accommodata. Rerum divinarum ſcientiam proprie ſapientiam nuncupari, humanarum autem proprie ſcientiæ nomen obtinere, S. Auguſtinus docet: „ non utique quicquid „ ſciri poteſt in rebus humanis, ubi plurimum ſu„ pervacaneæ vanitatis & noxiæ curioſitatis eſt, „ huic ſcientiæ tribuens; ſed illud tantummodo quo „ fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem du„ cit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: „ qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quam„ vis polleant ipſa fide plurimum. Aliud eſt enim „ ſcire tantummodo quid homo credere debeat pro„ pter adipiſcendam vitam beatam, quæ nonniſi æ„ terna eſt: aliud autem ſcire quomodo hoc ipſum „ & piis opituletur, & contra impios defendatur, „ quam proprio appellare vocabulo ſcientiam vide„ tur Apoſtolus."

S. Aug. lib. 14 De Trin. cap. 1. n. 3.

9. *Alteri fides in eodem Spiritu.* Alteri confertur ab eodem Spiritu ſancta fiducia, qua Deum per ipſum editurum miracula confidit ad ædificationem Eccleſiæ. Non enim de fide dogmatum, quæ omnibus Chriſtianis communis eſt, ſed de fide miraculorum, quæ donum eſt extraordinarium, paucis datum, Apoſtolus loquitur, de qua proximo Cap. ſcribit, *Et ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam,* &c. de qua Chriſtus Matth. 17. 19. *Amen dico vobis. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Hæc fides miraculorum mater, de quibus ſubdit: *Alii gratia ſanitatum in uno Spiritu.* Alter ab eodem Spiritu accipit donum curandi morbos etiam inſanabiles, plenamque & integram ſanitatem ſubito reſtituendi infirmis, nullo remedio naturali adhibito.

10. *Alii operatio virtutum.* Alii tribuitur donum edendi miracula inſigniora & eminentiora, quæ ſola facti magnitudine perſuadere poſſunt hæc Dei virtute fieri, qui falſitatem ſuo teſtimonio confirmare non poteſt, qualia ſunt mortuos ſuſcitare, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam, claudis greſſum reſtituere, dæmones e corporibus ejicere, &c. Incredulos etiam & inobedientes ſolo verbo, imperio, ſeu prece ad Deum fuſa excæcare, interficere, ut Paulus Elymam Magum excæcavit, ut Petrus Ananiam & Saphiram extinxit; & Simonem Magum in aere volitantem, & Romanis illudentem proſtravit. *Alii Prophetia.* Donum futura prædicendi, quale Agabo, & filiabus Philippi Diaconi Virginibus, & aliis, temporibus Apoſtolorum conceſſum eſt; & reconditiores ac obſcuriores Scripturarum, præſertim Propheticarum ſenſus intelligendi, eruendi, explicandi. *Alii diſcretio ſpirituum.* Donum ſive facultas ſpiritualis & ſupernaturalis ad diſcernendum inter varios motus, a quo ſpiritu proveniant, bono an malo, ſive ad mores ſpectent, ſive ad doctrinam: ſive quis interius & inviſibiliter moveatur & excitetur, ſive exterius per homines docentes & conſulentes, aut per Angelos ſenſibiliter loquentes vel apparentes. Ad hoc pertinet dijudicatio Prophetiarum, a quo ſpiritu proficiſcantur ea quæ tanquam Prophetiæ proferuntur in medium, utrum a Dei Spiritu, an a dæmone, an ab humana mente vel imaginatione. Qua de re Apoſtolus noſter cap. 14. hujus Epiſtolæ ſcribit: *Prophetæ duo aut tres dicant, & ceteri dijudicent.* Et 1. Theſſalon. 5. *Spiritum nolite extinguere: Prophetias nolite ſpernere. Omnia probate: quod bonum eſt tenete.* Item Judicium de inſpirationibus, de privatis viſionibus, revelationibus, apparitionibus, de conſolationibus & deſolationibus animarum, de extaſibus & raptibus. *Alii genera linguarum,* Donum loquendi variis ac peregrinis linguis, pro varietate gentium & hominum quibus doctrina Chriſtianæ Religionis tradenda aut exponenda erat, *Alii interpretatio ſermonum,* ſive ipſarum linguarum. Cum enim auditores plurimi linguam peregrinam non intelligerent, interpres linguarum alia lingua ipſis nota interpretabatur ſermonem, ſeu viva voce, ſeu ſcripto, ut omnibus utilis eſſe poſſet. Secundum Græcum Textum & Syriacam Verſionem, legendum eſſet, *Alii interpretatio linguarum,* quam lectionem Tertullianus, & S. Hilarius retinent, & ipſe textus Apoſtoli noſtri juvat in fine iſtius capitis: *Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?* Et cap. 14. 5. *Nam major eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis, niſi forte interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat.* Ceterum idem eſt Vulgatæ noſtræ ſenſus, *interpretationem ſermonum* alii donum exponendi Scripturarum loca difficilia & obſcura intelligunt, ut S. Thomas Lectione 2.

S. Chryſoſt. Theodoret.

Cardinal. Bona in Commentari De Diſcretione Spirituum.

Tertull. lib. 5. Co. Marcion c. 8. S. Hilar. lib. 8. De Trinit. c. 29. & 30. S. Jo. Chryſoſt. Hom. 29.

11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Hæc omnia in homine operatur unus atque idem Spiritus ſanctus, amor ſubſiſtens Patris & Filii, cui proinde bonitas, & ex ea fluens diſtributio donorum convenienter adſcribitur, quamvis ab omnibus Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonis indiviſim conferantur. Hæc autem dona dividit ſingulatim quibus vult, & quomodo vult, plena poteſtate, ut ſummus Dominus. Ex

Spiritus ſancti divinitas.

hoc

hoc loco Spiritum ſanctum eſſe Deum Patri & Filio æqualem, colligitur; nec ſolam energiam ſeu operationem, ſed Perſonam ſubſiſtentem, & liberrime operantem. *Non eſt ergo dubium* ait S. Ambroſius, *quin ea qua operatur Pater, operetur & Spiritus. Nec ex precepto, ſicut qui corporaliter audit, operatur: ſed ex voluntate, qui ſui eſt liber arbitrii, non alieno famulus poteſtatis. Non enim quaſi juſſus obtemperat, ſed quaſi largitor ſua moderatur eſt largitatis.*

S. Ambroſ. l. 2. De Spiritu ſancto, cap. 12. n. 142.

12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.* Sicut enim corpus hominis unum eſt, & membra habet multa, ſingula ſuis uſibus & officiis deſtinata: Omnia autem membra corporis cum multa ſint, unum tamen corpus ſunt naturale ſimul juncta: ita etiam Chriſtus, quatenus caput ſimul eſt & corpus, id eſt cum Eccleſia ſua conjunctus, unum eſt corpus myſticum ac ſpirituale, multa habens membra, quæ mutuam ſibi præſtant operam ac mutuis egent auxiliis. *Totus Chriſtus caput & corpus eſt. Caput unigenitus Dei Filius, & corpus ejus Eccleſia, ſponſus & ſponſa, duo in carne una.*

S. Aug. lib. De Unitate Eccleſiæ contra Donatiſtas, c. 4.

13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno Spiritu potati ſumus.* Etenim nos omnes unius Spiritus ſancti virtute & efficacia per baptiſmum ſanctificati, unum corpus Chriſti myſticum facti ſumus, nulla habita ratione generis & conditionum. Et omnes in Euchariſtia uno potu cœleſti, ſcilicet Chriſti Sanguine potati ſumus, ut unius Spiritus gratiam hauriremus. Vel, *potati ſumus*, dixit per metaphoram ſumptam ab arboribus, quæ eodem fonte irrigantur. Unus igitur Spiritus potavit nos, & irrigavit, & unum corpus effecit.

S. Chryſoſt. Homil. 30. Theophylact.

Membrorum corporis myſtici, ſicut & naturalis, varia officia & functiones.

14. 15. 16. *Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa.* Non unum aliquod membrum, quamvis excellens, facit corpus, ſed cuncta ſimul. *Si dixerit pes, Quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, numquid non eſt de corpore?* Elegans perſonarum fictio in membris corporis naturalis, membris corporis myſtici, quæ perſonæ ſunt, erudiendis accommodata. Querelæ erant inter Corinthios propter donorum & miniſteriorum diſparitatem. Qui minora dona acceperant, aut inferioribus miniſteriis erant deputati, aliis invidentes, conquerebantur quaſi nullum haberent in Eccleſia locum. Illos redarguit Apoſtolus noſter apta & pulchra ſimilitudine membrorum corporis naturalis. An, inquit, juſta eſſet querimonia pedis, ſi diceret, Non ſum membrum corporis, quia non ſum manus, ſed infirmum teneo locum, terram calco, totam corporis machinam pondusque ſuſtineo? Injuſta certe expoſtulatio eſſet. Ita in corpore myſtico, qui inferioribus officiis & ignobilioribus miniſteriis deputati ſunt, ſibique obmurmurant & invident iis qui nobiliorem locum obtinent, & honorabilioribus ac præſtantioribus officiis ac miniſteriis funguntur. *Et ſi dixerit auris, Quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore?* Sic in corpore Chriſti myſtico membrorum varietas eſt, officia & miniſteria diſparia, Doctores oculi, aures ſunt diſcipuli; & hi, & illi ejuſdem corporis membra ſunt, variis licet functionibus deſtinata.

17. 18. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Si totum corpus oculus eſſet, ubi aures? ſi totum auris, ubi nares? organorum diverſitas ad varios uſus diverſaſque functiones requiritur, & ſuo quæque loco membra & organa corporis naturalis diſpoſita eſſe oportet ad illius integritatem & decorem. Ita & membra corporis myſtici, ſcilicet Eccleſiæ. *Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit.* At vero Deus membra collocavit in corpore, & ſingula convenienti loco & ordine diſpoſuit, ſuas unicuique functiones attribuens ad uſum, decorem & utilitatem totius corporis, non ex neceſſitate naturæ, ſed pro ſuæ voluntatis arbitrio, a quo ut a ſummo, omnipotente, & ſapientiſſimo opifice tota natura eſt, & cujus providentiæ ſubditus omnis modus ordo & operatio naturæ. Ita Deus varia membra dona, officia in corpore myſtico Eccleſiæ conſtituit, diſtribuit, diſpoſuit, ſicut voluit.

19. 20. *Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?* Si omnia membra unum membrum eſſent, verbi gratia oculi, quomodo conſtaret humani corporis integritas, quæ membrorum & organorum varietatem ad diverſos uſus & functiones neceſſario poſtulat? Si ergo omnia Eccleſiæ membra ejuſdem eſſent dignitatis, iiſdemque donis inſtructa, iiſdem functionibus deſtinata, quomodo Eccleſia corpus eſſet Chriſti? *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Verum in homine multa ſunt membra, quæ corpus unum conſtituunt. Ita & in corpore Myſtico, ſcilicet in Eccleſia, multitudo & varietas membrorum ac officiorum, ad ejus integritatem ac decorem ex inſtitutione Chriſti, qui illam formavit, omnino neceſſaria eſt.

Membra Eccleſiæ mutuis indigent opera.

21. 22. *Non poteſt autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; nec iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii.* Membra mutuis egent officiis, & miniſteriis. Etſi alia nobiliora, alia tamen ſunt neceſſaria, Manus oculo ſuccurrit, illuminat, illum defendit, & toti corpori, cujus pars eſt oculus, alimenta ſubminiſtrat. Capiti membrum corporis præſtantiſſimo neceſſarii ſunt pedes, ut cum toto corpore loco moveatur ad vitandum noxia, ad proſequendum utilia ita in Eccleſia, quæ nobiliora membra ſunt, aliorum opera indigent ad myſtici corporis utilitatem, regimen, & ſanctificationem. Qui ergo majora dona acceperunt, ne alios deſpiciant, ſed tamquam membra neceſſaria honorent, Solus Chriſtus ſupremum Eccleſiæ caput dicere membris poteſt, *Non eſtis mihi neceſſaria*. Caput miniſteriale & vicarium, ſcilicet Petrus, aut Petri ſucceſſor Romanus Pontifex, Eccleſiæ præſidens univerſæ, illamque ſub Chriſto Domino Pontifice futurorum bonorum, vitam & ſpiritum membris omnibus ſubminiſtrante, viſibiliter regens, non poteſt dicere ceteris membris, quamvis infirmum locum tenentibus, Non eſtis mihi neceſſaria, opera veſtra non egeo, mihi ipſi ſufficio. *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe*, ut cerebrum, jecur, venter, &c. quæ facilius læduntur, *neceſſaria ſunt*, magis neceſſaria ad vitam corporis conſervandam.

23. 24. *Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis*, ut femora, pedes, & quæ egerendis excrementis ſerviunt, *his honorem abundantiorem circumdamus*, hæc majori cura contegimus, & veſtimentis ornamus: *& quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.* „ Et partes, quas a pudore nominamus, diligentiori ſtudio & honeſtate circumtegimus. „ Membra illa non dehoneſtavit habitudo, „ in qua eſt ſolertia creantis; ſed libido, in qua eſt „ pœna peccantis. Quamobrem ea inhoneſta dixit „ Apoſtolus propter legem in eis repugnantem legi „ mentis, quæ de peccato accidit; non de prima „ noſtræ inſtitutione naturæ. Et tamen contributum eſt divinitus ſenſui naturali, ut quod dehoneſtavit concupiſcentia, contegat verecundia. „ Id vocat Apoſtolus noſter abundantiorem honeſtatem, *Honeſta autem noſtra nullius egent.* Membra autem quæ honeſta ſunt, ut facies, os, oculi, manus, non egent honeſtate velaminis, quia nihil habent quod oculos aut pudorem offendat: *Sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem.* Deus ita contemperavit corpus, & tam apto ordine membra in eo diſpoſuit, & collocavit, ut minus honeſtis major honos eo auctore tribueretur, ea contegendo & velando. Honeſtas adhibetur inhoneſtis, ait S. Auguſtinus, cum rationalis naturæ ſenſu ipſo verecundante velantur, Eorum quippe honeſtas & honor eſt velamentum, tanto abundantius, quanto magis inhoneſta ſunt.

S. Aug. l. 4. Contra Julianum cap. 16 n. 80. & l. 2. Retract. cap. 7. n. 3.

25. 26. *Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra.* Figurata locutio eſt. Supplementum illud honoris, ut membris ignobilibus & inhoneſtis plus honoris tribuatur, a Deo conſtitutum eſt, ne ſit diſſidium in corpore. Ita in corpore myſtico, ſcilicet in Eccleſia, Deus varia membra ita contemperavit ac diſpoſuit, ut aliorum ignobilitatem, imperfectionem, dedecus, ab aliis honore quodmodo attributo tegi voluerit, nullum omnino contemni aut negligi, ſed omnia & ſingula membra mutuam ſibi operam ferre. Sic cum ſpina pedi inhæſerit, totum corpus dolet, caput inclinat, dorſum flectitur, venter & femora contrahuntur, oculi intuentur, lingua queritur, manus admovetur & ſuccurrit. Id ipſum in corpore myſtico fieri neceſſe eſt ad conſervandam unitatem. *Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*, Sive membrum unum dolorem aliquem patitur, condolent & compatiuntur cetera, *ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Sive unum membrum bono aliquo afficitur, quod fieri ſolet cum quos honoramus, ſi bene diſponitur & lætatur, velut dum ex ægro fit ſanum, ex imbecillo robuſtum, congaudent cetera membra. Idem in corpore myſtico fieri oportet.

27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Vos omnes ſimul, id eſt, Eccleſia, eſtis corpus Chriſti myſticum, & membra corporis in quo Chriſtus caput eſt. Confer cum Ephes. 5. 30. *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus.* Cujus typus in Evæ formatione præceſſit,

de

Digitized by Google

de qua Adam ait: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Vel, *membra de membro*, id eſt, commembra, in eodem corpore myſtico ſibi cohærentia, & communicantia, ac a ſe mutuo dependentia, ſinguli eſtis. Confer eum Roman. 12. 4. 5. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.* Sed minime diſſimulandum eſt, mendum hoc loco videri in Vulgata noſtra, quæ cum Græco Textu non conſentit. Latinus interpres legit procul dubio, καὶ μέλη ἐκ μέλους, id eſt, *membra de membro*. Sed Græci Codices ſummo conſenſu habent, καὶ μέλη ἐκ μέρους, *& membra ex parte*. Librariorum ſorte oſcitantia, μέρους in μέλους, motatum eſt. Syriaca Verſio Græcis Codicibus concordat: *Vos autem corpus Chriſti eſtis, & membra in loco veſtro.* Græcum Textum ſic interpretatur Theodoretus: *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte. NON enim vos ſoli, ſed omnes qui in univerſo orbe terrarum crediderunt. Propterea enim adjecit illud, EX PARTE.* Ante illum S. Joannes Chriſoſtomus: *Quid eſt, Ex parte? Quod ad vos quidem attinet, & quantum conſentaneum eſt eſſe partem ex vobis ædificantem. Nam quoniam dixit corpus: totum autem corpus erat non quæ apud Corinthios erat Eccleſia, ſed quæ ubique per totum orbem terræ, propterea dixit, Ex parte. Hoc eſt, Eccleſia quæ eſt apud vos & pars Eccleſiæ quæ ſita eſt ubique, & corporis quod conſiſtit per omnes Eccleſias. Quamobrem æquum eſt ut non ſolum inter vos, ſed etiam cum omni Eccleſia in orbe terræ, pacem habeatis: ſiquidem eſtis membra totius corporis.*

ᶜ Vulgata noſtrarum Græcis Codicibus hoc loco non omnino concordat.

S. Chryſoſt. Homil. 32.

Theophylactus: *Quia non ipſi ſoli conſtituebant corpus Chriſti, ſed omnes in univerſo terrarum orbe fideles, dixit, & membra ex parte.* Hoc eſt, *quæ ad Eccleſiam quæ apud vos eſt, corpus Chriſti eſtis, quatenus integra Eccleſia; quod vero Catholicam per univerſum orbem Eccleſiam, cujus corpus ex omnibus paſſim Eccleſiis conſtat, caput habens Chriſtum, membra eſtis, eo quod reſpectu illius, pars ſitis.* Oecumenius: *Omnes quidem ubicumque locorum ſint fideles, ſunt corpus Chriſti: vos autem, Corinthii, membra ex parte. Neque enim ſoli eſtis totum corpus, ſed membra eſtis: & neque omnia, ſed ex parte. Per hæc autem oſtendit jam diſperſum eſſe in majori parte Univerſi Evangelium ac fidem.*

28. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiam primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* Membrorum Eccleſiæ dignitatem æſtimari vult Deus ex loco quem illis conſtituit, donorum excellentiam ex ordine quo illa recenſet, qui illorum auctor & verus æſtimator eſt. Primum autem in Eccleſia locum Apoſtolis dedit, quos donis omnibus ornavit. „ Nomine autem Apoſtolorum „ non ſolos duodecim, ſed etiam ſeptuaginta duos „ Diſcipulos ſignificat, & eos qui poſtea eamdem „ gratiam ſunt adepti. Nam & ipſe Paulus po„ ſtea vocatus eumdem ordinem conſecutus eſt, „ & Barnabas, & alii innumeri, qui Eccleſias fun„ darunt. Unde Epaphroditum Apoſtolum Philippenſium Paulus ipſe vocat in ea quam ad illos ſcripſit Epiſtola. *Secundo Prophetas.* Apoſtolis honoru proximos, quo nomine non illos vult intelligi qui ante gratiam, inquit Theodoretus, id eſt qui tempore veteris Legis Chriſtum venturum prænuntiarunt, de quibus ait. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*; ſed qui in gratia, id eſt, poſt Novæ Legis promulgationem & miſſionem Spiritus ſancti futura prædicebant, aut Scripturas ex divina inſpiratione exponebant; quo in ordine fuerunt Agabus, quatuor Philippi filiæ, Prophetæ Antiochenæ Eccleſiæ, & alii. *Tertio Doctores*, qui donum habebant doctrinam fidei & morum exponendi in Eccleſia, non ex ſola Dei revelatione, ſed ex eminenti eruditione ſtu„ dio etiam comparata. Doctor enim ex ſe quo„ que multa loquitur, convenientia tamen divinis „ Scripturis, ait S. Chryſoſtomus. *Deinde virtutes*, id eſt, eos per quos fiunt majora miracula a naturæ ordine & potentia remotiora, ut illuminatio cæcorum, reſurrectio mortuorum, &c. *Exinde gratias curationum*, id eſt, eos quibus collatum eſt donum ſanandi ægrotos. „ Donum doctrinæ præpo„ ſuit dono miraculorum, docens propter hanc il„ la eſſe; non hanc propter illa, ut Theodoretus „ obſervat. Doctrina enim ſalutem procurabat: „ ſed quoniam abſque miraculis illam non recipie„ bant, neceſſario miracula veluti pignora quædam „ dabantur eis qui verbum fidei audiebant." *Opitulationes.* Qui donum accepere opitulandi fratribus pauperibus, infirmis, auxilio, conſilio, ſolatio, bonis fortunæ deſtitutis. *Gubernationes.* Id eſt, eos qui donum accepere recte adminiſtrandi & diſpenſandi res temporales Eccleſiæ, ſive oblationes, collectas, eleemoſynas, depoſita pietatis, egenis alendis humandiſque, & pueris ac puellis, re ac parentibus deſtitutis, viduis, & ſenibus ſuſtentandis deſtinata. Opitulationum nomine illos intelligit S. Thomas, qui majoribus Prælatis ſive Epiſcopis opem ferunt in Eccleſiæ regimine, ſicut Archidiaconi, & in hoc opitulationum ordine Clementem & ceteros Pauli adjutores collocat, de quibus ſcribit ad *Philipp.* 4. 3. Gubernationum vero nomine ſecundi ordinis Sacerdotes, quibus committitur gubernatio particularium plebium, quos Parochos ſeu Curatos appellamus. *Genera linguarum.* Eos quibus a Deo datum eſt ut variis linguis loquantur ad Evangelicæ doctrinæ propagationem adjuvandam, *Interpretationes ſermonum.* Eos qui donum habent linguas ipſas interpretandi, ad inſtitutionem auditorum qui illas non intelligunt. Hæc verba abſunt a Græco Textu & a Verſione Syriaca, & Græci commentatores obſervant Apoſtolum genera linguarum ultimo loco poſuiſſe, quia de eo ſibi valde placebant Corinthii, & eo ad oſtentationem, non ad neceſſitatem utebantur. Veruntamen Vulgatam noſtram ex vetuſtiſſimis Codicibus Græcis melioris notæ expreſſam, in quibus hæc verba extabant, conſtat ex eo quod Verſui ſequenti non deſit in ipſis Codicibus Græcis ſententia huic Verſionis Latinæ commati reſpondens, *Numquid omnes interpretantur?* & ex divina S. Hieronymi Bibliotheca.

Ordo membrorum Eccleſiæ & donorum.

Theodoret.

Philipp. 2. 25.

Luc. 16. 16.
Act. 13. 1.
Act. 15. 32.
Act. 21. 9. 11.

S. Chryſoſt. Homil. 32.

Theophylact.

S. Thomas Lect. 3.

29. 30. *Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?* Repetitis illis interrogationibus ſignificat Apoſtolus, ut in humano corpore, ita in Eccleſia, diverſorum membrorum officia eſſe debere, nec omnia dona ſingulis conferri debuiſſe, ſed dividi prout Dei ſapientiæ & voluntati viſum eſt, conſolatur etiam eos qui ſibi minora dona videbantur accepiſſe, docetque fieri non poſſe ut omnes eadem habeant, quod ſe mutuo indigeant, ſicut membrum alterum alterius auxilio indiget.

31. *Æmulamini autem charismata meliora.* Si dona deſideratis, optima & Eccleſiæ utiliora ſtudioſe expetite, & a Deo poſtulate. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Veruntamen longe excellentiorem donis omnibus vivendi rationem vobis jam demonſtrabo, qua ad Deum, ad ſanctitatem, & gloriam æternam certiſſime tendatis, qua donis acceptis bene uti, & meliora conſequi a Deo poſſitis, ſi id ejus gloriæ, Eccleſiæ utilitati, & ſaluti veſtræ expediat. Hæc autem via caritas eſt, de qua ſequenti capite Apoſtolus noſter agit.

CAPUT XII.

Senſus Moralis.

1. DE *ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres.* Dona prophetiæ, miraculorum, linguarum, &c. non accipiunt modo Chriſtiani, ut paſſim accipiebant plerique in Eccleſiæ naſcentis exordiis, quia jam fundata & propagata Eccleſia eſt, & ſatis ſuperque confirmata fides (tametſi ſemper in Eccleſia ſint hujuſmodi dona, ſeu gratiæ gratis datæ) Verum unuſquiſque fidelium dona aliqua & talenta ſpiritualia, quamvis non extraordinaria & miraculoſa, a Deo accepit, ſive ad propriam ſanctificationem, ſive ad Eccleſiæ, aut proximorum utilitatem, ſive ad utrumque finem: & plurimum cujuſque intereſt ad ſalutem noſſe principium, finem, rectum uſum hujuſmodi donorum & talentorum, verbi gratia, auctoritatis, ſcientiæ, verbi Dei prædicandi, doctrinam ſacram & Scripturas divinas exponendi, opitulandi & ſuccurrendi proximis conſilio, ſolatio, eleemoſynis, &c. *Nolo vos ignorare.* Peſſimum enim eſt ingrati animi vitium ignorare beneficia accepta. Ut igitur homo Deo non ſit ingratus, ad ſpiritualia dona & talenta ſibi a Deo collata attendere debet, ut illis recte utatur ad ejus gloriam, & propriam ſanctificationem, quæ ipſius voluntas eſt. Unde Apoſtolus noſter cap. 2. hujus Epiſtolæ ait: *Spiritum accepimus, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis.* Hinc Iſaiæ 5. Dominus ait: *Propterea captivus ductus eſt populus* „ *meus, quia non habuit ſcientiam*, rerum ſcilicet „ ſpiritualium. „ Nullus eſt qui veraciter dicat, Ta„ lentum minime accepi, non eſt unde rationes „ ponere cogar. Talenti enim nomine, cuilibet pau-

Donorum & talentorum a Deo acceptorum bonus uſus.

S. Thomas Lect. 1.

S. Gregorius M. Hom. 9. in Evangel.

„ peri

Digitized by Google

„ peri etiam hoc ipſum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam, prædicationis miniſterium debet ex talento. Alius terrenam ſubſtantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam, nec rerum affluentiam accepit, ſed tamen didicit artem qua paſcitur, ipſa ars ei in talenti acceptionem reputatur. Alius nihil horum aſſecutus eſt, ſed tamen familiaritatis locum apud divitem meruit, talentum profecto familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet omnino ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet ne a miſericordiæ largitate torpeſcat. Habens artem qua regitur, magnopere ſtudeat ut uſum atque utilitatem illius cum proximo partiatur. Habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, ſi eum valet, non apud eum pro pauperibus intercedit. Tantum quippe ab unoquoque noſtrum venturus Judex exiget, quantum dedit. Conſideremus ergo quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a ſpirituali opere terrena cura impediat, ne ſi in terra talentum abſconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Conſiderent qui majora dona acceperunt, quod, cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum, *Tanto erga eſſe humilior, atque ad ſerviendum promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione*.

Ipſos inter Chriſtianos plures qui ſuum Idolum non habeant.

2. *Scitis quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulachra muta, prout ducebamini, euntes.* Heu! quot Chriſtiani gentiliter vivunt? Quid illis prodeſt ſimulachra aurea & argentea non colere, ſi aurum, argentum, vanos honores ſæculi, voluptatea, alias creaturas, idola ſibi faciant, in quibus finem ultimum ſibi conſtituunt, quibus frui volunt, relicto Deo, illis inhærentes amore propter ſe ipſas, in illis habentes fiduciam. Nonne *avaritia eſt ſimulacrorum ſervitus?* Nonne *aurum & argentum principes materiæ cultus ſecularis?* Nonne divites plerique *ſperant, in incerta divitiarum?* Nonne cor ipſis apponunt, ſive illis cor ſuum devovent? Romani quarum exquiſita ſuperſtitio tantam falſorum numinum multitudinem conſecravit, nullum templum, nullas aras pecuniæ conſecrarunt, ut obſervat ſatyricus Poeta:

1. Theſſ. 2. 5. Tertullian. 1. Tim. 6. 17. Juvenalis.

—— Etſi funeſta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum extruximus aras.

Sap. 14. 1. Tim. 6.

Nil mirum, ſi quidem tot habet templa, quot avarorum hominum corda. *Nefandorum idolorum cultura omnis mali cauſa eſt.* Nonne *Radix malorum omnium cupiditas?* Pauci qui ſuum idolum non habeant, alii corporale, alii ſpirituale. Nullum idolum habet unuſquiſque periculoſius quam ſeipſum. Amor proprius idolorum omnis generis eſt artifex. Alia muta, alia loquacia. Ad illa ducuntur homines, immo rapiuntur impetu cupiditatum ſuarum. Vecordi juveni *accurrit mulier habitu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga... aprehenſumque deoſculatur, & procaci vultu blanditur..., Irretivit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. ſtatim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur: donec transfigat ſagitta jecur ejus: velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur.*

Proverb. 7.

3. *Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu. Et nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto.* Victricis Chriſti gratiæ imperium agnoſcamus, qua præventi & adjuti, numquam ab illo per peccatum mortale ſeparamur, quod eſt anathema, ſive ſeparatio a Chriſto Jeſu, Iſai. 55. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Gratiam ergo Chriſti invocemus, ab ea pendere, ab ipſa regi & agi amemus, in ea confidamus, Spiritus ſancti ductum & impulſum ſequamur, non cæcum impetum cupiditatum noſtrarum. *Et nemo poteſt dicere Dominus Jeſus*, ita ut non ſolum ore confiteatur, ſed etiam corde ipſum revereatur ut Dominum, & opere ipſi obediat ut Domino, niſi Spiritum ſanctum in ſe inhabitantem habeat. „ Dicere, *Dominus Jeſus*, etiam videntur illi, qui non hoc quod voce proferunt & intellectu cernunt, & voluntate agunt, ſed voce tantum ſonant: ſecundum quem modum Dominus ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Vere autem ac proprie illi dicunt, a quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio ſermonis ſui. Quis Dominum Jeſum, niſi qui eum diligit, dicit, ſi eo modo dicit, quo Apoſtolus intelligi voluit? Multi enim voce dicunt, corde autem & factis „ negant, ſicut de talibus ait, *Confitentur enim ſe noſſe Deum, factis autem negant*: Si negatur factis, procul dubio etiam dicitur factu. *Nemo itaque dicit Dominus Jeſus, animo, verbo, facto, corde, ore, opere, niſi in Spiritu ſancto, & nemo ſic dicit, niſi qui diligit.* „ Quam diligendum nomen, in quo omnium animæ noſtræ morborum medicina eſt! Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruritum (ait S. Bernardus) Siquidem cum nomino Jeſum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum; eumdemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant, cum inſonuerit Jeſus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium a Potente, illa tamquam pigmentarias ſpecies, hoc tamquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem Medicorum nemo facere poſſit. Hoc tibi electuarium habes, o Anima mea, reconditorum in vaſculo vocabuli hujus quod eſt Jeſus, ſalutiferum certe, quodque nulli umquam peſti tuæ inveniatur ineſficax. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tui omnes in Jeſum & ſenſus dirigantur, & actus. *Pone me*, inquit, *ut ſignaculum in corde tuo, in brachio tuo.* Habes, inquam, in nomine Jeſu unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas; itemque unde tuos ſenſus aut ſerves, ne corrumpantur: aut, ſi corrumpantur, ſanes.

S. Thomas. Lect. 5. S. Aug. lib. 2. De Serm. Domini in Monte, cap. 25. In Tract. 74. in Joan. n. 1.

1. Tim. 1. 16. Nemo Dominum Jeſum recte dicit, niſi qui diligit.

S. Bernardus Serm. 15. in Cantica.

Cant. c. 8.

4. 5. 6. 7. *Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.* Triplex genus donorum ad Corpus myſticum Chriſti formandum contulit Deus. 1. Donum potentiæ ob patranda miracula. 2. Donum miniſterii & laboris ad regimen, & officia implenda, variaſque functiones in Eccleſia obeundas. 3. Donum luminis & ſapientiæ ac ſcientiæ, ad docendum populos. Primum Patri, alterum Filio, tertium Spiritui Sancto refertur acceptum. Pater omnis poteſtatis creatæ principium & finis eſt: Quicquid igitur eo donante poſſumus, ad ejus gloriam referimus. Filius omnis Miniſterii Hierarchici inſtitutor & caput eſt: Miniſterium igitur ab eo nobis creditum ſic exequamur, ut fidem illi ſervemus, & legibus ab illo & ab ejus Eccleſia præſcriptis in ſacris functionibus pareamus, ne latum quidem unguem ab Evangelicis & Apoſtolicis regulis, & ab Eccleſiaſtica Diſciplina deflectentes. Spiritus ſanctus fons vivus eſt omnium gratiarum & donorum ſpiritualium: Quæramus & petamus ab ipſo quæ nobis ſalutaria, quæ Eccleſiæ utilia ſunt; & iis quæ acceperimus, per ipſum utamur, cum ſanctis ſcilicet diſpoſitionibus quas in nobis format, cum charitate, quam in cordibus noſtris diffundit. Donis cœleſtibus, & talentis a Deo ſibi collatis abutitur, & quoddam furti ſacrilegi genus committit, quiſquis illorum uſum ad proprium honorem & gloriam, ad privata commoda convertit & refert. Si autem minora dona, minora talenta acceperis, ne doleas, ſed gratias age, quod ex eodem fonte hauſeris unde alter. Nam & tibi & illi dedit Spiritus. Nec ægre feras quod alter ad ſublimius & honorabilius miniſterium aſſumptus ſit. Res enim illa laborem indicat & ſudorem. Quid ergo doles, ſi alterum juſſit plus laborare, tibi parcens? Qualecumque porro miniſterium in Eccleſia acceperis, ne otio indulgeas, ne ſervus ſis piger & inutilis, miniſterium tuum imple, ſuſcita gratiam Dei quæ in te eſt; Deo cooperare: & ſi quæ bona fueris operatus, ne extollaris, ſed totum illi tribue, *Qui operatur omnia in omnibus.* Quo Apoſtoli verbo omnis humani animi elatio & ſuperbia deprimitur & frangitur: *Cum & unus ſit qui dedit, & gratuitum ſit donum quod datum eſt, & hoc tibi magis conferat* (inquit S. Joannes Chryſoſtomus) *Non enim te ignominia afficiens, neque altero te inferiorem pronuntians hoc fecit Deus, ſed tibi parcens, & ſpectans id quod eſt tibi conducibile. Nam quod majus eſt accipere eum qui ferre non poteſt, hoc eſt inutile & noxium, & quod animæ afferat ægritudinem.*

Triplex genus donorum Eccleſiæ a Deo collatum.

S. Joan. Chryſoſt. Hom. 2.

8. 9. 10. *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum; Alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu: Alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.* Sapientia quæ non eſt a Spiritu ſancto, *terrena eſt, animalis, diabolica.*

Digitized by Google

Jacob. 3. 15. bolica. Quo ſublimius videtur hujuſmodi lumen, eo magis inflat, non ædificat, non inſtruit, ſed confundit. Quo majus & ſublimius lumen eſt ſapientiæ, & ſcientiæ, eo majorem humilitatem, caritatem, pudicitiam, modeſtiam, docilitatem, ſinceritatem, modeſtiam, ſtudium pacis, miſericordiam, omnia denique generis opera bona parere debet. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia*, ait S. Jacobus Apoſtolus, *primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione*. Sapientia *ad intellectum æternorum pertinet*. Heu! quam multi acuti & attenti ad temporalia, hebetes ad æterna? *Sapientia perfecta eſt creaturam Creatori pie ſubdere*: Heu, quam multi qui ſapientes videri volunt, creaturas præponunt Creatori? *Sapientiæ amor purgat ab avaritiæ ſordibus*. Heu! quam pauci ſunt ab illis purgati? Omnes avaritiæ ſtudent: Avaritia in capite omnium platearum. *Sapientia, pietatis fructus*; *immo pietas qua Deus colitur*: Et tamen ſapientiæ opinionem ambiunt homines ab omni ſenſu & affectu pietatis alieni. *Sapientiam Dei in quantum ſpiritualiter intelligimus, in tantum carnalibus affectibus morimur*. Quam pauci ſunt vere carnalibus affectibus mortui? Quam exiguus ergo ſapientium numerus? Stultorum contra numerus infinitus. *Sapiens ſemper Deo infixus eſt, ſive tacitus, ſive loquens*. Quis eſt hic, & laudabimus eum? *Sapiens eſt, qui ſe eſſe non credit*. Rara avis in terris. Igitur *Qui indiget ſapientia*, & quotuſquiſque eſt qui non indigeat, ſive Paſtor, ſive ovis; ſive Doctor, ſive idiota; ſive nobilis ſive plebeius, ſive dives, ſive pauper? *Poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*.

Veræ ſapientiæ caractetes.

S. Auguſt. paſſim.

Jacob. 1.

S. Aug. lib. 1. De Doctrin. Chriſt. c. 31. S. Bernard.

Alii ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum. Scientia humano ſtudio & labore acquiritur, ſed ſcientiæ uſus ſecundum Spiritum Dei, ſupernaturale donum eſt, quatenus ſcientia fidei, ſpei, & caritati militat & ſervit.

Alii operatio virtutum: *alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum*. Ad Deum converti operante gratiæ ejus virtute, noviſſima ſua, mortem, & æternitatem prævidere, diſcernere inſtinctus & motus a Spiritu ſancto aut a dæmone ortos, varias caritatis locutiones opportune adhibere ad fratrum ſalutem procurandam, audire vocem Dei in Scripturis ſanctis, per os Prædicatorum & Paſtorum noſtrorum exterius, per ſanctas inſpirationes interius ad cor noſtrum loquentis; dona ſunt pluris æſtimanda, magis utilia, magis expetenda, quam quæ ab Apoſtolo noſtro hic enumerantur. *Lingua amoris ei qui non amat, barbara. Non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus*.

Serm. 79. in Cantica.

Donum diſcretionis ſpirituum, Paſtoribus & Directoribus animarum neceſſarium.

Alii diſcretio ſpirituum. Donum Paſtoribus & Directoribus Animarum maxime neceſſarium, & quod ferventiſſimis precibus, & ſumma vitæ puritate a Spiritu ſancto impetrabunt. *Ceterum ut error humanus, vel dæmonum ſuggeſtio certo examine a ſancti Spiritus poſſit revelatione diſcerni, præfixa eſt fidei regula, præſcripta ſpei promiſſa, promulgata charitatis præcepta, ut quæcumque ſententia occurrens animo his non convenire probetur, eam aut fallaciæ dæmonum, aut humano errori incunctanter adſcribas: quæcumque vero a ſacris Paginis convenienter elicita vel ad fidem erudit, vel ad ſpem erigit, vel ad charitatem accendit, ipſam & a ſancto Spiritu ſacris litteris inſertam, & ab eo tibi revelatam non dubites*.

Ælredus Abbas Serm. 1. in Epiſt. 13. Iſaiæ.

Regulæ ad diſcretionem ſpirituum.

Bonum ſpiritum a malo ſignis quibuſdam internoſci doceant ſancti Patres & vitæ ſpiritualis Magiſtri. Quoniam ſpiritualis omnium ſpirituum natura eſt, a ſermonibus eorum cognoſcemus eos, & quis Spiritus ſit qui loquatur, ipſa ſuggeſtio declarabit. „ Si enim ad id quod bonum, quod ſanctum, quod perfectum eſt, incitamur, ille Spiri„ tus nos movet de quo ait Propheta: *Spiritus tuus „ bonus deducet me in terram rectam*. Si vero mo„ vemur ad ſæculi vanitates, ad illecebras carnis, ad inutilia aut noxia deſideria, ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi, certum eſt ſpiritum malum eſſe qui loquitur, quem repellere debemus cum indignatione dicentes ei, *Vade retro Satana*, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, & ſapientia tua inimica eſt Deo.

S. Bernard. Serm. 23. De Diverſis.

Pſalm. 142.

Cardinalis Bona lib. De Diſcretione Spirituum.

Secundo, Deus paulatim ab imo ad ſummum, ab imperfecto ad perfectum perducit: ſoletque ætatis & perſonarum habere rationem; atque aliam ſeni, aliam adoleſcenti, aliam incipientibus, aliam perfectis ſapientiam infundit. Dæmon e diverſo nullum ordinem ſervat, intempeſtivos fervores immiſcet, ſtatim ſuggerit mentis exceſſus, viſiones, prophetias, ut hac fraude illaqueatas, rerumque novarum ſtudio illectas animas in ſuperbiæ barathrum ſecum præcipitet. His quoque ſuadet nimia abſtinentia, *immoderatis vigiliis aliiſque cruciatibus corpus pene conficere; & quia modum non habent, onera ſibi imponunt, quæ ferre non poſſunt. Viribus autem fractis, mentiſque vigore enervato, in tantam poſtea relaxationem labuntur, ut merito de illis propheticum illud uſurpari poſſit*: *Aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos*. *Pſalm. 106.*

3. Solet Deus initio converſionis lacte conſolationis animarum reficere, ut guſtans quam ſuavis eſt Dominus, eo creſcat in ſalutem: cum vero jam adulta fuerit, ſolidiorem porrigit cibum. Diabolus vero difficillima quæque initio proponit, Dei ſeveritatem exaggerat, judiciorum ejus abyſſum cum horrore ingerit, ut in foveam deſperationis inducat. Ille laboranti in comparandis virtutibus paterna pietate tranquillitatem immittit: hic hoſtili nequitia moleſtias infert & anxietatem.

4. Spiritu Dei agi creditur, qui cœleſtes ſuſurros interna cordis aure excipere ſibi videtur: vocem vero quaſi de foris venientem & ſtrepitum quemdam audire, indicium eſt maligni Spiritus. Proprium eſt enim Dei in animum intime illabi, diaboli exterinſecus advenire.

5. Qui a Deo movetur, ſi quid in ſe ipſo mirabile & præter conſuetum ordinem accidit, timet, ſe donis Dei indignum æſtimat, & ne diaboli inſidiis decipiatur, quicquid illud eſt Superiori ſeu conſcientiæ ſuæ Moderatori revelat. Qui vero proclivis eſt ad complacentiam in hujuſmodi rebus, qui ſine delectu fidem illis præbere ſolet, ab eo Spiritu agi videtur, qui per ſuperbiam primum hominem ſeduxit. His aliiſque regulis Spiritus diſcernuntur: ſed in hujuſmodi diſcretione erroris periculum eſt, niſi dono Spiritus ſancti mens regatur, qui quando & ubi vult ſpirat. Hoc autem donum, uti & alia quæ hic enumerat Apoſtolus noſter, etſi tribuere poſſit Deus malis, certum tamen eſt illud impediri vehementia paſſionum animi, & rerum externarum occupatione. Infuſio etenim luminis ſupernaturalis ad hoc neceſſaria mentis tranquillitatem & internam pacem requirit, quæ in animo vitiis obnoxio, ac terrenis affectionibus perturbato, aut terrenis rebus nimium occupato & diſtracto locum non habet. Ideo ut plurimum ſolis juſtis & mundis corde lux iſta infunditur, quibus viſio Dei, rerumque divinarum promiſſa eſt, dicente Domino: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Hæc eſt *Sapientia*; *Quæ in malevolam animam non intrat, nec habitat in corpore ſubdito peccatis*.

Matth. 5. 8. Sap. 1. 4.

11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. Deus donorum ſuorum Dominus eſt. Menſura quiſque ſua contentus eſſe debet. Adoremus Spiritum ſanctum, qui omnia in Eccleſia cum Patre & Filio operatur. Cum veneratione & gratiarum actione dona omnia miremur, quæ electis ejus membris diſtribuit prout voluit. Quæ habent dona, propter nos ſunt: Si quæ habemus, propter illos accepimus. Singulorum dona, ſunt omnium, & propter omnes. „ Si amas unitatem, etiam tibi habet, quiſquis in illa habet „ aliquid. Tolle invidiam, & tuum eſt quod habeo: „ tollam invidiam, & meum eſt quod habes. Livor „ ſeparat, ſanitas jungit. Oculus ſolus videt in cor„ pore: ſed numquid ſibi ſoli oculus videt? Et ma„ nui videt, & pedi videt, & ceteris membris vi„ det. Rurſus ſola manus operatur in corpore, ſed „ numquid ſibi ſoli operatur? Ite pes ambulando „ omnibus membris militat: membra cetera tacent, „ & lingua omnibus loquitur. Habemus ergo Spi„ ritum ſanctum, ſi amamus Eccleſiam: amamus „ autem, ſi in ejus compage & caritate conſiſtimus. „ *Omnibus donis Apoſtolus prapoſuit caritatem*. Ipſam „ habeto, & cuncta habebis: quia ſine illa nihil pro„ derit quicquid habere potueris.

Dona ſingulorum, ſunt omnium unitatem amantium & habentium caritatem.

S. Aug. Tract. 32. in Joann.

12. *Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus*. Quam admirabilis Chriſtianæ gratiæ efficacia, quæ nos ita ſanctificat in Chriſto Jeſu, ut unum cum illo corpus ſimus, cujus ille caput, nos membra, unus Chriſtus, in ſe ipſo recipiens plenitudinem unctionis Spiritus ſancti, in nobis vero participationem; unus Sacerdos, una victima, qui ſeipſum & omnia corporis ſui myſtici membra Deo in ſacrificium offert; unus Dei Filius, in quo ſibi complacuit, æternumque complacebit. Hæc veritas Chriſtianæ fidei fundamentum eſt, religionis compendium, clavis Scripturarum, omnium officiorum caritatis, & unitatis fidelium fons & radix. *Omnia membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus*. „ Totum ergo Chriſtus. Et quia totum Chriſtus, „ ideo Caput de cœlo, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Perſecutorem ſuum vocat perſecutorem

Caput & membra unus Chriſtus.

S. Aug. in Pſalm. 142. n. 3.

mem-

membrorum ſuorum. *Tenete hoc fixum & omnino commendate memoriæ, tamquam filii Eccleſiaſticæ eruditionis & fidei Catholicæ, ut agnoſcatis Chriſtum caput & corpus, eumdemque Chriſtum Verbum Dei unigenitum æqualem Patri, & inde videatis quanta gratia pertingatis ad Deum, ut ipſe eſſe voluerit nobiſcum unus, qui eſt cum Patre unus.* Quomodo cum Patre unus? Ego & Pater unum ſumus. Quomodo nobiſcum unus? *Non dicit* (inquit) *Et ſeminibus, tamquam in multis;* „ *ſed tamquam in uno, Et ſemini tuo; quod eſt* „ *Chriſtus*. Mementote quia ſemen Abrahæ Chriſtus: ac per hoc ſi nos ſemen Abrahæ, ergo & „ nos Chriſtus. Ait porro Apoſtolus, *Si autem vos* „ *Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis*. Ideo magnum eſt „ illud ſacramentum, *Erunt duo in carne una*. Apoſtolus dicit, *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Chriſtus & Eccleſia, „ duo in carne una. Refer ad diſtantiam Majeſtatis „ duo. Non enim & nos Verbum, non enim & „ nos in principio Deus apud Deum, non enim & „ nos ille per quem facta ſunt omnia. Venitur ad „ carnem, & ibi Chriſtus, & ille & nos. Non ergo „ miremur in Pſalmis: multa enim dicit ex perſona capitis, multa ex perſona membrorum: & „ hoc totum tamquam una perſona ſit, ita loquitur. Nec mireris quia duo in voce una, ſi duo „ in carne una... *Ergo ſimul omnes nos cum capite noſtro Chriſto, ſine capite noſtro nihil valentes. Quare? Quia nos cum capite noſtro vites, ſine capite noſtro, quod abſit, ſarmenta præciſa, non alicui operi agricolarum, ſed igni tantummodo deſtinata*. Ideo & ipſe in Evangelio, *Ego ſum vitis, vos palmites, Pater meus agricola eſt*: &, *Sine me nihil poteſtis facere*. „ Domine, ſi ſine te nihil, totum in te. Etenim quicquid ille operatur per nos, nos videmur operari. *Poteſt ille multum & totum ſine nobis, nos nihil ſine ipſo*. Væ illi qui hæc non meditatur. Væ illi qui meditatur, & melior non evadit.

Joan. 10. 30.
Galat. 13. 16.
Cap. 9.
Gen. 1. 24.
Epheſ. 5. 32.

S. Aug. Enarr. 2. in Pſalm. 30. n. 4.

Joan. 15. 5.

13. *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno Spiritu potati ſumus*. Spiritus ſanctus qui Virginem fœcundam fecit ut conciperet ac pareret Chriſtum Jeſum Dei Filium, aquas baptiſmatis fœcundas fecit ad regenerandum ejus membra. *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem*. Idem Spiritus verbis Sacerdotis vim tribuit conficiendi corpus & ſanguinem Chriſti, alimoniam membrorum ejus æque divinam, ac principium regenerationis illorum divinum eſt. Homo Caput habet & Spiritum Deum: agitur & cibum debet habere divinum. Tota Religio Chriſtiana eo tendit ut nos omnes unum efficiat charitate. Unitatis illius origo baptiſmus, perfectio Euchariſtia. Qui hanc unitatem violare non veretur, immemor eſt ſe cum fratre ſuo Chriſtiano ex eodem Patre Deo, ex eadem matre Eccleſia renatum, unum cum illo corpus eſſe, uno Spiritu vivere, uno Pane cœleſti, unoque potu ali. „ Non „ ſolum unus eſt qui nos baptizavit; ſed & unum „ eſt id quod baptizavit, hoc eſt, propter quod „ baptizavit, unum eſt. Non enim ut diverſa haec „ corpora, ſed ut omnes corporis unitatem inter nos „ conſervemus, baptizati ſumus. Quamobrem & „ qui conſtruxit unus, & ad quod conſtructum „ eſt, unum eſt. Et non dixit, ut ſimus unius cor„ poris, ſed ut omnes ſimus unum corpus. Et pul„ chre dixit, omnes nos, ſeipſum quoque adjiciens. „ Neque enim ego qui ſum Apoſtolus, pluſquam tu „ quidquam habeo, hac, inquit, ratione. Nam & „ tu corpus es, ſicut & ego, & ego ſicut tu, & „ idem omnes habemus caput, & eodem partu ſu„ mus editi, & ideo ſumus idem corpus, ſive „ Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi. Si „ autem cum adeo remoti eſſemus, facti ſumus unum: multo magis poſtquam unum facti ſumus, disjungi ab invicem non debemus, ſed in caritate perſeverare unanimes. Spiritus in quo baptizati ſumus, & quo potati, Spiritus eſt unitatis; unitatem igitur & pacem ſervemus. Spiritus eſt caritatis, nos mutuo diligamus ut fratres, ut commembra, ut ejuſdem regni coheredes. Spiritus eſt ſanctitatis: noſtram & proximorum ſanctificationem cum Dei gratia operemur.

Unitas Chriſtianæ Myſterium.
S. Leo M.

S. Chryſoſt.

14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa*. Paſtoribus ſubjici & parere, fratribus connexum eſſe vinculo caritatis & concordiæ, Religionis Chriſtianæ ſpiritus eſt. Membrum quod ſolum, ſingulare, & a ceteris membris diviſum eſſe amat, vitam amittit. *Manifeſtum eſt enim qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe. Membra vero Chriſti per unitatis caritatem ſibi copulantur, & per eamdem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Omnium membrorum in corpore myſtico concordia, Patris & Filii unitatem, quantum fieri poteſt, imitatur. Dicit Dominus, *Ego & Pater unum ſumus*. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: „ *Et hi tres unum ſunt*: & quiſquam credit hanc „ unitatem de divina firmitate venientem, Sacra„ mentis cœleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia „ poſſe, & voluntatum collidentium divortio ſe„ parari? *Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filii fidem, vitam non tenet & ſalutem*. Ordinem ſuum in Eccleſia ſervare debent ſingula membra, locum in quo a Spiritu ſancto poſita ſunt, tenere; ſuperiorem locum, ſublimiora & digniora miniſteria non ambire, ſibi ipſis non dicere, *Aſcende ſuperius*. Perienloſa tentatio eſt miniſterium aſſumere ſibi velle in Eccleſia, his qui pedes illius ſunt, ad ambulandum dumtaxat & progrediendum in via propriæ ſalutis & perfectionis deſtinati. Alia tentatio eſt non minus periculoſa, in Eccleſia otioſum manere, his qui ad laborem & miniſterium ſunt vocati. *Si dixerit pes, Quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore?* Alios docere & dirigere velle, alia illuſio eſt in iis quibus audire dumtaxat & obedire convenit. *Et ſi dixerit auris, Quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, num ideo non eſt de Corpore?* Fons malorum in Eccleſia eſt defectus vocationis aut fidelitatis in Miniſtris. Pauci admodum attendunt quas functiones obire debeant, omnes pene faciunt quod optant. Inſpectionem & Paſtoralis muneris functionem plerique ſibi arrogant, qui bonorum exemplorum odorem ſequi, & verbum Dei in ſilentio audire deberent. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?* Qui Deo & Eccleſiæ ſervire ſincere cupit, in eo maneat ordine & loco in quo Deus illum poſuit, non illum eligat, vel deſideret; qui ambitioni ſuæ, aut cupiditati magis placuerit, *Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit*. In multitudine & diverſitate membrorum & miniſteriorum eſt utilitas & pulchritudo Eccleſiæ, non minus quam corporis naturalis poſita eſt. Vel infimum in Chriſti corpore locum tenere, aut miniſterium obire, honorificum eſt & ſalutare. *Quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus*. „ Quid „ enim ſancta Eccleſia, niſi ſuperni ſui capitis cor„ pus eſt? In qua alius alta videndo oculus, alius „ recta operando manus, alius ad injuncta diſcur„ rendo pes, alius præceptorum vocem intelligendo „ auris, alius malorum fœtorem, bonorumque fra„ grantiam diſcernendo naris eſt. Qui corporalium „ more membrorum, dum vicaſſim ſibi accepta offi„ cia impendunt, unum de ſemetipſis omnibus cor„ pus reddunt: & cum diverſa in charitate peragunt, diverſum eſſe prohibent ubi continentur. „ Si autem unum quid cuncti agerent, corpus uti„ que quod ex multis continetur, non eſſent: Quia „ videlicet multipliciter compactum non exiſteret, „ ſi hoc concors membrorum diverſitas non tene„ ret. Sed cum miro conſilio Auctor & Diſpoſitor „ noſter huic illa largitur quæ alii denegat, alii „ hæc denegat quæ illi largitur; menſuras ſibi „ poſitas egreditur, quiſquis poſſe plus quam acce„ perit conatur. Et plerumque amittit & quod „ poterat, qui audacter ea ad quæ pertingere non „ valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum no„ ſtrorum tunc bene miniſteriis utimur, cum ſua „ eis officia diſtincte ſervamus. Bene itaque David „ Propheta intra acceptas ea divina largitate men„ ſuras pedem cordis preſſerat, cum dicebat: *Neque* „ *ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*. „ Super ſe quippe in mirabilibus ambularet, ſi ap„ parere magnus ultra quam poterat quæreret. Su„ per ſe in mirabilibus attollitur, qui & in his ad „ quæ non ſufficit, videri idoneus conatur.

S. Cyprianus, De Unitate Eccleſiæ Catholicæ.

Ordinem ſuum in Eccleſia ſervare debent ſingula membra.

S. Gregorius lib. 28. Moral. cap. 6.

21. 22. *Non poteſt autem oculus dicere manui; Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii*. Multitudo, diverſitas, & ſubordinatio Miniſtrorum & Miniſteriorum, neceſſariæ ſunt Eccleſiæ Chriſti. Poſſunt ne dicere Pontifices & Epiſcopi ſecundi ordinis Presbyteris & Miniſtris, Opera veſtra non indigeo? Qui vitæ contemplativæ vacant, poſſunt-ne dicere illis qui vitæ activæ ſoluti ſunt, Non eſtis mihi neceſſarii? Minime: ſerviunt enim ſibi invicem membra, ad mutuam ſanctificationem. Oves Paſtoribus indigent, qui eas tegant, paſcant verbo, ſacramentis, exemplis, qui eas curent, ducant, defendant. Paſtores indigent ovibus, quæ & illis ſuccurrant orationibus, eleemoſynis ad opera Eccleſiæ utilia, pietate, zelo, obſequio, adjutorio, prout quiſque poteſt. Nonne

Eccleſiæ membra mutua ope indigent, ſibique invicem ſerviant.

S. Aug. lib. De Unitate Eccleſiæ c. 2.

Digitized by Google

Apoſtolus noſter, qui ad tertium cœlum raptus erat, qui Magiſter & Doctor Gentium a Chriſto conſtitutus, tot chariſmatis ornatus, tam eximia ſanctitate conſpicuus, qui plus omnibus laboraverat & paſſus erat pro Chriſto & Eccleſia, ſe nihilominus fidelium precibus commendabat, illis ſe plurimum apud Deum indigere ſignificans? *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.* Quot Solitarii, quos membra Eccleſiæ infirmiora plerique dixiſſent, Eccleſiam non pœnitentia tantum ſua ædificarunt, & precibus ſuſtinuerunt, verum etiam periculoſis temporibus Religionem defenderunt? Quot Virgines ſexu infirmæ, ope humana deſtitutæ, Eccleſiæ utilitates fuerunt pleriſque Eccleſiæ Prælatis & Doctoribus? Genovefam, Catharinam Senenſem, Thereſiam, reſque ab illis geſtas conſiderate, & quam neceſſariæ fuerint Eccleſiæ ſuis temporibus ultro prædicabitis. Intuemini Catechiſtas & Miſſionarios in Miniſterio ſuo aſſiduos & ferventes: nonne eorum talenta, etſi ignobiliora & inferiora videantur talentis eximiorum Concionatorum, qui in primariis exedris Evangelium prædicant, maximumque nomen ſibi faciunt; nonne, inquam, Eccleſiæ magis proſunt illa etſi non ita ſplendida talenta catechizandi, & ad populi captum, ſeu Apoſtolico (ut ajunt) more concionandi? Quid eſt vilius & abjectius pauperibus mendicantibus? „ Sed tamen (inquit S. Chryſoſtomus) ii quoque uſum maximum implent in Eccleſiis, affixi portis templi, & maximum præbentes ornamentum, & abſque iis non fuerit impleta plenitudo Eccleſiæ.. Sedent per diem aliquod conficientes medicamentum ſalutis. Non enim Medicus manum extendens, & ferrum immittens putrefacta vulnera æque exſcindit, ut pauper extendens dexteram & accipiens eleemoſynam, amputat & tollit vibices vulnerum, & quod eſt mirabile, abſque dolore & angore hanc pulchram efficiunt curationem: & non minus quam nos qui populo præſidemus (ait S. Chryſoſtomus) & vobis utilia ſuademus, differit is qui ſedet ante fores Eccleſiæ, per ſilentium & aſpectum. Nos enim ſingulis diebus hæc perſonantes dicimus: Ne ſuperbi & inſolentes tibi ſint ſpiritus, o homo. Fluxa & caduca eſt hominum natura, juventus properat ad ſenectutem, pulchritudo ad deformitatem, vires ad imbecillitatem, honor ad contemptum, ſanitas ruit ad morbum, gloria ad vilitatem & abjectionem, divitiæ ad paupertatem. Res noſtræ ſunt ſimiles vehementi fluento; quod nuſquam conſiſtit, ſed fertur feſtinans ad declive. Eadem illi quoque & his plura per aſpectum conſulunt, & per ipſam experientiam, quæ eſt manifeſtior & apertior admonitio.

S. Joan. Chryſ. Hom. 30. in hanc Epiſtol.

23. 24. *Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem noſtra nullius egent: ſed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem.* In corpore myſtico quæ ignobiliora videntur membra, ut pauperes, ruſtici, idiotæ, ſervi & ancillæ, ſæpe dignіora ſunt coram Deo, ſæpe vaſa ſunt in honorem; divites, nobiles, potentes, litterati, ſæpe vaſa contumeliam. Timeamus expectantes ſupremum Judicem, penes quem judicium diſcretionis & damnationis eſt. Pauperibus non minorem curam, immo majorem impendant Paſtores, quam divitibus, memores Prophetici Oraculi, & verborum Chriſti: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde.* Et Apoſtolicæ ſententiæ: *Audite, fratres mei dilectiſſimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe? Vos autem exhonoraſtis pauperem.* Tanto magis honorandi pauperes, quanto ſimiliores Chriſto Domino: honorandi (inquam) illo honore de quo Apoſtolus noſter: *Viduas honora, quæ veræ viduæ ſunt:* Et, *Qui bene præſunt Præsbyteri, duplici honore digni habeantur.* Qui honor non tam in ſalutationibus & verbis obſequioſis, quam in eleemoſynarum largitione poſitus eſt. Simul in unum dives & pauper in Chriſti Corpore, alter altero indigent; pauper divite, ut ſublevetur a temporali miſeria; dives paupere, ut recipiatur in æterna tabernacula. Sunt & alia membra in Eccleſia, quæ non ſolum ignobiliora videntur, ſed revera inhoneſta ſunt, ſcilicet impudici, ebrioſi, maledici, avari, omneſque mali. Horum porro major cura gerenda eſt a Paſtoribus, ut eorum ſalus procuretur. Non enim opus eſt ſanis medico, ſed male habentibus. Eorum peccata & ſcandala tegenda ſunt velamine caritatis, pudore pœnitentiæ, ſatagendum ne in publicum prodeant, & alios inficiant & corrumpant; ſalutarium correptionum medicamentis curandi ſunt. Qui enim ſecundum præſentem injuſtitiam membra ſunt inhoneſta & pudenda, forte ſecundum prædeſtinationem æternam membra ſunt honeſta & electa, æternaque gloria induenda, Immortalitate donanda. *Et quæ inhoneſta ſunt noſtra abundantiorem honeſtatem habent.*

Major cura ignobiliorum, & inhoneſtorum Eccleſiæ membrorum habenda eſt Paſtoribus.

Iſai. 61.

Luc. 4. 18.

Jacob. cap. 2. 5. 6.

25. 26. *Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra.* Unio & pax membrorum, ſanitas corporis eſt. Quæ fœditas! Quis furor! Quis horror! ſi membra ſe invicem oppugnarent, ſi caput ſe contra parietes collideret, ſi manus faciem lacerarent, aut gladio armatæ in reliqua membra ſævirent, ſi dentes morſibus impeterent manus, & brachia, ſi pedes ad præcipitium currerent? Sic in corpore myſtico caritas & pax Chriſti membra connectere & conjungere debet, quia eorum diſſenſiones & rixæ in illorum perniciem, in corporis afflictionem ac dedecus vertunt. *Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſollicita ſint membra*, quærentia non quæ ſua ſunt tantum, ſed quæ alterius, ſibi mutuo procurantia quicquid conferre poſſunt utilitatis, commodi, ſolatii, auxilii, ſuis invicem infirmitatibus condolentia, ſuis bonis & profectibus congaudentia. Vivum enim Chriſti Jeſu membrum non eſt, Spiritu ejus non vegetatur, fruſtra ſe ad ejus corpus pertinere gloriatur, qui aliorum membrorum & totius Eccleſiæ malis non compatitur, qui bonis ſpiritualibus, profectibus, donis, meritis, honoribus fratrum non congaudet, ſed invidet. Mortuum certe aut ſtupidum membrum eſt. *Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* „ Tria igitur hic exigit Apoſtolus, non abſcindi, ſed exacte eſſe unitos; alterum alterius curam gerere; exiſtimare communia ea quæ accidunt, ſeu mala, ſeu bona. Nihil autem æque dividit & disjungit ac invidia. Gravis hic morbus, ipſaque avaritia malorum omnium radice gravior. Nam avarus & pecuniæ cupidus tunc lætatur cum ipſe accipit; invidus autem tunc quando alter non accipit: ſuum enim beneficium exiſtimat aliorum res adverſas, non fauſtum ſuorum ſucceſſum. Dæmonum invidet, ſed hominibus, nulli autem dæmoni. Tu autem cum ſis homo, invides hominibus. Quam excuſationem habebis, qui contabeſcis & palles, cum videris fratri res eſſe ſecundas, cum ob id lætari deberes? Æmulare, non ut ipſum deprimas, ſed ut eamdem præ te feras virtutem. Hæc eſt bona æmulatio, imitari, & non bellum gerere; non dolere de bonis aliorum, ſed de malis peccatiſque ſuis. Cujus contrarium facit invidia. Propria enim mala negligens propter aliena tabeſcit. Pauper enim non ita dolet de ſua paupertate ac de proximi copiis.

Unio & pax membrorum Eccleſiæ.

Invidiæ malum.

S. Chryſoſt. Homil. 31.

27. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro.* Vivamus igitur de Spiritu Chriſti, ſicut corpus noſtrum vivit de anima noſtra: cor unum habeamus, ſicut omnia corporis noſtri membra cor unum habent. Omnes eidem Domino paremus, eumdem Magiſtrum ſequimur, eumdem Principem comitamur, eidem capiti ſubjungimur, ad eamdem Jeruſalem tendimus; eamdem ſectemur caritatem, eamdem amplectamur unitatem. Meminerimus nos eſſe Corpus Chriſti, ut vitam ejus in nobis exprimamus, ut paſſiones ejus in nobis adimpleamus, ut crucem ipſius cum illo feramus.

28. 29. 30. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores &c. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores? &c. Æmulamini autem chariſmata meliora.* Deo gratias agimus, qui Apoſtolos, Prophetas, Doctores, aliosque operis ſui Vicarios, conſilii ſui Miniſtros Eccleſiæ ſuæ dedit: in ſummo Pontifice & Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſores veneremur, eiſque pareamus: in Prædicatoribus Prophetarum ſucceſſores audiamus, & Dei vocem ac mandata ex ore eorum auribus noſtris inſonare exiſtimemus, ut mores mutemus in melius, & pœnitentiam agamus: illi vero ut miniſterium impleant ſuum in Eccleſia, Apoſtolicam & Propheticam vitam agant. Nemo Chriſtianus alienis donis invideat, ſed ſancte ſuis utatur. Omnia quippe membrorum Chriſti dona noſtra ſunt per caritatem; illa poſſidemus in unitate: de illis congaudere debemus omnes propter veritatem; ex illis proficere ad cœleſtis beatitudinis conſequendam æternitatem. Qui Eccleſiam vere diligit, ea dona, ea talenta pluris facit, quæ magis illius ædificationi ſerviunt. *Æmulamini chariſmata meliora.* Cetera quidem dona e cœlo veniunt, ſed ad cœlum per ſe non evehunt eos quibus conferuntur. Et Judas Apoſtolus fuit, & donum miraculorum habuit: & Balaam, & Caiphas

Caritas ceteris omnibus donis excellentior.

phas

Digitized by Google

phas prophetaverunt: & Salomon ſapientiſſimus fuit mortalium: & plures Doctores eminenti ſcientia in Eccleſia claruerunt; qui a regno cœlorum excluſi ſunt, perſeveranter non ambulantes in via quæ ad illud ducit, ſcilicet in caritate, quæ ſola nos ad Deum evehit, nos Deo conſecrat, nos Deo conjungit, nos in Deo conſummat. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.*

CAPUT XIII.

Senſus Litteralis.

Deus ſine caritate inutilia habentibus.

1. *SI linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Si lingua pluri-marum aut etiam omnium gentium loquar, immo & ſermone elegantiſſimo, qualis eſſet Angelorum, ſi externis organis, & non ſola directione conceptuum ad invicem loquerentur, charitate autem deſtitutus, eo dono utar oſtentationis cauſa, & non ad utilitatem Eccleſiæ, & proximi ædificationem, nihil mihi proderit ad ſalutem, etſi aliis forte non erit inutile: ſicut æs & cymbalum ſonando ſerviunt hominibus, ſe tamen ipſa deterunt & corrumpunt. Quo modo ergo facies pulcherrima dicitur Angelica, & panis excellentiſſimus dicitur panis angelicus, ita & ſermo elegantiſſimus, dicitur angelicus. Unde & Gallice dicimus, *il eſt beau comme un Ange, il parle comme un Ange*. Donum porro linguarum comparationem inſtituens primum omnium poſuit, quoniam hoc apud Corinthios videbatur eſſe majus ac præſtantius. Majus autem exiſtimabant, quoniam ante alia omnia Apoſtolis datum eſt in die Pentecoſtes, quando venit Spiritus ſanctus. Angelorum autem linguas dicit, ait Theodoretus, non quæ ſenſu, ſed quæ intelligentia percipiuntur, per quas & univerſorum Deum laudant, & inter ſe colloquuntur. Eos enim laudantes audierunt Iſaias & Ezechiel: quin etiam eos inter ſe loquentes audierunt Daniel & Zacharias, & Michæas. Apoſtolus autem hoc dixit hyperbolice, charitatis excellentiam & fructum ampliorem oſtendere volens.

Theodoretus in hunc locum.

2. *Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Si prophetiæ donum haberem, & arcana divina ac cœleſtia, ſeu Myſteria reconditiora penetrarem & perſpecta atque explorata penitus haberem; & perfectam rerum omnium ſcientiam eſſem a Deo conſecutus, etiam operoſam, & quæ in communem uſum docendo & ſcribendo impenditur: & ſi fidem adeo firmam haberem ac ejus virtute miracula ederem maxima & difficillima, qualis eſt hominum opinione translatio montium ab uno in alterum locum; charitatem autem non habeam, ſincerum ſcilicet animi affectum, quo Deum propter ſe ipſum, & proximum propter Deum diligam, nullius ſum pretii apud Deum, nec iſta mihi proſunt ullatenus ad ſalutem æternæ vitæ conſequendam. Quamvis autem & id de fide montes transferente, & tamen charitate deſtituta, dictum hyperbolice ab Apoſtolo videatur, * nec ſoleat Deus tanta dona conferre niſi amicis ſuis; hinc tamen certo colligitur, *fidem ſine charitate eſſe poſſe, non prodeſſe*; ut colligit ex hoc loco Sanctus Auguſtinus. Et S. Thomas Lect. 1. in hoc caput: *De Prophetia*, inquit, *& fide manifeſtum eſt quod ſine charitate haberi poſſent. Sed notandum eſt hic quod fides firma etiam ſine charitate miracula facit. Unde Matth. 7. dicentibus*: „Nonne in nomine tuo prophetavimus, „& multas virtutes fecimus? *reſpondetur*. Nun„quam novi vos, diſcedite a me, qui operamini iniquitatem. *Spiritus enim ſanctus operatur virtutes etiam per malos, ſicut & per eos loquitur veritatem.*

Marci 11. 23.

* S. Baſilius Epiſt. 75. Ad Neocaſarienſes S. Ambroſius Epiſt. 78. ad Honoratium Edit. Pariſ. PP. Benedict. Theodoretus. S. Auguſt. lib. 15. De Trinit. c. 18.

3. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Si omnes facultates meas ad alendos pauperes erogavero, ſeu totum patrimonium impendero ut eſcam velut in fruſta & particulas diviſam & conciſam egenis diſtribuam: & ſi corpus meum pro confeſſione nominis Chriſti igni aut atrocibus & extremis alterius generis ſupplicii tradidero; charitatem autem non habuero, nihil mihi proderunt ad æternam ſalutem opera tam ardua & in ſpeciem heroica. Poſſunt enim facultates omnes erogari pauperibus inanis gloriæ cauſa, ſicut a Thebano quodam factum commemorat Origenes, & oſtentationis celebrandique apud poſteros nominis gratia poteſt aliquis ſeipſum ignibus aliiſve mortis generibus devovere, ut Calanus & Peregrinus Philoſophi. Et ſi mala facere, verbi gratia Chriſtum negare, aut aliud peccatum mortale facere juſſus, aut mala pati, eligam potius pati quam facere, & ſic corpus meum exponam tyranni poteſtati, & charitatem non habuero; nihil mihi proderit ad vitam æternam. In quibuſdam olim Codicibus Græcis legebatur *καυχήσωμαι, ut glorier*, pro *καυθήσωμαι ut ardeam*, levi unius litteræ mutatione. Quam lectionem etſi olim alteri præpoſuerit Sanctus Hieronymus, collatis tamen Codicibus Græcis melioris notæ Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddens, tranſtulit, *ut ardeam*. Et certe manifeſtum ſatis eſt non habere caritatem, qui mortem inanis gloriæ cauſa oppetit. Unde ſuperfluum fuiſſet ac redundans iſtud comma, *Charitatem autem non habuero*. Recte ergo vertit, *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam*. Quod Græci & Latini Interpretes ſummo conſenſu ſequuntur & commentantur.

Origenes ad cap. 19. S. Matthæi.

S. Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Galatas.

4. 5. 6. 7. *Charitas patiens eſt*. Hæ proprietates inſignes, officia, & caracteres, quibus dignoſcitur charitas. Habens charitatem *patiens eſt*, leni animo eſt, nequaquam præceps ad iram aut vindictam. *Benigna eſt*, comis, morum ſuavitate amabilis, benefica, de omnibus bene mereri ſtudens, omnibus ſe propter eorum ſalutem attemperans. *Charitas non æmulatur*. Non invidet aliorum bonis. *Non agit perperam*. Non eſt a temeraria præceps, *b* ſimulatrix, *c* non eſt ad tumultus & ſeditiones prona, *d*. Non curioſe ſcrutatur quæ ad ſe non attinent. *Non inflatur*. Adverſus alios ſuperbe ſe non extollit, nec illos deſpicit, ut ſolent homines plerique eximiis dotibus & talentis præditi, ſi ſint caritatis inanes. *Non eſt ambitioſa*, ſeu (quæ vis eſt Græcæ vocis ἀσχημονεῖ) *non eſt faſtidioſa*. Nihil vile & abjectum pro utilitate fratrum facere recuſat, indecoram ejuſmodi actionem eſſe ducens. S. Auguſtinus legit, *e Non dehoneſtatur*, id eſt, non probroſum ducit & indignum ſervire fratribus quidvis humile pro illis agendo aut patiendo. *Non quærit quæ ſua ſunt*, cum diſpendio ſcilicet gloriæ Dei, aut cum damno vel incommodo proximi. *Non irritatur*. Non excandeſcit, non exacerbatur; iræ commotionem moderatur; ſi qua moleſtia fuerit ab aliquo affecta, fert patienter propter ſtudium dilectionis. *Non cogitat malum*. Non facile ſuſpicatur malum de proximo; vel, *f* non imputat malum proximo a quo forte injuria eſt affecta, ſed ignoſcit erratis, non malo animi propoſito facta eſſe exiſtimans. *Non gaudet ſuper iniquitate*. Quæcumque injuſta ſunt odio habet; dolet ſi proximus quid mali & injuſti faciat, vel patiatur, ſi injuria afficiatur, vel opprimatur. *Congaudet autem veritati*. Iis quæ bona & juſta ſunt delectatur. Sinceritatem, bonam fidem, integritatem, vias rectas amantibus & ſequentibus gratulatur. *Omnia ſuffert*. Infirmitates, defectus, vicia proximi, moroſam indolem, agendi modos quantumvis moleſtos tegit, diſſimulat, tolerat, quatenus fraternæ ſaluti expedit. *Omnia credit*. Omnia quæ prudenter & bona conſcientia credi poſſunt & debent proximo dicenti credit: a mendacio enim alienum putat quem diligit. Vel, quicquid ad peccatum proximi excuſandum aut minuendum veriſimiliter affertur, proclivis eſt ut credat. Vel, omnia credit ſine exceptione, quæ a Deo revelata ſunt, & ab Eccleſia credenda proponuntur. *Nec in laudibus caritatis, quod dictum eſt. Omnia credit, ſic accipiendum eſt, ut caritati cujuſpiam derogemus, ſi non quod audierit ſtatim crediderit. Quid quod eadem charitas admonet, non facile de fratre aliquid mali eſſe credendum, & cum tale aliquid dicitur, hoc ad ſe magis judicat pertinere ne credat. Poſtremo ipſa caritas quæ omnia credit, non omni ſpiritui credit: ac per hoc, omnia quidem credit, ſed Deo; quia non dictum eſt, omnibus credit. Nulli itaque dubium eſt eam fidem ab Apoſtolo commendari, qua creditur Deo* (ait S. Auguſtinus.) *Caritas omnia ſperat* de proximo quem diligit, ſive bonus ſit, ſive malus, de iſto bona, de illo meliora; de iſto reſipiſcentiam; de illo profectum & perſeverantiam in bono. Vel, a Deo ſperat omnia quæ ipſe promiſit, ac ſperanda propoſuit. *Omnia ſuſtinet*. Mala quæcumque ab improbis illata, maledicta, contumelias, tormenta, mortem ipſam ſuſtinet propter Dei gloriam & proximorum ſalutem: nihil juſtum a charitate dejicere poteſt. Vel, patienter expectat promiſſa Dei, quamvis in longum tempus dilata ſecundum illud Habacuch 2. *Si moram fecerit, expecta eum*. Et Pſal. 26. *Confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*.

a Proprietates & caracteres caritatis.

b. S. Chryſoſt. Homil. 33. Theophylact. Oecumen.

b. S. Baſil. Regul. Brevior. 49.

c Syriaca verſio.

c Theodoret.

e S. Aug. l. De Gratia & lib. arbit. c. 17.

Theodoret.

8. *Charitas numquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur.* Charitas numquam deſinet in eo qui morietur in ſtatu gratiæ & charitatis; manebit æternum in cœ-

Sola caritas manebit in æternum in iis qui in ſta

In gratiæ & caritatis mutantur.

leſti patria perfecta & conſummata dilectio, fide per intuitivam Dei viſionem, & ſpe per ejus fruitionem, abolitis. Dona autem prophetiæ, linguarum, & ſcientiæ, in meliore illo ſæculo ceſſabunt. Rebus enim præſentibus ſupervacanea eſt prophetia. Nihil porro a notitia Beatorum remotum erit quod eis noſſe expediat: nec ulla ſupererunt prænuncianda aut exponenda myſteria. Inutile etiam erit donum linguarum, ſublata earum differentia. Inutile tandem erit ſcientiæ donum, quo per ea quæ ſunt humanæ cognitionis aut experientiæ doctrina Chriſtiana perſuadetur iis qui non credunt, aut in ea qui jam crēduot confirmantur, aut contra impugnantes defenditur. Fide in ſpeciem converſa, *Non docebit ultra vir proximum ſuum. Omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus*. Scientiam dicit, quæ accommoda eſt ad docendum, ait Oecumenius & apud eum Photius. An igitur tunc in ignorantia degemus? Abſit, ſed de præſenti cognitione quæ ex parte eſt, dixit Apoſtolus quod abolebitur. Unde ſubdit:

Jerem. 31. 34. *Oecumenius.*

Job 36. 26. *S. Chryſoſt. Hom. 34.*

9. 10. *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus*. Imperfecte cognoſcimus Deum & res divinas, Deus enim magnus vincens ſcientiam noſtram. Scimus verbi gratia, Deum eſſe ubique, ſed quomodo ſit neſcimus. Quod quæ ſunt ex nihilo fecerit, ſcimus, modum autem ignoramus. Quod ex Virgine natus ſit ſcimus, quomodo autem, nequaquam. Imperfecte etiam myſteria fidei per prophetiæ donum aliis explicant, qui hoc dono a Deo ſunt ornati, quia ita exponunt, quomodo intelligunt. *Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*. Cum ad ſtatum perfectum pervenerimus, qui ſtatus eſt gloriæ, in quo Deum videbimus ſicuti eſt, dona quæ imperfectionem in ſe involvunt & obſcuritatem, aut quæ proximorum imperfectioni ſerviunt, abolebuntur.

11. *Cum eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli*. Similitudine rem illuſtrat Apoſtolus. Alius eſt ſermo, aliud judicium, aliud ratiocinium pueri & viri perfecti. Multo major autem erit differentia hujus temporis & cœleſtis vitæ. Nunc velut in puerili conſtituti ſumus ætate; tunc velut in virili perfectione. Igitur cum eſſem parvulus, loquebar, judicabam, ratiocinabar ut parvulus. Ut vero virilem ætatem attigi, virilem perfectionem ſermone, judicio, ratiocinio demonſtravi, puerilibus imperfectionibus obliteratis. Sive, *loquebar ut parvulus*, quod ad donum linguarum; *ſapiebam ut parvulus*, quod ad donum prophetiæ; *cogitabam ut parvulus*, quod ad donum ſcientiæ refertur. Senſus igitur eſt. In hoc ſæculo tanquam in pueritia, de Deo rebuſque divinis judicamus, loquimur, diſſerimus obſcure & imperfecte, quia per fidem. *Dum enim ſumus in corpore* hoc mortali, *per fidem ambulamus, & non per ſpeciem*, ait alibi Apoſtolus noſter, a Domino peregrinamur. In futuri autem ſæculi beato ſtatu, quaſi in ætate virili & perfecta, omnem iſtam loquendi, ſapiendi, cogitandi imperfectionem abjiciemus, fide in viſionem, & ſpe in poſſeſſionem ac fruitionem commutata.

Theophylact. S. Thomas.

2. Cor. 5.

12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*. Cognitio Dei rerumque divinarum, quam in hoc ſæculo habemus per fidem & dona prophetiæ ac ſcientiæ, ſimilis eſt viſioni ſpeculari, qua minus perfecte res videntur, quam ſi eam directe & in ſe ipſa intueremur; ſive, ſimilis eſt viſioni qua aliquid per cancellos, aut per tranſennam, id eſt, procul atque confuſe videmus. Imago quædam rei, non res ipſa ut in ſe eſt, videtur in ſpeculo. *Omnes homines vident eam, unuſquiſque intuetur procul*. Similis eſt & cognitioni ænigmaticæ, propter obſcuritatem, & difficultatem cognoſcendi. Hæc ſimilitudo ſumpta videtur ex *Numer.* 12. 8. ubi de Moyſe Dominus ait. *Ore ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata & figuras Dominum videt*. Multo major autem diſcrimen eſt inter cognitionem Dei rerumque divinarum quam habuit Moyſes, & cognitionem beatorum, quam tunc fuerit inter cognitionem Moiſis aliorumque Prophetarum. *Tunc autem*, ſcilicet in altera vita, *facie ad faciem*, perfecte, clare, diſtincte, *ſicuti eſt*, Deum videbimus. Et gratius certe & perfectius amicum facie ad faciem, quam in ſpeculo contemplamur. *Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*. Ego ipſe Apoſtolus, licet in tertium cœlum & in Paradiſum raptus, ubi audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui, obſcure & imperfecte Deum cognoſco, divinaque myſteria pauca ex multis. Tunc vero Deum reſque divinas cognoſcam, ſicut & cognitus ſum a Deo, clare, dilucide, perfecte. Tò *ſicut*, ſimilitudinem notat, non æqualitatem. Infinitum enim diſcrimen eſt inter cognitionem Creatoris & creaturæ. Unde quamvis Deum ut in ſe eſt Beati videant, omniaque divina Myſteria in eo contueantur, non tamen comprehendunt.

Job. 36. 25.

1. Joan. 3. 2.

S. Thomas, Lect. 4.

13. *Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc: major autem horum eſt caritas*. Hæc tria Spiritus ſancti dona, hæ tres virtutes Theologicæ in hac vita permanent in omnibus re & nomine Chriſtianis, utpote ſine quibus Deo placere ſit impoſſibile; cum cetera chariſmata ne quidem hoc ſæculo durante ita permaneant: Donum enim linguarum jam olim ceſſavit; prophetia & miraculorum gratia paucorum ſunt; donum ſcientiæ non omnibus neceſſarium eſt. Ex his autem major eſt caritas; major dignitate, quia nos Deo conjungit & ſimiles facit: major fructu, quia ſine illa fides & ſpes infructuoſæ manent: & fructus caritatis longius diffunditur, nempe ad proximum, cum fides & ſpes in ſolo fideli ſiſtant: „ Major tandem duratione, „ quia ſola permanet in vita beata. Supervacanea „ eſt enim fides in futura vita, cum res evidenter „ apparent. Si enim fides eſt eorum quæ ſperantur „ ſubſtantia, rebus jam apparentibus fide non am„ plius eſt opus. Ita etiam ſpes eſt illic ſuperflua. „ Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes; quod enim „ videt quis quid ſperat? Caritas autem majores „ illic vires habet, ceſſantibus perturbationibus, & „ cum corpora quidem ab interitu aliena facta fue„ rint, animi vero non nunc hoc, nunc illud volue„ rint, ſed in Deo intuitive viſo immutabiliter de„ fixi fuerint.

S. Chryſoſt. Homil. 34. Theodoret.

C A P U T XIII.

Senſus Moralis.

1. *SI linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, vel cymbalum tinniens*. Caritas lingua cordis: hæc cum Deo loquitur, hanc unam Deus audit. Donum linguarum tam admirabile nihil prodeſt ſine caritate. Concionatores diſertiſſimi & eloquentiſſimi ſine caritate ſimile ſunt æri ſonanti, cymbaliſque tinnientibus: nomen ſibi faciunt apud homines, nullum apud Deum meritum habent, nullum præmium, quia receperunt hic mercedem ſuam, gloriam quam aucupantur, plauſum quem quærunt; ſonum edunt, delectant auditores, nullum fructum ſpiritalem pariunt, nec ſibi, nec aliis ut plurimum. Non ſolum æs ſonans eſſe debent Prædicatores, ſecundum illud, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: Sed æri candenti ſimiles ſint oportet, ſecundum illud Prophetæ, *Et ſcintillæ quaſi aſpectus æris candentis*. Bene autem æs candens dicitur, ut explicat S. Gregorius M. quia *Vita Prædicantium ſonat & ardet. Ardet deſiderio, ſonat verbo. Æs ergo candens eſt prædicatio accenſa. Sed de candente ære ſcintillæ prodeunt; quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte autem Prædicantium verba ſcintillæ appellata ſunt, quia eos, quos in corde tetigerint, incendunt. Conſiderandum quoque eſt quod ſcintillæ ſubtiles ſunt valde & tenues: quia cum Prædicatores ſancti de cœleſti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo, quantum poſſunt ardere deſiderio. Ex eorum ergo lingua quaſi quædam ad nos ſcintillæ veniunt; quia de cœleſti patria in eorum voce vix tenue aliquid cognoſcitur, quod tamen ab eis non tenuiter æſtimatur. Neque enim cœleſtem gloriam aut tantam videre ſufficiunt quanta eſt: nec tantum loqui prævalent quantum vident. Cunctæ ergo ut ſcintillas projiciunt, quando vix tenuiter Prædicantem loqui ſufficit hoc, unde ipſe fortiter igneſcit. Divina autem pietate agitur, ut ex ipſis ſcintillis tenuiſſimis audientis animus inflammetur.*

Prædicator ſine caritate æs ſonans, cum caritate æs candens.

Pſalm. 18.

Ezech. 1.

S. Gregor. M. Hom. 3. in Ezechiel.

2. *Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Præſentia, præterita, futuraque noſſe, myſteria ſublimiora & magis abſcondita intelligere, nihil eſt ei qui Deum propter ſe ipſum, & proximum propter Deum diligere non novit. Quid prodeſt ſcientia, *niſi machina ſit qua ſtructura caritatis aſcendit?* Heu, quot in mundo ſub Doctorum & Sapientium nomine ignari, imperiti, inſipientes! Quanta vero cæcitas eſſet, fidem ad edenda vel impetranda a Deo miracula adhibere, Sanctorum memorias, ubi ad eorum interceſſionem, vel ſacrarum Reliquiarum præſentiam miracula ſanitatum fiunt frequentare, non vero ad impetrandam, quæ donis omnibus antecellit, caritatem! Hæc ſola perfectum

S. August.

Caritas donis omnibus antecellit.

Chriſti

S. Chryſoſt. Hom. 32.

Chriſti diſcipulum oſtendit, non ſolum nobis, ſed etiam infidelibus. *In hoc*, enim, inquit, *cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Nam etſi aliqui miracula faciunt, ſeditionem autem inter ſe agitent, ab infidelibus contemnentur. Quamvis autem nullum miraculum edant, ſi mutuo ſe perfecte diligant, omnibus erunt venerandi. Nam Paulum quoque propterea admiramur, non quod mortuos excitaverit, & leproſos mundaverit, ſed quod caritato ſuccenſus dixerit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Nam ipſe quoque dicit magnam ſibi repoſitam eſſe mercedem, non quod miracula fecerit, ſed quod *infirmis* fuerit *tamquam infirmus*. *Quænam eſt* enim, inquit, *mea merces, ut evangelizans ſine ſumptu ponam Evangelium?* Et quando ſe proponit Apoſtolis, non dicit, plura quam ipſi feci ſigna, ſed, *plus omnibus laboravi*. Quin etiam fame volebat emori propter ſalutem diſcipulorum. *Bonum eſt*, inquit, *mihi magis emori, quam ut gloriam meam quis evacuet*: non quod gloriaretur ipſe, ſed ne ipſis oneri eſſet, victum manibus ſuis laborando ſibi parabat. Alioquin gloriam ſuam in fratrum utilitatibus promovendis, in eorum portandis infirmitatibus, in eorum ſalute quovis modo procuranda collocabat, ut alibi ait: *Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cœleſti*. Quidnam ergo nos mereamur cum illo comparati, qui neque pecunias propter ſalutem noſtram deſpicimus, neque ſuperflua ex facultatibus noſtris pauperibus diſtribuimus? Sed non ſic ille, immo vero & animam & corpus tradebat, ut qui ipſum lapidibus appetiverant, & colaphos impegerant, cœleſte regnum aſſequerentur. Sic enim me (inquit) Chriſtus docuit diligere, qui novum reliquit mandatum de dilectione, quod & ipſe factis implevit. Etenim cum eſſet Rex univerſorum, & natura beatos, homines quos ex nihilo creavit, & quos innumeris affecit beneficiis, cum contumelia afficientes non eſt averſus, ſed & propter ipſos homo factus eſt, & converſatus eſt cum meretricibus & publicanis, & a dæmone vexatos curavit, & cœlum promiſit: & poſt hæc omnia eum vinxerunt, colaphis ceciderunt & flagris, & in crucem egerunt: nec propterea illos eſt averſatus, ſed in cruce pendens pro crucifixoribus oravit; *Pater* (inquit) *ignoſce illis*, & latronem in paradiſum introduxit, & perſecutorem Paulum fecit Apoſtolum, & ſuos diſcipulos morti expoſuit, ut Judæorum Gentiumque ſalutem Evangelii prædicatione promoveret. Hæc Dominicæ, hæc Apoſtolicæ caritatis imitemur exempla. *Hæc ergo omnia colligentes, quæ ſunt Dei, & quæ ſunt hominum, bona hæc & præclara opera æmulemur, & charitatem omnibus chariſmatibus ſuperiorem acquiramus, ut & præſentia & futura bona conſequamur*.

1. Cor. 11.

2. Cor. 9. infra, cap. 15.

2. Timoth. 2.

Nullum opus ad ſalutem utile eſt ſine caritate.

3. *Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Nullum ſacrificium Deo gratum eſt ſine ſacrificio caritatis. Bona fortunæ, libertas, vita, & quicquid nobis invitis eripi poteſt, non eſt per ſe Deo dignum. Cor animumque noſtrum quærit. Hoc proprie bonum noſtrum eſt, quod illi offerre debemus. Non externa ſolum opera caritatis ſalutem noſtram in tuto ponunt: ſed ipſa caritas, quæ horum omnium radix eſſe debet. Defectum operum externorum ſupplere poteſt caritas, nihil ſupplere poteſt caritatem. Sine illa nullum bonum ad ſalutem æternam utile facere; cum illa malis ipſis bene uti poſſumus.

S. Auguſt. Serm. 138. alias 50. De Verbis Domini.

Adde caritatem, proſunt omnia: detrahe caritatem, nihil proſunt cetera. Quale bonum caritas iſta, Fratres? Quid pretioſius? quid luminoſius, quid firmius? quid utilius? quid ſecurius? Multa ſunt Dei dona quæ tamen habent & mali, qui dicturi ſunt; Domine in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, virtutes multas fecimus. Nec reſpondebit ille, Non feciſtis. Non enim in conſpectu tanti Judicis mentiri audebunt, aut jactare quæ non fecerunt: ſed quia caritatem non thabuerunt, reſpondebit omnibus illis,

Idem Serm. 88. alias 18. De Verbis Domini.

Non novi vos.... Univerſa ſubtiliter habet, qui unum illud quo univerſis utatur, non habet. Quis vero blandiri ſibi poteſt quaſi caritatem habeat? Manifeſta ſunt opera quæ foris fiunt; occulta radix ex qua prodeunt. Incertum an caritas, an occulta cupiditas & vanitas illa imperet. Nos ipſos latet plerumque cor noſtrum, cujus abſcondita ſolus Deus novit. Videte quanta opera faciat ſuperbia, quam ſimilia, & quaſi paria charitati.

S. Auguſt. Tract. 8. in Epiſt. 1. S. Joan. Tract. 8. cap. 4.

Paſcit eſurientem caritas, paſcit & ſuperbia: caritas ut Deus laudetur, ſuperbia ut ipſa laudetur: Veſtit nudum caritas, veſtit & ſuperbia: Jejunat caritas, jejunat & ſuperbia: ſepelit mortuos caritas, ſepelit & ſuperbia. Væ homini cujus auriga ſuperbia eſt, neceſſe eſt enim ut præceps eat. Ut autem non ſit ſuperbia quæ agitet facta bona, quis novit, quis videt? ubi eſt hoc? Opera videmus. Paſcit miſericordia, paſcit & ſuperbia: hoſpitem ſuſcipit miſericordia, hoſpitem ſuſcipit & ſuperbia; Intercedit pro paupere miſericordia, intercedit & ſuperbia. In operibus non diſcernimus. Audeo aliquid dicere, ſed non ego, Paulus dixit: Moritur caritas, id eſt, homo habens caritatem, confitetur nomen Chriſti, ducit martyrium: confitetur & ſuperbia, ducit & martyrium. Ille habet caritatem, ille non habet caritatem. Sed audiat ab Apoſtolo ille qui non habet caritatem; *Si diſtribuero omnia mea pauperibus, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Ergo Scriptura divina intro nos revocat. Redi ad conſcientiam tuam, ipſam interroga. *Noli attendere quod floret foris, ſed quæ radix eſt in terra. Radicata eſt cupiditas? Species poteſt eſſe bonorum factorum, vere opera bona eſſe non poſſunt. Radicata eſt charitas? ſecurus eſto, nihil mali procedere poteſt. Blanditur ſuperbus, ſævit amor. Ille veſtit, ille cædit. Ille enim veſtit ut placeat hominibus: ille cædit ut corrigat diſciplina. Accipitur magis plaga caritatis, quam eleemoſyna ſuperbiæ. Redite ergo intus, Fratres, & in omnibus quæ facitis, intuemini teſtem Deum*.

Caracteres caritatis.

4. 5. 6. 7. *Caritas patiens eſt, benigna eſt, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. Non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum. Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Patiens* eſt caritas (inquit S. Gregorius,) quia illata mala æquanimiter tolerat. *Benigna eſt*, quia pro bonis mala largiter miniſtrat. *Non æmulatur*, quia per hoc quod in præſenti mundo nil appetit, invidere terrenis ſucceſſibus neſcit. *Non inflatur*; quia cum præmium internæ retributionis anxia deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat. *Non agit perperam*: quia quo ſe in ſolum Dei ac proximi amorem dilatat, quicquid a rectitudine diſcrepat, ignorat. *Non eſt ambitioſa*: quia quo ardenter intus ad ſua ſatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit. *Non quærit quæ ſua ſunt*: quia cuncta quæ hic tranſitorie poſſidet, velut aliena negligit; cum nihil ſibi eſſe proprium niſi quod ſecum permaneat, agnoſcit... *Non irritatur*: quia injuriis laceſſitur, ad nullos ſe ultionis ſuæ motus excitat, dum pro magnis laboribus majora poſt præmia exſpectat. *Non cogitat malum*: quia in amore munditiæ mentem ſolidans, dum omne odium radicitus eruit, verſare in animo quod inquinet, neſcit. *Non gaudet ſuper iniquitate*: quia ſola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adverſantium exultat. *Congaudet autem veritati*: quia ut ſe ceteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprii profectus hilareſcit.

S. Gregor. M. lib. 10. Moral. cap. 4.

Antitheſes caritatis & amoris proprii.

Caritas patiens eſt; Dei tempus patienter exſpectat, miſerendi tempus ab illo conſtitutum, gratiarum & beneficiorum ejus dilationes, Judiciorum moras: Momenta & tempora quæ Pater poſuit in ſua poteſtate non prævenit, niſi ſolo deſideriorum ſuorum, Dei providentiæ ac voluntati perfecte ſubditorum fervore. Caritas propriarum infirmitatum pondus patienter ſuſtinet, deque illis coram Deo ingemiſcit, tempus expectans quo ab illis gratia Dei per Jeſum Chriſtum liberetur. Caritas defectus proximi ſine mœrore & ſine tædio, vitiorum illius emendationem ſine impatientia ſuſtinet, eamque a Deo ſine intermiſſione ferventibus precibus poſtulat. Contra vero amor proprius tempora a Deo conſtituta temere prævenit: præcipiti impetu in defectus & vitia proximorum inſurgit, debacchatur: proprios ejus, in quo dominatur, defectus impatienter ſuſtinet ea ſuperbia & amore perverſo propriæ excellentiæ, humanæque laudis.

Caritas *benigna eſt*, ſine repugnantia, ſine difficultate ſubdita Dei ordinationi, pacata & tranquilla in ſuis operibus, comis & ſuavis, omniſque moroſitatis expers, benefica, unde 1. Joan. 3. dicitur: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Et Apoſtolus noſter alibi ſcribit. *Eſtote invicem benigni & miſericordes*. Contra vero privatus amor Deo non ſe ſubdit niſi coactus, & murmurans: in operibus ſuis turbatur & agitatur, inquietus eſt. Aſper eſt & moroſus erga proximos, ad beneficientiam difficilis, illud Sapientis conſilium reſpuens. *Derivem*

Epheſ. 4.

Digitized by Google

Proverb. 5. *viventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.*

Caritas non æmulatur, non invidet Deo gloriam donorum ſuorum, illa ſibi adſcribens quaſi propria: immo ipſum ditare vellet (ſi fieri poſſet) ex propriis bonis: gaudet & exſultat quod Dominus Deus bonorum ſuorum non egeat, & gratias illi agit propter magnam gloriam ſuam. Nihil illi gratius ac lætius accidit quam quod Deus hominem interiorem ditet, perficiat, glorificet exterioris hominis humiliatione & mortificatione: de bonis proximi gaudet non minus quam de propriis, illumque ſibi præponi, ſeque ſuperiorem eſſe, potentiorem, ditiorem, honoratiorem non ægre fert. Contra vero amor proprius dona Dei ſibi tribuit, jura illius ſibi arrogat & uſurpat; ſibi ipſi gratias, virtutes, ſanctitatem, æternaque bona invidet ac furatur; aliena tandem proſperitate & felicitate cruciatur.

Non agit perperam caritas, ſapiens eſt, prudens, attenta, circumſpecte, & conſiderate agens in Dei rebus, nihil ſine maturo conſilio ſuſcipiens vel exequens in propriis; nihil in alienis cum curioſitate, cum præcipitatione, cum protervia; nihil uſquam ſine menſura, ſine recti & æqui obſervantia. Contra vero amor proprius imprudens eſt, temerarius, inconſideratus, nullam ſæpe ordinis, menſuræ, æquitatis rationem habens, ſtolidus, protervus, rerum alienarum curioſus explorator, tumultuoſus.

Non inflatur caritas, Dei magnitudinem, ſupremam excellentiam, perfectiones infinitas conſiderat; infirmitates, impotentiam, imperfectiones, nihilque ſuum; ſemper in oculis ſuis humilis, aliis amat poſtponi, neminem deſpicit, faſtum omnem excludit & oſtentationem, ob naturæ vel fortunæ bona non inſoleſcit, ob gratiæ dona non effertur; immo quo major eſt, humiliat ſe in omnibus. Contra vero amor proprius opinione propriæ excellentiæ inflatus, & perverſæ celſitudinis appetitu elatus, Dei dona meritis ſuis tribuit, ſibi de ſeipſo placet, manum ſuam oſculatur, ſibi plaudens in omnibus; Superiores ægre patitur, æquales deſpicit, ſingularis & unicus in eorum, quibus excellere videtur, talentorum poſſeſſione eſſe vellet. Superbia enim invidentiæ mater. Optime autem ſuperbia tumori comparatur. S. Thomas, lect. 2. Quod enim inflatur, veram magnitudinem non habet, ſed apparentem: ita ſuperbi ſibi quidem videntur eſſe magni, cum tamen vera magnitudine careant, quæ ſine ordine divino eſſe non poteſt. Unde Sap. 4. Sapiens ait de illis: *Illos Dominus irridebit: & erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum; quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce, & commovebit illos a fundamentis, & uſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit.*

Non eſt ambitioſa caritas, nihil faſtidit aut negligit eorum quæ ad Chriſtianam pietatem & Dei cultum pertinent, magnifacit quicquid religionis eſt, illudque reveretur ac veneratur; nihil contemnit in homine, niſi quod ex ipſo eſt, non ex Deo, ſcilicet peccata; ſemper quærit & invenit in aliis unde ſint æſtimandi & laudandi: non reputat ſibi indecorum ſervire proximis, nec vilia etiam miniſteria vel indigna ſupplicia propter illorum ſalutem reſpuit, ad imitationem Chriſti, qui ſe ad pedes Diſcipulorum lavandos demiſit, & crucis ignominiam propter ſalutem omnium hominum ſuſtinuit. Quo exemplo Apoſtolus noſter anathema pro ſalute fratrum eſſe cupiebat. Contra vero amor proprius res divinas faſtidit & negligit, quibus ad fortunam ſuam promovendam, aut captandam hominum laudem uti non poteſt: proclivis eſt ad aliorum contemptum; ne minime quidem ſe demittere vult ad ſerviendum fratribus, id inhoneſtum & indecorum ducens: quidvis pati propter illorum ſalutem refugit ac dedignatur.

Caritas non quærit quæ ſua ſunt, unam Dei voluntatem & gloriam intendit, privata commoda illi ſacrificare paratiſſima; ſemper veretus ne occultum privati boni ſtudium ſuis in operibus obrepat; proximorum ſalutem temporalibus quibuslibet commodis ſuis, publicam utilitatem propriis utilitatibus anteponit. Contra vero cupiditas bono ſuo privato unice ſtudet ac ſervit, ad illud omnia refert; bonum divinum, quod univerſale bonum eſt, ſcilicet gloriam Dei, quæ tanto magis promovetur, quanto plures ad Dei notitiam cultumque adducuntur; fratrum ſalutem, publicam utilitatem proprio bono, privatisque commodis poſtponit, ſacrificat, utens Deo ut fruatur mundo. Caritas non quærit quæ ſua ſunt.

S. Chryſoſt. Hom. 33. „ *Nam* Eum qui diligitur, omnia eſſe exiſtimat, & „ tunc probrum ac dedecus eſſe reputat, quando „ illum a probro & dedecore non poteſt liberare. „ Quod ſi per ſuum probrum ac dedecus liceat pro„ deſſe ei qui diligitur, ne probrum quidem ac de„ decus eam rem ſibi eſſe exiſtimat. Ille enim de „ cetero eſt ipſe. Hoc enim eſt amicitiæ, eum qui „ diligit, & eum qui diligitur, non amplius eſſe „ duos diviſos, ſed unum eſſe hominem, quod qui„ dem non ex alio fit quam ex caritate. Ne quæras „ ergo quod tuum eſt, ut invenias tuum: Nam qui „ quod ſuum eſt quærit, non invenit quod ſuum „ eſt. Propria enim utilitas ſita eſt in utilitate pro„ ximi, & illius utilitas in tua. Quomodo ergo ſi „ quis aurum proprium in domo proximi infoſſum, „ eo veniens recuſet quærere & effodere, numquam „ ipſum habebit: ita qui non vult in utilitate pro„ ximi ſuam quærere, quæ pro eo ſunt propoſitæ „ coronas numquam aſſequetur. Deus enim propte„ rea id ita conſtituit, ut ſimus inter nos colligati: „ & quomodo quiſpiam ſomnolentum puerum exci„ tans ut fratrem ſequatur, dat fratri in manum „ jucundum aliquid & delectabile, ut accipiendi de„ ſiderio ſequatur eum qui tenet: ita Deus, quod „ unicuique confert, dedit proximo, ut ex eo cur„ ramus, & ne ſimus divulſi. Igitur quod mihi con„ fert, in te ſitum eſt: & quod tibi conducit, in „ me. Tibi enim confert ut docearis divina: ſed „ hoc mihi creditum, ut tu a me id accipias, & „ propterea neceſſe habeas ad me currere: & mihi „ confert ut evadas melior, pro eo enim magnam „ mercedem accipiam. Sed hoc rurſus in te ſitum „ eſt; & propterea neceſſe habeo te perſequi ut ſis „ melior, & quod mihi confert, a te accipiam. *Unde* „ *alibi ait Apoſtolus noſter:* Quæ eſt enim noſtra 1. Theſſal. 2. „ ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos 19. „ ante Dominum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu „ ejus? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium. „ *Rurſus utilitas diſcipulorum erat in Paulo. Unde* „ *dicebat:* Propter ſpem enim Iſrael catena hac cir„ cumdatus ſum. *Et*, Ideo omnia ſuſtineo propter Act. 28. 20. „ electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ 2. Timot. 2. 10. „ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cœleſti.

Non irritatur caritas, non exacerbatur aut perturbatur in rebus adverſis, Dei providentiam & juſtitiam adorat, peccatis dumtaxat ſuis tribuens quicquid patitur mali: & quocumque zelo adverſus peccatum incitetur, ſemper diligit hominem peccatorem, ſicut medicus hominem febricitantem diligit, cum febrem perſequitur, & omnibus artis viribus nititur ad eam deſtruendam. Cupiditas adverſus Dei providentiam identidem obmurmurat, inordinatis motibus æſtuat; contra proximos, leviſſimarum etiam injuriarum impatiens, facile excandeſcit.

Caritas *non cogitat malum*, nihil mali de proximo temere ſuſpicatur, impuras cogitationes procul abigit divinæ ſanctitatis imitatrix, malum adverſus proximum non meditatur, vindictam non expetit, quin immo diſſimulat, excuſat, ignoſcit. Contra vero, cupiditas malignis oculis proximi defectus obſervat, iniquas adverſus proximum ſuſpiciones ſæpius concipit & parturit mens ejus pravis cogitationibus, quibus cor ejus delectatur & inquinatur.

Caritas *non gaudet ſuper iniquitate*, de omnibus Dei injuriis ingemiſcit homo caritatem habens, Deum offendi ſummopere dolet, juſtitiam ejus præveniens in ſeipſum, adverſus propria peccata indignatur, illaque punit animæ afflictione, corporis mortificatione; immo & pœnas ſibi infligit pro peccatis aliorum, ut Deum placet, quantumvis ex illorum caſibus & criminibus commodum aliquod temporale in ipſum redundare poſſit. Contra vero, cupiditas nullo ſenſu doloris afficitur ob injuriam Deo per peccatum illatam, pœnitentiæ ſalutaris ob delicta ſua incapax eſt, de aliorum lapſu lætatur, ſi ſit illi temporaliter utilis; gaudet ſi dejiciantur ac ruant ejus æmuli, ſi adverſis rebus ejus inimici conterantur.

Congaudet autem veritati caritas, beatitudinis ſanctorum jam in hoc mundo quodammodo particeps. Quid enim eſt vita beata, niſi *gaudium de veritate*? S. Auguſt. Cognitione veritatis exultat, etiam in praxi difficilis & arduæ, certa quod ſcuto veritatis circumdata, non timebit a timore nocturno, a ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano, & a cupiditate liberata glorioſe triumphabit. Bonum amat, ubicumque invenitur, non diligit in proximo niſi fidelitatem & conformitatem ejus cum ſumma veritate, cum æterna lege; ad ejus cognitionem & amorem illum adducere ſatagit & gaudet. Cupiditas vero, cognoſcere veritatem, practicam præſertim, negligit, illi reſiſtit, eam in injuſtitia detinet, perſequitur in ejus defenſoribus & Prædicatoribus, quia ſuis operibus contraria eſt. Caritas gratulatur proximis quod pietatem & juſtitiam colant, ut S. Joannes Apo- Epiſt. Joan. 3. ſtolus ait: *Gavisus ſum venientibus fratribus, & Verſ. 3. teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.* Cupiditatis vero ſumma eſt his in rebus indifferentia & indolentia.

Omnia

Digitized by Google

Omnia ſuffert caritas, Dei patientiam non minus quam judiciorum ejus ſeveritatem adorat & reveretur, proprias infirmitates, multo magis eorum quibus convivit moroſas indoles, defectus, & vitia tolerat, quantum ſalvo officio poteſt, & quantum eorum ſaluti expedit. Unde alibi Apoſtolus noſter: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Contra vero cupiditas ultionis divinæ tarditatem frequenter accuſat, præceps eſt & dura in correptionibus; nuſquam aliis, ſibi ſemper indulgens.

Galat. 6.

Omnia credit caritas, nihil excipit eorum quæ Deus Eccleſiæ ſuæ revelavit, & per eam credenda propoſuit: divinam auctoritatem ac veracitatem in omnibus æque reveretur; non minori veneratione & obedientia ſuſcipit & amplectitur veritates practicas, quæ illi crucem, mortificationem carnis, & cupiditatum, dilectionem inimicorum &c. præſcribunt, quam veritates ſpeculativas & fidem Myſteriorum. Amor vero proprius fidem infirmam & hæſitantem habet Myſteriorum divinorum, fidem otioſam & mortuam veritatem quæ veterem hominem crucifigendum eſſe docent, fidem rebellem circa dilectionem proximi.

Omnia ſperat caritas; tam nullos habet ſpei ſuæ, quam nullos agnoſcit bonitatis & omnipotentiæ divinæ limites: ex impotentia nihiloque creaturæ ſumit rationem omnia expectandi a miſericordia Dei: aliis uberiores gratias, & præmia ſperat ampliora quam ſibi, quia illos fideliores & humiliores exiſtimat. Contra vero amor proprius in ſe ipſo magis quam in Deo confidit: quærit in ſeipſo rationes gratiarum quas ſibi attribuere præſumit; & ſi quid amplius expectat a Deo quam ceteri, merita ſibi arrogat ampliora.

Omnia ſuſtinet caritas propter Dei gloriam & proximi ſalutem, nuſquam queritur de tribulationum amaritudine & acerbitate, de ſuæ crucis pondere, certa quod momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, & nihil eſſe quod patimur, qualecumque illud ſit, cum iis quæ pro noſtra ſalute Chriſtus paſſus eſt, comparatum. Contra vero amor proprius aliquid pro Deo pati refugit, quia neminem præter ſeipſum aut niſi propter ſeipſum diligit; a Chriſti cruce ferenda, & a communione paſſionum ejus abhorret; quia vitæ duntaxat præſentis ſuavitate frui deſiderat. Hi caritatis & amoris proprii longe diſſimiles caracteres.

S. Auguſt. lib. XI. De Geneſi ad litt. cap. 16.

„ Hi duo amores, quorum alter ſanctus eſt, alter immundus; alter ſocialis, alter privatus; alter communi utilitati conſulens propter ſupernam ſocietatem, alter etiam rem communem in poteſtatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter ſubditus, alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter ſeditioſus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter amicalis, alter invidus; alter hoc volens proximo quod ſibi, alter ſubjicere proximum ſibi; alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter ſuam; præceſſerunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis; & diſtinxerunt conditas in genere humano civitates duas, ſub admirabili & ineffabili providentia Dei, cuncta quæ creata ſunt adminiſtrantis & ordinantis, alteram juſtorum, alteram iniquorum. Quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur ſæculum, donec ultimo judicio ſeparentur, & altera conjuncta Angelis bonis in Rege ſuo vitam conſequatur æternam, altera conjuncta angelis malis in ignem cum rege ſuo mittatur æternum.

8. *Charitas numquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur.* „ Fidei ſuccedit ſpecies, quam videbimus, & ſpei ſuccedit beatitudo ipſa, ad quam perventuri ſumus: caritas autem etiam iſtis decedentibus augebitur potius. *Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? Et ſi ſperando diligimus quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus? Inter temporalia quippe atque æterna hoc intereſt, quod temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur, viteſcit autem cum advenerit, non enim ſatiat animum, cui vera eſt & certa ſedes æternitas: æternum autem ardentius diligitur adeptum, quam deſideratum: nulli enim deſideranti conceditur plus de illo exiſtimare quam ſe habet, ut ei viteſcat cum minus invenerit; ſed quantum quiſque veniens, exiſtimare potuerit, plus perveniens inventurus eſt.* Caritas igitur ſola virtus eſt, quæ numquam finem eſt habitura, quia ipſa omnium finis virtutum eſt, ſicut & perfectio, meritum & corona. Vinculum æternum eſt ſanctorum inter ſe, & cum Chriſto Jeſu ipſorum capite: per ipſam caput & membra conſummata erunt in unum, in perpetuum, in Deo qui caritas eſt. Hæc denique ſacrificium æternum Deo offeret totam primitivorum triumphantem Eccleſiam, eamque religionem in illo numquam defecturæ beatitudinis ſtatu integrabit. *Caritas numquam excidit.* Quid opus prophetia, linguis, & ſcientia, ubi Deus caritas intime præſens erit menti & cordi, ut cum beatis loquitur interius, eoſque doceat per ſe ipſum omnia id eſt ſe ipſum? O quam miſeranda cæcitas hominum, qui inanem & evanidam ſcientiam acquirere ſummo ſtudio laborant neglecta caritate, quæ terræ ſanctitas eſt, lingua cœli ſcientia æternitatis? *Charitas numquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur.* Scientiam illam diſcamus in terris, quæ nobiſcum perſevere: in cœlis, ſcientiam ſalutis, ſcientiam ſanctorum, quæ eſt Deum noſſe, diligere, laudare.

Caritas numquam finem habitura.

S. Auguſt. lib. 1. De Doctrina Chriſt. cap. 38.

9. 10. et. 12. *Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Quam exiguum eſt quod hic de Deo norunt viri ipſi Theologi, & homines ſancti ſcientiæ dono a Deo donati, ac cœlitus illuſtrati? Tantillum eſt cum beatifica alterius vitæ cognitione collatum, ac radius Solis, ſcintilla ſphæræ ignis, guttula Oceano comparata: illudque perexiguum ſcientiæ noſtræ lumen quam periculoſum eſt, cum ſit occaſio ſuperbiæ, qua cecidit Lucifer, perfectus ſapientia, donec elevatum eſt cor ejus in decore ipſius, & inventa eſt in eo iniquitas. Cogitationes, ratiocinia, ſermones hominum eruditorum de Deo in hac mortali vita, ſimiles ſunt balbutientium puerorum ſermonibus & cogitationibus. Aſpiremus igitur ad ætatem perfectam plenitudinis Chriſti, ut Deum perfecte cognoſcamus & diligamus: interimque donec ad perfectam illam cognitionem pervenerimus, nos in ejus amore exerceamus: Quia perfecta cognitio & intuitiva viſio tota merces eſt amoris Dei. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum* (ait Chriſtus) O quam expetenda æterna illa dies, qua Deum lumen increatum in ipſo ſet videbimus, non in creaturarum ſpeculo, non in ænigmatibus & umbris fidei! *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* „ Tunc de Deo audire verba non quæremus, quia unum ipſum, quod implet omnia, jam per ſpeciem Dei Verbum videbimus. Quod nobis tanto altius ſonabit, quanto & mentes noſtras vi intimæ illuſtrationis penetrabit. Sublatis namque orientibus & occidentibus verbis, quaſi quidam ſonus æternæ prædicationis fiet ipſa imago internæ viſionis. Deſideremus & amemus, ſi ſponſa ſumus. Sponſus abſens eſt, ſuſtineamus, veniet quem deſideramus. Videamus facie ad faciem dilectum noſtrum; nunc eum caritatis operibus quæramus, donec aſpiret beatus ille æternuſque dies, & inclinentur umbræ.

Quam imperfecta Dei cognitio in hac vita, collata cum beata illius viſione.

Ezech. 28.

Joann. 14.

S. Gregor. M. lib. 18. Moral. cap. 5.

13. *Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc; major autem horum eſt caritas.* Fides, ſpes, caritas, ſola ſunt interiora dona Eccleſiæ Dei neceſſaria, cujus pietatem & religionem integrant. Fides vitæ Chriſtianæ & bonorum operum fundamentum eſt; Spe ædificium illud ſpirituale promovetur & in altum aſſurgit: Caritate perficitur & coronatur in cœlis. „ Hæc tria quæ ædificantur in nobis, quamvis de miſericordia Dei veniant, tamen in hac ærumnoſa & proceloſa vita ſolatia ſunt miſerorum, non gaudia beatorum. *Major autem horum eſt caritas.* Quæ quanto in quocumque major eſt, tanto melior eſt in quo eſt. Cum enim quæritur utrum quiſque ſit homo bonus, non quæritur quid credat, aut quid ſperet, ſed quid amet. Nam qui recte amat, proculdubio recte credit & ſperat: Qui vero non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera quæ credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram fœlicitatem doceantur pertinere quæ ſperat: niſi & hoc credat ac ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit ut amet. Quamvis enim ſperare ſine amore non poſſit, fieri tamen poteſt ut id non amet, ſine quo ad id quod ſperat non poteſt pervenire. Tanquam ſi ſperet vitam æternam (quam quis non amat?) & non amet juſtitiam, ſine qua ad illam nemo pervenit. Ipſa eſt autem fides Chriſti, quam commendat Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit ut accipiat, quærit ut inveniat, pulſat ut aperiatur ei.

Caritas fide & ſpe excellentior.

S. Auguſt. in pſalm. 118. Serm. 19. Idem Enchirid. cap. 117.

Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, tria hæc, quibus colitur Deus trinus & unus in hac vita mortali. Homo fide, ſpe, & caritate ſubnixus, eaſque inconcuſſe retinens, non indiget Scripturis niſi ad alios inſtruendos. „ Itaque multi per hæc tria etiam in ſolitudine ſine codicibus vivunt. Unde in illis „ imple-

S. Auguſt. lib. 1. De Doctrina Chriſt. cap. 39.

„ impletum eſſe jam arbitror quod dictum eſt, Sive „ *prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, „ ſive ſcientia deſtruetur*. Quibus tamen quaſi ma„ chinis tanta fidei, & ſpei, & caritatis in eis ſur„ rexit inſtructio, ut perfectum aliquid tenentes, „ ea quæ ſunt ex parte non quærant: perfectum „ ſane, quantum in hac vita poteſt; nam in com„ paratione futuræ vitæ nullius juſti & ſancti eſt „ vita iſta perfecta. Ideo Manent, inquit, *fides, „ ſpes, caritas, tria hæc; major autem horum eſt „ caritas*: Quia & cum quiſque ad æterna pervene„ rit, duobus iſtis decedentibus caritas auctior & „ certior permanebit.

C A P U T XIV.

Senſus Litteralis.

1. S*Ectamini caritatem, æmulamini ſpiritualia, magis autem ut prophetizetis*. Cum excellentior ſit ceteris donis ac virtutibus caritas, eam maximo animi ſtudio perſequimini, amplectimini, ac tenete. Cetera dona ſpiritualia, id eſt ſancti Spiritus afflatu data ne contemnatis, ſed in pretio habete, & optate, ſi placuerit Spiritui, qui ubi vult ſpirat; præ ceteris autem prophetiæ donum æſtimate ac deſiderate id eſt donum cognoſcendi & proferendi occulta, ſive futura, ſive Scripturarum, maxime Prophetarum obſcura & difficilia oracula, fideique myſteria, ſeu quæcumque ad Chriſtianam doctrinam illuſtrandam ac pietatem promovendam pertinentia. Confer cum Proverb. 29. 18. *Cum prophetia defecerit, diſſipabitur populus*. Act. 13. 1. *Erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus*. 1. Theſſalonic. 5. 20. *Prophetias nolite ſpernere*. 1. Timoth. 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii*. 2. Petri 1. 20. 21. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*: eodemque Spiritu afflati Apoſtoli, virique Apoſtolici, & ſancti Doctores, Scripturas ſacras expoſuerunt. Hoc autem donum præcellit dono linguarum, quod ceteris pluris faciebant Corinthii, quorum faſtum deprimit divinus Apoſtolus.

Excellentia prophetiæ præ dono linguarum.

2. *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo. Nemo enim audit. Spiritus autem loquitur Myſteria*. Qui loquitur lingua peregrina & ignota in Eccleſia, nullo adhibito interprete, non loquitur hominibus illius idiomatis ignaris, tametſi Deus linguarum auctor, & ſenſum verborum & affectum cordis noverit: nemo vero adſtantium intelligit, nec quicquam inde utilitatis haurit. Animo autem magis quam ore loquitur arcana nemini intellecta. Cum ſit enim is orationis uſus ut animi ſenſa declaret aliis; qui ita loquitur ut alii non intelligant, animo magis quam ore loquitur, cum nihil interſit utrum ſic loquatur an tacitus cogitet. Vel, occulta quædam ac ſibi ipſi non intellecta loquitur pro devotionis affectu. Vel, afflatu Spiritus ſancti loquitur Myſteria. Quod oſtendit donum illud non eſſe ſupervacaneum & inutile, & temere ac fruſtra datum, ſed ſolum illius abuſum redarguendum eſſe, cum illud ad oſtentationem, & non ad utilitatem Eccleſiæ converteretur.

S. Chryſoſt. Hom. 35. Theodoret. Theophylact.

3. 4. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem*. Qui vero ex Dei revelatione futura prædicit, ſeu mentem ejus Eccleſiæ patefacit, vel Scripturarum arcanos & difficiles ſenſus explicat, ſeu quæ ad ſtabiliendam fidem & pietatem Chriſtianam promovendam conducibilia ſunt, loquitur hominibus, quorum utilitati conſulit & ſaluti, verba ædificationis, exhortationis, & conſolationis; loquitur, inquam, intelligibili modo, ut audientes ædificet, ſtabiliat & confirmet in fide ac pietate Chriſtiana, ut puſillanimes ac tepidos ad ſtudium bonorum operum exhortetur, ut afflictos ſpe bonorum cœleſtium, quæ Deus diligentibus ſe præparavit ac promiſit, conſoletur & ſublevet. *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: Qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat*. Qui loquitur lingua peregrina, uni ſibi prodeſt, quia per Spiritum ſanctum, a quo movetur ad loquendum, excitatur in eo pietatis affectus, lauſque Dei: Qui autem prophetat, fidelium Conventui prodeſt, illis patefaciendo voluntatem & arcana Dei, illis explanando viſiones & Scripturas, ſpirituales affectiones in eorum animis excitando, unde primum incipit ædificium ſpirituale, illos ad bona opera exhortando, ut in vita Chriſtiana proficiant, & virtutibus ac meritis augeantur; illos denique verbis conſolatoriis roborando in tolerantia malorum, ſecundum illud Apoſtoli noſtri; *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*.

S. Thomas, Lect. 1.

Rom. 15. 4.

5. *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare*. Non detraho dono linguarum, ſed ejus uſum quæro. Vobis omnibus donum linguarum opto a Spiritu ſancto, ſi Eccleſiæ, vobiſque expediat; ſed vos magis prophetiæ dono augeri velim, quod linguarum dono præponendum eſt. *Nam major eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis, niſi forte interpretetur ut Eccleſia ædificationem accipiat*. Major eſt propheta & miniſterio, & fructu, quia Eccleſiæ utilior eſt, niſi idem qui linguæ donum habet, donum etiam habeat interpretandi verba linguæ peregrinæ, quæ uſurpat, ut cœtui fidelium ipſum audientium proſit. Aliquando igitur aliqui movebantur a Spiritu ſancto ut myſticum aliquid loquerentur, quod non intelligebant: & hi habebant donum linguarum. Aliquando autem non ſolum linguis loquebantur, ſed etiam ea quæ dicebant interpretabantur: ideo addit Apoſtolus exceptionem iſtam, *niſi forte interpretetur*. Nam donum linguarum cum interpretatione melius eſt prophetia; quia interpretatio cujuſcumque ardui ad prophetiam pertinet. Unde qui loquitur linguis peregrinis, & ſimul interpretatur, par Prophetæ eſt; & utriuſque doni uſu conjuncto Eccleſiæ prodeſt.

S. Thomas, Lect. 2.

6. *Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in revelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina?* Quamvis ego ipſe Apoſtolus Gentium, dono linguarum præ multis aliis ſim inſtructus, ſi veniam ad vos, & vobis loquar linguis peregrinis & ignotis, quid ſpiritualis utilitatis ex ſermonibus meis reportabitis? Niſi Myſteria a Deo revelata, & in Scripturis Sacris recondita exponam & patefaciam per prophetiam; aut docendo vos per donum ſcientiæ humanis rationibus & exemplis, quæ apta ſunt ad perſuadendam credibilitatem eorum quæ vobis prædicantur, & ad fidem confirmandam, nutriendam, ac defendendam; necnon Moralis Chriſtianæ præcepta vobis tradendo, ut ad omne opus bonum inſtructi ſitis. Hæc certe præſtare non potero linguis peregrinis loquens, niſi interpretationem adhibeam ut intelligatis. Vel, *Niſi vobis loquar aut in revelatione*, „ hoc eſt, quemadmodum conſueverunt dicere qui „ revelationem a Deo ſortiti ſunt: Quæ & ipſa eſt „ prophetiæ ſpecies, cum multis adſtantibus cujuſ„ que ſenſa patefiant. Vel *in ſcientia*, hoc eſt, qua„ lia dicere poſſunt ii, qui ſcientiam habent; adeo„ que myſteria auditoribus explicant. Vel in pro„ phetia, quando quiſpiam de præteritis, præſenti„ bus, & futuris loquitur. Latius enim patet pro„ phetia quam revelatio. *Aut in doctrina*, hoc eſt, „ in ſermonis forma qui inſtituit, cum de veritate „ vel dogmatibus diſſeritur. Doctrina enim ad audi„ torum fit commodum.

Theophylact.

7. 8. *Tamen quæ ſine anima ſunt, vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur?* Quin enim inſtrumenta muſica ſenſu carentia, ſive flatu ſonum reddant, ut tibia; ſive tactu, ut cithara, niſi diſtinctum & ſignificantem ſonum dederit, ſecundum modorum muſicorum variam conſonantiam, nullatenus intelligi poterit quid tibia aut cithara canatur. *Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?* Si ignotum militibus ſonum det tuba, ita ut diſcernere non valeat ad quid vocet homines, aut quid agendum moneat, an ad Conventus civiles, an ad iter, an ad pugnam, an ad receptum ſonet, quis parabit ſe ad prælium?

De vario tubarum clangore vide Numer. 10.

9. *Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes*. Sic etiam vos lingua peregrina loquentes, niſi ſermonem veſtrum interpretando intelligibilem iis qui audiunt, aut eorum plurimi feceritis, quomodo cognoſcent quod dicitis? Temere & fruſtra verba fundetis, a nemine intelligenda.

10. 11. *Tam multa, ut puta, genera linguarum ſunt in hoc mundo: & nihil ſine voce eſt*. Videlicet tam multa ſunt apud homines idiomatum genera, ut nulla ſit gens quæ proprium idioma non habeat. *Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus: & qui loquitur mihi barbarus*. Si non intelligam ſignificationem & uſum verborum, nec ille cui loquor pariter intelligat, erimus alter alteri barbari, id eſt, ut extranei, peregrinique & ignoti idiomatis homi-

*Ovid. in ... Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor ...

homines, qui fruſtra ſe mutuo alloquuntur, niſi interpretem adhibeant linguæ utriuſque peritum.

12. 13. *Sic & vos quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite ut abundetis*. Sic & vos, fratres (ne ſitis invicem barbari) quoniam dona Spiritus ſancti ardenti ſtudio deſideratis, optate abundantiam donorum ad utilitatem Eccleſiæ, non ad oſtentationem. *Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur*. Quapropter qui linguarum donum habet, Deum precetur ut illi donum interpretandi tribuat, ut proſit audientibus.

Theophilact. Oecumen.

14. *Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt*. Si orem lingua peregrina, quam non intelligo, affectus quidem meus, voluntas mea, cor meum orat, mens autem mea ſine fructu eſt intelligentiæ verborum & ſenſuum quibus reficeretur, ſi intelligeret. Ceterum oratio quæ fit ſpiritu, id eſt cum pio animi affectu ad Deum, etſi lingua incognita fiat, non tamen inutilis & infructuoſa, nulliuſque apud Deum meriti eſt; cum a Deo, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, intelligatur, ſitque mentis elevatio in Deum.... Spiritum in Scriptura interdum ſumi pro affectu rationali ſeu voluntate, tum alia loca probant, tum illa Chriſti Domini ſententia: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*. Vel loquitur Apoſtolus de orationibus extemporaneis in publico Eccleſiæ cœtu factis ab iis qui Spiritus ſancti dona acceperant. Fructum autem vocat auditorum utilitatem. Unde alibi ait, *Ut aliquem fructum habeam in vobis, ſicut & in ceteris gentibus*. Lingua ergo peregrina hunc in modum orans, ſeu orationes in publico Eccleſiæ cœtu componens ad fidelium inſtructionem, aut pietatem eorum excitandam, & iis qui audiunt interpretationem non afferens, nullum fructum habet, illis utilitatem non accipientibus.

Matth. 26.

Theodoret.

15. *Quid ergo eſt?* Quid igitur faciam? *Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente*. Dabo operam ut non ſolum corde ſeu intimo devotionis affectu Deum orem, verum etiam ut ſignificationem verborum orationis intelligam, quo majorem fructum ex ea referam. Laudes Deo canam, non ſolum animo in Deum elevato & pie affecto, verum etiam cum intelligentia verborum. Vel, *orabo & pſallam ſpiritu*, id eſt, dono Spiritus ſancti movente linguam ad orandum, *orabo & pſallam* etiam *mente*, hoc eſt, ut intelligam quæ oro.

S. Chryſoſt. Homil. 36. Theophylact.

16. *Ceterum ſi benedixeris ſpiritu*: Si pio tantum cordis affectu Deum publice in Eccleſia laudes, pſalmos vel gratiarum actiones lingua peregrina componens ea tempore, ſecundum donum tibi a Spiritu ſancto conceſſum, nec ipſe interpreteris, aut alius adſit qui interpretetur; *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas neſcit*. Quomodo qui vice laicorum, rudium vulgo & illitteratorum, orationem pia acclamatione proſequitur & approbat, vel plebs ipſa promiſcua, reſpondebit, *Amen*, in fine laudis aut gratiarum actionis a te editæ, cum nemo intelligat quid dicas? *Idiotam* (inquit Theodoretus) *appellat eum, qui in Laicorum ordine conſtitutus eſt: Quoniam eos etiam qui ſunt a militia remoti, Idiotas appellare mos eſt*. Vox, *Amen*, adverbium eſt aſſeverandi, aut confirmandi quod dictum eſt, vel optandi. Unde alias ſignificat, *Verum eſt*, alias, *Fiat*. Morem acclamandi, *Amen*, ad finem precum, laudumque publicarum Dei, accepit Eccleſia a Judæis. Apoſtolicis temporibus Epiſcopo, aut alio cœtus Eccleſiaſtici Præſide, vel ſacrorum Miniſtro, ſeu donis Spiritus ſancti inſtructo, ab eoque afflato & moto, preces & laudes ſive gratiarum actiones Deo fundente in Eccleſia, plebs accinebat *Amen*, ea voce dicta approbans. Cum quis *Amen* reſpondet ad preces quas non intelligit, id a Thalmudiſtis vocatur *Amen pupillum*. Ex hoc porro loco Apoſtoli nihil colligi poſſe contra diſciplinam & morem Eccleſiæ, ſacram Liturgiam divinaque Officia celebrantis, & Sacramenta conficientis & adminiſtrantis lingua Latina in toto Occidente, Theologi Polemici probant, & nos olim oſtendimus in Compendio Fidei & Moralis Chriſtianæ Gallice edito*.

Theodoret.

Exod. 5. 22. Deuteron. 27. Nehem. 8. 7. Jerem. 28. 6. Matt. 5. 18. 1. Paral. 16. 1. Eſdr. 8. Pſalm. 106.

* *Abregé de la Foy & de la Morale, &c. Tom. 2. pag. 229. & ſeq.*

17. *Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur*. Nam tu quidem, tametſi non intelligas verba quæ profers, bene gratias agis, quatenus pio mentis affectu id facis: ſed nullam utilitatem ſpiritualem inde referunt qui te audiunt, nec intelligunt: non erudiuntur, aut ad pietatem excitantur illa tua gratiarum actione illis nova, inaudita, & nullatenus intellecta.

18. 19. *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor*. Gratias ago Deo, cui ſervio, quod omnibus linguis loquar, quarum dona in vos effuſa ſunt: Vel, *quod plus vobis omnibus linguis loquar*. Id ait Apoſtolus, ne ſuſpicentur quod ceu eo carens

S. Chryſoſt. Hom. 35. Theophylact.

dono illud elevet ac vilipendat. Ne ergo efferamini (inquit) & vobis placeatis tamquam ſoli donum habentes, nam ego quoque id poſſideo, & magis quam vos, & ante vos. *Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua*. Sed malo pauca verba in Eccleſiæ Conventu loqui cum intelligentia eorum quæ dico, & quæ poſſum auditoribus interpretari, ut eos doceam, & eorum ſalutem promoveam; quam innumera verba lingua peregrina & ignota fundere, ſine interpretatione, quia nullum ex ſermone meo fructum referrent auditores.

20. *Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote*. Ne ſitis infantes, quod ad ſapientiæ ac judicii defectum attinet, minora bona ſectando poſthabitis melioribus; ſed infantes eſtote quoad innocentiam, expertes eſtote malitiæ ut infantes: Quoad judicium autem animi de rebus agendis, bonique a malo, & melioris boni a minori diſcretionem, ſimiles eſtote viris perfectis. Pueri parva hianti ore admirantur, crepundia rebus pretioſis, & utilibus anteponunt: ita Corinthii linguarum donum, quod omnium poſtremum eſt, magis admirabantur, pluris faciebant, ardentiori ſtudio deſiderabant quam donum Prophetiæ ſeu interpretationis Scripturarum & Myſteriorum, Eccleſiæ longe utilius, & ſaluti proximorum promovendæ conducibilius. Adhortatur igitur eos ut tanquam adulti in Chriſto, & exercitatos habentes ſenſus ad diſcretionem majorum minorumque bonorum, dijudicent quæ ſint majora dona & Eccleſiæ utiliora.

Quæ infantis fugienda, quæ colenda?

21. *In lege ſcriptum eſt: Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus*. Legis nomine non ſolum Pentateuchus Moyſis, ſed Prophetæ etiam & Hagiographa ſignificantur. Eſt itaque ſenſus: Habetur in Scriptura: Variis linguis peregrinis & ignotis loquar populo huic, Judæis ſcilicet per Apoſtolos meos, (quod in die Pentecoſtes impletum eſſe conſtat ex *Actor.* 2.) & tamen viſo ſigno tam admirabili, quod eis ſum daturus, pars longe maxima mihi non credet, neque obtemperabit. Senſum magis quam verba Iſaiæ, in cujus prophetia iſtud oraculum legitur, expreſſit Apoſtolus; Sic habet Prophetæ locus: *In loquela enim labii & lingua altera loquetur ad populum iſtum .... & noluerunt audire*. Ex Hebræo hunc locum protulit Apoſtolus; & Origenes ſe inveniſſe in Aquilæ Verſione ſcribit, quæ huic loco ex æquo reſpondeant.

S. Chryſoſt. Homil. 36.

Iſai. 28. 11. 12.

Origenes Philocaliæ c. 9. S. Hieron. in Iſai. 28.

22. *Itaque linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus: prophetia autem non infidelibus, ſed fidelibus*. Igitur donum linguarum in ſignum datum eſt præcipue propter infideles, ut novitate miraculi converterentur ad fidem: Donum vero prophetiæ datum eſt præcipue ad fidelium inſtitutionem & doctrinam, ut in fide proficiant. Vel, loquitur Apoſtolus, ſicut & Propheta de ſolo populo Judaico, cui datæ ſunt prophetiæ, cum fidelis eſſet, illique inſtituendo & docendo fuerunt utiles: donum autem linguarum inutile fuit eidem populo jam infideli, & Spiritum ſanctum per os Apoſtolorum loquentem audire nolenti. *Linguæ ſane in ſignum* (hoc eſt, ad obſtupefaciendum) *non fidelibus, ſed infidelibus*, non adeo autem ad inſtituendum illis proſunt, immo ſunt inutiles ſine interprete, *Prophetia autem non infidelibus, ſed fidelibus data eſt*. Neque enim fidelis opus habet ut ſignum videat, ſed ſolum doctrina & inſtitutione indiget. Non ait Apoſtolus, prophetiam non eſſe utilem infidelibus, ſed non eſſe illis ſignum duntaxat virtutis Dei, quod admirentur, ſed lumen quo illuſtrentur ac doceantur.

S. Chryſoſt. Hom. 3.

23. 24. 25. *Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod inſanitis?* Porro ſi fideles omnes, qui apud vos, vel alibi degunt, conveniant in unum locum ad Sacra & publicam orationem, & omnes peregrinis ac ignotis linguis loquantur, nemine interprete, intrent autem imperiti, aut infideles, qui neſciunt quid ſit donum linguarum, nonne vos inſanos, fanaticos, arreptitios exiſtimabunt? Quod non ex dono Spiritus ſancti, ſed ex eorum infidelitate oritur. Sic Judæorum plurimi videntes Apoſtolos illapſo in eos Spiritu ſancto omnium gentium linguis loqui, *irridentes dicebant, Quia muſto pleni ſunt iſti*. Sapientiores autem a linguis etiam nonnihil ædificationis recipiunt, ut qui Apoſtolorum temporibus mirabantur audientes eos linguis ſuis loquentes magnalia Dei. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus*. Si autem omnes qui Prophetiæ donum habent, id eſt, occulta quædam proferendi, ſeu explicandi Scripturas,

Act. 2. 13.

Digitized by Google

viciſſim & ordine loquantur in Eccleſia docendo & exhortando ex iiſdem Scripturis divinis, intret autem aliquis imperitus vel infidelis, in ſacrum Conventum, ex verbo Dei arguetur & convincetur ab omnibus ita prophetantibus, ſive Doctoribus aut Concionatoribus; infidelis quidem de erroribus & infidelitate ſua, idiota ſive indoctus de ignorantia ſua, uterque de vitiis ſuis & pravis affectibus. *Occulta cordis ejus manifeſta fiunt*. Quæ in corde ejus latebant, infidelitas & peccata, ipſi manifeſta fiunt, cum antea in ala ſua nec ſentiret, nec agnoſceret. Divinæ (inquam) gratiæ lumine illuſtratus infidelis agnoſcit idolorum cultum eſſe impietatem, ſuperſtitioſas obſervationes eſſe dæmonum cultum, fornicationem eſſe legi Dei contrariam: agnoſcit idiota priſtinam ignorantiam ſuam; multaque diſcit tum ad doctrinam fidei, tum ad regulas morum pertinentia, quæ prius ipſum latebant. Vel; manifeſtantur coram omnibus quæ animo verſat, aut commiſit, ut ab Eliſæo Gieſi, a S. Petro Ananiæ & Sapphiræ: Apud Græcos legitur: Καὶ οὕτω τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας αὐτοῦ φανερὰ γίνεται. *Et ſic occulta cordis ejus manifeſta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis ſit*. Proſtrato corpore verum Deum adorabit, & in vobis eſſe palam confitebitur. Quod Nabuchodonoſor contigit. Per

Daniel. 2. 47. Danielem enim ſomnio illi patefacto, exclamavit: *Vere Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus regum, & revelans Myſteria: quoniam tu potuiſti aperire hoc ſacramentum*. Annotat Theodoretus, ſanctum Spiritum

Theodoret. Theophylact. hic Deum aperte vocari. Divini enim Spiritus erat Prophetiæ operatio: *Hæc enim omnia operatur unus & idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. Hic autem ait, *Cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis ſit*, Deum dicens ſanctiſſimum Spiritum, Prophetias, aliaque chariſmata, ſuo tempore

S. Irenæus lib. 2. c. 57. in Eccleſia fuiſſe S. Irenæus teſtatur. *Alii* (inquit) *dæmones excludunt firmiſſime & vere, ut etiam ſæpiſſime credant ipſi qui emundati ſunt a nequiſſimis ſpiritibus, & ſunt in Eccleſia: alii autem & præſcientiam habent futurorum, & viſiones, & dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impoſitionem curant & ſanos reſtituunt. Jam etiam & quemadmodum diximus, & mortui reſurrexerunt, & perſeveraverunt nobiſcum annis multis. Et quid autem? Non eſt numerum dicere gratiarum, quas per univerſum mundum Eccleſia accipiens a Deo in nomine Jeſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato per ſingulos dies in opitulationem gentium perficit*.

26. *Quid ergo eſt, fratres?* Quid facto opus? *Cum convenitis, unuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant*. Quando in unum ad Sacra & orationem publicam convenitis, alius Spiritus ſancti afflatu & dono movetur ut canticum aliquod ſpirituale extempore componat ad laudandum Deum: alius ut doceat quæ fidem aut mores ſpectant: alius ut occulta revelet, præſertim vero divina Myſteria & conſilia: alius ut lingua peregrina loquatur: alius ut ipſam interpretetur. Qualecumque ſit autem donum quod a Spiritu ſancto accepiſtis, illud ad ædificationem, & utilitatem Eccleſiæ, ad proximi ſalutem uteamini, ut Chriſti diſcipulos decet.

Ordo ſervandus in Eccleſia ab iis qui a Deo chariſmata acceperunt.

27. 28. *Sive lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur*. Qui donum habent linguarum, ne in uno conventu loquantur omnes linguis peregrinis, ſed duo, aut tres ad ſummum, nec ſimul & tumultuarie, ſed ſuo quiſque ordine, & alternis; & qui donum habet interpretandi, fideliter explicet quod alius lingua peregrina dixit, nihil prætermittens aut immutans. *Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur & Deo*. Si nullus adſit, qui donum habeat interpretationis, taceat qui dono linguarum dumtaxat inſtructus eſt, ne ſacrum conventum perturbet, ſermones effundens qui non intelliguntur. Tacitus autem ſecum oret, vel loquatur Deo, pio cordis affectu, quod donum etiam illius eſt.

29. 30. 31. *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri dijudicent*. Ubi autem multi fuerint Prophetiæ

S. Hieron. in Prologo Commentar. Iſaiæ Prophetæ. Theophylact. Oecumen. S. Thom. Lect. 4. dono illuſtrati, Prophetæ duo aut tres in Eccleſia viciſſim, & ordine, non ſimul loquantur, quod confuſionem pareret; alii autem Prophetæ ex dono ſibi divinitus conceſſo examinent & judicent judicio diſcretionis, non judicio auctoritatis, quod uni Eccleſiæ competit, an quæ dicta ſunt vere ſint prophetica, ſive doctrina ſana & ſalutaris, necne. *Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat*. Si uno loquente Deus alium inter auditores ſedentem afflaverit, novaque revelatione illuſtraverit, qui jam loquebatur det locum dicendi alteri, quem Spiritus ſanctus movet ad revelationem extemporaneam proferendam. *Poteſtis autem omnes per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant, & omnes exhortentur*. Poteſtis autem omnes, qui Prophetiæ donum accepiſtis, ſingulatim alius poſt alium prophetare, id eſt Scripturam ſacram, & maxime Prophetias exponere in Eccleſiæ conventu. Ita fiet ut omnes diſcant per vices inter auditores ſedendo, & ſtando, ut ceteros doceant ac exhortentur. Sic ordo ſervabitur & humilitas. Vel, Ut omnes diſcant, & exhortationis conſolationem accipiant.

32. 33. *Et ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt*. Nam & donum & impetus prophetandi eſt in ipſorum Prophetarum poteſtate, ut ſe cohibere poſſint, & tacere, & opportunum tempus expectare expromendæ revelationis, aut ſtatim eam manifeſtare. Ne igitur dicat is qui donum habet, Quomodo tacere poſſum, cum a Spiritu agitatus loquar? Atqui ſpiritus, (inquit) quo moveris; tibi ſubditur, & in tua poteſtate ac arbitrio ſitum eſt tacere vel loqui. Res enim non ſic ſe habet in Prophetia divino Numine afflatis, ac in Pythonibus: Hi ita arripiuntur atque aguntur, ut ſuæ poteſtatis non ſint: at Dei dona, quamquam non ab hominis voluntate profecta, voluntate tamen ejus reguntur quoad actum, & tempus, moramque ordini & paci neceſſariam facile patiuntur.

Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo. Deus enim qui Pro- **Tertull. lib. 4. Cont. Marcion. c. 4.*
phetas inſpirat ac movet, non eſt Deus confuſionis* ſed pacis, quæ tranquillitas ordinis eſt. Non ſic ergo inſpirat & movet Prophetas, quin opportunum tempus loquendi expectare poſſint, & tacere, alterique cedere locum, ut ordo & pax in Eccleſia ſerventur. Hæc autem non apud vos ſolum, ſed in omnibus, quibus Evangelium prædico, Chriſtianorum Eccleſias doceo, Deum ſcilicet, quem colimus, non eſſe Deum diſſenſionis, ſed pacis; ac proinde ſervandum ordinem, ut pax & concordia ſervetur.

34. 35. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit*. Quia non ſolum viri, ſed etiam mulieres, Spiritus ſancti dona acceperant, ſicut a Joele prædictum *Joel. 2.*
erat, *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ*: Ideo ne contra ordinem a Deo conſtitutum in Eccleſia ſibi jus arrogarent loquendi linguis, interpretandi, docendi, exhortandi, revelationes ſuas proferendi, cantica extempore componendi & canendi quaſi ex divini ſpiritus afflatu, de illis ſubdit Apoſtolus: Mulieres in conventibus Eccleſiaſticis taceant; non enim illis in publico cœtu ad viros ſermonem habere permittit Eccleſiarum conſuetudo; vetat conditio ſexus: ſubditas enim viris eſſe oportet, ut dicit Scriptura, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Subjectionis autem & reverentiæ erga ſexum potiorem eſt, in publico virorum cœtu ſilere. Nec ſolum Dei verbum hoc exigit, ſed & jus Gentium. Unde Regula s. Juris in Digeſtis habet: *Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt: & ideo nec Judices eſſe poſſunt, nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere*. Quia vero apud Judæos uſitatum erat ut hic aut ille aſſidens docentem in publico cœtu interrogaret de hoc aut illo articulo, ne id ſibi mulieres arrogarent, ſubdit Apoſtolus: *Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*. Si quid diſcere velint de rebus ad ſalutem pertinentibus, vel, ſi quod dubium, ſi quam difficultatem patiantur circa quæ a Prophetis aut Doctoribus in publico Eccleſiæ cœtu dicta ſunt, privatim maritos ſuos, non alienos interrogent, qui aut ex ſe reſpondebunt, aut doctiores conſulent, ſi res ſit tanti momenti ut eam ignorare non liceat ſine ſalutis periculo. *Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia*. Eſt enim contra verecundiam ſexui illi naturaliter inditam. Si ergo Prophetiæ donum acceperint, privatim inter fœminas prophetent, aut revelationes ſuas Eccleſiarum Præſidibus patefaciant, eorumque ſubjiciant judicio. Confer cum 1. Tim. 2. 12. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio,... Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione*.

Sileiium mulieribus in Eccleſia imperatum.

Geneſ. 3. 16.

Luc. 2. 46.

36. *An a vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervenit?* Quia Corinthi fœminarum audacia, & conniventia virorum, mos introductus fuerat contrarius aliarum omnium Eccleſiarum inſtitutis, ut fœminæ in Eccleſiaſticis conventibus & docerent & interrogarent, quoſdam ſibi quaſi contradicentes refellit ac reprimit Apoſtolus. Quid (inquit) mihi *Theophylact.*
adverſamini, nec decorum eſſe putatis ut fœminæ in Eccleſia ſilere cogantur? An a vobis exiit prædicatio Evangelica ad omnes alios? Numquid *De ſim*

non

Digitized by Google

non exivit lex, & verbum Domini de Jeruſalem? An apud vos ſolos ſtabilita eſt fides, nec oportet vos recipere leges ac diſciplinam ab aliis Eccleſiis receptas? Neque vos primi fideles eſtis, neque ſoli. Quæ itaque univerſis placent orbi Chriſtiano, vos etiam amare & amplecti oportet.

Iſai. 2.

Apoſtolorum verba ſervanda ſunt ut præcepta Chriſti. 2. Corinth. 13. S. Thom. Lect. 7. 1. Cor. 7. 25.

37. *Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.* Si quis ſibi videtur, vel apud vos creditur prophetiæ dono inſtructus, aut in rebus ſpiritualibus cognoſcendis dijudicandiſque peritus, agnoſcat ea quæ ſcribo vobis, eſſe mandata Dei, quibus contradicere nefas. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* (ait alibi Apoſtolus noſter.) Verba ſcilicet Apoſtolorum ſunt ex familiari revelatione Spiritus ſancti & Chriſti; & ideo ſervanda ſunt ſicut præcepta Chriſti. Unde idem Apoſtolus diſtinguit conſilia a præceptis Domini. *De virginibus* (inquit) *præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* „Hinc Arnoldus Bonævallis Abbas lib. *De Operibus Cardinalibus Chriſti*. Serm. *De Ablutione pedum*, ait: Sicut par eſt Spiritui ſancto & Chriſto divinitas, ita in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas & poteſtas; nec minus ratum eſt quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quam quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Manet ſingulis propria dignitas, & uniformis in ſuo genere ſtat omnium actio. Nihil addi, nihil ſubtrahi, nihil poteſt corrigi vel mutari.

Inter Opera S. Cypriani.

38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Si quis hæc vult ignorare, ignorabitur a Chriſto olim dicturo, *Neſcio vos*; id eſt, reprobabitur. „His verbis coercet Apoſtolus, & ad pacificum ordinem revocat inquietos, tanto ad ſeditionem faciliores, quanto ſibi videbantur ſpiritu excellere, eum ſuperbiendo cuncta turbarent. *Si quis ergo videtur propheta eſſe aut ſpiritalis, cognoſcat* (inquit) *quæ ſcribo vobis, quia Domini eſt mandatum.* Si quis videtur eſſe, & utique non eſt: nam qui eſt, ſine dubitatione cognoſcit, nec admonitione & cohortatione opus habet, qui omnia judicat, & a nemine judicatur. Illi ergo ſeditiones & perturbationes in Eccleſia faciebant, qui videbantur eſſe in Eccleſia, quod non erant. Hos decet cognoſcere Domini eſſe mandatum, quia non eſt ſeditionis Deus, ſed pacis. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*, id eſt, improbabitur. Non enim Deus, ſi ad ſcientiam referas, ignorat eos, quibus dicturus eſt, *Non novi vos*, ſed eorum improbatio hoc verbo inſinuata eſt. Græci legunt. *Si quis autem ignorat, ignoret.* Hoc eſt, Ego dixi, qui vult, obtemperet. „Sic vero loqui hominis eſt ſua non commendantis, ceterum rem publicam ſpectantis. Conſuevit autem Paulus hoc facere, ubi non admodum neceſſarium eſt opponere ſe cuiquam. Quid enim Paulo neceſſarium reniti aliis, atque perſuadere velle, quod Dei ſunt mandata quæ dicat; idque cum ad diſcipulos ſuos loquatur, & dicat ſpiritualem hominem agniturum quod hæc divina ſint? Perſpicuum eſt enim omnes aſſeculuros eum divina & cœleſtia loqui, quo ſpiritales eſſe videantur.

S. Aug. Epiſt. ſeu Quæſtiones ad Dardanum.

Theophylact.

39. 40. *Itaque, fratres, æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere.* Expetite præ ceteris chariſmatibus donum exponendi Scripturas ſacras, quod Eccleſiæ utilius eſt: & ne prohibeatis eos dono linguarum uti, qui illud a Deo acceperant, modo eo utantur ſervatis regulis decoris, modeſtiæ, ordinis, a me conſtitutis. *Omnia autem honeſte & ſecundum ordinem fiant.* Quod omnino fiet, ſi ii qui linguis loquuntur, cum interpretatione loquantur; ſi Prophetæ ſibi mutuo cedant, ſi feminæ conticeſcant.

C A P U T XIV.

Senſus Moralis.

Caritas tota Chriſti lex, & perfectionis. Admirabiles ejus effectus.

1. *SEctamini charitatem, æmulamini ſpiritualia; magis autem ut prophetetis.* Charitas, & quicquid illa complectitur, ſolum eſt deſideriis noſtris & perſecutione dignum objectum: *hæc margarita pretioſa*, hoc *aurum ignitum*, quod omnibus venditis emere debemus. Hæc radix meritorum, vinculum perfectionis, tota hominis juſtitia, membrorum Chriſti cum capite, & inter ſe invicem nexus, hujus viæ beatitudo, cœleſtis & æternæ beatitudinis complementum. „Hæc tota Chriſti lex, quam vere perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus; *Plenitudo legis eſt dilectio*: ſed hæc eadem lex multiplex dicitur: quia ſtudioſa ſollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. Hæc namque primum per Abel & electa Deo munera obtulit, & fratris gladium non reluctando toleravit. Hæc Enoch & inter homines ſpiritualiter vivere docuit, & ad ſublimem vitam ab hominibus etiam corporaliter abſtraxit. Hæc Noe, deſpectis omnibus, ſolum Deo placabilem oſtendit, atque in arcæ fabricam ſtudio longi laboris exercuit, & mundi ſuperſtitem pio opere exercendo ſervavit. Hæc per Sem & Japhet humiliter verenda patris erubuit, & ſuperjecto dorſis pallio, quæ non videbat, abſcondit. Hæc Abrahæ dexteram quia ad mortem filii obedientiæ extulit, hunc prolis innumeræ, gentium patrem fecit. Hæc Iſaac mentem, quam ſemper ad munditiam tenuit, caligantibus ætate oculis, ad videnda longe poſt ventura dilatavit. Hæc Jacob compulit & amiſſum bonum filium medullitus gemere, & pravorum filiorum præſentia ſub æquanimitate tolerare. Hæc Joſeph docuit a fratribus venundatum & libertate animi infracta ſervitium perpeti, & eiſdem poſt fratribus mente non elata principari. Hæc Moyſen, delinquente populo, & uſque ad petitionem mortis in precibus ſtravit, & uſque ad interfectionem populi per zeli ſtudium erexit: ut & pro pereunte plebe ſeſe morti objiceret, & contra peccantem protinus vice Domini iraſcentis ſæviret. Hæc Phinee brachium in ultionem peccantium erexit, ut arrepto gladio coeuntes transfigeret, & iram Domini iratus placaret. Hæc Joſue exploratorem docuit, ut & prius contra falſiloquos cives verbo veritatem defenderet, & hanc poſtmodum gladio contra hoſtes allegaret. Hæc Samuel & in principatu humilem præbuit, & integrum in dejectione ſervavit: Qui cum perſequentem ſe plebem diligeret, ipſe ſibi teſtimonium extitit, quia culmen ex quo dejectus eſt, non amavit. Hæc David ante iniquum Regem & humilitate commovit ad fugam, & pietate replevit ad veniam: Qui perſecutorem ſuum & timendo fugit ut Dominum; & tamen cum poteſtatem eum feriendi reperit, non agnovit inimicum. Hæc Nathan & contra peccantem Regem in auctoritatem liberæ increpationis ſuſtulit, & cum Regis culpa deeſſet, in petitione humiliter ſtravit. Hæc per Iſaiam nuditatem carnis in prædicatione non erubuit; & ſubducto carnali velamine ſuperna myſteria penetravit. Hæc Eliam, quia ſervoris zelo vivere ſpiritaliter docuit, ad vitam quoque & corporaliter abſtraxit. Hæc Eliſæum; quia Magiſtrum ſimpliciter diligere inſtituit, Magiſtri ſpiritu dupliciter implevit. Per hanc Jeremias, ne in Ægyptum populus deſcenderet, reſtitit: ſed tamen & inobedientes diligens, quo deſcendi prohibuit, & ipſe deſcendit. Hæc Ezechielem, quia prius a terrenis deſideriis ſuſtulit, poſt per cincinnum capitis in aere libravit. Hæc in Daniele, quia a regiis dapibus gulam compeſcuit, ei & eſurientium ora leonum clauſit. Hæc tribus pueris, quia in tranquillitate poſitis incendia vitiorum ſubdidit, tribulationis tempore & flammas in fornace temperavit. Hæc in Petro & minis terrentium Principum fortiter reſtitit: & in circumciſione ſubmovenda minorum verba humiliter audivit. Hæc in Paulo & manus perſequentium humiliter, & tamen in circumciſionis negotio longe ſe imparis Prioris ſenſum audenter increpavit. Virtus quæ tam admirabiles effectus prodiicit in illis qui ipſa donati ſunt, ardentiſſimis certe deſideriis expetenda, ſtudiis omnibus conſervanda eſt. Merito igitur Corinthios, & in illis Chriſtianos omnes hortatur Apoſtolus ut charitatem prompto animi ſtudio amplectantur & teneant. *Sectamini caritatem*; ſive, *perſequimini caritatem* (quæ vis etiam eſt Græci verbi διώκετε) Qui porro perſequitur, illud ſolum videt quod perſequitur, & ad illud tendit, & non deſiſtit donec cœperit. Qui perſequitur, quando per ſe non potuerit, per eos qui ipſum præcedunt comprehendit fugientem, eos qui properant magno ſtudio adhortatur ut detineant, & detentum ei ſervent, donec ad eum pervenerit. Hoc nos quoque faciamus. Quando ipſi non pervenerimus ad caritatem, eos qui ſunt prope ipſam jubeamus eam detinere, donec ipſi ad eam pervenerimus, ne nos rurſus effugiat. Aſſidue enim a nobis reſilit, quoniam non ad id quod oportet ea utimur, ſed omnia ei præferimus. Propterea omnia facere oportet ut eam exacte retineamus. Nam ſi hoc factum fuerit, de cetero multo labore non eſt opus, immo ne levi quidem, ſed in deliciis degentes, & diem feſtum agentes, anguſtam virtutis viam ingrediemur, & læti percurremus.

Rom. 13. 10. S. Greg. lib. 10. Moral. cap. 4. Geneſ. 4. Geneſ. 5. Geneſ. 7. Geneſ. 9. Geneſ. 12. Geneſ. 27. Geneſ. 37. Geneſ. 42. Exod. 32. Num. 25. Iſai. 20. 4. Reg. 2. Ibid. Jerem. 42. Ezech. 8. Daniel. 14. Daniel. 3. Act. 15. S. Chryſoſt. Hom. 34.

Omnium donorum & ta-

2. 3. 4. 5. *Æmulamini ſpiritalia, magis autem ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo.* Spiritualia dona eatenus deſideranda & æſti-

Uſus ad finem caritatis ordinandus.

æſtimanda ſunt, quatenus deſerviant charitati. Talenta extraordinaria, ſplendidiora, & quæ majorem illa poſſidentibus admirationem ac nominis celebritatem conciliant, minus utilitatis ſæpius afferunt Eccleſiæ Dei, cujus potiſſima pars pauperes ſunt, ſimplices, idiotæ & illitterati, quibus ut evangelizaret Filius Dei miſſus in mundum eſt. Inter dona ſpiritualia præcellit *Prophetia*, ſeu donum intelligendi & exponendi Scripturas ſacras, prædicationis talentum ad ædificationem Eccleſiæ per caritatem ordinatum. Finis Scripturarum, & intelligentiæ, expoſitioniſque illarum in prædicatione eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. „ Quiſquis igitur Scripturas divinas vel „ quamlibet earum partem intellexiſſe ſibi videtur, „ ita ut eo intellectu non ædificet geminam carita„ tem Dei & proximi, nondum intellexit. Concio„ nator qui alterum ſibi finem proponit, dono ſuo „ abutitur. Prophetarum munus implent verbi Dei Prædicatores, & voluntatis ejus in ſacris Scripturis expreſſæ interpretes. Animas ad Deum convertere, converſas nutrire & roborare pane veritatis, docere quomodo vitæ præſentis ærumnis & rebus adverſis, privatiſque ac publicis calamitatibus uti debeant ad ſanctificationem ſuam, & ad Deum promerendum, finis eſt ad quem collineat ſcientia, expoſitio, & prædicatio verbi Dei. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.* Qui ſingulare, nimis exquiſitum, nimis ſublime, a populi captu & intelligentia remotum dicendi genus, aulicum magis quam propheticum affectant Concionatores, ſibi, aliiſque placere quærentes, non prodeſſe Chriſtianæ plebi ad morum emendationem, ad vitiorum odium & horrorem inſpirandum, ad virtutum amorem & opera perſuadenda, Prophetarum munus non implent, nec Prophetarum nomine digni ſunt. Extraordinariis talentis, concionumque ſuarum famoſa ſingularitate fortunam quandoque ſuam ædificant, non Eccleſiam. *Qui loquitur linguis ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat.* Non glorientur denique nec extollantur de prædicationis dono & talento, qui illud a Domino acceperunt, ſed illud impendant ob ſuam & aliorum ſanctificationem & ſalutem. *Sæpe*, inquit S. Gregorius, *Doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, & ſæpe propter auditoris culpam ſubtrahitur ſermo Doctori. In his ergo quæ ubertim prædicat Doctor, nulla elatione ſe efferat, ne fortaſſe non pro ſua, ſed pro auditoris gratia ejus repleatur lingua: & in his quæ doctor ſteriliter dicit, auditor non ſuccenſeat, ne fortaſſe doctoris lingua non pro ſua, ſed pro auditoris reprobatione torpeſcat. Pro auditoris namque gratia datur bonus etiam malis Sermo doctoribus, ſicut potuerunt Phariſæis ſuppetere verba prædicationis, de quibus ſcriptum eſt:* Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite; ſecundum vero opera eorum nolite facere. *Propter auditorum vero reprobationem bonis etiam doctoribus Sermo ſubtrahitur, ſicut ad Ezechielem contra Iſrael dicitur:* Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir objurgans; quia domus exaſperans eſt. *Aliquando autem ſermo prædicationis propter utroſque datur, aliquando propter utroſque ſubtrahitur. Propter utroſque datur, ſicut divina voce Paulo apud Corinthios dicitur:* Noli timere, ſed loquere. *Et paulo poſt:* Quia populus multus eſt mihi in hac civitate. *Propter utroſque vero ſubtrahitur, ſicut Heli Sacerdos, & pravam filiorum cognovit actionem, & dignam increpationis non exercuit vocem; cum profecto futurum eſſet, ut in mortis ſupplicio & iſtos reatus flagitii, & illum ſilentii pœna mulctaret. Inter hæc igitur cum vel pro quo ſermo detur, vel propter quem ſubtrahatur, ignoramus: unum eſt ſalubre remedium, nec de his quæ alius magis accepimus, noſmetipſos extollere; nec de eo alterum quod minus acceperit, irridere, ſed fixo humilitatis pede graviter & conſtanter incedere: quia in hac vita tanto veracius docti ſumus, quanto doctrinam nobis a nobiſmetipſis ſuppetere non poſſe cognoſcimus.*

S. Aug. l. 1. De Doctrina cap. 36.
Luc. 3. 18.
S. Greg. l. 20. Moral. c. 18.
Matt. 23.
Ezech. 3.
Act. 18.
1. Reg. 3.

14. 15. 16. *Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt.* Curare debent Paſtores animarum ne mens fidelium ſine fructu intelligentiæ ſit in Miſſæ Sacrificio & precibus publicis. Eo magis enim cor in Deo defixum, Deo unitum, pieque in eum affectum eſt, quo magis mens illuſtrata & nutrita Myſteriorum veritate, divinarum laudum quæ in Eccleſia canuntur, intelligentia, ceremoniarum quæ nunc nota ſignificatione. Quamobrem Paſtores Chriſtianæ plebi hæc ſæpius explicare ſatagant, ut illuminata fide ac pietate faciliuſque promptius corda ſua erigant ad Dominum; ac vocem, mentem, ſimul ac voluntatem uniant Eccleſiæ voci, menti, intentioni, voluntati. *Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Mens, cor, & lingua concordent in divinis laudibus & precibus: tametſi corde ſolo ad Deum fundatur oratio ſilente lingua, & ſonus vocis inutilis ſit ſine attentione mentis, ſine pio cordis affectu. *Oratio cordis eſt, non labiorum*, ait S. Iſidorus; *neque enim verba deprecantis Deus intendit, ſed orantis cor aſpicit. Quod ſi tacite cor orat, & vox ſileat: quamvis hominibus lateat, Deum latere non poteſt, qui conſcientiæ præſens eſt. Melius eſt enim cum ſilentio orare corde ſine ſono vocis, quam ſolis verbis ſine intuitu mentis.* Plerumque *Negotium iſtud plus gemitibus, quam ſermonibus agitur, plus fletu, quam affatu: aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus.* Verum ſpiritualis refectionis fructum non capit, qui ad ſenſum eum attendere poſſit, attendere negligit; multo minus qui nec ad Deum, nec ad rem pro qua oratur attendit; nec meditari & ſcrutari ſtudet eloquia Dei, ita ut in ejus meditatione exardeſcat divini amoris ignis animam liquefaciens. De hac devote pſallentium ſpirituali refectione præclare S. Bernardus: *Cibus in ore* (inquit) *Pſalmus in corde ſapit. Tantum illum terere non negligat fidelis ac prudens anima quibuſdam dentibus intelligentiæ ſuæ, ne ſi forte integrum glutiat & non manſum, fruſtretur palatum ſapore deſiderabili & dulciori ſuper mel & favum. Offeramus cum Apoſtolis in cœleſti convivio & in dominica menſa favum mellis. Mel in cera, devotio in littera eſt. Alioquin littera occidit, ſi abſque ſpiritus condimento glutieris. Si autem cum Apoſtolo pſallas ſpiritu, pſallas & mente, cognoſces & tu de illius veritate ſermonis, quem dixit Jeſus:* „ Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

Cum ne debeant Paſtores ne mens fidelium ſit ſine fructu intelligentiæ in Miſſa & precibus publicis.

Oratio cordis eſt magis quam labiorum.

S. Iſidorus lib. 3. Sentent. ſive De ſummo Bono, cap. 7.
S. Aug. Epiſt. 130. c. 10.
S. Bernar. Serm. 7. in Cantica.
Joann. 6.

18. 19. *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua loquor.* Paſtor & Concionator ſatagere imprimis debet ut penitus intelligat quæ docet, tum eo modo dicere ut ab omnibus intelligatur; & quæ dicit, & dictionem ipſam auditorum ingeniis attemperare. „ Sunt enim quædam, quæ vi ſua non „ intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantolibet „ & quantumlibet, quamvis planiſſime dicentis verſentur eloquio, quæ in populi audientiam, vel „ raro, ſi aliquid urget, vel numquam omnino „ mittenda ſunt. Quod vero dictionem ſpectat, „ non tam curare debet qui docet, quanta eloquen„ tia doceat, ſed quanta evidentia. Cujus eviden„ tiæ diligens appetitus aliquando negligit verba „ cultiora, nec curat quid bene ſonet, ſed quid „ bene indicet atque intimet quod oſtendere inten„ dit. Unde ait quidam, cum de tali genere locu„ tionis ageret, eſſe in ea quamdam diligentem ne„ gligentiam. Hæc tamen ſic detrahit ornatum, „ ut ſordes non contrahat. Quamquam imperitæ „ & impolitæ plebi loquens contra integritatem etiam locutionis peccare potius debeat, quam ita lo„ qui integre & pure ut a majori auditorum parte „ non intelligatur. Quid enim prodeſt locutionis „ integritas, quam non ſequitur intellectus au„ dientis, cum loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi „ quod loquimur non intelligunt, propter quos, „ ut intelligant loquimur? Qui ergo docet, vita„ bit omnia verba quæ non docent; & ſi pro eis „ alia integra quæ intelligantur, poteſt dicere, id „ magis eliget: ſi autem non poteſt, ſive quia „ non ſunt, ſive quia in præſentia non occurrunt, „ utetur etiam verbis minus integris, dum tamen „ res ipſa doceatur atque diſcatur integre. Et hoc „ quidem non ſolum in collocutionibus, ſive fiant „ cum aliquo uno, ſive cum pluribus; verum etiam multo magis in populis, quando Sermo promitur, ut intelligamur inſtandum eſt. Quia in „ collocutionibus eſt cuique interrogandi poteſtas: „ ubi autem omnes tacent ut audiatur unus, & hi „ etiam intenta ora convertunt, ibi ut requirat quiſque quod intellexerit, nec moris eſt, nec decorum: ac per hoc debet maxime tacenti ſubvenire „ cura dicentis. Solet autem motu ſuo ſignificare „ utrum intellexerit cognoſcendi avida multitudo: „ quod donec ſignificet, verſandum eſt quod agitur, „ multimoda varietate dicendi; quod in poteſtate „ non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant. „ Mox autem ut intellectum eſſe conſtiterit, aut ſermo finiendus, aut in alia tranſeundum eſt. Vitandum enim tædium atque faſtidium auditorum eſt: ideoque ſtudendum brevitati, perſpicuitati, ac facilitati ſermonis. *Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua*, ait Apoſtolus noſter. Quinque verba accommodatitio ſenſu exponit Doctor Angelicus, quinque capita in quibus doctrinæ Chriſtianæ ſumma conſiſtit, quæ Paſtores & Concionatores docere debent plebem fidelem, ſcilicet. 1.

S. Aug. lib. 4. De Doctrina Chriſt. c. 10.

Concionator & quæ dicit, & dictionem ipſam auditorum ingeniis debet attemperare.

Conc. Trid. Seſſ. 5. cap. 2.

Quinque verba quæ Paſtores & concionatores plebem Chriſtianam docere debent.

S. Thomas, Lect. 3.

Cre-

Digitized by Google

Credenda, Myſteria & dogmata fidei. 2. *Agenda*, Dei & Eccleſiæ mandata, omnium virtutum opera, Chriſtianæ vitæ officia univerſa. 3. *Vitanda*, omnia peccata contra Deum, proximum & ſeipſum; omiſſionis & commiſſionis, cogitationis, oris, & operis, carnis opera, quæ qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt. 4. *Speranda*, vitam æternam in Dei fruitione, & corporum glorioſa immortalitate, cum ea reſumpſerint ſanctæ & felices Animæ per reſurrectionem carnis, poſitam. 5. *Timenda*, pœnas æternas, quarum comparatione nihil metuendum eſt in hac vita, niſi Deo diſplicere, & ab eo per peccatum ſeparari.

Infantia Chriſtiana in quo poſita?

Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui. Quinque verba dicit, interprete Theophylacto, quiſquis alios inſtituit, medicinam convenientem cuivis quinque ſenſuum noſtrorum adhibens, pharmacum ſalutis ex divinis Scripturis confectum.

20. *Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote*. Infantia Chriſtiana in eo poſita non eſt ut ſenſuum judicio res æſtimemus, amplectamur, aut reſpuamus; ſed ut infantium puritatem, innocentiam, ſimplicitatem, humilitatem, docilitatem, manſuetudinem imitemur. *Nolite pueri effici*, hoc eſt inſipientes, ubi „ oportet eſſe ſapientes: ſed illic pueri & ſimplices, „ ubi eſt injuſtitia, ubi inanis gloria, ubi tumor. „ Eum enim qui malitia eſt infans, etiam pruden- „ tem eſſe oportet. Quomodo enim prudentia cum „ improbitate nequaquam fuerit prudentia; ita et- „ iam ſimplicitas cum amentia non fuerit ſimplicitas. „ Quamobrem jubens utrumque contemperare ait: „ *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut co- „ lumbæ*. Quid eſt autem eſſe parvulos malitia? „ Ne noſſe quidem quid ſit vitium. Chriſtianos „ enim vult eſſe tales. Et ideo dicebat, *Omnino „ auditur inter vos fornicatio*. Non dixit: Perpetra- „ tur vel admittitur, ſed auditur. Rem (inquit) „ omnino ſcitis. Volebat Apoſtolus ipſos eſſe & „ viros & pueros; viros prudentia, pueros malitia. „ Sic enim & vir fuerit, ſi puer: quamdiu autem „ non fuerit Infans malitia, ne vir quidem erit. „ *Senſibus autem perfecti eſtote*. Senſibus perfectus eſt, id eſt, mente ac judicio, qui præter quam quod nemini damnum inferat, alios etiam juvet, nedum vitium fugiens, verum etiam virtutem amplexus, ideoque cavens ne in rebus, quæ alicujus ſunt momenti, damnum patiatur. Senſibus perfectus eſt, qui ſpiritualia bona carnalibus, perituris æterna præponit. „ Amat Chriſtus infantiam, humilitatis „ magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis „ formam; ad quam majorum dirigi mores, ad „ quam ſenum reducit ætates; & eos ad ſuum in- „ clinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æ- „ ternum. Ut autem plene valeamus agnoſcere quo- „ modo apprehendi poſſit tam mira converſio, & „ in puerilem gradum qua nobis mutatione re- „ deundum ſit, doceat nos beatus Paulus, & di- „ cat, *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia par- „ vuli eſtote*. Non ergo ad ludicra infantiæ & im- „ perfecta nobis primordia revertendum eſt; ſed „ aliquid quod etiam graves annos deceat, unde ſu- „ mendum eſt, velox commotionum tranſitus, ci- „ tus ad pacem recurſus. Nulla ſit memoria offen- „ ſionis, nulla cupiditas dignitatis. Amor ſociæ di- „ lectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bo- „ num eſt, nocere non noſſe, & ad maligna non „ ſapere: quia inferre ac referre injuriam, mun- „ di hujus prudentiæ eſt: nemini autem malum pro „ malo reddere, Chriſtianæ eſt æquanimitas infan- „ tiæ.

S. Chriſoſt. Hom. 30.

Matt. 10.

1. Cor. 5.

Theophylact.

S. Leo Serm. 36. in Epiph.

Eccleſiæ naſcenti Miracula, adultæ merita operum magis neceſſaria.

22. *Itaque linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus: Prophetia autem non infidelibus, ſed fidelibus*. Prophetas & Prædicatores Dei bonitas & miſericordia ſponte tribuunt fidelibus ad eorum inſtitutionem & doctrinam: ſigna vero & miracula hominum infidelitas ab illius omnipotentia velut extorquet. Facta ſunt ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis ad converſionem infidelium; nunc prædicato ubique gentium Evangelio, & fundata Eccleſia, rara ſunt, quia minime neceſſaria; ſed verbi divini prædicatio, & ſacrarum Scripturarum expoſitio ad fidelium inſtructionem & ædificationem ad finem uſque ſæculi perſeverabit. „ Sunt nonnulli (inquit S. Gre- „ gorius) qui cum mira Apoſtolorum opera audiunt, „ quod accepto Spiritu ſancto mortuos verbo ſuſci- „ tarent, ab obſeſſis dæmonia pellerent, umbra in- „ firmitates amoverent, ventura quoque prophetan- „ do prædicerent, & unigenitum Verbum Dei „ omnium Gentium loquentes lingua prædicarent, „ quia has virtutes nunc in Eccleſia non vident, „ ſubtractam jam ab Eccleſia ſupernam gratiam ſu- „ ſpicantur, neſcientes penſare quod ſcriptum eſt: „ *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione*. Tunc „ quippe ſancta Eccleſia miraculorum adjutoris in- „ diguit, cum eam tribulatio perſecutionis preſſit. „ Nam poſtquam ſuperbiam infidelitatis edomuit, „ non jam virtutum ſigna, ſed ſola merita operum „ requirit, quamvis & illa per multos, cum op- „ portunitas exigit, oſtendat. Scriptum quippe eſt, „ Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infide- „ libus. Ubi ergo omnes fideles ſunt, quæ cauſa „ exigit ut ſigna monſtrentur? Unde citius fortaſſe „ ſatisfacimus, ſi quid de ipſa Apoſtolica diſpenſa- „ tione memoremus. Paulus namque egregius Præ- „ dicator Melitem veniens, & plenam infidelibus „ Inſulam ſciens, patrem Publii dyſenteria febri- „ buſque vexatum, orando ſalvavit; & tamen æ- „ grotanti Timotheo præcepit dicens: *Modico vino „ utere propter ſtomachum, & frequentes infirmitates „ tuas*. Quid eſt, Paule, quod ægrum infidelem „ orando ad ſalutem revoces, & tantum Adjuto- „ rem Evangelii more medici per alimenta curas; „ niſi quod idcirco fiant exteriora miracula, ut „ mentes hominum ad interiora perducantur: qua- „ tenus per hoc quod mirum viſibiliter oſtenditur, „ ea quæ admirabiliora ſunt inviſibilia credantur? „ Signo quippe virtutis pater Publii ſanandus fuerat, „ ut mente reviviſceret, dum miraculo ad ſalutem „ rediret. Timotheo autem adhibendum foris mira- „ culum non erat, quia jam totus intus vivebat. „ Quid eſt ergo mirum ſi propagata fide, crebro „ miracula non fiunt, quando hæc ipſi quoque Apo- „ ſtoli in quibuſdam jam fidelibus non fecerunt? „ Etſi ergo Dominus virtutum ſigna nunc per vitam „ fidelium crebro non exerit, ab eiſdem tamen fide- „ libus per virtutem operum numquam recedit. „ Hæc S. Gregorius. Fideles itaque ſigna non quæ- „ rant, ſed fidem virtute operum demonſtrent.

S. Gregor. l. 27. Moral. c. 11.

Pſalm. 9.

Donum verbi ſummæ in Eccleſia utilitatis, cum eo Concionatores utuntur ut oportet.

24. 25. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta cordis ejus manifeſta ſunt, & ita cadens in terram adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis ſit*. Donum explicandi perſpicue Myſteria Religionis & Chriſtiana dogmata fidei ac Moralis Chriſtianæ, ac populos adhortandi ad omnia Chriſtianæ vitæ officia, ſecundum vocationem, ſtatum, & conditionem ſuam implenda, immenſæ in Eccleſia utilitatis eſt, ſi, qui eo dono inſigniti ſunt, eo ut par eſt, utantur ad unam Dei gloriam & animarum ſalutem. Utinam ingens ſit in Eccleſia ſanctorum Concionatorum numerus, quorum & prædicatio & vita prophetica ſit, quorum linguam Deus ita dirigat ad converſionem auditorum, ut appoſite tangant occultiſſima eorum vitia, ut putent eos peculiariter ſibi quaſi prophetice loqui: ut cor peccatorum evertant, & eorum oculis exponant, ut eos timore Judiciorum Dei humilient ac proſternant, eoſque ad Religionis confitendam & amandam veritatem, & ad vitam ſecundum ejus ſpiritum ac leges inſtituendam adducant. Hanc benedictionem ſimplicitati ſanctorum & fervidorum Concionatorum, non magnificis & ad ſæcularis eloquentiæ pompam oſtentandam compoſitis Oratorum Academicorum & Aulicorum ſermonibus Deus impertit. Hanc vim, hos effectus habuit verbum Dei ore S. Ambroſii prolatum in corde Auguſtini, ut ipſe refert in Confeſſionibus. „ Tu autem, Domine, inter verba ejus „ retorquebas me ad me ipſum auferens me a dorſo „ meo ubi me poſueram, dum nolem me attende- „ re, & conſtituebas me ante faciem meam, ut „ viderem quam turpis eſſem, quam diſtortus & „ ſordidus, maculoſus & ulceroſus. Et videbam, „ & horrebam, & quo a me fugerem non erat. Et „ ſi conabar a me avertere aſpectum, narrabat ille „ quod narrabat, & tu me rurſus opponebas mihi, „ & impingebas me in oculos meos, ut inveni- „ rem iniquitatem meam & odiſſem. Noveram eam, „ ſed diſſimulabam & connivebam & obliviſcebar. „ Tunc vero quanto ardentius amabam illos de qui- „ bus audiebam ſalubres affectus, quod ſe totos tibi „ ſanandos dederant, tanto execrabilius me compa- „ ratum eis oderam. “ Si verbum Dei eoſdem effectus in animis peccatorum ſemper non producit, culpa eſt auditorum, & interdum etiam Concionatorum; auditorum, qui verbum cum debita præparatione non audiunt, non retinent, non meditantur, ut eo nutriantur: Concionatorum, qui non digne tractant verbum veritatis, nec eo ſpiritu, eo fine, quo Prophetæ & Apoſtoli.

S. Aug. lib. 8. Confeſſ. c. 7.

26. *Quid ergo eſt, fratres, cum convenitis, unuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant*. Proximorum ædificatio finis eſt ad quem omnium donorum & talentorum uſus referri debet. „ Hoc Chriſtianiſmi

S. Chryſoſt. Hom. 36.

„ ſum-

„ fundamentum & regula. Quomodo enim eſt artificis officium ædificare, ita etiam Chriſtiani proximi prodeſſe per omnia. Non magna a me habetur ratio chariſmatum differentiæ. Unum eſt mihi curæ, ut omnia faciam ad ædificationem. Ita etiam qui parvum habet donum, eum qui magnum habet, ſuperabit, ac prætervehetur, ſi hoc adſit. Propterea enim ſunt dona, ut unuſquiſque ædificetur. Si hoc enim factum non fuerit, erit donum ei qui accepit, ad condemnationem. Quid prodeſt prophetare? Quid mortuos ſuſcitare, ſi ad ædificationem id non fiat? Si hic eſt autem donorum finis, & abſque donis proximus ædificari poteſt, ne propter dona extraordinaria efferaris & inſoleſcas, neque te miſerum exiſtimes quod illa non habeas.

Ædificatio proximi finis eſt ad quem omnium donorum & talentorum uſus referri debet.

32. 33. *Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: Sicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.* Nemo privatum ſpiritum ſuum, aut cæcum zeli imprudentis impetum ſequi debet: ſed Spiritui Dei, & Eccleſiæ ſanctæ auctoritati ac judicio, Paſtorumque regimini ac directioni ſe ſubjicere ac parere in uſu donorum ac talentorum, quæ ipſi propter ædificationem & utilitatem Eccleſiæ collata ſunt; & omnia agere in ſpiritu obedientiæ, caritatis, concordiæ & pacis. Ubi enim Deus eſt, ibi pax & concordia: ubi vero non habitat Deus, ibi pax non regnat, inde ordo, unitas & concordia exulant. Non in commotione Dominus. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.* Ordo, pax, unitas, Apoſtolicæ Eccleſiæ caracteres. *Sicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.* Ordo diſciplinæ, pax, unitas, in omnibus Eccleſiæ ſtatibus, gradibus, conditionibus, ſanctitas in omnium Chriſtianorum converſatione ac moribus, infidelibus ipſis, olim admirationi ac reverentiæ erant. Sed heu! quam mutata in his quæ diſciplinam ſpectant Eccleſiæ facies? Quam deformata in moribus Chriſtianorum? Quot & quantæ apud illos diſſenſiones, lites, rixæ, æmulationes, odia implacabilia ex eorum cupiditatibus profecta? Si infideles nos propius intuerentur & obſervarent, dicerent, proh pudor! Deum quem colimus, Deum eſſe diſſenſionis non pacis: „ Dei nomen per nos blaſphemaretur in gentibus. Eccleſiæ primitivæ faciē quid magis reverendum? Sed nunc ſimilis eſt mulieri, quæ a veteri proſperitate excidit, & multis in locis ſola tenet ſymbola antiquæ felicitatis: & monilium quidem ſolas thecas oſtendit & arculas, divitiis autem eſt privata. Neque hoc ſolum dico propter dona, ſed etiam propter vitam & virtutem. Nam & Viduarum numerus, & chorus Virginum tunc magnum ornamentum præbebat Eccleſiis: nunc autem ab iis Eccleſia deſerta eſt & exinanita, & ſola manent ſigna. Nam ſunt nunc quoque viduæ, ſunt & virgines, ſed non habent illum ornatum, quem habere oportet eas quæ ſe ad hæc pararunt certamina. Eximium enim virginis indicium eſt, quo agnoſcitur, quod de iis tantum quæ ſunt Dei, ſit ſollicita, & ad Deum precandum indiviſe aſſideat. Viduæ quoque non tam fuerit indicium quod ſecundis non conjungitur nuptiis, quam caritas in pauperes, hoſpitalitas, in precibus aſſiduitas, & multa alia quæ Paulus exigit ſcribens ad Timotheum. Videris etiam eas quæ ſunt junctæ matrimonio apud nos multam oſtendere honeſtatem. Sed non eſt hoc ſolum quod quæritur, ſed diligens cura egenorum. Nam tunc quidem pro auro eleemoſynæ induebantur ornamento: nunc autem hoc dimiſſo, funibus aureis ex catena peccatorum contextis amiciuntur. Conveniebant olim omnes & pſallebant communiter: hoc nunc quidem facimus: Sed tunc quidem in omnibus una erat anima & cor unum: nunc autem ne in una quidem anima illam concordiam videris & conſenſum, ſed ubique magnum eſt bellum. Pacem nunc quoque precatur omnibus is qui præeſt Eccleſiæ, ut qui in domum ingreditur paternam: ſed hujus pacis nomen quidem eſt frequens, res autem nuſquam. Tunc etiam domus erant Eccleſiæ: nunc etiam Eccleſia eſt domus, vel potius quavis domo deterior. Nam in domo quidem bene conſtitutum videris ordinem: Domina domus ſedet cum omni honeſtate, modeſtia, & decore, & ancillæ texunt cum ſilentio, & ſinguli ex famulis in manibus habent quod eſt eis mandatum. Hic autem multus eſt tumultus, magna confuſio & perturbatio, evagatio, circumſpicientium oculorum nutus, riſus, garritus. Veruntamen non fori aut tabernæ inſtar debet eſſe Eccleſia, quæ locus eſt Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipſum cœlum. Quomodo ergo ſi quis deductum cœlum illuc introduxiſſet, etiamſi patrem videres, etiamſi fratrem, ne auderes quidem alloqui: ita hic ne aliud quidem loqui oportet præter ſpiritualia: Nam hic quoque eſt cœlum. Quod ſi non credis, aſpice ad hanc Menſam, &c.

Ordo diſciplinæ, pax, unitas, Eccleſiæ Apoſtolicæ caracteres.

S. Chryſoſt. hom. 36.

1. Tim.

34. 35. *Mulieres in Eccleſia taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent: turpe eſt enim mulierem loqui in Eccleſia.* Cuique honeſtum & decorum eſt in ordine ſuo manere, officium implere ſuum. Eccleſiæ pulchritudo ex ordine. Terribilis eſt ut caſtrorum acies ordinata. Ad militiam Dei vivi & mulieres vocatæ ſunt, contra carnem, mundum, & diabolum pugnaturæ: Sed victrices eſſe non poſſunt niſi in ordine ſuo maneant, *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, adverſus Siſaram pugnaverunt.* Mulieri non permittitur in Eccleſia loqui, ut luat pœnam garrulitatis, qua in paradiſo cum ſerpente confabulata eſt in ſuam, virique, ac totius humani generis perniciem. Pœnam interim vertat in honorem. Amet ſubjici, & ſilere, quia Deus ita ſtatuit ac juſſit. Ejus voluntatem in ſua humiliatione adoret. Sibi conducibilius ad ſalutem eſſe noverit docere ac prædicare humilitatis, pudoris, ſilentii, obedientiæ, modeſtiæ, ſubjectionis, caſtitatis, omniumque virtutum Chriſtianarum exemplis. *Etſi eloquium conticeſcat (nam & elinguis Philoſophia vita contenta eſt) ipſe habitus ſonat, ſic denique auditur, dum videtur.* Quod viros ſpectat, uxores ſuas, filios, ſervos docere ſatagant pro virili Chriſtianam doctrinam, Dei legem, officia Chriſtianæ vitæ: & quæ audierint in Eccleſia, vel privatim legerint, eis repetant & inculcent. *Unuſquiſque pater-familias hoc nomine agnoſcat paternum affectum familiæ ſuæ ſe debere. Pro Chriſto & pro vita æterna ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam: ita in domo ſua Eccleſiaſticum & quodammodo Epiſcopale implebit officium, miniſtrans Chriſto, ut in æternum ſit cum ipſo.* Huic officio totos ſe dediderunt primi Chriſtiani, Magiſtratus, Militiam, & Munera publica propter hanc etiam, tametſi non unam rationem fugientes, teſte Origene. *Nec hoc faciunt Chriſtiani (*inquit*) quod iſta publica vitæ munia refugiant, ſed quod ſe ſervent divinioribus & magis neceſſariis muniis Eccleſiæ ad ſalutem hominum; quoniam hoc & juſtum æſtimant & neceſſarium, omnium rationem habentes, ſuorum quidem ut in dies proficiant; extraneorum vero, ut eos ad pietatis ac religionis doctrinam ſimul & opera pertrahant.*

Mulierem ſubjectio & modeſtia.

Judic. 5. 20.

Tertull. lib. De Pallio.

Patrum familias officium.

S. Aug. Tract. 51. in Joann.

Origenes lib. 8. contra Celſum, in fine.

36. *An a vobis verbum Dei proceſſit, aut in vos ſolos pervenit?* Ad antiquiores & Apoſtolicas Eccleſias, maxime vero ad Romanam ceterarum matrem & magiſtram, in dubiis Fidei, Moralis, & Diſciplinæ recurrendum: Eo enim puriores fluunt Fidei, Moralis, & Diſciplinæ rivi, quo magis Evangelii fonti propinquant. „ Age jam, *inquit Tertullianus*, qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia! cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur: ubi Apoſtolus Joannes poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit. Unum Deum novit creatorem univerſitatis, & Chriſtum Jeſum ex Virgine Maria Filium Dei creatoris, & carnis reſurrectionem: Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apoſtolicis litteris miſcet, & inde potat fidem: eam aqua ſignat, Spiritu ſancto veſtit, Euchariſtia paſcit, Martyrium exhortatur, & ita adverſus hanc inſtitutionem neminem recipit. Ab ea Eccleſia diſciplinæ legem recipere debemus, a qua fidem recepimus, a Romana ſcilicet matrice fidei.

Ad Romanam Eccleſiam in dubiis Fidei, Moralis, & diſciplinæ recurrendum.

Tertull. lib. De Præſcript. Hæretic. c. 36.

37. *Si quis videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis; quia Domini ſunt mandata.* Non humanis placitis aut arbitrio regenda Eccleſia eſt, ſed ſecundum regulas Evangelii, & Apoſtolicæ Traditionis, quæ *Domini ſunt mandata*, qui dixit, „ Qui vos audit, me audit . . . . Nobis nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quidquam „ ex

Eccleſia non humano arbitrio, ſed ſecundum regulas Evangelii & Apoſtolicæ traditionis regenda?

Tertull. lib.

De Præſcrip. cap. 6.
S. Clemens Alexand. lib. 1. Stromat.

„ ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed „ acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus „ adſignaverunt. Ex Scripturis divinis & Traditione Apoſtolica, non ſolum regulæ credendi, ſed & recte vivendi hauriendæ ſunt. „ Is ergo ſolus qui „ eſt cognitione præditus (*ait Clemens Alexand.*) „ cum in ipſis conſenuerit Scripturis, Apoſtolicam „ & Eccleſiaſticam ſervans dogmatum rectitudinem, „ rectiſſime vivit convenienter Evangelio, & demon„ ſtrationes ita ut quærit, invenit, ut qui enarra„ tur a Domino, a Lege, & a Prophetis. Nam vi„ ta ejus nihil eſt aliud quam facta & verba quæ „ ſequuntur traditionum Domini.

Pſalm. 35.

38. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. Plerique ignorare volunt Dei legem, quam obſervare nolunt; ſed Deus & violationem legis & ignorantiam damnabit & plectet. *Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos ejus. Quoniam doloſe egit in conſpectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium . . ., Noluit intelligere ut bene ageret*. Non unum hominem, ut exponit S. Auguſtinus, „ *ſed* „ genus hominum iniquorum dicit, qui ſibi adver„ ſantur, non intelligendo ut bene vivant: non quia „ non poſſunt, ſed quia nolunt. Aliud eſt enim „ quando quiſque conatur aliquid intelligere, & per „ infirmitatem carnis non poteſt . . . aliud autem „ quando perniciosius agit adverſum ſe ipſum cor „ humanum, ut quod poſſit intelligere, ſi bona vo„ luntas accederet, non intelligat, non quia diffici„ le eſt, ſed quia voluntas adverſa eſt. Hoc autem fit „ dum amant peccata ſua & oderunt præcepta Dei. „ Sermo enim adverſarius tuus eſt, ſi tu ſis amicus „ iniquitatis tuæ: ſi autem adverſarius ſis iniquitatis „ tuæ, ſermo Dei amicus tuus eſt, & adverſarius „ iniquitatis tuæ. Si ergo odiſti iniquitatem tuam, „ jungis te ſermoni Dei; & eritis duo adverſus il„ lam perimendam, tu & ſermo Dei. Tu enim per „ te ex viribus tuis nihil potes: adjuvat te ille qui „ tibi ſermonem miſit, & vincitur iniquitas. Si „ tu illam odiſti; & Deus dimittit, & eris liber: ſi „ autem ipſam diligas; contrarium eſt tibi intelligere „ quicquid contra illam dicitur. " Ideo ait Propheta: *Noluit intelligere ut bene ageret*. Dei legem, & media ad ſalutem neceſſaria ignorare peccatum eſt, & pœna peccati, & cauſa peccati. Hæc ignorantia cauſa reprobationis eſt, qua peccatores æterna in oblivione apud Deum erunt. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. Ab hominibus ignorari, & in oblivione apud illos eſſe, lucrum magis eſt quam detrimentum: ſed a Deo in perpetuum ignorari & reprobari, ſummum omnium malorum eſt.

S. Aug. Enarr. in Pſal. 35.
Ignorantia legis Dei & mediorum ad ſalutem neceſſariorum peccatum eſt, pœna peccati, & cauſa peccati.

C A P U T XV.

Senſus Litteralis.

1. 2. N*Otum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalvamini: qua ratione prædicaverim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis*. Maximum malum ſed non ita late diffuſum per Corinthiorum Eccleſiam ultimo loco medicari aggreditur Apoſtolus. Quidam enim impoſtores Philoſophicis ratiunculis reſurrectionis fidem in eis labefactabant & omnino ſubvertere nitebantur. Hoc vero cum nihil eſſet aliud quam doctrinam Evangelicam a fundamentis convellere, hunc errorem toto iſto capite confutandum ſibi ſumit. Primo autem loco docet ſcopum Incarnationis Dominicæ, oſtenditque & paſſionem, & crucem, & reſurrectionem Salvatori fuiſſe propter reſurrectionem generalem. Sic autem exorditur. *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium &c.* Volo vobis revocare in memoriam Evangelium quod prædicavi vobis, præcipua capita doctrinæ Evangelicæ, quam vobis verbo tradidi & annunciavi; quæ recepiſtis mente & affectu credendo in Jeſum Chriſtum, & Evangelio ejus obediendo; in quo & huculque pars veſtrum maxima perſeverat; per quod & ſalus veſtra in hac vita inchoatur, & in futura perficietur. Id; in quam, vobis in memoriam revoco, ut videatis ſi illud integre, pure, fideliter & conſtanter retineatis & profitemini, ſecundum eam rationem & eum ſenſum quo vobis a me prædicatum eſt. Alioqui fidem fruſtra amplexi eſſetis, quæ nihil vobis ad ſalutem æternam prodeſſet adulterata & ſubverſa.

Theodoret. in hunc locum.

3. 4. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas*. Tradidi vobis viva voce, tanquam prima fidei Chriſtianæ fundamenta, cen depoſitum doctrinæ a Chriſto Jeſu per revelationem acceptæ, quod Chriſtus mortuus ſit, non propter ſua, quæ nulla habuit, peccata, ſed propter noſtra, ut ea deleret virtute ſanguinis ſui, noſque a pœnis illis debitis redimeret, ſatisfaciendo juſtitiæ Dei. Nec vero fortuito mortuus eſt, ſed quia voluit, utique ut Scripturæ veteris Teſtamenti & vaticinia Prophetarum * implerentur. *Et quia ſepultus eſt*. Ex quo mortis ejus veritas, conſequenter & veritas reſurrectionis probatur. *Et quia reſurrexit tertia die, ſecundum Scripturas*. Et quod tertia die illuceſcente excitatus ſit propria virtute a morte ad vitam immortalem & glorioſam, prout Jonæ typo præfiguratum erat, ac oculis Prophetarum prædictum. Addidit Apoſtolus, *ſecundum Scripturas*, ad firmandum reſurrectionis dogma creditu perdifficile, quod nimirum ſenſui humano, & naturali Philoſophiæ repugnare videatur. Unde jam tunc hæreſes adverſus hanc fidei fundamentalem veritatem exortæ ſunt, vel dicentium, *Quoniam reſurrectio mortuorum non eſt*, vel aſſerentium *Reſurrectionem jam eſſe factam*.

Christianæ ſidei fundamenta.
*Pſal. 21. 15. & ſeq. * Iſai. 53. 7. & ſeq. Jerem. 11. 19. Daniel. 9. 26. Zach. 11. 13. &c.*
7. Sap. 2. 18. & ſeq. Jonæ 2. 1. Pſal. 2. 6. Pſalm. 40. 9. Pſalm. 87. 5. Oſee 6. 3. 4. Oſee 13. 14. Sapien. 3. 2. infra Verſ. 12.
2. Tim. 2. 18.

5. *Et quia viſus eſt Cephæ*, ipſo die reſurrectionis Petro prius quam cæteris Apoſtolis apparuit, tanquam Senatus Apoſtolici Principi: *& poſt hæc undecim*. In Græcis Codicibus legitur *δώδεκα duodecim*, quam lectionem ſequitur & S. Auguſtinus. Vocantur autem duodecim, non quod tot eſſent mortuo Juda, & Thoma abſente, ſed quia ſacrato illo numero inſtitutum erat a Chriſto Collegium Apoſtolicum, & conſuetum eſt ut toti Collegio tribuatur quod maxima pars Collegii facit. Sic Collegium *Centumvirorum*, *Decemvirorum*, *Septemvirorum* nomen retinet, quamvis aliqui abſint. Sic Joannis 20. 24. Thomas dicitur *Unus ex duodecim*. Forte ſcribarum lapſu numeri varietas contigit in Græcis Latiniſve Codicibus. Vel, præſcientiæ oculo ſciens Dominus quod Matthias connumerandus eſſet cum undecim, apparuit & ipſi, ut nequaquam cæteris Apoſtolis eſſet inferior. Non meminit apparitionis factæ mulieribus, ne minus ponderis haberet illarum teſtimonium apud contradicentes. Petro ergo inter viros primo viſum Dominum commemorat ad fidem reſurrectionis ejus adſtruendam. Fide quidem digna eſt perſona ad teſtimonium, ſed una. Ideo ſubjunxit: *& poſt hoc undecim*. Et ne quis hoc etiam ſuſpicaretur propter amorem Magiſtri reſurrectionem prædicare quæ non fuerit, ſubjunxit:

Luc. 24. 34.
Oecumen.
S. Auguſt. lib. 3. De Conſenſu Evangel. cap. 25.
Theophyl. & Oecumen. non omnes ...
Chriſti reſurrectio.

6. *Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt*. Non ſeorſim, ſed ſimul omnibus viſus eſt, eodem tempore, in Galilæa, in monte Thabor, ſive Itabyrio, ſicut promiſerat Dominus. Eſt autem a ſuſpicione alienum tot hominum teſtimonium. Et ne quis exiſtimaret eum non vera dicere, addidit, multos eſſe adhuc ſuperſtites, cum hæc ſcribebat, ex quibus id ſciſcitare poſſet qui vellet; quoſdam autem eſſe defunctos, qui in hoc teſtimonio ad finem uſque perſeverarunt. Inter hos quingentos fratres, præter undecim Apoſtolos, fuiſſe ſeptuaginta Diſcipulos, & inter illos Matthiam & Barſabam juſtum, minime dubium eſt, de quibus teſtatur S. Petrus eos ex illis viris fuiſſe, qui cum Apoſtolis fuerant converſati toto tempore quo Chriſtus Jeſus Dominus noſter inter eos intravit & exivit, *a baptiſmate Joannis uſque in diem quo aſſumptus eſt* in cœlum, ac proinde idoneos eſſe qui cum ipſis teſtes fiant reſurrectionis ejus.

Matth. 26. 32. Matth. 28. 10. Marc. 14. 28. Marc. 16. 7.
Act. 1. 21. 22.

7. *Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus*, τὸ *deinde*, temporis ordinem ſignificat. Conſpicuum ſe præbuit Jacobo Alphæi filio, qui *frater Domini & juſtus* dictus eſt, primo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopo, cujus apud fideles, præſertim Judæos, magna erat auctoritas. Quæ in Apocrypho ſecundum Hebræos ſeu Nazaræos Evangelio habentur hujus apparitionis circumſtantiæ, & a Sancto Hieronymo referuntur, nec tamen approbantur, fabuloſæ ſunt, & Evangelio ac S. Paulo repugnantes, ut dudum a viris eruditis oſtenſum eſt. *Deinde Apoſtolis omnibus*, non primi dumtaxat, ſed ſecundi ordinis, id eſt, non ſolis duodecim, ſed & ſeptuaginta Diſcipulis, ad prædicandum ubique terrarum nomen & fidem Jeſu Chriſti ab ipſo Salvatore miſſis: his, inquam, omnibus ipſa die Aſcenſionis ſuæ conſpicuum ſe dedit ſive Hieroſolymis, ſive in monte Oliveti. E primi autem ordinis Apoſtolis non fuiſſe Jacobum fratrem Domini perperam quidam colligunt ex eo quod ſeorſim ab undecim commemoretur a Sancto Paulo inter eos quibus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam apparuit. *Et poſt hoc undecim . . . . . deinde viſus eſt Jacobo.*

S. Hieron. in Catal. Script. Eccleſ.
S. Thomas, Lect. 1.
Joann. Heſſel. in Catechiſ.
Eſtius in hunc locum.
S. Chryſoſt. Homi. 38.
S. Hieron. Epiſt. Ad Fabiolam.
Theodoret.
Theophylact.

Digitized by Google

cobo. Eadem enim ratione colligerent Auctores illi Sanctum Petrum primi ordinis Apoſtolum non fuiſſe, quia & de illo ſeorſum ait: *Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim*. Id igitur unum ſignificavit S. Paulus, Chriſtum Jeſum ſingularim Petro & Jacobo, id eſt, utrique ſoli & ſeorſum ab aliis viſum fuiſſe.

8. *Noviſſime autem omnium tamquam abortivo, viſus eſt & mihi*. Tandem poſtquam aliis omnibus ſe conſpicuum præbuit, viſus eſt & mihi * omnium imperfectiſſimo & contemptiſſimo, qui tantum diſto ab Apoſtolorum virtutibus & meritis, quantum maſſa informiſque deformiſque, abortivo partu edita, diſtat a forma humana. Recentiores quidam Commentatores, poſt Cardinalem Baronium, alludere putant Apoſtolum ad Proverbialem formulam apud Romanos uſurpatam, ut ipſis quidem videtur ex Suetonio in Octavio cap. 35. *Erant* (inquit) *ſuper mille Senatores, & quidam indigniſſimi, poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium allecti, quos Abortivos vulgus vocabat*. Verum Paulum qui Græce ſcripſit, nec Romam adhuc viderat, Romanum Proverbium uſurpaſſe, minus veriſimile eſt. Præterquam quod vox *Abortivos*, hoc loco apud Suetonium in melioribus Codicibus non legitur, ſed *Orcinos*, ut eruditi critici * obſervarunt, ita dictos Senatores obſcuros & ignobiles, quaſi orco & terra genitos, ſeu poſt Auguſti necem in Senatum adlectos. Sic Orcinus libertus Ulpiano dictus eſt, qui nullum Patronum viventem habuit, utpote heri ſui teſtamento manumiſſus: Orcini Senatores Suetonio dicti, a Plutarcho *Charonitæ* vocantur. Ceterum multo vetuſtior eſt Auguſti ævo locutio qua utitur S. Paulus. Nam *Nephel* metaphorice rem contemptiſſimam vocant Hebræi, quam vocem LXX. Interpretes verterunt ἔκτρωμα, *Job* 3. 16. & *Eccleſiaſtis* 6. 3. Græcam vero illam vocem Vulgatus Interpres utrobique vertit *abortivum*.

* Act. 9. 17. & 27. & cap. 22. 14. & cap. 26. 12. & 19.

* Caſaubonus. Torrentius. Ulpian. D. Plutarch. in Antonio.

9. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei*. Ideo me abortivo ſimilem dixi, quod ad juſtam menſuram & maturitatem non perveni, quia revera ſum minimus Apoſtolorum, ſi vitæ meæ præteritæ ratio habeatur. Indignus ſum enim & munere & ipſo nomine Apoſtoli, quia ſupra modum perſecutus ſum Eccleſiæ Dei membra, fideles Chriſti, viros ac mulieres, uſque ad carceres & mortem. Peccata autem vitæ prioris narrat humilis Apoſtolus, ut laudes ſuas, quas neceſſario prædicaturus erat ad augendam teſtimonii fidem, minus ſuſpectas haberent; & ne gratificari & adulari Chriſto videretur, mentiendo reſurrectionem ejus. Qui enim vitia ſua & contumelias ingenue fatetur, haud ſane alteri fruſtra gratificabitur & adulabitur.

Act. 9. & 22. Galat. 1. 13. 1. Tim. 1. 13.

S. Chryſoſt. [illegible]

10. *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi: Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Sed Dei miſerationi & gratuitæ beneficentiæ totum id quod ſum, acceptum refero, nempe, quod ſim Apoſtolus, Doctor gentium, idoneus Miniſter Novi Teſtamenti. Et gratiam Apoſtolatus, ab illo mihi collatam, ſterilem, otioſam, inanem in me eſſe paſſus non ſum: ſed plus reliquis Apoſtolis ſeorſum ſumptis in miniſterio Apoſtolico laboravi, plura loca peragrando, plures adverſitates ac moleſtias perferendo; plura pericula adeundo Evangelii cauſa. Quod tamen plus omnibus laboraverim in Evangelii prædicatione, non tam mihi tribuendum, quam gratiæ Dei quæ mecum eſt, ſeu quæ mihi auxilio eſt. Auxilium autem non eſt niſi eo agente qui adjuvatur. Hac igitur locutione operatio gratiæ & liberi arbitrii cooperatio ſignificatur, ſic tamen ut gratia principalius operetur. Nam gratia voluntatem adjuvans, non ab ea viciſſim adjuvatur: & quidem ſic voluntatem adjuvat, ut eam faciat operari, & moveat ad operandum. Unde *Iſaiæ* 26. 12. dicitur: *Domine, omnia opera noſtra operatus es nobis*. Et Apoſtolus noſter *Philipp*. 2. 13. ait: *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Itaque *Deus non ſolum infundit gratiam, qua noſtra opera grata fiant & meritoria, ſed etiam movet ad bene utendum gratia infuſa*. Et hæc vocatur gratia cooperans, de qua S. Auguſtinus: *Et quis iſtam & ſi parva* (Petro) *dare cœperat caritatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit quod operando incipit? Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus*; „ Certus ſum, „ quoniam qui operatur in vobis opus bonum, per„ficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. *Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*.

Gratia libero arbitrio cooperans.

Rom. 15. 20. 2. Cor. 11.

S. Thomas, Lect. 2.

S. Aug. lib. De Gratia & liber. arbitrio. cap. 17. Philipp. 1. 6.

Gratia Dei ſum id quod ſum. Divitias occultare conatur, & aperte cogitur. Neque enim dixit aperte quid eſt, ſed, *ſum quod ſum*. *Et gratia ejus in me vacua non fuit*. Non fruſtra mei miſertus eſt: præſciverat enim quod facio. *Sed abundantius illis omnibus laboravi*. Et ne ſua quidem aperte coactus, ſui oſtentatione inflatus eſt. Occultat enim miracula, & ſolum laborem oſtendit, atque hunc quoque dicit eſſe divinæ gratiæ, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*.

Theodoret. in hunc locum.

11. *Sive enim ego, ſive illi; ſic prædicamus, & ſic credidiſtis*. Itaque ſive ego Apoſtolorum minimus; ſive alii Apoſtoli, omnes uno ore, tanquam teſtes oculati, prædicamus Chriſtum a morte reſurrexiſſe: & ſic in fidei regula, quam vobis tradidimus, profeſſi eſtis, cum baptiſmo eſtis initiati.

Reſurrectio mortuorum.

12. *Si autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit a mortuis, quomodo quidam * dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Porro ſi vobis tam uniformiter ab Apoſtolis prædicatum eſt, Chriſtum a morte reſurrexiſſe, idque credidiſtis, qua ratione quidam veſtrum, ſeu quidam inter vos, dicere audent reſurrectionem mortuorum non eſſe futuram, immo eſſe de genere rerum quæ fieri omnino non poſſunt? Chriſti enim reſurrectio cauſa eſt exemplaris & efficiens reſurrectionis noſtræ. Reſurrectio capitis infert reſurrectionem membrorum. Chriſtus eſt caput electorum: reſurgent igitur omnes electi ut vitam immortalem & glorioſam capitis cum quo ſunt unum corpus myſticum, participent. Certe plena non eſſet Chriſti de morte victoria, ſi illam in ſe ipſo ſolo, non etiam in ſuis membris devicisſet. Hinc S. Auguſtinus: *Tota prædicatio diſpenſatioque per Chriſtum hæc eſt, ut reſurgant animæ, reſurgant & corpora. Quia utrumque mortuum erat: reſurgat utrumque. Per quid anima, niſi per Deum Chriſtum? Per quid corpus, niſi per hominem Chriſtum? Venit Chriſtus ut reſurgant animæ ab iniquitate, ut reſurgant corpora a corruptione*.

* Gentiles, Philoſophi, Sadducæi, Hymenæus & Philetus, Cerinthus cum ſuis; quidam e Corinthiis falſis Philoſophorum ratiunculis ſeducti, reſurrectionem mortuorum negarunt.

S. Aug. Tract. 23. in Joann.

13. 14. *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit*. Si penitus impoſſibilis eſt reſurrectio, falſum eſt Chriſtum reſurrexiſſe. Sublato enim genere, tollitur & ſpecies. Sublata reſurrectione membrorum, ut quid reſurrectio capitis, ex quo & membris unum Corpus myſticum, unus Chriſtus eſt? *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra* *, *inanis eſt & fides veſtra*. Si Chriſtus vere non reſurrexit, nos quidem fruſtra cum plurimis periculis prædicamus, & vos fruſtra iis quæ prædicantur creditis, ſiquidem everſa fide reſurrectionis Chriſti, totum ſubruitur Chriſtianæ Religionis fundamentum. Si enim Jeſus, qui toties ſe reſurrecturum eſſe dixit, terpſa non reſurrexit, ſequitur eum falſa docuiſſe, ac proinde Filium Dei & Deum verum non fuiſſe.

* Act. 1. 22. cap. 2. 32. 31. cap. 4. 10. & 33. cap. 13. 37. Rom. 1. 4. & cap. 4. [illegible] Rom. 8. 34. Rom. 10. 9.

15. *Invenimur autem & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod ſuſcitaverit Chriſtum; quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt*. Convincemur etiam falſi teſtimonii in materia religionis, qui Dei nomine abutamur ad falſitatem prædicandam, quod nos gratis facere quis ſuſpicari poterit, ſpectata integritate vitæ noſtræ? Et Deo injuriam calumniamque gravem inferremus, teſtificando & prædicando quod ſuſcitaverit Chriſtum: Quem tamen non ſuſcitaſſet a mortuis, niſi mortui per ipſum reſurrecturi eſſent. Quin etiam Deus ipſe prædicationem noſtram veris & evidentibus miraculis confirmans, homines falleret, quod impoſſibile eſt.

Fides reſurrectionis mortuorum confirmatur.

16. 17. *Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit*. Idem argumentum repetendo magis inculcat ad fidem reſurrectionis confirmandam. *Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra*, inanis, ſine fructu, caduco inædificata fundamento. *Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*. Si corruit cauſa, ſcilicet Reſurrectio Chriſti, corruat & effectus neceſſe eſt, ſcilicet juſtificatio noſtra: ſi quidem Chriſtus *traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*. Ex hac juſtificamur, ſive hæc initium eſt & fundamentum juſtitiæ noſtræ: Fides igitur nobis inutilis eſt, ſi in peccatis noſtris permanemus, Deo exoſi, inquinati, captivi, pœnis æternis obnoxii. *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris*. „ Nam ſi non reſurrexit, nec eſt quidem „ mortuus. Si non eſt mortuus, nec abolevit qui„dem peccatum. Ejus enim mors eſt abolitio pec„cati. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, qui tollit peccatum* „ *mundi*. Quomodo autem tollens? Morte. Et ideo „ etiam vocavit agnum, ut qui occideretur. Si autem „ non reſurrexit, neque fuit occiſus. Si non fuit „ occiſus, neque peccatum eſt abolitum. Si non „ fuit abolitum, in eo eſtis. Si in eo eſtis, fruſtra „ prædicavimus. Si fruſtra prædicavimus, fruſtra „ credidiſtis. Alioqui mors quoque manet immorta„lis,

Rom. 4. 25.

S. Chryſoſt. Hom. 39.

„ lis, ſi non reſurrexit. Si enim ipſe quoque detentus fuit a morte, & dolorem ejus non ſolvit, „ quomodo alios liberavit, qui ipſe adhuc detinebatur? *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.* Dominicæ „ mortis typus eſt baptiſmus. Otioſus autem eſt typus, ſi non habeat remiſſionem peccatorum, pro „ quibus Chriſtus mortuus eſt ſecundum Scripturas, „ ut ait ſupra Apoſtolus noſter: Adhuc igitur fertis „ onus peccatorum.

Theodoret. in hunc locum.

18. *Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt.* Hinc aliud ſequitur abſurdum, eos ſcilicet qui obierunt in fide & gratia Chriſti, cum ſpe ſalutis æternæ, quos dormientes dicimus, ob ſpem certam reſurrectionis, periiſſe, ſpe vitæ melioris fruſtratos. Eorum enim fides inanis, juſtitia nulla fuiſſet, ſi Chriſtus a morte non reſurrexiſſet. Vel, *qui dormierunt in Chriſto*, id eſt, propter Chriſtum, & ejus Evangelium. „ Fruſtra ergo, ut videtur, pro Chriſti confeſſione interfecti ſunt egregii victores Martyres; & certamina quidem alacri animo ſubierunt, coronas autem minime adepti ſunt. Sublata enim reſurrectione, præmii quoque proclamatio ſublata eſt. Glorificatio enim juſtificationem „ ſupponit. Nulla autem juſtificatio eſt abſque reſurrectione Chriſti.

Theodoret.

19. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Si ſpes quam in Chriſtum habemus ultra hanc vitam non porrigitur, ſi ab eo bona duntaxat & commoda hujus vitæ, non autem futuri ſæculi expectamus, næ nos omnium hominum miſerrimos, qui tot odiis, incommodis, periculis, morti ipſi nos exponimus nullum neque in hac vita, neque poſt hanc vitam præmium conſecuturi. Sed hæc non ita ſe habent: bona enim ſpe vehimur: & Salvatoris noſtri reſurrectionem reſurrectionis noſtræ obſidem habemus. Sed fortaſſe dixerit quiſpiam, quod anima ſola fruetur bonis. Non enim iſta ſola laboravit, ſed corpus etiam. Quænam igitur juſtitiæ ratio, ſi corpus quod plurimum laboris ſuſtinuit, in nihilum redigatur, & nullo bono perfruatur, ſed ſola anima coronetur? *Cur dum famula & miniſtra animæ deputatur, conſors & cohæres invenitur, ſi temporalium, cur non & æternorum? Non poſſunt ſeparari in mercede, quos opera conjungit.*

Theodoret.

Theophylact.

Tertullian. lib. De Reſur. rect. carnis.

20. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium.* Atqui Chriſtus a morte reſurrexit, primitiæ mortuorum, ad vitam æternam reſurgentium. Primus, inquam, tempore & dignitate, ſicut primitiæ frugum tempore & bonitate ſeu dignitate ſunt priores. Qui enim a Prophetis ſuſcitati ſunt tempore veteris legis, iterum mortui ſunt, idemque de illis dicendum qui in paſſione Chriſti ſurrexerunt, de quibus *Matth.* 27. 52. Vel ſi mortui poſtea non ſunt, quod minus probabile mihi videtur, dicendum illos non ante ſed poſt Chriſtum reſurrexiſſe, ut glorioſæ reſurrectionis ejus appendices & comites. Quod autem deſcribitur horum reſurrectio ſtatim poſt narrationem mortis Domini, id fit per prolepſim hiſtoricam, ſeu anticipationem non infrequentem in Scripturis. Chriſtum igitur primitias electorum, qui in ſpe glorioſæ reſurrectionis quieſcunt, qui & eodem ſenſu dicitur *primogenitus ex mortuis*, Apoſtolus reſurrexiſſe ſtatuit; quo poſito principio mortuorum reſurrectionem futuram probat, velut effectum ex cauſa proditurum. Chriſtus enim primus mortis imperium deſtruxit. Primitias autem maſſa omnino conſequetur.

S. Thomas Lect. 3.

Coloſſ. 1. 18. Apocal. 1. 5. Theodoret.

21. 22. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Quandoquidem per hominem unum, ſcilicet Adamum, divini præcepti tranſgreſſorem, mors omnes homines, etiam electos invaſit; (ejus enim peccato omnes dono immortalitatis, ſicut & juſtitiæ originalis exuti ſunt) ita & per hominem Chriſtum reſurrectio ad vitam beatam & æternam continget omnibus electis membris ejus. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Sicut enim omnes qui moriuntur, moriuntur per Adam, in quo omnes peccaverunt: ita omnes qui vivificabuntur, id eſt ad vitam reſurgent immortalem, Chriſti meritis vitam beatam, immortalem, & glorioſam conſequentur. Vel, ſicut per Adam moriuntur omnes qui ſunt Adami, & in eo nati ſunt: ita per Chriſtum vivificabuntur omnes qui ſunt Chriſti, ſeu qui in Chriſtum renati, in ejus corpore ut membra viva ad finem uſque perſeverarunt. *Vivificabuntur.* Verbum paſſivum declarat ipſos non ſuapte vi, ſed aliena reſurgere.

S. Aug. Epiſt. 166. alias 28. De Origine Animæ ad S. Hieron. c. 7. Idem Epiſt. 190. alias 157. ad Optatum, cap. 2. Idem lib. 13. De Civit. Dei, c. 23. n. 3. S. Leo, Epiſt. 46. alias 23. & Serm. 64. De Paſſ. Dom. 15.

23. *Unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ii qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt.* Unuſquiſque reſurget, ſervato ordine temporis, ac dignitatis, atque meritorum, ſuo gradu gloriæ cœleſtis. Primus quidem & tempore & dignitate ſurrexit Chriſtus caput electorum, primogenitus in multis fratribus, ut primitiæ, quæ plenam meſſem anteceſſerunt; *cujus gloria quaſi unigeniti a Patre.* Poſt Chriſtum vero reſurgent tempore a Deo conſtituto, ii qui ad Chriſtum pertinent, electi quos illi dedit Pater, ex quibus nemo periit: qui fide per dilectionem operante in primum & ſecundum ejus adventum crediderunt. Inter illos autem ut obſervat S. Thomas, non erit ordo temporis, quia omnes reſurgent *in ictu oculi*, ſed dignitatis, quia Martyr reſurget ut Martyr, Apoſtolus ut Apoſtolus, & ſic de aliis. Præclare Tertullianus: *Igitur ſi ad exemplum Chriſti reſurgemus, qui reſurrexit in carne; jam non ad exemplum Chriſti reſurgemus, ſi non in carne & ipſi reſurgemus: quia per hominem, inquit, mors, & per hominem reſurrectio: ut ſepararet quidem auctores: mortis, Adam; Chriſtum reſurrectionis; ejuſdem autem conſtitueret ſubſtantiæ reſurrectionem, cujus & mortem, per ipſorum auctorum in nomine hominis comparationem: ſi enim ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur; carne vivificabuntur in Chriſto, ſicut in Adam carne moriuntur. Unuſquiſque autem in ſuo ordine, ſcilicet quia & in ſuo corpore. Ordo enim non aliud quam meritorum diſponitur. Merita autem cum corpori quoque adſcribantur, ordo quoque corporum diſponatur neceſſe eſt, ut poſſit eſſe meritorum.*

Joann. 1.

S. Thomas, Lect. 3.

Tertull. lib. De Reſurrect. Carnis, c. 48.

Græcus Textus ſimpliciter habet: ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, *Deinde ii qui ſunt Chriſti, in adventu ejus*; ſupple, reſurgent. Conſentiunt Verſiones Orientales. Syriaca: *Unuſquiſque autem in ſuo ordine: Primitiæ fuit Chriſtus, deinde ii qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius.* Æthiopica: *Et unuſquiſque in ordine ſuo, primo Chriſtus, & tunc qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius.* Arabica: *Unuſquiſque in ſuo ordine, Chriſtus quidem primitiæ antecedentes, deinde amici Chriſti reſurgent, cum ipſe advenerit.* Græci Textus lectionem Græci Commentatores S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & Latinorum plerique ſequuntur, S. Hieronymus in cap. ultimum Iſaiæ, Ruffinus in Expoſitione Symboli, S. Auguſtinus Tract. 68. in Joannem, & lib. 83. Quæſtionum, Quæſt. 69. hunc locum ita proferens: *Unuſquiſque autem in ſuo ordine: initium Chriſtus; deinde ii qui ſunt Chriſti, in præſentia ejus.* Primaſius Africanus Epiſcopus, & Haimo Halberſtatenſis, eidem lectioni adhærent: & poſterior ille Commentator Codices, in quibus aliter legitur, mendoſos aſſerere non dubitat. Senſus autem eſt, juſtos Chriſto adveniente reſurrecturos, quando videlicet *Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo. Tunc enim mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi* ait alibi Apoſtolus noſter. His autem verbis, *Qui Chriſti ſunt*, non ſolum deſignat eos qui poſt ejus Incarnationem in ipſum crediderunt, ſed eos etiam qui in lege & ante legem pietate & virtute inſignes fuerunt, ut obſervat Theodoretus.

1. Theſſal. 4. 15.

24. *Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri; cum evacuaverit omnem principatum & poteſtatem, & virtutem.* Poſt reſurrectionem generalem finis erit ſæculorum, conſummatio rerum omnium & viciſſitudinum: nulla inde futura mutatio: cum regnum, id eſt Eccleſiam ſuam, ſanguine ſuo partam, & nunc omnibus hoſtibus debellatis triumphantem, Deo & Patri ſuo obtulerit, univerſam regni ſui gloriam illi ut principio ac fini acceptam referens: Sive, cum electos ſuos, in quibus nunc & fide per dilectionem operante viventibus regnat, ad contemplationem & fruitionem Dei & Patris perduxerit: cum adverſarias Poteſtates & Principes tenebrarum debellaverit, & poſuerit ſcabellum pedum ſuorum, ita ut nemini electorum ſuorum quidquam mali deinceps inferre valeant. Ceterum non ita tradere regnum Deo & Patri intelligendus eſt Chriſtus, quaſi regnum ipſe deponat, aut Rex eſſe deſinat, ſicut Præſides in Provincias miſſi reddebant Cæſaribus acceptam poteſtatem, ut hinc colligebant Ariani, & Grotius arianizans exponit. De Chriſto enim Daniel Propheta ait: *Poteſtas ejus poteſtas æterna quæ non auferetur: & regnum ejus quod non corrumpetur.* Et Angelus ad Mariam Virginem Incarnationis Filii Dei nuntius: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Igitur *Traditio regni defectio non eſt intelligenda regnandi, ut quod Filius tradit Patri, tradendo non teneat. Quod ſi quis ſtultæ impietatis furore contendet; fateatur neceſſe eſt Patrem, cum tradidit omnia Filio, amiſiſſe tradendo, ſi tradidiſſe traditis egere ſignificet. Ait enim Dominus*, „ Omnia mihi tradita ſunt a Pa- „ tre meo: *& rurſum*, Data eſt mihi omnis pote- „ ſtas in cœlo & in terra. *Si igitur tradidiſſe caruiſſe eſt, Pater quoque his quæ dedit, caruit. Quod*

Qua ſenſu Chriſtus regnum tradat Patri.

S. Auguſt. lib. 1. De Trinit. cap. 9. & 13.

Chriſti divinitas vindicatur.

Refelluntur Ariani, & Grotius in hunc locum.

Daniel. 7. 14.

Luc. 1.

S. Hilar. lib. 11. De Trinitate n. 29.

Luc. 10. 22. Matt. 28. 18.

Digitized by Google

ſi Pater tradendo non caruit; ne Filius quidem intelligi poteſt his egere quæ tradit. Ergo ſi tradidiſſe omnia, his ipſi quæ tradidit non videtur eguiſſe, reliquum eſt ut in tradendo diſpenſationis cauſſa noſcatur, cur & Pater tradendo non careat, & Filius dando non egeat.

S. Hilar. ibid. n. 3.

Tradet ergo regnum Deo Patri, non ita, tamquam tradens poteſtate concedat, ſed quod nos conformes gloriæ corporis ſui facti, regnum Dei erimus. Non enim ait, Tradet ſuum regnum, ſed, Tradet regnum, *effectos nos per glorificationem corporis ſui regnum Deo tradituru. Nos itaque tradet in regnum, ſecundum hoc in Evangeliis dictum:* „ Venite benedicti Patris mei, poſſidete præparatum vobis regnum a conſtitutione mundi. *Fulgebunt ergo juſti ut ſol in regno Patris eorum. Tradet enim Filius Deo regnum eos, quos vocavit in regnum, quibus & beatitudinem ſacramenti hujus ſpopondit dicens,* „ Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Tradet autem Deo Patri regnum: & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt. Et quod regnum, ipſe teſtatus eſt, dicens ad Apoſtolos,* „ In nobis enim eſt regnum „ Dei. *Regnans itaque regnum tradet.*

Luc. 17. 21.

25. *Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus ejus.* Ut Decretum Dei & Scripturæ impleantur, oportet Chriſtum regnare, ſedentem a dextris Dei, & regnantis opera exercere, ſcilicet inimicos debellare, ſuis auxiliari; illos quidem evertere, hos vero liberare, uſquequo Deus Pater omnes inimicos ejus, diabolum & homines reprobos ſub pedibus ejus poſuerit, id eſt penitus ſubegerit & illi ſubjecerit. Metaphora ſumpta eſt ab hoſtibus debellatis, qui ſubjiciuntur inviti, & quorum proſtratorum colla pedibus ſuis premunt victores. Nec ſequitur quod poſtea non ſit regnaturus Chriſtus. Nam τὸ *Donec*, ſæpe in Scripturis infiniti temporis eſt, nec excludit ſemper tempus ſequens, ut Iſai. 22. 14. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus* Pſalm. 110. & Matt. 22. 44. *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Matt. 1. 25. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum.* Durabit ejus imperium nec labefactabitur donec ſubjecerit inimicos, ipſamque mortem ultimo deſtruxerit; in pugna adverſus hoſtes ſuos poteſtas ejus non imminuetur. Poſtquam vero peccatum omni ex parte regnum Deo Patri triumphator obtulerit, multo magis regnabit. Regni enim ejus non erit finis. τὸ igitur *Donec*, excludit tantum hoc loco id de quo dubitari poterat. Quod enim aliquis regnet, inimicis nondum plene ſub jugum redactis, videtur eſſe dubium; ſed quod regnet poſtquam omnino devicti ſunt & ſubjecti, nulli dubium eſſe poteſt. Senſus igitur eſt: Licet Chriſti regno non ſubjaceant inimici ejus, dum repugnant ejus voluntati, nihilominus regnat donec inimici ſub pedibus ejus fuerint, multo evidentius poſtea regnaturus. Sic enim plerumque Scriptura loquitur, ut quod ſemper eſt, tunc fieri dicatur in aliquo, cum in eo cognoſci cœperit. Ita enim dicimus in oratione. *Sanctificetur nomen tuum*, non quaſi aliquando ſanctum non ſit, ſed ut ejus ſanctitas innoteſcat. „ Ita dicit Apoſtolus, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ſuis:* id eſt, Oportet regnum ejus in tantum manifeſtari, donec omnes inimici ejus ipſum regnare fateantur. Hoc enim intelligitur, ſub pedibus ejus futuros inimicos. Quod ſi de juſtis acceperimus, ideo dictum eſt *inimicos*, quia ex injuſtis juſtificantur, & ei credendo ſubduntur. De injuſtis autem qui ad juſtorum beatitudinem futuram non pertinent, ſic accipiendum eſt, quoniam & ipſi cum regnare ipſa regni ejus manifeſtatione confuſi fatebuntur. *Oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*; id eſt, Oportet eum ad tantam evidentiam regnum ſuum perducere, donec inimici ejus nullo modo audeant negare quod regnet. Sicut ſcriptum eſt, *Ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Nec ideo tamen eum miſertus noſtri fuerit, oculos ab eo debemus avertere, qui beatitudo noſtra eſt, ſed ut nihil inde amplius requiramus. *Donec* ergo pro eo poſitum eſt, ut non amplius, intelligas. Quo enim amplius, id eſt, uſque ad quam majorem manifeſtationem, manifeſtabitur regnum Chriſti, niſi quo uſque omnes inimici eum regnare fateantur? Aliud eſt ergo non amplius manifeſtari, aliud non amplius permanere. Non amplius manifeſtari, eſt non fieri manifeſtius: non amplius permanere, non fieri perſeverantius. Quando autem manifeſtius erit regnum Chriſti, quam cum omnibus claruerit inimicis?

S. Chryſoſt. Hom. 39. S. Hieron. in cap. 1. S. Matthæi. Theophylact. in hunc locum. Oecumenius. S. Thomas Lect. 3.

S. Aug. lib. De diverſis Quæſtionibus Octoginta tribus, Quæſt. 69.

Pſal. 122. 2.

„ Sunt qui aliter explicent hunc locum, *Oportet eum regnare*, &c. ut ſub alia ſignificatione poſitum hic dicant regnare; non ſub ea qua poſitum *regnum*, de quo ait, *Cum tradiderit regnum Deo & Patri*: ut illud ſic appellaverit regnum, quo univerſam creaturam Deus regit; hoc autem ſic appellaverit regnare, ut intelligatur tamquam adverſus hoſtem exercitum ducere, vel defendere civitatem: ut ideo dixerit, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ejus*; quia talis regni quale habent Principes armatorum, nulla erit cauſſa, hoſte ita ſubjecto ut rebellare non poſſit. Nam utique dictum eſt in Evangelio, *Et regni ejus non erit finis*, ſecundum quod regnat in æternum: ſecundum autem id quod adverſus diabolum ſub eo militatur, tamdiu erit utique iſta militia, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis, poſtea vero non erit, cum pace perpetua perfruemur. Verum prior expoſitio præponenda ut planior & convenientior.

S. Gregor. Nazianz. Theophylact. laudatus. Oecumenius.

26. 27. *Noviſſima autem inimica deſtruetur mors.* Poſtremus hoſtis deſtruetur mors. Qui enim diabolum ſubegit, & ipſius opus, mortem ſcilicet, profligabit. Quomodo autem illam debellabit, niſi corpora, quæ demeſſuerat & abſumpſerat reſtituerit? Tum enim proprie victoria obtinetur, cum & ſpolia direpta fuerint. Hinc igitur conſequens eſt, omnes qui ſunt Chriſti, per ipſum ad beatam vitam ſuſcitandos eſſe. Mors enim in eis deſtrui non poteſt, niſi reſurrectione ad vitam immortalem & glorioſam. *Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus.* Omnia enim Pater æternus ſub Chriſti pedibus ſubjecit, omnia ejus imperio ſubdidit, Angelos, homines, dæmones, electos, reprobos, cœleſtia, terreſtria, mortem ipſam, & infernum. *Cum autem dicat: Omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia.* Cum dicat Scriptura quod omnia Chriſto ſubjecta ſunt, evidens eſt omnia ſine exceptione illi eſſe ſubdita, præter Patrem, qui illi ſubjecit univerſa, & qui nullam conditionem aſſumpſit qua debeat eſſe ſubjectus. *Omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubjecit ei omnia.* Scribebat Apoſtolus Corinthiis, qui ab idololatria & Gentilium fabulis nuper erant ad Evangelii veritatem converſi. Illæ autem fabulæ Deos parricidas prædicant, & filios contra parentes inſurrexiſſe, eos regno expuliſſe, ſibique vendicaſſe dominatum. Sic Jupiter Saturnum patrem ſubegit, regnoque exuit. Quia ergo de Chriſto Domino magna dixit Apoſtolus, nempe quod omnem Principatum, omnem poteſtatem & virtutem deſtruet, & ipſam poſtremo mortem; & quod omnia ponentur ſub pedibus ejus; ne illis fabulis decepti exiſtimarent Chriſtum eadem feciſſe Patri qui ipſum genuit, quæ feciſſe illorum Deos genitoribus ſuis poetæ fabulantur, hanc exceptionem adjecit, *Præter eum qui ſubjecit ei omnia.*

Pſal. 8. 8.

Heb. 2. 8.

Primaſius.

28. *Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Cum omnia ſubjecta erunt Chriſto Jeſu Filio Dei, tunc, ſcilicet poſt ſæculi præſentis conſummationem, in beata æternitate, in cœleſti gloria, ipſe Filius, *ſecundum diſpenſationem carnis aſſumptæ*, ſeu quatenus homo eſt, permanebit nihilominus Patri ſubjectus, quia in eo forma humana manſura eſt, qua ſemper minor eſt Patre; & Deum Patrem ſe majorem ſemper agnoſcet, ſuumque regnum & omnia ſua, ac electorum ſuorum bona Patri accepta referet cum immortalium gratiarum actione, ut palam fiat Deum eſſe ſummum bonum implens omnia, & electos per gratiam conſummatam, & Chriſtum per divinitatem perſonaliter unitam, & beatitudinem eſſe tum Chriſti hominis, tum electorum, tum membrorum quam capitis; nec aliquid præter Deum deſiderandum ſuperſit, qui Sanctis ſuis erit vita, & ſalus, & virtus, & gloria, & omnia. „ Vel, *Ut ſit Deus omnia in omnibus*, id eſt, ut omnia a Patre dependeant, ne quis duo Principia ſine principio ſuſpicetur, eaque inter ſe diviſa. Vel, *Ut ſit Deus omnia in omnibus*, id eſt, ut manifeſtetur quod quicquid boni habemus, eſt a Deo (inquit S. Thomas.)

Theodoret. Theophylact. Oecumenius. S. Hieron. l. 1. Dialog. adverſus Pelagianos. S. August. l. Quæſt. Octoginta trium. Quæſt. 69. & l. 2. Contra Maximinum Arianum, cap. 18.

Theophylact.

S. Thomas, Lect. 3.

Tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia. Tunc Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in æternum adunatus, perfecte ſubjectus erit Deo ratione corporis ſui Myſtici. „ At enim ea quæ ſunt noſtra ſibi applicat, quandoquidem ejus corpus appellamur, ipſe autem noſtrum caput nominatur. Ipſe peccata noſtra accepit, & morbos noſtros portavit. Ita etiam in Pſalmo dicit; *Deus, Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? longe a ſalute*

Theodoretus in hunc locum. cujus expoſitio conſentit cum explicatione S. Athanaſii l. De humana natura a

mea

Digitized by Google

Verba ſuſcepta. S. Gregor. Naz. a Theophilact. citata. S. Ambroſio l. 5. De Fide, n. 7. 5. Hieron. Epiſt. 147. ad Amandum. Act. 17. Pſal. 146. Job. 15. Pſal. 142. & 122.

men verba deliciorum meorum. Atqui peccatum non „ fecit, nec eſt inventus dolus in ore ejus. Sed „ os noſtræ naturæ efficitur, ut qui naturæ pri„ mitiæ factus eſt. Ita & noſtram quæ nunc eſt „ inobedientiam, & quæ tunc erit ſubjectionem ſibi „ attribuit; & nobis poſtquam a corruptione libe„ rati fuerimus ſubjectis, ipſe dicetur ſubjici. Ad „ hunc enim ſenſum ea quæ ſequuntur nos dedu„ cunt. Cum enim dixiſſet divinus Apoſtolus, „ *Tunc ipſe Filius ſubjicietur ei qui ſubjecit illi omnia*, „ ſubjungit: *Ut ſit Deus omnia in omnibus*. Nunc „ enim ubique quidem eſt per eſſentiam, habet „ enim naturam quæ non poteſt circumſcribi, & „ *in ipſo vivimus & movemur & ſumus*, ſed per com„ placentiam non eſt in omnibus. *Complacet enim* „ *in eis qui ipſum timent, & in eis qui ſperant in* „ *ejus miſericordia*. Quamquam nec in his quidem „ eſt omnia. *Nemo enim a ſorde mundus eſt*, &c. „ *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſu*„ *ſtinebit?* Ergo in iis quidem complacet qui recte „ agunt; non complacet autem in eis qui pec„ cant. Sed in futura vita ceſſante corruptione, „ & collata immortalitate, locum animi perturba„ tiones non habent. His autem omnino ejectis, „ nullum deinceps peccati genus exercetur. Ita „ erit de cetero Deus omnia in omnibus, cum o„ mnes a peccato liberati, & ad ipſum converſi, „ ad deteriora inclinationem non admittent.

Baptizari pro mortuis quid ſit? Expoſitiones variæ.

29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Si non eſt futura mortuorum reſurrectio, quid facient cathecumeni, qui lethali ægritudine correpti, cum nullam ſpem hujus vitæ reliquam habeant, baptiſmum tamen petunt & ſuſcipiunt, reipſa declarantes ſe tantum baptizari pro mortuis, ſive pro ſtatu poſt mortem futuro, id eſt, ad hoc ut baptiſmus illis prodit poſt mortem, ut ad vitam æternam reſurgant? Pleri que primis Eccleſiæ ſæculis ſic baptiſmum differebant, qui quod in lecto baptiſmum ſuſciperent, *Clinici* vocabantur. Hanc loci Apoſtolici interpretationem S. Epiphanius probat. *Alii*, inquit, *commode hoc Apoſtoli dictum interpretantur de iis qui inſtante morte, ſiquidem cathecumeni ſint, in ſpe freti ſacra lavatione purgantur: ac mortuos reſurrecturos eſſe demonſtrant, ob idque condonatione illa ſcelerum, qua per baptiſmum obtinetur, indigere*. Vel *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* id eſt pro fide & ſpe reſurrectionis mortuorum, quam ante baptiſmum profitentur, dum Symbolum recitant, dicentes, *Credo reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam*. Quorſum etiam Chriſti mors ac reſurrectio ipſo baptiſmi ritu repræſentatur? Hujus interpretationis auctor eſt S. Chryſoſtomus. „ Poſt „ myſticorum illorum & terribilium verborum enun„ tiationem, & regulas dogmatum quæ e cœlo ſunt „ demiſſa, hoc quoque in fine addimus, quando ſu„ mus baptizandi, jubentes dicere, Credo reſurre„ ctionem mortuorum: & in hac fide baptizamur. „ Poſtquam enim hoc confeſſi ſumus cum aliis, tunc „ demittimur in fontem ſacrorum illorum fluento„ rum. Hoc ergo in memoriam revocans dicebat „ Paulus: Si non eſt reſurrectio, cur baptizaris pro „ mortuis? Propter hoc enim baptizaris, mortui „ corporis credens reſurrectionem, nempe quod non „ maneat mortuum. Et tu quidem per verba di„ cis mortuorum reſurrectionem. Sacerdos autem „ tamquam in quadam imagine, quæ credidiſti & „ per verba es confeſſus, etiam per res ipſas oſten„ dit. Quando abſque ſigno credis, tunc tibi etiam „ præbet ſignum. Quando quæ tua ſunt feceris, „ tunc Deus quoque te reddit certiorem. Quomo„ do? Per aquam. Baptizari enim & demergi, de„ inde ſurſum remeare & emergere, eſt ſymbolum „ ſeu ſignum deſcenſus ad inferos, & ex eo aſcen„ ſus. Quamobrem Paulus quoque baptiſmum ſe„ pulcrum vocat: *Conſepulti ſumus* (inquit) *cum illo* „ *per baptiſmum in mortem*. Ex eo autem futurum „ quoque facit credibile, corporum nempe reſurre„ ctionem. Eſt enim longe majus peccata delere, „ quam corpus ſuſcitare ... Deinde *quoniam peccatum mortem intulit, exſiccata radice non eſt amplius dubitandum de fructus interitu*. „ Propterea cum prius „ dixiſſet, *Remiſſionem peccatorum*, tunc confitetur „ etiam mortuorum reſurrectionem, hinc ad illud „ deductus. Quia vero non ſufficit nomen reſurre„ ctionis, jubet dicere, *Et vitam æternam*, ne quis „ amplius ſuſpicetur mortem poſt reſurrectionem. „ Hæc ergo verba in memoriam revocans Paulus „ ait: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* „ Nam ſi non eſt reſurrectio, hæc verba ſunt plane „ ludus ſcenicus. Si non eſt reſurrectio, quomodo „ eis ſuademus ut credant quæ non damus? Ut ſi „ quis jubeat edere ſchedulam quod hoc & illud „ acceperit, minime dederit quæ in ea ſcripta ſunt: „ deinde poſtquam ſubſcripta fuerit ſchedula, exi„ gat quæ in ea ſunt ſcripta. Quid enim de cetero „ faciet is qui ſubſcripſit, cum ſe quidem reum de„ bendi conſtituerit, non acceperit autem ea quæ „ confeſſus eſt ſe accepiſſe? Hoc enim hic quoque „ dicit de iis qui baptizantur. Quid *facient*, inquit, „ *qui baptizantur*, qui ſubſcripſerant quidem reſur„ rectionem mortuorum corporum, non decipiunt „ autem, ſed decipiuntur.

S. Epiphan. Hæreſ. 28.

S. Chryſoſt. Homil. 40. Theodoret. Theophylact. Oecumen. Photius.

Rom. 6.

S. Epiphan. S. Chryſoſt.

Quid facient qui baptizantur pro mortuis? Ex ſuperſtitioſis etiam conſuetudinibus apud pſeudo-Chriſtianos quoſdam emergentibus, quales fuere Cerinthiani, & poſtea Marcionitæ, ut ſi quis in ſtatu Cathecumeni fuiſſet mortuus, alter ipſius vice ac nomine baptizaretur, fidem reſurrectionis confirmat Apoſtolus. Qua de re Tertullianus. „ Si autem & bapti„ zantur quidam pro mortuis; videbimus an ratio„ ne; certe illa præſumptione hoc eos inſtituiſſe „ contendit, qua alii etiam carni, ut vicarium „ baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſur„ rectionis; quæ niſi corporalis, non alius hic ba„ ptiſmate corporali obligaretur. Quid & ipſos ba„ ptizari ait, ſi non quæ baptizantur corpora reſur„ gunt? *Et rurſus*. Quid, ait, facient qui pro mor„ tuis baptizantur, ſi mortui non reſurgunt? Vi„ derit inſtitutio iſta. Kalendæ ſi forte Februariæ „ * reſpondebunt illi, pro mortuis petere. Noli ergo „ Apoſtolum novum ſtatim auctorem aut confirma„ torem ejus denotare, ut tanto magis ſiſteret car„ nis reſurrectionem, quanto illi qui vane pro mor„ tuis baptizarentur, fide reſurrectionis hoc face„ rent.

Tertullian. l. De Reſurrect. Carnis, c. 48.

Et l. 5. Contra Marcionem, cap. 10.

* Romani inferias Februario menſe pro cognatis mortuis celebrabant ſolemni more ad eorum expiationem. Hinc Ovidius *Poſt Septem cultus, veteres Februa menſe Dat Numae, gnatis Manibus inferias.* Huic Romanorum veterum ritui affinem illorum ſuperſtitionem Tertullianus ſignificat, qui ſub Chriſtianiſmi profeſſione pro mortuis vicarium baptiſma ſuſcipiebant.

Et Auctor Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli in Appendice Operum S. Ambroſii editorum hunc ipſum Apoſtoli locum exponens: *In tantum*, inquit, *ratam & ſtabilem vult oſtendere reſurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam ſecuri erant de futura reſurrectione; ut etiam pro mortuis baptizarentur, ſi quem forte mors prævenisſet: timentes ne aut male, aut non reſurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur. Unde ſubjecit*; „ *Ut* „ *quid & baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, ſed ſuam fidem in reſurrectionem oſtendit*. Hanc autem ſuperſtitionem vivos pro mortuis baptizandi Apoſtolicis temporibus apud quoſdam inoleviſſe eo minus mirum eſt, quod adulta jam Eccleſia ſimilis ſuperſtitio in quibuſdam Africæ & Orientis locis irrepſerit, quam Concilia Carthaginenſe III. & Trullanum canonibus ſuis exſtirparunt. Carthaginenſe III. Canone ſexto *: *Placuit ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur. Dictum eſt enim a Domino, Accipite & edite. Cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere. Cavendum eſt etiam ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat, cum Euchariſtiam mortuis non dari animadverterit*. Trullanum Canone 83. *Nemo mortuorum corporibus Euchariſtiam communicet: Scriptum eſt enim*, „ Accipite & comedite. *Mortuorum autem corpora non poſſunt accipere, nec comedere*.

* *Cod. Eccleſ. Afric. Can. 18.*

Nec eorum ſpernenda expoſitio eſt, qui baptizari pro mortuis idem eſſe volunt ac pro mortuis affligi, & ſatisfactoria opera Deo ad illorum expiationem offerre, quod non fit niſi ſpe futuræ reſurrectionis. Baptiſmum pro dolore, afflictione, pœnitentia, paſſione vel cruciatu, interdum uſurpari in Scripturis notum eſt. Luc. 12. 50. *Baptiſmo habeo baptizari*, id eſt, ſanguinis proprii tinctione perfundi, ait Venerabilis Beda: & S. Ambroſius dignationem Chriſti maximam notat, qui maturandæ ſtudium Paſſionis his verbis teſtatur. Et Marci 10. 39. *Baptiſmo quo baptizor baptizabimini*: Id eſt, patiemini ſicut ego, & martyrio digni eritis, ut explicat S. Chryſoſtomus, Hom. 66. in Matthæum. Et illud Sancti Joannis Baptiſtæ apud Matth. 3. 11. *Baptizabit vos in Spiritu ſancto & igne*. Ita S. Hieronymus interpretatur, quod in præſenti quidem ſeculo Spiritu baptizamur, ſed in futuro baptizabimur igne: ſimiliterque Sanctus Hilarius; quia ſcilicet *baptizatis in Spiritu ſancto reliquum eſt conſummari igne Judicii*. Et Sanctus Joannes Damaſcenus lib. 4. *De Fide Orthodoxa*, cap. 10. *Propter ignem futuri punitivum baptiſmum*, id a ſancto præcurſore dictum ait: ac inter octo Baptiſmatis genera quæ recenſet, numerat ſeptimo loco baptiſmum qui per pœnitentiam & lacrymas cum labore fit, ac *Baptiſmus laborioſus* dici poteſt. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 39. Quæ *in ſancta lumina* inſcribitur, Baptiſmi quartum genus aſſignat Martyrium, lacrymas quintum, ſed in futuro ſæculo baptiſmum ignis ut poſtremum.

Priores tamen duæ expoſitiones planiores ſunt, & poſterioribus jure merito anteponendæ: ſed iſtas

prætermittere non debui, cum viris eruditis probatæ fuerint, ſuaque probabilitate non ſint deſtitutæ.

30. *Ut quid & nos periclitamur omni hora?* Quid nos Apoſtoli, & adjutores noſtri in Evangelii propagatione continuis periculis & perſecutionibus nos exponimus Evangelii cauſſa? Niſi (inquam) futura eſſet reſurrectio, cujus rei gratia tot & tam gravia pericula ſubiremus? Eſto enim aliquis ambitione ductus ſemel forſan atque iterum ſeſe periculis exponere poſſit: at periculis caput noſtrum continuo exponere ſtultiſſimum foret, niſi de reſurrectione ac meliore vita in futuro ſæculo certiſſimi eſſemus.

31. *Quotidie morior, per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Quotidianis periculis me expono & mortem ſubire continuo paratus ſum. Ita juro per gloriationem qua glorior de vobis ut meis in Chriſto diſcipulis, ac de veſtra fide ac profectu in Evangelio. Abſit autem ut eam gloriam mihi tribuam; quin immo totam refundo in Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, cujus gratia laboribus meis benedixit, cujus beneficio credidiſtis.

S. Aug. lib. 1. De Serm. Domini in Monte cap. 17. lib. 3. De Doctrin. Chriſt. c. 4. in Expoſit. Epiſt. ad Galat. c. 1. Epiſt. 147. alias 89. Ad Hilarium c. 5. Theophylact. S. Hieron. in Præfat. lib. 3. Commentar. in Epiſt. ad Epheſios. Iſai. 22. 13.

32. *Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* Si (ut more hominum loquar) cum hominibus efferatis, Judæis, & Magis, leonum inſtar in me frendentibus, & impetum in me facientibus, ut me quoquomodo perderent & morti traderent, Epheſi pugnavi, non armis, ſed verbo Dei, fide, patientia: quæ mihi inde utilitas, ſi mortui non reſurgunt? *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Spe beatæ reſurrectionis ſublata, Epicureorum more vivere liceret, genio indulgere, carnis voluptatibus frui; dicere, Manducemus & bibamus; brevi enim moriemur, ipſa morte penitus deſituri. Confer cum 2. Corinth. 1. 8. 9. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis; ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* Quem locum Tertullianus reſpexit lib. *De Reſurrectione carnis, cap. 48. Quotidie morior. Utique periculis carnis, per quam & depugnavit ad beſtias Epheſi: illas ſcilicet beſtias Aſiaticæ preſſuræ, de qua in ſecunda ad eoſdem. Omnia hæc, niſi fallor, eo enumerat, ut nolens vanam credi carnis conflictationem, indubitate velit credi carnis reſurrectionem. Vana enim habenda eſt conflictatio ejus, cujus nulla erit reſurrectio.* Hæc tamen verba, *Ad beſtias pugnavi Epheſi,* proprio, non metaphorico ſenſu antiqui Interpretes intellexerunt, quod nempe Apoſtolus Epheſi vere fuerit objectus beſtiis, a quibus Deo protegente liberatus eſt.

S. Hilarius contra Auxentium. S. Chryſoſt. Hom. 40. Theodoretus. Ambroſiaſter. Primaſius.

33. *Nolite ſeduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Ne vos in errorem ſinatis abduci. Bonos corrumpunt mores congreſſus mali. Converſatio impiorum & improborum periculoſa, ſermones perniciosi & peſtiferi. Ne ergo aures illis præbeatis, qui ſpem tollunt vitæ æternæ & reſurrectionis mortuorum. Menandri verſus eſt ab Apoſtolo conſecratus.

34. *Evigilate juſti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.* Ab erroris & voluptatum ebrietate ad ſanam mentem excitati, vigilate, ut juſtos decet, attendite ne peccetis. Ne vos date voluptatibus, ut Epicurei Deum ignorantes. Quidam enim inter vos ita vivunt ac ſi Deum prorſus ignorarent. Quod dico, ut vos pudeat illorum commercia non fugere.

35. *Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? qualive corpore venient?* Philoſophorum objectiones refellit Apoſtolus. Quomodo, inquiunt, fieri poteſt ut mortui reviviſcant? Unde ſument corpus quod pridem in putredinem abiit? An in eodem, an diverſo corpore exibunt e ſepulchris? Reſpondet Apoſtolus noſter, Fore aliquatenus idem, aliquatenus diverſum corpus, quod e ſepulchro prodibit redivivum, idque per ſimilitudines illuſtrat.

Objectiones Philoſophorum ethnicorum contra reſurrectionem mortuorum occupat ac ſolvit Apoſtolus.

36. 37. 38. *Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur.* Næ te inſipientem! qui carnaliter de reſurrectione cogitas, neque animalem ſenſum tuum divinæ ſapientiæ ſubjicis. Semina quæ gremio terræ condis non reviviſcunt, & germinant, niſi prius putreſcant & corrumpantur. *Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum.* Et quod ſeminas, non eſt corpus ipſum plantæ quod e terra germinabit, ſed nudum granum, videlicet tritici, aut alterius rei: & tamen naſcetur herba & ariſtis circumveſtitum & ornatum: non eſt, inquam, idem, ſpectatis qualitatibus, quamvis ſit idem ſecundum ſubſtantiam. Ita corpus noſtrum ſeminatur mortale, reſurget indutum immortalitate & gloria.

Confer cum Joan. 12. 24. Theophilus Antioch. l. 2. Tertullian. Minucius Felix.

Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & unicuique ſeminum proprium corpus. Deus omnipotentia ſua dat illi ſemini & grano corpus ſpeciei ſeu naturæ ſuæ congruens, ſicut initio mundi inſtituit, cum ſeminibus proprias indidit virtutes: ut incredibile eſſe non debeat quod in reſurrectione proprium dabit corpus juſtis, quale voluerit, & quale debet homines beatos, glorioſos, immortales.

39. 40. *Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium.* Non omnis caro ejuſdem naturæ, conditionis & excellentiæ; & tamen ejuſdem eſt generis, corpus ſcilicet animantis, variis partibus organicis inſtructum: ita vera erit omnium reſurgentium caro, ſed diſpares gloriæ gradus, pro diſparitate meritorum, virtutum, bonorumque operum. *Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium.* Alia ſunt corpora quæ in cœlo poſita ſunt, ut ſol, luna, ſtellæ; alia quæ terræ infixa, ut vegetabilia. Et omnia quidem propriam formam, pulchritudinem & quaſi gloriam habent: ſed pulchritudo & gloria cœleſtium corporum, pulchritudinem terreſtrium longe excedit. Ita in corporibus reſurgentium, etiam juſtorum, magna gloriæ diſparitas eſt futura, pro diverſitate meritorum. Vulgus enim juſtorum, gloriam quidem corporum ſicut & animarum habebit, ſed tantum diſtantem a gloria perfectorum, quantum diſtat corporum terreſtrium pulchritudo a pulchritudine cœleſtium. Unde Chriſtus ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

S. Auguſt. Epiſt. 205. alias 140. Ad Conſentium n. 7.

Varii gloriæ gradus in corporibus beatorum.

41. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim a ſtella differt in claritate.* Sol lunam longe antecellit claritate & virtute: Luna, quatenus hominibus conſpicua, ſtellarum vincit claritatem; quas inter fulgoris etiam & virtutis diſcrimen eſt. Sic inter electos perfectiores, qui velut luminaria cœli vitæ ſanctimonia & virtutum claritate in mundo fulſerint, gloriæ diſparitas erit pro diſparitate meritorum. Quo loco Joviniani hæreſis refellitur.

42. 43. 44. 45. *Sic & reſurrectio mortuorum.* Ita res ſe habebit in reſurrectione mortuorum. Longe, inquam, aliæ erunt corporum beatorum qualitates & dotes, quam ſunt in hac mortali vita. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.* Corpus inſtar grani ſeritur & conditur in terra, corruptioni & putredini obnoxium, reſurget incorruptibile & impaſſibile. Quod non ita intelligendum eſt, quaſi in cadaveribus vis aliqua naturalis inſit ad reſurrectionem, ſicut ineſt ſeminibus ad generationem: ſed quia ſic a Deo conſtitutum & ordinatum eſt ut corpora noſtra ad vitam glorioſam non reformentur, niſi mortua fuerint. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Sepelitur corpus ignominioſum, variis naturæ defectibus & ſordibus obnoxium, ab hominibus abjectum: reſurget omni ex parte glorioſum, & dote claritatis ornatum, pulchrum, auguſtum. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Sepelitur corpus variis infirmitatibus antea ſubjectum, & tunc plane virium expers, motu ac ſenſu deſtitutum: reſurget vegetum, firmum, dote agilitatis inſtructum. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* Sepelitur corpus quod actionibus animæ ſuſtentatur, quatenus vegetans eſt & ſentiens; cui anima vitam præſtat caducam & alimentis indigentem ad temporariam ſui conſervationem: reſurget ſpirituale, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad conditiones & dotes, nullis amplius alimentis, nullis vitalium facultatum functionibus indigens, ſed ſpiritui, id eſt, ſuperiori parti animæ ſumma & mirabili obtemperandi facilitate ſubditum, & dote ſubtilitatis adauctum, a Dei virtute jugiter animæ beatæ inhabitante derivata. „Sicut enim ſpiritus carni ſerviens non incongrue „carnalis, ita caro ſpiritui ſerviens recte appellabitur ſpiritualis, non quia in ſpiritum convertetur, „ſicut nonnulli putant: ſed quia ſpiritui ſumma & „mirabili obtemperandi facilitate ſubdetur, uſque „ad immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſſimam voluptatem, omni moleſtiæ ſenſu, omni corruptibilitate „& tarditate detracta. Non ſolum enim non erit „tale, quale nunc eſt in quavis optima valetudine; „ſed nec tale quidem quale fuit in primis hominibus ante peccatum. Qui licet morituri non eſſent „niſi peccaſſent; alimentis tamen ut homines utebantur, nondum ſpiritualia, ſed adhuc animalia „corpora terrena geſtantes (ait S. Auguſtinus.) „Præclara Maimonidis ſententia: *Animam in hac vita potentia eſſe ſpiritum, in altera vita actu fore.* Pergit Apoſtolus noſter: *Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.* Aliud eſt corpus animale, aliud

S. Thomas, Lect. 6.

Dotes corporis glorioſi.

S. Auguſt. lib. 13. De Civit. Dei, cap. 10. S. Thomas, Lect. 6.

Digitized by Google

aliud ſpirituale; aliud, inquam, non ſubſtantia, ſed conditione & qualitatibus: Neque hæc imaginaria & commentitia diverſitas, ſed revera exiſtens: ſicut ſcriptum eſt de primo homine *Geneſ.* 2. 7. Factus eſt primus homo, Adam omnium hominum ſimpliciter primus, totius generis humani pater & princeps, prior tempore ceteris omnibus hominibus creatus, animal vivens vita vegetante, proindeque cibo & potu indigens ad vitam fovendam & conſervandam. Hoc eſt corpus animale. Noviſſimus autem Adam, ſcilicet Chriſtus, cujus primus Adam typus fuit, qui tempore poſterior, in plenitudine nempe temporum natus & in terris viſus; qui gratia, divinitatis unctione, & gloria, humani generis princeps eſt & caput; factus eſt per reſurrectionem ſuam a mortuis vivens ſine ulla externi ſubſidii indigentia, ſine alimentorum neceſſitate, ſola ſpiritus, ſeu animæ ſecundum ſuperiorem ſui gradum, ſcilicet rationem, ſpectatæ, virtute & operatione immortaliter ſubſiſtens: & Sanctis per ipſum reſurrecturis vitæ incorruptibilis & glorioſæ principium & auctor. Ab anima beata, quatenus ſpiritus eſt, gloria & incorruptio in corpus redivivum redundabit. *Tam potentis enim natura Deus fecit animam, ut ex ejus pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.* „ Id autem anima corpori tribuit non pro„ pria virtute, ſed Chriſti, qui factus eſt in ſpiritum „ vivificantem. Quia ſicut Adam conſecutus eſt per„ fectionem ſui eſſe per animam: ita & Chriſtus „ perfectionem ſui eſſe, in quantum homo, per Spi„ ritum ſanctum. Et ideo cum anima non poſſit niſi „ proprium corpus vivificare, Adam factus eſt in „ animam, non vivificantem, ſed viventem tantum: „ ſed Chriſtus factus eſt in Spiritum viventem & vi„ vificantem: & ideo habet poteſtatem vivificandi, „ ob plenitudinem divinitatis in ipſo corporaliter „ inhabitantis.

S. Auguſt. Epiſt. 118. al. 56. Ad Dioſcorum.

S. Thomas. Lect. 7.

46. *Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* Non prius factum eſt ſpirituale corpus, ſed animale, tam in Chriſto, quam in nobis. Præmittere ſolet Deus imperfectiora, ut perfectiora ſequantur. Sic ante pueri ſumus, quam viri. Sic prius Lex, deinde Evangelium. Prius cœlum & terra quæ cernimus, poſterius cœlum novum & terra nova; prius naſci, quam renaſci? prius vivere, quam mori, prius mori, quam reſurgere.

Primi & ſecundi hominis diſcrimen.

S. Auguſt. lib. 13. De Civit. Dei. cap. 23.

47. *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.* Primus homo, ſcilicet Adam, de limo terræ conditus, terrenus fuit, id eſt, mortalis & corruptioni obnoxius naturæ conditione, ita ut mori poſſet, ac neceſſario moriturus eſſet, ſi externa alimentorum ſubſidia illi deeſſent. Secundus homo, Chriſtus Dominus, qui de cœlo eſt ratione divinæ originis, utpote Deus ex Deo natus, per reſurrectionem factus eſt etiam corpore cœleſtis, immortalitate, impaſſibilitate, gloria ſuæ dignitati ac infinito merito congruentibus indutus & coronatus, & *excelſior cœlis factus*.

Heb. 2. 9. Heb. 7. 26.

48. *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.* Quale corpus Adamus habuit, mortale ſcilicet, & quod in terram reſolvi poſſit, tale & nos ejus poſteri nunc habemus: & quale corpus Chriſtus a morte redivivus habet; tale per reſurrectionem habebunt ejus electi, regni cœleſtis coheredes, immortale, impaſſibile, glorioſum, cœlo dignum. Præclare Origenes: *Si materia cunctis qualitatibus obnoxia, mutare poteſt qualitates, quomodo caro Jeſu mutatis qualitatibus non poterit talis fieri, qualem oportet eſſe eam, quæ in æthere & ſuperioribus ejus locis verſatur, non jam habentem naturæ infirmitatis propria?*

Origen. Philocalia, cap. 18.

49. *Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* Quamobrem ſicut expreſſimus & exhibuimus in nobis imaginem terreni Adam peccando: ſic exprimamus & exhibeamus in nobis imaginem cœleſtis hominis Chriſti Domini, ſancta converſatione & vitæ novitate, ut ei conformari mereamur in gloria. Hoc Apoſtolus ita poſuit, S. Auguſtino interprete, *Ut nunc quidem in nobis ſecundum ſacramentum regenerationis fiat, ſicut alibi dicit*, Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: „ re autem ipſa tunc perficietur, cum & „ in nobis quod eſt animale naſcendo, ſpiritale fa„ ctum fuerit reſurgendo. Ut enim ejus itidem ver„ bis utar, *Spe ſalvi facti ſumus*. Induimus autem „ imaginem terreni hominis propagatione prævari„ cationis & mortis, quam nobis intulit generatio: „ ſed induimus imaginem cœleſtis hominis gratia in„ dulgentiæ vitæque perpetuæ, quod nobis præſtat „ regeneratio, non niſi per Mediatorem Dei & ho„ minum hominem Jeſum Chriſtum: quem cœle„ ſtem hominem vult intelligi, quia de cœlo venit, „ ut terrenæ mortalitatis corpore veſtiretur, quod „ cœleſti immortalitate veſtiret. Cœleſtes vero ideo „ appellat & alios, quia fiunt per gratiam membra „ ejus, ut cum illis ſit unus Chriſtus, velut caput „ & corpus.

Gal. 3. 27. S. Auguſt. lib. 13. De Civit. Dei, cap. 23. Rom. 8. 24.

Græci Codices habent: *Et ſicut portavimus imaginem terreni, portabimus & imaginem cœleſtis.* Syriaca Verſio: *Et ſicut induimus imaginem illius qui ex pulvere eſt, ſic induemus imaginem illius qui e cœlo eſt.* Arabica: *Et quemadmodum induti ſumus imaginem pulveris, ita induemur imaginem cœleſtis.* Æthiopica: *Et ſicut induti fuimus imagine terreni, ſic induti erimus imagine cœleſtis.* Quem locum ſic exponit Theodoretus: *Quemadmodum terreni primi parentis execrationis & mortis participes fuimus, ita etiam gloriæ Domini cœleſtis erimus participes.* „ Portavimus *enim prædicendo dixit, non adhortando*, „ portemus.

Theophylactus & Oecumenius, S. Chryſoſtomum ſecuti, hanc Apoſtoli ſententiam vim adhortationis habere, ut legatur, *portemus imaginem cœleſtis*, probabile cenſent, quamvis & alteram interpretationem ſubjungant, qua enuntiatur quod futurum eſt: Quam expoſitionem ex S. Methodio Oecumenius confirmat. *Imago etiam terreni*, inquit Theophylactus, *eſt hæc*, Terra es, & in terram abibis: *imago autem cœleſtis, a mortuis reſurrectio & incorruptibilitas. Proinde ſi hæc intelligenda ſint ceu de reſurrectione dicantur, & non de vita moribuſve; etiam illud quod addit*, Geſtabimus imaginem cœleſtis, *non eſt intelligendum aut ſcribendum tamquam conſulentis aut adhortantis more ſit dictum, ſed ut obventura nobis rei ſit indicium, id eſt, quod futurum ſit ut geſtemus.*

50. *Hoc autem dico, fratres: quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptionem poſſidebit.* Hoc a vobis intelligi velim: Homines ea qua nunc ſunt conditione corporis animalis, mortalis, corruptioni obnoxii, regnum Dei hereditate poſſidere non poſſe. Unde ſubdit, *Neque corruptio incorruptionem poſſidebit* * Hoc etiam loco nomine carnis & ſanguinis corruptionem mortalitatis intelligi voluit. „ Igitur caro ſecundum ſubſtantiam, „ ſecundum quam dictum eſt, *Spiritus carnem & „ oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, poſſidebit „ regnum Dei: caro autem cum ſecundum corru„ ptionem intelligitur, non poſſidebit . . . Eodem modo hunc locum exponit Theodoretus. Carnem & ſanguinem, inquit, mortalem naturam appellat. „ Fieri autem non poteſt, ut dum adhuc eſt mor„ talis, regnum cœleſte aſſequatur. Hoc enim ſub„ junxit, *Neque corruptio incorruptelam poſſidebit*. Sed „ clarum eſt quod cum a corruptione libera effecta „ fuerit, promiſſis bonis fruetur.

S. Auguſt. Epiſt. 205. alias 140. ad Conſentium & l. 1. Retract. cap. 17. & lib. 2. c. 3.
* *Luc. 24. 39.*

Theodoret. in hunc locum.

51. *Ecce myſterium vobis dico*: Magnum Chriſtianæ religionis arcanum vobis aperio: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Omnes homines mortui, tam boni quam mali, reſurgemus; ſed non omnes in melius immutabimur, in ſtatum beatæ immortalitatis. Nam ſicut Dominus in Evangelio loquitur: *Reſurgent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem judicii*: judicium appellans pœnam ſempiternam, ſicut alio loco, *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Proinde illi qui ad judicium reſurrecturi ſunt, non commutabuntur in illam incorruptelam, quæ nec doloris corruptionem pati poteſt. Illa namque fidelium eſt atque ſanctorum: iſti vero perpetua corruptione cruciabuntur; quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.

Joan. 5. 29. Joan. 3. 18. S. Auguſt. Epiſt. 205. Ad Conſentium.

Græci Codices plerique omnes habent, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur.* Contentiunt Verſiones Orientales. Syriaca: *Non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur.* Arabica: *Nequaquam obdormiemus omnes, at immutabimur omnes.* Eam lectionem ſecuti ſunt Theodorus Heracleotes, Apollinarius, Origenes in 3. Volumine Enarrationis in Epiſt. 1. ad Theſſalonic. & contra Marcionem, S. Chryſoſtomus, Auctor Quæſtionum ad Orthodoxos ſub S. Juſtini Martyris nomine, Quæſt. 61. & 109. In quibuſdam tam Græcis quam Latinis lectum olim, *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*, teſtes ſunt Dydimus, Acacius Cæſarienſis, S. Auguſtinus, lib. 20. *De Civitate Dei*, cap. 20. & libro de octo Dulcitii Quæſtionibus, Quæſt. 3. & Oecumenius. S. Hieronymi variantes fuere lectiones. Is enim in cap. 51. Iſaiæ: *De ſanctis*, inquit, *ſcriptum eſt. Non omnes quidem dormiemus, ſed omnes immutabimur.* Epiſt. vero 152. Ad Minerium & Alexandrum, hæc ex Acacio Cæſareenſi refert: *Qui ſententia magis acquieſcit Eccleſia, ut omnes communi morte moriamur, & non omnes mutemur in gloriam,*

junta

juxta illud quod *Daniel ſcribit*: „ Multi dormientes „ in terræ pulvere reſurgent, alii in gloriam æter„ nam, alii in confuſionem & opprobrium ſempiternum. *Qui enim reſurgent in opprobrium & confuſionem*

Daniel. 12.

ſempiternam, non reſurgent in æternam gloriam, in quam Paulus, & qui cum eo ſunt mutabuntur. Et rurſus: *Sciendum quod magis conveniat veritati legere: Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*. „ Verumtamen in divina Bibliotheca vertit: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*. Et huic lectioni concordat Æthiopica Verſio. Sane Græcus hujus loci textus magis convenire videtur cum illo Apoſtoli noſtri 1. Ad Theſſalonicenſes 4. 14. 15. 16. Hoc enim vobis *dicimus in verbo Domini. Quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt, Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei, deſcendet de cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera*. Sed Latina Verſio Vulgata, quæ omnes reſurrecturos, conſequenter omnes prius morituros ſignificat, ipſi Apoſtolo ad Rom. 5. 12. & hoc ipſo capite Verſ. 22. & 36. & Eccleſiæ ſententiæ magis convenit. Quamvis Græcorum ſententia, qui

S. Hieron. Epiſt. Ad Minervium & Alexandrum. S. Auguſt. Epiſt. 193. Ad Mercatorem, cap. 4. & lib. De octo Dulcitii Quæſtionibus Quæſt. 3.

morituros non cenſent eos, quos ultimi judicii dies viventes invenerit, nihil habeat periculi, ut conſtat ex S. Hieronymo in utramque partem ſcribente, & ex S. Auguſtino pluribus in locis, tum præſertim libro 2. Retractationum, cap. 33. ubi recenſens quod libro ſecundo *De peccatorum meritis & remiſſione* ſcripſerat: *Hic quibuſdam in fine largietur ut mortem repentina commutatione non ſentiant*, id a ſe ſcriptum ait ſervante locum diligentiori inquiſitioni. *Aut enim*, inquit, *non morientur; aut de vita iſta in mortem, & de morte in æternam vitam celerrima commutatione tamquam in ictu oculi tranſeundo, mortem non ſentient*. Vide & Gennadium lib. *De Eccleſiaſticis Dogmatibus*, cap. 7. & S. Thomam Lectione VIII.

52. *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur*. Reſurrectio & immutatio omnium electorum ad vitam incorruptibilem & glorioſam breviſſimo tempore fiet, in momentaneo palpebræ motu, cum nihil divinæ virtuti moram afferre valeat, fiet ad ſignum ultimum divinæ juſſionis, quo mortui excitabuntur & ad judicium vocabuntur. Hic ergo noviſſima tuba metaphorice accipitur pro ſigno ultimo, quale per tubam in militia dari ſolet victoria reportata. Dabitur enim ſignum, & mortui reſurgent ad ſtatum incorruptionis. Nos vero, electi (quibus ſe ex certa ſpe & fiducia ſalutis ſemper Apoſtolus adjungit) non ſolum reſurgemus incorrupti, ſed impaſſibiles & glorioſi. „ Omnes incorrupti re„ ſurgent, ait S. Auguſtinus, ſed ſoli juſti immuta„ buntur in illam incorruptelam, cui omnino nul„ la Poſſit nocere corruptio. Ac per hoc, qui in

S. Auguſt. Epiſt. 205. olim 146. Ad Conſentium.

eam non commutabuntur, *incorrupti quidem reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum, cum audierint, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus. A quo auditu malo juſtus non timebit*.

Idem numero corpus reſurget.

53. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem*. Oportet ad beatitudinis complementum, ad plenam divinæ juſtitiæ manifeſtationem, ad membrorum capitiſque conformitatem, corpus hoc corruptibile aſſumere & accipere incorruptionem: corpus hoc mortale immortalitate donari. Confer cum ſecundæ ad Corinthios VII. His vobis, *corruptibile hoc, mortale hoc*, idem numero corpus reſurrecturus ſignificat Apoſtolus. „ Quid mortale, niſi caro? Quid corruptivum, „ niſi ſanguis? Ac ne putes aliud ſentire Apoſtolum

Tertullian. l. De Reſurrect. carnis, c. 52.

„ provideotem tibi, & ut de carne dictum intel„ ligas, laborantem, cum dicit, iſtud corruptivum, „ & iſtud mortale, cutem ipſam tenens dicit. Cer„ te iſtud niſi de ſubjecto, niſi de comparenti pro„ nunciaſſe non potuit. Demonſtrationis corporalis „ eſt verbum. *Eadem numero carnem denotat & vox* „ *immutationis*. Aliud eſt enim demutatio, aliud „ perditio. Porro non aliud, ſi ita demutabitur ca„ ro, ut pereat. . Periiſſe enim eſt, in totum non

Idem c. 54. 55. 56.

„ eſſe quod fuerit: mutatum eſſe, aliter eſſe eſt. „ Porro dum aliter eſt, idipſum poteſt eſſe: habet „ enim eſſe quod non perit. Mutationem enim „ paſſum eſt, non perditionem. Atque adeo poteſt „ demutari quid, & ipſum eſſe nihilominus; ut & „ totus homo in hoc ævo ſubſtantia quidem ipſe ſit, „ multifariam tamen demutetur, & habitu, & ipſa „ corpulentia, & valetudine, & conditione, & di„ gnitate, & ætate, ſtudio, negotio, artificio, fa„ cultatibus, ſedibus, legibus, moribus; nec quic„ quam tamen amittat hominis; nec ita alius effi„ ciatur, ut ceſſet idem eſſe: immo nec alius effi„ ciatur, ſed aliud. Hanc formam demutationis di„ vina etiam documenta teſtatur. Mutatur Moſi „ manus, & quidem adinſtar emortuæ, exanguis; „ & ex albida, frigida; ſed & recepto calore, & „ refuſo colore, eadem caro & ſanguis eſt. Muta„ tur poſtea & facies ejuſdem, incontemplabili cla„ ritate. Sed Moſes erat proinde, qui non videba„ tur. Sic & Stephanus angelicum jam faſtigium in„ duerat, ſed non alia genua lapidationi ſuccide„ rant. Dominus quoque in ſeceſſu montis etiam „ veſtimenta luce mutaverat, ſed lineamenta Petro „ agnoſcibilia ſervaverat. Ubi etiam Moſes & Elias, „ alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in „ veritate nondum defunctæ, eamdem tamen habi„ tudinem corporis, etiam in gloria perſeverare „ docuerunt. . Ita & in reſurrectionis eventum „ mutari, converti, reformari licebit cum ſalute „ ſubſtantiæ. Etenim quam abſurdum; quam vero „ & iniquum; utrumque autem quam Deo indi„ gnum, aliam ſubſtantiam operari, aliam mercede „ diſpungi; ut hæc quidem caro per martyria la„ nietur, alia vero coronetur: item e contrario, „ hæc quidem caro in ſpurcitiis volutetur, alia „ vero damnetur. „ Denique idem confirmat ſimi-

S. Thomas, Lect. 9.

litudo indumenti: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*, &c. „ Veſtimentum enim adeſt veſtito „ & abeſt manente eadem numero ſubſtantia veſti„ ti. Sic eadem numero corpora reſurgent, & iidem „ numero homines erunt in ſtatu incorruptionis & „ immortalitatis, qui modo ſunt corruptioni & „ morti obnoxii.

54. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria*. Cum autem corpus hoc mortale fuerit immortalitate donatum, tunc implebitur quod ſcriptum eſt, *Abſorpta eſt mors in victoria*, id eſt, per victoriam Chriſti, a quo plene perfecteque devicta & debellata eſt, ut amplius in æternum fidelibus non dominetur. Scriptum eſt autem Iſaiæ 25. 8. *Præcipitabit mortem in ſempiternum*. Sive, quæ vis eſt Hebraici Textus. *Mortem abſorbebit in ſempiternum*: vel, *Mortem abſorbebit vincendo*. Chriſtus, morte ſua prævalebit morti, eamque devorabit & abolebit. Quem ſenſum Verſio LXX. Interpretum expreſſit his verbis: *Devorabit mors prævalens*. Chaldaica Paraphraſis: *Oblivioni tradent mortem in æternum*. Syriaca Verſio: *Et abſorbebitur mors cum victoria in ſempiternum*. Arabica: *Invaluit mors, & abſorpta eſt*. Tertullianus lib. *De Reſurrectione Carnis*, cap. 54. *Devorabit, inquit, mors invaleſcendo, & ideo devorata eſt in contentionem. Proinde & vita, mortis ſcilicet æmula, per contentionem devorabit in ſalutem, quod per contentionem devoraverat mors in interitum*.

Græcus Textus & Syriaca Verſio utrumque repetunt: *Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*. Et ita citant S. Cyprian. l. 3. *Teſtimon.* & S. Auguſt. pluribus in locis.

Mortis imperium penitus deſtructum in reſurrectione. *Theodoret.*

55. *Ubi eſt mors, victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Græci Codices, Syrus, & Arabs hoc ordine legunt: *Ubi eſt mors ſtimulus tuus? ubi tua inferne victoria?* Tanquam res ipſas contemplatus Apoſtolus, & Domini victoriam cernens, & mortuorum reſurrectionem, velut pæana adverſus hoſtes canens, propheticum canticum uſurpavit, ex Oſee XIII. Verſ. 14. ubi ſic legimus: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors: morſus tuus ero, inferne*. Hebræa vero ſic ad verbum habent: *De manu inferni redimam eos, de morte redimam eos. Ero peſtis tua, mors, inferne, tua exciſio ero*. Verſio LXX. Interpretum ſic habet: ποῦ ἡ δίκη σου θάνατε, ποῦ τὸ κέντρον σου ᾅδη *Ubi eſt cauſa tua, mors? ubi eſt aculeus tuus, inferne?* Quod in eumdem recidit ſenſum: Victoria namque penes eum eſt qui cauſam obtinet. Excidit autem victoria; qui cadit cauſa. Syriaca Verſio Oſee Prophetæ partim cum Vulgata noſtra, partim cum Græca conſentit: *Ubi jam eſt victoria tua, mors? aut ubi eſt ſtimulus tuus, inferne?* Aquila & quinta Editio vertunt ex Hebræo: *Ubi verba tua, o mors?* Quibus ſcilicet adverſus hominem contendebas, & damnatum a ſummo Judice hac ſententia: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, urgebas, confodiebas, perimebas ſtimulo tuo, quod eſt peccatum? Hæc autem Verſio etiam in eumdem ſenſum

Theodoret. in Oſee cap. 13.

redit. Cauſa enim verbis agitur apud judicem, & victoria ab eo obtinetur, cujus cauſa potior eſt. Hæc porro typice quidem in reditu Judæorum ex captivitate facta fuiſſe, Theodoretus obſervat: *tropice enim vitam actam in captivitate infernum & mortem vocat Propheta*. Perfectum autem & verum finem ſortita ſunt poſt Salvatoris noſtri reſurrectionem. Primitiis enim noſtris reſurgentibus, ſpem reſurrectionis omnes ſuſcepimus.

Theophylact. in hunc locum

56. *Stimulus autem mortis peccatum eſt; virtus vero peccati lex*. De morte tropice loquitur Apoſtolus tamquam de perſona, rege, hoſte, cui hic telum tribuit. Stimulus ſeu aculeus mortis peccatum. Per

Peccatum aculeus mortis.

illud

Digitized by Google

illud enim potens fuit, ipſo ceu armis quibuſdam & ſtimulo uſu. Perinde namque ut ſcorpius animalculum eſt exiguum, in aculeo autem robur habet: conſimilem ob rationem mors per peccatum robuſta fuit, alias inefficax. Argumento eſt Dominus noſter: Cum enim mors in ipſo peccatum non inveniret, inefficax manſit. Lex Moſaica tantum abeſt ut peccatum auferat, ac deſtruat, quin potius ei vires addit occaſione data, & peccati gravitatem auget, ejus cognitionem tribuens. (Si enim Lex non eſſet, per ignorantiam peccantes tam graviter non peccaremus) & *Lex prohibendo auget cupiditatem, niſi diffundat Spiritus caritatem*, ait S. Auguſtinus. Apoſtolus aculeum mortis vocat peccatum, aculeum (inquam) quo mors facta eſt, non quem mors fecit: peccato enim morimur, non morte peccamus. „ Sic dictum eſt, aculeus mortis, quomodo lignum vitæ, non quod hominis vita faceret, ſed quo hominis vita fieret & lignum ſcientiæ, per quod ſcientia fieret hominis, non quod per ſcientiam fecerit homo. Sic dicimus & poculum mortis, quo aliquis mortuus ſit, vel mori poſſit, non quod morienti mortuuſve confecerit. Aculeus itaque mortis peccatum eſt, peccati punctu mortificatum eſt genus humanum. Morti ergo corporis hoc dicetur, *Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors aculeus tuus?* Ubi victoria tua, quia omnes ſic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, teque non vitando, ſed ſuſcipiendo ſuperaret? Viciſti in morientibus, victa es in reſurgentibus. Victoria tua qua abſorbueras corpora morientium, temporalis fuit: victoria noſtra qua in corporibus abſorpta es reſurgentium, æterna conſtabit. *Ubi eſt aculeus tuus?* hoc eſt peccatum, quo puncti & veneoati ſumus, ut te etiam in noſtris corporibus figeres, & ea tam longo tempore poſſideres? *Aculeus autem mortis eſt peccatum, virtus vero peccati lex*. Peccavimus in uno omnes, ut moreremur in uno omnes: accepimus legem, non ut emendatione finiremus peccatum, ſed ut tranſgreſſione augeremus. *Lex enim ſubintravit ut abundaret peccatum*, & *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato*.

S. Auguſt. l. De Perfect. Juſtit. cap. 6.

Idem lib. 3. De Peccatorum Meritis & remiſſ. cap. 11.

Rom. 5. 20. Galat. 3. 22.

57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Deo gratias agimus, qui dedit nobis vincere peccatum & mortem per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem redempti ſumus a tyrannide peccati & mortis; ut ubi abundavit peccatum, ſuperabundaret gratia, atque ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus, & vinceremus mortem per immortalem reſurrectionem, & aculeum ejus peccatum per gratuitam juſtificationem.

58. *Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino*. Firmi & immoti eſtote in fide reſurrectionis, nec ab ea pravis quorumdam ſermonibus & fallacibus argutiis vos dimoveri patiamini. Omne opus bonum, omne virtutis officium abunde præſtetis, non per intervalla temporum, ſed ſemper omnia quæ Deo grata ſunt, & quæ a vobis poſtulat, facientes: certiſſime perſuaſi, labores veſtros, bonaque opera mercede vacua non fore apud Dominum, ſed præmio immortalitatis & gloriæ donanda; ſive ex Chriſti gratia & meritis vobis æternæ vitæ præmium paritura.

CAPUT XV.

Senſus Moralis.

1. 2. N*Otum autem vobis facio, fratres Evangelium quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalvamini: qua ratione prædicaverim vobis ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis*. Nuſquam nobis excidere debet divinorum beneficiorum recordatio, ut in gratiarum actione ſemper maneamus, & ut grati nosmus ob accepta beneficia nos ad nova dona capeſſenda, vel ad illorum incrementum per illius miſericordiam dignos efficiat. Quam multæ, quam variæ, quam magnæ Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti gratiæ, quas e mente noſtra ingrati animi delet oblivio? 1. Miſſio Apoſtolorum vel Apoſtolicorum virorum ad Majores noſtros. 2. Evangelii prædicatio: *Evangelium quod prædicavi vobis*. 3. Vocatio. 4. Donum fidei: *quod accepiſtis*. 5. Donum perſeverantiæ in fide: *in quo & ſtatis*. 6. Omnia media ſalutis, *per quod & ſalvamini*. Ad gratiarum actionem adhortatur Spiritus ſanctus per Prophetam: *Laudate ſervi Dominum, laudate nomen Domini, qui ſtatis in domo Domini*. „ Grati eſtote, foris eratis, & intus ſtatis: Quia ergo ſtatis, parvumne eſt vobis, ubi laudandus eſt qui vos erexit jacentes, & fecit in domo ſua ſtare, & ipſum agnoſcere, ipſumque laudare? Parvumne hoc beneficium eſt, quod ſtamus in domo Domini? Hic interim, in hac peregrinatione, in hac domo, quod etiam peregrinationis tabernaculum dicitur, quia hic ſtamus, numquid parum grati eſſe debemus? Nonne cogitandum eſt quia hic ſtamus? Nonne cogitandum eſt ubi jacebamus, & quo collecti ſumus? Nonne cogitandum eſt quia omnes impii Dominum non quærebant, & ipſe illos non quærentes quæſivit, ipſe inventos excitavit, ipſe excitatos vocavit, ipſe vocatos introduxit, & in domo ſua ſtare fecit? Hæc quiſquis cogitat, & ingratus non eſt, omnino deſpicit ſe præ amore Domini ſui, a quo ſibi tanta præſtita ſunt. Et quia non habet quid pro tantis beneficiis Deo retribuat, quid ei reſtat, niſi gratias agere, non rependere?

Gratiarum actio pro divinis beneficiis.

Pſal. 134.

S. Auguſt. Enarrat. in hunc Pſalm.

3. 4. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas: & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertiam die ſecundum Scripturas*. Depoſitum fidei, quod Chriſtus Apoſtolis tradidit, & quod ad eorum ſucceſſores integrum & incorruptum tranſmiſſum eſt, Symbolo fidei continetur. Illud memoria complecti neceſſe eſt, & frequenter recitare ſaluberrimum; recitare, inquam, pia cum animi attentione, in ſpiritu fidei, adorationis, gratitudinis, humilitatis, & amoris erga Deum, qui nos in hanc fidei profeſſionem vocavit & baptizari voluit per miſericordiam ſuam magnam. Quot verba in Symbolo, tot myſteria; quot ſententiæ, tot regulæ; Quot myſteria, tot leges & exemplaria vitæ noſtræ ſecundum Deum inſtituendæ. Mors enim Jeſu Chriſti nos docet & obſtringit ut moriamur peccato, mundo, nobis ipſis & pravis cupiditatibus: Chriſti ſepultura, ut nos abſconditi ſæculo, vanitati, occaſionibus peccati, & velut homines in ſepulchris conditi, a periculoſis ſocietatibus & pravis commerciis remoti ſimus: Chriſti reſurrectio, ut in novitate vitæ ambulemus, ut vitam præſentem faſtidiamus, ut vitam cœleſtem & æternam ardenter deſideremus, ut annos æternos venturi ſæculi in mente ſemper habeamus. „ Symbolum, verba ſunt in quibus matris Eccleſiæ fides, ſupra fundamentum ſtabile, quod eſt Chriſtus Dominus, ſolidata firmatur. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Accepiſtis ergo & reddidiſtis, quod animo & corde ſemper retinere debetis, quod in ſtratis veſtris dicatis, quod in plateis cogitetis, & quod inter cibos non obliviſcamini, in quo etiam dormientes corpore, corde vigiletis. Renunciantes enim diabolo, pompis & Angelis ejus mentem neque animum ſubtrahentes, obliviſci oportet præteritorum, & vetuſtate prioris vitæ contempta, cum novo homine vitam quoque ipſam ſanctis moribus innovare, & ſicut Apoſtolus dicit, Quæ retro ſunt obliti, atque in ea quæ ante ſunt extenti, ſequi ad palmam ſupernæ vocationis Dei; & credere quod nondum vides, ut merito poſſis ad id quod credideris pervenire.

Symbolum fidei pie recitandum.

S. Auguſt. Serm. 215. alias ex Variorum 310.

5. 6. 7. *Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim &c.* Primus Apoſtolorum, primus teſtis eſt reſurrectionis Chriſti. Inter viros illi primum apparuit, qui eum maxime videre cupiebat, qui divinitatem ejus primus confeſſus fuerat, qui eum ardentius diligebat. Et cur non ſimul viſus eſt omnibus? „ Ut fidei ſemina prius jaceret. Nam qui prior vidit, & factus eſt certior, aliis annuntiabat. Deinde ſermo præveniens conſtituebat eum, qui audiebat, in magna hujus miraculi exſpectatione, & viam muniebat ad fidem ante viſionem. Proptetea neque ſimul viſus eſt omnibus, neque initio multis; ſed uni ſoli primum, eique omnium ſummo & fideliſſimo. Fideliſſima enim anima opus erat, quæ prima hanc accipiebat viſionem. Nam qui aſpiciebant poſtquam alii vidiſſent & ab ipſis audiviſſent, habebant illorum teſtimonium non parum conferens ad fidem illis faciendam, & præparans eorum mentem. Qui autem primus eſt dignum habitus qui eum videret, magna fide opus habebat, ne admirabili, & quod omnem ſuperat opinionem, conturbaretur ſpectaculo. Nam qui primus Chriſtum eſt confeſſus, jure etiam dignus eſt habitus qui primus videret reſurrectionem. Non propter hoc autem primum apparet ſoli Petro, ſed quoniam ipſum negaverat, abundantius eum conſolatur, & oſtendit non eſſe repulſum. Poſt Petrum autem & ſparſim unicuique apparet: & aliquando quidem paucioribus, aliquando autem pluribus, ipſos invicem teſtes & doctores in hoc faciens, & Apoſtolos reddens fide dignos. *Prima &* „ ube-

Cur S. Petro prius quam cæteris Apoſtolis Chriſtus poſt reſurrectionem apparuerit?

S. Chryſoſt. Homil. 38.

Quæ animæ uberiora ſolatia a Deo merentur & obtinent?

Digitized by Google

„ uberiora ſolatia merentur & obtinent a Deo, qui veram pœnitentiam agunt, & amaris fletibus peccata expiant, ut Petrus; qui in oratione aſſidui ſunt, qui ſacrum ſeceſſum amant, & perſecutionem a mundo patiuntur, ut Apoſtoli: qui veri ſunt diſcipuli Jeſu Chriſti, ejus doctrinam & exempla ſequentes, ut quingenti fratres: qui juſtitiam coluerint & carnem ſuam mortificaverint, ut Jacobus: qui pro Domini gloria magis laboraverint, ut Paulus.

8. 9. *Noviſſime autem omnium tamquam abortivo viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Quo magis Deus ſanctos extollit, quo majoribus donis & honoribus eos cumulat & exornat, eo magis ſe humiliant, exemplo Chriſti, qui cum eſſet in omnibus æqualis Deo, veruſque Dei Filius, humiliavit & exinanivit ſemetipſum formam ſervi ſuſcipiens. Quam præclarum ſpectaculum, cum Deo humilitate luctari! Mira Pauli humilitas. „ Non enim ſatis illi fuit dicere, *Noviſſime omnium viſus eſt mihi*. Multi enim noviſſimi primi, & primi noviſſimi: propterea addidit, *Tamquam abortivo*. Neque hic ſtetit ejus humilitas; ſe enim infra omnes Apoſtolos deprimit. *Ego enim*, inquit, *ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus*. Non ſe duodecim tantum Apoſtolorum, ſed omnium, qui ad Apoſtolicum miniſterium vocati erant a Spiritu ſancto, minimum, & tam divino munere prorſus indignum profitetur, & cauſſam affert, ut non ſum ſolum, ſed omnium judicio indignus videatur. *Quoniam*, inquit, *perſecutus ſum Eccleſiam Dei*. Atqui hæc abolita erant, ſed tamen ipſe numquam eſt eorum oblitus, volens oſtendere gratiæ magnitudinem. Quantamcumque gratiam contulerat nobis Deus, ad quantumcumque virtutis gradum nos promoveat, oblivíſci non debemus ex qua peccati abyſſo nos ejus miſericordia eduxerit. Cogitemus nos in eadem, & graviora peccata relabi poſſe, ſi manum auxiliatricem ſubtrahat, nobiſque indebitam gratiam juſto judicio deneget. Non altum ſapiamus, ſed fragilitatis noſtræ conſcii timeamus, ne perſeverantiæ dono deſtituti, reprobi efficiamur. Pœna ſuperbiæ privatio eſt gratiæ. Cæcus eſt, qui præteritorum peccatorum, & ſuæ fragilitatis intuitu ſe non humiliat. *Cæcus eſt & manu tentans, oblivionem accipiens purgati ſui veterum ſuorum delictorum*. Ex perſecutore Apoſtolum fieri, ſingularis & pervara gratia eſt. Ex Apoſtolo vero & Miniſtro Evangelii fieri perſecutorem, auctoritatis & talentorum abuſu, exemplorum pravitate, apoſtaſiæ genus eſt in Eccleſia, heu! nimium commune; ad quam perducit ſuperbia, præteritorum oblivio peccatorum, & ingratus erga Deum animus. Contra vero humilitas cuſtos eſt innocentiæ & virtutum. Ad humilitatem conſequendam & ſervandam; dejiciendi ſunt oculi in Sanctorum exemplis. *Reſpiciet homines, & dicet, Peccavi, & vere deliqui*. Ac ſi dicatur: „ Sanctorum virorum exempla conſpicit, atque eorum comparatione ſe penſans, iniquum ſe eſſe deprehendit. Qui enim pleniſſime intelligere appetit qualis eſt, tales debet conſpicere qualis non eſt: ut ex bonorum forma metiatur, quanto ipſe deſerto bono deformis eſt. Ex his quippe quibus pleniſſime bona adſunt, perpendit recte quæ ſibi minus ſunt: atque in illorum pulchritudine conſpicit fœditatem ſuam, quam in ſemetipſo & poteſt perpeti, & ſentire non poteſt. Lucem namque debet conſpicere, qui vult de tenebris judicare; ut in illa videat quid de tenebris æſtimet, per quas videre prætenditur. Peccator namque ſi incognita vita juſtorum ſemetipſum conſpicit, peccatorem ſe nullatenus comprehendit. Videre enim ſe non poteſt, qui a fulgorem lucis neſciens, cum ſemetipſum conſpicit, quid aliud quam tenebras attendit? *Ideo Paulus* cum ceterorum ſanctorum ſollicitudinem in prædicatione robuſtius laborando tranſcenderet, ut ab elatione ſe premeret, & vires ſuas in humilitatis gremio nutriret, crudelitatis ſuæ antiquæ non immemor, Apoſtolorum omnium innocentiam contemplatus ait: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei*. Hinc colligendum eſt, quanta debemus ſollicitudine meliorum vitam conſpicere, nos qui in infimis jacemus, ſi hi qui jam tanta ſanctitate ſublimes ſunt, ut per humilitatis greſſum ad majora proficiant, adhuc quærunt in aliis quod imitantes admirentur. Sed hæc reprobi neſciunt, quia mentis oculos ſemper in infimis premunt: Qui & ſi quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum veſtigia, ſed ad intuenda ſemper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam conſiderant, quibus ſe humiliando poſtponant, ſed quibus ſuperbiendo ſe præferant. Deteriores namque reſpiciunt, quibus meliores ſe eſſe gloriantur: & idcirco proficere ad meliora non poſſunt, quia hoc ſibi ſufficere æſtimant, quod peſſimos antecedunt.

S. Pauli humilitas mirifica.

S. Chryſoſt.

2. Petri cap. 1. Ver. 9.

Ad humilitatem ſervandam, dejiciendi ſunt oculi in Sanctorum exemplis.

* Job 33. 27.

S. Gregor. M. lib. 24. Moral. cap. 6.

10. *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem ſed gratia Dei mecum*. Theologicam omnem de gratia Dei doctrinam hæc Apoſtoli ſententia complectitur. 1. Neceſſitatem gratiæ. 2. Ejus effectus. 3. Concordiam cum libero arbitrio. Neceſſitas his verbis exprimitur: *Gratia autem Dei ſum id quod ſum*. Vocatio, ingreſſus, fidelitas in miniſterio, ſanctæ cogitationes, pia deſideria, electio laboris, initium, progreſſus, perfectio operis, ex Deo ſunt, a quo omnia prodeunt, per quem omnia fiunt, in quo omnia conſummantur. Id agnoſcit in ſe ac de ſe profitetur S. Paulus: id in ſe agnoſcere ac de ſe pariter profiteri debet quilibet fidelis: *Gratia Dei ſum id quod ſum*. Ut enim *de cælo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur*, gratia Dei *erat ſola; quia merita ejus erant magna, ſed mala*. Effectus gratiæ his verbis exprimuntur. *Et gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius omnibus laboravi*. Cum enim gratia detur ad agendum ab eo qui omnia poteſt, & quæcumque voluit fecit; cum ſit virtutis illius emanatio, & Spiritus ejus efficacia; quomodo vacua foret in iis quibus a Deo per Chriſtum datur? Per illam Apoſtolus abundantius omnibus laboravit ad Dei gloriam, ad propriam ſanctificationem & perfectionem, ad aliorum ſalutem: Et nos, ſi in negotio ſalutis noſtræ, ſi in miniſterio verbi, ſi in doctrina, ſi in proximorum ſalute procuranda utiliter laboramus, Dei gratiæ id acceptum referamus. Terra noſtra voluntas noſtra, niſi rore divinæ gratiæ perfundatur, ſpinas tantum & tribulos germinabit. Si autem Dominus det benignitatem, ſi pluviam voluntariam in hæreditatem ſuam effundat, ipſamque perficiat, terra noſtra dabit fructum ſuum, fructum utique bonorum operum, fructum gratiæ & virtutis, fructum divini amoris. Gratia enim divini inſpiratio amoris eſt. Otioſa igitur non eſt, ſicut nec amor. Amor enim magna operatur, ſi eſt; ſi autem non operatur, amor non eſt. Gratiæ tandem cum libero arbitrio concordia his verbis exprimitur: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Quod ab Apoſtolo dictum eſt, *Non quia ipſe nihil boni agebat, ſed quia nihil ageret, ſi illa non adjuvaret. Gratiam porro Dei non aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente; pediſſequa, non prævia voluntate*.

Summa Theologica de gratia doctrina.

S. Auguſt. lib. De Gratia & Libero arbitrio cap. 5.

S. Aug. Epiſt. 186. alias 106. ad Paulinum.

Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. „ Si Deus tria hæc, hoc eſt, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis, primum profecto ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit: immutando etiam malam voluntatem, ſibi per conſenſum jungit: miniſtrando & conſenſui facultatem, foris per apertum opus noſtrum internus Opifex innoteſcit. Sane ipſi nos prævenire nequaquam poſſumus. Qui autem bonum neminem invenit, neminem ſalvat quem non prævenit. *A Deo ergo ſine dubio noſtra fit ſalutis exordium, nec per nos utique, nec nobiſcum. Verum conſenſus, & opus, etſi non ex nobis, non jam tamen ſine nobis. Valet intentio ad meritum, actio ad exemplum, utramque præveniens cogitatio tantummodo ad excitandum. Cavendum ergo ne cum hæc inviſibiliter intra nos ac nobiſcum agitari ſentimus, aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt, aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt; ſed ſoli gratiæ qua plenus eſt. Ipſa liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum; ſanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; ſervat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in ceteris comitetur: Ad hoc utique præveniens, ut jam ſibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficitur: ut mixtim, non ſigillatim; ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa*. Hic Apoſtolicorum verborum ſenſus: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*.

S. Bernardus, lib. De Gratia & Libero Arbitrio, cap. 14.

Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit &c. „ Vide ſummam humilitatem. Nam delicta quidem ſibi attribuit, ex recte autem factis nihil, ſed totum Deo adſcribit. Non dixit, Oſtendi ſtudium ac diligentiam dignam gratia, ſed, *Gratia ejus in me vacua non fuit*. Addit, *Abundantius illis omnibus laboravi*. Non dixit, magis merui, magis honoratus ſum, ſed, *laboravi*: & cum poſſet pericula enumerare, & quas paſſus

S. Chryſ. Hom. 38.

„ eſt

Digitized by Google

„ eſt perſecutiones, nomine laboris extenuat, quicquid ad ſui commendationem proferre potuiſſet. Deinde rurſus ſolita uſus humilitate, hoc quoque cito prætercurrit, & totum Deo adſcribit dicens, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Hæc nos quoque audientes, delicta quidem noſtra traducamus, & in publicum proferamus, recte autem facta ſileamus: & ſi tempus neceſſitatem afferat, ea modeſte ac ſubmiſſe dicamus: & totum gratiæ imputemus. Quod ipſe quoque facit, primam quidem ſuam notans vitam; quæ autem poſtea ſunt conſecuta, gratiæ imputans: ut omni ex parte oſtendat Dei benignitatem & clementiam, quod cum talis eſſet, eum ſervaverit; & rurſus ſervatum talem fecerit. Nemo ergo ex iis qui ſunt in vitio, deſperet: nemo ex iis qui ſunt in virtute, confidat.

12. 13. 14. *Si autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.* Reſurrectio Chriſti fundamentum eſt totius Religionis Chriſtianæ. Unum illud fidei caput, probationem omnium credendorum complectitur. Si enim Chriſtus reſurrexit, nulla eſt de omnibus miraculis ejus in Evangelio commemoratis dubitandi ratio. Fides derogari non poteſt ei qui ſeipſum ſuſcitare potuit. Seipſum ſiquidem a morte ſuſcitando, Deum ſe eſſe demonſtravit, conſequenter veracem, qui nec mentiri poſſit, nec fallere. Veritas igitur omnium quæ docuit Chriſtus, ſacerdotium ejus æternum, miſſio Apoſtolorum, veritas & perpetuitas Eccleſiæ, fide reſurrectionis Jeſu Chriſti nituntur. Hoc fundamento fides & ſpes reſurrectionis noſtræ nititur. Qui enim ſeipſum a mortuis ſuſcitavit, & nos a ſe ſuſcitandos promiſit, id proculdubio præſtabit. *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum. Illa credentes ſumus, hoc credere veritas cogit.* Exempla quidem divinæ poteſtatis reſurrectionem carnis poſſibilem eſſe perſuadent, & tam facilem Deo, quam ejus conditionem . . . „ Dies moritur in noctem, & tenebris uſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor: omnis ſubſtantia denigratur. Sordent, ſilent, ſtupent cuncta: ubique juſtitium eſt. Ita lux amiſſa lugetur: & tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem & integra & tota univerſo orbi reviviſcit; interficiens mortem ſuam, noctem, reſcindens ſepulturam ſuam, tenebras; heres ſibimet exiſtens, donec & nox reviviſcat, cum ſuo & illa ſuggeſtu. Reaccenduntur enim & ſtellarum radii, quæ matutina ſucceſſio extinxerat: reducuntur & ſiderum abſentiæ, quas temporalis diſtinctio exemerat: redornantur & ſpecula lunæ, quæ menſtruus numerus attriverat: revolvuntur hyemes & æſtates, verna & autumna, cum ſuis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo diſciplina eſt arbores veſtire poſt ſpolia, flores denuo colorare, herbas rurſus imponere, exhibere eadem quæ abſumpta ſint ſemina; nec prius exhibere quam abſumpta. Mira ratio: de fraudatrice ſervatrix, ut reddat, intercipit; ut cuſtodiat perdit; ut integret; vitiat; ut etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem uberiora & cultiora reſtituit, quam exterminavit; revera fœnore interitu, & injuria uſura, & lucro damno. Semel dixerim, univerſa conditio recidiva eſt. Omnia in ſtatum redeunt, cum abſceſſerint: omnia incipiunt, cum deſierint; ideo finiuntur, ut fiant. Nihil deperit, niſi in ſalutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. Operibus eam præſcripſit Deus, ante quam litteris: viribus prædicavit, ante quam vocibus. Præmiſit tibi naturam magiſtram, ſummiſſurus & Prophetiam, quo facilius credas Prophetiæ, diſcipulus naturæ: quo ſtatim admittas, cum audieris quod ubique jam videris: nec dubites Deum carnis etiam reſuſcitatorem, quem omnium noris reſtitutorem. Verum quantumvis convenientes ſint illæ rationes, nihil ita reſurrectionem mortuorum credendam perſuadet, quam reſurrectio Chriſti Jeſu. Quia rationales ſumus conditi, ait S. Gregorius M. ſpem reſurrectionis noſtræ ex ipſa debemus rerum ſpecie & contemplatione colligere. *Sed quia in nobis ſenſus torpuit rationis, acceſſit in exemplum gratia Redemptoris. Venit namque Conditor noſter, ſuſcepit mortem, oſtendit reſurrectionem: ut qui reſurrectionis ſpem ex ratione tenere noluimus, hanc ex ejus adjutorio & exemplo teneremus.* Dicamus igitur cum beato Job: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* „ Et quiſquis reſurrectionis in ſe virtutem fieri poſſe deſperat, verba in gentilitate poſiti viri fidelis erubeſcat, & penſet quanto pœnæ ſit pondere feriendus, ſi adhuc non credit ſuam, qui jam reſurrectionem Domini cognovit factam: ſi & ille ſuam credidit, qui adhuc Domini Jeſu ſperabat eſſe faciendam. Dum ergo die tertio reſurrexit Chriſtus, quid in ejus corpore, id eſt, Eccleſia ſequatur, oſtendit. *Exemplo quippe monſtravit, quod promiſit in præmio*: ut ſicut ipſum reſurrexiſſe fideles agnoſcerent, ita in ſe ipſis in fine mundi reſurrectionis præmia ſperarent. Ecce nos per mortem carnis uſque ad finem mundi remanemus in pulvere, ille autem die tertia ab ariditate mortis viruit, ut divinitatis ſuæ nobis potentiam ipſa innovatione ſuæ carnis oſtenderet. Quod bene per Moyſem virgis duodecim in Tabernaculo poſitis demonſtratur. Nam cum Aaron Sacerdotium, qui de Tribu Levi fuerat, deſpiceretur, nec digna Tribus, quæ offerret holocauſta, crederetur; duodecim virgæ, juxta duodecim Tribus, in Tabernaculo poni præceptæ ſunt: & ecce virga Levi viruit, & quid virtutis in munere Aaron haberet, oſtendit. Quo ſigno quid innuitur, niſi quod omnes, qui uſque ad finem mundi jacemus in morte, quaſi virgæ reliquæ in ariditate remanemus? Sed cunctis virgis in ariditate remanentibus, virga Levi ad florem rediit: quia Corpus Domini, veri ſcilicet Sacerdotis noſtri, in mortis ariditate poſitum, in florem reſurrectionis erupit. Habemus ergo ſpem reſurrectionis noſtræ, conſiderata gloria Capitis noſtri. *Si autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, Quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? &c.*

19. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Sublata animæ immortalitate, & fide reſurrectionis corporum, miſerrimi eſſent qui ſecundum Evangelium vitam inſtituunt; bonos enim & juſtos affligi, improbis omnia proſpere cedere in hac vita permittit Deus. Boni crucem ſuam ferunt, carnem mortificant & crucifigunt, voluptatibus ſæculi renuntiant: iniqui ducunt pleramque in bonis dies ſuos, cupiditates ſuas explent, opibus, honoribus, deliciis fruuntur. Sola ſpes igitur melioris, beatioris, æternæque vitæ, nos in calamitatibus, tribulationibus, & perſecutionibus hujus vitæ mortalis conſolatur. Bona quævis, & commoda temporalia impedire non poſſunt quin miſeri ſimus, ſi iniqui fuerimus. Quicquid eſt calamitatum, incommodorum, damnorum, perſecutionum, miſeros facere non poteſt eos qui vitam futuri ſæculi credunt ac deſiderant, ad eamque tendunt caritate, & obſervantia mandatorum Dei; quod totum eſt hominis bonum. *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo.*

20. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium.* Corpus Jeſus Chriſti mortuum & ſepultum, granum eſt frumenti, quod in terra conditum, multum fructum affert. Corpus ejus a morte redivivum, glorioſum, vivens Deo de Deo, manipulus eſt ſpicarum, Deo conſecratus & oblatus in Terra promiſſa, ut primitiæ meſſis; qui ſimul & ſacrificium gratiarum actionis eſt, & pignus benedictionis in meſſem totam effundendæ. *Filius Dei accepit abs te, quod offerret pro te: quomodo accipit Sacerdos a te, quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis. Sacerdos noſter a nobis accepit, quod pro nobis offerret. Accepit enim a nobis carnem: in ipſa carne victima factus eſt, holocauſtum factus eſt, ſacrificium factus eſt. In paſſione ſacrificium factus eſt: in reſurrectione innovavit illud quod occiſum eſt, & tanquam primitias tuas dedit Deo; & ait tibi: Conſecrata ſunt jam omnia tua, quando tales primitiæ de te data ſunt Deo: ſpera ergo & in te futurum, quod præceſſit in primitiis tuis.* Verum ne fallax ſit & inanis ſpes noſtra, Jeſum Chriſtum ſequamur in cœlum ſanctis & ferventibus deſideriis. Surſum cor habeamus, ubi primitiæ noſtræ ſunt. Spiritu nunc reſurgamus ad gratiam, ut aliquando reſurgere mereamur ad gloriam. Quæ ſurſum ſunt ſapiamus, non quæ ſuper terram.

21. 22. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Tota ſcientia Religionis Chriſtianæ, Adamus, & Jeſus Chriſtus. *Sicut in regno mortis nemo ſine Adam, ita in regno vitæ nemo ſine Chriſto. Sicut per Adam omnes injuſti: ita per Chriſtum omnes juſti homines. Sicut per Adam omnes homines in pœnam facti ſunt filii fatali, ita & per Chriſtum omnes immortales in gratia ſunt filii Dei.* „ Homo & homo: ſed ille nonniſi homo, iſte Deus homo. Ille homo peccati, iſte juſtitiæ. Mortuus es in Adam, reſurge in Chriſto: nam utrumque debetur tibi. Jam credidiſti in Chriſtum, reddes tamen quod debes de Adam.

Reſurrectio Chriſti eſt fundamentum totius religionis Chriſtianæ.

Tertull. lib. De Reſurrect. carnis, cap. 1.

Idem cap. 2.

S. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 18.

Job 19. 25.

Num. 17.

Eccleſ. 12. 13.

Chriſti reſurrectio pignus reſurrectionis noſtræ.

Levit. 23.

Deuteron. 26.

S. Aug. Enarr. in Pſal. 129. n. 7.

S. Aug. Epiſt. 149. ad Optatum, cap. 2.

S. Aug. Tract. 3. in Joannem, n. 3.

„ Sed oon te in æternum tenebit vinculum peccati,
„ quia mortem tuam æternam occidit mors tempo-
„ ralis Domini tui .... In Adam omnes moriuntur
„ per carnis nativitatem, in Chriſto liberantur per
„ cordis fidem. Non erat in poteſtate tua ut non
„ naſcereris ex Adam: eſt in poteſtate tua ut cre-
„ das in Chriſtum. Quantumcumque ergo ad pri-
„ mum hominem pertinere volueris, ad captivita-
„ tem pertinebis. Et quid eſt, pertinere volueris,
„ aut quid eſt, pertinebis? Jam pertines: exclama,
Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum? Adamo & veteri ejus corruptelæ renuntiemus: Jeſu Chriſto nos devoveamus, & novam ejus vitam in nobis exprimamus.

Idem in Pſal. 70. Serm. 2. n. 2.

24. 25. 26. *Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Quid terrenam felicitatem deſideramus? Quid hic tabernacula facere cogitamus, quaſi nobis ſemper in hac morientium regione manere bonum eſſet? Quid in bonis temporalibus hæremus? Finis rerum omnium cito adveniet: finis everſionis, conſiliis & negotiis hominum terrenorum; finis deſolationis, mundo Adami & filiorum ejus: finis annihilationis, regno Satanæ & membrorum ejus: finis deſtructionis, peccato, concupiſcentiæ, & morti: finis conſummationis in Deo, omnibus Sanctis ejus; finis plenitudinis & perfectionis, Eccleſiæ, quæ tunc tota pulchra & immaculata erit in omnibus membris ſuis, non habens maculam, neque rugam: finis victoriæ & triumphi, Chriſto Jeſu, de omnibus inimicis ſuis. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.* Hæc nobis meditantibus, Fratres dilectiſſimi, quid agendum? Gemamus & ſuſpiremus, lacrymas fundamus ſuper flumina Babylonis, dum recordamur Sion: finem deſideremus, exſpectemus, noſque ad illum interim ſtudioſe, ſollicite, vigilanter, ferventer præparemus. *Deinde finis.* Fortiter pugnemus in Chriſtiana militia, peccatum & pravas concupiſcentias in nobis deſtruamus: Regnum Jeſu Chriſti ſtabiliamus, promoveamus, & firmemus in nobis: ejus imperio nos magis ac magis quotidie ſubjiciamus: donec regnum ejus in nobis perfectum ſit: Mori deſideremus morte juſtorum, ut moriatur in nobis corpus peccati, & tandem *noviſſima inimica deſtruatur mors.*

Meditatio finis rerum omnium nos a rerum terrenarum amore debet abſtrahere.

28. *Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Hæc ſubjectio, Myſterii ſignificatio eſt. Cum ſcilicet Chriſtus opus ſuum conſummaverit, & deſtruxerit omnem poteſtatem & dominationem Deo inimicam: cum electos ſuos collegerit, tecerit in terris, & perduxerit ad Patrem; tunc nulla erit amplius meditatio Jeſu Chriſti, nulla interceſſio Angelorum, nulla Sanctorum opitulatio, nullum hominum miniſterium, nulla Sacramenta, nullæ Scripturæ, nulla medii cujuſquam externi neceſſitas. Deus unus in Perſonarum Trinitate per ſe ipſum immediate reget, in ſe ac de ſe vivere faciet totum Eccleſiæ corpus, caput & membra: electos ſuos per ſe ipſum immortales reddet, ut æternitas; per ſe ipſos illuminabit, ut prima & ſumma veritas: & omnes in ſe ipſo conſummabit, ut indeficiens caritas. *Ut ſit Deus omnia in omnibus.* Ipſe finis erit deſideriorum noſtrum, *Qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus, profecto erit omnibus, ſicut ipſa vita æterna communis.* Tunc ſinguli ſancti virtutes omnes in ſtatu perfecto habebunt .... „ Tunc
„ enim Dominus & Salvator noſter omnia non eſt
„ in omnibus, ſed pars in ſingulis: in Salomone ſa-
„ pientia, in David bonitas, in Job patientia, in
„ Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in
„ Phinees & Paulo zelus, in Joanne virginitas, in
„ ceteris cetera. Cum autem rerum omnium finis
„ advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut ſin-
„ guli Sanctorum omnes virtutes habeant, ut ſit
„ Chriſtus totus in cunctis.

Beatitudinis æternæ deſcriptio.

S. Hilar. lib. 11 De Trinitate.

S. Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei, c. 30. n. 1.

S. Hieron. Epiſt. 147. ad Amandum.

Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, &c.
„ Omnia neceſſe eſt Chriſto eſſe ſubjecta, & tunc
„ ipſum eſſe ſubjectum, ſubjectione videlicet illa,
„ quam de ſpiritu intelligi dignum eſt: Interim ne-
„ ceſſe eſt omnia Chriſto eſſe ſubjecta, ut tunc de-
„ mum etiam ipſe impletis omnibus & perfectis per
„ ſubjectionem, tamquam victoriæ ſuæ hanc referens
„ palmam, Patri dicatur futurus eſſe ſubjectus. Quod
„ niſi myſtice intelligatur, impium aliquid ſine du-
„ bio non advertentibus indicare creditur. Non enim
„ putandum eſt quod Filius Dei nunc quidem Patri
„ nequaquam ſubjectus ſit, in noviſſimis vero tempo-
„ ribus cum ſibi fuerint cuncta ſubjecta, tunc erit
„ & ipſe ſubjectus: ſed quia omnia noſtra in ſe re-
„ cipit, & ſe eſſe dicit qui in nobis eſurit, qui in
„ nobis ſitiat, qui nudus ſit, æger, hoſpes, rurſus
„ in carcerem, & quicquid uni ex minimis ſuis fa-
„ ctum fuerit, ſibi factum eſſe teſtatur: conſequen-
„ ter & merito cum unuſquiſque noſtrum plene &
„ perfecte ſubditur Deo, ita ut in nullo prorſus
„ inobediens pareat, ſe eſſe ſubditum proteſtatur
„ Sed & alio modo planius intelligitur quod dici-
„ mus. Si aliquod membrum corporis doleamus,
„ quamvis anima noſtra incolumis ſit, & reliqua
„ omnia membra noſtra ſana ſint, tamen quia do-
„ lore unius membri totus homo affligitur, non di-
„ cimus quia ſani ſumus, ſed quia male habemus.
„ Apoſtolus dicit, Quia corpus Chriſti ſumus, & *Epheſ. 5.*
„ membra ex parte. Igitur ſi aliquis ex nobis, qui
„ membra ejus dicimur, aliquo peccati morbo labo-
„ rat, & non eſt ſubjectus Deo, teſte ille dicitur
„ nondum eſſe ſubjectus, cujus ſunt membra illi qui
„ non ſunt ſubjecti Deo. Cum autem omnes eos,
„ qui corpus ſuum dicuntur ac membra, ſanos ha-
„ buerit, ut nullo inobedientiæ laboraverint morbo,
„ ſanis omnibus membris Deoque ſubjectis, merito
„ ſe dicit ſubjectum illi, cujus nos membra Deo in
„ omnibus obedimus. Quod ſi te ipſum perſcrutari
„ vis, & videre ſi jam ſubjectus es Deo, an adhuc
„ inobediens permanes, hoc modo te ipſum diſcute.
„ Si nihil eſt Deo contrarium in te, ſubjectus es
„ ei. Deus caritas eſt: ſi odium in te non eſt, non
„ habes quod contrarium Deo eſt. Deus veritas eſt:
„ vide ne ſit in te mendacium, quod eſt contrarium
„ veritati. Si enim eſt in te mendacium, non Deo
„ ſubjectus es, ſed ei qui eſt mendacii pater. Et ſi
„ injuſtitia in te eſt, patri injuſtitiæ ſubjectus es,
„ magis quam Deo, qui juſtitia eſt. Si & reliqua in
„ te deprehenderis vitia, ſcito te tandiu non Deo,
„ ſed diabolo eſſe ſubjectum. Certum eſt namque
„ quia fornicationis tempore ſpiritui fornicationis
„ ſumus ſubjecti, adverſantes ſpiritui caſtitatis. Et
„ tempore iracundiæ, ſpiritui iræ obedimus, ſpiritui
„ manſuetudinis reſiſtentes. Propterea ergo videntes
„ quia omnis vita noſtra agonem quemdam obedien-
„ tiæ gerit, ſive Chriſto, ſive his qui contrarii ſunt
„ Chriſto, conemur per orationis, per eruditionis
„ religioſam inſtitutionem hoc agere, ne umquam
„ diabolo vel malitiæ ejus obedire inveniamur: Sed
omnis actus noſter, & omnis ſermo, atque omnis cogitatio inveniatur in ſubjectione Chriſti. *Subditus eſto Domino, & ora eum.*

Origenes Homil. 2. in Pſal. 36.

Satagendum ut Deo perfecte ſubjecti ſimus.

Pſalm. 36.

29. 30. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Ut quid Chriſto commortui & conſepulti ſumus in baptiſmo, niſi ut cum illo reſurgamus? Sacramenta omnia, quæ carni adminiſtrantur, baptiſma præſertim, futuræ reſurrectionis argumenta & pignora ſunt. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera conjungit.* Semper meminerimus nos ad vitam cœleſtem & æternam eſſe baptizatos. Fides & ſpes reſurrectionis mortuorum & vitæ æternæ, nobis in memoriam revocet Baptiſmi noſtri gratiam, votum Deo in Baptiſmo nuncupatum, & Chriſtianæ vitæ, quam profeſſi ſumus, officia. Vitam præſentem & temporalem ſpe futuræ vitæ contemnamus. Nullum non contemnamus periculum, nullum detrimentum, ne periculum æternæ vitæ per peccatum amittendæ incurramus, ne detrimentum ſalutis animæ noſtræ patiamur. *Ut quid & nos periclitamur omni hora?* Quotidie moriamur ſæculo, nobis ipſis, peccato, corporis animalis ſenſibus & deſideriis, ut æternum cum Jeſu Chriſto vivamus. 31. *Quotidie morior.* O bona mors, quæ vitam non adimit, ſed addit!

Ad vitam cœleſtem & æternam baptizati ſumus.

Tertull. lib. De Reſurrect. Carnis, c. 8.

32. *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* Spes reſurrectionis nos roborat ad pugnandum in ſtadio hujus vitæ mortalis cum pravis cupiditatibus corporis animalis, cum ira, cum libidine, cum avaritia, cum impatientia, cum intemperantia. *Manducamus, & bibamus, cras enim moriemur,* dicit Epicureus. Jejunemus, vigilemus, oremus, pœnitentiam agamus, continentiam ſervemus, cras enim moriemur, ait Chriſtianus. Hæ carnis mortificationes a piis Chriſtianis ſponte ſuſceptæ; fidem reſurrectionis confirmant. *Nam & ſacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, & ſeras & aridas eſcas, caro de proprio ſuo incommoda ſuſtaurat. Virginitas quoque & viduitas de bonis carnis Deo adolentur. Age jam, quid de ea ſentis, cum pro nominis fide in medium extracta, & odio publico expoſita, decertat? cum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuria mundi, ſqualore, pœdore, contamelia victus, ne ſomno quidem libera, cum jam & in luce omni tormentorum machinatio-*

Spes reſurrectionis nos roborat ad pugnandum cum pravis cupiditatibus.

Tertull. lib. De Reſurrect. carnis, c. 8. & 9.

Digitized by Google

natione lanatur: cum denique ſuppliciis erogatur, emiſa reddere Chriſto vicem, moriendo pro ipſa, & quidem per eamdem crucem ſæpe, uedum per atrociora ingenia pœnarum. Igitur quam Deus manibus ſuis ad imaginem Dei ſtruxit, quam ſaccamentis ſuis diſciplinisque veſtivit, cujus munditias amat, cujus caſtigationes probat, cujus paſſiones ſibi adpretiat: hæccine non reſurget toties Dei?

Societas & converſatio impiorum fugienda.

33. *Nolite ſeduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala*. Nihil tam periculoſum, tam peſtilens tam efficax ad ſeducendum innocentiam aut incauram ſimplicitatem, quam converſatio & colloquia hominum, qui cum ingenio & civili honeſtate, externaque ſpecie probitatis ſpectabiles ſunt, imo pietatis larvam aſſumant, errores contra fidei aut Moralis Chriſtianæ integritatem diſſeminant. De his alibi Apoſtolus noſter: *Profana & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit*. Sic Manes, Donatus, Arius, Pelagius, Neſtorius, Eutyches, Calvinus, Lutherus, Molinos, ceterique fidei aut Moralis Evangelicæ corruptores, heu! quantas animarum ſtrages colloquiis ſuis, & ſcriptis ediderunt? Ab impiorum igitur ſocietate, tamquam a facie colubri fugiendum eſt. Timendum ne peſtilens aura mentes noſtras & corda inficiat, ſi hominum mente corruptorum conſuetudine delectemur. *Sicut ergo perfecti viri perverſos proximos non debent fugere, quia & eos ſæpe ad rectitudinem trahant, & ipſi ad perverſitatem numquam trahuntur: ita infirmi quique ſocietatem debent declinare pravorum, ne mala quæ frequenter aſpiciant, & corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audienda quotidie ſumimus in mente, ſicut flando atque reſpirando aerem trahimus in corpore: Et ſicut malus aer aſſiduo flatu tractus inficit corpus: ita perverſa locutio aſſidue audita infirmantium inficit animum, ut tabeſcat delectatione pravi operis, & aſſidua iniquitate ſermonis*. Cavendi ſunt igitur & ſollicite vitandi, qui *per dulces ſermones, & benedictiones, ſeducant corda innocentium*. Periculoſa ſemper nimia de viribus ſuis fiducia, timor vero periculi, ſalutaris. Timendo enim cavebimus, cavendo ſalvi erimus. Vigilandum aſſidue ne ſeducamur erroribus, ne illiciamur amoribus & voluptatibus, ne frangamur terroribus & adverſis rebus hujus mundi. *Evigilate juſti, & nolite peccare*.

2. Tim. 2. 17.

S. Gregor. M. Homil. 9. in Ezechiel.

Rom. 16. 18.

35. 36. 37. 38. *Sed dicet aliquis, Quomodo reſurgent mortui, qualive corpore venient? Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus ceterorum. Deus autem dat illi corpus, & unicuique ſeminum proprium corpus*. Non ſolum Myſteriorum divinorum veritatem, ſed & modum humanæ rationi incomprehenſum humili fide credere & adorare debemus. *Quomodo?* vox eſt incredulitatis, loquens dæmonis. „ Arbuſta æſtivis temporibus plena foliis & fructibus videmus, quæ hyemali tempore nuda foliis, floribus, ac fructibus, & quaſi arida remanent: ſed vernali ſole redeunte, cum a radice humor ſurrexerit, ſuo iterum decore veſtiuntur. Cur ergo de hominibus diffiditur, quod fieri in lignis videtur? Sed ſæpe pulverem putreſcentis carnis aſpiciunt, & dicunt: Unde oſſa & medullæ, unde caro vel capilli poterunt in reſurrectione reparari? Hæc requirentes, parva ſemina ingentium arborum videant, atque ſi poſſunt dicant ubi in eis later tanta moles roboris, tanta diverſitas ramorum, tanta multitudo & viriditas foliorum, tanta ſpecies florum; tanta ubertas, ſapor, atque odor, fructuum. Numquid ſemina arborum odorem vel ſaporem habent, quem ipſæ poſt arbores in ſuis fructibus proferunt? Si ergo ex ſemine arborum, quod videri non poteſt, produci poteſt; cur de pulvere carnis humanæ diffiditur, quia ex eo reparari forma valeat, quæ non videtur? Sæpe autem objicere inanem quæſtiunculam ſolent, qua dicunt: Carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem rediit: cum pulvis ille ſuſcitatur, quomodo caro hominis a lupi & leonis carne dividitur? Quibus quid reſpondere aliud debemus, niſi ut prius cogitent qualiter in hunc mundum venerint, & tunc invenient qualiter reſurgant? Certe tu homo qui loqueris, aliquando in matris utero ſpuma ſanguinis fuiſti: ibi quippe ex patris ſemine, & matris ſanguine parvus ac liquidus globus eras. Dic rogo, ſi noſti, qualiter ille humor ſeminis in oſſibus duruit, qualiter in medullis liquidus remanſit, qualiter in nervis ſolidatus eſt, qualiter in carne crevit, qualiter in cute extentus eſt, qualiter in capillis atque unguibus diſtinctus. Si igitur tot & tanta in uno ſemine per ſpecies diſtincta ſunt, & tamen in forma remanent conjuncta; quid mirum ſi poſſit omnipotens Deus in illa reſurrectione mortuorum, carnem hominis diſtinguere a carne beſtiarum, ut unus idemque pulvis & non reſurgat in quantum pulvis lupi & leonis eſt, & tamen reſurgat in quantum pulvis hominis eſt? Vide itaque, homo, qualiter ad vitam veniſti, & nequaquam dubites ad vitam qualiter redeas. Cur autem vis ratione comprehendere quomodo redeas, qui ignoras quomodo veniſti? Da potentiæ Creatoris tui, quod comprehendere non vales de temetipſo. Certe enim quia tu ex terra factus es, terra vero ex nihilo, tu es creatus ex nihilo. Ne ergo de carnis tuæ reſurrectione deſperes, perpende prudenter quia minus eſt Deo reparare quod erat, quam feciſſe quod non erat. Si non potes reſurrectionis effectum ratione comprehendere, perpende quam multa ſunt, quæ non intelligis qualiter ſint, & tamen eſſe non dubitas. Dic rogo, ſi noſti, gyrus cœli, terræ cardines, aquarum abyſſus, ubi finiuntur, ubi ſuſpenſi ſunt: Scimus autem quia quod ex nihilo factum eſt, pendet in nihilo. Sed ſi eſt aliquid quod dicitur nihilum, jam nihil non eſt. Si autem nihil eſt nihilum, nuſquam mundi moles dependet, nec eſt ubi ſit, quod creatum eſt ut ſit. Quo modo ergo nuſquam eſt, quod novimus quia eſt? Sed hæc fortaſſe ad te multa ſunt, ad te ipſum, homo, revertere. Certe ex ſpiritu es creatus & limo: uno inviſibili, altero viſibili: uno ſenſibili, & altero inſenſibili. Quo modo ergo permiſceri in te potuit ſpiritus & limus, atque ex diverſis fieri res non diverſa, ita ut in tanta convenientia miſceretur ſpiritus & limus: ut cum caro atteritur, ſpiritus marceat; & cum ſpiritus affligitur, caro contabeſcat? Sed forſitan needum prævales diſcutere temetipſum. Perpende, rogo, ſi vales, quomodo Rubrum Mare virga diviſum eſt: quo modo Petræ duritia percuſſione virgæ undas emanavit: quo modo Aaron virga ſicca floruit: quo modo ex ejus venere veniens Virgo concepit: quo modo & in partu Virgo permanſit: quo modo quatriduanus mortuus Chriſti juſſione ſuſcitatus, ligatus manibus ac pedibus de ſepulchro exiit, quem poſtmodum ſolvit Dominus per Diſcipulos juſſit: quo modo idem Redemptor noſter in vera carne atque oſſibus reſurgens, clauſis oſtiis ad Diſcipulos intravit: Ecce hæc inveſtigare non vales, & tamen credis. Cur ergo de reſurrectionis gloria diſputando & diſcutiendo dubitas, qui tam multa Myſteria ſine diſcuſſione credidiſti? Qui tamen ſi reſurrectionem carnis non credis; omnia ſine cauſa credidiſti: quia in hoc Angelorum ſpectaculo videris velociter currere, ſed poſtquam curſum peregeris, ne bravium accipias; averteris. Divinæ autem virtutis Myſteria, quæ comprehendi non poſſunt, non intellectu diſcutienda ſunt, ſed fide veneranda. Sciendum itaque nobis eſt, quod quicquid ratione hominis comprehendi poteſt, mirum eſſe jam non poteſt: *ſed ſola eſt in miraculis ratio, potentia facientis*. Interim vero ex morte & reſurrectione continua quam in natura cernimus, diſcamus mori peccato, & Deo vivere: excitetur ſpes noſtra ad expectandum deſtructionem vitæ & corporis Adami, ejuſque reparationem ad ſimilitudinem Jeſu Chriſti, in vita ſua immortali & glorioſa.

Non ſola veritas, ſed & modus myſteriorum ſimpliciter & humiliter credi debet.

S. Gregor. M. Hom. 20. in Ezechielem.

Reſurrectio corporum nequaquam impoſſibilis.

Nat. Alex. in Ep. D. Pauli Tom. I.

44. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*. Quis explicare poteſt juſtorum in futuro ſæculo gloriam, ſive ſecundum ſpiritum, ſive ſecundum corpus? *Quæ bona in illa beata vita faciet eos ſumere, pro quibus in hac miſera unigenitum Filium ſuum voluit uſque ad mortem mala tanta perferre? Unde Apoſtolus de ipſis in illud regnum prædeſtinatis loquens,* „ Qui proprio, *inquit*, Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo nobis omnia donabit? *Cum hæc promiſſa complebitur, quid erimus? quales erimus? quæ bona in illo regno accepturi ſumus, quandoquidem Chriſto moriente pro nobis tale jam pignus accepimus? Qualis erit ſpiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec ſub quo jaceat, nec cui cedat, nec contra quod ſaltem laudabiliter dimicet, pacatiſſima virtute perfectus? Rerum ibi omnium quanta, quam ſpecioſa, quam certa ſcientia, ſine errore aliquo vel labore, ubi Dei ſapientia de ipſo ſuo fonte potabitur, cum ſumma felicitate, ſine ulla difficultate? Quale erit corpus, quod omni modo ſpiritui ſubjectum, & eo ſufficienter vivificatum, nullis alimoniis indigebit? Non enim animale, ſed ſpiritale erit, habens quidem carnis, ſed ſine ulla carnali corruptione ſubſtantiam*. Corpus iſtud animale, quod in terra velut granum condendum eſt, per pœnitentiam & mortificationem præparemus, ut in gloriam germinare poſſit. Quis agricola timeat ne granum ab ipſo ſeminatum moriatur? Quis tempus meſſis diu differre ſtudeat? Id nos facimus,

S. Aug. lib. 22. De Civit. Dei, cap. 24.

Rom. 8. 32.

Bona futuræ vitæ.

cum mortificationem corporis noſtri fugimus, cum mortem timemus, qua ſeminatur corpus in corruptione, ut reſurgat in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ut reſurgat in gloria; ſeminatur in infirmitate, ut reſurgat in virtute; ſeminatur animale, ut reſurgat ſpiritale, & conformatum corpori claritatis Chriſti.

Imago terreni, & cœleſtis hominis, Adami & Chriſti.

47. 48. 49. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* Primi hominis, Adami ſcilicet imago, peccatum eſt, & pœnæ peccati, in animam corpuſque derivatæ, ignorantia, propenſio ad malum, concupiſcentia, mortalitas. Imago ſecundi hominis, ſcilicet Chriſti, ſanctitas, amor juſtitiæ & veritatis, immortalitas glorioſa animæ & corporis. Hominis terreni imaginem huçuſque portavimus rerum terrenarum amore: portare incipiamus imaginem cœleſtis hominis amore cœleſtium rerum, & cœleſti converſatione. Efficimur quod amamus: ſi terram amaveris, terra es; ſi cœlum amaveris, cœlum es; ſi Chriſtum amaveris, Chriſtus es. „ *Qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.* “ Ad imaginem terreni pertinet vetus Teſtamentum, ad imaginem cœleſtis novum Teſtamentum. Sed ne quiſquam putaret ab alio factum eſſe hominem terrenum, ab alio cœleſtem; ideo Deus oſtendens ſe eſſe utriuſque creatorem, etiam utriuſque Teſtamenti ſe eſſe voluit autorem; ut & terrena promitteret in vetere Teſtamento, & cœleſtia in Novo Teſtamento. Sed quandiu prius homo terrenus es, quandiu terrena ſapis? Numquid quoniam puero dantur quædam puerilia ludicra, quibus puerilis animus avocetur, propterea grandeſcenti non ei excutiuntur e manibus, ut aliquid jam utilius tractet, quod grandem decet? Verumtamen tu ipſe dediſti filio tuo, & nuces parvulo, & codicem grandi? Non ergo quod illa quaſi ludicra puerorum Deus per Novum Teſtamentum excuſſit de manibus filiorum, ut aliquid utilius daret grandeſcentibus, propterea priora illa non ipſe dediſſe putandus eſt; Ipſe utrumque dedit. Sed *Lex* ipſa *per Moyſen data eſt, Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*: Gratia, qua impletur per caritatem, quod per litteram jubebatur; veritas, qua redditur quod promittebatur .... Hæc dicimus, Fratres, ut homines de Novo Teſtamento diſcatis non inhærere terrenis. Si enim illi inexcuſabiliter terrenis inhæſerunt, quibus ipſum Novum Teſtamentum nondum fuerat revelatum; quanto inexcuſabilius terrena ſectantur, quibus jam promiſſa cœleſtia in Novo Teſtamento revelata ſunt? „

S. Aug. Enarr. in Pſal. 73. n. 2. & 3.

Homines ad novum Teſtamentum pertinentes non debent inhærere rebus terrenis.

Caro noſtra per mortificationem beatæ incorruptioni præparanda.

50. *Hoc autem dico, Fratres: Quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit.* Expoliari neceſſe eſt, ut ſuperinduamur; veteris hominis exuviæ deponendæ ſunt, ut induamur Dominum Jeſum Chriſtum: expurganda eſt anima a vitiis & pravis affectibus, ut ſanctitatis & juſtitiæ Chriſti Jeſu ſit particeps. Corpus animale & corruptibile deponendum eſt & deſtruendum ut reſurgat cœleſtibus, ſpiritualibuſque qualitatibus & dotibus indutum & ornatum in gloria. Renovemus itaque in dies animam noſtram per interiorem pœnitentiam, & per incrementa virtutum, ſanctificationem noſtram perſeveranter operantes in timore & caritate Dei. Carnem noſtram mortificemus, & per continentiam, jejunia, vigilias, abſtinentiam ab omnibus ſæculi voluptatibus, incorruptioni, æternæque gloriæ præparemus. *Qui* enim *in carne ſunt*, id eſt, qui *opera carnis* faciunt, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, *Deo placere non poſſunt*, beatam incorruptionem, & *regnum Dei non conſequentur*. Et, *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam*. „ Peccato ſcilicet mortali vita carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam caro & terra nominatur, & quamdiu ita eſt, regnum Dei non poſſidebit, & eripitur ei quod amat. Id enim amat, quod & minus eſt quam vita, quia corpus eſt; & propter ipſum peccatum, quod amatur fit corruptibile, ut fluendo deſerat amatorem ſuum, quia & ille hoc amando deſeruit Deum. Præcepta enim ejus neglexit dicentis: Hoc manduca, & hoc noli: Trahitur ergo ad pœnas, quia diligendo inferiora, in egeſtate voluptatum ſuarum & in doloribus apud inferos ordinatur. Quid eſt enim dolor, qui dicitur corporis, niſi corruptio repentina ſalutis ejus rei, quam male utendo anima corruptioni * obnoxiavit? Quid autem dolor, qui dicitur animi, niſi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui ſe poſſe ſperaverat? Et hoc eſt totum quod dicitur malum, id eſt, peccatum, & pœna peccati. Si autem dum in hoc ſtadio vitæ humanæ anima degit, vincat eas, quas adverſum ſe nutrivit cupiditates fruendo mortalibus, & ad eas vincendas gratia Dei ſe adjuvari credat, mente illi ſerviens & bona voluntate, ſine dubitatione reparabitur, & a multis mutabilibus ad unum incommutabile revertetur, reformata per Sapientiam non formatam, ſed per quam formantur univerſa, frueturque Deo per Spiritum ſanctum, quod eſt donum Dei, per quem & corpus in reſurrectione ſpiritale fiet, ac incorruptibile. „

Rom. 8. 8.

Galat. 5. 19.

Galat. 6. 8.

S. Auguſt. lib. De vera Religione, cap. 12.

*Obnoxiavit id eſt, fecit obnoxium. Hoc verbum ut antiquis Formulis uſitatum. Vide Cangium in Gloſſario.

Reprobi etiam reſurgent, ſed non immutabuntur in melius.

51. *Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Reſurgent boni, reſurgent & mali; ſed boni, ut ſempiterna beatitudine perfruantur, mali ut perpetuo igne puniantur. Reſurget pius populus, ut veteris hominis ſui reliquias transformet in novum. Reſurget autem impius populus, qui ab initio uſque ad finem veterem hominem geſſerit, ut in ſecundam mortem præcipitetur. Habebunt ſancti incorruptionem, de qua æternum gaudeant: habebunt mali corruptionem carnis, in qua æternum doleant, non in qua moriantur; alioqui & dolores eorum finirentur. Cor impræſentiarum immutemus, ut aliquando corpus noſtrum in melius immutetur. Cor a rebus terrenis & corruptibilibus avertamus & ſeparemus, ſi corpus noſtrum aliquando immortale & incorruptibile fieri volumus. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. „ Felix illa immutatio illorum erit, qui modo habent reſurrectionem ſpiritus per fidem: de qua reſurrectione dicit Apoſtolus; „ *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Quomodo morimur ſecundum ſpiritum, & reſurgimus ſecundum ſpiritum: ſic poſtea morimur ſecundum carnem, & reſurgimus ſecundum carnem. Secundum ſpiritum mors eſt, non credere vana quæ credebat, non facere mala quæ faciebat. Secundum ſpiritum reſurrectio eſt credere ſalubria quæ non credebat, & facere bona quæ non faciebat. Qui terrena idola & figmenta Deos putabat, unum Deum cognovit, in eum credidit, mortuus eſt in idololatria, reſurrexit in fide Chriſtiana. Ebrioſus erat, ſobrius eſt; mortuus eſt ab ebrietate, reſurrexit in ſobrietate. Sic ab omnibus malis operibus cum receditur mors quædam fit in anima, & in ejus bonis operibus reſurgit. „ *Mortificate*, inquit Apoſtolus, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus*. „ Mortificatis ergo iſtis membris, reſurgimus in bonis quæ ſunt iſtis contraria, in ſanctitate, in tranquillitate, in caſtitate, in eleemoſynis. Quomodo autem præcedit mors ſecundum ſpiritum reſurrectionem quæ eſt ſecundum ſpiritum: ſic præceſſura eſt mors ſecundum carnem reſurrectionem quæ futura eſt ſecundum carnem: qua reſurrectione Sancti ſimiles erunt Angelis Dei, imo Chriſto regi & domino Angelorum. In via ambula, venies ad patriam, ſi non deſeras viam. Tenete ergo Chriſtum. Fratres, tenete fidem, tenete viam: ipſa vos perducet ad id quod videre modo non poteſtis. In illo enim Capite apparuit, quod ſperetur in membris; in illo fundamento demonſtratum eſt quod in noſtra ædificetur fide, ut poſtea perficiatur in ſpecie.

Mori & reſurgere ſecundum ſpiritum, quid ſit?

Coloſſ. 3. 1.

Coloſſ. 3. 3.

S. Auguſt. Serm. 302. alias De Diverſis 121.

54. 55. 56. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors victoria tua; Ubi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt, virtus vero peccati lex*. Fortiter & perſeveranter pugnandum eſt, ut tam glorioſæ victoriæ participes ſimus. Toto mortalis hujus vitæ tempore pugnandum; ſed tempus breve eſt. Victoria non fruamur niſi in vita cœleſti, ſed vita illa æterna erit. Nondum tempus eſt hoſtibus inſultandi, ſed nos humiliandi coram Deo, gemendi & timendi in expectatione mortis, cujus genus, hora, & ſors æterna conſequens, incerta. Vigilandum, orandum, reſiſtendum eſt, ut ſtimulum mortis, ſcilicet legem peccati in membris noſtris dominantem retundamus & frangamus. Ita fiet ut de utroque hoſte, peccato ſcilicet ac morte victores ſimus. Verum peccatum magis timeamus, horreamus, fugiamus quam mortem: ſiquidem nocere nobis mors non poteſt, niſi cum peccato conjuncta. Mortem vincere non poſſumus, niſi peccato ad mortem uſque reſiſtamus: Peccatum porro vincere & deſtruere in nobis non poſſumus, niſi legem impleamus per caritatem. *Lex enim*

Fortiter & perſeveranter pugnandum, ut peccati & mortis victores ſimus.

S. Auguſt.

probi-

Digitized by Google

S. Chryſoſt. Homil. 42.

prohibendo auget peccati cupiditatem, niſi diffundat Spiritus caritatem. Quod autem lex peccatum fortius ac gravius fecerit occaſione data, quia ad cognoſcendum peccatum, & conſequenter ad augendum ſupplicium non parum contulit, non eſt culpa in cœleſtem Medicum referenda, ſed in ægrum, qui male uſus medicamento eſt. Nam Chriſti quoque adventus Judæis occaſio fuit gravioris peccati: ſed non ideo eum vituperabimus, immo admirabimur; illos autem magis odio habebimus, qui læſi ſunt per ea quæ illis prodeſſe debebant. Nam ut ſcias legem per ſe vim non dediſſe peccato, Chriſtus ipſam totam implevit, & tamen ſine peccato fuit. Ipſo adjuvante pugnemus contra peccatum, contra pravas cupiditates, contra ſæculi voluptates & terrores, contra diaboli tentationes, in hoc exilio, dum a Domino peregrinamur, ut victoria & plena atque æterna pace in Patria cœleſti perfruamur. „Aggæus

S. Aug. Enarr. in Pſal. 148. num. 4.

„ & Zacharias eo tempore quo captivus populus „ tenebatur in Babylonia, prophetabant jam futurum „ finem captivitatis, ut reſtauraretur civitas „ Jeruſalem, quæ bello ceciderat. Significaverunt „ ergo nobis in Myſterio vitam futuram, ubi laudabimus „ Deum, poſt captivitatem vitæ præſentis, „ ubi erit innovatio civitatis illius magnæ Jeruſalem, „ unde peregrini ſuſpiramus, captivitati „ adhuc ſub onere & ſarcina corporis mortalis, „ unde adhuc gemimus in peregrinatione, exultabimus „ autem in Patria. „ *Qui autem non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia deſiderium non eſt in illo*. Modo quid dicit Apoſtolus? *Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur a Domino*. „ Nondum ſumus in „ Patria: quando erimus in Patria? Quando triumphabimus „ devicto inimico diabolo, quando mors „ noviſſima inimica deſtruetur: tunc fiet ſermo qui „ ſcriptus eſt, *Abſorpta eſt mors in victoriam. Ubi eſt* „ *mors contentio tua? Ubi eſt mors aculeus tuus?* „ Quando ergo nulla erit mortis contentio, quæ „ modo eſt, & facit nos gemere ex defectu & mutabilitate „ rerum, & fragilitate carnis humanæ? „ *Contendunt nobiſcum quotidie tentationes, contendunt quotidie delectationes: etſi non conſentiamus, tamen moleſtiam patimur, & contendimus; & magnum periculum eſt, ne qui contendit vincatur: ſi autem non conſentiendo vincamus, moleſtiam tamen patimur reſiſtendo delectationibus. Non ceſſat, & non moritur hoſtis, niſi in reſurrectione mortuorum*. „ Sed confidamus, erigunt „ nos Aggæus & Zacharias, cantant futuram liberationem „ noſtram. Si illi populo cantaverunt, & „ impletum eſt. Chriſtiano populo quod cantatur, „ non implebitur? Securi eſtote: tantummodo in iſta „ peregrinatione vitæ quomodo agatis, videte. Non „ vobis placeat amor Babyloniæ, ne obliviſcamini „ civitatem Jeruſalem. „ *Etſi corpus veſtrum adhuc* „ *in Babylonia tenetur, cor veſtrum ad Jeruſalem præmittatur*.

Omnis de peccato victoria gratiæ Chriſti tribuenda.

Innocentius I. Epiſt. ad Synodum Carthaginenſem contra Pelagianos inter Auguſtinianas 181. alias 91.

57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Omnis de peccato victoria, quæ ad veram juſtitiam ac ſalutem conducat, gratiæ Dei per Jeſum Chriſtum tribuenda eſt. Neque enim voluntas noſtra, neque lex ad tentationes vincendas ſufficit. Unde *Niſi magnis precibus gratia in nos impetrata deſcendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere poterimus errores, cum pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium*. Quotidiana porro præſtat ille, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum *remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur*, in pugna quæ cum carne, mundo, & diabolo quotidie nobis ſuſtinenda eſt, victores non evademus. *Neceſſe eſt enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*. Et, *Non eſt peccatum quod facit homo, quod non poſſit facere & alter homo, ſi deſit Rector a quo factus eſt homo*.

S. Aug. Serm. 99. alias Homil. 23. inter 50.

58. *Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino*. Sine gratia Jeſu Chriſti nihil in nobis eſt niſi indignitas & peccatum. Ad illum igitur confugiamus, eique adhæreamus fide viva & ſtabili, oratione humili & perſeverante. Per ipſum, cum ipſo, in ipſo, propter ipſum operemur abundanter, ferventi caritate. Præmium æternum laboris noſtri & bonorum operum ab ejus bonitate, miſericordia, veritate, magnificentia exſpectemus ſpe firma & inconcuſſa. *Abundantes in opere Domini ſemper*: hoc eſt, in vita munda. „ Nec dixit, bonum operantes, ſed *abundanter*, „ ut hoc faciamus cum abundantia & ſepta tranſiliamus. „ *Scientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino*. Labor quidem, ſed qui habet coronas, & „ ſuſcipitur pro cœlis. Nam prior quidem qui fuit „ poſt Paradiſum, eſt pœna peccatorum admiſſorum; „ hic autem eſt fundamentum futurorum præmiorum. „ Quamobrem neque hac ratione fueris „ labor, & quod ſuperne magnum nobis detur auxilium. „ Et ideo ſubjunxit, *In Domino*. Nam prior „ quidem fuit ut daremus pœnas: hic autem ut „ bona futura conſequamur. Neque enim fieri poteſt, „ ut ſi pigri ſumus & ignavi regnum cœlorum „ conſequamur; neque ſi in deliciis agamus, molleſque „ ſimus & effeminati. Præclare enim nobiſcum „ agatur, ſi corpus affligentes & caſtigantes, & „ innumerabiles ſufferentes ærumnas, difficultates „ & labores, poſſimus bona illa conſequi. "

C A P U T XVI.

Senſus Litteralis.

1. 2. **D**E *collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita facite*. Quod ſpectat collectas ſeu collationes eleemoſynarum, quæ fiunt ad ſublevandam paupertatem fidelium in Judæa degentium, id facite, & eum modum ſervate, quem conſtitui ac præcepi Eccleſiis Galatiæ, quibus inferiores eſſe caritate & pia liberalitate non debetis. *Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non cum venero, tunc collectæ fiant*. Unuſquiſque veſtrum prima die hebdomadæ, hoc eſt, Dominica die, apud ſe ſeponat, ut collatio ſit minus gravis, dum fit per partes, & ſeorſim cumulatur, & recondat quod voluerit, pro modo ſuarum facultatum, vel apud ſe, vel in Eccleſiæ gazophylacio, ut collectæ ad adventum uſque meum non differantur, ſed paratas inveniam, ut ſtatim mitti poſſint. Ita conſtituit Apoſtolus, ut turpis quæſtus ſuſpicionem vitaret, ac ne aliquid ex pecuniis collectis in proprium utilitatem convertere ab aliquibus crederetur. Ideo pecuniarum illarum cuſtos eſſe noluit, ſed eas ab unoquoque ſeorſim ſeponi, & in Eccleſiæ gazophylacio, vel apud ſe in privatis arculis recondi.

Collectæ eleemoſynarum ad ſubſidium pauperum Chriſtianorum Hieroſolymis degentium a S. Paulo indicta.

3. *Cum autem præſens fuero, quos probaveritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem*. Cum venero Corinthum, quos fideles & idoneos ad hanc diſpenſationem & miniſterium probaveritis, per Epiſtolas, ſive cum Epiſtolis præſentiæ meæ vicem ſupplentibus, illos mittam, & teſtimonio meo proſequar, beneficium veſtrum Hieroſolyma perferentes. *Ego quoque mittam vobiſcum, & muneris obeundi ero particeps per litteras*, ut exponit S. Chryſoſtomus. *Quod ſi dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt*. Si ſumma collecta tanta erit ut conveniens fuerit me Hieroſolymam proficiſci ad gratiam veſtræ caritatis donum perferendum, non ibo ſolus, ſed eos comites itineris aſſumam, ut fidei meæ teſtes. His verbis, *ſi dignum fuerit*, tacite eos ad largiorem eleemoſynam hortatur, quæ ſcilicet Apoſtolo perferentis non ſit indigna miniſterio.

S. Chryſoſt. Hom. 43.

S. Chryſoſt. Theophylact.

5. 6. 7. *Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo*. Non ait, in Macedoniam proficiſcor, ne obiiciant, Nobis ergo Macedones prætulit; ſed tranſeo Macedoniam, hoc eſt, feſtinanter & velut in tranſcurſu Macedones inviſam. *Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo, ut vos me deducatis quocumque iero*. Quibus verbis indicat quod eos Macedonibus anteponat, ob Eccleſiæ Corinthiorum magnitudinem & dignitatem. Quin etiam hoc verbo, *permanebo*, terrorem incutit peccantibus, ut Theophylactus obſervat. Addit notam *forſan*, quia haud ſatis certus erat. Non enim compertum habebat, permittere tunc ei a Spiritu ſancto, an ſecus. Ductum enim Spiritus ſancti in omnibus peregrinationibus ſuis ſequebatur. Secunda hæc Apoſtoli in Macedoniam deſtinata profectio eſt, ut conſtat ex *Actuum* 19. 21. & cap. 20. 1. 2. 3. Collatis cum *Act*. 16. 9. & 10. Corinthi autem manſit per tres menſes. Quod vero addit, *Ut vos me deducatis quocumque iero*, honorificum ipſis Corinthiis promiſſum eſt. Fideles enim maximo ducebant honori Apoſtolum ſuum ab ipſis diſcedentem comitari, & viæ ſubſidium illi ſubminiſtrare; idque Corinthios vehementer optare Paulus noverat. *Nolo enim vos modo in tranſitu videre, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit*. Nolo enim vos, poſtquam Epheſo diſceſſero, obiter dumtaxat videre, & quaſi occaſione data: ſpero enim fore ut aliquanto tempore apud vos maneam, ſi Deus conceſſerit.

8. 9. *Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten*. Moram faciam Epheſi, ubi nunc commoror, & unde ad vos hanc Epiſtolam ſcribo, ad diem uſque Pentecoſtes Judæis ſolemnem. *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & evidens: & adverſarii multi*.

Oppor-

Digitized by Google

Opportuna & præclara mihi datur occaſio dilatandi Evangelii, ſpes magna converſionis plurimorum ad fidem Chriſtianam affulget. Meſſis multa ob amplitudinem civitatis, & corda multorum ad audiendam Evangelii prædicationem, & ad obediendum fidei a Deo præparata. Quamquam & multi ſunt ibi hoſtes Evangelii, qui ſpem tam egregii fructus impedire nituntur; ideo me diutius hic manere neceſſe eſt, ut eorum conatibus me opponam. Græci legunt: Θύρα γάρ μοι ἀνέῳγε μεγάλη ϗ ἐνεργής. *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & efficax.*

10. 11. *Si autem venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego.* Si venerit ad vos Timotheus, quem miſi, curate ut ſine periculo & moleſtia ſit apud vos; cavete ne quidam ex vobis opibus & ſæculari ſapientiæ opinione turgidi adverſus eum inſurgant, illique ſtruant inſidias vitia illorum objurganti. Mihi enim cooperatur in Apoſtolico munere, & Chriſti Evangelium pro viribus promovet. *Ne quis ergo illum ſpernat*, ob adoleſcentiam: imino potius illum pro meritis unuſquiſque veſtrum revereatur. *Deducite autem in pace, ut veniat ad me.* Salvum & incolumem dimittite, comitatum, & ſi opus eſt, neceſſariis inſtruite, ut ſoſpes ad me veniat Epheſum. *Expecto enim illum cum fratribus*, quos habent in comitatu, quia ejus opera mihi neceſſaria eſt in Apoſtolico Miniſterio.

12. *De Apollo autem fratre notum vobis facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit.* Quod attinet ad Apollo fratrem meum, enixe eum rogavi ut vos inviſeret, aliquibus fratribus noſtris comitatus: ſed non potui ab eo obtinere ut nunc ad vos ſe conferret, quia alia magis urgentia negotia illum diſtinebant.

A & .18.

Veniet autem cum tempus opportunum nactus fuerit, & ab aliis rebus vacaverit. Apollo Timotheo natu grandior, vir eloquens & eruditus in Scripturis, apud Corinthios poſt S. Paulum in Miniſterio Evangelico utiliter laboraverat: unde Paulus ſupra ſcribit: *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Quamobrem minime dubitabat quin ejus præſentiam magis deſiderarent, quam Timothei junioris. Rogavit autem Apoſtolus Apollo ut Corinthios inviſeret, quamvis poſſet præcipere: quia, ut obſervat S. Thomas, magnis viris non facile debet fieri præceptum. *Seniorem ne increpaveris*, ait Apoſtolus noſter ad Timotheum ſcribens.

Cap. 2. S. Thomas, Lib. 1. 2. 11. tenam cap. 5 Epiſt. ad Timoth.

Apollo fuiſſe Corinthiorum Epiſcopum: propter diſſenſiones Corinthi ortas ad vicinam Inſulam Cretam cum Zena legis Doctore transfretaſſe; diſſenſionibus vero Pauli Epiſtola temperatis & ſedatis rediiſſe, S. Hieronymus cenſet.

13. 14. *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* De ſalute veſtra ſolliciti eſtote, & a male ſuadentium inſidiis cavete, ne fidei veſtræ ſinceritatem corrumpant. In fide, quam accepiſtis, inconcuſſi & immobiles permanete; fortes eſtote, ut viros Chriſtianos decet, & adverſus perſecutiones religionis cauſa vobis imminentes animum obfirmate. *Omnia veſtra in caritate fiant.* Omnia opera veſtra ex imperio & affectu caritatis facite, ad ultimum finem, qui Deus eſt propter ſe dilectus, ea referentes. Ita fiet ut non ſint inter vos æmulationes, diſſenſiones, contentiones, ſchiſmata. Adverſus ſeductores munit eos his verbis: *Vigilate, ſtate in fide.* Adverſus inſidiatores & perſecutores, illis: *Viriliter agite & confortamini.* Adverſus ſeditioſos, illis: *Omnia veſtra in caritate fiant.*

S. Chryſoſt. Hom. 44.

15. 16. *Obſecro autem vos, Fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium Sanctorum ordinaverunt ſe ipſos.* Noſtis familiam Stephanæ, necnon Fortunati & Achaici familias, qui primi in Achaia Evangelio crediderunt, & ſe ipſos ad exercendam hoſpitalitatem & beneficentiam in Chriſtianos egenos & peregrinos, & maxime in Prædicatores Evangelii, ultro devoverunt. Græci Codices hic ſolius Stephanæ meminerunt. *Ut & vos ſubditi ſitis ejuſmodi, & cooperanti & laboranti.* Vos hortor & obſecro, ut eis debitam reverentiam deferatis, eoſque adjuvetis & ſumptu, & miniſterio corporali, ac eis obſequentes vos præbeatis: nec illis tantum, ſed omnibus qui nobis in re Evangelica promovenda cooperantur & collaborant; ſive omnibus qui Sanctorum miniſterio pariter ſe devovent.

Stephanas, veri nomen.

Theophylact.

17. 18. *Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id quod vobis deerat, ipſi ſuppleverunt.* Gaudeo de adventu Stephanæ, Fortunati & Achaici. Hi enim pro vobis omnibus venerunt, & propter vos hoc iter ſuſcepere, ſtatum rerum veſtrarum, defectuſque veſtros mihi uberius explicaturi: *Refecerunt enim & meum ſpiritum, & veſtrum.* Sua præſentia & colloquiis recrearunt & conſolati ſunt animum meum, qui & veſter eſt vinculo caritatis. Cum enim anima una & cor unum in Domino ſimus, conſolatio mea, veſtra quoque eſt. Recreaverant animum S. Pauli, ipſi referentes multos adhuc eſſe in Eccleſia Corinthi, qui vera dogmata ab illo tradita retinerent, pietatem & pacem colerent: recrearunt viciſſim pios illos, cum iis ſignificarunt quo amore Paulus eos proſequeretur. *Cognoſcite ergo qui hujuſmodi ſunt.* Illos in honore habete.

19. *Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ.* Minorem Aſiam ſignificat, in qua Epheſus, unde hanc Epiſtolam ſcribit. *Salutant vos in Domino multum Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos & hoſpitor.* Aquila & Priſcilla, apud quos Epheſi commoror, cum omni familia ſua, quæ Chriſtiana eſt, vos magno ſalutant affectu, vobiſque omnia proſpera a Domino adprecantur. In Græcis Codicibus verba non leguntur his æquivalentia ſeu reſpondentia, *Apud quos & hoſpitor*; nec in Syriaca Verſione. Id tamen Græci Interpretes intellexere, inter alios Theodoretus: *Cum his*, inquit *habitavit divinus Paulus: erant quippe ipſi etiam tabernaculorum opifices.*

20. 21. *Salutant vos omnes fratres*, id eſt, omnes fideles, qui ſunt Epheſi *Salutate invicem in oſculo ſancto.* Vos invicem ſalutate oſculo minime fucato, oſculo quod ſanctos decet, quod ſinceri & Chriſtiani amoris ſymbolum & pignus eſt. Oſculum pacis velut antidotum contra diſſenſiones quæ apud illos irrepſerant, illis præſcribit. *Salutatio mea manu Pauli.* Ego Paulus huic Epiſtolæ, quam dictavi, ſalutationem iſtam adſcripſi propria manu, ſic oſtendens omnia mea eſſe quæ ſcripta ſunt.

22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, anathema ſit, Maran Atha.* Si quis erga Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum male affectus eſt, ipſumque & Evangelium ejus odit & impugnat, & illum verum Meſſiam a Deo promiſſum & miſſum eſſe negat, maledictus ſit & execrandus, æternoque devoveatur exitio. Judæos incredulos præcipue ſpectat hæc maledictio, qui Dominum Jeſum verum eſſe Meſſiam ac Dei Filium negabant. Unde ſubdit Apoſtolus: *Maran-Atha*, quæ voces Syriacæ ſunt, & ſignificant: *Dominus venit*, fruſtra Judæi alium Meſſiam exſpectant, & Dominum Jeſum odiis pertinacibus inſectantur. Vel, Dominus veniat ad judicium, illos judicaturus & damnaturus. Confer cum Malachiæ 4. 6. *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.*

S. Hieron. Ep. 137. ad Marcellam.

Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema. Uno hoc verbo cunctos terret Apoſtolus, fornicatores, diſſidiorum auctores, idolothyta manducantes, reſurrectionem non credentes, adeoque omnes ſimpliciter, qui apud eos contra ipſius inſtitutionem & traditionem agebant: Hi enim omnes non amant Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Theophylact.

23. 24. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.* Omne bonum ſalutare vobis a Deo adprecor per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Caritas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu.* Vos omnes ſincera caritate in Chriſto Jeſu diligo & complector, & propter ipſum: & ex ea dilectione gratiam ejus, quæ fons eſt omnis boni, vobis exopto. *Amen.* Ita eſt. His verbis oſtendit Apoſtolus, quæ a ſe ſcripta ſunt neque indignationis, neque iracundiæ verba fuiſſe, ſed caritatis & curæ, etiamſi amaritudinis nonnihil præferrent.

C A P U T XVI.

Senſus Moralis.

1. 2. De *collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* Bonus Paſtor pater & proviſor pauperum eſſe debet; verbo & exemplo alios adhortari & urgere ut pauperibus ſuccurrant. Auctoritas conjuncta ſit caritati, illique ſerviat. Non meri conſilii, ſed officii & præcepti eleemoſynam eſſe doceat, & fidelibus curæ ſuæ Paſtorali ſubditis inculcet. *Sicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* 2. Fideles & pios in erogatione eleemoſynarum ceteris præferendos; tametſi nemo pauper ſit negligendus. *Quæ fiunt in ſanctos.* 3. Caritatis opera partem eſſe Chriſtianæ religionis, conſequenter & ſanctificationis diei Dominicæ. Dignum & juſtum eſt, ut iis diebus plus Deo demus in perſona pauperum, quibus ab illo majora beneficia accepimus, & etiamnum accipimus. *Per unam Sabbati.* Eleemoſyna die Dominico facienda, velut decima eſt bonorum, quæ hebdomada præ-

Bonus Paſtor pater & proviſor pauperum.

Eleemoſyna Chriſtiana.

Digitized by Google

præcedente, proſperante Deo obvenerunt; & primitiæ eorum, quæ ipſa hebdomada, cujus prima dies Dominica eſt, in noſtros uſus ſunt inſumenda. 2. Eleemoſynam uniuſcujuſque facultatibus proportionatam eſſe debere; bono, prompto, & alacri animo fieri. *Unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit.* „ Recordemini, inquit, quanta beneficia Dominica die a Domino conſecuti eſtis. Bona enim ineffabilia, & radix & initium vitæ noſtræ ea die facta ſunt. Non hac autem ſolum ratione aptum eſt tempus ad eleemoſynam, ſed & quod habeat quietem ac remiſſionem, immunitatemque & vacationem a laboribus. Nam anima a negotiis & curis libera, expeditior & aptior ad miſerendum eſt. Præterea, venerandis & immortalibus communicare Myſteriis (quod boni Chriſtiani primis Eccleſiæ ſæculis, Dominica die non prætermittebant) magnam affert alacritatem. *Per unum ſabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit.* „ Unuſquiſque, inquit, ſive pauper, ſive dives; ſive vir, ſive mulier; ſive ſervus, ſive liber, apud ſe ſeponat recondens. Non dixit, Ferat in Eccleſiam, ne propter exiguitatem eleemoſynæ erubeſcant: ſed cum iis quæ paulatim ſiunt collectionibus auxerit collationem, cum acceſſero, expromat & erogat. Interim, inquit, apud te ſepona; & domum tuam fac Eccleſiam, arculam gazophylacium: eſto cuſtos ſacræ pecuniæ, a te ipſo ordinatus diſpenſator pauperum. Benignitas & humanitas dat tibi hoc Sacerdotium. Hujus eſt ſymbolum quod nunc eſt gazophylacium; ſed manet quidem ſymbolum, res autem nuſquam eſt. „ De illo Eccleſiæ gazophylacio Tertullianus Apoſtolicis vicinior temporibus ſcribit: *Etiamſi quod arcæ genus eſt, non de honoraria ſumma quaſi redempta religionis congregatur. Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandiſque, & pueris ac puellis re & parentibus deſtitutis, jamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis vel cuſtodiis, duntaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ ſiunt.* Ad inſtar Eccleſiaſtici gazophylacii unuſquiſque Chriſtianus domeſticum gazophylacium habeat. *Pauperum arculam*, inquit S. Chryſoſtomus, *domi faciamus: & juxta locum in quo ſtas orans, ſita ſit: & quoties ad orandum fueris ingreſſus, depone primum eleemoſynam, & tunc emitte precationem. & ſicut nolueris manibus illotis ad orandum accedere, ſic neque abſque eleemoſyna. Nam ſi Evangelium quidem ſuſpenſum nihil faciens, non adeo magnum accipies utilitatem. Hunc autem habens arculam, habes arma adverſus diabolum; precationem reddis alatam, ſanctam domum conſtruis, quæ habeo alimenta Regis intus recondita. Ideo & juxta lectum ſita ſit arcula, noxque nullis perturbabitur viſis & inſomniis.* „ Tantum nihil in eam injiciatur ex injuſtitia. Fiari non poteſt ut eleemoſyna germinet ex crudelitate. Vultis & vobis dicam undenam impendere & largiri oporteat, ut hac quoque ratione facilem eam collationem faciatis? Artifex cum aliquid vendiderit ex iis quæ ſua arte ſiunt, det Deo primitias pretii. Non magnum quid peto, ſed tantum quantum Judæi, nos qui cœlum exſpectamus, erogemus. Hæc autem dico, non legem ferens, neque prohibens ut plus eroges, ſed æquum cenſens ut non minus deponas quam partem decimam. Hoc autem fac, non ſolum vendens, ſed etiam emens. Hanc etiam legem ſervent, qui prædia poſſident, & decimam proventuum pauperibus erogent. Eam ſervent & qui juſta colligunt vectigalis.

S. Chryſoſt. Hom. 43.

Tertull. Apolog. cap. 39.

S. Chryſoſt. Homil. 43.

Decimas honorum erogandas pauperibus.

3. 4. *Cum autem præſens fuero, quos probaveritis, per Epiſtolas hos mittam, perferre gratiam veſtram in Jeruſalem. Quod ſi dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt.* Hi verſus tria documenta complectuntur. 1. Paſtores & Moderatores conſcientiarum ſummopere cavere debere ne turpis lucri ſuſpicionem incurrant, colligendo eleemoſynas quas diſtribuant pauperibus; aut a Pœnitentibus exigendo ut fidei ſuæ committant, quod pauperibus erogare debuerint, & voluerint. Sed probatis ea propria cujuſque Parochia diſpenſatoribus vel diſpenſatricibus miniſterium illud demandetur. *Quos probaveritis.* 2. Eleemoſynam gratiam eſſe reſpectu divitum: magna enim Dei gratia eſt, quod in eo caritatis officio Dei procuratione erga pauperes fungantur, & quaſi vicarii ſint divinæ providentiæ ad ſuccurrendum egenis. Magna gratia, quod velut ſecundum baptiſma in eleemoſynis habeant, quo peccata abluere & redimere poſſint. Magna gratia, quod Chriſto in pauperibus indigenti aliquid rependere poſſint de ejus donis ac datis, cibos aut nummos pro ſanguine, pro regno cœlorum. *Miſtum perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.* 3. Nullam curam, nullum miniſterium, nullam operam, quæ pauperum levamen & ſubſidium ſpectet, Paſtores, & Apoſtolicos Viros dedecere. *Quod ſi dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt.*

Eleemoſyna gratia eſt reſpectu divitum.

7. *Nolo enim vos modo in tranſitu videre: ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.* Litteræ Paſtorales, frequentes Viſitationes, Manſio aliquanto tempore in locis quæ præſentia Paſtoris indigent ad deſtruendos errores, ad vitia corrigenda, pravaſque conſuetudines evellendas, ad compeſcendas diſſenſiones & conciliandam firmandamque pacem, Paſtoralis caritatis officia ſunt. Sic Viſitationum hujuſmodi excitandi ſunt ſubditorum animi. Verum tamen nihil apud ſe ſtatuant, nihil promittant, niſi ſub Dei beneplacito, „ Si Dominus permiſerit: *Deum* „ *quo laudent in omnibus eventis*, „ *Nam* Qui dirigunt cor ſecundum voluntatem Dei, etſi eos perturbat humana fragilitas, divina conſolatur æquitas: quamvis enim corde mortali privatim aliquid velint, quod ſuæ in rerum cauſſæ vel negotio, vel præſenti neceſſitati conveniat; ubi intellexerint & cognoverint aliud Deum velle; præponunt voluntatem melioris voluntati ſuæ, & voluntatem omnipotentis voluntati infirmi, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim Deus diſtat ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde gerens hominem Chriſtus, & regulam nobis proponens, docens nos vivere, & præſtans nobis vivere, oſtendit hominis quamdam privatam voluntatem, in qua ſuam figuravit & noſtram, quia caput noſtrum eſt, & ad eum tamquam membra pertinemus: *Pater*, inquit, *ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte.* Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid & tamquam privatum volens. Sed quia rectum corde voluit eſſe hominem, ut quicquid in illo aliquantum curvum eſſet, ad illum dirigeret qui ſemper eſt rectus; *Verum non quod ego volo*, ait, *ſed quod tu Pater*. Oſtendit quamdam hominis propriam voluntatem, oſtendit te, & correxit te, Ecce vide, inquit, te in me, quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit, conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati; Aliquid proprium velle, difficile eſt ut non tibi contingat: ſed ſtatim cogita qui ſit ſupra te; illum Creatorem; te creaturam; illum Dominum, te ſervum; illum omnipotentem, te infirmum; & corrige nos te, ſubjungens que voluntati ejus, ac dicens: *Verum non quod ego volo, ſed quod tu Pater.* Quomodo disjunctus es a Deo, qui jam hoc vis quod Deus? eris ergo rectus, & te decebit laudatio.

Paſtoralis caritatis officia.

S. Auguſt. in Pſ. [illegible] 32. En. [illegible] ar. 2.

Voluntas noſtra divinæ voluntati conformanda in omnibus eſt.

8. 9. *Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & evidens, & adverſarii multi.* Opus Dei ſine difficultatibus, ſine contradictionibus, ſine cruce vix peragitur. Qui ad contradictiones hæc expaveſcit, & a Dei opere propter oppoſitiones & perſecutiones hominum deterretur, non attendit ſe Chriſti Crucifixi Miniſtrum eſſe. Quo major profectus eſt, eo majores ſunt dæmonis ad illum impediendum conatus, *Oſtium mihi magnum & evidens apertum eſt, & adverſarii multi.* „ Si multi ſunt qui inſidiantur, hoc ſignum eſt profectus Evangelii. Numquam enim magis ſævit ac furit ſceleratus ille dæmon, quam cum ex ſuis vaſis & inſtrumentis multa videt diripi. Et nos ergo quando magnum aliquod & præclarum opus gerere voluerimus, ne hoc conſideremus quod magni ſit laboris, ſed ad lucrum aſpiciamus, Fide Paulum non propterea vereri ac dubitare, nec propterea ſe proficiſci (?), quod multi ſint adverſarii: ſed quoniam magnum erat oſtium, inſtare & permanere. Nam hoc erat ſignum quod nudaretur & ſpoliaretur diabolus, Non eſt enim ejus qui parva geſſit, aut mala, malam illam beſtiam irritare. Quamobrem quando videris virum juſtum magna ac præclara gerere, & mala pati innumera, ne mireris. Nam mirari oporteret, ſi diabolus multas accipiens plagas eſſet quieturus, & vulnera placide laturus. Neque enim ſi ſerpens punctus continuo efferetur & pungenti inſultet, mirari oportet. Quovis potius ſerpente gravius ſerpit diabolus omnibus inſultans, & ſurgit ſicut ſcorpius in altum erecto ſtimulo, Nec hoc vos conturbet: cum qui a bello, & cæde, & victoria revertitur, neceſſe eſt etiam fuiſſe cruentatum, ſæpe etiam habere vulnera. Et tu ergo cum videris aliquem eleemoſynas facientem, & innumera alia bona operantem, & ſic vires diaboli frangentem, incidere in tentationes & pericula, ne propterea conturberis. Ideo enim incidit in tentationes, quod diabolum vehementer ferierit. Et quomodo, inquis, permittit Deus? Ut magis coronetur;

Opus Dei ſine difficultatibus & contradictionibus vix peragitur.

S. Chryſoſt. Homil. 43.

,, netur ; diabolus vero majorem plagam accipiat .
,, Nam quando juſtus bona fecerit , & gravia ac
,, aſpera patiens perpetuo agit gratias, feritur diabo-
,, lus. Magnum quidem eſt etiam rebus ſecundis &
,, proſpere fluentibus miſereri & virturem amplecti :
,, Multo autem eſt majus gravia & dura patientem
,, non deſiſtere a bona operatione . Is enim eſt qui
,, propter Deum hæc maxime facit . Quomobrem
,, etiamſi in periculum veniamus , & quidvis patia-
,, mur , cum majori animi alacritate pro virtute la-
,, bores ſuſcipiamus. Non eſt enim hic tempus mer-
,, cedis & remunerationis , Ne hic ergo coronas exi-
,, gamus , ne in tempore coronarum minor ſit mer-
,, ces ac remuneratio . Quomodo enim artifices qui
,, ſeipſos alunt , majorem accipiunt mercedem ; qui
,, autem aluntur ab his qui illos conduxerunt , non
,, parvam partem de mercede detrahunt : ita in San-
,, ctis , qui bona facit innumera , & innumera pati-
,, tur mala , integram habet mercedem , & longe ma-
,, jorem remunerationem , non pro bonis ſolum quæ
,, fecit , ſed pro malis etiam quæ paſſus eſt . Qui
,, autem fruitur hic quiete & deliciis , non tam præ-
,, claras illic habet coronas . Ne hic ergo quæramus
,, remunerationem , ſed tunc maxime lætemur ,
,, quando bona agentes , mala patimur . Non ſolum
,, enim ex recte factis , ſed etiam ex tentationibus
,, Deus nobis illic recondit mercedem . Qui bonis
,, operibus inſiſtens , affligitur morbis , rerum ſuarum
,, detrimentis , perſecutiones patitur , & nihilominus
,, in omni opere bono perſeveras , & Deo gratias
,, agit , hic ſervus eſt gratus & benevolus , adeoque
,, majori remuneratione dignus . Si autem non pro-
,, pter ſpem regni præcipue oportet aliquid boni
,, facere , ſed propter id quod Deo videtur ac pla-
,, cet , quod quidem eſt majus quovis regno , quid
,, meretur qui propterea quod non hic accipit remu-
,, nerationem , in exercenda virtute eſt pigrior?

Omnis operа noſtra ex caritate facienda , ut vitæ æternæ meritoria ſint.

13. *Vigilate , ſtate in fide , viriliter agite , & confortamini . Omnia veſtra in caritate fiant .* Amor principium eſt omnium deſideriorum noſtrorum , & omnium affectionum cordis . Qualis amor , talia deſideria ; qualia deſideria , talis vita . Quod a pravo amore eſt , nonniſi pravum eſſe poteſt . Bonus amor , id eſt caritas , omnes Chriſtiani affectus moderari ac cuſtodire , omnia ejus opera imperare , vivificare , & ad Deum , ceu finem ultimum referre debet . Opus quod ad finem caritatis non refertur , non fit eo modo quo fieri debet ut lex impleatur . Sola enim caritas legem implet . *Omnia veſtra in caritate fiant .*

S. Chryſoſt. Hom. 44.

,, Sive quiſpiam increpat , ſive imperat , ſive paret
,, imperio , ſive diſcit , ſive docet , omnia cum cari-
,, tate . Nam & cuncta quæ in Corinthiis ab Apo-
,, ſtolo per hanc Epiſtolam reprehenſa ſunt , fiebant
,, ex eo quod ipſa fuerit neglecta . Nam ſi ea non
,, fuiſſet neglecta , non fuiſſent inflati ; non dixiſſent ,
,, *Ego quidem ſum Pauli , ego autem Apollo* . Si ipſa
,, adfuiſſet , non foris judicio contendiſſent , immo
,, nec contendiſſent quidem . Si ipſa adfuiſſet , ille
,, uxorem Patris non accepiſſet : fratres , qui erant
,, infirmi , non contempſiſſent , hæreſes non habuiſ-
,, ſent , propter chariſmata inanem gloriam non con-
,, cepiſſent . Propterea dixit : *Omnia veſtra in caritate fiant .... Quod igitur ita fit vel timore pœnæ , vel aliqua intentione carnali , ut non referatur ad illam caritatem quam diffundit Spiritus ſanctus in cordibus noſtris , nondum fit quemadmodum fieri oportet , quamvis fieri videatur ,*

S. Auguſt. Enchirid. cap. 121.

Amor Jeſu Chriſti neceſſarius eſt ad ſalutem . Theodoret.

22. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum , anathema ſit .* Qui amant , nullum volunt ha-
,, bere amoris ſocium : divinus autem Apoſtolus omnes
,, in amore ſocios habere deſiderat , & qui tales non
,, ſunt ab Eccleſia reſecat . Qui Domini noſtri Jeſu Chriſti Evangelium , mandata , Eccleſiam , & crucem non amat , ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non amat . Quid juſtius quam illum amare qui prior dilexit nos , & tradidit ſemetipſum pro nobis ; *Si amare pigebat , ſaltem nunc redamare non pigeat .*
,, *Nulla eſt enim major ad amorem invitatio , quam*
prævenire amando : & nimis durus eſt animus , qui
,, *dilectionem ſi nolebat impendere , nolit rependere .*

S. Auguſt. lib. de Catechizandis Rudibus . cap. 4. S. Bernard. Serm. 20. in Cantica.

,, Dignus plane eſt morte , qui tibi , Domine Jeſu ,
,, recuſat vivere , & mortuus eſt , & qui tibi non
,, ſapit , deſipit : & qui curat eſſe niſi propter te ,
,, pro nihilo eſt , & nihil eſt . Denique quid eſt ho-
,, mo , niſi quia tu innotuiſti ei ? Propter temetipſum ,
,, Deus , feciſti omnia : & qui eſſe vult ſibi , & non
,, tibi , nihil eſſe incipit inter omnia . *Deum time ,*
,, *& mandata ejus obſerva : hoc eſt* , inquit , *omnis*
,, *homo* . Ergo ſi hoc eſt omnis homo , abſque hoc ni-
,, hil omnis homo .

Eccleſiaſt. 12.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM II. S. PAULI
AD CORINTHIOS,
COMMENTARIUS
LITTERALIS ET MORALIS;

PRÆFATIO.

CUM Timothæus a Paulo ad Corinthios miſſus ad illum rediiſſet, fructumque ex priori ejus Epiſtola apud illos ortum renuntiaſſet, ſedatas ſcilicet magna ex parte diſſenſiones, fornicarium ad Pœnitentiam adductum, firmatam in eorum mentibus reſurrectionis fidem, majorem in ciborum eſu haberi fratrum infirmorum rationem: Cumque interim Apoſtolus noſter accepiſſet quoſdam ex Judæis qui crediderant, & Legis obſervantiam cum Evangelio conjungendam nihilominus contendebant, undique circumcurſantes, doctrinam ſuam criminari, perſonamque contemnere, quod etiam Corinthi fecerant; alteram ad Corinthios Epiſtolam ſcripſit, qua primum ſe excuſat quod nondum ad eos venire potuerit, ut promiſerat, Epheſi diutius moratus ob tribulationes & pericula opus Domini interturbantia. Deinde veniam indulget inceſtæ fornicationis reo. Tertio, veterem Scripturam cum Nova comparat, non illam parvipendens, ſed hanc excellentiorem eſſe oſtendens: & multo majori in honore eſſe debere Miniſtros Novi Teſtamenti & Spiritus, quam veteris Teſtamenti & litteræ: & Judæos habere velamen ſuper cor ſuum in lectione Scripturarum, quod fide in Chriſtum aufertur. 3. Hortatur eos ad eleemoſynam pauperibus, qui Hieroſolymis agebant, prompto animo tribuendam, Macedonum exemplo. 4. Poteſtatem ſuam aperit, & exantlatos pro Chriſto labores recenſet, non gloriæ cupiditati ſerviens, ſed Pſeudo-Apoſtolos mendacii coarguens, qui illum deprimentes & contemnentes, fructum prædicationis ejus impediebant. Propterea etiam adverſa commemorat quæ perpeſſus eſt prædicando Chriſti fidem, docens hanc eſſe ſortem eorum qui veritatem prædicant. Narrat etiam factas ſibi ante annos quatuordecim divinas viſiones & revelationes. Compulſum ſe eſſe ait ut ſeipſum laudaret. 5. Metuere ſe ſignificat ne ad illos veniens inveniat aliquos diſſenſionibus aliiſque vitiis adhuc involutos. Comminatur denique peccatoribus, ut illos ad pœnitentiam provocet, ne ad ipſos veniens cogatur eos ſevere caſtigare data ſibi a Chriſto poteſtate. Hæc Epiſtola ſcripta eſt ex Macedonia: ex

I. Cor. 8. 16. 17. 18. 19. qua urbe, incertum. Græca, Syriaca, & Latina quædam exemplaria Philippis ſcriptam eſſe docent. Miſſa eſt per Titum & Lucam, eodem anno quo ſuperior, nimirum anno æræ vulgaris 57. a morte Chriſti 24.

C A P U T XVII.

Senſus Litteralis.

1. 2. P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis, qui ſunt in univerſa Achaia.* Vide initium prioris ad Corinthios Epiſtolæ, quod idem eſt, & ejus expoſitionem. Timothei, quem ad Corinthios miſerat, quaſi legatum & Coapoſtolum ſuum, nomen ſuo adjungit honoris cauſſa, utque illum eadem ſecum ſentire ſignificet, cujus doctrina & virtus probatæ ipſis erant. Hanc autem Epiſtolam non ad ſolos Corinthios, ſed ad Chriſtianos omnes Achaiæ, cujus Metropolis erat Corinthus, ſcribit.

2. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Deus Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, gratiam & pacem vobis largiantur. Confer cum Rom. 1. 7. & 1. Corinth. 1. 3.

3. 4. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Laudetur Deus noſter, qui & Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater eſt: a quo miſerationes tamquam a fonte profluunt, qui paterna in nos commiſeratione beneficia ſua profundit: & plenam perfectamque conſolationem afflictis fidelibus amiciſque ſuis impertitur. *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra:* qui nos Evangelii ſui Miniſtros conſolatur in omnibus malis, quæ illius cauſſa patimur: *Ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipſi a Deo:* ut res adverſas perpeſſi, poſſimus alios qui afflictionibus premuntur, conſolari ea conſolatione qua nos ipſos Deus perfundere ac roborare per dona Spiritus ſui dignatus eſt: & ne in rebus adverſis concidant animo, ſed ſolatium a Dei bonitate & miſericordia pariter exſpectent.

5. *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Sicut tribulationes quas pro Chriſti nomine patimur, & quas ille ſuas reputat, quia caput & membra unus Chriſtus, multæ ſunt, graves, redundantes fluminis in modum: ita & per Chriſtum tamquam cauſſam efficientem ac meritoriam, plenam & redundantem conſolationem percipimus.

6. *Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur.* Sive affligimur & perſecutionem patimur, id fit propter eruditionem & ſalutem veſtram, quæ ſalus efficitur in vobis, ſeu a vobis obtinenda eſt per tolerantiam earumdem ſeu ſimilium afflictionum, quas & nos pro Chriſto ſuſtinemus: quia per crucem & multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Sive conſolationem a Deo percipimus, id fit ad veſtram conſolationem, ut & vos ſpe ſimilis conſolationis ad res adverſas patienter ferendas excitemini. Sive erudimur rebus adverſis & perſecutionibus quas patimur, quæ nos infirmitatis noſtræ admonent, & incitamenta nobis ſunt ad virtutem; id fit ad eruditionem veſtram, ut afflictiones vobis ſint adhortationum loco ad humilitatem, ad caritatem, ad patientiam, ad orationem, ad perſeverantiam. Græcus Textus ſic ad verbum redditur: *Sive autem tribulamur, pro veſtra conſolatione & ſalute efficacia in tolerantia earumdem paſſionum, quas & nos patimur: ſive conſolatione afficimur, ſuper veſtra conſolatione & ſalute.* Verſio Syriaca Græco textui conſonat: *Quamvis autem affligimur, pro veſtra quidem conſolatione ac pro veſtra ſalute affligimur: ſive conſolationem accipimus, id fit ut conſolationem accipiatis, & ſit in vobis ſtudium quo ſuſtineatis perpeſſiones illas, quas & nos patimur.* Ex his Verſus texti membris, *Sive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro noſtra exhortatione & ſalute,* alterutrum in Vulgata noſtra Latina redundare videtur, quam hoc loco ex duabus Verſionibus conflatam veriſimile eſt. Hanc juvat conjecturam Ambroſiaſter, apud quem textus ille Verſus ſic legitur; *Sive autem preſſuram patimur pro veſtra exhortatione & ſalute: ſive exhortationem conſequimur pro veſtra exhortatione, quæ operatur per patientiam earumdem paſſionum, quas & nos ipſi patimur.*

Quantas tribulationes paſſus eſt Apoſtolus pro Chriſti nomine.

Lucas Burgenſis, Lucas Mariana. Emanuel Sa. Fromondus, &c.

7. *Ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis.* Quod quidem certam ac firmam nobis parit de conſolatione & ſalute veſtra fiduciam. *Scientes quod ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Cum ſciamus vos fore participes conſolationis, ſicut participes eſtis afflictionum, quas pro Chriſto patienter & conſtanter, ſicut & nos, ſuſtinetis.

8. *Non enim volumus ignorare vos, Fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, ita ut tæderet*

nos etiam vivere. Notam eſſet vobis volumus afflictionem quæ nobis contigit in Aſia minore, in qua Epheſus, in ſeditione ſcilicet a Demetrio argentario excitata; quæ gravis adeo fuit ac vehemens, ut & modum & vires meas excederet, nec ſpes eſſe aut conſilium evadendi: ſive, *ut de vita haſitaremus*, quemadmodum Tertullianus legit. Quod David *mortis portas*, *dolores mortis*, *umbram mortis*, *dolores parturientis* appellat.

Act. 19.
Theodoret.

Tertullian. l. De Reſurrect. Carnis c. 43.

9. *Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, sed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* „ Tanta erat vis perſecutionis, ut animus „ noſter nihil aliud præſagiret ac exſpectaret quam „ mortem. Quid eſt, Reſponſum mortis habuimus? „ inquit S. Chryſoſtomus; Id eſt, ſententiam, judi- „ cium, exſpectationem. Tales enim res ipſæ vo- „ cem emittebant, tale reſponſum dabant ea quæ „ evenerant, quod certiſſime morituri eſſemus. Sed „ Dei potentia ſententiam in opus exire minime paſſa eſt, ut tantis periculis præter exſpectationem erepti, diſcamus non in noſtris viribus, ſed in Deo confidere, qui mortuos ſuſcitat, & certæ morti deſtinatos ab hominibus, ex ſummis periculis eripit.

10. *Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus quoniam & adhuc eripiet*. Vel, ſecundum vim Græci Textus, *Qui e tanta morte nos eripuit, & eripit*. Mortem vocat præſentiſſima pericula mortis; quæ nihilominus ſibi in dies imminere ſignificat, ita ut alia aliis ſuccedant: ſed ab illis ſingulari Dei protectione liberari. In qua ſpem defiximus, quod deinceps nos erepturus ſit ab omnibus periculis, ut opus illius peragamus, & conſummemus.

11. *Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum perſonis, ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis*. Id maxime futurum confido, ſi mihi per orationes veſtras ad Deum pro me fuſas ſubſidio fueritis: ut pro dono mihi collato ob ſalutem & ad preces multorum, etiam gratiæ Deo a multis agantur.

12. *Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos*. Hæc ſolatii & fiduciæ noſtræ ratio eſt, veraque gloria coram Deo, conſcientiæ noſtræ teſtimonium, quod ſimplici & recto animo, & cum ſinceritate magna, Deoque probata: non ſecundum artes & calliditatem prudentiæ ſæcularis; vel, non in prudentia & virtute verborum, nexuque ſophiſmatum; ſed cum ſapientia, quæ mihi a Deo donata eſt, verbo crucis; verbo fidei, ſignis & prodigiis, quæ Dei gratiæ fuerunt, Prædicationi meæ benedicentis, eamque proſperantis, converſatus ſum ubicumque fui, maxime autem apud vos, quibus majora ſimplicitatis & candoris mei argumenta exhibui, gratis & ſine ſumptu Evangelium apud vos prædicans, infirmitati veſtræ parcens, veſtris ingeniis, quantum licuit me accommodans. Pſeudo-Apoſtolos oblique perſtringit, qui nec ſimpliciter converſabantur, propriam gloriam & privata commoda captantes; nec ſincere, ſpeciem præſeferentes pietatis, non veritatem: & humana ſapientia ac eloquentia freti, Apoſtolos Chriſti, & Paulum maxime contemnebant.

13. 14. *Non enim alia ſcribimus vobis, quam quæ legiſtis & cognoviſtis. Spero autem quod uſque in finem cognoſcetis, ſicut & cognoviſtis nos ex parte, quod gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Eorum enim quæ ſcribimus vobis, veritatem legendo cognoſcitis, & ſimplicitatis ac perpetui candoris mei teſtes eſtis. Spero autem quod me cognoſcetis perpetuo talem, nec aliter de me ſentietis, cum ad vos venero, me (inquam) plene & perfecte agnoſcetis, ſicut aliquatenus cognoviſtis; me penitus cognoſcitis omnes, non quidam tantum veſtrum, & me Apoſtolo ac Doctore gaudebitis & gloriabimini, ſicut ego vobis diſcipulis, quos Chriſto lucrifeci, cum videbo vos in ſecundo adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ejuſdem ſalutis & gloriæ participes. Agnoſcetis me talem eſſe, qui vobis occaſionem de me gloriandi præbere poſſim, quod talem habetis Doctorem, qui nihil vos humanum, nihil ſimulatum, nihil ſub dolum docuerit. Mihi etiam occaſionem præbebitis gloriandi quod hujuſmodi nactus ſim diſcipulos, qui neque concutiantur, neque decipiantur a Pſeudo-Apoſtolis. Quando vero de nobis mutuo gloriabimur? Etiamnunc quidem, ſed potiſſimum in die Domini. Tunc enim omnes cognoſcent me talem non fuiſſe qualem Pſeudo-Apoſtoli calumniantur: & quod vos Pſeudo-Apoſtolorum calumniis non credideritis.

S. Chryſoſt. Homil. 3.
Theophylact.

15. 16. *Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis*. Et hac fiducia veſtræ bonæ de me exſtimationis, veſtri erga me affectus, ex quo vos ſemper in melius profecturos in fide Chriſtianiſque virtutibus, non inaniter mihi ſpondebam, volui prius ad vos venire, quam in Macedoniam pertranſirem, ut ex ſecundo meo adventu ſecundam gratiam, bonorumque ſpiritualium incrementum reciperetis. Prius (inquam) volui venire Corinthum, *Et per vos tranſire in Macedoniam; & iterum a Macedonia venire ad vos* (licet ſuperiore Epiſtola ſcripſiſſem me venturum ad vos cum pertranſiſſem Macedoniam) *& a vobis deduci in Judæam*. Non igitur ſecum ipſe pugnat Apoſtolus. Non enim ait, ſcripſi per vos me abiturum in Macedoniam, ſed, *volui*. Etſi enim non ſic ſcripſi, ſtudebam tamen & volebam venire ad vos priuſquam ad Macedonas me conferrem: tantum abeſt ut neglexerim venire ad vos, nec ſteterim promiſſis, ut & illa prævenire voluerim. Verum Deo viſum eſt ut neque ad vos ante venirem, nec a vobis in Judæam deducerer.

S. Chryſoſt. ibid.
Theodoret.
Theophylact.
Oecumenius.

17. *Cum ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me EST & NON?* Cum ergo id revera apud me ſtatuiſſem, numquid propterea levitatis, inconſtantiæ, aut fallaciæ ſum accuſandus, quod non præſtiterim? aut more hominum carnalium delibero, qui in rebus gerendis carnali cuipiam affectui obſequuntur, & conſilia mutant prout e rebus ſuis eſt, ut modo affirmem, modo negem; me facturum dicam, quod non exequar? Huic equidem accuſationi locus eſſet, ſi propria voluntate regerer, ſed Spiritu ſancto agor, cui non obſequi nefas. Qui carnis cupiditates ſequitur, a propriis cogitationibus trahitur, etſi abſurdis, etſi aliorum ſpirituali bono contrariis. Qui autem prudenter deliberat, etſi boni aliquid in animo habeat, ſi id animadvertit non eſſe aliis conducibile, conſilium non exequitur.

18. *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST & NON*. Objicere poterant Pauli adverſarii, Si quæ dicis non ſunt firma & ſtabilia, metuendum eſt ne ſermo tuus & Prædicatio tua inſtabilis ſit, & mutabilis, ſitque in ea EST & NON. Hanc objectionem diſſolvens, Conſilium (inquit) quo ſtatueram primum venire ad vos, meum erat, unde propoſitum mutavi, ut Spiritus ſancti ductum ſequerer. Prædicatio autem Dei eſt, qui fidelis eſt & verax. Ideo verbum ipſius, quod nos vobis prædicavimus, mutabile & inſtabile non eſt, ut ex affirmatione mutari poſſit in negationem, ſed omnia in eo firmiſſima veritate conſtant.

Fidei morumque doctrina invariabilis.

19. *Dei enim Filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Silvanum, & Timotheum, non fuit EST & NON, ſed EST in illo fuit*. Sermo de Dei Filio, quem prædicavimus, ego, Silvanus, & Timotheus, nullam habuit variationem, ſed uniformis ſemper fuit, vobiſque eamdem ſemper doctrinam tradidimus. Vel, Tam vera, tam certa, tam firma fuit Prædicatio noſtra, quam verax Dei Filius, cujus Apoſtoli ſumus, & cujus Evangelium & doctrinam annuntiamus. Silvanum autem eſſe *Silam*, cujus frequens in Actis Apoſtolorum mentio, S. Hieronymus & Theodoretus cenſent. Ipſe fuit cum Paulo Philippis vinculorum particeps. Ipſo relicto Berroæ in Macedonia, Athenas venit. Is cum ad eum una cum Timotheo veniſſet Corinthum, ei in Prædicatione opem tulit.

S. Hieron.
Theodoret.
Act. 16. &c.

20. *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo EST: ideo & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram*. In illo enim omnes Dei promiſſiones, quas vobis annuntiavimus, veritatem ſuam habent firmam & invariabilem, quia per illum complentur ad honorem Dei, & ad gloriam Miniſterii noſtri.

21. 22. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus: Qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Deus eſt qui nos Evangelii ſui Miniſtros una vobiſcum diſcipulis & auditoribus noſtris, Chriſto firmiter adhærere facit, per fidem caritate animatam: ipſe nos unxit Spiritu ſancto, ſeu multis & magnis Spiritus ſancti donis nos inſtruxit, perfudit, ſignavit, quæ inſtar ſigilli nos probent veros Dei Nuntios eſſe ac Miniſtros, & miſſionem noſtram, ac Prædicationis veritatem confirment. Ipſe denique Deus Spiritum ſanctum ſuum cordibus noſtris infudit, velut arrham promiſſionum ſuarum & futurorum bonorum. Per arrham autem eorum quæ danda ſunt nobis magnitudinem innuit. Arrha enim eſt parva quædam pars totius pretii, pro quo quis ſpondet. Confer cum Epheſ. 1. 13. 14. *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*.

23. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*. Deum teſtem invoco eorum quæ dico, & ab illo puniri

velim

Digitized by Google

velim & perdi, niſi verum dixero: Nondum veni Corinthum, ne in vos ſeverius agere cogerer; & auctoritate Apoſtolica pleroſque veſtrum punire pro peccatis publicis nondum emendatis atque per pœnitentiam expiatis: *Non quia dominamur fidei veſtra, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri: nam fide ſtatis*. Non quod jus nobis arrogemus vobiſcum agendi ſicut domini cum ſervis agunt, eo nomine quod fidem vobis docentibus & prædicantibus ſuſcepiſtis; ſed gaudii vobis auctor eſſe malui, quam mœroris: Nam fidem quod attinet, in ea conſtantes eſtis. Non potui igitur hoc nomine de vobis conqueri. In alia vero plerique veſtrum caſtigatione digni erant, quæ fit a patribus & Magiſtris, filiorum & diſcipulorum utilitati & emendationi conſulentibus, non quæ fit a dominis ex impotentis animi motu, per abuſum poteſtatis, quæ in tyrannidem ſæpe degenerat. Paternæ vero hujuſmodi caſtigationi parcere malui, ac propterea meum ad vos adventum tantiſper diſtuli, ut me gaudentem de veſtra emendatione ſuſcipientes, pariter gauderetis.

Theodoret. Photius. Oecumen.

CAPUT I.

Senſus Moralis.

1. PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſia Dei qua eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis qui ſunt in univerſa Achaia. Voluntas Dei eſt regula & unica vocationis, unica janua ad ſacrum Miniſterium, ad ſtatum Eccleſiaſticum, ad Beneficia, & ad Apoſtolicas ſive Hierarchicas functiones. Non voluntas parentum, non cupiditas propria, non ambitio, ſed una Dei voluntas conſulenda & exquirenda eſt ut quis ad Sacerdotium, ad Dignitates Eccleſiaſticas, ad Beneficia, curam præſertim animarum habentia aſcendat, ut divini verbi Prædicationi ſe applicet. *Per voluntatem Dei*: Qui non intrat per hoc oſtium, fur eſt & latro. Domini eſt ſuos ſibi Miniſtros eligere. Spiritus ſancti illos præparare & dignos facere. Qui ſe ingerit contra Domini voluntatem, nec gratiæ Apoſtolatus particeps erit, nec mercedem a Domino recipiet. Hic primus Apoſtolicæ ſententiæ fructus Moralis. Secundo ex his Apoſtoli verbis diſcant Prælati eo humiliores eſſe, quo majores ſunt, & inferiores Miniſtros probatæ virtutis & fidei coram populo honorare, ut eis venerationem & auctoritatem concilient, ſancti Pauli exemplo, qui Timotheum juvenem & meritis ac dignitate longe inferiorem, diſcipulum que ſuum, fratris nomine appellare, ejuſque nomen cum ſuo adſcribere initio Epiſtolæ Canonicæ dignatus eſt. Tertio, curent fideles ut concordiam ſervent inter ſe, & Chriſto Domino ſuo, Redemptori, & capiti tota dilectione adhæreant. *Eccleſia Dei qua eſt Corinthi*. „ Eos Dei Eccleſiam nominat, inquit Theodoretus, rurſus ad concordiam „ redigens, & Dominum ac benefactorem oſtendens. „ Cum eis autem omnes eos etiam conjungit, qui „ in ea gente crediderant, unum corpus omnium „ eſſe pronuntians, quicſalute digni habiti fuerant. Quocirca Tertullianus: *Corpus*, inquit, ſumus *de conſcientia religionis, & diſciplina unitate, & ſpei fœdere*. Quarto, ex Apoſtoli verbis diſcendum eſt, morum ſanctimoniam proprium eſſe Chriſtiani hominis caracterem: eoque nomine indignos eſſe, quicumque ſancti non ſunt. Chriſtianiſmus profeſſio eſt innocentiæ & ſanctitatis. *Cum omnibus ſanctis qui ſunt in Achaia*. „ Sanctos vocat, quaſi ſine terra, quæ „ vis eſt Græcæ ἅγιος, vocis oſtendens quaſi ſi quis „ terrenus ſit, alienus eſt ab hac ſalutatione.

Voluntas Dei una regula eſt vocationis ad ſacerdotium & ad regimen animarum.

Prælati Eccleſiæ eo humiliores ſint, quo majores.

Theodoret. in hunc locum.

Tertull. in Apologet. S. Chryſoſt. Homil. 2.

2. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*. Si Deus Pater noſter eſt, quanta veneratione, quanto amore illum proſequi debemus? Si Jeſus Chriſtus Dominus noſter eſt, quam fideliter illi ſervire, obſequi, adhærere debemus? *Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Gratia & pax, quas fidelibus Corinthiis Apoſtolus adprecatur, fructus ſunt bonitatis Patris, & meritorum Jeſu Chriſti Domini noſtri. Gratia, qua divinæ conſortes ſumus naturæ, ſubſtantia eſt filiorum; pax vero, illorum hereditas & patrimonium; pax (inquam) Dei, quam mundus dare non poteſt.

Oecumenius in hunc locum.

Malach. 1. 6.

3. 4. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt*. Deus reſpectu peccatorum Pater eſt miſericordiarum & Deus totius conſolationis, quia Deus eſt & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti; in quo nos dilexit, & quem paſſioni ac morti pro nobis tradidit. Miſericordia porro & conſolatio multiplicis eſt generis. Miſeratio alia ſuavis, alia amara. Conſolatio alia ſenſibilis pro incipientibus & infirmis; alia mere ſpiritualis pro perfectis, & fortibus qui non lacte, ſed eſca ſolidiore aluntur. Qualeſcumque ſint miſerationes & conſolationes cœlitus nobis datæ, cum gratiarum actione ſuſcipiendæ a nobis ſunt, utpote a Deo & Patre noſtro profectæ. Ejus flagella beneficia ſunt & gratiæ, non quidem reſpectu omnium, ſed filiorum dumtaxat, electique populi. *Conſolamini, conſolamini populo meus, dicit Deus veſter*. Quos autem diligit, non propterea eripit a tentationibus, a perſecutionibus, ab afflictionibus & rebus quibuslibet adverſis: ſed conſolationes afflictionibus & doloribus commenſurat. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, ait Rex Propheta.

Nat. Alex. in Epiſt. Divi Pauli T. … 2.

Miſericordia & conſolatio diverſi generis eſt.

Iſai. 40. 1.

Pſal. 93. 19.

Benedictus Deus, Pater miſericordiarum. Quibus verbis indicat Paulus, ſe Dei miſeratione ex ſummis periculis eductum ac liberatum eſſe. David non ubique eodem modo, ac ab iiſdem rebus Deum appellat, ut obſervat S. Chryſoſtomus: verum cum de bello ac victoria verba facit, *Diligam te* inquit, *Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum*, „ *Deus meus adjutor meus*. Cum de animi caligine ex qua liberatus eſt, verba facit: „ *Dominus illuminatio & ſalus mea*. Nunc a benignitate & clementia, nunc a juſtitia, nunc ab incorrupto judicio, prout illa, in quibus verſabatur, „ tempora poſtulabant, cognomentum illi tribuit. „ Ad eumdem modum hic a benignitate & miſericordia Deum appellat Apoſtolus. *Pater miſericordiarum* (inquit) hoc eſt, qui tantæ miſerationis ſpecimen edidit, ut nos ex ipſis portis mortis eduxerit. Hoc enim maximo Deo proprium ac peculiare eſt, ipſiuſque naturæ inſitum, ad hunc modum miſereri. Atque hinc etiam maxime Pauli inclareſcit humilitas. Nam quamvis Evangelicæ Prædicationis cauſa periclitaretur, non tamen merito ſuo, ſed per Dei miſerationes ſalutem ſe conſecutum eſſe ait. *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*. Non dixit, Qui non ſinit nos calamitate affici, ſed qui in calamitate nos conſolatur. Nam hoc eum Dei potentiam declarat, eum eorum qui calamitatibus premuntur, patientiam auget. *Tribulatio enim*, inquit, *patientiam operatur*. Id quod Propheta quoque his verbis indicabat: *In tribulatione dilataſti mihi*. Non dixit: Non paſſus es me in tribulationem labi, aut tribulationem confeſtim ſubmoviſti: ſed ea manente dilataſti me: hoc eſt, ingentem cordis latitudinem & voluptatem mihi attuliſti. Quod etiam in tribus Pueris contigit. Neque enim quo minus in fornacem inciderent, prohibuit, nec cum incidiſſent, flammam extinxit: verum flagrante fornace latitudinem ipſis præbuit. Hoc autem Deus perpetuo facere conſuevit. *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*. Quibus verbis demonſtrat quod non ſemel aut iterum, ſed ſemper hoc facit. Neque enim nunc conſolatur, nunc rurſus deſerit, ſed ſemper ac perpetuo hoc agit. Ob idque dixit, *Qui conſolatur*, non, qui conſolatus eſt: &, *in omni tribulatione*; non in hac atque illa, ſed in omni. Non ſuis autem meritis divinas conſolationes attribuit, ſed propter fideles & electos ſibi a Deo collatas exiſtimat, ut in eos inſtar canalis effundat, quod a fonte totius conſolationis accepit. *Ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt*. „ Per hoc autem Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum opus eſſe indicat, alios conſolari: & quod conſtituti ſunt ut alios „ ad certamen veluti excitent & pungant, & quod „ non perinde ac Pſeudoapoſtoli deliciis ſtudeant, ac „ domi deſidentes negligant eos qui conſolatione & excitatione opus habent.

Pſal. 107.

S. Chryſoſt. Hom. 1. in hanc Epiſt.

Deus ſervos ſuos in rebus adverſis conſolatur.

Rom. 5.

Pſal. 4.

Theophylact.

5. *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. Hæc ipſa conſolationis uberrimæ ac ſuaviſſimæ ratio, quod Chriſtus nos paſſionum ſuarum participes & ſocios efficiat. *Quid ſuavius ac jucundius*, inquit S. Chryſoſtomus, *quam Chriſti ſocium effici, atque ipſius cauſa hæc perpeti?* Quid cum hac conſolatione comparandum? Quid dulcius, quam pro Chriſti nomine & gloria, pro ejus fide propaganda, pro ejus Eccleſia dilatanda, pro miniſterio ſuo fideliter adimplendo, pro lege Dei ſervanda, quælibet adverſa pati? *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis*, ait alibi Apoſtolus noſter, *& adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego Miniſter, ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos*. Neſcimus quid petamus, cum a crucibus & calamitatibus noſtris liberari poſtulamus. Patiamur abundanter, ut abundantiores

Paſſionum Chriſti participes effici, ſumma conſolatio.

Coloſſ. 1. 24.

Digitized by Google

conſolationes promereamur: patiamur mala temporalia, ut gaudia conſequamur æterna. *Ita & per Christum abundat conſolatio noſtra.* Non dixit, Conſolatio calamitates æquat, ſed, *abundat conſolatio noſtra*, ita ut certaminum tempus, non autem tempus ſit coronarum, ut novæ lacrymæ amplioris voluptatis pignora ſint, arrhæque bonorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Quæ cum ita ſint, ne in rebus adverſis animo dejiciamur. „ Nemo enim deliciis ſtudens, & dormiens ac languens, cum Chriſto ſocietatem habet, nemo eorum qui molliter ac remiſſe vivunt: verum is qui calamitatibus probatur, atque arctum viæ iter tenet. Nam ipſe quoque Chriſtus hac via inceſſit. *Christus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Proinde ne animo diſcrutieris, cum calamitate premeris, advertens cui communices, & quonam modo per afflictiones & cruces ſcelerum maculas eluas, quantumque inde fructum referas. Nihil enim aliud grave, atque acerbum eſt, quam in Dei offenſionem incurrere. Hoc ſublato, non afflictio, non inſidiæ, non proſcriptiones & exilia, non bonorum temporalium damna & pauperies, non charorum amiſſio & orbitas, non morbi, non calumniæ, non tormenta, non mors, prudentem & ſanctam, Deique amantem animam moleſtia afficere queunt. Quin potius, quemadmodum ſi exiguam ſcintillam in magnum pelagus injicias, eam protinus extinxeris: ita moleſtia omnis, quamlibet ingens, ſi in animum bene ſibi conſcium inciderit, confeſtim perit & evaneſcit. Crucem amemus, unctionem, & conſolationis abundantiam per Chriſtum nobis conferendam inſpicientes. Abraham, Job, Moyſen, Prophetas, Apoſtolos, Paulum maxime, Martyres, Sanctos & Sanctas omnes conſiderate, in quibus abundarunt paſſiones Chriſti, & quorum conſolatio per Chriſtum abundavit. *Communicantes Christi paſſionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudentes exultetis. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit.*

S. Joannes Chryſoſt. Homil. 1.

S. Petri 4. 13. 14.

6. 7. *Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur.* Bonus Paſtor omnes, quas patitur, afflictiones; omnes quibus recreatur, conſolationes, ad ſuam ſanctificationem, & ad ovium ſibi commiſſarum ſalutem procurandam & promovendam referre debet. Cum affligitur, & premitur, exemplo ſuo doceat eas patientiam in rebus adverſis. Cum a Deo conſolationes accipit, ſpem earum excitet, animos earum erigat, & in Deo confidere doceat, qui non deſerit ſperantes in eum, qui cum ipſis eſt in tribulatione, eripit illos, aut certe conſolatur, & tandem glorificabit, ac torrente voluptatis potabit. Cum Deus per Spiritum ſanctum ad cor eorum loquitur & exhortatur, ſive per internas inſpirationes, ſive per lectionem & meditationem ſanctarum Scripturarum, his inſpirationibus, meditationibus, Scripturis utantur ad ſimiles affectus ſpei, caritatis, patientiæ, faſtidii rerum terrenarum, deſiderii cœleſtis Patriæ, in animis fidelium curæ ſuæ ſubditorum excitandos. Spes ſcilicet Chriſtiana fructus eſt tribulationum, quia tribulatio & crux via eſt ad regnum cœlorum. Paſtoris caritas non ſolum in eo poſita eſt ut condoleat ovium ſibi commiſſarum calamitatibus; ſed in eo maxime ut eas ad crucis & afflictionum amorem intuitu & ſpe æternæ conſolationis accendat. *Ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis, ſcientes quod ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* Tanto namque ſpes in Deum ſolidior ſurgit, quanto pro illo quiſque graviora pertulerit: quia *Nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione ſeminatur.*

Fructus ex afflictionibus colligendi.

S. Gregor. M. lib. 10. Moral. cap. 12.

8. 9. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* Tenebræ, timores, tædia, deſolationes interiores, junctæ crucibus & afflictionibus exterioribus, dejicere pios & ſpirituales non debent. Crucis pondus ſentire, ac ejus pondere pene opprimi, quæ naturæ infirmitas eſt, magnum eſt humilitatis documentum, magnum fiduciæ in Deo incitamentum. Hæc altera tribulationum utilitas. Cum enim nos pene deficere conſpicimus; cum præſentibus & ingruentibus malis ferendis nos per vires naturæ impares eſſe agnoſcimus; cum nos pene deficere ſentimus; cum in nobis reſponſum mortis habemus, & ſine Dei gratia nos bonum facere, diligere, operari, & mala perferre, ut oportet ad ſalutem, non magis poſſe, quam mortuos, profitemur; tunc mentes & corda noſtra in Deo defigimus, & fiduciam noſtram in illo uno collocamus, qui refugium noſtrum & virtus eſt, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos.* Hinc Job 11. dicitur: *Cum te conſumptum putaveris, orieris ut lucifer.* „ Sæpe namque tot tentamenta nos obſident, ut ipſa nos eorum numeroſitas pene ad lapſum deſperationis inclinet. Unde plerumque cum mens in tædium vertitur, vix ipſa virtutis ſuæ damna conſiderat, & tota dolens, quaſi jam a ſenſu doloris aliena frangitur, & enumerare non valet quanto cogitationum tumultu vaſtatur. Ruituram ſe per momenta conſpicit, eique ne arma repugnationis arripiat, gravius mœror ipſe contradicit. Circumductos quoslibet oculos obſcuritas obſidet; & cum viſum tenebræ ſemper impediant, mœſta mens nihil aliud quam tenebras videt. Sed apud miſericordem Judicem ſæpe hæc ipſa quæ ad niſum quoque orationis aggravat, pro nobis ſubtilius triſtitia exorat. Nam tunc mœroris noſtri caliginem Conditor conſpicit, & ſubtracti luminis radios refundit, ita ut erecta protinus per dona mens vigeat, quam paulo ante decertantia vitia ſuperbiæ calce deprimebant. Mox corporis pondus diſcutit, atque ad contemplationis lumen poſt turbationis ſuæ tenebras erumpit. Mox in gaudium profectus attollitur, qui inter tentamenta pejus cadere ex deſperatione cogebatur. Sine cogitationis certamine præſentia deſpicit, ſine dubitationis obſtaculo de ventura retributione confidit. Juſtus ergo cum ſe conſumptum putaverit, ut lucifer oritur: quia mox ut tenebreſcere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur; & in ſe ipſo monſtrat diem juſtitiæ, qui caſurus paulo ante timuit noctem culpæ. *Cum te conſumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Non dicit, cum conſumptus fueris, ſed, *cum te conſumptum putaveris*: quia & quod videmus, in dubietate eſt; & quod ſperamus, in certitudine. Unde S. Paulus non ſe conſumptum noverat, ſed putabat, qui & in adverſa tribulationum corruens, ut lucifer reſplendebat, dicens: *Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.*

S. Gregorius ibid.

10. 11. *Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus quoniam & adhuc eripiet.* Liberatio enim a tribulationibus præteritis opem ferente Deo, fiduciam excitat fore ut a præſentibus, & ſpem auget quod a futuris auxilio ſuo potentiſſimo nos eripiat. Quod quidem auxilium divinæ gratiæ nos in adverſis roborans, & in ſolo Deo nos confidere faciens, non meritis noſtris, ſed ejus miſericordiæ tribuendum eſt, ad quam obtinendam vel etiam poſtulandam, cum non ſimus ſufficientes ex nobis, orationes Eccleſiæ & ſanctorum ſunt adhibendæ exemplo Apoſtoli. *Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis.* Ita ſe gerit qui vere humilis eſt, ſed & indignum ſe exiſtimat & imparem ad gratias Deo pro acceptis ab ejus miſericordia beneficiis agendas. Quamobrem & aliorum corda & voces ad gratiarum actionem ſui cauſa ſollicitat. *Ut ex multorum perſonis, ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Demus igitur „ operam ut in precibus vocamus, alii pro aliis precemur, quemadmodum illi pro Apoſtolis. Sic enim & mandatum explemus, & ad caritatem incitamur, atque etiam majore ſtudio gratias agere diſcimus. Nam qui pro alienis ſucceſſibus gratias Deo agunt, multo magis id pro ſuis faciunt. Hoc David faciebat dicens: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.* Hoc & Apoſtolus paſſim expoſcit. Id & nos faciamus, & Dei in nos beneficia apud omnes prædicemus, ut eos laudationis ſocios aſſumamus. Nam ſi, cum beneficium aliquod ab hominibus accepimus, atque id celebramus, promptiores eos ad bene de nobis merendum reddimus: multo magis Dei beneficia prædicantes, ad majorem benevolentiam ipſum attrahemus. Et ſi, cum beneficium aliquod ab hominibus conſecuti ſumus, ad gratias nobiſcum agendas alios etiam excitamus, multo profecto magis nobis curandum eſt, ut multos, qui gratias pro nobis agant, ad Deum adhibeamus. Cumque Paulus qui tantam apud Deum fiduciam obtinebat, hoc faciat, quanto magis hoc a nobis fieri neceſſe eſt? Quocirca ſanctos viros etiam atque etiam obſecremus, ut pro nobis gratias agant, atque etiam ipſi pro nobis hoc invicem faciamus. Illud præſertim Sacerdotum

Alii pro aliis Deum orare, & gratias illi agere debemus.

S. Chryſoſt. Hom. 2.

„ muuus

Digitized by Google

„ munus eſt, utpote bonum omnium præſtantiſſimum. Accedentes primum pro univerſo terrarum orbe, communibuſque commodis gratias agimus: Nam etſi communia Dei beneficia ſunt: tamen tu quoque in communi ſalutem es conſecutus. Eoque nomine tum pro privata tua communem gratiarum actionem debes, tum pro communi privatam Deo laudem abs te offerri æquum fuerit. Etenim ſolem non tibi uni accendit, ſed communiter omnibus, & tamen in parte totum habes. Nam quamvis ob communem omnium utilitatem tanta magnitudine procreatus ſit: tamen tu ſolus tantum vides, quantum univerſi mortales videre queant. Ex quo fit ut tantam gratiarum actionem debeas, quantam univerſi. Ac te & pro communibus beneficiis gratias agere par eſt, & pro aliorum virtute. Multis enim etiam propter alios beneficiis afficimur. Etenim ſi vel decem ſoli juſti in Sodomis inventi fuiſſent, non in eas quas pertulerunt calamitates incidiſſent. Quamobrem pro aliorum quoque apud Deum libertate ac fiducia gratias agamus. Siquidem priſca quoque lex hæc eſt, atque antiquitus in Eccleſia inſtituta. Sic Paulus etiam pro Romanis, pro Corinthiis, pro univerſo terrarum orbe gratias agit. Nec vero illud mihi dixeris: Hoc præclarum ac eam virtute conjunctum facinus meum non eſt. Quamvis enim tuum non ſit, tamen gratias agere debes, quod membrum tuum tale ſit. Quamquam etiam illud tuum facis, cum laudas & in coronarum partem ipſe etiam venis, atque eamdem gratiam percipies.

Bonæ conſcientiæ teſtimonium contra detractiones & calumnias nos roborat.

12. *Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos.* Nihil glorioſius Miniſtro Chriſti, quam ab hominum carnalium judicio non pendere, & ſolum Dei judicium vereri, ſolo conſcientiæ ſuæ teſtimonio fretum officium ſuum, & opus Domini implere. „ Inter verba laudantium, ſive vituperantium, ad mentem ſemper recurrendum eſt, etſi in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet. Et rurſum ſi in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudent, & conſcientia accuſet? Aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Job quoque dicit: *Ecce in cœlo teſtis meus*. Si ergo nobis eſt teſtis in cœlo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, niſi in pulverem ſufflant, atque in oculos ſuos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi tamen ſunt etiam ipſi, tranquille admonendi, eiſque ſatisfieri modis omnibus debet, ſcientes quid de eis Veritas dicit: *Ne forte ſcandalizemus eos*. Si autem ſatisfieri ſibi ea veritate noluerint, habes conſolationem quam in ſancto Evangelio conſpicias, quia cum Domino dictum fuiſſet: *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt?* reſpondit: *Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum*.

S. Gregor. M. Epiſt. 45. lib. 5. ad Palladium Presbyterum de Monte Sina.

Job 16. 20.

Matt. 15.

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. „ Verumtamen timendum eſt ne quiſque apud ſeipſum fiat ſibi placens, & quaſi ſuperbus de conſcientia ſua glorietur. Debet enim quiſque *Cum tremore exſultare*: quia *donum eſt Dei unde exſultat, non meritum ſuum*. Etenim ſunt multi ſibi placentes, & juſtos ſe eſſe arbitrantes; & procedit adverſus illos alia pagina dicens: *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor; aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe a peccato?* Eſt ergo *quidam modus in conſcientia gloriandi, ut noveris fidem tuam eſſe ſinceram, noveris eſſe ſpem tuam certam, noveris caritatem tuam eſſe ſine ſimulatione. Sed quoniam multa ſunt adhuc forte, quæ poſſunt offendere oculos Dei, lauda Deum qui tibi iſta donavit, tunc perficiet quod donavit.* Pura autem conſcientia non eſt ſine ſimplicitate cordis & recta ſinceraque intentione, omnis fictionis, ſimulationis & doli experte. Chriſtiana ſimplicitas malas artes, duplicitatem, mendacium, æquivocationes, falſam ſæculi ſapientiam, carnis prudentiam & politicam averſatur. Unicum enim finem habet, Dei voluntatem & fruitionem; unam viam novit qua ad illum pervenitur; arctam viam Evangelii. Qui hoc modo apud homines converſatur, cœli civis eſt, domeſticus Dei, exſul mundi. Tales Miniſtri Chriſti Jeſu eſſe debent, exemplo Apoſtoli noſtri. *In ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus in hoc mundo.*

S. Auguſt. in Pſ. 149. n. 11.

Pſalm. 2. 11.

Proverb. 9. 20.

De bona conſcientia non gloriandum.

Bonæ conſcientiæ caractteres.

14. *Gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Gloria gregis bonus Paſtor eſt; gloria Paſtoris grex eſt ſancte inſtitutus. Fruſtra vero de ſancto Paſtore gloriantur, qui ſecundum Evangelii regulam ac diſciplinam ab illo traditam & expoſitam non vivunt: immo vero gravior illos in die Domini manet damnatio: & ſancti Paſtores cum Chriſto ſedebunt illis judicaturi. Sed & ſæpe propter peccata populorum dantur eis Paſtores & Rectores ſecundum cor eorum; tales (inquam) ſub quibus grex patiatur famem & ſitim; *non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini*. „ Ita ergo nos geramus, & ita oremus, ne unquam nos divina indignatio fame ac ſiti verbi Dei condemnet; ne unquam auferatur a nobis qui nos verbo & opere inſtruat, qui in moribus & honeſtate, qui patientiæ ac manſuetudinis perfectum de ſe populis præſtet exemplum. Si enim fecerimus malum in conſpectu Domini, id eſt, ſi male egerimus, ſi voluntatem noſtram & non Dei facimus, aufertur a nobis homo Dei, bonus & ſanctus Paſtor.

Bonos Paſtores Deus populis aufert ob eorum peccata.

Amos 8. 11. Origenes Homil. 4. in lib. Judicum.

15. 16. 17. 18. *Volui prius venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis, &c. Cum ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me Eſt & Non?* Paſtores metuere non debent ne levitatis notam incurrant mutando conſilia, cum illa mutant ob majus Eccleſiæ bonum, ob ſalutem Animarum eorum curæ commiſſarum, ob negotia magis urgentia & Dei gloriam æque aut magis ſpectantia. Tenaces eſſe propoſiti decet, in promiſſis præſtandis fideles, in regimine ſacro uniformes, niſi aliud ſuadeat Dei Spiritus, cujus lumen, ductum, volunt rem non ſequi nefas. „ Carnalis homo, inquit S. Chryſoſtomus, hoc eſt, qui præſentibus rebus affixus eſt, ac perpetuo in iis verſatur, a Spiritus operatione alienus eſt, quaſlibet in oras proficiſci ac vagari poteſt. At Spiritus Miniſter, quippe ab eo, afflatur ac circumducitur, non poteſt quo pro arbitrio ſuo, animique ſententia ſe gerere (quippe quam Spiritus auctoritati addixerit, ut ex Spiritus nutu pendeat.) Verum perinde illi accidit, ut ſi probus quiſpiam ſervus, qui ob herilia imperia quoquoverſum diſtrahitur, nec ſui juris atque arbitrii eſt, ac ne tantillum quidem reſpirandi facultatem habet, conſervis ſuis aliqua promittat, ac deinde, quia Domino aliter placeat, minime præſtet quæ promiſerat. Ita ſe gerebat S. Paulus. Paracleti, inquit, imperio & edictis ſubjicior, & ad ipſius nutum agor. Hinc factum eſt ut venire ad vos nequiverim. Non enim Spiritui placuit. Id quod etiam in Actuum libro pleriſque locis ipſi uſu venit. Alio enim ſe conferre conſtituentem Spiritus alio proficiſci jubebat.

Mutare conſilium non ſemper eſt levitatis, ſed interdum prudentiæ, & officii.

S. Chryſoſt. Homil. 3.

Act. 16.

18. 19. 20. *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo Eſt & Non. Dei enim Filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, non fuit Eſt & Non, ſed Eſt in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo Eſt: ideo & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram.* Chriſtus ſigillum eſt & conſummatio promiſſionum Dei, Prophetarum omnium veritas, finis legis. Per illum Deus verax & fidelis in verbis ſuis agnitus eſt. Spiritus ſanctus in Apoſtolis & in Eccleſia idem teſtimonium Jeſu Chriſto Dei Filio perhibet. Falſum aliquid habere non poteſt Verbum Patris, quia immutabiliter ſic ſe habet, ut ſe habet de quo eſt: & quidquid eſt in ea ſcientia de qua genitum eſt, & in ipſo eſt: quod autem in ea non eſt, nec in ipſo eſt. Hinc veritas, firmitas, invariabilitas religionis, fidei, & doctrinæ Evangelicæ, Apoſtolicæ, Eccleſiaſticæ. *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis*, ait Tertullianus. *Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulla doctrina diverſa, hoc eſt teſtimonium veritatis. . . . Conſtat omnem doctrinam, quæ cum Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Chriſti, & Dei.* In Eccleſiæ fide ac doctrina, in prædicatione Apoſtolica non magis invenitur *Eſt & Non*, quam in promiſſionibus Dei, quam in Prophetarum oraculis, quam in ipſo Dei Filio Jeſu Chriſto. Contra vero, *Eſt & Non* mutabilitas, variatio, levitas, inconſtantia, proprius hæreſum caracter eſt. *Mentior ſi non etiam a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam & originis ſuæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio*

Unitas & invariabilitas veræ religionis & fidei caracter eſt: variatio caracter hæreſum.

S. Auguſt. lib. 15. De Trinit. cap. 14.

Tertull. lib. De Virginibus velandis, c. 1. Idem lib. De Præſcript. Hæret. c. 21.

Idem cap. 42. De Præſcript.

ſuo

ſuo fidem innovare. Denique penitus inſpectis hæreſes omnes in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur. In illorum doctrina invenitur *Eſt* & *Non*.

21. 22. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus: qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Deus in Chriſto confirmat miniſtros ſuos & Chriſtianos omnes ne in fide, ejuſque confeſſione unquam deficiant, ut in ejus prædicatione fideles ſint & fortes. Nam & ipſæ columnæ ſpiritualis ædificii concuterentur, niſi Dei Spiritu firmarentur. *Confirmavit columnas ejus*. Miniſtros ſuos conſecrat interius unctione Spiritus ſancti. Os illorum aperit, linguam movet, verba format. *Non vos eſtis, qui loquimini*, inquit, *ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*. Sed & fidelium cor aperit, voluntatem ſubdit, fidem operatur & confirmat unctione gratiæ ſuæ. Spiritus ſanctus veritatis Evangelicæ ſignaculum eſt per miracula & dona, quæ illi exterius conciliant auctoritatem & credibilitatem, per fiduciam prædicandi, per magnanimitatem, & virtutem, quam ejus Prædicatoribus inſpirat; per conſtantiam cum pace interiore conjunctam, & ea caritate protectam, qua Chriſtiani a Deo electi & in ejus regnum & gloriam prædeſtinati, in ea acquieſcunt & perſeverant. Unctione Spiritus ſancti conſecramur in baptiſmo ut Reges & Sacerdotes, ut Regis ſummi Dei hæredes, Chriſti autem coheredes; ut Sacerdotes, qui ſpiritales hoſtias, & corporis etiam noſtri hoſtiam viventem; quin etiam Chriſti corpus & ſanguinem cum Sacerdote intentione conjuncta, mentis affectu ac devotione offerre valeamus. Unde S. Petrus ſcribit: „ Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum ..... Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. *Et S. Joannes*: Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes. *Hinc Eccleſia in ſacroſancti Miſſæ Sacrificii Canone*: Pro quibos (*inquit*) tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibique reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero. *Itaque* Omnes in Chriſto regeneratos, crucis ſignum efficit reges, ſancti vero Spiritus unctio conſecrat Sacerdotes: ut præter iſtam ſpecialem noſtri Miniſterii ſervitutem, univerſi ſpiritales Chriſtiani agnoſcant ſe regii generis & Sacerdotalis officii eſſe conſortes. Quid enim tam regium quam ſubditum Deo animum corporis eſſe rectorem? Et quid tam Sacerdotale, quam vovere Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis hoſtias de altari cordis offerre? *Signati ſumus a Deo Spiritu ſancto in Baptiſmo*. Sicut enim in Chriſto morimur, ut renaſcamur; ita etiam Spiritu ſignamur, ut ſplendorem atque imaginem ejus, & gratiam tenere poſſimus: Quod eſt utique ſpiritale ſignaculum: Nam etſi ſpecie ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur; ut Spiritus ſanctus exprimat in nobis imaginis cœleſtis effigiem. Gratiam & charitatem per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris diffuſam in finem uſque cuſtodiamus. Vigilemus, oremus, in bonis operibus perſeveremus, ne pretioſum illum theſaurum, quem in vaſis fictilibus habemus, inimicus ſalutis noſtræ deprædetur. Si enim pignus illud æternæ gloriæ a Deo nobis promiſſæ cœleſti ſponſori in fine vitæ noſtræ repræſentemus, æternam vitam, ac gloriam nobis reddet qui fidelis, verax, & juſtus eſt.

Pſal. 74. 3.

Matt. 10. 20.

Quid præſtet unctio Spiritus ſancti Eccleſiæ Miniſtris? Quid omnibus Chriſtianis?

1. Petr. 2. 5. 9.

Apocal. 5. 10.

S. Leo Serm. 3. in anniverſario die aſſumptionis ſuæ.

S. Ambroſius lib. 1. De Spiritu ſancto, c. 6.

23. *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum*. Ex his Apoſtoli verbis diſcimus, Paſtores & Rectores animarum exiſtimationem ſuam apud ſubditos ſervare debere, ne ſpiritalis fructus regiminis amittatur, & ſalus eorum in diſcrimen adducatur. Tanti rem eſſe momenti, ut juramentum ea de cauſa adhibere liceat ad pravas ſuſpiciones eluendas, cum alia media non ſuppetunt. Secundo, caracterem eſſe prudentiæ Paſtoralis & Apoſtolicæ vitare neceſſitatem & occaſionem exercendæ ſeveritatis in peccatores. Tertio, Utile eſſe, immo neceſſarium, tempus emendationis tribuere & protrahere lapſis in peccata, prius quam in ipſos diſciplinæ ſeveritas diſtringatur. Quarto, Tolerandos eſſe imperfectos; minas ſæpius intentandas, quam pœnas infligendas; multa diſſimulanda & condonanda ad ſalutem animarum promovendam, ne exacerbati omnia ſeveritate ſubditi deteriores fiant. Ita ſe geſſit S. Auguſtinus erga Sanctimoniales ſuas. „ Sicut (*inquit*) parata eſt ſeveritas peccata quæ invenerit, vindicare: ita non vult caritas quod vindicet invenire. Hæc cauſſa fecit ut ad vos non venirem, cum meam præſentiam quæreretis, non ad pacis veſtræ gaudium, ſed ad diſſenſionis veſtræ augmentum. Quomodo enim contemnerem & impunitum relinquerem, ſi & me præſente tantus veſter tumultus extitiſſet, quantus me abſente etſi oculos meos latuit, tamen aures meas veſtris vocibus verberavit? Nam fortaſſis etiam major eſſet veſtra ſeditio in præſentia mea, cum neceſſe eſſet vobis non concedi, quod in pernicioſiſſimum exemplum, contra ſanam diſciplinam, quod vobis non expedit, petebatis: ac ſic quales non volo invenirem vos, & ipſe invenirer a vobis qualem non volebatis. Cum ergo ſcribat Apoſtolus ad Corinthios, *Parcens vobis nondum veni Corinthum, non quia dominamur fidei veſtræ, ſed cooperatores ſumus gaudii veſtri*: hoc ego etiam dico vobis; quia parcens vobis non ad vos veni. Elegi non ut exhiberem faciem meam vobis, ſed effunderem cor meum Deo pro vobis, & cauſſam magni periculi veſtri non apud vos verbis, ſed apud Deum lachrymis agerem.

Prudentia Paſtoralis in regimine animarum, & punitione viſorum.

S. Auguſt. Epiſt. 211, alias 109. Ad Sanctimoniales.

24. *Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri: nam fide ſtatis*. Fidei populi Chriſtiani dominari volunt Paſtores, qui ſolam auctoritatem, non doctrinam & exhortationem in ſacro regimine adhibent; qui fidem illius verbo ſuo, non verbo Dei ſubjici volunt: qui arbitrium ſuum, affectus ſuos, privataſque utilitates, non Dei gloriam, non Eccleſiæ bonum, & animarum ſalutem conſectantur. Solus, qui fidei auctor eſt, Deus, jus habet mentes in captivitatem redigendi ſub jugo fidei. Solus ille jus habet dominandi animabus, qui omnipotentia ſua illas creavit, lumine ſuo illas dirigit, & gratia ſua illas ſanctificat. Caritate ſerviente, non poteſtate dominante ſe felicem Paſtor animarum exiſtimet. *Summus locus bene regitur*, inquit S. Gregorius Magnus, *cum is qui præeſt, vitiis potius quam fratribus dominatur. Cunctos quippe natura æquales genuit: ut autem alii ad regendum aliis committantur, non eos natura, ſed culpa poſtponit. Vitiis ergo ſe debent Rectores erigere, quorum & cauſa præferuntur: & cum delinquentes corrigunt, ſollicite attendant, ut per diſciplinam culpas quidem jure poteſtatis feriant, ſed per humilitatis cuſtodiam æquales ſe ipſis fratribus qui corriguntur, agnoſcant. Quamvis plerumque etiam dignum eſt, ut eoſdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum namque per nos vitia diſciplinæ vigore feriuntur: in his vero quæ ipſi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tanto ergo apud Dominum obligatiores ſumus, quanto apud homines inulte peccamus. Diſciplina autem noſtra ſubditos tanto divino judicio liberiores reddit, quanto his eorum culpa ſine vindicta non deſerit. Servanda itaque eſt & in corde humilitas, & in opere diſciplina*.

Paſtoralis cura ſervitus eſt, non dominatio.

S. Gregorius, lib. 26. Moral. in Job, c. 5.

CAPUT II.

Senſus Litteralis.

1. 2. S*Tatui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos*. Decrevi ad vos tam cito non venire ac propoſueram, ſed paulisper differendum cenſui, ne ſecundus meus ad vos adventus mœrorem vobis afferret: quod futurum erat, ſi prius advenirem quam reſipuiſſent. Verbis enim ſeverioribus in vos animadvertere compulſus fuiſſem. *Si enim ego contriſto vos: & quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?* Si vos mœrore afficio, quis veſtrum me conſolabitur & exhilarabit? Nemo ſane; cum ab iis qui triſtitia ſunt confecti ſolatium & gaudii cauſſa fruſtra expectetur.

3. *Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cum venero triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium veſtrum eſt*. Et hoc ipſum vobis ſcribere latius duxi, ut per litteras adhibitum remedium mihi lætitiam conciliet de emendatione veſtra. Si enim ad vos nondum emendatos veniſſem, & ſeveriore erga vos diſciplina uti neceſſe fuiſſet, occaſione veſtri vehementer doluiſſem, qui mihi gaudii materiam probis ſanctiſque moribus præbere debetis. Gaudere autem cupio de vobis, confidens quod gaudii mei vos quoque participes eritis, ut qui noſtra veſtra eſſe ducatis. Inter Magiſtrum enim & diſcipulos chariſſimos triſtitiæ & gaudii communem ſenſum eſſe decet.

Illud, *Super triſtitiam*, in Græco Textu, & Syriaca Verſione non habetur, nec a Græcis Commentatoribus attingitur. Sumptum videtur & hoc intrutum ex Epiſt. ad Philipp. 2. 28.

4. *Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis quam caritatem habeam abundantius in vobis*.

bis. Ex vehementi dolore & cordis coarctatione & anxietate, cum multis lacrymis doloris mei teſtibus ſcripſi vobis priorem Epiſtolam, non intendens triſtitiam veſtram, ſed emendationem: & ut intelligeretis quanta vos caritate complector, quos in Chriſto Jeſu per Evangelium genui.

5. *Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit: ſed ex parte, ut non onerem omnes vos*. Si quis meæ triſtitiæ auctor fuit, ſcilicet Inceſtuoſus ille, non me ſolum triſtitia affecit, ſed vos omnes aliquo modo: quod dico ne ſingulos veſtrum accuſare videar, quaſi non & ipſi de illius flagitio dolueritis. Accuſatio eſt quædam oneris impoſitio, ſicut & prophetarum objurgationes & minæ vocantur *Onus*. Vel, Non totus cœtus veſter mœſtitia me affecit, o Corinthii, ſed quidam; cum multi veſtrum mihi ſolatio & gaudii cauſſa eſſent moribus nomine Chriſtiano dignis. Abſit enim ut omnes accuſem, Vel, Dixi, *Ex parte*, non quod vobis minorem triſtitiam attulerit illius crimen quam mihi, ſed ne illius facinus, quod pœnitentia eluere cœpit, exaggerare videar, & ut cum eo indulgentius agam, leniori verbo utor. Inceſtum Corinthium omnes Paulo jubente ut execrabilem averſati erant. Ne igitur rurſus contraria juſſi, nempe ut recipiant ipſum, eique condonent, ſcandalum patiantur Pauli nomine, tamquam inconſtantis, eos participes facit condonationis & indulgentiæ.

S. Chryſoſt. Hom. 4.

Theophylact.

6. 7. *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus*. Ejuſmodi homini ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, ad exemplum ceterorum, ad curationem vulneris, ſufficit increpatio, cenſura, confuſio publica & pœna quam ſubiit ab Eccleſiæ communione ſeparatus & ſatanæ traditus, atque ab omnibus eum execratione devitatus. *Ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt*. Ita ut potius clementia & indulgentia erga illum utamini, condonando ac remittendo quicquid ei pœnæ ſubeundæ reliquum eſt, & quod ab illo plenioris & accuratioris ſatisfactionis nomine exigere jure poſſetis: & conſolemini, recipiendo in gremium Eccleſiæ, & ad Sacramentorum participationem: ne forte immodico mœrore obrutus, ſpem ſalutis abjiciat, & totum ſe mundo & carnalibus voluptatibus dedat; ne forte etiam triſtitia vehementiore confectus moriatur. Unus ex antiquis Tertullianus in Montani lapſus hæreſim, negat illum, de quo hic ſcribit Apoſtolus, peccatorem, eſſe inceſtum illum Corinthium novercæ maritum, de quo in priori Epiſtola; ne fateri cogatur mœchos ad pœnitentiam ab Eccleſia recipiendos eſſe, quod Apoſtoli noſtri doctrina & exemplum invicte probant. De eodem hic & in priore Epiſtola agi diſerte teſtantur Patres & Interpretes univerſi.

Tertullian. l. De Pudicit. cap. 13. & ſeq. Origenes Hom. 3. in Pſal. 37. S. Pacianus Epiſt. ad Sympronian. S. Ambroſ. lib. 1. De Pœnit. cap. 17. S. Auguſt. l. 3. Contra Epiſtolam Parmeniani, c. 1. S. Gregor. M. lib. 13. Moral. cap. 8. &c. * 1. Cor. 5. 4.

8. 9. *Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem*. Obſecro vos ut caritatem, quam in animo vos habere exiſtimo, in illum facto oſtendatis, eum ad pacem Eccleſiæ, & communionem precum ac Sacramentorum recipiendo publico conſenſu ac Decreto totius fraternitatis. Eccleſiæ Corinthiæ Paſtores, quos ſibi adjunxerat ad ferendam ſententiam excommunicationi in inceſtum, * ad Abſolutionem & Indulgentiam tribuendam delegat. Cum autem imperandi jus haberet, tamquam Judex & Apoſtolus, ut eum reciperent; orat tamen ceu Patronos & Advocatos, ut illorum animos deliniat, & ad commiſerationem excitet. Ceterum auctoritatem Apoſtolicam minimum non deprimit, ſed preces ſuas vim habere juſſionis ſignificat. *Ideo enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis*. Ideo ad vos ſcripſeram de illo excommunicando, non ad oſtentationem poteſtatis, ſed ut probarem an mihi Apoſtolo veſtro & Patri in Chriſto ſitis in omnibus obedientes. Nam ſi in tetam gravi, qualis eſt hominis apud vos ſpectabilis, vobiſque dilecti ſegregatio, & execratio, obedientes mandato meo fuiſtis; non dubitaverim quin mihi multo lubentius ac promptius obediatis, uniendo membrum abſciſſum corpori, conjungendo gregi ovem ſegregatam, fratrem pœnitentem & emendatum recipiendo, fovendo, conſolando.

Auctoritas indulgentias concedendi a Chriſto Apoſtolis conceſſa.

* 1. Cor. 4. 5.

10. *Cui autem donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*. Cui autem pœnas delicto debitas remiſeritis & condonaveritis, & ego condono vobiſcum tamquam animo præſens, ſicut in illo ſatanæ tradendo fueram. Nam & ego, ſi qua utor indulgentia, ſi quid condono inſigni peccatori criminis pœnitenti, propter ejus ſalutem, quam optare & procurare debetis, ut fratris, ut membri ejuſdem corporis; propter Eccleſiæ bonum, propter ædificationem veſtram condono; ut exemplo meo diſcatis ſeveritatem lenitate temperare erga peccatores Pœnitentes. Hanc porro indulgentiam concedo, auctoritate Chriſti, cujus perſonam gero, qui docuit ac declaravit, quicquid nos in terris ſolverimus, id fore ſolutum in cœlis. Vel, *ſi quid donavi, propter vos*, id eſt, vobis per Titum & Timotheum rogantibus ut peccatori pœnitenti condonarem ac remitterem quod ſupererat pœnæ luendæ. Hoc ne quis exiſtimaret eum propter gratiam hominum juſtitiæ curam negligere, ſubjunxit, *In perſona Chriſti*, hoc eſt, tamquam intuente Chriſto, & quod ſit gratum ac ratum habente. Ex his auctoritas Indulgentias concedendi Eccleſiæ a Chriſto conceſſa, & Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus collata confirmatur.

Matth. 18.

Theodoret.

11. *Ut non circumveniamur a ſatana: non enim ignoramus cogitationes ejus*. Utendum autem indulgentia eſt erga peccatorem pœnitentem, ne diabolus occaſione nimiæ ſeveritatis noſtræ illum rapiat & in ſuam poſſeſſionem vindicet; quod Eccleſiæ commune damnum eſt, cum ſic imminuatur gregis Chriſti numerus. Eleganter autem *circumventionis* nomen adhibet Apoſtolus: *Non enim ad ſe pertinentia ſatanas accipit, verum & noſtra rapit, ac maxime per methodum noſtram, id eſt, per pœnitentiam immoderatam*. Vel, Ne occupemur & decipiamur a Satana ſpecie boni nobis illudente: Non enim ignoramus ejus artes, conſilia, & prava molimina, quibus nimiam ſeveritatem diſciplinæ in perniciem animarum convertit, illas in deſperationem pertrahens.

Theophylact.

12. 13. *Cum veniſſem autem Troadem propter Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam*. Cum veniſſem Troadem ad Evangelium Chriſti prædicandum, & aditus pateret ac magnus mihi datus eſſet Domino operante, id eſt, ſpes magna eſſet naſcentis fidei, & in Domino creſcentis, & jam plurimi credidiſſent Deo prædicationem meam per miracula confirmanti; animo non conquievi, eo quod non invenerim Titum fratrem & Coadjutorem meum in negotio Evangelii, Corintho reverſum, cujus relatione certior fierem de ſtatu Eccleſiæ veſtræ. Adeo me rerum veſtrarum ſollicitum faciebat charitas qua vos complector. Sed rebus conſtitutis quæ ad illius Eccleſiæ ædificationem & incrementum erant neceſſariæ, profectus ſum in Macedoniam, ut propior eſſem Tito, & eum ad me vocarem. Confer cum cap. 8. hujus Epiſtolæ verſ. 16.

Troas urbs & regio Aſiæ Minoris, olim pars Phrygiæ, ipſa eſt quam Stephanus Byzantius Trojam vocat, quæ, ut ait, prius Idæa, poſtea Teucris, deinde Troja, deinde Troas. S. Paulus eam in ... profectionem duplicem ab ea diſtinctam de qua hic ſcribit, ejuſque nobis fr... ... commemorat S. Lucas. Act. cap. 16. 8. & cap. 20. De hujus porro loci interpretatione vide S. Hieron. Epiſt. 105. ad Hedibiam Q. 11. Theodoret. Primaſium, Sedulium in Comment.

14. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco*. Deo autem gratias ago, qui nos ſemper triumphare facit per Chriſtum in omni loco de erroribus & perſecutionibus. Θριαμβεύειν hic uſurpat Paulus Hebraizans pro *triumphare facit*, ſicut βασιλεύειν pro *facere ut quis regnet*, 1. Reg. 8. 22. & 12. 1. & 15. 35. & μετοικίζειν, *emigrabit*, pro *emigrare facit*, Pſalm. 51. 7. & *Spiritus poſtulat*, id eſt, *facit ut poſtulemus*. Rom. 8. 26. Verſio Arabica: *Deo autem gratia, qui celebres nos reddit ſemper in veritate Chriſti*. S. Chryſoſtomus: *Qui ſemper triumphat nos*, hoc eſt, qui nos ſemper *illuſtres ac ſplendidos reddit*. „Nam quod dedecoris ſpeciem habet, nimi„rum quovis tempore vexari, atque exagitari, hoc nos ſummo honori ducimus. Eodem modo exponunt Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Vel, *triumphat nos*, id eſt, *Triumphum per nos agit*, quæ eſt explicatio S. Hieronymi. *Prius ergo quam veniſſet Titus* (inquit) *multa perpeſſus, agit gratias Deo in Chriſto Jeſu, quem Gentibus prædicabat, quod dignum ſe elegerit in quo ageret triumphum Filii ſui. Triumphus Dei eſt paſſio Martyrum, pro Chriſti nomine cruoris effuſio, & inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tanta perſeverantia ſtare Martyres atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari; odor notitiæ Dei diſſeminatur in Gentes, & ſubit tacita cogitatio quod niſi verum eſſet Evangelium, numquam ſanguine defenderetur. Neque enim delicata & divitiis fluens ac ſecura confeſſio eſt, ſed in carceribus, in plagis, in perſecutionibus, in fame, in nuditate, & ſiti. Hic triumphus eſt Dei, Apoſtolorumque victoria*. „Eumdem ſenſum attigit Am„broſiaſter. Hoc eſt (inquit) Deum per Apoſtolos „triumphare in Chriſto, victores illos facere in „fide Chriſti; ut calcata perfidia, trophæum habeat „fides; dum ex perfidis fiunt fideles, & malevoli „non prohibent in perſequendo credentes. Pergit „Apoſtolus: *Et odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco*. Et ſui notitiam velut ſuaviſſimum odorem, per me & cooperatores meos in Evangelio quaquaverſum diffundit. Præſentem Dei cognitionem appellat *odorem notitiæ* ejus, docens quod ea ſit perfectæ cognitionis parva pars: Nunc enim videmus per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad

S. Chryſoſt. Homil. 5. Theodoret. in Comment.

la-

faciem. Nunc quod ſit Deus ſcimus, non autem quæ ſit ejus natura: & quod tametſi nunc lateat, aliquando apparebit, inſtar ſuffitus, qui ſæpe in aliquo cubiculo igni admotus, etiam foras ſuavem odorem emittit. Qui autem ſunt ejus participes, illum quidem non vident, odore tamen fruuntur.

15. 16. *Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt.* Quamvis fidem Chriſti non omnes recipiant, nos tamen inſtar fragrantis unguenti, famam nominis ejus ac Evangelii, velut bonum ac ſuavem odorem, Deoque gratiſſimum diffundimus apud omnes, tum apud eos qui credunt, & ſalvi fiunt, tum apud eos qui credere nolentes pereunt. *Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.* Aliis, ſcilicet malis ac reprobis, Evangelii Prædicatio & fama nominis Chriſti quam ubique ſpargimus, odor lethalis eſt, mortem æternam illis afferens, non ex ſe, ſed illorum vitio & incredulitate, propter quam annuntiatæ ſibi veritati contradicentes ac reſiſtentes gravius condemnantur; aliis autem, ſcilicet electis, odor vitalis & ſalutaris, vitam æternam pariens & beatam immortalitatem.

Theodoret. ,, Nos quidem, inquit Apoſtolus, bonum odorem ,, omnibus præbemus: ſed non omnes qui ſunt ejus ,, participes, ſalutem aſſequuntur. Male enim affectis oculis lux eſt noxia & infeſta: & ſol tamen ,, non affert incommodum. Ferunt etiam vultures ,, fugere unguenti fragrantiam: unguentum tamen ,, ſuavem ex ſe odorem efflat, etiamſi id vultures ,, refugiant, Ita etiam ſalutaris Prædicatio iis quidem qui credunt ſalutem conciliat; iis vero qui ,, non credunt affert exitium. *Et ad hæc quis tam * idoneus?* Quotuſquiſque e Miniſtris & Prædicatoribus Evangelii eſt idoneus ad hæc, quæ dico, præſtanda? Ut ſcilicet ſit bonus odor Chriſti in omni loco? Quis ſeipſa talem ſe probat puritate prædicationis & converſationis? Quaſi diceret: Hæc autem non nos ipſi facimus, ſed per nos gratia Spiritus ſancti. Nos enim ne hoc quidem Miniſterio nos dignos exſtimamus; ſed Deus gratia ſua nos fecit idoneos Miniſtros Novi Teſtamenti.

* Vox, *tam*, abeſt a Græco textu & Syriaca Verſione, eamque in Latina Verſione prætermittunt S. Auguſtinus, Ambroſiaſter, & Sedulius.

17. *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.* Non enim ſumus plerisque ſimiles adulterantibus & corrumpentibus verbum Dei falſæ doctrinæ, ſuorumque phantaſmatum admixtione, & Evangelii prædicatione ad quæſtum & temporalia commoda abutentibus. Major eſt energia Græcæ vocis καπηλεύοντες, quam Latinæ *adulterantes*: ſignificat enim, *Cauponantes*, id eſt, inſtar cauponum vinum aqua miſcentium turpis lucri cauſa. *Hoc eſt enim cauponari, cum quis vinum adulterat; cum quis pecunia id vendit, quod gratis dare debebat. Hoc enim loco & de quæſtu eos leviter perſtringere videtur, & rurſus id quod dixi, ſignificare, nempe quod ſua illis divinis admiſceant. Quod etiam Iſaias in hæc verba objiciebat,* ,, Caupones tui vinum aqua miſcent." *Nam etſi de vino hoc dictum ſit, non tamen aberrarit, qui de doctrina hoc quoque intellexerit. At non nos, inquit, ad hunc modum: ſed qualia noſtra fidei commiſſa ſunt, talia quoque ea præbemus, doctrinam meram propinantes.* Unde ſubjungit: *Sed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.* Sed verbum Dei ut ſinceri Doctores & Prædicatores annuntiamus, nihil admiſcentes alienum; ſed prout illud a Deo accepimus; in conſpectu Dei, id eſt, Deum teſtem ac judicem præ oculis habentes, eique, non hominibus placere ſtudentes. Denique Chriſti nomine prædicamus ac auctoritate, tamquam ejus legati ac Miniſteri.

S. Chryſoſt. Homil. 5.

Iſai. 1. 22. ſecundum Verſionem Septuaginta Interpretum.

CAPUT II.

Senſus Moralis.

1. 2. *STatui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos. Si enim ego contriſtavi vos, & quis eſt qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me?* Paſtores qui ſolam Dei gloriam & animarum ſalutem præ oculis habent, parcunt infirmis exemplo Apoſtoli; vitant occaſiones ſeveriorum correptionum, cum infructuoſas fore prævident ſpectatis perſonarum & temporum circumſtantiis; illos mœrore nuſquam afficiunt, niſi id neceſſe ſit ad eorum emendationem: noverunt remedia, quamvis ex ſe ſalutaria, obeſſe magis quam prodeſſe, cum intempeſtive a Medicis imperitis vel imprudentibus adhibentur. Non ita ſe gerunt Paſtores hypocritæ & ſuperbi, qui in Eccleſia dominari, & Clero ac populo præeſſe magis amant quam prodeſſe; timeri magis curant quam amari. *Recedite polluti, clamaverunt eis: recedite, abite, nolite tangere.* ,, Talis eſt ,, vox ſuperborum Magiſtrorum, ait S. Hieronymus; ,, qui pecus quod craſſum eſt, de grege aſſumunt; & ,, quod debile, projiciunt; quod infirmum, non conſolidant; & quod ægrotum non ſanant. Recedite, ,, *inquiunt*, polluti, recedite, abite, nolite nos tangere, nolite in aliquo nobis communicare: inſanabilia ſunt vulnera veſtra, & incurabiles plagæ: ,, non eſtis digni communione Chriſtiana, ut ultra ,, in vobis inhabitet Spiritus ſanctus. Facies Domini ,, dividit vos ac reſpuit, nec addet ultra ut recipiat: ,, quia facies Sacerdotum veſtrorum non erubuiſtis, ,, nec Seniorum veſtrorum admonitionem manſuete ,, ſuſcepiſtis. Talis loquela non illuminat cæcum, ,, non ſanat ægrotum, non curat infirmum: ſed magis occidit, atque in deſperationem periclitantem ,, mittit. Boni etenim Rectores ex ſua infirmitate aliorum infirmitates penſantes, magis per humilitatis & manſuetudinis lenimentum ſtudent peccantes ,, ab erroris laqueo eruere; quam per auſteritatem in ,, foveam perditionis nutantes propellere. Unde & ,, Doctor Gentium qualiter ſubditis ſuis præfuerit, ,, oſtendit, dicens: *Factus ſum infirmis infirmus,* ,, ut infirmos lucrifacerem. Omnia omnibus factus ,, ſum, ut omnes facerem ſalvos. Quis infirmatur, & ,, ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non ,, uror? Debet Rector eſſe bene agentibus per humilitatem ſocius; contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus: ut & bonis in nullo ſe præferat; & cum pravorum culpa exigit, poteſtatem ,, protinus ſui prioratus agnoſcat: quatenus & honore ſuppreſſo, æqualem ſe ſubditis bene viventibus deputet, & erga ſubditos jura rectitudinis ,, non exercere formidet. Nam liquet quod omnes ,, homines natura æquales ſunt geniti, ſed variante ,, meritorum ordine, alios aliis culpa poſtponit. Ipſa ,, autem diverſitas acceſſit ex vitio, divino judicio ,, diſpenſante: ut quia omnis homo æque ſtare non ,, valet, alter regatur ab altero. Unde cuncti qui ,, præſunt, non in ſe poteſtatem debent ordinis penſare, ſed æqualitatem conditionis: nec præeſſe hominibus ſe gaudeant, ſed prodeſſe. Antiqui enim ,, Patres noſtri, non reges hominum, ſed Paſtores ,, pecorum fuiſſe memorantur. Et Noe Dominus dixit: *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Quorum videlicet terror ac tremor eſſe ,, ſuper animalia terræ præcipitur, profecto eſſe ſuper homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non hominibus ceteris natura prælatus ,, eſt. Et idcirco dicitur ei, ut ab animalibus, & ,, non ab hominibus timeatur: quia contra naturam ,, ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri. Et tamen ,, neceſſe eſt ut Rectores a ſubditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt: ut ,, humano ſaltem formidine peccare metuant, qui ,, judicia divina non formidant.

Correptionum remedia intempeſtive non adhibenda a Paſtoribus.

Lamentat. Jerem. 4. 15. S. Hieron. in Commentar. ejuſdem loci.

1. Cor. 9. 22. 2. Cor. 11. 29.

S. Gregorius in Paſtorali.

3. *Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cum venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere, confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium omnium veſtrum eſt.* Nulla res majori mœrore Paſtoris animum afficere debet, quam remiſſio & ſolutio diſciplinæ apud ſubditos, quam illorum peccata & impœnitentia. Nulla res majus gaudium illi afferre, quam illorum emendatio & profectus. Mœroris occaſiones timere debet, gaudii occaſiones optare, non ob ſuum commodum, ſed ob ſpiritualem illorum utilitatem. Timeat Paſtor ne oves mœrore afficere compellatur duris correptionibus & ſeveriore diſciplina. Caveant oves ne Paſtorem mœrore afficiant pravis moribus & inordinata converſatione. Alioquin merito illis dicent Paſtores cum ſancto Auguſtino in mœſtitia cordis ſui: *Non ſic plantavimus & rigavimus hortum Dominicum in vobis, ut ſpinas metamus iſtas ex vobis.*

Paſtoralis caritas.

S. Aug. Epiſt. 211. alias 109.

4. *Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas; non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Mercenarius ſolutam diſciplinam, corruptos ſubditorum mores, tranquillo corde, ſiccis oculis videt: bonus Paſtor vulnerato corde, oculis in lacrymas liqueſcentibus vitia ſubditorum intuetur, & de malo Eccleſiæ vel Congregationis ſibi commiſſæ ſtatu angitur; ingemiſcit, uberes amaraſque lachrymas effundit, ſinceræ caritatis ſuæ erga animas Chriſti ſanguine redemptas, & curæ ſuæ creditas, indices. Ita ſe geſſerunt Prophetæ & Apoſtoli ſuper quos velut fundamenta ſuperædificati ſumus. Ita ſe geſſerunt ſancti Pontifices & Epiſcopi. Unum audire juvat S. Cyprianum. ,, Lacrymis, *inquit*, magis quam ,, verbis opus eſt, ad exprimendum dolorem, quo ,, corporis noſtri plaga deflenda eſt. Quis enim ſic ,, durus ac ferreus, quis ſic fraternæ caritatis oblitus; qui inter ſuorum multiformes ruinas, &

S. Cyprian. De Lapſis.

,, lugu-

„ lugubres ac multo ſqualore deformes reliquias conſtitutis, ſiccos oculos tenere prævaleat, nec erumpente ſtatim fletu, prius gemitus ſuos lacrymis quam voce depromat? Doleo, fratres, doleo vobiſcum; nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, & ſanitas privata blanditur; quando plus Paſtor in gregis ſui vulnere vulneretur. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participo. Cum plangentibus plango: cum deflentibus defleo: cum jacentibus jacere me credo. Jaculis illis graſſantis inimici mea ſimul membra percuſſa ſunt, ſævientes gladii per mea viſcera tranſierunt. Immunis & liber a perſecutionis incurſu fuiſſe non poteſt animus. In proſtratis fratribus & me proſtravit affectus.

Dolere denique debent Paſtores, exemplo S. Pauli, cum ſeverioribus correptionibus & rigore diſciplinæ uti neceſſe eſt ad ſalutem ſubditorum. Cum Epiſtolam ſcriberem, inquit, dolebam & angebar, non hoc tantum nomine quod peccaſſetis, ſed etiam quod vobis mœrorem afferre cogerer. Verum hoc quoque ipſum ab amore in me veſtro proficiſcebatur: non ſecus ac ſi quis filium in primis charum habeat, qui ſanie laboret, eumque ſecare atque urere cogatur, utroque nomine doleat, tum quod is æger ſit, tum quod eum ſecare neceſſe habeat. Ac proinde id quod mei in vos odii ſignum eſſe exiſtimatis, magni amoris argumentum eſt.

S. Chryſoſt. Hom. 4.

6. 7. 10. *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt. Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* In his Apoſtoli verbis præclara documenta continentur. Primum, publice peccantibus condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publice imponendam, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocarunt, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocent viam. 2. Sanctiſſimam hanc diſciplinam non erga plebeios duntaxat, ignobiles & pauperes, ſed etiam erga nobiles, potentes & divites, qui crimen commiſerint unde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, exercendam eſſe ab Epiſcopis; quod juſtitiæ ratio poſtulat, Dei jura & gloria, Eccleſiæ ædificatio, & animarum ſalus expoſcunt. Ne igitur in Dei negotio, in judicio quod Chriſti nomine exercetur, acceptio ſit ulla perſonarum, aut humanæ rationes locum habeant; ne ad oſtentationem zeli ac diſciplinæ publica Pœnitentia ruſticis tantum aut plebeiis hominibus imponatur, quaſi ad experimentum in vilibus animabus faciendum; cum æqualis ſint pretii apud Deum animæ, Chriſti ſanguine pariter redemptæ: neque conditionum inæqualitas & diverſitas, nec diſparitas fortunæ, ſed ſola morum probitas & innocentia, aut peccata, vel pœnitentia, diſcrimen inter illas faciant. Secundum: *Debere Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne forte ſi peccatis connivеant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Tertium: Cum ſatisfactiones & Pœnitentiæ labores peccatoribus injuncti medicinales ſint, illos attemperari viribus ipſorum, tam animi, quam corporis, oportere; nec gravitatis tantum & numeri delictorum, ſed ſpiritalis utilitatis & ſalutis Pœnitentium, habendam eſſe a Sacerdotibus rationem. *Ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.* „ Non (inquit) quod id promereatur, nec quod eam quam par ſit, pœnitentiam gerit; ſed quia infirmus eſt, idcirco hoc peto. *Ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Quæ verba ſunt hominis magnæ pœnitentiæ teſtimonium ipſi perhibentis, nec eum in deſperationem ruere ſinentis: quod ob ejus infirmitatem metuendum erat. Ex quo diſcimus, inquit S. Chryſoſtomus, non ex ſcelerum tantum natura, ſed ex Pœnitentium etiam animo atque affectione indicendam eſſe Pœnitentiam, quemadmodum fecit Apoſtolus. Quartum: Medium tenendum eſſe a prudentibus Paſtoribus & conſcientiarum Moderatoribus, inter diſciplinæ relaxationem ſeu nimiam indulgentiam, & nimiam ac intempeſtivam ſeveritatem. *Itaque occurrendum eſt ne vitiùs ingraveſcat, neve id quod recte atque ex virtute fecimus, ob neglectum modum amittamus.* Quintum: Indulgentiam Canonicam ſeu remiſſionem pœnæ peccatis gravioribus debitæ, quam non ſolum in Eccleſiæ foro, ſed in foro juſtitiæ divinæ valere certum eſt, lapſis concedendam non eſſe ſtatim atque peccata confeſſi fuere, & ſe pœnitere conteſtantur: ſed iis tantum *quorum Pœnitentiam ſatisfactioni proxi-*

Publicis peccatoribus publica pœnitentia imponenda.

Concil. Trident. Seſſ. 24. cap. 8. De Reform.

Idem Seſſ. 14. cap. 8.

Qua prudentia Sacerdotes in pœnitentiis ſeu ſatisfactione imponenda gerere ſe debeant.

S. Chryſoſt. Hom. 4.

mam conſpexerint. Sacerdotes, iis qui diu ingemuerint, ac lacrymis, precibus, humiliationibus, laborioſis & bonis operibus odium peccati, pœnitentis animi dolorem, & novæ vitæ inchoationem probaverint. *Pœnitenti, operanti, roganti* donetur indulgentia. Sextum: Indulgentiam ex caritate, non ex juſtitia, peccatoribus confeſſis & pœnitentibus concedi. *Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum caritatem.* Unde Apoſtolus Corinthium peccatorem, quamvis peccatum confeſſus fuerit, ipſiuſque eum pœnituerit, oſtendit tamen non tam pœnitentiæ opera, quam gratia & indulgentia veniam conſequi. *Ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini.* Septimum: Indulgentiarum conceſſionem propter Eccleſiæ bonum animarum ſalutem, Chriſti gloriam, ab Apoſtolorum Succeſſoribus eſſe faciendam; prudenti caritatis moderamine, ne illarum fructus impediatur, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ nervus diſſolvatur. *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti.* Octavum: In adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento, & imponendis vel condonandis pœnis canonicis, ſequendos eſſe Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, Decreta Romanorum Pontificum, in quibus reſidet Apoſtolicæ poteſtatis & auctoritatis plenitudo, & Epiſcoporum Statuta, qui ſunt Apoſtolorum Succeſſores, & quibus portio Dominici gregis eſt commiſſa: ſummamque Paſtorum inferiorum, ſive ſecundi ordinis Sacerdotum conſenſionem eſſe debere, ut ſit uniformis, quantum fieri poteſt, diſciplina; & negotium caritatis & unitatis, in Spiritu etiam charitatis & unitatis peragatur. *Ideo enim ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis, & ego.*

S. Cypr. in Epiſt. 11.

S. Chryſoſt. Hom. 4.

11. *Ut non circumveniamur a ſatana: non enim ignoramus cogitationes ejus.* Cœleſti ſapientia & prudentia Paſtori & Moderatori conſcientiarum opus eſt, ut relaxationem inter & rigorem mediam viam ineat, quæ tutiſſima eſt. Nimia facilitate & indulgentia nemini blandiatur & conniveat: neminem præpoſtera & nimia ſeveritate in deſperationem compellat. Variæ ſunt iſtæ diaboli artes, alios in peccatum nimia veniæ facilitate & fiducia præcipites agere; alios in peccato deſperatione indulgentiæ, & ſeverioris diſciplinæ metu retinere: lethalia vulnera animabus inferre; ipſa remedia veneno inficere: nempe quod pietatis ſpecie exitium nobis afferat. Non enim hinc ſolum quod aliquem ad ſtuprum induxerit, ſed a contrario quoque perniciem afferre poteſt, nimirum ab immodico mœrore ex pœnitentia contracto. Cum igitur una cum ſuis noſtros quoque arripit ... cum & peccare jubens, perdat, & nobis pœnitentiam indicentibus, rapiat, nonne iſta circumventio eſt alteræ rei uſurpatio. Non enim ſatis habet per peccatum nos dejicere, ſed per Pœnitentiam quoque, niſi vigilantem animum præſtemus, idem efficit. Atque adeo circumventio merito appellatur, cum per ea etiam quæ noſtra ſunt, victoriam adipiſcitur. Etenim per peccatum capere, proprium ipſius eſt, non vero per Pœnitentiam. Noſtrum enim, non illius eſt hoc armorum genus. Quamobrem cum hinc quoque capere poteſt, animadverte quam turpis ac fœda ſit hæc clades, quantumque nos ut imbelles ac miſeros eſt irriſurus ac exagitaturus, ſiquidem nos noſtriſmet armis ſubegerit. Summe enim pudendum illud eſt, quod per medicamenta noſtra ipſe vulnera efficiat. Ob id Paulus ait: *Ut non circumveniamur a ſatana. Non enim ignoramus cogitationes ejus:* Hoc eſt, quam vafer, quam veterator, quam verſutus ille ſit, quam denique ſub pietatis obtentu infeſtum ſe nobis hoſtem præbeat. Hæc igitur cogitantes, nec indulgentiores ſimus quam par eſt erga peccatorum graviorum reos, & in eadem ſæpe prolapſos, nec pœnitentiæ fructibus converſionis ſuæ ſinceritatem probantes: nec duriores nos exhibeamus iis qui in proximis peccati occaſionibus non hærent, tum prava conſuetudine pugnant; & ſi ex infirmitate relabuntur, cor contritum & humiliatum delicti confeſſione, gemitibus, & ſalutaribus ſatisfactionis remediis Deo ſe offerre oſtendunt. „ Chriſti pietatem & clementiam cogitantes, non acerbi adeo, nec in fratribus fovendis inhumani eſſe debemus: ſed dolere cum dolentibus, & cum flentibus flere, & eos quantum poſſumus, & ſolatio noſtræ dilectionis erigere: nec adeo immites ac eorum Pœnitentiam retundendam, nec iterum ſoluti & faciles ad communicationem temere laxandam, Jacet ecce faucius frater ab adverſario in acie vulneratus. Inde diabolus conatur occidere quem vulneravit; hinc Chriſtus hortatur ne ſtatum pereat quem redemit. Cui de duobus aſſiſtimus, in cujus partibus ſtamus? Utrumne diabolo

Media via inter relaxationem & rigorem a Paſtoribus & Moderatoribus conſcientiarum ineunda.

S. Chryſoſt. Hom. 4.

S. Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum.

„ ſævemus ut perimat: & ſemianimem fratrem jacentem, ſicut in Evangelio Sacerdos & Levites præterimus? An vero ut ſacerdotes Dei & Chriſti, quod Chriſtus & docuit & fecit imitantes, vulneratum de adverſarii faucibus rapimus ut curatum Deo judici reſervemus?

Ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus. „ Multos circumvenit Satanas falſa Pœnitentia. Complures enim peccata ſua deflere ſe ajunt, at interim nil magni operantur. Jejunant quidem ac veſtes aſperas geſtant: cæterum majori pecuniarum cupiditate flagrant quam caupones; ira magis corripiuntur quam feræ: obtrectatione magis quam aliis laudationibus delectantur. Pœnitentiæ larva atque umbra iſta ſunt, non pœnitentia. Ad hujuſmodi homines dirigenda eſt Apoſtolica hæc adhortatio. *Videte ut circumveniamur a Satana, &c.* Alios quippe per peccata, alios per Pœnitentiam, alios alio modo perdit; dum eos nullum ex pœnitentia fructum percipere ſinit. Nam cum quibuſdam recta atque aperta via perniciem afferre nequit, alteram viam init, ſicque ſe comparat ut labores quidem augeat, fructus autem adimat; ipſiſque perſuadeat ut tanquam omni ex parte officio perfuncti, reliqua negligant. “ Non jejunium ſolum, non cilicium & cinis dumtaxat veram Pœnitentiam faciunt, ſed cordis maxime compunctio, vitæ mutatio, humiliatio, condonatio injuriarum, uberes eleemoſinæ. „ Non ſolo jejunio David Rex, Pœnitentium exemplar, peccatum expiavit; ſed per humilitatem, per cordis contritionem, per animæ compunctionem; dum etiam cavet ne in eadem relabatur; dum peccati memoriam numquam abjicit; dum irruentes omnes calamitates grato fert animo; dum iis a quibus moleſtia afficitur, parcit; dum eos qui ipſi inſidias parant, non ulciſcitur, immo ultionem prohibet. Cura igitur ut idem facias. Si quis te conviciis inſectetur, ne exaſperetis, ſed ingemiſcas, non ob illatam tibi contumeliam, ſed ob peccatum, quod te in ignominiam conjecit. Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis (nihil enim hoc eſt) ſed quod Dominum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique erga ſalutem tuam affectum, ut Filium quoque ſuum propter te tradiderit. Ingemiſce ergo aſſidue, non ſecus ac ſi quis amiſſo filio unice charo in luctu verſetur. Cor ſcinde nec extolli ſine vel inflari. Omnia adhibe remedia, quibus animæ tuæ vulnera ſanentur, humilitatem nempe, confeſſionem, injuriarum oblivionem, gratiarum actionem in rebus adverſis & incommodis, miſericordiam in juvandis tam pecunia quam ſtudio atque officio proximis, firmas denique ac robuſtas preces. Sic Vidua judicis illius immanis animum mitigavit. Quod ſi illa iniquum, quanto magis tu benignum ac manſuetum?

Peccatores falſa Pœnitentia circumvenit diabolus. *S. Chryſoſt. Hom. 4.*

2. Reg. 16.

Luc. 18.

14. 15. 16. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?* Carnales homines in rebus adverſis de ſorte ſua & felicitate conqueruntur: ingemiſcunt, impatientes ſunt, adverſus Deum quandoque murmurant. Spiritales e contra ſe beatos exiſtimant quod per afflictiones & cruces probentur, & conformes fiant patiendo Chriſto Jeſu Domino, Salvatori & Capiti noſtro. Afflicti, humiliati, vexati, gaudent, gloriantur, triumphant, Deo gratias agunt, qui probat illos, & facit dignos ſe. Humiliter agnoſcunt victoriam ſuam, fortitudinem, patientiam, & quicquid boni in ipſis eſt, quicquid bene agendo, vel patiendo merentur, eſſe a Deo per Jeſum Chriſtum, non aliquoties, ſed ſemper; idque gratiarum actione ſanctiſſime conteſtantur. Non minus autem patiendo adverſa quæque ob Dei gloriam, quam bona operando, odorem notitiæ Chriſti ubique diffundunt; ut omnes currant in odorem unguentorum ejus. Res enim odoriferæ ſi conterantur, vehementius olent, & ſuavis odoris fragrantiam longius lateque ſpargunt. *Cœpit perſecutionem pati odor Sanctorum: ſed quomodo ampulla unguentorum, quanto magis frangebatur, tanto amplius odor diffundebatur.*

Juſti ſemper ſunt bonus odor Chriſti, non minus in rebus adverſis, quam in proſperis.

Cantic. 1. S. Auguſt. Serm. 273. alias de Diverſis 101.

Chriſti bonus odor ſumus Deo, &c. Non ſoli Chriſti Miniſtri, ſeu Chriſtiani quilibet, unctione Chriſti in baptiſmo per Spiritum ſanctum delibuti, Chriſti bonus odor in omni loco eſſe debent, virtutum omnium, bonorum operum, & ſanctorum exemplorum fragrantia. Qui per Chriſti gratiam bene utuntur divini verbi prædicatione, piorum librorum lectione, Paſtorum & Superiorum correptionibus, honis piorum exemplis, hinc ſubſidia recipiunt ad vitam & ſalutem: qui vero prava voluntate prædicationi & ſalutaribus Miniſtrorum Chriſti monitis & correptionibus reſiſtunt, bonis invident, ad ſancta exempla non attendunt, quin etiam pios irridere, & obtrectationibus ſuis vel calumniis proſcindere non dubitant; inde necantur, & vitæ odorem in odorem mortis convertunt: *Aliis quidem odor mortis in mortem: aliis autem odor vitæ in vitam.* Bonum illum Chriſti odorem præſentiebat Propheta dicens: *Myrrha & gutta & caſia a veſtimentis tuis.* „ Veſtimenta Chriſti ſunt Sancti ejus, electi ejus, tota Eccleſia ejus, quam ſibi ſicut veſtem exhibet, *ſine macula & ruga*: propter maculam abluens in ſanguine; propter rugam extendens in cruce. Inde bonus odor, qui ſignificatur nominatis quibuſdam aromatibus. Audi Paulum illum minimum, fimbriam de veſtimento quam tetigit mulier in fluxu ſanguinis, & ſanata eſt; audi illum dicentem, *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt.* Non dixit, Bonus odor in iis qui ſalvi fiunt, & malus odor in iis qui pereunt; ſed quod ad nos attinet, bonus odor ſumus, & in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt. Salvum fieri hominem bono Chriſti odore, non eſt incredibile: eo vero perire, difficile capitur. *Et ad hæc quis idoneus?* Verumtamen ita eſt. Paulus prædicabat Evangelium, multi illum amabant prædicatorem Evangelii, multi illi invidebant: Qui illum amabant, bono odore ſalvabantur; qui illi invidebant, bono odore peribant. Ideo & pereuntibus non malus odor, ſed bonus odor. Erat ergo glorioſus in prædicatione verbi Dei, & vivens ſecundum regulam illius virgæ directionis; & diligebant eum qui in illo diligebant Chriſtum; qui ſequebantur bonum odorem diligebant amicum Sponſi ſui. Ipſa Sponſa quæ dicit in Canticis Canticorum. *Poſt odorem unguentorum tuorum curremus.* Illi autem quanto magis eum videbant in gloria prædicationis Evangelii & in vita inculpabili, tanto magis invidia torquebantur, & occidebantur bono odore ... *Amaſti bene agentem, vixiſti bono odore; invidiſti bene agenti, mortuus es bono odore. Numquid quia mori voluiſti, ideo odorem illum malum eſſe feciſti? Noli invidere, & non te occidet bonus odor.*

Pſal. 44. 9. S. Auguſt. Enarrat. in hunc Pſalm. Num. 22.

Cant. 1. 3.

S. Auguſt. Tract. 50. in Joan. n. 8.

Chriſti bonus odor ſumus Deo, &c. Hæc Apoſtoli ſententia & Prædicatores Evangelii ſpectat, & auditores. *Bonus Chriſti odor eſt prædicatio veritatis; quo odore vitam capit, qui Evangelio bonis operibus ſervit & congruit, mortem autem incurrit, cujus ab his quæ bene loquitur, vita diſſentit. Quæ conditio etiam auditores obſtringit, cum recta prædicatio ab aliis per incredulitatem auditur in mortem, ab aliis per fidem ſuſcipitur in ſalutem.*

S. Proſper. lib. Sentent. ex S. Auguſt. cap. 313.

17. *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.* Qui Moralis Evangelicæ veritatem amant, numquam ipſam adulterant: Sed ſincere illam non amant, niſi qui obſervant; nec obſervant, ſicut oportet, niſi qui amant. Væ Doctoribus, qui legem Dei puram atque ſinceram, & mera veritate Scripturarum & Traditionis Apoſtolicæ ſubnixam, humanis traditionibus & opinionibus corrumpunt! *Omnis Doctor qui auſteritatem Scripturarum, per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur ut non corrigat, ſed delectet audientes, vinum ſanctorum Scripturarum violat atque corrumpit ſenſu ſuo...* Adulterant verbum Dei, qui adorandis Scripturarum verbis ad fabulas & profana colloquia abutuntur; *qui ſua cogitata gratia admiſcent*, ut loquitur Theodoretus: qui ex prædicatione verbi Dei plauſum quærunt auditorum, non fructum; voluptatem, non prolem. Ut digne a Concionatoribus annuntietur Dei verbum, ut ab auditoribus fructuoſe audiatur, cogitent & illi & iſti, Concionatorem *ex Deo* loqui, ut miniſtrum ejus & legatum: *coram Deo* & ſub ejus oculis, qui ſinceræ aut pravæ intentionis teſtis eſt ſcrutator, & judex: *in Chriſto*, in perſona Jeſu Chriſti, vice ipſius, propter gloriam nominis illius. Qui aliter ſe gerunt Concionatores, indigni ſunt Miniſterio verbi. Qui ita concionantur exemplo Apoſtoli, ſumma veneratione, docilitate & pietate audiendi ſunt a fidelibus, non ob delectationem, ut ſæpe fit, ſed ob fructum ſpiritualem. *Adulterare verbum Dei*, inquit S. Gregorius, *eſt aut aliter de illo ſentire, quam eſt; aut ex eo non ſpiritales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex ſinceritate vero loqui, eſt nil in eloquio extra quam oporteat quærere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui ſcit non ſe a ſe habere, ſed ex Deo accepiſſe quod dicit. Coram Deo vero loquitur, qui in omni quod dicit, non humanos favores appetit, ſed omnipotentis Dei præ-*

A quibus adulteratur verbum Dei?

S. Hieron. lib. 1. in Iſaiam, in hæc verb. Caupones tui miſcent vinum aqua.

Verbum Dei ſincere prædicandum, ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto.

S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 12.

Chriſtiani quilibet bonus odor Chriſti in omni loco eſſe debent.

Digitized by Google

præſentia intendit; non ſuam, ſed Auctoris gloriam requirit. Qui autem ſcit quidem ex Deo ſe accepiſſe quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam quærit; ſicut ex Deo loquitur, ſed non coram Deo: quia eum quem cordi ſuo non proponit cum prædicat, quaſi abſentem putat. Sed Sancti viri & ex Deo loquuntur, & coram Deo: quia & ab eo ſe ſciunt habere quod dicunt, & ipſum ſuis ſermonibus adeſſe judicem adjutoremque conſiderant. Unde fit, ut cum ſe a proximis deſpici agnoſcunt, ſuaque dicta vita audientium non prodeſſe, abſcondunt quanta virtute ſint: ne ſi ſecretum cordis inutiliter ſermo prolatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat. Cum igitur auditores noſtri noſtra volunt quaſi laudanda cognoſcere, non autem ſua perverſa mutare, omnino taceamus: ne ſi oſtentationis ſtudio verbum Dei loquimur, & eorum culpa quæ erat, eſſe non deſinat; & noſtra quæ non erat, fiat.

CAPUT III.

Senſus Litteralis.

1. I*Ncipimus iterum noſmetipſos commendare? aut nunquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis Epiſtolis ad vos, aut ex vobis?* Ne quis vero exiſtimet nos hæc dicere ut nos ipſos commendemus, aut veſtram captemus benevolentiam, commodum aliquod noſtrum inde ſperantes, ſicut & nos ipſos commendare viſi ſumus priore ad vos Epiſtola, cum tamen neceſſitate compulſi ea ſcripſerimus, quæ ad commendationem miniſterii noſtri, & utilitatem veſtram ſpiritualem neceſſaria erant. Non certe nobis opus eſt commendatitiis litteris aliorum ad vos, aut a vobis ad alios, ut apud vos aut illos ſimus in pretio, & auctoritatem ac gratiam habeamus. Litteras hujuſmodi ad ſuorum commendationem meritorum, ad ſuam falſi nominis ſcientiam vel eloquentiam prædicandam, conquirunt & venditant Pſeudo-apoſtoli: his vero nec ego Apoſtolus veſter, neque adjutores mei, indigemus.

2. 3. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus.* Fides & converſatio veſtra nobis eſt inſtar Epiſtolæ commendatitiæ, quam in intimo quaſi ſinu deſcriptam ubique circumferimus, quam inſpicere & legere in promptu eſt omnibus. Prius agnoſcitur manus, deinde legitur Epiſtola. Sic Corinthios Chriſtianos omnes ſciebant eſſe S. Pauli diſcipulos: deinde videbant ſenſus ipſius, ſive potius Evangelii quod illis prædicaverat, in illorum vita expreſſos. *Manifeſtati quod Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Fide & converſatione veſtra declaratis, vos Epiſtolam eſſe Chriſti, miniſterio noſtro deſcriptam. In vobis lex & præcepta Chriſti deſcripta manent ac ſervantur: ſcripta, inquam, non atramento, ut hominum litteræ, ſed Spiritu ſancto, cujus vivifica vis eſt ad regenerationem animarum. Scripta, non in tabulis lapideis, ut olim Lex Moſis: ſed in cordibus, ceu tabulis quibuſdam, non duris inſtar lapidum: ſed inſtar carnis mollibus, id eſt, facilibus & promptis ad obedientiam. Confer cum Jeremiæ 31. 33. *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Et Ezechiel. 36. 26. 27. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.*

Carnale non hic opponitur ſpirituali, ut alibi paſſim, ſed ei quod durum eſt. Quod & Græca vocu diſcrimen oſtendit. Non enim *σαρκικαῖς* ſed *σαρκίναις* hic legitur.

Exod. 31. 18.

4. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum.* Porro de Miniſterii noſtri, præ Moſaico, dignitate, & efficacia, non in nobis, & viribus noſtris nativis, ſed in Chriſto, cujus meritis & gratia ad tantum Miniſterium electi & aſſumpti ſumus, tam fidenter gloriamur, non apud homines, ſed apud Deum, laborum noſtrorum in Evangelii prædicatione & propagatione remuneratorem ... „ Nihil, inquit, noſtrum, ſed fiducia noſtra, id eſt, „ gloriatio noſtra, per Chriſtum eſt ad Deum. Chri„ ſtus enim nobis eſt cauſa cur in Deo gloriemur, „ nihilque plane noſtrum eſt, ne minimum quidem.

Theophylact.

5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Non quod idonei ſimus a nobis ipſis cogitare cum pio voluntatis affectu bonum aliquod pertinens ad ſalutem vitæ æternæ, (multo minus operari) quaſi ex propriis naturæ noſtræ & liberi arbitrii viribus: ſed quod idonei ſimus ad ſalutare aliquod bonum cogitandum, eligendum, operandum, totum gratiæ Dei donum eſt. Confer cum Canone VII. Concilii Arauſicani ſecundi, cujus hæc ſunt verba: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicæ Prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis,* Sine me nihil poteſtis facere, *& illud Apoſtoli,* „ Non quod idonei ſi„ mus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, „ ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

Nihil boni ex nobis, non ſolum agere, ſed nequidem cogitare poſſumus.

Joan. 15. 5.

6. *Qui & idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti; non litteræ, ſed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Deus nos novi fœderis & Evangelii Miniſtros idoneos non reperit, ſed gratia ſua fecit. Sic Saulus gratia Dei mutatus eſt in virum alterum, ut olim Saul ad regnum a Deo aſſumptus. Eſt autem Novum Teſtamentum, pactum ſeu promiſſio vitæ æternæ gratuito donandæ nobis a Deo per Chriſtum. Hoc beneficium qui annuntiant hominibus, illiſque diſpenſant quæ ad tantum bonum conſequendum conducunt, Miniſtri ſunt Novi Teſtamenti, non litteræ, ſed ſpiritus, id eſt, non legis Moſaicæ litteris tantum deſcriptæ, & omni ſpirituali virtute ad præſtandum quod jubet, deſtitutæ: ſed legis Novæ, adjunctam Spiritus ſancti virtutem habentis ad eam implendam, & ad ſanandum hominem a vitio vetuſtatis. „ Non Moſes Spiritum, „ ſed litteras in tabulis lapideis deſcriptas attulit. „ At noſtræ fidei commiſſum eſt ut Spiritum demus. *Littera enim occidit: Spiritus autem vivificat.* Lex Moſis, quæ tantum litteris ſcripta eſt, non ſuo quidem vitio, quia bona & ſancta eſt, ſed occaſione innatæ hominibus concupiſcentiæ, peccatum auget, quatenus cognitionem dat peccati, & concupiſcentiam magis accendit, quatenus nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata: & bonum jubens, nec vires conferens ad præſtandum, utpote gratiæ præſidio deſtituta, facta eſt illis quibus data eſt æternæ mortis occaſio... Spiritus autem Dei cum novo Teſtamento conjunctus, & per ejus Miniſtros a Chriſto datus, per gratiam & caritatem in cordibus diffuſam, quæ nos Evangelicæ legis obſervatores efficit, jus dat nobis ad vitam æternam. Confer cum *Epiſt. ad Romanos* cap. 4. 15. & cap. 7. Verſ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Ex utriuſque enim loci collatione eluceſcet quo ſenſu dixerit Apoſtolus, *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Littera quippe occidit ſine Spiritu vivificante, ſicut ſcientia inflat ſine caritate. „ Legis (inquam) littera, quæ docet „ non eſſe peccandum, ſi Spiritus vivificans deſit, „ occidit: ſciri enim facit peccatum potius quam „ caveri, & ideo magis augeri quam minui, quia „ malæ concupiſcentiæ etiam prævaricatio legis ac„ cedit, quæ nulla eſt ubi lex non eſt.

Legis interitus.

1. Reg. 10. 6.

S. Aug. lib. De Spiritu & Littera c. 17.

S. Chryſoſt. Hom. 6.

S. Aug. lib. 15. Contra Fauſtum, c. 8. lib. 2. Contra Adverſarium Legis & Prophet. c. 7. lib. De Spiritu & Littera, cap. 4. & 5 & ſeq.

7. 8. *Quod ſi miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria: ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria?* Si miniſterium legis tabulis lapideis inſcriptæ, quæ mortis erat occaſio, tam glorioſum fuit, ut non poſſent Iſraelitæ intentis oculis intueri faciem Moſis legem miniſtrantis, propter majeſtatem & ſplendorem vultus ejus longiter radiantis ex conſortio ſermonis Domini: quamvis claritas illa & gloria tranſitoria eſſet, ac abolenda, in ſignum abrogationis Levitici Miniſterii: quanto magis Miniſterium Evangelii quod Spiritum ſanctum ſubminiſtrat, honorabitur a Deo? Quanto majorem & diuturniorem gloriam habebit, eam ſcilicet, quæ in futurum ſæculum promiſſa eſt? Quæ licet omnibus electis ſit communis, longe tamen major ſervatur idoneis novi Teſtamenti Miniſtris, per quos ceteri in gloriam adducuntur.

Miniſterium Novi Teſtamenti longe excellentius & honorabilius Miniſterio Legis.

Exod. 34. 29. 30.

9. 10. *Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.* Quod ſi miniſterium legis, quæ homines, data occaſione tranſgreſſionis, faciebat æternæ morti obnoxios, adeo glorioſum fuit: multo major & excellentior gloria parata eſt Miniſtris Evangelii & novi fœderis, quod juſtitiam confert interiorem, qua damnatio mortis aboletur, & vita æterna acquiritur. *Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.* Et hæc ipſa gloria miniſterii veteris legis, quæ in Moſe reſplenduit, ne quidem eſt digna nomine gloriæ, ſi cum gloria longe excellentiore miniſterii novæ legis comparetur. „ Noctu enim lu„ men lucernæ videtur ſplendidiſſimum: meridie au„ tem abſconditur, & ne lumen quidem eſſe pu„ tatur.

Theodoret.

11. *Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt: multo magis quod manet in gloria eſt.* Si enim miniſterium

Digitized by Google

quod abolendum erat cum lege, & jam antiquatum eſt, glorioſum fuit, multo glorioſius eſt miniſterium novæ legis, in finem uſque ſæculi permanſuræ; immo, quod fructum ſpectat, æternum duraturæ, ſicut Chriſti ſacerdotium æternum eſt.

12. *Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia utimur.* Cum igitur ſpem habeamus tam excellentis gloriæ, ſumma libertate loquimur & prædicamus vobis aliiſque gentibus doctrinam Evangelii. Id enim luci & gloriæ Evangelii convenit.

13. *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus, quod evacuatur.* Secundum Græcum Textum, cui conſonat Syriaca Verſio, legendum eſſet, * *Ut non intenderent filii Iſrael in finem ejus, quod evacuatur*, & ita legerunt S. Auguſtinus, Ambroſiaſter, Sedulius, Primaſius. Et non facimus ſicut Moyſes, qui de monte Sinai cum novis tabulis deſcendens, velabat faciem ſuam ex Dei conſortio radiantem, ne Iſraelitæ faciem ejus viderent, cujus ſplendori ferendo impares erant eorum oculi. Quod quidem velamen, & claritas vultus Moyſis, cui obumbrando neceſſarium erat velamen, ne radii ex eo promicantes præſtringerent debiles oculos, brevi abolenda erant. Hoc autem velamen ſignificabat Iſraelitas carnales finem legis, ſcilicet Chriſtum Myſteriaque ſub litteræ velamine occultata videre non poſſe. Chriſtus ſcilicet *Finis legis* eſt, & totius Miniſterii Moſaici, quia omnium figurarum legalium ſignificatio in illo impleta eſt. „Quod dictum eſt de Miniſtro Veteris teſtamenti Moyſe, quod non poterant intendere filii Iſrael in faciem ejus propter gloriam vultus ejus, ſignum erat, inquit S. Auguſtinus, quia Chriſtum intellecturi non erant. Et ideo velamen inter faciem Moyſi & ipſos poſitum erat, *ut non intenderent*, ſicut ſcriptum eſt, *filii Iſrael uſque in finem*. Finis autem Legis qui eſt? Ad hoc non ego, ſed Apoſtolus ipſe reſpondeat: *Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*. „Finis perficiens, non interficiens. Finis quippe dicitur propter quem fiunt omnia, quæ aliquo fiunt officio. Quia itaque illa omnia propter Chriſtum fiebant, quem filii Iſrael in iis quæ fiebant non intelligebant; hoc ſignificabat velamen, quod eos uſque in finem non ſinebat intendere, id eſt, uſque ad faciem Moyſi, quæ ſignificabat Chriſtum. Sed ideo dictum eſt quod evacuetur hæc gloria, quia omnes umbræ ſignificantes evacuantur, cum res quæ ſignificatur advenerit. Quemadmodum enim ſcientia quæ nunc eſt, evacuatur, ſicut idem dicit Apoſtolus, cum venerit illa quam dicit, facie ad faciem. ſic & iſta quæ in ombris tradita erant Judæis in vetere Teſtamento, neceſſe fuit evacuari revelatione Teſtamenti novi. Hunc verſum Theodoretus eodem ſenſu exponit. *Nos velamine opus non habemus, ſicut ille* (Moyſes) *quia cum fiducia loquimur: omnes autem qui credunt, intelligentis lucis ſplendore fruuntur. Significat ergo, quod Judæorum incredulitatem vaticinans diviniſſimus Moyſes, velo faciem obtegebat, docens legis finem illos minime viſuros. Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Hoc eſt enim quod ait.* „Ad hoc ne filii Iſrael intendant oculos ad finem ejus quod evacuatur. *Evacuari enim legem dicit, hoc eſt ceſſare: finem autem ejus quod evacuatur, eum qui ſub lege prædicatur, hoc eſt Chriſtum.*

* εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου.

S. Auguſt. lib. 2. Contra Adverſarium Legis & Prophe't. cap. 7.

Rom. 10. 4.

1. Cor. 13. 12.

Velamen Judæorum mentes obnubilans, ne Chriſtum Jeſum finem Legis intelligant.

14. *Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum* (*quoniam in Chriſto evacuatur.*) Itaque mentes eorum excæcatæ ſunt & obduruerunt, *non alio quopiam obcæcante, ſed ipſiſmet libera voluntate hoc malum ſuſcipientibus*. Idem illud velamen, quod olim faciem Moyſis obnubilabat, ſeu res illo velamine ſignificata, nempe Judaicarum mentium obtuſio, hebetudo, cæcitas, incredulitas, obduratio, hodieque manet in eis vetus Teſtamentum legentibus. Nec ab eis auſertur velamen illud, quia non tollitur niſi per Chriſtum fide receptum, quem illi non recipiunt.

Theodoret.

15. *Sed uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Hodieque cum libri Moyſis omni Sabbato in Synagogis leguntur, infideles Judæi eadem mentis cæcitate & hebetudine laborant, figuris pertinaciter inhærentes ex præjudicatæ mentis affectu, & reſpuentes Evangelii veritatem. „Velamen, ait S. Thomas, dicitur apponi alicui dupliciter: aut quia apponitur rei viſæ, ne poſſit videri; aut quia apponitur videnti, ne videat. Judæis in veteri lege utroque modo appoſitum erat velamen: nam & corda eorum excæcata erant, ne cognoſcerent veritatem, propter eorum duritiem; & vetus Teſtamentum nondum completum erat, quia nondum veritas venerat. In cujus rei typum velamen erat ſuper faciem Moyſis, & non ſuper facies eorum. Sed veniente Chriſto, velamen remotum eſt a facie Moyſis, id eſt, a veteri Teſtamento, quia jam impletum eſt: ſed tamen non eſt remotum a cordibus eorum.

S. Thomas Lect. 3. in hoc Caput.

16. *Cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Cum autem Iſrael converſus fuerit ad Dominum, ſive totus in fine ſæculi, ſive ex parte, velamen ab ejus corde auferetur, ut lucem Evangelii, & gloriam Chriſti novæ legis Conditoris in eo conſpiciat. Sicut Moyſes, cum ad conſortium & colloquium Domini redibat, velamen faciei ſuæ impoſitum deponebat.

17. *Dominus autem Spiritus eſt: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Spiritus autem ille vivificans, ad quem a legis occidente littera corda convertenda ſunt, Dominus eſt. Non eſt igitur exiſtimandum iis qui convertuntur ad Spiritum per fidem Evangelii, aliquid minus præſtari quam Moyſi qui ab Iſraele convertebatur ad Dominum, ut cum eo ore ad os loqueretur, quia Spiritus ipſe eſt Dominus. Hinc Spiritus ſancti divinitatem probant Patres. Etenim ſi creatura eſt, & nos ad eum accedimus, Moyſes autem ad Deum & Patrem: noſtra ergo longe ſunt minora veteribus. Quod ſi minora non ſunt, ſed multo majora, non eſt ergo Spiritus ſanctus creatura, ſed æqualis Patri & Filio honore & poteſtate. *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Ubi Spiritus ſanctus inhabitat, qui a Patre & Filio procedit ut verus Deus, & qui per Chriſtum & propter Chriſtum fidelibus datur, ibi libertas eſt, abolita ſervitute, cujus ſignum erat velamen. Donatur autem a Spiritu ſancto libertas, non ab obedientia præceptorum, ſed a ſervitute legis, a jugo ceremoniali, a peccato, maliſque omnibus quæ ex legis violatione ſequuntur. Ad ſervitutem legis pertinebat ſigna pro rebus amplecti. Ab hac ſervitute Credentes liberavit Spiritus ſanctus. *Ea eſt enim miſerabilis animæ ſervitus, ſigna pro rebus accipere, & ſupra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non poſſe ... Quamobrem Chriſtiana libertas eos, quos invenit ſub ſignis utilibus, tamquam prope inventos, interpretatis ſignis quibus ſubditi erant, elevatos ad eas res quarum illa ſigna ſunt, liberavit. Ex his facta ſunt Eccleſiæ ſanctorum Iſraelitarum.*

Spiritus ſancti divinitas.

S. Chryſoſt. Homil. 7. Theodoret. Theophylact.

Chriſtiana libertas.

S. Aug. l. 3. De Doctrina Chriſt. cap. 5. & 8.

18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu.* Nos vero omnes Novi Teſtamenti filii, ac præſertim Evangelii Miniſtri, remoto velamine & retecta facie gloriam Domini & ejus Myſteria per fidem intuemur, eorum notitiam non ſolum in mentibus noſtris recipientes, verum etiam ad alios aperta ac libera Evangelii prædicatione refundentes, inſtar ſpeculorum. Dei vero imagine in nobis recepta & expreſſa per fidem & gratiam, in eam transformamur, deiformes, id eſt Deo ſimiles effecti, a claritate in claritatem, ſeu a gloria in gloriam, a gloria Domini ad noſtram, cœleſtes quodammodo facti, & in Chriſti cognitione & gratia quotidie proficientes, donec perfecte ſimiles Deo ſimus, eum videntes ſicuti eſt. Id autem fit Spiritu ſancto nos illuminante & transformante. „*In eamdem imaginem transformamur*, id eſt, de forma in formam mutamur, atque tranſimus de forma obſcura in formam lucidam; quia & ipſa obſcura imago Dei eſt; & ſi imago, profecto etiam gloria, in qua homines creati ſumus, præſtantes ceteris animalibus. De ipſa quippe natura humana dictum eſt, *Vir non debet velare caput, cum ſit imago & gloria Dei*. Quæ natura in rebus creatis excellentiſſima, cum a ſuo Creatore ab impietate juſtificatur, a deformi forma formoſam transfertur in formam. Eſt quippe & in ipſa impietate, quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis. Et propter hoc addidit, *De gloria in gloriam*: de gloria creationis, in gloriam juſtificationis: de gloria fidei, in gloriam ſpeciei; de gloria qua filii Dei ſumus, in gloriam qua ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quod vero adjunxit, *tamquam a Domini Spiritu*: oſtendit gratia Dei nobis conferri tam optandæ transformationis bonum.

S. Chryſoſt. Hom. 7. Theodoret.

S. Aug. lib. 15. De Trinitate, cap. 8.

1. Cor. 11. 7.

1. Joan. 3. 2.

In eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem: 1. A claritate cognitionis naturalis in claritatem cognitionis fidei: 2. a claritate cognitionis veteris Teſtamenti in claritatem cognitionis gratiæ Novi Teſtamenti: 3. a claritate cognitionis naturalis, & veteris ac Novi Teſtamenti, in claritatem viſionis æternæ. Sed unde hoc eſt? Non ex littera legis, ſed *tamquam a Domini Spiritu*.

S. Thomas. Lect. 3.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Senſus Moralis.

Deus laudandus a nobis, non nos ipſi.

1. 2. *INcipimus interim noſmetipſos commendare? Aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis Epiſtolis ad vos, aut ex vobis?* Paſtori vere humili dura & ingrata omnino neceſſitas eſt, qua ad ſui ipſius commendationem compellitur, & ad Miniſterium ſuum magnificentius prædicandum. Seipſum laudare abſque hujuſmodi neceſſitate, quam proximorum ſalus quandoque imponit, & quæ tamen periculoſa eſt iis qui Apoſtolicum animum & in humilitate firmatum non habent, ſumma fatuitas eſt, & ineptiſſima vanitas. *Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus & non labia tua,* ait Spiritus ſanctus. Verumtamen inventum eſt quomodo te laudare poſſis, & arrogans non ſis. Apoſtolum imitare. *Deum in te lauda, non te: non quia tu es talis, ſed quia ille facit te; non quia tu aliquid potes, ſed quia poteſt ille in te & per te.* Ita implebis quod propheta precatur: *Ut audiam vocem laudis, & enarrem univerſa mirabilia tua.* „Audire vocem laudis, „eſt intelligere intus, quia quicquid in te mali eſt „de peccatis, tuum eſt; quicquid boni in juſtifica-„tionibus, Dei eſt. Ita audi vocem laudis, ut „non te laudes & quando bonus es. " *Nam laudando te bonum, fis malus. Bonum enim te fecerat humilitas, malum te facit ſuperbia.* Multi & ore corporis ſe ipſos laudant, qui diaboli ſuperbiam, non vero artes ejus imitantur; alii ore cordis duntaxat ſe laudant, quamvis laudes hominum ſe non amare ſimulent, ut de ipſo vanæ gloriæ contemptu vanius glorientur. In privata quadam excellentia ſibi ipſis placent. Verum qui placet ſibi, ſtulto homini placet. Sibi de ſeipſo placere, non eſt juſtitiæ caritas, ſed ſuperbiæ vanitas. Cujus vero in corde radices egit humilitas, quemadmodum egerat in corde Apoſtoli, hic non ſolum ſibi non placet, ſed nec externas commendationes quærit, ſuæ conſcientiæ teſtimonio fretus, & ſincera Miniſterii ſui coram Deo, & propter ſolam ejus gloriam perfunctione. *Aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis Epiſtolis ad vos, aut ex vobis?* Doctrinæ veritas & ſanctitas vitæ, ſola ſunt Chriſti Jeſu Miniſtro digna commendatio. Diœceſis, Parochia, Congregatio Clericorum aut Religioſorum Virorum, in qua Evangelicæ, Eccleſiaſticæ, Religioſæ Diſciplinæ accurata obſervantia viget, Epiſtola eſt palam omnium oculis expoſita, quæ Epiſcopi, Parochi, Superioris caritatem, zelum, fidem ac diligentiam commendat. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus.*

Proverb. 27. 2. S. Auguſt. in Pſal. 144.

Pſal. 25. S. Auguſt. Enarrat. in hunc Pſal. in 11.

3. 4. *Manifeſtati quod Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Cor hominis tabula eſt & charta Dei vivi: digitus ejus, Spiritus ſanctus; gratia, vice atramenti eſt; caractetes, caritas, virtuteſque ceteræ. Caveamus ne cor noſtrum ſub digito Dei obduretur, ne timor carnalis, humanus, ſervilis caritatem deleat, divinos virtutum & donorum Spiritus ſancti characteres oblitteret; ne diabolus malitia doliſque ſuis, rerum temporalium, voluptatum, & pomparum ſæculi, quibus in Baptiſmo renuntiavimus, amorem imprimat & inſculpat. Tam obliquos, tam deformes caracteres per ſe ſuſcipere poteſt cor noſtrum; ad hoc unum ſibi ſufficit, de ſuo non habens niſi mendacium & peccatum. Ut vero legis Dei amor in cordibus noſtris ſcribatur a Spiritu ſancto, & dicere poſſimus cum Propheta: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei,* per Chriſtum habemus, ex ejus donatione, miſeratione, magnificentia & meritis. Per ipſum & in ipſo Miniſtri Evangelii, doctrinæ veritatis & ſalutis, caracteribus pietatis & virtutum in animis fidelium deſcribendis cooperantur, ut ejus amanuenſes & ſcribæ. *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata a nobis . . Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum.*

Nihil boni cogitare poſſumus ex nobis, multo minus deſiderare, & perficere.

5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Bonæ cogitationes, quæ prima ſunt & tenuiſſima boni operis ſemina, ſunt fructus gratiæ; gratia vero non ex meritis, alioqui non eſſet gratia, ſi gratis non donaretur, ſed debita redderetur. Omne vero meritum a gratia eſt, „Cogitare bonum, minus eſt „quam cupere. Cogitamus quippe omne quod cupi-„mus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus; „quoniam nonnumquam & quod non cupimus cogi-„tamus. Cum igitur minus ſit cogitare quam cu-„pere; poteſt enim homo cogitare bonum, quod „nondum cupit; & proficiendo poſtea cupere, quod „antea non cupiendo cogitavit: Quomodo ad id „quod minus eſt, id eſt, ad cogitandum aliquid bo-„ni non ſumus idonei tamquam ex nobis ipſis, ſed „ſufficientia noſtra ex Deo eſt; & ad id quod eſt „amplius, id eſt, ad cupiendum aliquid boni, ſine „divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? Si vero ad cogitandum, ſi ad cupiendum aliquid ex nobis tamquam ex nobis, non ſumus idonei, multo minus ad perficiendum bonum, multo minus ad perſeverandum in bono. Quæ cum ita ſint, nihil nobis tribuere, in nullo gloriari debemus, quando noſtrum nihil ſit, ſed totum Deo dandum, totum ad illum per humilem gratiarum actionem referendum eſt. Quocirca ſacroſanctum Concilium Tridentinum ait: *Qui ex nobis tamquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus: ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus,* &c.

S. Ambroſ. lib. 2. Contra duas Epiſt. Pelagian. ad Bonifacium, c. 8.

S. Cyprian. S. Chryſoſt. Hom. 6. S. Auguſt. paſſim. Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 8.

6. 7. 8. *Qui & idoneos nos fecit, Miniſtros Novi Teſtamenti; non littera; ſed Spiritu. Littera enim occidit; Spiritus autem vivificat.* Solius Dei vocatione, ſolo Spiritus ſancti ductu Miniſterium ſacrum, Paſtorale officium, regimen animarum, Evangelii prædicandi, & conſcientias dirigendi munus capeſſendum eſt, ſi quidem ſolus Deus nos idoneos facit Miniſtros Novi Teſtamenti: Per Chriſtum, cum Chriſto, & in Chriſto laborare debent Eccleſiæ Miniſtri: ab illo uno expectare fauſtum exitum & fructum laboris, & præmium quo propria dona coronabit. Miniſtri ſumus, una nobis cura eſſe debet ut Chriſto & ejus Sponſæ ſerviamus; non privatam noſtram utilitatem & gloriam quærentes, ſed Domini, qui nos idoneos fecit Miniſtros, non veteris, ſed Novi Teſtamenti, vetere multo excellentioris. Vetus enim Teſtamentum ſolam per ſe litteram habet, Novum Teſtamentum hic litteram habet ac Spiritum: cum vero conſummatum fuerit in cœlis, ſolum Spiritum habebit. *Non littera, ſed Spiritu. Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Littera ipſa Evangelii Chriſtianos qui nomine tenus tales ſunt, & Judaice vivunt, praviſque operibus merentur Spiritu ſancto deſtitui, non vivificat, ſed occidit, illos in infirmitate ſua ad omne bonum, quod attinet ad ſalutem vitæ æternæ, derelinquens, concupiſcentiam augens & præſumptionem; quatenus peccatores occaſionem graviorum tranſgreſſionum accipiunt ex mandato. Verum littera, quam Spiritus & gratia Dei comitatur, & quæ eodem Spiritu ſancto operante ſit canalis charitatis, animum vivificat Evangelicæ Legis obſervantia. *Lex diſtinguitur a gratia, eo quod ſub illa elidantur elati, ſub iſta erigantur eliſi; & quod illa in tantum bona ſit ut bona jubeat, hæc tantum ut bona conferat. Illa juſtitia facit auditorem, iſta factorem. Et ideo ſub illa peccator, inſuper & prævaricator amiſſa excuſatione ignorantiæ convictus jacet: ſub iſta vero & parcente & opitulante, nec qui mala eſt operatus extinguitur, & ut bona operetur accenditur. Quod ergo eſt mirum ſi illa dicta eſt miniſtratio mortis, ubi littera occidit, malum prohibendo quod fit; iſta vero dicta eſt miniſtratio Spiritus, ut quo vivificante, ut a prævaricationis morte ſurgamus, & juſtitiam non tantum legamus in tabulis, ſed libere in cordibus & in moribus habeamus. Hoc eſt Teſtamentum Novum diſtans a Vetere, quia ibi vetus homo formidinis coarctatur anguſtiis, hic novus ſatiatur latitudine charitatis.*

Sola Dei vocatione Sacrum Miniſterium capeſſendum eſt.

Legis & Gratiæ diſcrimen.

S. Auguſt. lib. 2. Contra Adverſarium Legis & Prophet. cap. 1.

7. 8. 9. 10. 11. 12. *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria . . . Quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria?* Miniſterii Evangelici gloria in eo poſita eſt, primo, quod Spiritum ſanctum habeat auctorem, quod Spiritui ſancto ſerviat, & quod Novi Teſtamenti Miniſtri gratiam præbeant ſanctiſſimi Spiritus. In omnibus igitur exhibere ſe debent ut Spiritus ſancti organa, ut Chriſti Miniſtros & cooperatores in donatione gratiæ, in animarum ſanctificatione, ſive Sacris operentur, & Sacramenta adminiſtrent, ſive Dei verbum prædicent, ſive orationi vacent, ſive externo Eccleſiarum regimini intendant, Viſitationibus Sacris, Synodis, Statutis & Mandatis, Diſciplinæ ſanctioni, Canonum executioni, morum emendationi. Nihil agant omnino niſi a Spiritu ſancto agantur, niſi ab eo ducantur. Caveant ne cupiditas, ne privatus amor ducat eos, non Spiritus ſanctus. Ea ſint morum puritate, mentis & corporis ſanctitate, quæ ſancti Spiritus Miniſtros decet. Nadab & Abiu non „imitentur, qui *ignem alienum* coram Domino ado-„leverunt, & ideo exuſti ſunt & conſumpti igne „divino quo ipſi carebant. Ignem autem alienum „videtur accendere, quiſquis corporeæ vel ſæcu-„laris alicujus cupiditatis ignem in ſacrario ſui cor-„dis accenderit, audet appropinquare ad altaria Do-„mini, quæ non recipiunt niſi illius ignis accen-„ſionem.

Eccleſiæ Miniſtri in omnibus functionibus ſuis gerere ſe debent ut organa Spiritus ſancti.

Levit. 10. S. Paulinus Epiſt. 1. ad Aprum.

Digitized by Google

Luc. 12. 49.

„ ſionem, de quo ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Hoc igne nos, Domine Jeſu, ſemper accende. Hic enim ſolus qui a te eſt ignis, igni reſiſtet æterno. Habentes autem cor ardens in via Domini, non alienum, ſed ſuum ignem Domino accendimus, & inter ignes ſæculi hoc igne muniti, ſicut illi in camino pueri rorabimur, & hymnum Domino cantabimus... Miniſterium Novi Teſtamenti Miniſterium eſt Spiritus vivificantis: indigni ſunt igitur hoc Miniſterio, eoque ad ſuam & aliorum damnationem abutuntur, qui doctrinas & opiniones hominum, doctrinæ Spiritus ſancti, ac regulis traditis a ſanctis hominibus Dei, qui eodem Spiritu inſpirante vel dirigente locuti ſunt, contrarias ſecuti, vel præcipites Cenſuras ferunt, vel Abſolutiones nimia facilitate & præpropera feſtinatione concedunt in Pœnitentiæ tribunali, Dei legem in eorum cordibus ſcribere non curantes, quibus Sacramenta adminiſtrant; & animas interficientes, quibus vivificandis debent cooperari. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ait Dominus, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Secundo, Miniſterii Evangelici gloria in eo poſita eſt quod ſit *miniſterium juſtitiæ*. Unde Apoſtolus noſter ait: *Si miniſtratio damnationis gloria eſt: multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.* Juſtitia univerſalis virtus eſt: Miniſtri igitur novi Teſtamenti omnium virtutum Evangelicarum exemplaria eſſe debent. Juſtitia Novi Teſtamenti interior eſt: Legem igitur Dei ſcriptam habeant in cordibus per caritatem, ut Spiritui ſancto miniſtrent ad eam in aliorum cordibus deſcribendam. Splendeſcant puro veritatis lumine, ardeant ejus amore, ceteris præluceant Evangelicæ legis obſervantia, quæ vera juſtitia eſt, oppoſita juſtitiæ Phariſæorum qui dicunt, & non faciunt. Sint *ſal terræ, lux mundi, civitas ſupra montem poſita*; verbo & exemplo ad juſtitiam erudiantes plurimos. Eccleſiæ Miniſtri & Prælati non pretioſa ſuppellectile, non curruum & equorum pretio, non ædium magnificentia, non frequenti famulitio, non opipara menſa & exquiſitis dapibus, ſed *fide & vita meritis dignitatis ſuæ auctoritatem quærant*. Tertio, Miniſterii Evangelici gloria, æterna eſt, non temporaria, ut gloria Miniſterii Moſaici ac Levitici. *Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt: multo magis quod manet, in gloria eſt.* Miniſtri igitur Eccleſiæ, Prælati, Rectores animarum, Evangelii Prædicatores, humanæ gloriæ fumum ne quærant, ne tranſitoriis bonis inhæreant, ſed unam Dei gloriam, unam corporis Chriſti ædificationem, unam regni ejus propagationem & perfectionem, unam Eccleſiæ ejus quærant utilitatem. Miniſterium æternum, cujus principium, objectum & finis eſt charitas ſubſiſtens quæ Deus eſt, gloriam immutabilem & æternam in Deo ſibi proponere debet ut mercedem. Hæc ſpes Miniſtrorum novi Teſtamenti. Hac animati, ſumma fiducia & libertate prædicant legem Chriſti, quæ *Lex eſt perfectæ libertatis*, nec ſcivi ſunt hominum, aut eorum cupiditatibus blandiuntur. *Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia utimur.*

Ezechiel. 13. 19.

Miniſtrorum Novi Teſtamenti dotes

Matt. 5.
Dan. 12. 3.
Concil. Carthag. 4. can. 15

Jacob. 1. 25.

13. 14. 15. 16. *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, &c. Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum (Quoniam in Chriſto evacuatur) Sed uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Væ Paſtoribus, Doctoribus, Conſcientiarum Moderatoribus, qui veris Iſraelitis claritatem & gloriam Myſteriorum Jeſu Chriſti, & legem caritatis, quaſi interpoſito velamine abſcondunt. Negligentia Paſtorum, ignavia Doctorum, Concionatorum, & Miniſtrorum Eccleſiæ, quicumque ſint, qui conſcientias moderantur, & fidelibus ſplendidam Moralis Evangelicæ ſanctitatem non revelant, non explicant, nec puram veritatem, quæ *Nihil erubeſcit, niſi tantummodo abſcondi*, docere audent ac prædicare, ne hominibus diſpliceant, cauſa eſt ignorantiæ, excæcationis, obdurationis, perditionis Chriſtianorum plurimorum. *Obtuſi ſunt ſenſus eorum*, Stupenda & lugenda Judæorum cæcitas eſt, qui vetus Teſtamentum legentes, Chriſtum Jeſum in eo non agnoſcunt, de quo Moyſes & Prophetæ ſcripſerunt. Deploranda magis Chriſtianorum plurimorum cæcitas & obduratio, qui novum Teſtamentum legentes, aut ex ore Paſtorum & Concionatorum audientes, Myſteria ſalutis noſtræ, & Chriſtianæ vitæ officia neſciunt, ad ea non attendunt, aut certe negligunt, in littera hærentes, Spiritu ſancto vacui, gratiæ inanes, terrenis bonis addicti, animo Judæi, ſolo nomine Chriſtiani. Hæc illorum culpa eſt, qui tenebras cupiditatum ſuarum magis diligunt quam divinam Evangelii lucem. Sed & ipſorum ſæpe Paſtorum & Concionatorum culpa eſt, qui Spiritui ſancto, ut par eſt, non ſerviunt. *Deus enim ſufficientem nobis præbuit facultatem ut gratiæ Spiritus inſerviremus.* In ſeipſis, non in Deo confidunt, Conciones non ex verbo Dei, & ex ſacrarum Scripturarum oraculis, ſed ex propriis cogitationibus & adinventionibus contextas declamant, lucentes vanitate, non veritate. Utinam dicere poſſent! *Non nobis de nobis ipſis placemus, nec ex propriis cogitationibus noſtris contextas prædicationes afferimus.* Sic affecti, lucem veritatis in auditorum animos diffunderent, ablato incredulitatis & pravarum cupiditatum velamine. Paſtores illi, Concionatores, conſcientiarum Moderatores, Scripturam forte legunt, ſed *uſque in hodiernum diem velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*. Perſpicaci ſunt ingenio, corde duro. Diſpoſitiones ad intelligentiam Scripturarum, ad earum lucem contuendam, ad fructus ſpirituales ex illis colligendos neceſſarias non afferunt, magnam fidem, cordis munditiem, humilitatem, ferventem orationem. Judaicis oculis Scripturam ſacram legunt, juſtitiæ propriæ opinione tumidi, de propriis viribus ac meritis præſumentes, fiduciam in gratia Dei per Jeſum Chriſtum non habentes, latentes ſub littera ſpirituales ſenſus eruere ſe poſſe exſtimantes ſine lumine & adjutorio illius, qui illos *abſcondit ſapientibus & prudentibus* ſæculi, *& revelat parvulis*, id eſt, ſimplicibus & humilibus. Ideo *velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*. Ad Chriſtum attendant, cor illi aperiant, audiant intus loquentem & docentem veritatem, vitæ puritatem & ſanctimoniam cum humili fide conjungant: diligant legem Dei, in Scripturarum ſtudium incumbant propter unum finem caritatis, quam totæ ſpirant, docent, præcipiunt; & auferetur ab eis velamen. Sed & efficaciam dabit Deus verbis eorum, ut obtuſos auditorum ſenſus excitent, mentes illuminent, corda moveant, & ad Deum convertant. *Cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

Chriſtianorum plurimorum cæcitas magis deploranda quam Judæorum.

Tertullian.

Paſtorum, Concionatorum, & Directorum culpa ſæpe manet velamen ſuper corda fidelium.

17. *Dominus autem Spiritus eſt. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Libertati noſtræ ne timeamus, cum a Spiritu Domini ſanatur, liberatur, adjuvatur, movetur, regitur. *Voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem, & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem .... Voluntas tanto erit liberior, quanto ſanior: tanto autem ſanior, quanto divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior.* Ipſa enim fideliter orat & dicit: „ *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injuſtitia.* Quomodo enim libera eſt, cui dominatur iniquitas? Ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur. Non enim ait: *Greſſus meos dirige* ſecundum liberum arbitrium, ſed, *ſecundum eloquium tuum* &c. Precatur, non pollicetur: confitetur, non profitetur: optat pleniſſimam libertatem, non jactat propriam poteſtatem. Non enim omnis qui viribus ſuis confidit, ſed omnis qui invocat nomen Domini, ſalvus erit. Non ergo voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: ſed ideo juvatur, quia non tollitur. Nihil liberius eo, cui Spiritus Dei dominatur, ſiquidem ei dominatur caritas, ut eadem uni Deo ſerviat; cui ſervire, regnare eſt. *Libera ſervitus eſt apud Dominum, ubi non neceſſitas: ſed caritas ſervit. Si manſeritis in verbo meo*, ait Chriſtus, *vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* „ Simul es ſervus & liber: ſervus, quia factus es; liber, quia amaris a Deo a quo factus es: immo etiam inde liber, quia amas eum a quo factus es. Libera non eſt voluntas, quandiu peccato ſervit, quandiu vincentibus & vincientibus cupiditatibus ſubdita eſt, quamdiu ſub lege eſt minante, terrente, premente, puniente, non ſub gratia liberante & juvante. „ Ipſa eſt enim vera & ſana libertas, cum Dominus dat ſuavitatem, & terra noſtra dat fructum ſuum, ut bonum opus fiat non timore, ſed amore; non formidine pœnæ, ſed delectatione juſtitiæ. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Lex libertatis, lex eſt caritatis. Hæc differentia duorum Teſtamentorum, timor, & amor. Quamquam enim utrumque in utroque ſit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo: quæ ibi ſervitus, hic libertas ab Apoſtolis prædicatur.

Libertati noſtræ nihil timendum ab efficaciſſima gratiæ virtute.

S. Auguſt. lib. De Corrept. & Grat. cap. 8. Idem Epiſt. 157. alias 89. ad Hilarium cap. 2, n. 8. Pſal. 118. 133.

S. Auguſt. in Pſal. 99. n. 8. Joan. 8. 31.

S. Auguſt. paſſim.

18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu.* „ Moyſes ſolus fruebatur gloria: hic autem omnes qui credunt. Ille velamen habebat propter Judæorum incredulitatem: nos autem qui fidelibus doctrinam exhibemus, velamine opus non habemus; ſed nuda facie gloriam Domini ſpeculamur, quia incredulitatis ſema minime impedimur. Illinc non

Theodoret.

„ par-

Cor purum fit divinæ gloriæ ſpeculum.

„ parvum gloriæ ſplendorem trahimus. Hoc autem „ proprium eſt eorum qui mundum cor poſſident. „ Quemadmodum enim aqua perſpicua eorum vul„ tum qui inſpiciunt, & ipſius Solis circulum, & „ cœlorum convexa repræſentat: ita etiam cor pu„ rum fit divinæ gloriæ veluti quoddam ſpeculum „ & effigies. Unde Dominus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Qui Scripturas ſacras cum debitis diſpoſitionibus legit, gloriam Domini in illis revelata ſpecie ſpeculatur, oculis fidei in Chriſto Jeſu defixis: qui ſplendor & imago eſt paternæ gloriæ: & ex illis charitatem hauriens, & in ea proficiens, in eamdem imaginem transformatur a Domini Spiritu. Cogitat ut Deus, res omnes in ejus veritate conſiderans: loquitur quaſi ſermones Dei: de rebus judicat ut Deus; approbat, diligit, laudat, quod Deus; odit, contemnit, vituperat, & damnat quod Deus: & quo magis divinos Codices legit, eo magis in Dei cognitione & Myſteriorum Jeſu Chriſti intelligentia proficit, eo magis erigitur in fide, ſpe & caritate, quæ nos in Deum transformat. Tales homines, quales amores. Amor aut ſimilem invenit, aut facit. Si terram amaveris, terra es. Si cœlum amaveris, cœlum es. Si Deum amaveris, Deus es.

S. Auguſt.

CAPUT IV.

Senſus Litteralis.

v. 1. *Ideo habentes adminiſtrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus.* Hoc igitur tam excellens Miniſterium conſecuti, non meritis quidem noſtris, ſed ſola Dei benignitate, miſericordia & gratia, non concidimus animo in adverſis, non ceſſamus ab Evangelii prædicatione, ceteriſque Apoſtolatus noſtri functionibus. *Sed abdicamus occulta dedecoris.* Procul a nobis removemus obſcœnas voluptates, turpes cupiditates, pravos affectus, qui ſolent a peccatoribus occultari metu dedecoris & infamiæ. Pſeudo-apoſtolos tacite perſtringit, qui ſpeciem honeſtatis & ſanctitatis exterius exhibebant, cum obſcœnis voluptatibus clam indulgerent. *Non ambulantes in aſtutia.* Non ſimulatione & vafritie uſi, ut qui aliud ſunt, aliud videri volunt, Pſeudo-apoſtoli, qui ſe transfigurant in Apoſtolos Chriſti & Miniſtros juſtitiæ. *Neque adulterantes verbum Dei.* Non corrumpentes verbum Dei, ſed illud annuntiantes & prædicantes integrum, purum, ſincerum, quale traditum eſt, non falſæ doctrinæ fermento corruptum, aut fuco ſapientiæ ſæcularis oblitum, *ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo*, Sincera & aperta veritatis Evangelicæ prædicatione & vitæ noſtræ integritate, nos ipſos commendatione dignos reddimus apud omnes homines, qui ſecundum bonæ conſcientiæ dictamen ac rectæ rationis regulas de doctrina & converſatione noſtra judicabunt: nec apud homines tantum, ſed apud Deum maxime, prædicationis noſtræ, vitæ noſtræ, & intentionum inſpectorem ac judicem.

S. Chryſoſt. Homil. 8. S. Thomas. Lect. 1.

Excæcationis infidelium origo.

3. 4. *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum.* Si aliquibus velatum eſt Evangelium quod prædicamus, ut lucem ac veritatem ejus adeo perſpicuam ac manifeſtam non videant, non agnoſcant: iis qui pereunt ſponte ſua, reprobis nimirum, opertum ac velatum eſt, qui audire, credere, & ſecundum Evangelium ipſum vivere nolunt. Non igitur propterea fruſtratur miniſterium noſtrum: ſiquidem non propter reprobos; ſed propter electos prædicamus, ut ipſi ſalutem conſequantur. Velatum, inquam, eſt Evangelium iis qui pereunt: *In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei:* „ Infidelibus „ hujus ſæculi, quorum Deus mentes excæcavit, „ non malitia, ſed juſtitia, ſive, non infundendo „ malitiam, ſed non largiendo gratiam. Non enim „ eſt iniquitas apud Deum, cui dicit Eccleſia, *Mi„ ſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* Illu„ minat ergo miſericordia, excæcat judicio, utique „ æquiſſimo, etſi occultiſſimo. Hyperbaton igitur in hac Apoſtoli ſententia antiqui Patres agnoverunt, quæ figura illi non inſolens eſt, ut ex aliis locis facile probari poteſt. Infideles autem hujus ſæculi dicit, quia futurum vitæ & incorruptionis ſæculum non hæreditabunt, ait Sanctus Irenæus. Procul Marcionitæ & Manichæi. *Unus enim & idem Deus, his quidem qui non credunt, ſed nullificant eum, infert cæcitatem. Quemadmodum Sol, qui eſt creatura ejus, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non poſſunt contemplari lumen ejus: his autem qui credunt ei & ſequuntur eum, pleniorem & majorem illuminationem mentis præſtat.* Uno verbo. *Quotquot ſcit non credituros Deus, cum ſit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & avertit faciem ab hujuſmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt.* Eorum itaque infidelitas & cæcitas cauſa eſt cur illis non affulgeat lumen Evangelii, & cur illius Myſteria non videant, quorum prædicatione revelatur & manifeſtatur gloria Chriſti, qui eſt imago perfecta Dei Patris.

1. Tim. 2.

S. Auguſt. lib. 21. Contra Fauſtum, cap. 2. & lib. 2. Contra Adverſar. Legis & Prophet. c. 7. & 8.

S. Irenæus lib. 3. cap. 7. & lib. 4. cap. 48. Tertull. lib. 5. Contra Marcion. cap. 11.

S. Chryſoſt. ... Primaſius, Sedulius.

Sed etſi nullum hyperbaton admittatur in his Apoſtoli verbis, *in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium*, nulli tamen calumniæ anſam præbent. Neque enim hinc oſtenditur, hujus tantum ſæculi Deum eſſe, qui mentes infidelium excæcavit. Nam & Deus cœli dicitur: nec tamen proinde cœli tantum Deus eſt: & Deum præſentis diei dicimus: nec tamen hæc ita dicimus, quaſi ipſius imperium unius dumtaxat illius diei anguſtiis circumſcribamus. Quin Deus quoque Abrahæ dicitur, & Deus Iſaac, & Deus Jacob: cum tamen non eorum tantum ſit Deus. Ac pleraque etiam alia hujuſmodi teſtimonia in Scripturis inveniri poſſunt. Quonam porro modo excæcavit? „ Non ſane, inquit S. Chryſo„ ſtomus, quod in hoc ulla ipſius actio fuerit, abſit: „ ſed quia id paſſus eſt ac permiſit. Nam id quoque „ genus loquendi in Scripturæ more poſitum eſt, „ velut cum ait: *Tradidit eos Deus in reprobum ſen„ ſum.* Quoniam enim illi prius fidem ipſi abroga„ runt, ſeque ita comparârunt ut indigni eſſent, qui „ Myſteria divina contuerentur, tum denique ipſe „ quoque id ut illis accideret, ſivit. Quid enim quæ„ ſo, hic faciendum erat? An ut invitos ac repu„ gnantes traheret, ſuaque arcana his qui ea cerne„ re recuſabant, aperiret? Atqui res iſta majorem „ ipſis contemptum peperiſſet, ac ne intueri quidem „ ſuſtinuiſſent. Unde etiam mox ſubjunxit: *Ut non „ fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti.* „ Non ad hoc ut Deo non credant, ſed ut quæ ſint „ interna myſteria, infidelis mens minime perſpiciat. „ Nam id quoque nobis interdictum eſt, ne marga„ ritas ante porcos conjiciamus. Etenim ſi ea quoque „ infidelibus detexiſſet eorum utique morbus hac ra„ tione ingruduiſſet: non ſecus ac ſi quis eum qui „ oculorum morbo laboret, Solis radios contueri co„ gat, ipſius imbecillitatem auget ac dolorem exulce„ rat. Quo etiam fit ut Medici eos in tenebris ab„ ditos incluſoſque teneant, ne morbus ingraveſcat. „ Ad hunc itaque modum hic etiam intelligendum „ eſt, nempe quod iſti vitio ſuo increduli extite„ runt. Increduli autem effecti, Evangelii arcana „ minime jam perſpexerunt, Deo radios ſuos illis de„ inceps ſubducente atque occultante.

S. Chryſoſt. Hom. 8. Theodoretus. Theophylact. Oecumenius.

Rom. 1.

Nec improbabilis eorum interpretatio eſt (etſi S. Chryſoſtomo non placeat) qui *Deum hujus ſæculi* diabolum interpretantur, quem *Principem hujus mundi* Chriſtus vocat; qui paſſim ab infidelibus pro Deo colitur, ad ipſum namque Idolorum cultus redit: illique ſe mancipant homines hujus ſæculi, qui terrena bona æternis anteponunt. Et ſic *Deus* dicitur ab Apoſtolo, quomodo *venter*, quia Dei vice a carnalibus hominibus & terrena ſapientibus colitur. Diabolus namque homines impios excæcat tenebris infidelitatis & vitiorum, & ab Evangelii luce pravis ſuggeſtionibus avertit. Unde Apoſtolus noſter dæmones alibi vocat *Mundi rectores tenebrarum harum*, adverſus quos nobis eſt perpetua colluctatio, quamdiu hoc in mundo vivimus. Quæ interpretatio S. Auguſtino nequaquam abſurda viſa eſt: quam & Tertullianus aliis duabus recenſitis & contra Marcionem prolatis, ſibi ſimpliciorem videri dixerat. Hanc etiam probat S. Thomas Lect. I. & I. P. Q. LXV. Art. I.

Joan. 12. 31. & 14. 30.

Philipp. 3. 19.

Epheſ. 6. 12.

5. *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: nos autem ſervos veſtros per Jeſum.* Evangelium prædicando, non privatæ gloriæ vel utilitati ſervimus, ſed prædicamus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum & omnis creaturæ, ad quem omnes ſermones noſtri, labores omnes, omnia opera referuntur. Nos vero profitemur ſervos veſtros propter Jeſum, a quo Miniſterium hoc nobis injunctum eſt: nos totos, ſervorum inſtar, utilitati ac ſaluti veſtræ devovemus & impendimus.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Contra Julianum. S. Auguſt. lib. 21. Contra Fauſtum, c. 9. & lib. 2. Contra Adverſ. Legis & Prophet. c. 7. Tertull. lib. 5. Contr. Marcion. cap. 11.

6. *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu.* Hoc ipſum quod vobis in negotio ſalutis veſtræ ſervimus, maxima Dei gratia eſt. Quoniam Deus qui in prima rerum creatione lucem e tenebris imperiali verbo produxit, ipſe mentes & corda noſtra luce fidei & cognitione Myſteriorum Chriſti colluſtravit, ut alios eadem cognitione gloriæ Dei, quæ in Chriſto & ejus Myſteriis clariſſime refulget, illuſtraremus. Confer cum *Epheſ.* 3. 8. 9. ubi Apoſtolus noſter ſcribit: *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt*

S. Thomas. Lect. 1.

Digitized by Google

Chriſtum patiendo meremur, æterna eſt.

mentanea hæc & lævis, id eſt, brevi duratura, & patefacienda corporis afflictio, quam Evangelii cauſa patimur, parit nobis in futurum ac meretur gloriam ſui comparatione inæſtimabilem ratione excellentiæ, & æternæ durationis. Exponit itaque Apoſtolus noſter quomodo renovetur interior homo, nempe dum conſiderat quod afflictio momentanea ſit, id eſt temporaria & tranſitoria, & levis, hoc ipſo quod temporaria ſit. Gloria autem & æterna eſt, & pondus habet, hoc eſt, magnitudinem excellenter excellentem. *κατὰ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν. Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Leves nobis videntur afflictiones & cruces Evangelii gratia toleratæ, & superexcellentem, incomparabilem, æternamque gloriam nobis pariunt, dum non ſpectamus præſentia bona quæ ſub ſenſus cadunt, ſed futura quæ procul ſunt a ſenſibus remota, & ſolo fidei lumine cognoſcuntur. *Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Quæ ſub ſenſus cadunt, temporaria ſunt, id eſt, ad breve tempus durantia: quæ autem a ſenſibus remota ſunt, nullum finem habent. Merito ergo hæc præ illis nobis ſpectanda ſunt & ſperanda. Hinc duo fidei dogmata confirmantur: primum, Opus patientiæ noſtræ gloriam æternam nobis operari merendo, & meriti ratione tandem aſſequendo. Alterum, Chriſtianos intuitu mercedis æternæ operantes non peccare, ſed recte & laudabiliter agere.

Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 25. & 26.

CAPUT IV.

Senſus Moralis.

Eorum qui ad ſacrum Miniſterium a Deo vocati ſunt, & ſanctæ vocationi reſpondent, caracteres.

1. **H***Abentes adminiſtrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus non deficimus.* Quos ambitione, cupiditate, humano favore, aliiſve malis artibus ad ſacrum Miniſterium, ad Eccleſiaſticas Dignitates, ad Animarum curam promoveri Deus permittit occulto, ſed terribili judicio, hi extolluntur & intumeſcunt dominationis nomine & affectu, & externo ſplendore dignitatis & amplitudinis humanæ, quæ Chriſtianorum Principum beneficentia, & populorum pietate ad Eccleſiaſticas dignitates acceſſit. Qui vero per Dei miſericordiam vocantur, ſupra ſemetipſos, & ſupra res omnes terrenas extolluntur ſancta libertate & magnanimitate in adverſitatibus, afflictionibus, & difficultatibus, quæ in Miniſterii functionibus ſuperveniunt: necnon generoſa fiducia, quam ſanctitas Miniſterii, magnitudo Dei, cui ſerviunt, & gratiæ illius efficaciſſima vis, inſpirant. Quanto majores ſunt, humiliant ſe in omnibus; non principes, non dominos, non magiſtros, ſed miniſtros Dei ſe reputantes, ſub quo curvantur qui portant orbem; miniſtros Chriſti, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, qui diſcipulis ſuis dixit, *Reges gentium dominantur eorum. vos autem non ſic; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator:* Non ſolum Apoſtoli, ſed Domini & Magiſtri Apoſtolorum imitatores, a quo acceperunt Miniſterium. *Habentes adminiſtrationem.* Et eo magis ſe humiliant, quod miſericordiæ & gratiæ Chriſti ſibi commiſſum Miniſterium, omnia talenta, dona, ſucceſſum, fructum debere ſe agnoſcunt & profitentur, nihil ſuis meritis aut viribus tribuentes. *Juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus*, Magnanimitatem denique, fortitudinem, conſtantiam, cum humilitate conjungunt. Chriſtiana enim humilitas longe eſt ab ignavia & puſillanimitate. Qui vere humilis eſt, quod Dei eſt in ſe magnificat, quod ſuum eſt contemnit: & infirmitatis ac vilitatis ſuæ ſibi conſcius, ſe tamen Dei gratia & virtute roboratum, inter adverſa non defecturum confidit. *Non deficimus.* Honores faſtidit, plauſus non amat, laudes averſatur, omnia ad Deum refert, cujus miniſter eſt, cui ut fidelis ſit unice ſtudet. Meminit præclaræ ſententiæ S. Auguſtini ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtam ſcribentis. *Tranſit honor hujus ſeculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio, nec abſida gradata, nec cathedra velata, nec Sanctimonialium occurſantium greges adhibebuntur ad defenſionem, ubi cœperint accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter judicare. Quæ hic honorant, ibi onerant; quæ hic relevant, ibi gravant. Iſta quæ pro tempore propter Eccleſiæ utilitatem honori noſtro exhibentur, defenduntur forte bona conſcientia, defendere autem non poterunt malam.*

Luc. 22. 25.

S. Aug. Epiſt. 23. alias 203. num. 3.

2. *Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.* Exterior converſatio index eſt animi. Boni Paſtores, quorum ſimplex & rectus animus, non alii ſunt in publica hominum luce, alii in occulto: tales omnino ſunt, quales cernuntur: non magna profitentur ac pollicentur, cum alia rebus ipſis oſtendant: non ſunt ſimiles Philoſophis gentium, qui exterius graves & compoſiti, prolixa barba & pallio, atque oſtentatione ſapientiæ populis imponebant, cum turpes cupiditates intus foverent, eaſque in occulto ſervirent. Non ſunt ſimiles Pſeudo-apoſtolis, qui ſanctitatem populorum oculis mentiebantur, qui ab omni avaritia alieni videri ſtudebant, cum pecunias clanculum corraderent; qui continentiæ & mortificationis famam aucupabantur, cum in occulto ventri & libidini ſervirent; Curios ſimulabant, & Bacchanalia vivebant; humilitatem præſeferebant, intus ambitione & ſuperbia tumidi, faſtum & luxum ſæculi calcabant, ſed majori faſtu; foris Catones, intus Nerones; parietes dealbati, novæ legis Phariſæi. *Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia.* Paſtoribus Apoſtolicis prudentia ſæculi non convenit, cujus caracteres ſunt cor machinationibus artificioſis tegere, ſenſum verbis velare: quæ falſa ſunt, vera oſtendere: quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. A prudentibus ſæculi hæc duplicitatis iniquitas, induſtriæ & urbanitatis nomine honeſtatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere ſimulando pietatem; adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, externam humilitatis ſpeciem oſtendendo: irrogata ab aliis mala cumulatius reddere ſpecie juſtitiæ & zeli: cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere, ſimulatione magnanimitatis: cum violenta conſilia exequi non poſſunt adverſus pios & ſinceros veritatis defenſores, pacificam ſimulare bonitatem. Placet vero ſanctis Chriſti Miniſtris, dignis Apoſtolorum, ſeu Apoſtolicorum Virorum ſucceſſoribus & imitatoribus prudentia Spiritus, ſimplex, ſincera, cujus caracteres ſunt, nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere; mala libentius tolerare, quam facere; nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. *Non ambulantes in aſtutia.* Politicas artes filiis hujus ſæculi relinquunt, perſuaſi non his Eccleſiam & Animas regi oportere, ſed lumine veritatis, prudentia Spiritus, regulis ex Scriptura ſacra & Traditione depromptis. Eorum doctrina & prædicatio, fraudis fucique expers. Nec enim externæ ſapientiæ admiratione interpolant Chriſtianam doctrinam, nec adulatoriis ſermonibus; non docent aut prædicant aliquid falſi, non ſilent aut diſſimulant aliquid veri ad inſtitutionem, ædificationem & ſalutem Animarum neceſſarii. Doctrinam pro temporum & perſonarum opportunitate non variant, quaſi temporum, non Evangeliorum ſit fides: ſed ut Veritatis fideles miniſtri, tanto liberius & conſtantius illam docent, prædicant, defendunt, quanto audacius & aſtutius vident a Pſeudoapoſtolis & pravis Doctoribus, qui dicta hominis deſiderant, & fortunæ litant, adulterari in dies aut veterum errorum renovatione, aut novorum adinventione, tum quoad dogmata, tum quoad morum regulas ac diſciplinam. *Neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.* Nemo dignus eſt Chriſti Miniſter, niſi doctrinæ & vitæ integritate commendetur, & ſic doceat, ſic vivat, tamquam docens & operans in conſpectu Dei, quem fallere non poteſt, & cui redditurus eſt accuratam Miniſterii ſui rationem. *Coram Deo.*

Prudentiæ ſæculi & prudentiæ Chriſtianæ caracteres.

S. Gregor. M. lib. 10. Moral. cap. 16.

Theophylact.

3. 4. *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis qui pereunt eſt opertum: In quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium; ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.*
„ Cæcitas cordis, quam ſolus removet illuminat ·
„ Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna
„ animadverſione punitur, & cauſa peccati, cum
„ mali aliquid cæci cordis errore committitur. Spar-
„ git Deus pœnales cæcitates ſuper illicitas cupi-
„ ditates, æquiſſimo, etſi occultiſſimo judicio. Tra-
„ dit infideles & impios in deſideria cordis eorum,
in reprobum ſenſum. Adoranda judicia Dei in eos qui malitia ſua, & ejus permiſſione, deſertione, gratiæ ſubtractione excæcantur, *ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti*: Quo fit ut deſtituti luce veritatis, in quam interioribus oculis intendere noluerunt, ſua culpa pereant. Laudanda Dei miſericordia eſt in eos quorum cæcitatem removit, a quorum cordibus velamen abſtulit, in quibus pravos & noxios dominantium cupiditatum humores compeſcuit, qui obices erant ne Evangelii veritatem intelligerent & amarent. Quorum enim animus

S. Auguſt. lib. 5. Contra Julian. c. 3. lib. 1. Confeſſ. cap. 12. & alibi paſſim.

Cæcitas cordis unde?

Digitized by Google

in divitiis, honoribus, & voluptatibus ſæculi defixus eſt, illi certe Evangelium amare non poſſunt, quo paupertas ſpiritus, humilitas, ſui ipſius abnegatio, mortificatio, crucis amor ac latio præcipiuntur ac prædicantur. Cæcitatem cordis timeamus, Deum oremus ut gratiæ ſuæ lumine nos illuſtret, contra cupiditates noſtras pugnemus gratia ejus adjuvante; ne rebelles ſimus lumini Evangelii; ne creaturis adhæreamus, eiſque fruamur, quarum amor & fruitio mentes excæcat. „ Quicquid homo ſibi pro fine ultimo conſtituit, in quo ejus deſiderium quieſcit, Deus illius dici poteſt. Unde cum habet pro fine divitias, tunc divitiæ dicuntur Deus tuus. Similiter ſi voluptates carnis, vel honores. *Igitur Deus hujus ſæculi excæcat mentes infidelium*, id eſt, illud quod homines ſæculariter viventes ſibi pro fine conſtituunt, eorum corda excæcat, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii, ut in illo non intelligant Chriſti divinitatem, Myſteria, charitatem erga Eccleſiam quam acquiſivit ſanguine ſuo, gratiæ inſuperabile ac ſuaviſſimum imperium, gloriæ majeſtatem, regni illius pulchritudinem, magnificentiam, univerſalitatem, ſanctitatem, æternitatem. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem*. Evangelium, quantum in ſe eſt, omnibus affulget, omnes illuminat, quibus prædicatur; ſed qui præbent impedimentum, non illuminantur. *Clara eſt, & quæ numquam marceſcit Sapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam*. „ Evangelica Sapientia his ſolis patet, qui eam in veritate diligunt, & ſtudioſe acquirunt: Qui autem eam ficte quærunt, nullo modo ad eam pertingent, quia *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & in malevolam animam non introibit Sapientia* .... *Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet*. „ Sapientia hæc Chriſtus eſt Filius Dei, de quo Apoſtolus ait; *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam*. Hic ſua gratia omnes præoccupat, quicumque ad ejus amorem anhelant, quia ipſe eſt via, veritas, & vita: per ipſum itur, ad ipſum tenditur, ad ipſum pervenitur. Ille autem qui ab origine illuceſcentia in ſe fidei cnode devote vigilaverit, non vacuo labore conſumitur, ſed pro boni operis ſtudio ab ipſo coronatur. Aſſidentem enim illum foribus ſuis inveniet, quia ejus adjutorium ſemper paratum habebit. Unde in Apocalypſi ipſe dicit: *Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis mihi aperuerit, introibo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum*. Illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti fulget illis dumtaxat qui Evangelicas veritates amant, non ſpeculativas dumtaxat, ſed practicas, & qui officia ſua, quæ in Evangelio perſpiciunt, opere implere ſatagunt. „ Nam manifeſta viſio negligentis non eſt, ſed amantis: Unde Veritas dicit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum*. Claritas itaque manifeſtæ viſionis, eſt revelatio amatæ veritatis. Quæ veritas ſi merito dilectionis oſtenditur, iis qui torpent a bono opere digniſſime occultatur: quia ſignum amoris non eſt in affectione animi, ſed in ſtudio bonæ operationis. *Qui habet mandata mea, & facit ea* (inquit Chriſtus) *hic eſt qui me diligit*. Quia ergo de negligentia operis caligo incurritur internæ viſionis, apte dum de contemptu mandatorum Sacerdos arguitur, viſio occultata memoratur: *In diebus illis non erat viſio manifeſta*.

S. Thomas, Lect. 2.

Pſalm. 57. 9.

Sap. 6. 13.

Rabanus Maurus lib. 2. ra ſapientiam, cap. 13.

1. Cor. 1.

Apoc. 3.

Joan. 14. Auctor Expoſit. in lib. 1. Reg. lib. 2. cap. 4. ſub nomine S. Gregorii, Joan. 14.

1. Reg. 3. 1.

5. *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; nos autem ſervos veſtros per Jeſum*. Ille ſeipſum prædicat, qui placere magis quærit fidelibus, quam prodeſſe, qui ſuam gloriam quærit, non Domini noſtri Jeſu Chriſti. Miniſterium Evangelicum, ſervitus eſt charitatis. Hujus ſervitutis officia ſunt fidelitas, humilitas, labor, zelus gloriæ Dei & ſalutis animarum. Elatio, dominatio, otium, negligentia, mala fides in rebus Domini gerendis vel diſpenſandis, mali ſervi caractere ſunt. Qui ſibi laborant, non Domino; qui prædicationem, qui veritates ſive Dogmatum, ſive Moralia Chriſtianæ ad proprium quæſtum, ad propria commoda, non ad gloriam Chriſti Jeſu & ad Eccleſiæ utilitatem inflectunt, non ſunt ſervi fideles, „ ſed fures domeſtici: & Miniſter Eccleſiæ, qui non quærit honorem Dei, & utilitatem ſubditorum, non dicitur verus Rector, ſed tyrannus, „ ait S. Thomas. Apoſtolum imitentur verbi Dei Prædicatores, & Eccleſiæ Miniſtri, Epiſcopi præſertim & Parochi, quibus ex officio convenit prædicatio: gloriæ Chriſti ſerviant, non ſuæ: utilitati ſuæ ne ſtudeant, ſed Eccleſiæ, & Animarum Chriſti ſanguine redemptarum. Hos Apoſtolici Prædicatoris caracterea præclare deſcribit S. Gregorius Magnus. *Sancta univerſalis Eccleſia ſpiritalis quiſque Prædicator*, inquit, *in cunctis quæ dicit, ſolerti cura ſe inſpicit, ne in eo quod recta prædicat, vitio ſe elationis extollat; ne vita a lingua diſcordet; ne patem quam in Eccleſia nuntiat, in ſe ipſa dum bene dicit & male vivit, amittat. Sed ſtudet ſummopere contra maledicos rumores adverſantium & defendere loquendo quod vivit, & ornare vivendo quod dicit. Nec in hos omnibus ſuam, ſed Auctoris gloriam quærit: atque omnem ſapientiæ gratiam, quam ut loqueretur accepit, non ſuis ſe aſtimat meritis, ſed eorum interceſſionibus, pro quibus loquitur, accepiſſe. Sicque dum ſe infra dejicit, ſuper eſt: quia ſua magis mercedi proficit, eo quod bona, quæ exercere prævalet, alienis meritis reddit. Indignum ſe omnibus judicat, etiam cum dignius cunctis vivat. Scit enim, quod bona quæ innoteſcunt hominibus, ſine periculo eſſe vix poſſunt. Et quamvis ſapientem ſe eſſe ſentiat, vellet tamen eſſe ſapiens, nec videri: atque hoc ſibi omnimode, quod loquendo proditur, pertimeſcit; & ſi liceat, tacere appetit, dum eſſe multo tutius ſilentium cernit; eoſque ſe feliciores putat, quos intra ſanctam Eccleſiam locus inferior per ſilentium occultat. & tamen ut ſanctam Eccleſiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex neceſſitate quidem officium locutionis ſuſcipit, ſed ex magno deſiderio otium taciturnitatis quærit. Hic ſervat voto, illud exercet miniſterio. Hanc autem dicendi formulam arrogantes ignorant. Neque enim loquuntur, quia cauſſa eveniunt, ſed cauſſas eventura appetunt ut loquantur*.

Miniſterium Evangelicum ſervitus eſt caritatis. Hujus ſervitutis officia.

S. Thomas, Lect. 2.

S. Gregor. lib. 23. Moral. cap. 1.

Apoſtolici Prædicatoris caracteres.

6. *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu*. Dei omnipotentia & bonitas ſplendidius emicuerunt cum fidei lucem in corda Diſcipulorum effudit ad omnium gentium illuminationem in mundi reparatione, quam cum ſenſibilem lucem e tenebris, quæ ſuper faciem abyſſi erant, efficaci ſuæ voluntatis imperio ſplendeſcere juſſit in prima mundi creatione. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux*. Luce illa primigenia creaturæ videntur, opera magnum Dei conſpiciuntur, ea quibus ſempiterna ejus virtus & divinitas intelligi poſſit. Luce iſta ſpiritali in cordibus Apoſtolorum producta, & illorum prædicatione in aliorum mentes per totum orbem effuſa, Deus in Chriſto Jeſu cognoſcitur; *ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Jeſu*. Gloria vero Jeſu Chriſti, prædicatione Apoſtolorum mundo innoteſcit, qui propterea *Lux mundi* ab ipſo vocantur. Eorum in Eccleſiæ regimine, vel in ſanctæ prædicationis miniſterio ſucceſſores, cognitionem gloriæ Dei in perſona Chriſti Jeſu inhabitantia diffundent in cordibus infidelium & peccatorum; illoſque ad fidem, iſtos ad pœnitentiam, pari ſucceſſu convertent, ſi virtutes Apoſtolicas, humilitatem, paupertatem, caritatem, mortificationem, patientiam, laborem, zelum imitentur; ſi denique Deus non ſolum in eorum mentibus per fidem & cognitionem credendorum, ſed etiam in eorum cordibus per amorem ferventem Chriſti Jeſu, & in eorum operibus per obſervantiam Evangelii, illuceſcat. Lux enim Evangelii, caritatem parit, fœcunditatem bonorum tribuit faciem ſeu perſonam Chriſti Jeſu intuentibus, ut ſe Dei imagini, quæ Chriſtus eſt, conforment. *Ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu*. Deo gratias agamus immortales omnibus diebus vitæ noſtræ, quod mentibus noſtris prius per abſentiam luminis gratiæ, & obſcuritatem peccati tenebroſis illuxit. Eramus enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulemus.

7. *Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis*. Deus omnia creat ex nihilo in ordine gratiæ, non minus quam in ordine naturæ, ut nihil ſibi tribuat homo, ſed totum Deo acceptum referat. Quam admirabilis potentia Dei, qui per duodecim viros ignobiles & inopes, ſcientiarum ſæcularium rudes, omnium judicio viles, propter Evangelium, quod prædicabant, omnium injuriis expoſitos, tam univerſalem, tam ſubitam mutationem in mundo effecit. „ Sciſcitemur ex Judæis, ſciſcitemur ex Gentibus, quiſnam univerſo terrarum orbi perſuaſerit, ut a patriis ritibus & inſtitutis abſcederet, atque ad alteram vivendi rationem ſe conferret. Nonne Piſcator & tentoriorum artifex? nonne Publicanus? nonne indocti ac litterarum expertes? Quam autem hoc rationem haberet, niſi vis divina per ipſos omnia confeciſſet? Nam quid ad inflectendos ac permovendos eorum animos dicebant? Baptizemini in nomine Crucifixi. Cujus tandem? Nempe quem numquam viderant. Et tamen cum hæc dicerent ac prædicarent, auditoribus perſuadebant,

S. Chryſoſt. Hom. 28.

Admirabilis gratiæ Chriſti virtus in Chriſtianæ Religionis inſtitutione.

Digitized by Google

„ bant, eos, qui promere videbantur nequitia, & quorum cultus ipſis a majoribus traditus erat, Deos non eſſe: Chriſtum contra, qui clavis in cruce affixus fuerat, omnes ad ſe traxiſſe. Atqui quod in crucem ſublatus, ac ſepultus eſſet, apud omnes fere conſtabat: quod autem reſurrexiſſet, pauci omnino viderant. Verumtamen hoc ipſum iis, qui non viderant, perſuaſerunt: quin etiam quod in cœlos aſcendiſſet, atque ad judicium de vivis ac mortuis ferendum venturus eſſet. Unde igitur perſuadendi vis in his ſermonibus? Non aliunde quam a Dei potentia. Primum enim novitas ipſa omnium animos offendebat. Cum autem in hujuſmodi rebus quiſpiam res novas molitur, id eo acerbitatem majorem affert, quo priſcorum rituum fundamenta effringit, ac leges radicitus evellit. Huc accedit quod ne Præcones quidem ipſi auctoritate valere videbantur. Nam & ea natione erant, quæ apud omnes odio & invidia flagrabat: & ipſi timidi ac doctrinæ expertes erant. Unde igitur orbem ſubegerunt? Unde vos & majores veſtros, qui Philoſophi videbantur, Diis ipſis ejectis? An non liquet id ipſis ea de contigiſſe, quod Dei ope ac præſidio niterentur? neque enim tam præclara facinora in humanam potentiam cadunt, ſed in divinam quamdam ac ſermone ſublimiorem virtutem. Minime vero, inquiunt infideles, ſed præſtigiis hoc conſecuti ſunt. Quid audio? Ergo dæmonis imperium augeri par erat, atque idolorum cultum amplificari. Quomodo igitur factum eſt ut ea deleta atque extincta ſint, Chriſtiana autem Religio cum illis omnino pugnans efflorescat? Neque id tantum a doctrina & prædicatione, ſed ab ipſa quinque vitæ ratione. Quando enim tanta virginitas paſſim toto orbe conſtituta eſt? Quando par opum, & vitæ, atque aliarum omnium rerum contemptio? Nam homines nequam & flagitioſi ac præſtigiatores nihil omnino efficerent, ſed contraria omnia. At hi angelicam vitæ rationem nobis, & in noſtra, & in barbara regione, atque adeo in extremis terræ receſſibus non modo ſuaſerunt, ſed etiam perſuaſerunt. Ex quo perſpicuum eſt, Chriſti vim fuiſſe, quæ hoc totum confecerit, vim (inquam) illam ubique lucentem, ac fulgure quovis celeriorem, hominum mentes illuſtrantem. *Ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis*. Gratiam Dei magnificiamus: theſaurus enim eſt. *Habentes theſaurum iſtum*, Fragilitatis noſtræ conſcii, timeamus illius jacturam. *In vaſis fictilibus*. Confidamus tamen in Dei virtute, qui greſſus noſtros diriget, ne offendamus; qui noſtram infirmitatem ſuſtentabit, ne cadamus, ſi ad ipſum confugiamus per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum. *Ut ſublimitas ſit virtutis Dei*. Nos ipſos humiliemus intuitu nihili noſtri, imbecillitatis ac impotentiæ noſtræ, demeritorum noſtrorum. *Et non ex nobis*.

Gratia Dei ut theſaurus pretioſiſſimus conſervanda.

7. 8. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus*. In graviſſimis anguſtiis, probationibus, perſecutionibus ſervant electi libertatem mentis, gaudium cordis, magnanimitatem & fortitudinem invictam, fidem vivam, ſpem firmam & fiduciam perfectam in Deum. „Cuncta quippe quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per deſpectum jacent. Nam ſuper ſe interius rapti, in alto animum figunt: & quæque in hac vita patiuntur, quaſi longe infra labentia atque a ſe aliena conſpiciunt: atque, ut ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipſa quæ tolerant, ignorant. In horum profecto oculis quicquid temporaliter eminet, altum non eſt. Nam velut in magni vertice montis ſiti, præſentis vitæ gaudia pene deſpiciunt: ſeque ipſos per ſpiritalem celſitudinem tranſcendentes, ſubjecta libenter intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde & nullis contra veritatem Poteſtatibus parcunt: ſed quos attolli per elationem conſpiciunt, per Spiritus auctoritatem premunt. Hinc eſt quod a deſerto Moyſes veniens, Ægypti Regem cum auctoritate aggreditur, dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, Uſquequo non vis ſubjici mihi? Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi*. Hinc eſt quod peccantem Regem Nathan aggreditur, cui prius ſimilitudinem perpetratæ prævaricationis objiciens, cumque reum per proprii judicii vocem tenens, protinus adjunxit: *Tu es ille vir, qui feciſti hanc rem*. Hinc eſt quod Achab ſuperbus idolorum ſervitio ſubactus, cum increpare Eliam præſumeret, dicens: *Tune es ille vir qui conturbas Iſrael?* Elias protinus ſuperbi Regis ſtultitiam objurgationis libera auctoritate percuſſit, dicens: *Non ego turbavi Iſrael; ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim*. Hinc eſt quod Petrus, cum eum Sacerdotes ac Principes, etiam per flagella ſævientes in nomine Jeſu loqui prohiberent, cum magna protinus auctoritate reſpondit: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim poſſumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui*. Hinc eſt quod Paulus cum reſiſtentem contra veritatem Sacerdotum Principem cerneret, cumque miniſter illius alapa percuſſiſſet, non maledictum perturbatus intulit; ſed repletus Spiritu ſancto libera voce prophetavit, dicens: *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu ſedens judicas me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti?* Hinc eſt quod Stephanus contra vim perſequentium auctoritatem vocis exercere nec moriturus expavit, dicens: *Dura cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos Spiritui ſancto reſiſtitis ſicut Patres veſtri, & vos*. Sic Prophetæ, & Apoſtoli ceteri, virique Apoſtolici, ſancti Martyres, ſancti Epiſcopi & Doctores Eccleſiæ, in perſecutionibus, probationibus, & difficultatibus maximis animati fuerunt, & in fidei confeſſione, in prædicatione veritatis, in Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ac libertatis defenſione, in Miniſterii ſui functionibus conſtantes & invicti, hæc S. Pauli verba uſurpare potuerunt: „In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus. *Sic affectus erat S. Athanaſius*. Si, inquit, fratres deſerant, nemoque ſuperſit qui velit ſimul contriſtari, aut conſolationem adhibere, tamen plus quam omnia ſufficit ad tutelam, Dei refugium. Solus erat Elias in perſecutione, ſed tamen in omnibus loco omnium habebat Deum. Et hanc formulam tradidit nobis Salvator qui ab omnibus derelictus, inſidias inimicorum paſſus eſt, ut ſi nos quoque ab hominibus relinquamur, non deſponderemus animum, ſed in eo ſpem haberemus, nec veritatem proderemus, quæ tametſi principio affligi videatur, poſtea tamen ipſa a perſecutoribus agnoſcitur.

Electorum magnanimitas & invicta fortitudo in tribulationibus.

S. Gregor. M. lib. 7. Moral. cap. 15.

Exod. 10.

2. Reg. 12.

3. Reg. 18.

Act. 4.

Act. 23.

Act. 7.

S. Athanaſ. Epiſt. ad Solitarios, p. 842. & 843. Pariſ. Edit. 1627.

10. 11. *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris*. Homo innocens a Deo in paradiſo voluptatis poſitus, ad beatitudinem per caſtas & ſanctas delicias, Creatori ſuo tranquille ſerviendo perveniſſet. Homo lapſus ad beatitudinem pervenire non poteſt niſi per crucem, & mortificationem, per multas tribulationes. Ubi enim ſumus & diſcipuli Crucifixi, *Religioſi crucis*, ait Tertullianus. Ad paſſionem igitur & mortem Chriſti attendentes, illam in nobis exprimamus, interiori mortificatione coercendo & frænando prava deſideria; exteriori etiam mortificatione corpora noſtra macerantes, & in ſervitutem redigentes. Sed & quæ nobis eveniunt adverſa, quæ patimur incommoda, damna rerum exteriorum, calumnias, opprobria, morbos, mortem, omnia in ſpiritu obedientiæ & caritatis patienter ſuſtineamus: nos velut victimam cum Jeſu & propter Jeſum Deo devoventes: illumque orantes ut paſſiones ſuas in nobis impleat, ut mortificationes noſtras ſanctificet, ut illas vitæ ſuæ glorioſæ in nobis ſemina & principia eſſe tribuat. *Ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali*. Hoc mortificationis Chriſtianæ ſpiritu plenus S. Paulinus ad S. Auguſtinum ſcribebat: „Utinam poſſim aſſequi mortem iſtam, qua tu mortuus es huic ſeculo, ut vivas Deo in Chriſto vivente in te, cujus & mors & vita in corpore tuo & corde & ore cognoſcitur. Quia non ſapit cor tuum terrena, nec os tuum loquitur opera hominum; ſed verbum Chriſti abundat in pectore tuo, & Spiritus veritatis effunditur de lingua tua, ſuperni fluminis impetu lætificans civitatem Dei. Quæ autem virtus hanc in nobis efficit mortem, niſi caritas, quæ fortis eſt ut mors? Sic enim obliterat in nobis & perimit hoc ſæculum, ut impleat mortis effectum per affectum Chriſti, in quem converſi avertimur ab hoc mundo, & cui viventes morimur ab elementis hujus mundi. Nec tamquam viventes in eorum conſpectu, viſuque decernimus; quia portio noſtra mors Chriſti eſt, cujus a mortuis reſurrectionem non apprehendimus in gloria, niſi mortem ejus in cruce mortificatis membris & ſenſibus carnis ſimiteremur; ut jam non noſtra voluntate vivamus, ſed illius cujus voluntas ſanctificatio noſtra eſt: & qui ideo pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, ut jam non nobis, ſed illi vivamus.

Homo lapſus & reparatus ad beatitudinem pervenire non poteſt niſi per crucem & mortificationem.

S. Paulinus, inter Epiſtolas S. Auguſt. 49. alias 249.

13. 14. *Habentes autem eumdem Spiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur, ſcientes quoniam*

S. Aug. Tract. 45. in Joan. num. 9.

qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. „ Ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quo humilis venit in carne, præceſſerunt juſti, ſic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata ſunt, non fides. Diverſis quidem temporibus, ſed utroſque per unum fidei oſtium, hoc eſt per Chriſtum, videmus ingreſſos. Nos credimus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum natum ex Virgine, veniſſe in carne, paſſum eſſe, reſurrexiſſe, in cœlum aſcendiſſe. In ejus ſunt fidei ſocietate nobiſcum & illi Patres, qui crediderunt de Virgine naſciturum, paſſurum, reſurrecturum, in cœlum aſcenſurum. Varii ſunt ordines ac ſtatus, varia dona in Eccleſia Chriſti: ſed fides ubique, & in omnibus eadem. Vivere ex fide, ſingularis gratia eſt in homine Chriſtiano. Ex fidei inſtinctu Religionis, veritatis, pietatis cauſam ſancta libertate loquendo defendere, rara & eximia fidelitas. Pro fide pati & mori, eminens & ſumma perfectio.

Miniſter fidelis credit & loquitur quod credit.

S. Aug. Enar. in Pſal. 115.

Scriptum eſt, Credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur. „ Sunt qui loquuntur & non credunt, ut Pſeudo-apoſtoli, & mali Eccleſiæ Miniſtri. Terrenis quippe cupiditatibus conſulentes, verbum Dei prædicant, habentes in pectore falſitatem, in lingua veritatem. Dicunt, & non faciunt. Unde, niſi quia utilia non credunt eſſe quæ dicunt? Sunt alii qui credunt, & non loquuntur quod credunt, vel pigritia, vel timore. Miniſter vero fidelis credit, & loquitur quod credit. *Credidi, propter quod locutus ſum*: hoc eſt, perfecte credidi. Non enim perfecte credunt, qui quod credunt loqui nolunt. Ad ipſam enim fidem pertinet credere & illud quod dictum eſt, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Angelis Dei*. Ex hoc enim eſt appellatus fidelis ille ſervus, non tantum quia accepit, ſed quia impendit atque lucratus eſt. Ita & hoc loco non ait, *Credidi & locutus ſum*, ſed propter hoc dicit ſe locutum eſſe, quia credidit. Simul enim credidit, & quod præmium loquendo ſperare, & quam pœnam tacendo timere deberet. In iſto Davidis Pſalmo vox Martyrum apparet: quorum ſi fidem imitemur, afflictionum omne genus ut Dei beneficium ſuſcipiemus, nec ſolum cum patientia & ſubjectione atque conformatione voluntatis noſtræ Dei voluntati, ſed etiam cum amore & gratiarum actione ſuſtinebimus.

Matth. 10. 32.

Afflictiones cum amore & gratiarum actione ſuſtinendæ.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Quærit David, quærunt qui habent eumdem ſpiritum fidei quem David; quid retribuant Domino, & non inveniunt, niſi ex eis quæ ipſe Dominus retribuit. *Calicem*, inquit, *ſalutaris accipiam*. „ O homo, peccato tuo mendax, dono Dei verax, & ideo jam non homo, quis tibi dedit calicem ſalutaris, quem accipiens, & invocans nomen Domini, retribuens ei pro omnibus quæ retribuit tibi? Quis niſi ille qui ait: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Quis tibi dedit imitari paſſiones ſuas, niſi qui pro te paſſus eſt prior? Ideoque *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*. Emit Eccleſiam ſanguine ſuo, quem prior fudit pro ſalute ſervorum, ne pro Domini nomine ſervi fundere dubitarent, quod tamen eorum, non Domini utilitati proficeret. Quam enim pro Chriſti nomine exponunt amittuntque vitam, cum fœnore recipiunt. Amittunt mortalem, recipiunt immortalem: amittunt ignobilem, recipiunt glorioſam, amittunt temporalem, recipiunt æternam. *Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.*

Matt. 20. 22.

15. *Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in laudem Dei.* Omnia ſua, talenta, labores, pecunias, vitam ipſam, ſi opus foret, propter ovium ſalutem Paſtores & Rectores animarum impendere debent. Nec enim propter ſe ipſos a Deo vocati ſunt & in ſacro Miniſterio conſtituti. „ Nos, quos in iſto loco, de quo periculoſa ratio redditur, *inquit S. Auguſtinus*, Dominus ſecundum dignationem ſuam, non ſecundum meritum noſtrum conſtituit, habemus duo quædam: unum quod Chriſtiani ſumus; alterum quod Præpoſiti ſumus. Illud quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt: quod autem Præpoſiti ſumus, propter vos eſt. In eo quod Chriſtiani ſumus, attenditur utilitas noſtra; in eo quod Præpoſiti, nonniſi veſtra. Omnia dona Paſtoribus a Deo collata, labores omnes ab ipſis ſuſcepti, tribulationes omnes ab illis toleratæ ad formationem corporis Chriſti referuntur; corporis (inquam) illius, quod electis omnibus velut membris, & Chriſto Jeſu velut capite conſtat. Caput autem & membra, unus Chriſtus, a quo unum laudis & gratiarum actionis ſacrificium offertur Deo, in hoc mundo inchoatum, in cœlis ſine fine conſummandum.

Paſtores & Rectores animarum omnia ſua impendere debent propter ovium ſalutem.

S. Auguſt. Serm. 46. alias De tempore 105. n. 2.

Gratiarum actionis ſacrificium pro nobis & electis omnibus offerendum.

Ut gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. Hic gratias agere Deo incipiamus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum pro gratiis nobis ſingulariter collatis, ſed pro iis quæ omnibus electis collatæ, aut conferendæ ſunt: ut ad æternæ gratiarum actionis ſacrificium offerendum cum Jeſu Chriſto capite noſtro in ejus corpore ut membra admittamur. „ Quamquam enim quod ſumus, quod vivimus, quod cœlum terramque conſpicimus, quod habemus mentem atque rationem, qua eum ipſum qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquam valeamus actioni ſufficere gratiarum; tamen quod nos oneratos obrutoſque peccatis, & a contemplatione ſuæ lucis averſos, ac tenebrarum, id eſt, iniquitatis dilectione cæcatos, non omnino deſeruit, miſitque Verbum ſuum, qui eſt ejus unicus Filius quo nobis aſſumpta carne nato atque paſſo, quanti Deus hominem penderet noſceremus, atque illo Sacrificio ſingulari a peccatis omnibus mundaremur, ejuſque Spiritu in cordibus noſtris dilectione diffuſa, omnibus difficultatibus ſuperatis, in æternam requiem & contemplationis ejus ineffabilem dulcedinem veniremus, quæ corda, quot linguæ ad agendas ei gratias ſatis eſſe contenderint? Ideo gratiæ a multis referendæ, id eſt, ab electis omnibus Chriſto capiti adunatis, ut Deo dignæ ſint, eumque, ut par eſt glorificent. *Ut gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.*

S. Auguſt. lib. 7. De Civit. Dei, c. 31.

16. *Propter quod non deficimus: ſed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Corpus noſtrum, domeſticum hoſtem, deſtruere quid formidamus, Chriſtiana mortificatione pietatis exercitiis, laboribus pro Dei gloria, pro Eccleſiæ utilitate & animarum ſalute ſuſceptis? Hoſtis deſtructio, victoriæ adeptio eſt. Exultet igitur Chriſtianus, & animo ſit excelſo, infracto, inconcuſſo in infirmitatibus, in incommodis ſenectutis, in mortis periculis, in præliis militiæ Chriſtianæ, in laboribus pœnitentiæ, cum exteriorem hominem, corpus nempe ſuum, luteum illum parietem deſtrui ſentit, quo perfecta interioris hominis, id eſt animæ renovatio impeditur, Deique viſio retardatur. „ Renovatio porro hominis interioris ſecundum imaginem ejus qui creavit eum, non momento uno fit ipſius converſionis, ſicut momento uno fit illa in baptiſmo renovatio remiſſione omnium peccatorum: neque enim vel unum quantulumcumque remanet quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud eſt carere febribus, aliud ab infirmitate quæ febribus facta eſt, revaleſcere: itemque aliud eſt infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum eſt ſecunda curatione ſanare: ita prima curatio eſt cauſſam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; ſecunda ipſum ſanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis: quæ duo demonſtrantur in Pſalmo, ubi legitur, *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis*; quod fit in Baptiſmo: deinde ſequitur, *Qui ſanat omnes languores tuos*; quod fit quotidianis acceſſibus, cum hæc imago renovatur. *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Renovatur autem in agnitione Dei, hoc eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis, ut ait Apoſtolus. *In agnitione igitur Dei, juſtitiaque & ſanctitate veritatis, qui de die in diem proficiendo renovatur, transfert amorem a temporalibus ad æterna, a viſibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad ſpiritalia; atque ab iſtis cupiditatem frenare atque minuere, illiſque ſe caritate alligare diligenter inſiſtit. Tantum autem facit, quantum divinitus adjuvatur. In quo profectu & acceſſu tenentem Mediatoris fidem cum dies vitæ hujus ultimus quemque compererit, perducendus ad Deum quem coluit, & ab eo perficiendus excipietur ab Angelis ſanctis, incorruptibile corpus in fine ſæculi non ad pœnam, ſed ad gloriam recepturus. In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando perfecta erit viſio.*

Exterioris hominis deſtructio, interioris renovatio.

S. Aug. l. 14. De Trinitate cap. 17.

Pſal. 102. 3.

17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Provideamus ne dum ad unicum momentum (Momenti enim inſtar hæc vita) deliciis indulgere volumus, infinitorum ſæculorum pœnam nobis arceſſamus: verum ad momentum potius laboremus, ut perpetuis coronis cingamur. An non cernitis in hujus etiam vitæ negotiis bonam

S. Chryſoſt. Hom. 10.

Tribulationes & labores alacriter ſuſtinere debemus quietis & felicitatis æternæ cauſa.

homi-

Digitized by Google

hominum partem eodem modo facere, ac brevem laborem diuturnæ quietis cauſa ſuſcipere? tametſi ſæpe res contra eveniat ac ſibi proponunt. Hic enim laborum ac quæſtus æqua eſt portio. Imo plerumque contra uſu venit, ut infinitus ſit labor, fructus autem tenuis, ac ſæpe ne tenuis quidem. At vero cum de cœleſti regno agitur, contraria eſt ratio. Parvum enim laborem magna atque infinita jucunditas excipit. Agricola totum annum laborat, atque ad finem ipſum diuturnorum laborum fructu ſæpe numero excidit. Rurſus & navis gubernator & miles, ad extremam uſque ætatem in laboribus verſati, ſæpe ita hinc excedunt, ut & ille mercium ſuarum opibus labatur, & hic vitam una cum victoria amittat. Quam ergo excuſationem habituri ſumus, qui cum in rebus fluxis & caducis ea quæ cum labore conjuncta ſunt præferimus, ut parumper conquieſcamus, vel ne parumper quidem (dubia quippe hæc ſpes eſt) in ſpiritualibus contrario omnino modo faciemus, ac propter modicam voluptatem, æternos cruciatus nobis attrahamus? Tribulationes, cruces, labores, dolores pati non recuſemus, immo ſubeamus & toleremus alacriter, quietis & felicitatis æternæ contemplatione, quam promiſit qui fallere non poteſt. „Quid dabit? ubi dabit? quantum dabit, qui hic non dat, qui hic erudit, qui fingit laborem in præcepto? Labor eſt hic tuus, & requies tibi promittitur. Attendis tu habere hic laborem; ſed attende qualem ille requiem pollicetur. Numquid cogitare potes? Si illam poſſes cogitare, videres te nihil laborare ad compenſationem. Noli eſſe piger in labore breviter, & gaudebis inceſſabiliter. Æternam vitam tibi daturus eſt Deus: cogita quanto labore emenda ſit. Venale eſt quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habet, eme illam de labore. Quodammodo Deus propoſuit venale regnum cœlorum. Dicis illi, Quantum valet? Pretium ipſius labor eſt: quomodo ſi diceret, Pretium ipſius aurum eſt, non ſufficeret hoc ſolum dicere, ſed quæreres quantum aurum. Nam & ſolidus aurum eſt, & ſemiuncia, & libra, & tale aliquid. Ideo dixit pretium, ne laborares quærere quamdiu invenires. Hujus rei pretium labor eſt. Quantus labor eſt? Jam quæ te tu quantum laborandum ſit. Nondum dicitur tibi quantus futurus ſit labor iſte, vel quantum laboris de te exigatur: illud tibi dicit Deus, Ego oſtendo quam ſit illa requies, tu judica quanto labore emenda ſit. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Hæc eſt requies ſempiterna. Quanto labore digna eſt requies quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies æterno labore recte emitur. Sed noli timere, miſericors eſt Deus. Si enim haberes æternum laborem, nunquam pervenires ad æternam quietem. Ergo ut aliquando pervenias ad id quod emis, non in æternum laborandum eſt: non quia non valet tanti, ſed ut poſſideatur quod emitur: Digna eſt quidem emi labore perpetuo: ſed neceſſe eſt ut labore temporali ematur. Qualis miſericordia Dei! Nec dicit, Decies centena millia annorum labora; non dicit, vel mille annos labora; non dicit, quingentos annos labora: cum vivis labora, paucis annis; inde jam requies erit, & finem non habebit. Et paucos annos laboras, & in ipſis laboribus non deeſt conſolatio. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. „ Non deſunt in doloribus gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in ſæculo, gaude in Chriſto, gaude in verbo ejus, gaude in lege ejus. Gaudes ad tempus, noli ibi fidere: triſtis es ad tempus, noli deſperare. Non te corrumpat felicitas, & non frangat adverſitas. Leves erunt tribulationes ſi non conſideremus ſecundum ſe res iſtas ſenſibiles quæ nos affligunt, ſed præmiorum vel pœnarum æternitatem, quæ in futurum nos manent. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Animam Dei capacem quicquid Deo minus eſt non implebit. Nullum temporale bonum dignum eſt felicis æternitatis candidatis. Eos decet rerum terrenarum oblivio, qui tendunt ad bonum quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparavit Deus diligentibus ſe. „Sed heu! in hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt & ſecuritatem, ſed pravis cupiditatibus non inveniunt. Volunt enim requieſcere in rebus inquietis & non permanentibus: & quia illæ tempore ſubtrahuntur, & tranſeunt, timoribus & doloribus eos agitant, nec quietos eſſe permittunt. Ideo qui veram requiem & veram felicitatem deſiderat, debet tollere ſpem ſuam de rebus mortalibus & prætereuntibus, & eam collocare in verbo Domini, ut hærens ei quod manet in æternum, etiam ipſe cum illo maneat in æternum. Qui veram requiem, quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur, quærit, etiam hic eam inter amariſſimas vitæ hujus moleſtias ſuavem jucundamque guſtabit, ſi ejus, qui eam promiſit, præcepta dilexerit. Cito enim ſentiet dulciores eſſe juſtitiæ fructus quam iniquitatis, & verius atque jucundius gaudere hominem de bona conſcientia inter moleſtias, quam de mala inter delicias. Gaudium illud bonæ conſcientiæ, pignus eſt æterni gaudii, quod ſervi fideles Domini conſequentur, qui cordis oculos a terrenis bonis, divitiis, honoribus, voluptatibus averterunt, ut eos in bonis cœleſtibus & immutabilibus defigerent. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.*

S. Auguſt. Enarrat. in Pſ. 93. n. 23. & 24.

Pſal. 83. 5.

S. Aug. lib. De Catechizandis rudibus, cap. 16.

CAPUT V.

Senſus Litteralis.

1. SCimus enim, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis*. Certa fide perſuaſi ſumus, nos, quando corpus hoc terrenum, quod anima noſtra velut domum, ſeu ut tabernaculum, ut tentorium ad paucos dies paratum inhabitat, morte diſſolvetur; habituros meliorem domum a Deo nobis præparatam, non opera aut manibus hominum factam, ſed ſola Dei omnipotentis virtute in cœlis ædificandam, corpus ſcilicet immortale, glorioſum, æternum. Vel, ſtatim atque corpus diſſolutum fuerit, anima perveniet ad gloriam cœleſtem, de qua Chriſtus ait: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. S. Auguſtinus *domum non manufactam æternam in cœlis*, interpretatur *immortalitatem præparatam nobis, qua induendi ſumus in fine, cum reſurrexerimus a mortuis*.

Secundum Græcum Textum: *Scimus enim quoniam ſi terreſtris noſtra domus tabernaculi diſſolvatur, &c.*

Tertull. lib. De Reſurrect. cap. 41.

2. 3. *Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti, non nudi inveniamur*. Nam propter hoc gemimus & ſuſpiramus, quod cœleſtem æternamque domum aſſequi non poſſumus, niſi terrena domo prius diſſoluta; corpore prius per mortem deſtructo. Vellemus enim ſi fieri poſſet, ſine morte immortalitate donari, quemadmodum Adam: ſi in ſtatu innocentiæ perſeveraſſet, in corpus fuerat ſpiritale mutandus, & in illam incorruptionem quæ fidelibus & ſanctis promittitur, ſine mortis periculo tranſiturus. Non erat, inquam, exſpoliandus corpore, ſed ſuperveſtiendus immortalitate & incorruptione, ut abſorberetur mortale a vita, id eſt ab animali in ſpiritale, ſecundum qualitates, manente eadem corporis natura & ſubſtantia, tranſiret. Quod quidem nobis contingeret, ſi corpore veſtiti, non nudi inveniremur in adventu Domini. Statim enim indueremur indumento gloriæ, aut ſine morte, aut certe breviſſimo ſomno mortis præcedente, & corpore minime reſoluto. Confer cum 1. *Corinth.* 15. 52. 53. & 1. *Theſſal.* 4. 16. Videſis Tertullianum hunc locum exponentem lib. *De Reſurrect. Carnis*, cap. 41. *Ante volumus ſuperinduere virtutem cœleſtem æternitatis*, inquit, *quam carne exuamur. Hujus enim gratiæ privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichriſti merebuntur, compendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum reſurgentibus; ſicut Theſſalonicenſibus ſcribit, &c.*

S. Cryſoſt. Hom. 10.
S. Thomas Lect. 1.
S. Auguſt. in Pſal. 65. Serm. 1.
S. Auguſt. lib. 1. De Peccat. Meritis & remiſſ. c. 2.

S. Thomas Lect. 1.

4. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati: eo quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt a vita*. Etenim dum in hoc corpore caduco & mortali, velut in tentorio, verſamur, ingemiſcimus ejus onere gravati, & ad incorruptionis beatum ſtatum ſuſpiramus: ideo autem gemimus, quod natura refugiat mortem qua exuimur corpore; & cuperemus, ſi fieri poſſet, per ſubitam mutationem ſuperindui corpore immortali, ut mortalitas perfecte aboleatur & abſorbeatur ab immortalitate & vita glorioſa.

5. *Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus*. Qui nos præparavit immortalitati, Deus eſt, qui dedit nobis Spiritum ſuum ut arrham futuræ gloriæ. Ex miraculis quæ fiebant per Spiritum ſanctum veras eſſe de futuris promiſſiones, Apoſtolus noſter oſtendit.

6. 7. 8. *Audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Certa ſpe futuræ gloriæ ſubnixi, bono ſemper & fidenti animo ſumus: ſcientes nos, quamdiu in hoc mortali corpore verſamur, a Domini conſpectu & fruitio-

Juſtorum animæ Deum vident ſtatim atque corporibus cautæ ſunt.

ne

ne procul eſſe poſitos, & velut peregrinos extra patriam cœleſtem, ad quam tendimus, degere. (*Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.*) Nunc enim non videmus Deum ut in ſe eſt, ſed per fidem eum cognoſcimus, quamdiu viatores ſumus. *Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Hac fiducia animati, deſideramus ab hoc corpore excedere, ut cum Domino verſemur, ejuſque beata viſione in cœlis fruamur. Ex hoc loco Apoſtoli efficaciter probatur, Sanctorum Animas, ſtatim atque corporibus ſuis exutæ ſunt, Deum videre ut in ſe eſt, & Chriſti Domini præſentia in cœlis frui. Si enim poſt corporum reſurrectionem dumtaxat illam felicitatem conſequerentur, non optarent peregrinari a corpore, ut ad eam pervenirent. Non dixit Apoſtolus, Deſideramus immortalitatem aſſequi, ſed, cum Domino eſſe: Hoc enim immortalitate majus eſt.

S. Chryſoſt. Hom. 10. Theophylact.

9. *Et ideo contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placere illi.* Cum tantum præmium nobis a Deo propoſitum ac promiſſum ſit, ſancta quadam ambitione nitimur illi placere, miniſterium noſtrum fideliter exequendo, actuſque noſtros ipſi approbando, ut ei ſemper grati & accepti ſimus, ſive in corpore verſemur, ſive e corpore ſit exeundum ut ad illum proficiſcamur, ejuſque præſentia fruamur.

10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Omnes enim homines ſine exceptione, coram Chriſto judice non tantum adſtare oportet ſiſti, ſed manifeſtari, ut omnia eorum conſilia, verba, opera, omnibus manifeſta fiant, & referat unuſquiſque præmium vel pœnam eorum quæ geſſerit dum in corpore viveret, ſive bona, ſive mala. Igitur τὸ *prout geſſit* generale eſt, nec actiones tantum exteriores complectitur, verum etiam intimas animorum cogitationes, ſeu *conſilia cordium*, ut alibi loquitur Apoſtolus noſter. Hæc autem, quæ exponimus, Apoſtoli ſententia, non ſolum ad adultos, ſed etiam ad parvulos pertinet. *Semus*, ait S. Auguſtinus, *etiam parvulos, ſecundum ea, quæ per corpus geſſerunt, recepturos vel bonum, vel malum. Geſſerunt autem non per ſeipſos, ſed per eos quibus pro illis reſpondentibus & renunciare diabolo dicuntur, & credere in Deum; unde & in numero fidelium computantur, pertinentes ad ſententiam Domini dicentis*, „ Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. *Propter quod & illis qui hoc Sacramentum non acceperint, contingit quod ſequitur*, „ Qui autem non crediderit, condemnabitur. *Unde & ipſi, ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, id eſt, tempore quo in corpore fuerunt, quando per cor & ora geſtantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati ſunt, quando carnem Chriſti manducaverunt vel non manducaverunt, quando & ſanguinem biberunt vel non biberunt: ſecundum hæc ergo quæ per corpus geſſerunt, non ſecundum ea quæ ſi diutius viverent geſturi fuerant, judicantur.*

Theodoret. Theophylact.

2. Cor. 4. 5.

S. Auguſt. Epiſt. 217 alias 107. ad Vitalem.

Marci 16.

11. *Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus.* Cum ergo certo ſciamus & ante oculos habeamus tremendum illud Dei judicium, hominibus perſuadere nitimur ut Deum pariter timeant & colant: & miniſterium noſtrum ſincera mente implemus propter Dei gloriam & illorum ſalutem, non ob privata commoda. Sinceritatis autem & integritatis noſtræ Deum teſtem habemus, qui cordium inſpector eſt. *Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.* Confido autem noſtram ſinceritatem & integritatem in Evangelico munere, veſtræ etiam conſcientiæ teſtimonio ac judicio probari.

12. 13. *Non iterum commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis glorìandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.* Non eo conſilio hæc ſcribimus, ut me ſocioſque meos & adjutores in Evangelii miniſterio iterum apud vos commendem; ſatis enim vobis noti ſumus a converſatione noſtra: ſed ut occaſionem vobis demus in Domino gloriandi & gaudendi, quod ab eis prædicatoribus & magiſtris inſtituti eſtis, qui nulli ſunt obnoxii reprehenſioni; & in promptu habeatis quid reſpondeatis Pſeudo-apoſtolis gloriæ noſtræ æmulis, qui gloriam captant ex iis quæ hominum oculos præſtringunt, nobilitate ſcilicet, divitiis, ſapientia & eloquentia ſæculari, & non ea cordis puritate & conſcientiæ teſtimonio, quæ nos apud Deum commendant & probant. *Sive enim mente excedimus, Deo; ſive ſobrii ſumus, vobis.* Sive enim de nobis ipſis magnifice loquamur, & ea ſcribamus quæ ad laudem noſtram ſpectant, quod ſtultum & inſanum videtur, id facimus ad Dei gloriam & honorem, ne miniſterium nobis ab eo creditum contemnatur. Sive a laudibus noſtris temperamus, humiliter ac modeſte de nobis loquentes, ut ſolent homines ſanæ mentis, id propter bonum veſtrum facimus, imbecillitati veſtræ conſulentes, & humilitatis ac modeſtiæ exempla vobis præbentes.

14. 15. *Charitas enim Chriſti urget nos.* Exemplum enim caritatis Chriſti, qui vitam & mortem ſuam pro omnibus hominibus impendit, nos adſtringit, urget, compellit ut proximorum ſaluti nos totos impendamus: *Æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Pro certo habentes, quod ſi unus, ſcilicet Chriſtus, pro omnibus & ſingulis hominibus mortuus eſt, hinc ſequitur omnes & ſingulos eſſe mortuos morte peccati. Sicut ergo dogma fidei eſt, Chriſtum mortuum eſſe, non pro ſolis electis, ſed generatim pro omnibus hominibus, non ſola ſufficientia pretii, ſed voluntatis, ex nimia & infinita bonitate, caritate, miſeratione pretium illud pro omnibus offerentis Patri: ita fidei veritas eſt omnes mortuos eſſe morte peccati in Adamo, omnes æternæ morti naſci obnoxios. „ Unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes „ mortui ſunt. Vide, *ait S. Auguſtinus*, quia con„ ſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mor„ tui, ſi pro omnibus mortuus eſt. Quia ergo non „ in corpore: reſtat ut in peccato eſſe mortuos o„ mnes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, nemo ne„ get, nemo dubitet, qui ſe non negat aut dubitat „ eſſe Chriſtianum. Quapropter ſi nullum trahunt „ peccatum parvuli, non ſunt mortui. Si non ſunt „ mortui, non eſt mortuus pro eis, qui non eſt „ mortuus niſi pro mortuis. “ Verumtamen non omnes mortis Chriſti beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat quibus meritum paſſionis ejus communicatur. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Porro Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ut qui vivunt vita naturali, deinceps non ſibi vivant, id eſt, non ſuo arbitratu, ſuæ gloriæ, ſuis commodis, ſuis cupiditatibus ſervientes; ſed ex Chriſti præſcripto; & omnis vitæ ſuæ actiones ad ejus honorem & gloriam referant, qui ipſos morte ſua redemit, & redemptionis jure ſervos ſuos effecit; & reſurrectione ſua ipſis vitam immortalem procuravit. Confer cum *Rom.* 14. 7. 8. 9.

Chriſtus pro omnibus & ſingulis hominibus mortuus eſt.

Omnes originale peccatum contraxerunt.

S. Aug. l. 6. Contra Julianum Pelag. cap. 4. & lib. 20. De Civitate Dei, c. 6. Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 3.

16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem.* Tam certam ſpem tenemus futuræ noſtræ incorruptionis & immortalitatis, ut jam neminem ſecundum carnem hanc mortalem, ejuſque dotes ac bona magni faciamus, aut ſecundum carnem gloriemur de nobilitate generis, quod Hebræi, quod Iſraelitæ, quod ſemen Abrahæ ſimus. Carnales neceſſitudines parvifacimus, cum vitæ veteri ac nobis ipſis mortui, & in novam cum Chriſto vitam ſimus transformati, ac beatæ immortalitatis candidati. *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc jam non novimus.* „ In Chriſto jam completum „ eſt, quod nobis promiſſum ſperamus. Ille quip„ pe jam reſurrexit, & mors ei ultra non dominabitur. Quem etſi noveramus ſecundum carnem, „ cum adhuc moriturus eſſet, inerat quippe in ejus „ corpore illa mortalitas quam proprie carnem appel„ lat Apoſtolus: ſed jam nunc non novimus; illud „ enim ejus mortale jam induit immortalitatem, „ unde ſecundum priſtinam mortalitatem jam caro „ appellari non poſſit. Itaque eorum, pro quibus „ Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, & qui jam non „ ſibi, ſed illi vivunt, neminem ſecundum carnem „ Apoſtolus noverat, propter ſpem futuræ immorta„ litatis, in cujus exſpectatione vivebant, quæ in „ Chriſto non jam ſpes, ſed res erat, quem etſi „ noverat ſecundum carnem, cum adhuc moriturus „ eſſet, jam tamen non noverat, quia cum reſurre„ xiſſe noverat, & ultra ei mortem non dominatu„ ram. Quod autem ait, *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum*, in aliorum Apoſtolorum & Diſcipulorum Domini perſona magis quam in ſua dicit. *Et ſi cognovimus*, id eſt, ſi adhæſimus Chriſto aliquando, ſcilicet quando nobiſcum erat præſentia corporali, *ſecundum carnem*, id eſt, ſecundum carnalem affectum, *ſed jam non novimus*, id eſt, jam iſte affectus ceſſavit a nobis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Vide infra, c. 11. 18. & 22.

S. Aug. l. 11. Contra Fauſtum, cap. 7. & 8.

S. Thomas, Lect. 4.

Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus, „ Merito dicitur caro Chri„ ſti, in eo ſtatu quo fuerat nota, neſciri: quia ni„ hil in ea paſſibile, nihil remanſit infirmum, ut & „ *ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam.* „ Quid autem mirum, ſi hoc de corpore Chriſti pro„ fitetur, qui de omnibus Chriſtianis ſpiritualibus „ dicit: *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum* „ *carnem?* Et hoc, inquit, initium nobis factum eſt „ reſurrectionis in Chriſto, ex quo in eo, qui pro

S. Leo, Serm. 69. De Reſurrect. Dom. c. 4.

„ omni-

Digitized by Google

„ omnibus mortuus eſt, totius ſpei noſtræ forma præceſſit. Non hæſitamus diffidentia, nec incerta exſpectatione ſuſpendimur, ſed accepto promiſſionis exordio, fidei oculis, quæ ſunt futura jam cernimus: & naturæ provectione gaudentes, quod credimus jam tenemus.

Secundum Græcum Textum: *Si quis in Chriſto, nova creatura.* Id eſt, *Si quis in Chriſto eſt, nova creatura eſt*, non naturæ novitate formatus, ſed gratiæ. Tum ſequitur alia ſententia, puncto interpoſito. *Vetera tranſierunt*, &c. Vide & *S. Ambroſ.* Epiſt. 39. novæ Edit. ad Fauſtinum. *S. Aug. l.* 11. *Contra Fauſtum c.* 8.

17. *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova.* Igitur ſi qua in Chriſto nova creatura facta eſt, ei vetera tranſierunt, peccatum, veteris hominis carnales affectus, legales obſervantiæ, veteris Teſtamenti ſervitus, corruptio mortalitatis: hæc, inquam, omnia per Chriſti gratiam abolita ſunt, partim reipſa, partim ſpe; & ſecundum inchoationem huic vitæ convenientem. Eodemque ſenſu facta ſunt omnia nova, Lex nova, fides, juſtitia, Novi Teſtamenti libertas, in futuro ſæculo totus homo novus, ſecundum animam & ſecundum carnem beatus, immutatus, gloria æterna conſummatus; cœlum & terra nova, Jeruſalem, ſeu Eccleſia nova. Confer cum Iſaiæ 43. 18. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, & nunc orientur, utique cognoſcetis ea.* „ Omnis igitur nova creatura, id eſt, populus innovatus per fidem, ut habeat interim in ſpe, quod in re poſtea perficiatur, in Chriſto habet jam quod in ſe ſperat. Itaque jam vetera tranſierunt ſecundum ſpem, quia modo jam non eſt tempus veteris Teſtamenti, quo temporale atque carnale regnum exſpectetur a Deo; & facta ſunt omnia nova ſecundum eamdem ſpem, ut regnum cœlorum, ubi nulla erit mors atque corruptio, promiſſum teneamus. In reſurrectione autem mortuorum, jam non ſecundum ſpem, ſed ſecundum rem, & vetera tranſibunt, cum inimica noviſſima deſtruetur mors: & fient omnia nova, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: quod jam factum eſt in Chriſto, quem ſecundum rem jam non noverat Paulus ſecundum carnem; eorum vero pro quibus mortuus eſt & reſurrexit, nondum ſecundum rem, ſed ſecundum ſpem, neminem noverat ſecundum carnem.

18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Hæc autem omnia, quæ ad renovationis beneficium pertinent, & quæ partim in re, partim in ſpe habemus, noſtris viribus non obtinemus, ſed ex Dei donatione & gratia, a quo eſt omne bonum & omne donum perfectum. Qui nobis peccata condonavit, nos in gratiam & amicitiam recepit, ſibique in filios adoptavit Chriſto Jeſu Mediatore, & pretio ac merito ſanguinis illius, & nos humanæ ſecum reconciliationis præcones & adminiſtros tum per Evangelii prædicationem, tum per Sacramentorum diſpenſationem conſtituit.

S. Auguſt. Tract. 87. *Joan. n.* 2. *&* 3. *& Tract.* 110. *n.* 2. *&* 4

19. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Deus enim per Chriſtum unum Dei hominumque Mediatorem mundum ſibi reconciliavit, id eſt; homines ex toto mundo electos, qui credendo in Chriſtum unum ſunt, ſive tota Eccleſia Chriſti ſanguine acquiſita, & corpus ejus effecta. „ Iſte enim mundus, quem Deus in Chriſto reconciliat ſibi, & qui per Chriſtum ſalvatur, & cui per Chriſtum peccatum omne donatur, de mundo electus eſt inimico, damnato, contaminato. Ex ea quippe maſſa quæ tota in Adam periit, ſiunt vaſa miſericordiæ, in quibus eſt mundus pertinens ad reconciliationem: quem mundus odit, ex eadem maſſa pertinens ad vaſa iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem. „ Veruntamen pretium ſufficiens pro omnium & ſingulorum hominum reconciliatione Dei Patri Chriſtus obtulit, licet reconciliationis efficacia ad omnes non perveniat. Hæc autem reconciliatio mundi cum Deo per Chriſtum fit abolitione peccatorum: *Non reputans illis delicta ipſorum.* Quibus verbis non explicatur totus reconciliationis effectus, ſed ex parte. Juſtificatio enim ſeu reconciliatio perfecta non ſolum peccati condonationem, ſed internam animæ ſanctificationem per gratiæ & virtutum atque donorum infuſionem complectitur. Confer cum Coloſſ. 1. 21. 22. *Et vos cum eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos ſanctos & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo.* Deus autem nobis Apoſtolis ſuis ac Miniſtris novi Teſtamenti ſui, munus demandavit annuntiandi hominibus tantum reconciliationis illorum cum Deo beneficium.

20. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Deus Chriſtum Jeſum Filium ſuum reconciliationis hominum ſecum Mediatorem ſimul ac legatum fecit, & miſit in mundum: Chriſtus vero nos legatos ſuos conſtituit, qui illius vice agentes, reconciliationis hominum cum Deo negotium urgeremus & promoveremus. Itaque verba exhortationis noſtræ ſic audire, ſic accipere debetis, tamquam verba Dei, qui per nos vos exhortatur. Vos & omnes homines, quibus Evangelium prædicamus, in perſona Chriſti ejuſque nomine obſecramus, ut in eum credendo, pœnitentiam agendo, & Sacramenta ab ipſo inſtituta recipiendo (quæ media ſunt reconciliationis veſtræ) cum Deo in gratiam redeatis.

21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Hanc gratiam ut vehementer deſideretis, ſperetis, & ſtudioſe quæratis, ſumma Dei benignitas & miſericordia invitat, qui Chriſtum Jeſum adeo a peccato alienum ac ſi prorſus illud ignoraret, fecit hoſtiam pro peccatis noſtris, & tractavit eum tamquam hominem inſigniter ſceleratum, *ponens in eo iniquitatem omnium noſtrum*, quaſi in devota pro peccatis omnium victima, qualis erat caper emiſſarius, qui portabat omnes iniquitates filiorum Iſrael, quas ejus capiti ſummus Sacerdos imprecatus fuerat. *Et cum iniquis reputatus eſt.* Cur autem id factum? *Ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Id eſt, ut ipſius Chriſti gratia, non noſtris meritis, juſti efficeremur juſtitia quam Deus donat, juſtitia (inquam) a Deo miſericorditer infuſa & animis noſtris intrinſecus inhærente, non extrinſecus imputata. Vel, ut coram Deo vere juſti eſſemus, non ex operibus legis, ſed ex gratia Dei. Hæc enim eſt Dei juſtitia, cum quis gratia juſtificatus fuerit, ita ut nullus in eo nævus, nullave macula inveniantur. Propterea enim non dixit, Ut efficiamur; ſed, *juſtitia Dei*, gratiæ excellentiam oſtendens.

Iſai. 53. 7.
Levit. 16.
Iſai. 53. 12.
S. Auguſt. Epiſt. 140. *alias* 120. *Ad Honoratum, cap.* 30. *& alibi.*
S. Chryſoſt. Hom. 11.
Theophylact.

CAPUT V.

Senſus Moralis.

1. SCimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Cum hæc credamus, cur corpus noſtrum tantopere diligimus? Cur carnem tanto ſtudio curamus? Cur morbos & incommoda hujus vitæ impatienter ferimus? Cur Miniſterii noſtri, aut Pœnitentiæ labores refugimus, corporis noſtri diſſolutionem metuentes? Cur terreſtri domui *cœleſtem*; caducæ & temporali, *æternam*; ei quæ ab hominibus conſtructa eſt, *non manufactam* poſtponimus? Quis miles tentorium ſuum regio Palatio præponat? „ Itaque non modo non eſt dolendum cum exterior homo noſter, cum corpus noſtrum aliqua ex parte nunc corrumpitur; verum etiam ut omni ex parte corrumpatur, expetendum eſt. Hæc enim corruptio ad eum ſtatum maxime te ducit, qui ab omni corruptione atque interitu alienus eſt. Dicamus ergo cum ſancto Job: *Cunctis diebus quibus nunc milito, exſpecto donec veniat immutatio mea.* Dicamus cum ſancto Auguſtino divina charitate flagrante & ad cœleſtem æternamque domum ſuſpirante: *O domus luminoſa & ſpecioſa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini mei fabricatoris & poſſeſſoris tui! Tibi ſuſpirat peregrinatio mea, & dico ei qui fecit te, ut poſſideat & me in te, quia fecit & me. Erravi ſicut ovis perdita, ſed in humeris Paſtoris mei, ſtructoris tui, ſpero me reportari tibi.*

Corporis diſſolutio non metuenda Chriſtiano.
Theodoret.
S. Chryſoſt. Hom. 10.
Job. 14.
S. Auguſt. lib. 12. *Confeſſion. c.* 15.

2. 3. *Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperinduì cupientes: Si tamen veſtiti, non nudi inveniamur.* Miſeris & exulibus ingemiſcere proprium eſt, illis ut a miſeriis eripiantur; illis ut ad patriam revertantur. Has miſerias ſentiunt omnes animali ſenſu, non Chriſtiano, unde non ingemiſcunt, non ſuſpirant ad habitationem cœleſtem. Mala hujus vitæ malis boniſque communia nemo non ſentit, ſed præter hæc habent in ea juſti proprios quoſdam labores ſuos, quibus adverſus vitia militant, & in talium præliorum tentationibus periculiſque verſantur. Aliquando enim concitatius, aliquando remiſſius, non tamen deſinit caro concupiſcere adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non ea quæ volumus faciamus, omnem malam concupiſcentiam conſumendo; ſed eam nobis, quantum divinitus adjuti poſſumus, non ei conſentiendo ſubdamus, vigiliis continuis excubantes, ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur, ne ab his quæ agenda ſunt metus revocet, ne in ea quæ agenda non ſunt cupido præcipi-

S. Aug. l. 12. *De Civit. Dei, cap.* 23.
In hoc mundo gemere propter continua peccandi pericula, hominis Chriſtiani proprium eſt.

tet

Digitized by Google

ter, ne ſuper iracundiam ſol occidat, ne inimicitiæ provocent ad retributionem mali pro malo, ne abſorbeat inhoneſta vel immoderata triſtitia, ne impertiendorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem, ne maledicis rumoribus bona conſcientia fatigetur, ne temeraria de alio ſuſpicio noſtra decipiat, ne aliena de nobis falſa nos frangat, ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore ad obediendum deſideriis ejus, ne membra noſtra exhibeantur iniquitatis arma peccato; ne oculus ſequatur concupiſcentiam, ne vindicandi cupiditas vincat, ne in eo quod male delectat, vel viſio vel cogitatio remoretur, ne improbum aut indecens verbum libenter audiatur, ne fiat quod non licet, etiam ſi libet, ne in hoc bello laborum periculorumque pleniſſimo vel de viribus noſtris ſperetur facienda victoria, vel viribus noſtris facta tribuatur. Hæc mala quibus monſtratur hujus vitæ flenda calamitas, & alterius deſideranda felicitas, juſti ſentiunt, ideo ingemiſcunt, & ad cœleſtem patriam ſuſpirant. Mundi vero amatores lætantur in exilio, quia dulci patriæ cœleſtis deſiderio non tenentur. Væ illis qui non gemunt, non lugent, non faſtidiunt hujus ſæculi voluptates, non orant ut a periculis continuis peccati liberentur! *Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis*. Hic gemamus, oremus, ut in æterna patria ſine fine gaudeamus & laudemus. Etſi corpus noſtrum adhuc in Babylonia verſetur, cor noſtrum ad cœleſtem Jeruſalem præmittatur. Demus operam ut juſtitiæ, caritatis, virtutum ac bonorum operum veſte induti coram Deo compareamus. Qui enim Chriſto & juſtitia ejus indutus ex hac vita non exceſſerit, gloria & immortalitate ſuperindui non poterit. Si *tamen veſtiti, non nudi inveniamur*.

S. Aug. in Pſal. 148. n. 6.

4. 5. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati: eo quod nolumus expoliari; ſed ſupervestiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt, a vita*. Conformitas cum divina voluntate facit ut Sancti præſentem vitam patiantur: deſiderium regnandi cum Chriſto facit ut futuram vitam deſiderent. Hæc pugna ſpiritus adverſus ſemetipſum, ratio eſt cur ingemiſcunt. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati*. Suſpirant gravati onere corporis, quia gravius ipſis eſt pondus importunum cupiditatis. Illis enim non eſt gravis cupiditas, quibus non dominatur charitas. Tunc vero cupiditas nulla erit, cum charitas conſummata fuerit, abſorpta morte a vita immortali. Quod etſi juſti deſiderent, tamen *nolunt exſpoliari, ſed ſupervestiri*. Diſſolvi cupiunt, & eſſe cum Chriſto, & tamen repugnante natura, carne exſpoliari formidant. *Quia etſi victoria in perpetuum lætificat, ipſa nihilominus ad præſens pœna perturbat: & quamvis vincat amor ſubſequentis muneris, tangit tamen non ſine mœrore animum pulſus doloris. Sicut enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, & palpitat & feſtinat, tremit & ſævit: quaſi pavere per pallorem cernitur, ſed per iram vehementer urgetur: ita vir ſanctus cum paſſioni ſe propinquare conſpicit, & naturæ ſuæ infirmitate concutitur, & ſpei ſuæ ſoliditate roboratur: & de vicina morte trepidat, & tamen quia moriendo verius vivat, exultat. Ad regnum quippe non poteſt niſi interpoſita morte tranſire: & idcirco confidendo quaſi ambigit, & quaſi ambigendo confidit; & gaudens metuit, & metuens gaudet; quia ſcit quod ad bravium quietis non perveniat, niſi hoc quod interjacet cum labore tranſcendat. Sic & nos cum morbos a corpore repellere cupimus, triſtes quidem amaram purgationis poculum ſumimus; certi autem de ſubſequenti ſalute gaudemus*.

S. Gregor. M. lib. 24. Moral. cap. 16.

Non propter ſe fecit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam nos creans, in Chriſto nos regenerans, & filios ſuos adoptivos efficiens, Spiritum ſanctum nobis donans ut pignus cœleſtis hæreditatis. Charitatem quam in cordibus noſtris divinus ille Spiritus diffundit, ne amittamus umquam. Gloriam enim & vitam æternam non habebit, qui has arrhas Deo in hora mortis non repræſentavit. *Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus*.

Ad patriam cœleſtem ſemper ſuſpirandum. Mundus non diligendus.

6. 7. 8. 9. *Audentes igitur ſemper, ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*. Quolibet hic abundet, nondum ſumus in illa Patria quo redire feſtinamus per fidem & charitatem, a qua exulamus, dum in hoc mortali corpore vitam agimus; ad quam non pervenimus, niſi in bonis operibus, ad corporis uſque diſſolutionem, perſeveremus. *Cui peregrinatio dulcis eſt, non amat Patriam: ſi dulcis eſt Patria amara eſt peregrinatio: ſi amara peregrinatio, tota die tribulatio. Quando non eſt tribulatio? Quando in Patria delectatio*, „ Delectationes in „ dextra tua uſque in finem. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: ut videam voluptatem Domini. *Ibi viſio ſine defectu, amor ſine faſtidio. Ibi gaudium erit ſine fine, æternitas ſine labe, ſerenitas ſine nube*. Extra Patriam noſtram, quæ Deus eſt, quid nobis dulce eſſe poteſt, ſi ex fide vivimus? *Nolumus omnia quæ dedit, ſi non dat ſeipſum qui omnia dedit*.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 85. n. 11. Pſal. 15. 10.

S. Auguſt. Tract. 38. in Joann. n. 8.

Peregrini hoc in mundo ſumus, quia per fidem, non per ſpeciem ambulamus. Fide autem per dilectionem operante cor mundatur ut Deum videat. Igitur *Dilectione inhærendum eſt illi, ut præſente perfruamur a quo ſumus, quo abſente nec eſſe poſſemus. Cum enim per fidem adhuc ambulamus, non per ſpeciem, nondum utique videmus Deum facie ad faciem; quem tamen niſi nunc jam diligamus, numquam videbimus*. Quis autem dixerit nos Deum vere diligere, ſi vitam præſentem fruitioni Dei præponimus. „ Ejus eſt in mundo „ diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem „ ſæculum blandiens atque decipiens illecebris ter„ renæ voluptatis invitat. Porro cum mundus oderit Chriſtianum; quid amas eum qui te odit, & „ non magis ſequeris Chriſtum, qui te & redemit & diligit? Joannes in Epiſtola ſua clamat & loquitur: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt charitas Patris in illo*, &c. „ Potius, fratres dilectiſſimi, pa„ rati ad omnem voluntatem Dei ſimus: pavore mor„ tis excluſo, immortalitatem quæ ſequitur, cogi„ temus. Hoc nos oſtendamus eſſe quod credimus, „ ut neque charorum lugeamus exceſſum: & cum „ acceſſionis propriæ dies venerit, incunctanter „ & libenter ad Dominum ipſo vocante veniamus.

S. Aug. lib. 8. De Trinit. cap. 4.

S. Cyprian. lib. De Mortalitate.

Interim vero probemus nos illum diligere, omni ſtudio contendentes illi placere. *Et ideo contendimus, ſive præſentes, ſive abſentes placere illi*. Id totum hominis Chriſtiani negotium, contendere ut Deo placeat in hac vita mortali, voluntatem ejus implendo, & reſiſtendo malis, quæ ab illo nos avertunt, ejuſque divinam Majeſtatem offendunt. *Contendimus* cum pugna & lucta contra tentationes diaboli, carnis, & mundi, *placere illi*. Chriſto Domino noſtro auſcultantes dicenti; *Contendite intrare per anguſtam portam*.

Totum hominis Chriſtiani negotium, contendere ut placeat Deo.

S. Thomas, Lect. 2.

10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti; ut referat unuſquiſque propria corporis; prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. Eo magis eniti debemus ut Deo grati & accepti ſimus bonis operibus, quod a Chriſto ſecundum opera bona vel mala judicandi ſumus. Incutere autem nobis timorem ſalutarem debent. 1. Judicii univerſalitas, a quo nullus excipietur *Omnes nos*, puſilli & magni, Reges & ſubditi, nobiles & plebeii, pauperes & divites, Sacerdotes & Laici. Religioſi & ſæculares, docti & imperiti, omnium ætatum, ſtatuum, conditionum viri & feminæ: *Omnes nos*. 2. Judicii certitudo. Hominum enim judicia errori obnoxia ſunt, cum quidam judicantur mali, qui reipſa boni ſunt; & quidam boni, qui reipſa ſunt mali, quia corda non ſunt judicantibus manifeſta. At ultimi Judicii perfectiſſima erit certitudo propter ſcientiam infinitam Judicis, cui omnia nuda ſunt & aperta, qui cordium intima ſcrutatur, & manifeſta facit. *Manifeſtari*. 3. Judicii infallibilitas & neceſſitas; quippe quod nemo poſſit effugere nec per interpoſitam perſonam, nec per contumaciam. *Oportet*. 4. Judicis auctoritas, qui in eadem forma veniet homines judicaturus, in qua fuit ab hominibus judicatus, ut in forma humana a bonis & malis videatur. Mali enim videre gloriam Dei non poſſunt. *Ante tribunal Chriſti*. 5. Summa Judicis integritas & æquitas, qui præmia, vel pœnas unicuique ſecundum merita rependet. *Ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum*. 6. Sententiæ immutabilitas, quæ declinari per appellationem non poterit. In hac vita merendi tempus eſt: cur tam pretioſa momenta, ex quibus beata vel miſera pendet æternitas, tam male impendimus? „ Vere ſibi conſulit, qui Deum judi„ cem cogitat, apud quem cauſam geſtæ hujus vitæ, „ atque ab illo ſibi muneris injuncti quiſque dicturus „ eſt, ubi omnis homo recipit quæ per corpus geſſit, „ ſive bonum, ſive malum. Ita ſibi conſulit, qui ex „ fide vivens, & ſatagens ne ab extremo præoccu„ petur die, extremum computat omnem diem, & „ ſic Deo placitos mores perducit uſque ad extre„ mam diem. Exiſtimemus diem illum extremum „ tunc adeſſe, ac ſuam quiſque noſtrum conſcien„ tiam conſideret, fingatque animo adeſſe jam Judi„ cem, omniaque detegi atque in medium proferri. „ Neque enim illi tantum nobis neceſſe eſt, ſed et„ iam manifeſtari. Quid? An non erubuiſtis? An „ non mente exceſſiſtis? Quod ſi nunc re nondum „ præſente: ſed animo dumtaxat adumbrata, conſcien„ tia noſtra pene nos examinat, quid tandem facie„ mus,

Sex præſertim ſtationes ulterioris judicii timorem ſalutarem nobis incutere debent.

Serm. 309. alias 12. inter ad ittos a Pariſienſibus.

S. Chryſoſt. Hom. 10.

Digitized by Google

mus, cum dies ille venerit, cum totus orbis terrarum adfuerit, cum Angeli & Arcangeli, eum denſa ſpirituum agmina, atque omnium raptus in nubibus, & acies tremoris plena. Nam etſi gehenna nulla eſſet, tamen in tanto ſplendore rejici, & cum ignominia ſecedere, quantum tormentum exiſtimandum eſt? Etenim ſi Imperatore cum ſuis urbem ingrediente, ſuam quiſque noſtrum paupertatem metuentes, non tantum ex hujuſmodi ſpectaculo voluptatis quantum ex eo quod earum rerum quæ circum Imperatorem ſunt, nullo modo participes efficimur, nec prope eum, qui rerum potitur, ſumus, mœroris capimus, quid tum futurum eſt? An vero leve tormentum eſſe ſenſes, non adſcribi ad illum Chorum, ad arcanam illam gloriam non admitti? Ab illa celebritate ac bonis, quæ nullo ſermone explicari poſſunt, procul ac longe projici? Cum vero tenebræ inſuper ſint, & dentium ſtridor, & ejuſmodi vincula quæ frangi nequeant, & vermis immortalis, & ignis numquam extinguendus, & oppreſſio atque anguſtia, & linguæ conflagratio quemadmodum illa Divitis; cum ejulemus & nemo audiat, ingemiſcamus ac præ dolorum acerbitate rugiamus, & nemo attendat, in omnes partes oculos convertamus, & nuſquam ſit qui ſolatium ferat: quo tandem loco eos conſtituemus, qui in tanta calamitate verſabuntur? Hæc ſerio conſidera, & ſi libidinis igne flagras, ignem illum oppone; atque hic confeſtim extinguetur & evaneſcet. Si quid, quod turpe & abſurdum ſit, loqui geſtis, dentium ſtridorem cogita, & fræni inſtar tibi hic metus erit. Si in animum inducis cupiam aliquid eripere, audi Judicem imperantem

Matth. 22.

& dicentem, *Ligate manus ejus ac pedes, & ejicite eum in tenebras exteriores*. Ita fiet ut hanc quoque cupiditatem exturbes. Si vino deditus es, nec a crapula abſtrahi potes, audi Divitem illum dicen-

Luc. 16.

tem, *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam*; nec tamen id obtinentem, atque ita hoc vitio laborare deſines. Si delicatum amore teneris, afflictionem illam & anguſtiam cogita; & delicias ne quidem cogitabis. Si ſævus & crudelis es, Virginum illarum parabola tibi in mentem veniat, quæ ob extinctas lampades ad talamum minime admiſſæ ſunt, & humanitatem quam primum indues. Si ſegnitie ac languore torpes, eum qui talentum abſcondit, ob animum tibi propone, & exprobrationem quæ ignem ipſum acrimonia vincit. At fortaſſe alienarum opum cupiditas te exedit? Vermem illum immortalem in mente habe: ac perfacile tum hunc morbum profligabis, tum alia omnia Dei præcepta explebis.

Cavere diligenter debemus, ne malis de nobis ſuſpicionibus occaſionem demus.

S. Chryſoſt. Hom. 11.

11. 12. *Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe. Non iterum commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis*. „Divini judicii intuitu ac metu ſalutari omnem operam adhibere debemus, ne anſam ullam, aut malæ ullius actionis ſuſpicionem adverſum nos præbeamus. Neque enim tunc ſolum in nobis crimen hæret, cum quid mali perpetravimus; ſed quamvis etiam nihil perpetremus, tamen ſi ſuſpicione apud homines laboremus, nec eam amoliri ac propulſare, cum liceat, curemus, pœnas utique ſubituri ſumus. Sufficit quidem bona conſcientia ut Deo probemur, cui manifeſti ſumus: ſed neceſſaria eſt nobis bona fama, ut quod rectum eſt hominibus ſuadeamus. „Sancta ergo converſatio cauta etiam debet eſſe, ne forte cum mala vita non ſit per laſciviam, mala ſit fama per negligentiam.

S. August. l. De Bono Viduitatis, cap. 22.

Nec audiendi ſunt ſive viri ſancti, ſive feminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit ut in malam veniant ſuſpicionem, unde vitam ſuam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, æſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpia quæ caſta eſt diſplicet vita ſanctorum, ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. *Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem*. Unde Apoſtolus alibi ait: *Providentes bona, non ſolum coram Deo, verum etiam coram homi-*

2. Cor. 8. 21.

nibus. Verumtamen famam ſuam diligere non debet nec de laudibus ſuis gaudere, niſi propter Dei gloriam, & proximorum ſalutem, quam ſancta exempla juvant ac promovent. *Non iterum commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis*; &c. Unde S. Auguſtinus ſic Deum alloquitur: *Gloria*

S. Aug. l. 10 Confeſſ. c. 36.

noſtra tu eſto; propter te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Cum autem non peccator laudatur in deſideriis animæ ſuæ, nec qui iniqua gerit benedicitur, ſed laudatur homo propter aliquod donum quod dediſti ei, at ille plus gaudet ſibi laudari ſe, quam ipſum donum habere unde laudatur; etiam iſte te vituperante laudatur; & melior jam ille qui laudavit, quam iſte qui laudatus eſt. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donum hominis quam Dei.

Famam ſuam diligere nemo debet niſi propter gloriam Dei & proximorum ſalutem.

13. 14. *Sive enim mente excedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis. Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Sublimium contemplatione Myſteriorum excedere, ſupra ſe, reſque creatas omnes evehi, ac in Deitatis oceano feliciter immergi, paucorum eſt: ad prima fidei elementa deſcendere, & doctrinam Chriſtianam Catholicam parvulorum & infirmorum captui accommodare, bonorum Paſtorum officium eſt. Illud delectabilius, iſtud Eccleſiæ utilius. Nutrix cibum convenientem comedit, quem in lac convertat infanti nutriendo aptum: Paſtor & Prædicator nutrix eſt parvulorum quos Chriſto parit. „Illis igitur attemperare debet Chriſtianas veritates & prædicationem Evangelii.

Paſtores & Prædicatores Chriſtianas Veritates & prædicationem Evangelii attemperare debent captui auditorum.

S. Aug. in Pſal. 119. n. 1.

„In quadam altitudine cordis habitabat Apoſtolus cum diceret, *Sive enim mente excedimus Deo*. Jam quod mente exceſſerat, Deo exceſſerat. Excedens enim mente, omnem humanam fragilitatem, omnem ſæculi temporalitatem, omnia quæcumque naſcendo & occidendo vaneſcunt, tranſeuntia hæc, habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione, quantum poterat, de qua dicit, quia audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Sed tibi illa loqui non poſſet: ipſe autem videre illa utcumque poſſet, quæ tibi loqui non poſſet. Itaque ſi ſemper manere vellet in eo quod videbat, & loqui non poterat, te non levaret ubi & tu poſſes videre. Quid autem fecit? Deſcendit. Nam ibi ait. *Sive enim mente excedimus Deo, ſive temperantes ſumus vobis*. Quid eſt, temperantes ſumus? Sic loquimur ut capere poſſitis. Quia & Chriſtus talem ſe fecit naſcendo & patiendo, ut poſſent de illo homines loqui: quia de homine homo facile loquitur. Ut ergo magni deſcenderent ad parvos, & non illis tamen loquerentur niſi magnum, ipſe qui magnus erat, factus eſt parvus, ut de illo magni parvis loquerentur. Hunc ad parvulos & infimos deſcenſum charitas Paſtoribus imperat, qui vicarii ſunt amoris, non minus quam poteſtatis Chriſti. *Charitas enim Chriſti urget nos*. Cum enim omnes mortui ſint, & pro omnibus & ſingulis mortuus ſit Chriſtus, & ſanguinem ſuum fuderit, atque ut pretium redemptionis omnium obtulerit Deo Patri: Diſpenſatores meriti ejus illud omnibus per verbi divini prædicationem, & Sacramenta debent applicare, ſine perſonarum acceptione. *Æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Qui ſic deſcendunt & ſe demittunt ex caritate ob proximorum ſalutem, ad ſupernorum contemplationem per eamdem caritatem felicius evehuntur. *Quia tunc ad alta charitas mirabiliter ſurgit, cum ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & cum benigne deſcendit ad infima, valenter recurrit ad ſumma. Sic Veritas per ſuſceptionem noſtræ humanitatis nobis oſtenſa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet: imitationis viam Rectoribus ſternens; ut etſi jam ſumma contemplando appetunt, neceſſitatibus tamen infirmantium compatiendo miſceantur.*

S. Gregor. M. 2. P. Paſtoralis cap. 5.

15. *Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit*. Dignum ſane & juſtum eſt ut illi totam vitam noſtram conſecremus, qui nobis impendit mortem & reſurrectionem ſuam. Non nobis, ſed ei vivere debemus, id eſt, non ſecundum carnem, in ſpe terrenorum & corruptibilium bonorum; ſed ſecundum ſpiritum in ſpe reſurrectionis, quæ jam in Chriſto facta eſt. *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam*. Gratiam fidejuſſoris, id eſt Chriſti, qui fidejuſſorem ſe conſtituit erga Patrem pro tota Eccleſia, ne obliviſcaris, id eſt, ſemper mente recogita, gratias corde & opere ipſi referre ſatage; dedit enim vitam ſuam pro redemptione tua & ſalute. Chriſtus Jeſus dominus eſt & finis vitæ noſtræ; vitam ergo noſtram inſtituere debemus ſecundum voluntatem Dei, non ſecundum voluntatem noſtram, ad exemplum Chriſti dicentis: *Deſcendi de cælo, non ut faciam volunta-*

Non nobis, ſed Chriſto vivere debemus.

Eccleſ. 29. 20. S. Thomas, Lect. 3.

Joan. 6.

tem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me Patris. Chriſtus pro nobis mortuus eſt & reſurrexit. Beneficium mortis ejus exigit ut moriamur nobis ipſis, peccato, & mundo. Beneficium reſurrectionis ejus exigit ut ad novam vitam reſurgamus. *Quamobrem*, inquit Theophylactus, *quia mortuus eſt pro nobis, & quia vivificavit nos, & quia nobis arrhabones incorruptibilitatis dedit, ipſi in poſterum debemus vivere, haud noſtris cupiditatibus.*

Ab Eccleſiæ Miniſtris procul eſſe debet omnis carnalis affectus.

S. Ambr. lib. De Fuga ſæculi, cap. 2. n. 7.

16. *Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem. Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum: ſed nunc jam non novimus.* Ab Eccleſiaſtico Miniſterio procul ſit omnis humanus & carnalis affectus: quemadmodum a Chriſto redivivo mortalitas & ſimilitudo carnis peccati, omniſque infirmitas abeſt, ut æterna redemptione inventa in Sancta ingreſſus, ſempiterno Sacerdotio fungatur. „ Ergo cui Deus portio eſt, nihil debet curare, niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur. Hæc enim vera eſt Sacerdotis fuga, abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio cariſſimorum; ut ſuis etiam ſe abneget, qui ſervire Deo geſtit. Fugitans igitur eſt ſuorum ſacri Altaris Miniſter. Unde Dominus quaſi Princeps Sacerdotum, formam Levitis in Evangelio dans ſuo dixit: *Quæ eſt mater mea, aut qui ſunt fratres mei?* Hoc eſt, non agnoſco matrem, non recognoſco fratres, ignoro proximos. Mater mea & fratres mei ii ſunt, qui audiunt verbum Dei & faciunt. Solum ergo Verbum Dei novit Miniſter, cum eos novit in quibus operatur Verbum Dei. Et ideo exul eſt mundi, fugitans corporis, fugitans paſſionum.

Matt. 12. 48.

Quid ſit nova creatura?

S. Gregor. M. Homil. 10. in Ezechiel.

17. *Si qua ergo nova in Chriſto creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova.* „ Omnia nova ſunt ei, cujus cor novum eſt. Qui mundi moribus, vanitati, voluptatibus, & veteris Adami cupiditatibus ſervit, non eſt nova in Chriſto creatura. Nam præſentem mundum deſpicere, tranſitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo & proximorum ſternere, contra illatas contumelias patientiam ſervare, & cuſtodita patientia dolorem malitiæ a corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere, propter Deum & eos qui inimici ſunt amare, de morte ejus qui inimicus eſt non exſultare, hæc eſt nova creatura. Ad veterem quippe hominem pertinet præſentem mundum quærere, tranſitoria ea concupiſcentia amare, mentem in ſuperbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læſione cogitare, ſua indigentibus non dare, atque ad multiplicandum aliena quærere, nullum pure propter Deum diligere, inimicitias inimicis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta hæc vetuſti ſunt hominis, quæ videlicet de radice trahimus corruptionis. Sed qui jam iſta exſuperat, & ad præcepta Dominica mentem in benignitatem commutat, de hoc recte dicitur: *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova.* Tunc ergo in noſtris mentibus nova fiunt, cum a nobis vetuſti hominis vitia tranſeunt.

18. 19. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.* Deus auctor eſt reconciliationis & ſalutis humanæ, Chriſtus Mediator, miniſtri Sacerdotes. Hominem reconciliare Deo, ſolus potuit Deus homo . . . „ Unus extitit Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Nam quia Deus immortalis & juſtus eſt: nos autem injuſtos & mortales primi hominis tranſgreſſio fecerat; ut congrua noſtris adhiberetur medela vulneribus, natus eſt de homine homo unigenitus Deus. Qui de Patre natus eſt immortalis & juſtus, hic in humana natura, in qua Mediator Dei & hominum factus eſt, juſtitiam habuit ex Patre, mortem ex Matre, ut per ipſum liberaremur ab omni peccato, qui peccatum nec vivendo nec naſcendo contraxit: & ab illo acciperemus juſtitiam, per quam mortis æternæ vinculo ſolveremur, ut per eum & in hac vita juſti, & poſt hanc vitam immortales eſſe poſſemus. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum.* O ineffabilem Dei benignitatem! Non enim, inquit Apoſtolus, ipſe nobis reconciliatus eſt, quamvis ipſe eſſet qui per tranſgreſſionem injuria erat affectus: ſed nos ſibi reconciliavit, non hominem interceſſorem adhibens, ſed unigenitum Filium pacis interceſſorem conſtituens. Chriſtus autem qui a Patre poteſtatem omnem accepit, reconciliationis miniſterium Apoſtolis ſuis & eorum Succeſſoribus commiſit. *Et dedit nobis miniſterium reconciliationis.* His verbis miniſtrorum novi Teſtamenti dignitatem S. Paulus oſtendit, ſimul & eximium ac ſingularem Dei erga nos amorem. Interemptus eſt Filius, qui dirimendæ injuriæ cauſa venerat. Filius inquam, verus & unigenitus: ac ne ſic quidem Pater eos, qui ipſi necem intulerunt, averſatus eſt, nec dixit, Miſi legationis cauſa Filium meum: illi autem non modo ipſius verba audire recuſarunt, ſed ipſum etiam de medio ſuſtulerunt, atque in crucem egerunt: æquum eſt jam eos pro derelictis habere, verum contra omnino fecit, & quia ille abſceſſit, nobis hanc provinciam mandavit. Dedit nobis *Miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Vides charitatem non modo vim omnem verborum, ſed etiam cogitationem omnem excedentem? Quiſnam injuriam acceperat? Ipſe. Quiſnam primus ad delendam inimicitiam venit? Ipſe. At, inquies, Filium miſit, non ipſe venit. Filium quidem miſit, ſed tamen non ipſe ſolum hortabatur, ſed Pater quoque, & cum eo, & per eum. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.* Non modo nullas a nobis pœnas expetivit, ſed etiam nobiſcum in gratiam rediit; non modo peccata remiſit, ſed ne ad calculum quidem vocavit. Ad eumdem modum inimicis noſtris ignoſcamus, ut peccatorum noſtrorum veniam impetremus. *Et poſuit in nobis verbum reconciliationis.* A Verbo æterno verbum reconciliationis derivatur. Illud habere nullatenus poteſt, qui a Chriſto per Apoſtolos aut eorum ſucceſſores Epiſcopos non accepit. Miſſio, auctoritas, Juriſdictio, quæ ab hoc fonte per hos canales non fluunt, falſæ ſunt, uſurpatæ, ad deſtructionem, non ad ædificationem tendentes.

Homines reconciliare Deo ſolus potuit Deus homo.

S. Fulgentius lib. De Incar. & Grat. c. 13.

Theodoret.

S. Chryſoſt. Hom. 11.

Miniſterium reconciliationis a Chriſto Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus commiſſum.

20. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Quanta Paſtorum Prædicatorum, & omnium Sacerdotum, quibus verbum ac miniſterium reconciliationis commiſſum eſt, dignitas! Pro Chriſto legationem obeunt, ejus nomine loquuntur & agunt apud homines illius ſanguine redemptos: Quanta ergo morum integritate ac ſanctimonia debent ornare miniſterium ſuum? Quanta fide illud gerere? Verbum Dei, non ſuum Chriſtiano populo reddant & explicent; humanas opiniones Scripturæ ſacræ & Traditioni non ſubſtituant, quibus ſolis verbum Dei continetur, ſive Catholica dogmata, ſive Morum inſtitutionem ac reformationem ſpectemus: Regis regum Domini noſtri voluntatem ac mandata exequantur & annuntient, gloriam ejus ſtudioſe & ardenter promoveant. Id enim legatorum munus: *Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Quanta vero debet eſſe populi Chriſtiani veneratio erga Paſtores, Prædicatores, & Moderatores conſcientiarum ſuarum! Illorum exhortationes audire debent Chriſtiani ut exhortationes Dei, illis obſequi debent ut Chriſto, cujus vicem in Eccleſia gerunt, & cujus miniſtri ſunt, *Tamquam Deo exhortante per nos.* „ Non per Filium tantum ſuum, ſed & per nos quoque qui ipſius muneri Vicarii ſucceſſimus, exhortatur. Quamobrem ne exiſtimetis, inquit Apoſtolus, vos a nobis tantum rogari: *Chriſtus ipſe vos rogat: Pater ipſe vos orat atque obſecrat.* Quid cum tam eximia & ſingulari benignitate conferri poteſt? Ipſe enim poſt innumera ſua beneficia contumeliis affectus, non modo nullas de nobis pœnas ſumpſit, verum etiam Filium ſuum dedit, ut cum ipſo in gratiam reſtituamur: Ipſe eſt qui per miniſtros ac legatos ſuos nos rogat ut Deo reconciliemur. *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

Paſtorum & Prædicatorum officium: Populi Chriſtiani erga paſtores, Prædicatores, & Moderatores conſcientiarum veneratio.

S. Chryſoſt. Hom. 13.

21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* O admirabilem Filii Dei bonitatem & miſericordiam! Cum enim a peccato liber eſſet, peccati incapax, utpote ipſa juſtitia, & Sanctus ſanctorum, peccatorum mortem ſubiit, non ſolum mortem acerbiſſimam, ſed omnium turpiſſimam & ignominioſiſſimam. *Maledictus enim qui pendet in ligno:* duos inter latrones crucifixus, & mortuus eſt, ut hominum peccatum ſolveret: *& id vocatus quod nos eramus, quod erat ipſe nos vocavit. Juſtitia enim divinitas nobis donavit.* Deus Filium ſuum hominem factum, peccatorem (ſi ita loqui fas eſt) univerſalem fecit: *Poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum*, ut omnium peccatorum fidejuſſor eſſet. Illum victimam univerſalem fecit, ut omnium delicta ſanguine ſuo expiaret. *Catholica Patris victima*, ait Tertullianus. Illum denique juſtum univerſalem fecit, juſtitiam omnem, gratiæ, virtutum ac donorum plenitudinem ei communicando, ut juſti omnes illi velut capiti cohærentes, juſtitia

Deuteron. 21.

Theodoret.

Iſai. 53. 6.

Chriſtus auctor juſtificationis noſtræ.

Dei

Dei in ipſo efficiantur. Pro tam inſigni redemptionis ac juſtificationis noſtræ beneficio Deo gratias agamus. Nos ipſos ut victimam offeramus Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Pœnitentiæ opera ac labores cum vero animi dolore frequentemus, ut per Chriſtum Jeſum, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, Patri offerantur & ab illo acceptentur ad remiſſionem pœnarum peccatis noſtris debitarum. „ Si Chri„ ſtum ita amamus ut amandus eſt, peccatorum no„ ſtrorum ipſimet vindices erimus. Iis enim qui „ alicujus hominis amore flagrant, non illud mo„ leſtum eſt, quod pro offenſa ejus, quem amant, „ aliquid patiantur: ſed illud, ante omnia graviter „ acerbeque ferunt, quod eum quem diligunt, offen„ derint. Ac ſiquidem ille ira commotus acceptam „ injuriam minime ulciſcatur, hoc ipſo amicum gra„ vius excruciat: contra ſi quid pœnarum ſumat, „ plus ei levationis affert. Quæ cum ita ſint, ne „ gehennam magis perhorreſcamus quam peccatum; „ ſed potius timeamus ne Deum offendamus. Hoc „ enim illo atrocius eſt, cum vultum ſuum a no„ bis avertit. Hoc quovis ſupplicio gravius atque „ acerbius.

S. Chryſoſt. Hom. 11.

cupiditate munerum reddit alienos, quæ facit ut Evangelium ſine ſumptu prædicemus. Per ſcientiam, non ſæcularem, qualem oſtentant Pſeudo-apoſtoli, ſed divinam, & ſalutarem. Per animi lenitatem, qua illatas ab inimicis Religionis Chriſtianæ injurias æquo animo ferimus, idque perſeveranter. Per benignitatem & comitatem, qua ingeniis & moribus infirmorum & imperfectorum, quantum ſalvo officio fieri poteſt, nos accommodamus, ut eos Chriſto lucrifaciamus. Per varia chariſmata Spiritus ſancti, ſcilicet donum linguarum, Prophetiæ, miraculorum, quæ nos Dei Miniſtros eſſe probant, legationemque noſtram, ac Prædicationis veritatem confirmant. Per charitatem ſinceram, quam nempe non ſolis verbis oſtendimus, quod faciunt qui amorem ſimulant, ſed operibus probamus, ſalutem omnium hominum, tam Judæorum, quam Gentium, etiam cum detrimento noſtro & vitæ periculo unice quærentes. *In verbo veritatis, in virtute Dei per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris*. Per verbum veritatis, veritatem Evangelii aperte & ſincere prædicantes, non ut Pſeudo-apoſtoli, qui adulterant verbum Dei. Quod quidem verbum ſola Dei virtute & potentia, non noſtra induſtria, ſcientia, eloquentia, efficax & fructuoſum eſt. Per opera virtutum, quibus omni ex parte muniti, adverſus diabolum & mundum invicto animo pugnamus: vel, in adverſis & proſperis, quibus pariter utimur ut inſtrumentis virtutum, nos fideles Dei Miniſtros probamus. *Per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam*. Sive honor nobis habetur, ſive contemnimur: ſive nos laudibus proſequantur homines, ſive famæ noſtræ detrahant, aut que conviciis & maledictis onerent, ab integritate noſtra non diſcedimus. *Ut ſeductores, & veraces; ſicut qui ignoti, & cogniti*. Ut ſeductores, impoſtores, errorum magiſtri, ab inimicis Evangelii habemur, maxime a Judæis; quamvis veritatis præcones ſimus, ab ipſa Veritate, quæ Chriſtus eſt, edocti. Multi nos velut incognitos & nullius pretii homines traducunt: verumtamen probis & piis bene noti & chari ſumus, & ubique ob res mirabiles, quas Deus per nos operatur, celebres. *Quaſi morientes, & ecce vivimus*: Credimur quotidie morituri, ob continua quibus expoſiti ſumus, pericula: & tamen Dei ope hucuſque ſervamur incolumes. *Ut caſtigati, & non mortificati*. Licet diverſis flagellis a Deo caſtigemur, ut filii a Patre, cum permittit nos a perſecutoribus nominis Chriſtiani affligi & vexari: non tamen occidimur, Deo nos eripiente. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*. Propter mala quæ patimur in carne, quaſi dolentes & mœrore affecti ſumus, ſed ſemper gaudemus ob teſtimonium bonæ conſcientiæ, ob interna & continua Spiritus ſancti ſolatia, quod digni habeamur pro nomine Jeſu pati, & ob firmam ſpem remunerationis æternæ. *Sicut egentes, multos autem locupletantes*. Quaſi egeni ſumus, ſed tamen multos locupletamus, non ſolum bonis ſpiritualibus, cognitione veritatis, opibus gratiæ, donis Spiritus ſancti; verum etiam bonis temporalibus, quia ad eleemoſynas hortando, communionem quamdam bonorum inter eos, qui in Chriſtum credunt, inſtruimus. Sic Paulus pauperes Chriſtianos Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, indicta in Eccleſiis Achaiæ & Macedoniæ collecta, juvit & ſuſtentavit. *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. Re & ope deſtituti videmur, poſtquam omnia propter Evangelium reliquimus: & tamen uſu omnia poſſidemus, quia omnium fidelium ædes & bona nobis patent. Ipſe quidem de his nihil uſurpabat S. Paulus, ſed pauperibus procurabat, quantum volebat, tamquam de ſuo.

Grande & ornatum dicendi genus in hoc loco Apoſtoli S. Auguſtinus obſervat & commendat lib. 4. De Doctrina Chriſtiana c. 20. num. 42.

Theophylact. S. Thomas. Lect. 2. Pſal. 117. 18. *Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me.*

Act. 5. 41. S. Chryſ. Hom. 12. *Theophyl.* Philipp. 4. 18. *Habeo autem omnia & abundo.* Galat. 4. 15. *Teſtimonium perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.*

Porro qui oculos ſuos pro ipſo daturi erant, quid illi de bonis ſuis negaſſent?

S. Chryſ. Hom. 13. Theophyl.

CAPUT VI.

Senſus Litteralis.

Gratiæ interiori aliquando reſiſtitur.

1. A*Djuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Græce συνεργοῦντες, Cooperantes Deo in reconciliationis humanæ miniſterio: ſeu vobis cooperantes, voſque adjuvantes ut ſalvemini, Deo autem cooperantes ut ejus Miniſtri ad ſalutem veſtram, vos hortamur ne tantum beneficium, verbum ſcilicet gratiæ & reconciliationis, veſtramque ad fidem Chriſti vocationem, vobis inutile reddatis deficiendo a fide, vel eam bonis operibus, ſine quibus mortua eſt, non fovendo, non ornando. Gratia Dei non ſolum exterior, ſed interior, in vacuum recipi poteſt, itaque poteſt illi reſiſti, & aliquando illi reſiſtitur, aliquando, & ſæpius, heu! gratiarum interiorum, quæ parvam & invalidam bene operandi, aut in bono perſeverandi voluntatem tribuunt, quas ſufficientes Scholaſtici Theologi vulgo & aptiſſime vocant, effectus fruſtratur. Quamobrem merito a Summis Pontificibus & univerſa Eccleſia Catholica eorum Conſtitutiones qua par erat reverentia & obedientia recipiente damnata eſt illa Janſenii Yprenſis Epiſcopi Propoſitio: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*.

Conſtitutiones Innocentii X. Alexand. VII. Clemente XI.

2. *Ait enim*, Deus Pater ad Filium Incarnatum: *Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te*. Tempore opportuno quo decrevi Gentes ad ſalutem æternam per te & propter te vocare, & uberrimos gratiæ meæ fontes aperire, exaudiam te pro ſalute electorum, quos tibi dedi, orantem. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Ecce tempus illud gratiæ & reconciliationis generis humani advenit, vobiſque annuntiatum eſt, dies ſalutis adeſt. Ne igitur gratiam vobis datam negligatis, & fructum ejus appoſito obice fruſtretis ac præfocetis.

Iſaiæ 49. ſecundum Hebraicam Veritatem & Verſionem LXX. Interpret. S. Hieron. in hunc Iſaiæ locum.

3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*. Noſtram legationem fideliter obeuntes ſedulo cavemus ne cuiquam in ulla re ſimus offendiculo, ne verbo aut facto quemquam ſcandalizemus, & ab Evangelio imprudenter avertamus: ut miniſterium noſtrum nulli reprehenſioni pateat, nec in contemptum veniat apud eos quibus Evangelium prædicamus: quod procul dubio contingeret ſi vita noſtra prædicationi noſtræ non reſponderet. *Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros*: quin potius in omni re & omnibus modis nos gerimus ut gerere ſe debent fideles Dei Miniſtri. *In multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis*. Nos ipſos commendamus hominibus per magnam patientiam & tolerantiam multorum malorum, quæ paſſim Evangelii cauſſa nobis inferuntur, in quotidianis afflictionibus, in gravioribus ærumnis, in extremis vexationibus, e quibus evadendi via videtur præcluſa. *In * plagis, in carceribus, * in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis*. In ferendis verberibus quibus cædimur, carceribus in quos contrudimur propter nomen Chriſti, in ſuſtinendis tumultibus populi paſſim adverſum nos ſeditioſe concitati & furentis, quibus identidem locum mutare cogimur; in laboribus, vigiliis, jejuniis Evangelii cauſa toleratis. *In caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta*. Per puritatem quæ cor & corpus noſtrum ab omni corruptione cuſtodit, quæ nos a

S. Paulus a multis etiam licitis abſtinebat, ne quod offendiculum daret Evangelio Chriſti. 1. Corinth. 9. 12.

* Quæ pertulerit verbera, narrat Apoſtolus infra cap. 11.

* Seditiones adverſus Apoſtolum concitatæ. *Act. 13. 14. 16. 17. 18. 19. S. Chryſ. Hom. 12. Theophyl. Oecumen.*

11. *Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt*. Aperte, libere & cum fiducia vobiſcum loquor quæ ad veſtram inſtitutionem, emendationem, ædificationem & ſalutem conducere poſſunt, quaſi cor meum in ſinum veſtrum effundens. Et quidem cor meum vehementi charitatis & gaudii affectu ad vos expanſum eſt.

12. 13. *Non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris*. Vos in corde meo, per caritatem nempe dilatato, ſine anguſtia locum habetis, cum tot ſitis: in veſtris autem cordibus magna eſt anguſtia, nec me, quamvis unicum plene complectimini. Ego vos pluriinum diligo; vos vero pro pari non refertis, tenuem mihi affectum rependitis. Hic autem mutui erga Apoſtolum amoris defectus aliquorum dumtaxat Corinthiorum erat, non omnium. *Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini & vos*. Amorem amori rependite, cor veſtrum ad me capiendum mutua dilatate. Nil magni poſtulo, ſi cum Pater veſter ſim, qui prior vos amavi, & quidem vehementer, viciſſim a vobis amari velim.

Societas & connubia cum infidelibus vetita.

14. 15. 16. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Eidem jugo cum infidelibus ne adhæreatis, & arctam cum illis ſocietatem ſeu neceſſitudinem ne ineatis, quæ vos ad eorum errores, ſuperſtitiones, & crimina inclinet. Conjugia fidelium cum infidelibus his verbis ab Apoſtolo prohibita ob cultus diſparitatem docent Theologi, præeuntibus Patribus. * Theodoretus hanc ſententiam nitida brevitate ſic exponit: *Ne imitemini boves qui alio deflectunt, & jugum inclinant: incredulorum fraudem noſtræ doctrinæ præferentes.* Oſtendit autem Apoſtolus quam ſit abſurdum fideles cum infidelibus communicare in religione, moribus, connubiis, ex quibus fidelium perverſio facile ſequitur. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate?* Quæ convenientia fidelis, qui per baptiſmum regeneratus in Chriſto factus eſt juſtitia Dei, cum infideli, cujus vita pene perpetua injuſtitia eſt? *Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* Quæ ſocietas vobis, qui fidei luce illuſtrati eſtis, immo lux eſtis in Domino, cum infidelibus, qui in tenebris errorum verſantur, immo tenebræ ſunt? *Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Quæ concordia eſſe poteſt Chriſti cum diabolo Dei inimico & cœleſtis ejus militiæ deſertore; Chriſtiani cum aſſecla dæmonis? *Aut quæ pars fideli cum infideli?* Quæ merces, quod præmium commune fideli & infideli? Fidelis enim merces vita æterna eſt, ſi ex fide vivat, & in juſtitia perſeveret: ſtipendium vero infidelis, mors æterna eſt. *Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* Quæ convenientia templi Dei cum idolis & eorum cultoribus? Enimvero ut ſacrilegum eſt idola in templo Dei collocare & venerari, & hoc fœdere violatur templi ſanctitas: ita conſecrationem veſtram, & quam profitemini ſanctitatem violatis, dum ſocietatem cum infidelibus idolorum cultoribus initis. *Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos: & ero illorum Deus, & ipſi mihi erunt populus.* Vos eſtis templum Dei vivi, unctione Spiritus ſancti conſecratum. Non dicit templa, ut ſignificet ita ſingulos eſſe Dei templa, ut tamen ſint omnes unum Dei templum, ſicut unum corpus, & una Eccleſia. Quod autem fideles & juſti ſint Dei templum, Deus ipſe teſtatur. Inhabitabo in illis (inquit) per gratiam & charitatem, illiſque præſens adero, varias in eis actiones excitando & operando, quibus me colant. Et ego me Deum illis præſtabo, & ut populum meum electum eos diligam, fovebo, protegam.

* S. Cyprian. lib. 3. Teſtim. ad Quirinum cap. 62. S. Hieron. lib. 1. Contra Jovin. c. 5. & Epiſt. ad Ageruchiam, &c.

S. Chryſoſt. Hom. 13.

Levit. 26. 11. 12. Ezech. 37. 27.

17. 18. *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* Quamobrem de medio infidelium, quorum adeo periculoſa vobis & veſtræ ſaluti noxia ſocietas, exite, & ab eis ſeparamini, non corporali converſatione, alioqui de hoc mundo exeundum eſſet; ſed animo, non conſentientes malis, non adhærentes eorum erroribus, non communicantes operibus infructuoſis tenebrarum; ſed magis ea redarguentes, & ab omni eorum immunditia puros vos exhibete. *Et ego recipiam vos, & eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Et vos in amicitiam meam recipiam: ero vobis Pater, & vos mihi filii eritis, divinæ conſortes naturæ per gratiam effecti, & per Unigenitum meum adoptati, & ad bonorum cœleſtium hæreditatem vocati.

Iſai. 52. 11. S. August. l. 3. Contra Ep. Parmen. c. 4.

Epheſ. 5. 11.

Jerem. 31. 9. Iſai. 43. 6. 2. Reg. 7. 14.

CAPUT VI.

Senſus Moralis.

Nihil magis timendum & cavendum quam abuſus gratiæ.

1. 2. A*Djuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Nihil magis timendum Chriſtiano, quam ne verbo Dei, Myſteriis, & donis Dei, Chriſti Sacramentis, gratia ſanctificante, gratiis actualibus, excitantibus, omnique ſanctarum inſpirationum genere abutatur, ne Spiritui ſancto reſiſtat, & in corde ſuo ipſum extinguat, ne pravis moribus & Chriſtiano nomine indignis damnationem ſibi arceſſat, adeoque gratiam Dei in vacuum receperit, nihilque illi profuerit ſub lege gratiæ, ſub Chriſti regno, Chriſtianos inter natum eſſe & inſtitutum fuiſſe. *Cum adeſt gratia, time ne non digne opereris ex ea. Nam hoc monet Apoſtolus:* „ Videte, *inquiens*, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, & *ad diſcipulum*: Noli, *inquit*, negligere gratiam quæ in te eſt; & *de ſemetipſo dicebat*; Gratia Dei in me vacua non fuit. *Sciebat homo conſilium Dei habens, redundare in contemptum donantis donum negligere, nec expendere ad quod donatum eſt, idque intolerabilem eſſe ſuperbiam indicabat, & propterea ſtudioſiſſime hoc malum & ipſe cavebat, docebatque cavendum.* „ Neminem Chriſtianum latere debet, eum qui, poſtquam a peccatis liberatus, atque in amicitiam Dei receptus eſt, in prioribus flagitiis rurſus volutatur, ad inimicitias redire, ac fruſtra gratiam Dei accepiſſe. Neque enim magnum ullum ad ſalutem adjumentum nobis affert gratia, ſi ipſi non reſpondentes, impure, ac ſcelerate vivamus: quin potius detrimentum accerſit, noſque vehementius in peccatis premit, ut qui poſt ejuſmodi cognitionem ac beneficium ad priora vitia nos ipſos referamus. Demus igitur operam ut gratiæ Dei reſpondeamus & cooperemur, dum tempus eſt acceptabile, tempus breve vitæ hujus mortalis, quod nobis ad ſalutem noſtram operandam Deo conceſſum eſt. Dies, ſi cum æternitate comparetur, dies cito fluens, quem ſi in otio, inertia, languore, in vitiis agamus, non dico, ſed æternitas pœnarum excipiet. „ Caveamus igitur ne occaſionem nobis perire ſinamus, verum dignum accepta gratia ſtudium exhibeamus. Quantos labores ſuſcipere par erat, ut hanc occaſionem nanciſceremur? At ecce nullo a nobis ſuſcepto labore Chriſtus Jeſus adeſt, omnium ante admiſſorum criminum veniam afferens. Ac proinde *acceptabile* hoc *tempus* vocat: quoniam eos quoque, qui innumeris ſceleribus ſeſe obſtrinxerant, admittebat: nec ſolum admittebat, ſed ad ſummum etiam honoris gradum ſubvehebat: non ſecus atque adveniente Rege judicii tempus non eſt, ſed gratiæ ac ſalutis. Ob eam cauſam *acceptabile tempus* vocat Paulus, quamdiu adhuc in fodiendi munere verſamur, quamdiu adhuc in excolenda vinea operam navamus, quamdiu undecima hora ſupereſt. Accedamus igitur, ac vitæ noſtræ rationes recte inſtituamus. Id enim facile atque proclive eſt. Nam qui eo tempore certat, quo tanta gratia effuſa eſt, palmam facili negotio conſequetur. Etenim apud terrenos quoque Imperatores, cum feſti eorum dies aguntur, is etiam qui exiguum aliquod munus offert, magnis beneficiis afficitur: iis autem diebus, quibus judiciis operam dant, magna cura & diligentia, magnoque examine opus eſt. Ad eumdem ergo modum nos hujus beneficii tempore decertemus. Dies gratiæ eſt, quo perexiguo labore coronas adipiſcemur. Nam ſi cum tot vitiis ſcateremus, & admiſit nos, & iis liberavit, quis dubitet quin nunc omnibus criminibus ſolutos, & ea quæ noſtri ſunt muneris exequentes, multo magis admiſſurus atque amplexurus ſit? Sed heu, pauci ad hæc attendunt, tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat!

S. Bernard. Serm. 54. in Cantica. 1. Tim. 4. 1. Cor. 15.

S. Chryſoſt. Hom. 12.

3. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Paſtor & Concionator Evangelicus ſanctis exemplis prælucere populis debet, ne vitæ degeneris pravitate deſtruat, quod verbo ædificat. Quæ major offenſio in Eccleſia Dei, quam ſi Sacerdos ut populus, non modo ſæculariter, ſed nequiter & diſſolute vivat? Hinc ſacrum miniſterium in contemptum venit, Sacerdotalis Ordo in vituperium incurrit, Chriſtus, qui tales Miniſtros habet, opprobrium patitur. „ Indigni illi Paſtores vel Concionatores, quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant; repente docent, quæ non opere, ſed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit ut cum Paſtor per abrupta graditur, ad præcipitium grex ſequatur. Hinc per Prophetam Dominus contra contemptibilem Paſtorum ſcientiam queritur dicens: *Cum puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant.* „ Aquam quippe limpidiſſimam Paſtores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eamdem aquam pedibus perturbare, eſt ſanctæ meditationis ſtudia male vivendo corrumpere. Aquam ſcilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum ſubjecti quique non ſectantur verba quæ audiunt, ſed ſola quæ conſpiciunt exempla pravitatis imitantur. Qui cum dicta ſitiunt, quia per opera pervertuntur, quaſi corruptis fontibus, in potibus lutum ſummunt. Hinc rurſum de pravis Sacerdotibus Dominus per Prophetam ait: *Facti ſunt domui Iſrael in offendiculum iniquitatis.* Nemo quippe amplius in Eccleſia nocet, quam qui perverſe agens, nomen vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, ſi veritatis ſententiam ſollicita cordis aure penſarent, quæ ait: *Qui ſcandalizaverit unum de puſ-*

* Paſtores & Concionatores ſanctis exemplis prælucere populis debent.

S. Gregorius M. P. 1. Paſtoral. cap. 2.

Ezech. 34. 18.

Ezech. 44. 12.

Digitized by Google

puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum Maris. „ Per molam quippe aſinariam „ ſecularis vitæ circuitus & labor exprimitur, & „ per profundum maris extrema damnatio deſignatur. *Qui ergo ad ſanctitatis ſpeciem deductus, vel verbo ceteros deſtruit vel exemplo; melius profecto fuerat ut hunc ad mortem ſub exteriori habitu terrena acta conſtringerent, quam ſacra officia in culpa ceteris imitabilem demonſtrarent: quia nimirum ſi ſolus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.*

Miniſtrorum Chriſti virtutes. Patientia.

4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei Miniſtros*, &c. Nemo dignus eſt Chriſti miniſter, & Prædicator Apoſtolicus, qui virtutibus & dotibus, quas S. Paulus hic deſcribit, inſtructus non ſit. Primo quidem patientia, non qualicumque & vulgari, ſed eximia, & in graviſſimis tribulationibus probanda, quæ animum erigat, & confirmet, ne dejiciatur in anguſtiis; quæ corpus ſuſtentet, ne deficiat in præſentis vitæ neceſſitatibus; quæ corlevet, ne humanis ſolatiis deſtitutum fatiſcat; quæ pas ſit ferendis verberibus, carceribus, exilio, ſeditionibus, omnibuſque moleſtiis & tormentis, quibus corpus vexari poteſt. Ad hæc enim omnia perferenda Chriſti Miniſter, Paſtor, Prædicator Apoſtolicus animi ſaltem præparatione, diſpoſitus ſit neceſſe eſt, *In multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus*. Non modo in tribulationibus involuntariis & extrinſecus advenientibus elucere debet Miniſtrorum Chriſti patientia, ſed etiam *in laboribus* ſponte ſuſceptis ad corporis macerationem & caſtigationem, in defatigationibus ex itinere, in vigiliis poſt labores, *in jejuniis* poſt vigilias, ceteriſque carnis incommodis. Quæ quidem incommoda etſi dura ſunt laborantibus, facilia ſunt & ſuavia diligentibus. Patientia igitur *multa* & *in omnibus* neceſſaria eſt Chriſti Miniſtro & Prædicatori Apoſtolico. Unde Propheta ait: *Bene patientes erunt ut annuntient.*

Pſal. 91. 15.

Vigilantia.

Secundo, Miniſtris Chriſti ſumma vigilantia opus eſt ad vitandum ſcopulos omnes caſtitatis, non modo inſpecta contubernia, ſed & nimiam cum alterius ſexus perſonis familiaritatem, frequentiora ſine teſtibus colloquia, dulces literulas, munuſcula, & cetera, quæ ſanctus amor non habet, omnem denique ſcandali occaſionem. Se Chriſtum Jeſum in cordibus fidelium formare per gratiam Spiritus ſancti recogitent, & hoc nomine Deiparæ Virginis puritatem imitari debere; ſe diſpenſatores eſſe Myſteriorum Chriſti, Virginis filii, & virginum ſponſi, Miniſtros Eccleſiæ, quæ & ipſa virgo eſt, licet numeroſa prole fœcunda. *In caſtitate*, quæ & animum & corpus ab omni pollutione ſervet. Ad id vero plurimum conferunt labores, vigiliæ, jejunia, & aliæ macerationes, quibus corpus caſtigatur & in ſervitutem redigitur. Unde hujuſmodi operibus bonis, quæ caro de proprio incommodo inſtaurat, caſtitatem ſubnectit Apoſtolus noſter. *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate*. Hoc præcipuum Sacerdotis & Miniſtri Evangelici ornamentum.

Caſtitas.

S. Thomas Lect. 2.

Tertio, Miniſtri Chriſti ſcientia ſalutis impleri debent, ut eam doceant Chriſtianam plebem. Hanc autem ex Scripturæ ſacræ & Traditionis fontibus aſſidua lectione & meditatione haurire ſtudeant. *In ſcientia*. Unde Dominus ait: *Et dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Ignorantia ſcilicet tum Sacerdotes, tum populum in multos errores, & peccata præcipites agit. *Quia tu ſcientiam repuliſti*, ait Dominus, *repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Et, *Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit.*

Scientia ſalutis.

Jerem. 3. 15.

Oſee 4. 6.

Iſai. 4. 13.

Quarto, Chriſti Miniſtris neceſſaria eſt longanimitas in alienos, ſuavitas in ſuos. Longanimitas pertinet ad perfectionem ſpei. Longanimis eſt, qui bonum arduum, cujus obtinendi ſpes eſt, tametſi diu dilatum, patienter expectat. Cum igitur de nemine deſperandum ſit, quamdiu hæc vita mortalis agitur, Miniſter Chriſti, Prædicator Apoſtolicus, nullis parcere debet laboribus pro converſione infidelium, quamvis pauci ad fidem convertantur; peccatorum, quantumvis obduratorum curam intermittere non debet, nec deſpondere animum, quamvis pauci reſipiſcant; ſed eos ſemper ad pœnitentiam cohortari, nullis difficultatibus, nullis injuriis ab eorum ſalute procuranda, a divinæ animarum medicinæ ſubſidiis illis impendendis deterreri: exhortationi, obſecrationi, increpationi orationem adjungere ferventem & perſeverantem, ut Pœnitentiæ donum illis a Deo impetretur. Longanimitas illa fructus eſt Spiritus ſancti, ſicut & charitas. *In longanimitate*. Neceſſaria pariter eſt Chriſti Miniſtro ſuavitas morum, humanitas, comitas, affabilitas, facilitas in convictu & converſatione, ſuavitas non ſæcularis, ſed divina, quæ charitatis effectus eſt. Quis enim non eſt ſuavis & blandus iis quos diligit? Meminerint Chriſti Miniſtri ſe erga incipientes & imperfectos viſcera & ſuavitatem nutricis erga pueros quos lactat, induere debere. Unde Apoſtolus noſter alibi ait: *Tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos. Ita deſiderantes vos cupide volebamus tradere vobis, non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis*. Amabilis illa ſuavitas in prædicatione, in regimine, in correptionibus ſe prodit. *In ſuavitate*.

Longanimitas.

S. Thomas Lect. 2.

Suavitas morum.

1. Theſſal. 2. 7.

Quinto, Chriſti Miniſtri ſancti Spiritus inſtinctum obſervare debent, ejuſque ductum & nutum ſequi, non politicas prudentiæ ſæcularis & animalis rationes. *In Spiritu ſancto*. Hunc Apoſtolis & Eccleſiæ Chriſtus dedit præceptorem, ducem, conſolatorem: illius lumen, inſpirationem, impulſum Eccleſiæ Miniſtri ſequi debent, non falſum lumen prudentiæ terrenæ, non cupiditatis inſtinctum & impulſum, non carnalem affectum, non ſpiritum hujus mundi. *In ſpiritu ſancto*.

Ductum Spiritus ſancti ſequi.

Sexto, Chriſti Miniſtri charitate erga proximos excellere debent, eaque ſincera, ut non diligant verbo, neque lingua, ſed opere & veritate; fictio enim & ſimulatio charitatis contumelioſa eſt Spiritui ſancto, de quo ſcriptum eſt: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*. Hypocritæ & Pſeudo-apoſtoli verbis & blando vultu videntur amare quos regunt, quos erudiunt, quos dirigunt, quos exhortantur, cum tamen, ſuum honorem, aut commoda temporalia, potius quam ipſorum ſalutem quærunt. At caritas ſincera proprium honorem, privata commoda proximorum ſaluti immolat. *In caritate non ficta*. Vera ſinceraque *Caritas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios invat ædificare, alios contremiſcit offendere, ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit, aliis blanda, aliis ſevera, nulli inimica, omnibus Mater.*

Sincera caritas.

1. Joan. 3.

Sap. 1. 5.

S. Auguſt. lib. De Catechizandis rudibus. cap. 15.

Septimo, Miniſtri Chriſti veritatem diligere, libereque & aperte prædicare debent, prout a Spiritu veritatis in Scripturis ſanctis loquente, & Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus doctrinam ſalutis tradente didicerunt. *In verbo veritatis*. Verbum veritatis, prædicatio pietatis, ait Theodoretus, non ſermo jejunus & ſucci ſpiritualis, unctioniſque expers, ad applauſum auditorum, non ad gemitus, lacrymas, & pios affectus excitandos aptus.

Dilectio veritatis.

Octavo, nullum in miniſterio proſperum ſucceſſum expectare debent aliunde quam a potentia & gratia Dei, in eo ſolo confidere, nihil ſibi tribuere, ad eum omnia referre; non in ſe, ſed in Domino gloriari, qui dat benignitatem, ut terra noſtra det fructum ſuum. *In virtute Dei*.

Omnis Deo tribuere, nihil ſibi.

Nono, proſperis & adverſis uti debent ad opera virtutum exercenda, & gloriam regni Dei promovendam. Quod ita fiet, ſi temperantes & humiles in proſperis, patientes & fortes in adverſis; in utroque rerum ſtatu divinæ voluntati conformes, & a rectitudine juſtitiæ immobiles ſe exhibeant. *Per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris*. Et quid mirum ſi milites Chriſti dextris & ſiniſtris armis diabolum expugnant?

Æquanimitas in proſperis & adverſis.

Decimo, Dei Miniſtri honorem ſibi exhibitum Deo reddere debent: humiliationem ut ſibi debitam libenter ſuſtinere ut pœnam peccati, ut medium virtutis: inter laudes & calumnias hominum æquo animo Deo ſervire, & miniſterium obire ſuum: famam quidem non negligere: cujus curam Deus commendat, & quæ miniſtris conciliat auctoritatem; ſed tamen illius ſacrificium offerre Deo, ſi calumniis & improperiis hominum proſcindatur, nec ab officio ſuo infamiæ metu umquam deflectere. *Per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam; ut ſeductores & veraces; ſicut qui ignoti, & cogniti*. Mortem perinde ac vitam, triſtitiam perinde ac gaudium; paupertatem perinde ac divitias ſuſcipere parati ſint de manu Dei, cujus in oculis & in corde vivunt; a quo in hac vita probantur, ut in futura coronentur; a quo cœleſtium bonorum diſpenſatores conſtituti; ſpiritualibus divitiis cumulati, & ad æterni regni primarias ſedes vocati, poſſident omnia, Deum poſſidendo qui fecit omnia. *Fidelis totus mundus divitiarum eſt*. Triſtitia, paupertas, pericula, res quælibet adverſæ, mors ipſa, ſomnio ſimiles ſunt & umbræ cito tranſeunti: gloria & divitiæ, gaudium, vita, quæ Deus amicis ſuis in regno ſuo præparat, veritatem habent permanentem, æternam. Triſtitia noſtra habet *quaſi*; gaudium noſtrum non habet quaſi, quia in ſpe certa eſt. „ Quare triſtitia noſtra *quaſi* habet? „ Quia ſicut ſomnus tranſit, & dormiabunt ur recti mane. Novit caritas veſtra, quia quaſi ſomnium indicat, addit *quaſi*. Quaſi ſedebam, quaſi loquebar, „ quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi diſputabam. Totum quaſi, quia cum evigilaverit, non „ invenit quod videbat. Quaſi theſaurum inveneram, „ ſi *quaſi* non eſſet, mendicus non eſſet: ſed quia „ *quaſi*

Proverb. 17. ſecundum Verſionem LXX Interp. S. Auguſt. in Pſal. 38. ſerm. 2. n. 5.

„ *quaſi* erat, mendicus eſt, itaque modo qui ad lætitias ſæculares oculos aperiunt, & cor claudunt, tranſit quaſi eorum, & venit verum ipſorum. *Quaſi* ipſorum felicitas eſt ſæculi, verum ipſorum pœna eſt. Noſtrum autem *quaſi* triſtitia eſt; gaudium non eſt *quaſi*. Non enim ait Apoſtolus, Quaſi gaudentes, ſemper autem triſtes, &c. Sed, *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. Apoſtolum Paulum ita vixiſſe credimus, & *ſi vivendum eſſe Dei Miniſtris, intus apud nos, vel potius ſupra nos in ipſa Veritate conſpicimur*.

S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 9.

11. 12. *Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt*. Cor aliorum aperire Paſtores non poſſunt, niſi cor ſuum ipſis aperiant, & dilatent, niſi verba illorum caritatem magis ſpirent quam dominationem. Cor reſtringit auctoritas, niſi dilatet illud caritas. Unde S. Auguſtinus verba illa Pſalmi explicans, „ Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum; ait: Cordis dilatatio, juſtitiæ eſt delectatio. Hæc munus eſt Dei, ut in præceptis ejus non timore pœnæ anguſtemur, ſed dilectione & delectatione juſtitiæ dilatemur. Hanc enim nobis promittit latitudinem dicens: *Habitabo in eis, & deambulabo. Quam enim* latum eſt ubi deambulat Deus? In hac latitudine diffunditur caritas in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis .... Nam qui timore pœnæ, non amore juſtitiæ opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet utique non juberi. Ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus eſt voluntate. Talis non poteſt dicere: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*: Quia illa dilatatio caritatem ſignificat, quæ ſecundum Apoſtolum legis eſt plenitudo.

Cor dilatandum caritate.

Pſal. 118. 32. S. Aug. Serm. 1. in hunc Pſal. n. 6. Rom. 5. 5. S. Auguſt. in eundem Pſal. Serm. 11.

14. 15. 16. 17. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? &c.* Societas & familiaritas ineunda non eſt cum illis quos imitari non licet. Mundi converſationes ſemper periculoſæ. In illis cor ut plurimum inficitur ſæculi corruptione, mens ejus erroribus & tenebris obſcuratur, ſenſus illius prompis deluduntur, fides ejus placitis debilitatur, ſpes intuitu falſorum ejus bonorum marceſcit, charitas malignitate & cupiditate in eo regnantibus minuitur. Qui ſenſus animumque ſuum ſæculi vanitati aperit, idola in templum Dei introducit. *Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi*. Nemo cor ſuum Deo ſincere ſubjicit, ut in eo Deus per gratiam ſuam inhabitet, ut in eo Deus vivat, operetur & regnet per caritatem, ſi mundum, ejuſque vanitates & corruptelas diligat. Si quis enim diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo. Ad illum non pertinent promiſſiones illæ divinæ: *Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos: & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus .... Et ego recipiam vos: & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias*. Ex malorum ſocietate animo ſaltem & affectu exeundum; corruptelæ & cupiditates in mundo undique regnantes, ſcilicet *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, omni modo fugiendæ ſunt. Hæc ſumma Religionis, quod praxim attinet. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt .... Immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*. Sic omnes qui Chriſti eſſe volunt, exire debent e medio iniquorum, ab eis ſeparari, & immundum non tangere. *Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, immundum ne tetigeritis*. Mundus immundus peſtilentem auram ſemper afflat. „ Quotquot igitur habetis inter vos qui adhuc amore ſæculi prægravantur, avaros, perjuros, adulteros, conſultores divinorum & augurum, ebrioſos, luxurioſos, quicquid inter vos malorum eſſe noſtis; quantum poteſtis, improbate ut corde recedatis; & redarguite, ut exeatis inde; & nolite conſentire, ut immundum non tangatis. Quid eſt enim tangere immundum, niſi conſentire peccatis? Quid eſt autem exire inde, niſi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro uniuſcujuſque gradu atque perſona ſalva pace fieri poteſt? Diſplicuit tibi quod quiſque peccavit, non tetigiſti immundum, Redarguiſti, corripuiſti, monuiſti, adhibuiſti etiam, ſi res exegit, & quæ unitatem non violet, diſciplinam, exiſti inde.

Mundi converſationes ſemper periculoſæ.

Jacobi 1. 27.

S. Aug. Serm. 88. alias 18. De Verbis Apoſtol. cap. 20. 21. 22.

CAPUT VII.

Senſus Litteralis.

1. *HAs ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei*. Cum itaque tam magnificas a Deo promiſſiones habeamus in Scripturis Propheticis exaratas, nempe nos fore templum Dei, illumque in nobis inhabitaturum, Deum nobis fore Patrem: mundemus nos a peccatis tum carnalibus, quæ carnis & ſenſuum delectatione conſummantur, qualia ſunt gula, ebrietas, luxuria; tum ſpiritualibus, quorum conſummatio ſine ſenſuum voluptate conſiſtit, quia ſunt idololatria, ſectæ, diſſenſiones, æmulationes: perficientes cum Dei gratia opus ſanctificationis noſtræ ab ea cœptum, timore Dei velut pædagogo nos inſtigante & in officio continente ne Patri diſpliceamus, & ejus templum quoquo modo violemus.

2. *Capite nos*. Non ſit arctus nobis in corde veſtro locus. Dilatetur per amorem, ut nos capiat, qui vos ut filios cariſſimos amamus. Vel, Admonitionem & exhortationem noſtram magno affectu ſuſcipite. Vel, Exemplum noſtrum ſequimini: *Neminem læſimus*, ſeu injuria affecimus. *Neminem corrupimus* falſa doctrina vel pravis exemplis; *Neminem circumvenimus*, blanditiis verborum, ad pecunias emungendas, & quæſtum faciendum prædicationis prætextu: qui ſunt Pſeudo-apoſtolorum caracteres. Quamobrem amorem & obedientiam nobis recuſare non debetis.

S. Chryſoſt. Hom. 14. Theodoretus; S. Thomas; Lect. 1.

3. *Non ad condemnationem veſtram dico*. Hæc vobis non dico animo exprobrantis, & accuſantis, ſed ex caritate, ad utilitatem veſtram ſpiritualem. *Prædiximus enim quod in cordibus noſtris eſtis, ad commoriendum, & ad convivendum*. Ita vos diligimus, ut vobiſcum & pro vobis vivere ac mori parati ſimus. In periculis non fugiemus vos, in ſecundis rebus convivemus, & non invidebimus.

Theophylact.

4. *Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*. Magna mihi libertas eſt loquendi apud vos, ex vehementi & tenerrimo erga vos amore profecta. Vel, magna mihi ſpes eſt de vobis qui tam bene cœpiſtis, quod ſemper proficietis in melius. Ex bonis quæ audio de vobis, majora exſpecto in futurum. Apud alios de vobis ac veſtro nomine plurimum glorior, veſtram obedientiam prædicans. Glorior quod tales filios in Domino genuerim. Gloria enim patris filius ſapiens. Repletus ſum conſolatione, audiens vos correxiſſe ea de quibus in priore Epiſtola vos reprehendi. Tam ubere gaudio perfuſus ſum ex emendatione veſtra, ut triſtitiæ quam continuæ tribulationes, eæque graviſſimæ mihi afferre poſſunt, prævaluerit, illamque extinxerit.

5. 6. *Nam & cum veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus*. Nam cum ex Aſia, ubi ſupra modum afflicti ſumus, veniſſemus in Macedoniam, nullam relaxationem habuit corpus noſtrum, ſed omne genus tribulationum, ſine intermiſſione, paſſi ſumus. *Foris pugnæ, intus timores*. Exterius nobis pugnandum fuit cum hoſtibus apertis Evangelii, Judæis ac Gentilibus, interius vero id eſt animo, novarum perſecutionum timore angebamur. Vel, timebamus pro infirmis fidelibus, ne perſecutionum metu dejicerentur, aut Pſeudo-apoſtolorum falſa doctrina & fraude deciperentur. *Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi*. Deus afflictorum & humilium conſolator, nos in tantis afflictionibus conſolatus eſt per adventum Titi fidelis adjutoris noſtri, qui bona gratiſſimaque de vobis annuntiavit.

7. *Non ſolum autem in adventu ejus, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem*. Non ſolum recreatus ſum jucundiſſima & optatiſſima Titi præſentia; ſed etiam nuncio & relatione conſolationis quam accepit ipſe ex emendatione veſtra, virtute, concordia in bono. Retulit quippe mihi deſiderium vehemens adventus noſtri ad vos, quo tenebamini; luctum amarum de peccatis commiſſis, quæ me plurimum contriſtaverant; veſtrum pro me ſtudium adverſus Pſeudo-apoſtolos mihi detrahentes: vel zelum quo propter me accenſi eſtis, ut mandata mea in punitione inceſtuoſi fornicatoris exequeremini. Quo factum eſt ut gaudium ex præſentia Titi conceptum cumularetur & exuberaret.

S. Chryſoſt. Hom. 14. Theophylact. S. Thomas, Lect. 2.

8. 9. *Quoniam etſi contriſtavi vos in Epiſtola, non me pœnitet*. Quamvis priore Epiſtola vos contriſtaverim ſevera increpatione: fructus tamen quem ex

ea

Digitized by Google

ea percepiſtis, non ſinit me pœnitentia duci: *etſi pœniterer, videns quod Epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit*; Etſi ante adventum Titi dolerem quod compulſus eſſem vos ad breve tempus contriſtare objurgatione mea: *nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Abſit ut de triſtitia veſtra gaudeam, tametſi brevi, ſed non poſſum quin gaudeam de illius fructu, veſtra ſcil. et pœnitentia & emendatione. Sic bonus Medicus de ſectione, aut amaritudine potionis, & de dolore quem ægrotus patitur, non gaudet, ſed de illius curatione & ſalute. *Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis*. Contriſtati enim eſtis de offenſa Dei, ex ejus amore: adeo ut nullum detrimentum vobis attulerit objurgatio noſtra; quinimmo vobis fuerit ſalutaris: ſiquidem per eam facti eſtis meliores. Sane Præceptor tunc diſcipulo damnum infert, quando delinquentem non objurgat. Nam ſi objurgaretur, in lucrum illi cederet reprehenſionis & correptionis ſeveritas.

10. *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur*. Triſtitia ex amore Dei & juſtitiæ

Triſtitia ſalutaris.

concepta, qua peccator ob Deum offenſum ſummopere dolet, Pœnitentiam operatur in ſalutem ſtabilem & æternam, ſive (quæ vis eſt Græcæ vocis ἀμεταμέλητον, *non pœnitendum*: vel, operatur pœnitentiam non pœnitendam. (Nemo enim ſeipſum condemnat peccati nomine contriſtatum) hominemque a morte animæ, ac æterna damnatione eripit. Triſtitia vero quæ ex amore ſæculi oritur, ob ignominiam acceptam, ob res amiſſas, ob amicos ereptos, mortem affert tum animæ, cum immodica eſt, & ad Deum graviter offendendum impellit ſeu blaſphemando, ſeu contra divinam providentiam murmurando, ſeu vitæ Chriſtianæ & ſui ſtatus officia negligendo: tum corporis, morbos mortiferos pariendo, aut homines deſperabundos ad mortem ultro quærendam adigendo.

S. Auguſt. lib. 14. De Civit. Dei cap. 8. & Serm. 154. Proverb. 17. 22. Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Eccli 30. 25. Multos occidit triſtitia.

Ecce enim hoc ipſum, ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio. Conſiderate quam ſalutares fructus peperit in vobis hæc triſtitia ſecundum Deum concepta: quantam ſollicitudinem & diligentiam, quantum ſtudium corrigendi errores, moreſque veſtros, & excludendi a veſtra communione inceſtuoſum illum, operata eſt. Inſuper & excuſationem purgationemque veſtri, ac ſatisfactionem * pro negligentia veſtra, cum conteſtati eſtis vos tam nefarium crimen execratos fuiſſe, & prioris negligentiæ veniam deprecati eſtis. Peperit & indignationem adverſus ſcortatorem, eo uſque crimen: & timorem ne quid ſimile apud vos contingat: vel, timorem ne me magis contriſtateris, ſi ſtatim inceſtuoſum illum ut putre membrum ab Eccleſiæ corpore a me abſciſſum & ſatanæ traditum non vitaretis. Quin etiam ardentius præſentiæ apud vos meæ deſiderium hæc triſtitia in vobis genuit. Quin & zelum pro Dei gloria, & pro turpitudinis hujuſmodi exſtirpatione ab Eccleſia veſtra; vos denique illa ſecundum Deum triſtitia impulit ad injuriam Dei & legis ipſius vindicandam gravi pœna illi fornicatori impoſita ad ſatisfaciendum Juſtitiæ divinæ. Sic rebus ipſis probaſtis vos nullo modo fuiſſe fautores inceſti apud vos perpetrati.

Ἀπολογία excuſatio, purgatio, ſatisfactio, ex Gloſſ. Gl. Græcis.

12. *Igitur etſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis, coram Deo*. Quod igitur vos per Epiſtolam acriter objurgavi, id non feci tantum propter inceſtuoſum illum, ut puniretur, ut emendaretur: nec propter ejus patrem, qui injuria affectus eſt, cum violatum eſt ejus cubile: ſed ut ſtudium meum pro ſalute veſtra, & ſinceram ſollicitudinem pro Eccleſia veſtra manifeſtam facerem. Metuebam enim ne in vos quoque ſerperet contagium. Teſtis eſt mihi Deus.

13. *Ideo conſolati ſumus*. Hoc ſalutis veſtræ ſtudium, paterna hæc ſollicitudo nobis promeruit conſolationem quam accepimus, diſcendo vos hoc in negotio puros & incontaminatos fuiſſe. *In conſolatione autem noſtra abundantius magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis*. Conſolationem autem gaudiumque meum cumulavit gaudium Titi: Animus enim ejus ab omnibus vobis recreatus eſt, cum agnovit emendationem veſtram, zelum veſtrum, in Chriſtiana pietate profectum, obſervantiam & caritatem in me veſtram.

14. *Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus*. Et ſi cum illo collocutus, veſtram fidem ac profectum, veſtrum in me affectum commendavi, & gloriatus ſum tamquam pater in filiis a me per Evangelium Chriſto genitis & inſtitutis, non ſum pudefactus ut ii qui falſo & inaniter gloriantur: *Sed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra, quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt*. Sed ſicut omnia, quæcumque vobis dixi & prædicavi vera fuiſſe cognoſcitis: ſic & Titus verum eſſe comperit quod ipſi dixi ad commendationem veſtram.

15. *Et viſcera ejus abundantius in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrum obedientiam, quo modo cum timore & tremore excepiſtis illum*. Ipſe etiam Titus longe tenerius vos diligit quam antea, memor obedientiæ quam illi ut meo Coadjutori & Vicario exhibuiſtis, & reverentiæ ac obſervantiæ qua ipſum ſuſcepiſtis, metuentes ne quid eſſet in vobis quod illum offenderet. Duplicem ipſis virtutem gratulatur Apoſtolus, interprete Theophylacto; dilectionem velut ad patrem; & metum, tamquam ad principem: ut neque caritas ſine timore deficiat; neque timor a dilectione ſejunctus, injucundus ſit & ingratus.

16. *Gaudeo quod in omnibus confido in vobis*. Gaudeo quod omnia optima mihi poſſim de vobis polliceri. Vel, Gaudeo quod tales ſitis qui non pudefeceritis me, immo fiduciam præbeatis amplius in poſterum gloriandi de vobis. Vel, Gaudeo me tantum fiduciæ inveniſſe apud vos, ut abſque offenſionis periculo poſſim vobiſcum libere agere, monendo, increpando, laudando, præcipiendo, atque etiam petendo aliquid a vobis ad aliarum Eccleſiarum neceſſitatem ſublevandam.

S. Chryſoſt. Hom. 16. Theophylact. Oecumen.

CAPUT VII.

Senſus Moralis.

1. H*As ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei*. Divinarum promiſſionum magnitudine & magnificentia excitandus ad virtutem animus eſt, & ad ardua quævis pro Dei gloria agenda, ad dura quævis tolleranda roborandus. Alia veteris, alia novi Teſtamenti promiſſa. „ Vetus Teſtamentum terram promiſerat: & aliud præmium fuit vel promiſſio ſub Lege poſitorum, aliud ſub gratia. Terra Chananæorum Judæis ſub Lege poſitis, regnum cœlorum Chriſtianis ſub Gratia poſitis. Itaque quod pertinebat ad eos qui ſub Lege poſiti erant, regnum, terra illa Chananæa: regnum cœlorum, quod in gratia poſitis promiſſum eſt, non tranſit. „ Non terram fluentem lacte & melle, non ſubjectionem hoſtium, aut mortem inimicorum, aut imperia & divitias hujus ſæculi promiſit Deus novi Teſtamenti heredibus, ſed bona ſpiritualia & æterna; vitam, gloriam, divitias, delectationes, ſine corruptione; ſine fine. *Gloria & divitiæ in domo ejus*, ait Propheta. *Delectationes in dextera tua uſque in finem*. Non tibi promiſit Deus niſi ſe. Inveni aliquid pretioſius, & dabit tibi. Propter promiſſa Principum & Magnatum, ſpe terrenorum & periturorum honorum quid non facimus? Quid non patimur? Et propter Dei promiſſa tam magna, tam pretioſa, tam certa, abſtinere a peccato, ſervire Deo, mandata ejus implere recuſamus? Promiſit nobis Deus ſe in nobis velut in templo ſuo inhabitaturum, ſe nos in familiam ſuam recepturum, ſe nos pro filiis habiturum, ſe regni ſui æterni heredes facturum. Quid magnificentius? Per Filium ſuum Jeſum Chriſtum Salvatorem & Dominum noſtrum *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*. Concupiſcentiam, inquam, carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Hæc quæ nobis fugienda eſt corruptio: hæc contra quam nobis ad extremam uſque vitæ noſtræ horam pugnandum eſt, concupiſcentia, in carne noſtra, in corde noſtro eſt, ibi illam deſtruere laboremus. Divinarum intuitu promiſſionum *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*. „ Magnum negotium nobis „ imponitur, & non parvus labor, mundare nos ab „ omni coinquinatione carnis & ſpiritus: & nemo „ ſuſcipit bene laborem, niſi audiat promiſſionis „ mercedem. Quæ merces? Terra viventium, quæ „ poſſeſſorem habet ſine labore: inhabitatio in monte „ ſancto Dei, qui mons Chriſtus eſt. Ut hanc terram poſſideas, ut hunc montem inhabites in æternum, munda te ab omni inquinamento carnis & „ ſpiritus. Coinquinatio ſpiritus quæ eſt? Libido. „ Coinquinatio carnis? perpetratio adulterii. Sur-

„ rexit

Novi Teſtamenti promiſſionibus ad bonum excitari debemus.

S. Auguſt. in Pſal. 44. n. 5.

S. Aug. Serm. 137. n. 10.

Munditia carnis & ſpiritus. *1. Petri 1. 4.*

S. Aug. Serm. 45 ſive 12. ex additis a Sirmondo.

Digitized by Google

„ rexit libido, jam coinquinatus eſt ſpiritus, nondum acceſſit adulterium, nondum caro coinquinata eſt. Sed quid prodeſt quia caro munda eſt, & habitator carnis immundus? Illum qui foris mundus eſt in carne, adulterum Deus tenet in corde, ſicut Dominus dicit: *Amen dico vobis. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Iſta eſt coinquinatio ſpiritus. Quando autem fit perfecta ſanctificatio? Quando eſt carnis & ſpiritus. Sunt enim homines qui temperant ſe a factis, & non temperant ſe a cogitationibus malis; faciunt mundationem carnis, & non faciunt mundationem ſpiritus. Tales ideo non faciunt, quia timent homines. Libido ardet, timor revocat. Quid times? Inveniri & damnari; inveniri & expompari. Ergo incoinquinata videtur caro, ſed non eſt perfecta ſanctificatio: quia quid dicit Apoſtolus? *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*; ut quomodo te temperas a malis factis; ſic te temperes a mala voluntate, a malis cogitationibus. A malo facto contine, & mundas te a coinquinatione carnis; a mala voluntate abſtine te, & mundas te a coinquinatione ſpiritus. Nemo eſt quem hæc adhortatio non ſpectet. *Quis enim poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Sed imprimis ſpectat Miniſtros Domini, quibus dictum eſt, *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Laborare continuo debent quicumque Chriſto nomen dederunt, ut perficiant ſanctificationem in timore Dei. Sanctitas in baptiſmo inchoata, bonis operibus, & aſſiduo profectu in Chriſtianis virtutibus perficienda eſt. Sanctificationis opus inchoare, electis & reprobis pleriſque commune eſt: perficere, electis proprium. Nec tamen iſta perfectio ſanctitatis & juſtitiæ hic obtineri poteſt, ſed currendum & laborandum eſt ut ad eam perveniamus aliquando deſtructa cupiditate, conſummata caritate. „ Hæc eſt autem noſtra in ipſa peregrinatione juſtitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque juſtitiæ, ubi in ſpecie decoris ejus jam plena & perfecta caritas erit, nunc ipſius curſus rectitudine & perfectione tendamus, caſtigando corpus noſtrum & ſervituti ſubjiciendo, & eleemoſynas in dandis beneficiis, & dimittendis quæ in nos ſunt commiſſa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indeſinenter inſtando; & hæc faciendo in doctrina ſana, qua ædificatur fides recta, ſpes firma, caritas pura. Hæc eſt nunc noſtra juſtitia, qua currimus eſurientes & ſitientes ad perfectionem plenitudinemque juſtitiæ, ut ea poſtea ſaturemur.

Matt. 5. 28.

Proverb. 20. 9. Iſai. 52. 11.

S. Aug. lib. De Perfectione juſtitiæ, c. 8. n. 18.

Laboramus autem ut opus noſtræ ſanctificationis perficiamus per timorem Dei caſtum & filialem, non ſervilem, quem perfecta caritas foras mittit. Dicit autem Apoſtolus: *Perficientes ſanctificationem in timore Dei*, ut doceat nos habere affectum ad Deum, cum quadam reverentia & ſollicitudine. *Amor enim cauſat ſecuritatem, qua quandoque negligentiam parit: ſed qui timet, ſemper eſt ſollicitus*.

S. Thomas, Lect. 1.

2. 3. 4. 5. *Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus*. Optimi Paſtoris caracteres his verſibus Apoſtoli deſcriptos habemus. 1. Ab ovibus ſuis amari cupit & ſatagit, ut ejus monita, adhortationes, correptiones, mandata, conſilia lubenti, docili, prompto, hilarique animo ſuſcipiant, & Dei opus, quod eſt eorum ſanctificatio, in ipſis, & ipſis cooperantibus peragatur. *Capite nos*. 2. Eorum quos regunt amorem omnibus caritatis officiis boni Paſtores promerentur. Omnibus prodeſſe & benefacere ſtudent: tantum abeſt ut aliquem lædant, ut tyrannica dominatione, & dura moroſitate ſubditorum animos a ſe alienent. *Neminem læſimus*. Sana doctrina, verbo veritatis, ſancta diſciplina ipſos erudiunt, inſtituunt, omnium virtutum exemplis illos ædificant: tantum abeſt ut corrumpant. Immo curas omnes, vigilantiam omnem impendunt, ut eorum corruptionem impediant. *Neminem corrupimus*. Illis ſua largiri & erogare parati ſunt, & reipſa erogant in neceſſitatibus: tantum abeſt ut eorum pecunias extorqueant, ut blandis verbis, ſimulata amicitia, aut hypocriticis artibus illos circumveniant, ut donationes, vel teſtamenta in ſuum favorem illis ſuggerant. *Neminem circumvenimus*. „ Ad hanc circumventionem pertinet ars eorum qui pauperibus paululum tribuunt, ut amplius accipiant, & ſub prætexto eleemoſynæ divitias quærunt: *Quæ magis venatio appellanda eſt, quam eleemoſyna genus*. Sic beſtiæ, ſic aves, ſic capiuntur & piſces. *Modica in hamo eſca ponitur, ut matronarum in eo ſacculi protrahantur*. Recordentur ſemper quid Apoſtolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam*. 3. Verba adhortationis & correptionis ita librare debent ac temperare paterna caritate, ut non irritent animos. Amaræ potiones melle condiuntur, ne illas ægrotus faſtidiens reſpuat. *Non ad condemnationem veſtram dico*. 4. Charitas Paſtoris vitam ejus ac mortem conſecrare debet ovium ſaluti; ut nec in periculis illos deſerat, nec in rebus proſperis illis invideat; ſed illarum proſpera & adverſa, ſua ducat. *In cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad convivendum*. Sic boni Paſtoris animum afficit illa caritas, quam S. Joannes commendat dicens: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. „ Noverint ergo Paſtores, miniſterii, ſui vincula, quibus eos Chriſti caritas alligavit, ne deſerant Eccleſias, quibus ſervire debent, in periculis non eſſe rumpenda. 5. Spem optimam & bonam opinionem de ovibus ſuis præ ſe ferre debent, illarum virtutes & profectum commendare; ſolatium gaudiumque ab illis ſibi datum prædicare, ſpiritualibus illarum bonis publice gratulari, ut illarum fiduciam ſibi adſtringant: quod tamen ſalva diſciplina præſtandum. Id facile præſtant qui Spiritu Dei ducuntur, & unam illius gloriam quærunt, non quæ ſua ſunt. *Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*. 6. Bonus Paſtor hic requie non fruitur, ſemper illi patiendum, laborandum, pugnandum eſt; arma orationis & verbi Dei ſemper illi tractanda; ſollicito ſemper eſſe debet animo & vigili contra vim & inſultus hoſtium apertorum, contra inſidias & malas artes hoſtium occultorum & domeſticorum. *Nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores*.

Boni Paſtoris caracteres.

S. Hieron. Ep. ad Nepotian. de vita Clericorum.

1. Petri 5. 2. 3. 4.

1. Joan. 3. 16.

S. Auguſt. Epiſt. 27. alias 67. Ad Honoratum.

6. 7. *Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi*. Deus fideles Miniſtros, qui ob illius gloriam & ſalutem animarum laborant, & tribulationem patiuntur, nunquam omni ſolatio deſtituit. Longe ſuaviores ſunt conſolationes quibus piorum animæ a Deo recreantur, iis quas mundus amatoribus ſuis ſubminiſtrat. *Meliora ſunt ubera tua vino*, ait Sponſa cœleſtem Sponſum compellans. „ Carnis voluptatem, vincunt hæ quas tua nobis propinant ubera deliciæ ſpirituales. Et pulchre vino comparat carnalem affectum. Ut enim uva ſemel expreſſa non habet jam quod amplius fundat, ſed perpetua ariditate damnatur: ſic caro in preſſura mortis ab omni prorſus delectatione ſiccatur, nec ultra revireſcit ad libidines. Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Et cum omnia quæ in mundo ſunt finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non ſic. Hæc enim cum exhauſta fuerint, rurſum de fonte materni pectoris trahunt quod propinent ſugentibus. Merito proinde meliora carnis ſæculive amore aſſeruntur ubera Sponſi, quæ nullo umquam lactentium numero areſcunt, ſed ſemper abundant de viſceribus caritatis ut iterum fluant. Flumina ſiquidem fluent de ventre ejus, fitque in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Sed Deus qui ſuperbis reſiſtit, iſtos non conſolatur in adverſis. *Conſolatur humiles* duntaxat quos diligit, & quibus dat gratiam.

Conſolationes ſpirituales.

S. Bernardus Serm. 9. in Cantica.

7. *Non ſolum autem in adventu ejus, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem*. Hinc diſcant Paſtores & Superiores in exhortationibus laudes pariter & increpationes ad omnes communiter dirigere, ſubditorum conſcientiis relinquentes, ut ſinguli quæ ad ſe pertinent eligant, & ſibi applicent. Ita enim & reprehenſiones invidia carebunt, & laudes ingentem zelum ac fervorem excitabunt. Diſcere debent & ſubditi qui reprehenduntur, ita ſe affectos eſſe debere ut fuerunt Corinthii a S. Paulo objurgati, ut lugeant ac lamententur, & Paſtorum ſuorum ac Magiſtrorum deſiderio flagrent, avidiuſque eo quam ipſos parentes requirant. Ab his quippe vivere, ab illis bene vivere habent. Ad hunc modum paternas objurgationes ferre convenit: ad hunc modum una cum Antiſtitibus ob eos qui peccant dolore atque iracundia inflammari. Diſcere tandem debent probatæ vitæ Chriſtiani, Laici, Clerici, Religioſi Viri, ſe cum Paſtoribus, cum Superioribus iraſci debere in flagitioſos, ſcandaloſos, diſciplinæ jugum excutientes, & diſcolos, & eorum correptioni ac emendationi collaborare. „ Etenim ſi is, qui flagitium aliquod admiſit, ſe quidem a patre aſperioribus verbis excipi, ceterum a fratribus adulatoria oratione de-

S. Chryſoſt. Hom. 15.

Cum Paſtoribus & Superioribus iraſci debent pii in flagitioſos, & ad eorum correptionem cooperari.

„ liniri

Digitized by Google

„ ſtupri videat, ſegnior efficitur. Proinde cum pater objurgat, tu quoque ſimul cum eo iraſcaris, ſive ut fratris curam gerens; ſive ut cum Patre ſtomachatus, magnum ſtudium exhibe, non quia objurgatus eſt, ſed quia peccavit. Alioqui ſi extruam ipſe, tu vero deſtruas, quid aliud aſſequimur, quam ut inani labore nos ipſos conficiamus? Quin potius pœnam quoque tibi accerſis. Nam qui obſtat quo minus vulnus curetur, non minori quam qui inflixit, immo etiam graviori ſupplicio afficitur. Etenim par crimen eſt aliquem ferire, & impedire ne remedium afferatur. Hoc enim omnino mortem gignit: illud autem non omnino. Cum igitur Antiſtites juſtis de cauſa iraſcuntur, vos quoque una cum ipſis iraſcamini. Date operam ut qui deliquit, vos potius quam Magiſtros ipſos pertimeſcat. Etenim ſi Magiſtri ſolius timor in ipſius animo verſetur, cito peccabit. Sin autem tot oculos ac tot ora pertimuerit, cautius procul dubio vitam inſtituet. Quemadmodum enim niſi hæc faciamus, extremas pœnas daturi ſumus: ita ſi hæc præſtemus, quæſtum quem peccantium correctio parit, conſequemur. Quod ſi quiſpiam Chriſtianis hominibus convenire dixerit, humanitatem erga peccantem fratrem adhibere, diſcat ille humanitate eum uti, qui iraſcitur, non eum a quo præmature qui peccat, vocatur, nec peccati ſui ſenſu affici ſinitur. Uter enim, quæſo, febre ac phreneſi laborantem miſericordia proſequitur, is ne qui in lecto eum ſternit ac vinculis adſtringit, atque a noxiis cibis & potionibus arcet, an qui ei mero ſe ingurgitandi facultatem præbet, ac ſui juris & arbitrii eum eſſe jubet, omniaque facere quæ ab homine ſano fieri poſſunt? An non morbum quoque hic exulcerat, qui humanitatis officio fungi ſibi videtur: cum contra, morbum ille pellat ac profliget? Eodem modo hic quoque judicamus. Humanitatis enim eſt ægrotis non ubique indulgere, ac præpoſteris ipſorum cupiditatibus adblandiri. Nemo eum, qui apud Corinthios ſtupri crimine ſe obſtrinxerat, tam amat quam Paulus, qui eum ſatanæ tradi jubebat. Nemo tam eum oderat, quam ii qui peccanti applaudebant & obſequebantur. Illi enim ipſius animum inflarunt, ac tumorem majorem effecerunt: hic autem tumorem compreſſit, nec ante abſtitit, quam eum integræ valetudini reddidiſſet. Quocirca nos etiam has humanitatis clementiæque leges addiſcamus. Nam & tu ſi equum videris in præcipitia ferri, frænum injicis, acriterque inhibes, ac ſæpe flagellas. Atqui cruciatus hic eſt: verum hujuſmodi cruciatus ſalutem ei affert. Eamdem igitur erga eos qui peccant, rationem tene. Vincula eum, qui facinus improbum admiſit, coerce, uſque dum ipſe Deum ſibi propitium reddiderit; ſolutum ac liberum eum ne relinquas, ne arctioribus divinæ iræ vinculis conſtringatur.

9. *Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini.* Crudeles ſunt Rectores animarum, qui mollius & indulgentius cum illis agunt, ne illas contriſtent. Triſtitia & amaritudo Pœnitentiæ, gaudium æternum parit. *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* Detrimentum inferunt animabus molliores Directores. *Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.* Protrahendum Pœnitentiæ ac ſatisfactionis tempus, donec de peccatoris emendatione certo conſtet, donec vitæ veteris odium, & novæ inchoationem non dubiis & æquivocis indiciis, non verbis tantum & promiſſis, ſed fructibus & operibus pœnitentiæ probaverit. „ Verum ſatis diu pœnas expenderunt (inquit) Quamdiu, quæſo? Annum unum ac alterum vel tres. Atqui temporis moram non quæro, ſed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonſtres, ſint-ne compuncti, ſint ne in melius immutati: & res tota confecta erit. Quod niſi ita ſit, nihil profecto emolumenti temporis diuturnitas attulerit. Neque enim ſæpiuſne obligatum vulnus fuerit, quærimus, ſed an obligatio illa quicquam profuerit. Ac ſiquidem etiam ad exiguum tempus adhibita profuit, non jam amplius adhibeatur: ſi autem nondum eam adhibuiſſe juvit, etiam poſt decem annos adhibeatur. Denique hic tibi ejus, qui vinctus eſt, ſolvendi præſcriptus terminus eſto, nempe ipſius utilitas. Si ad hunc modum & noſtri & ceterorum curam geramus, ac non hominum gloriam aut ignominiam ſpectemus, verum futuræ vitæ cruciatum ac probrum, atque ante omnia Dei offenſionem & iracundiam nobis ob oculos ponentes, pœnitentiæ pharmaca non leviter imponamus, tum ad inte-

Molliores Directores detrimentum inferunt animabus.

Pſal. 125. 5.

S. Ambroſ.

S. Chryſoſt. hom. 14. & 15.

„ gram ſanitatem quamprimum peccatores promovebimus, tum ad futura bona perducemus. Si vero in imponenda pœnitentia molliores ſimus, ſi in abſolutione tribuenda faciliores, id non ipſis tantum, ſed & nobis damno erit. „ Quemadmodum enim qui mercatori ea quæ ad navigandum neceſſaria ſunt, minime ſuppeditat, ipſe eſt qui damnum accipit: eodem modo, niſi congruam pœnitentiam peccatoribus imponamus, tum illos, tum nos ipſos damno afficimus. *Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.*

10. *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.* Triſtitia qua peccator afficitur eo quod Deum ſumme bonum offenderit & amiſerit, & quod ab aliis Deus offendatur, triſtitia eſt ſecundum Deum: Triſtitia qua afficitur ob amiſſionem bonorum quorumcumque temporalium, triſtitia ſæculi eſt. Illa fructus eſt caritatis; iſta fœtus eſt cupiditatis. Caritas vita eſt animæ: cupiditas mors illius eſt. Cum cupiditate enim poſſidentur, quæ ſine dolore non amittuntur. *Quod ſine illiciente amore non habuit, ſine urente dolore non perdit*, inquit S. Auguſtinus. „ Igitur tempore miſeriæ noſtræ, & ſicut Scriptura loquitur, diebus nativitatis noſtræ, noſſe debemus unde debeat eſſe ipſa triſtitia. Hæc enim ſtercori ſimilis eſt. Stercus non loco ſuo poſitum, immunditia eſt, immundam facit domum; loco ſuo poſitum, fertilem facit agrum. Videte ſtercoris locum ab agricola proviſum. Ait Apoſtolus; *Triſtitia ſecundum Deum pœnitentiam in ſalutem impœnitendam operatur.* Qui ſecundum Deum triſtis eſt, in pœnitentiam triſtis eſt de peccatis ſuis. Triſtitia de iniquitate propriam juſtitiam parturit. *Prius tibi diſpliceat quod es, ut poſſis eſſe quod non es.* Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem impœnitendam operatur. Quid eſt, impœnitendam? Cujus te omnino pœnitere non poſſit. Habuimus enim vitam, cujus nos debuimus pœnitere: ſed non poſſumus pervenire ad vitam impœnitendam, niſi per malæ vitæ pœnitentiam. Numquid in maſſa tritici purgata invenies ſtercus? Tamen ad illum nitorem, ad illam ſpeciem & pulcritudinem per ſtercus pervenitur: rei pulcræ fœditas via fuit .... Stercoris locus opportunus dat fructum, importunus autem locum facit immundum. Neſcio quis triſtis eſt: ſtercus video, locum quæro: dic, amice, unde triſtis es? Perdidi, inquit, pecuniam. Locus immundus, fructus nullus. Audiat Apoſtolum. *Triſtitia mundi mortem operatur.* Non ſolum fructus nullus, ſed & magna pernicies. Sic & de ceteris rebus ad gaudia ſecularia pertinentibus. Video alium contriſtatum, gementem, flentem: multum ſtercoris video, & ibi locum quæro. Et cum viderem triſtem, flentem, inſpexi & orantem. Orans neſcio quid mihi bonæ ſignificationis ingeſſit; ſed adhuc locum quæro. Quid enim ſi iſte orans, gemens magno fletu roget mortem inimici ſui? Etiamſi ſic jam plorat, jam rogat, jam orat; locus immundus, fructus nullus. Plus eſt quod invenimus in Scripturis; rogat ut moriatur inimicus ipſius, incidit in maledictionem Judæ: *Oratio ejus fiat in peccatum.* Inſpexi alium rurſus gementem, flentem, orantem: ſtercus agnoſco, locum quæro. Intendi orationi ejus, & audio dicentem, *Ego dixi, Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Gemit peccatum; agnoſco agrum, exſpecto fructum. Deo gratias: bono loco eſt ſtercus; non ibi vacat: fructum parturit. *Hoc eſt vere tempus fructuoſæ mæſtitiæ, ut conditionem mortalitatis noſtræ, abundantiam tentationum, ſubreptiones peccatorum, adverſitates cupiditatum, rixas concupiſcentiarum contra bonas cogitationes ſemper tumultuantium doleamus; hinc triſtes ſimus.*

Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur. „ Nam mœror ad peccata dumtaxat utilis eſt. Etenim qui ob amiſſas opes in mœrore eſt, incommodum acceptum hac ratione minime farcit. Qui mortem alicujus luget, jacentem minime excitat. Qui ob morbum diſcruciatur, is eum adeo non depellit, ut etiam augeat & exaſperet. At cui peccata mœrori ſunt, is ſolus ex triſtitia fructum capit. Peccata enim abſumit ac delet. Quoniam enim medicamentum illud ad hoc tantum comparatum eſt, idcirco hic dumtaxat vim habet utilitatemque ſuam exerit: in aliis rebus non modo non juvat, ſed etiam obeſt.

11. *Ecce enim hoc ipſum, ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſi-*

Quæ triſtitia ſecundum Deum? quæ triſtitia ſæculi?

S. Aug. lib. 14. *De Civit. Dei cap.* 26. *n.* 2. *Idem Ser.* 254. *alias De Tempore* 551. *n.* 2. & 3.

Pſal. 108. 7.

Pſalm. 40. 5.

S. Chryſoſt. Hom. 15.

deriam, ſed æmulationem, ſed vindictam, in omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos in negotio. Triſtitia ſecundum Deum, quæ ſinceræ, conſtantiſque pœnitentiæ mater eſt, propriis caracteribus & notis diſcernitur. 1. Sollicitum reddit peccatorem & pervigilem ad vitanda peccata, & ad bona opera exercenda. *Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare coram Deo tuo*. „ Quærit a nobis Dominus, & quaſi neceſſa„ riam habens noſtram ſalutem, poſcit accipere „ quod danti proſit: ut faciamus judicium, id eſt, „ ut nihil abſque ratione & conſilio faciamus: ut „ ante mens judicet quid factura ſit, & poſtea ope„ re compleat; ut miſericordiam diligamus, & non „ quaſi compulſi, aut ea neceſſitate miſericordes „ ſimus. Ita præparati ſimus ambulare cum Domi„ no Deo noſtro; nulla hora dormire, nullo tem„ pore ſecuri eſſe debemus, ſed ſemper exſpectare „ patrem-familias venientem, diem formidare ju„ dicii, & in nocte hujus ſeculi dicere, *Ego dormio, & cor meum vigilat*. 2. Pœnitentia hominem induit armatura Dei, ut peccati pericula propulſet, ut ſe ab iis defendat, qui ad peccatum illum pertrahere aut inducere conantur, ut peccatis alienis numquam communicet: *ſed defenſionem*. Ut non ſolum adverſus certi generis peccata, ſed adverſus omnia indignationem concipiat, & ad eorum deſtructionem laboret ac ſtudiis omnibus enitatur; *ſed indignationem*. Hæc veri pœnitentis notio, *Homo ſibi ipſi iratus*, nihilque prætermittens *Ut deſtruatur in ſe ipſo corpus peccati*. 3. Triſtitia ſalutaris pœnitentiæ, timorem parit judiciorum Dei, quo fit ut a relapſu caveat peccator, ne deterius illi contingat. *Timor, fundamentum ſalutis eſt. Præſumptio impedimentum timoris. Utilius ergo ſi ſperemus nos poſſe delinquere, quam ſi præſumamus non poſſe. Sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus*. Vere pœnitens nihil magis timet quam Deo diſplicere. *Sed timorem*. 4. Pœnitentia deſiderium omnis boni ad ſalutem noſtram neceſſarii in nobis operatur. *Deſiderium juſtorum omne bonum eſt*, deſiderium non inane, ſed efficax. Nam „ bona voluntas nihil aliud eſt quam „ caritas. *Sed deſiderium*. 5. Sincera pœnitentia ſanctam æmulationem parit in pœnitente, qua bonos imitari conatur, & eorum exemplis ad bona opera accenditur. *Sed æmulationem*. 6. Sincera pœnitentia operatur in peccatore vindictam peccati per condignam ſatisfactionem; *Ut in peccatorem ipſa pronuntiaat pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æternum ſupplicium, non dicam fruſtretur, ſed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit, cum accuſat, excuſat: cum condemnat abſolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet*. Peccatum impunitum eſſe non poteſt. Puniendum eſt igitur aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante. *Sed vindictam*.

Triſtitiæ ſecundum Deum, ſive ſinceræ Pœnitentiæ caracteres.
Michææ 6. 8.
S. Hieron. in Comment.
Tertullian. l. De Pudicitia.
Proverb. 11. 25.
S. Aug. lib. De Gratia Christi c. 21.
1. De Lectid.
Pœnit. cap. 9.

12. 13. 14. 15. 16. *Igitur, etſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt, ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis*. Nulla re magis convincitur peccator, Paſtorem aut conſcientiæ Moderatorem nihil aliud quærere, nihil aliud optare præter ejus converſionem & ſalutem: quam ſi per arctam, tutamque Pœnitentiæ viam ab illo dirigatur. Nulla major conſolatio Paſtoris, quam emendatio & profectus ſubditorum, quam eorum reverentia, obedientia, & caritas erga ipſum, aut ſubalternos Miniſtros eorum ſaluti collaborantes. *In conſolatione autem noſtra abundantius magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis. Et viſcera ejus abundantius in vobis ſunt, reminiſcentis omnium veſtrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepiſtis illum*. „ Oportet ergo nos, inquit Theodoretus, „ tam qui docemur, quam qui docemus, utilitatis „ exemplum hinc ſumere: & Doctores quidem imi„ tari Doctorem orbis terrarum S. Paulum, & in „ tempore arguere, & increpare opportune, & ad„ monere, & hortari, & excitare laudibus: eos „ autem qui doctrinam excipiunt, parcere docenti„ bus, & eum deſiderio & timore doctrinæ fluen„ ta ſuſcipere, & per ejuſmodi irrigationem fructum „ ferre Chriſto Servatori.

Emendatio & profectus ſubditorum, conſolatio Paſtorum eſt.
Theodoret.

CAPUT VIII.

Senſus Litteralis.

1. *NOtam autem vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt Eccleſiis Macedoniæ*. Vobis notam eſſe volumus gratiam Dei in Chriſtianos Macedoniæ effuſam, eorum in adverſis patientiam & eximiam in pauperes caritatem & liberalitatem, quæ ſolius miſericordiæ Dei dona ſunt, ut eorum exemplum vobis a me propoſitum imitemini.

Eleemoſyna Chriſtiana.

2. *Quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipſorum fuit: & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum*. Scilicet. 1. Quod multis, tribulationibus & olim & recens a Deo probati, & a Gentibus, Judæiſque vexati, magnum ex ea re gaudium perceperint, qui bonæ conſcientiæ & ſpei Chriſtianæ fructus fuit. 2. Quod profunda ſummaque eorum paupertas abundanter effudit divitias ſinceræ caritatis ad inopiam Chriſtianorum Jeroſolymis degentium ſublevandam.

Act. 16. 29.
Act. 17. 5. 13.
1. Theſſalon. 2. 14.

3. *Quia ſecundum virtutem, teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt*. Teſtis ſum illos non modo pro ſuarum tenuitate facultatum, ſed etiam ſupra vires, ultro liberales & promptos fuiſſe ad largitionem eleemoſynarum, ita ut ſibi ipſis ex neceſſario detraherent ad ſubveniendum pauperibus.

Altiſſima paupertas, id eſt, ia profundum depreſſa, ad fundum uſque bonis fortunæ exhauſta.

4. *Cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam & communicationem miniſterii quod fit in ſanctos*. Multis precibus nos obſecrantes, ut eorum eleemoſynam, & collectam ab iis pecuniam pauperibus Jeroſolymitanis communicandam ſuſciperemus, & perferendam atque ſubminiſtrandam curaremus.

5. 6. *Et non ſicut ſperavimus; ſed ſemetipſos dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei*. Et ſpem quidem exſpectationemque noſtram ſuperarunt, non bona tantum ſua, ſed ſemetipſos Chriſto Domino devoventes, nobiſque ejus Vicariis & Miniſtris, ut quod a nobis Dei voluntati conſentaneum eſſe didiciſſent, prompto & alacri animo exequerentur. *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam*. Quæ illorum devotio & caritas nos impulit ut rogaremus Titum diſcipulum adjutoremque noſtrum, ut ſicut nos in Macedonia, ita ipſe Corinthi promoveat hanc bene cœptam per gratiam Dei eleemoſynarum collectionem, ne vos Corinthii divites pauperibus Macedonibus caritate & liberalitate in fratres egenos inferiores ſitis.

7. *Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper & caritate veſtra in nos, ut & in hac gratia abundetis*. Corinthios laudando movet divinus Orator. Sed ſicut omnibus aliis ſpiritualibus dotibus & donis excellitis, & divites eſtis, ſcilicet *fide* qua creditis quicquid a Deo revelatum, & a nobis traditum ac prædicatum eſt; *ſermone*, ſeu docendi facultate & eloquentia, necnon dono linguarum; *& ſcientia*, qua alios erudire valeatis; & omni ſtudio, diligentia, ſedulitate in bonis rebus peragendis ac ſalute fratrum procuranda, & ea qua nobis addicti ac devoti eſtis caritate: ita detis operam ut & in hoc genere gratiæ, ſcilicet beneficentia in pauperes *abundetis*.

1. ad Corinth. Cap. 1. 5. 13. 4. 1. 6.

8. *Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſollicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans*. Non imperioſe vobiſcum ago, tametſi Apoſtolica auctoritate præcipere vobis poſſim quæ juſta ſunt & ad ſalutem neceſſaria: ſed per aliorum, ſcilicet Macedonum, veſtrorum in fide ſociorum exemplum, ardenſque ſtudium in ſublevanda fratrum inopia, etiam atque etiam hortor ut caritatis veſtræ ſinceritatem, & propenſam ad benefaciendum indolem comprobetis. Hæc autem non eo pertinent ut exiſtimanda ſint quod eleemoſyna præcepta non ſit. Dei enim præceptum in Scripturis ſacris de eroganda eleemoſyna non ſemel expreſſum eſt, & divitibus impoſitum, quod Legis etiam naturalis eſt: ſed eleemoſynæ modus, ut ſcilicet ultra vires detur, ſibi etiam neceſſaria ſubtrahendo, quod fecere Chriſtiani Macedones; aliæ etiam piarum collectarum circumſtantiæ, & collati doni ſumma, ſub divinum præceptum non cadunt.

S. Thomas, Secunda ſecunda, Quæſt. 32. Art. 5.
Matth. 25. 35. & ſeq.
Luc. 16. 19. & ſeq.
1. Joan. 3. 17. 18.
Jacobi 2. 13. 15. 16.
Proverb. 21. 13.
Eccli. 4. 1.

9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis*. Cogitate quantum beneficium in vos gratuito contulerit rerum omnium conditor & dominus unigenitus Dei Filius, cujus exemplo vos benefici in fratres ad inopiam redactos eſſe debetis. Propter vos ſcilicet, id eſt, veſtri cauſa, egenus factus eſt ſecundum naturam humanam, non habens ubi caput ſuum reclinaret, cum dives eſſet ſecundum naturam divinam, ſibique ſufficientiſſi-

mos,

mus, & omnium rerum creatarum dominus: ut illius extrema in temporalibus paupertas ſpirituales divitias vobis procuraret, gratiam, virtutes, dona Spiritus ſancti, gloriam æternam. Pauper autem noſtri cauſa factus eſt Chriſtus, & propter exemplum, & propter Sacramentum. Propter exemplum quidem, quia ſi Chriſtus dilexit paupertatem, & nos exemplo ejus eam diligere debemus. Diligendo autem paupertatem in temporalibus, divites efficimur in ſpiritualibus. Unde Jacobi 2. 5. dicitur: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni quod repromiſit diligentibus ſe?* Propter Sacramentum vero, quia omnia Chriſtus egit vel ſuſtinuit propter nos. Unde ſicut ejus morte liberati ſumus a morte æterna & reſtituti vitæ: ita ejus inopia in temporalibus liberati ſumus ab inopia ſpiritualium bonorum, & divites facti in illo, fide, gratia, virtutibus & donis.

S. Thom. lect. 2. in hoc Capite.

10. *Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis utile eſt, qui non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore*. Conſilii verbo uti mavult Apoſtolus quam præcepti, quia ſæpe adhortationibus & precibus plus obtinetur quam præceptis. Unde & Daniel Nabuchodonoſor Regi: *Conſilium*, inquit, *meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum*. Ita Apoſtolus: *Et conſilium in hoc do*: ſe gerens ut peritum optimumque Medicum, qui ægroto præſcribens quod utile aut neceſſarium eſt ad ſalutem corporis, conſilii verbum uſurpare potius conſuevit quam mandati. *Hoc enim vobis utile eſt*, non ſolum Hieroſolymitanis pauperibus. Bonum enim pietatis, ait S. Thomas, utilius eſt facienti quam illi cui fit: quia faciens reportat inde commodum ſpirituale, accipiens vero temporale. & ſicut ſpirituale præferri debet temporali, ſic in operibus pietatis utilitas dantis præfertur utilitati accipientis. *Qui non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore*. Eo promptiores & alacriores eſſe debetis ad perficiendum bonum opus collectarum & piæ collationis ad ſublevandam pauperum Jeroſolymitanorum inopiam, quod ab anno ſuperiore id velle jam cœperatis matura & deliberata voluntate priuſquam ad id vos hortarer. Perficite igitur quod ſponte voluiſtis, etiam ante quam in Macedoniam veniſſem de collecta cum Macedonibus acturus. Confer cum 1. *Corinth*. 16. 1. & 5. & cum ſequentis capitis Verſ. 2. *Scio enim* (inquit) *promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos*.

Daniel. 4. 24.

Syriacus: Qui ab anno ſuperiore cœpiſtis non velle tantum, ſed etiam agere.

11. *Nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis*. Nunc vero perficite quod a vobis bene & laudabiliter inchoatum eſt; ut promptæ ad benefaciendum voluntati perfectum opus reſpondeat, largitio ſcilicet eleemoſynæ pro modo facultatum veſtrarum.

12. *Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet, accepta eſt, non ſecundum id quod non habet*. Si enim parata & prompta eſt ad dandum voluntas, ea Deo accepta & grata eſt ſi quiſque det pro modo facultatum ſuarum, ſive multum illud ſit, ſive parum: non poſtulat enim Deus a quoquam ut eleemoſynam ſupra facultates eroget.

13. *Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate*. Non enim tam uberem a vobis eleemoſynam dari volo ut pauperes laute vivant, vos autem egeatis, ut illis nihil deſit, vos autem neceſſariis ad vitam deſtituti ſitis; non exigo ut cum veſtro gravi incommodo illis ſubveniatis: ſed æquabilitatem aliquam ſervari velim, ut neminî deſint ſufficientia; ne alii luxurientur, alii fame pereant.

14. 15. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt*: Sed hoc unum poſtulo, ut vos qui bonis temporalibus abundatis, ea veſtra copia illorum (fratrum ſcilicet qui in Judæa ſunt) inopiæ temporali ſuccurratis in hoc ſæculo: ut viciſſim in futuro ſæculo ſpiritualis illorum abundantia ſpiritualis inopiæ veſtræ ſupplementum fiat; ita ut ſeminetis temporalia, metatis ſpiritualia & æterna, ipſique vos in æterna tabernacula recipiant ſecundum promiſſionem Domini. Hinc æqualitas quædam emerget, uno alterius inopiam ſublevante, tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus. *Sicut ſcriptum eſt, Qui multum, non abundavit: Et qui modicum, non minoravit*. Id de Manna ſcriptum, cujus egregiam allegoriam ad inſtitutum ſuum accommodat Apoſtolus noſter. Qui multum collegit, non plus habuit quam cæteri, nec ultra præſcriptam menſuram gomor uniuſcujuſque victui diurno ſufficientem; & cui minus colle-

Luc. 16. 9.
Exodi 16. 18.
Secundum Verſionem LXX. Interpretum.

Nat. Alex. in Epiſt. D. Pauli ...

git, non defecit, nec minus habuit. Ita par eſt ut Chriſtiani æqualitatem quandam ſervent in vitæ neceſſariis, ut nemo iis deſtituatur, nemo ſuperflua retineat, ſed ex iis ſubveniat aliorum inopiæ. Spiritualis porro abundantia quorumdam Eccleſiæ membrorum, ea qua aliorum inopiæ ſpirituali ſubvenitur, pertinet ad *communionem ſanctorum*, quam in Symbolo profitemur.

16. 17. *Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi*. Deo gratias ago bonarum omnium voluntatum inſpiratori, & bonorum operum auctori, qui eamdem ſollicitudinem, quam pro vobis habeo, eumdem pro ſalute veſtra zelum cordi Titi indidit, quo vos pariter hortaretur & urgeret ad collectam pro fratribus Hieroſolymis degentibus perficiendam. *Quoniam exhortationem quidem* meam ad hoc pietatis opus cum gaudio *ſuſcepit. Sed cum ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos*. Sed cum ſtudioſior eſſet ſpiritalis profectus veſtri, ſua ſponte iter ad vos ſuſcepit, ut pium collectarum opus veſtræ ſaluti profuturum urgeret ac perfici curaret.

18. 19. *Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*. Celebrem in omnibus Eccleſiis & Evangelii prædicatione & ſcriptione; ſcilicet Lucam: *Non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam quæ miniſtratur a nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram*. Qui etiam ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationum noſtrarum & Apoſtolici Miniſterii coadjutor, cujus pars eſt officium hoc eleemoſynas procurandi & colligendi ad ſubveniendum neceſſitatibus fratrum & commembrorum Chriſti, ad ejus gloriam, & ſecundum propenſionem & propoſitum voluntatis, quam in nobis operatus eſt. Chriſtus enim propter iſta laudatur, nos autem noſtram animi promptitudinem oſtendimus. Ad Barnabam, non ad Lucam hæc referri volunt Græci primæ notæ Commentatores. Sed & nonnulli hæc verba, *πρὸς προθυμίαν ὑμῶν*, interpretantur, *ad promptitudinem animi veſtri*, ſive, *ad veſtram alacritatem*, id eſt, ut vos promptioribus animis ſitis, cum probos atque integros eos eſſe perſpexeritis qui pecunias ſuſcipiunt, eoſque extra omnem ſuſpicionem poſitos.

S. Hieronymus in Catal. Script. Eccleſ. Præfat. Comment. in Matth. in 4 comment. Epiſt. ad Philemonem, Primaſium, & alii.
S. Chryſoſt. Hom. 18. Theodoretus, Theophylact. Oecumenius.
Græcorum opinione locum de Barnaba intelligentium ...
Act. 13. 2. 3. & Galat. 2. 9. 10.

20. *Devitantes hoc ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ miniſtratur a nobis*. Viros tam integros ad hoc miniſterium miſimus, ſollicite caventes ne quis forte ſuſpicetur nos quicquam e pecuniis collectis in noſtros uſus corradere. Hæc enim plenitudo ſeu pecuniarum copia: quæ noſtro miniſterio colligitur, ſatis idonea eſt ut pravis ſuſpicionem præbeat, niſi ſecuritatem oſtenderimus, hanc Miniſterii partem viris, quorum nota ſanctitas eſt, committentes.

21. *Providemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Neque enim ſolum ſtudemus facere quæ recta & juſta ſunt Deo teſte & judice, ſed etiam quæ probentur hominibus; ne quis infirmus ex iis quæ agimus offendatur, ne ullus detur oblocutionibus locus, ne vituperetur miniſterium noſtrum. Confer cum *Proverb*. 3. 6. & *Rom*. 12. 17.

22. 23. *Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probavimus in multis ſæpe ſollicitum eſſe: nunc autem multo ſollicitiorem, confidentia multa in vos*. Quis ſit tertius ille frater ad Corinthios miſſus a Paulo cum Tito & Luca ſive Barnaba, incertum. Apollo fuiſſe conjicit S. Thomas. Hujus ſedulitatem ac diligentiam multis experimentis perſpectam & comprobatam habeo, quæ & nunc inſignior videtur. Eos autem miſimus, de vobis plurimum confidentes quod eos honeſte & amanter ut viros integerrimos, pro noſtra expectatione ſuſcipietis. Id vos præſtare par eſt & ita vos gerere ſive erga Titum qui ſocius meus eſt in laboribus Evangelicis, & adjutor in ſalute veſtra promovenda: ſive erga alios duos fratres Titi collegas & comites ad vos pro negotio collectarum. Hos enim ſuſcipere vos decet ut legatos Eccleſiarum Judææ, & promotores eximios gloriæ Chriſti. *Sive pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vobis adjutor, ſive fratres noſtri Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti*. Triplici titulo venerationem, fiduciamque veſtram merentur. 1. Quod fratres noſtri ſint in Chriſto Jeſu. 2. Quod Eccleſiarum Apoſtoli & Legati. 3. Quod gloria Chriſti Domini. Qui enim vident virtutis eorum ſplendorem, laudant Deum qui ab eis prædicatur.

24. *Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite, in faciem Eccleſiarum*. Charitatis ergo veſtræ documentum in conſpectu Eccleſiarum demonſtrate erga fratres quos miſimus. Simul etiam oſtendite quod mea de vobis gloriatio non ſit inanis, ſive quod vos fruſtra non laudaverim ob propenſam ad benefaciendum voluntatem.

Theodoretus.

Hh 2 C 1

CAPUT VIII.

Senſus Moralis.

1. N*Otam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ.* Caritas & pietas Chriſtianorum dona Dei ſunt. Ad Sanctorum Communionem, quam in Symbolo fidei nos credere profitemur, pertinet ut de bonis aliorum operibus exultemus, de illiſque Deo gratias agamus. Zeli Paſtoralis eſt his exemplis aliorum caritatem & pietatem excitare & inflammare: eos qui bona operantur laudare, ut alios ad ipſorum imitationem provocet: Laudes ea prudentia moderari, ne adulari videatur, neve illis vanæ gloriæ, iſtis invidiæ occaſionem præbeat. Id egregie præſtat S. Paulus ad Corinthios ſcribens: *Notam* (inquit) *facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ.* Gratiam id vocat, ne animis efferantur: ac res aliorum narrans id agit, ut dum alios laudat, diligentiores hos efficiat. Ac duas, imo tres Macedonibus laudes tribuit; primam quod tentationes ſtrenuo animo perferrent; alteram, quod egentibus opem ferre noſſent: poſtremam, quia quamvis ipſi inopia laborarent, munificentiam tamen in eleemoſynis exhiberent. Nam illis ſuæ quoque facultates ereptæ fuerant. Idque ſignificat in ea quam ad ipſos dedit Epiſtola dicens: *Vos enim imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa, quoniam eadem paſſi eſtis a contribulibus veſtris, quæ illi a Judæis.* Audi jam quibus verbis utatur, cum ad Hebræos ſcribit: *Nam & rapinam veſtrorum bonorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Gratiam porro hanc rem vocat, non ſolum ut eos in modeſtia contineat, ſed etiam ut animos eorum excitet, ac minus invidioſam orationem reddat. Quocirca fratrum quoque nomen adjunxit, ut livorem omnem ſuccidat. Nullum enim adverſus invidiam efficacius antidotum eſt fraterna charitate.

S. Chryſoſt. Hom. 16.

1. Theſſalon. 2. 14.

Hebr. 10.

2. 3. 4. *Quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipſorum fuit.* Nihil magis gratiæ Chriſti virtutem demonſtrat, quam exuberans ſanctorum gaudium in tribulationibus. Id parit conſcientiæ ſecuritas & puritas. 2. Conformitas cum Chriſto patiente, qui *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Unde Apoſtoli *ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*; & Martyres in graviſſimis cruciatibus gaudebant. 3. Unctio & conſolatio interior Spiritus ſancti. *In tribulatione dilataſti mihi.* „ Corde dilatari, „ quid eſt, niſi cordi habere infuſum Deum, cum „ quo interinſecus colloquaris? *Secundum multitudinem „ dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Unde Apoſtolus noſter conſtantiam & alacritatem Macedonum in tribulationibus prædicans. *In multo*, inquit, *experimento tribulationis, abundantia gaudii eorum fuit.* Non ſolum mœrorem nullum illis tribulatio pepererat, ſed lætitiæ quoque ipſis cauſam præbuerat: idque cum gravis ac multiplex eſſet. Ob id porro his verbis utebatur, ut Corinthios velut athletas quoſdam ad certamen ungeret, ut fortem ac conſtantem in tentationibus animum præſtarent.

Gaudium juſtorum in tribulationibus.

S. Auguſt. pſal. 4.

Pſal. 93. 19.

S. Chryſoſt. Homil. 16.

Et altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum. Quia ſecundum virtutem, teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt. Caritatis abundantia parit eleemoſynarum largitionem abundantem etiam in iis qui tenuis fortunæ ſunt Chriſtianis, qui ſe totos Domino conſecrarunt, qui occaſionem erogandæ eleemoſynæ velut gratiam a Deo donatam intuentur & amplectuntur: Qui bona temporalia arbitrantur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciant. Ita ſe geſſerunt Clerus & plebs Carthaginenſis S. Cypriano hortatore amplam eleemoſynam conferentes ad redemptionem Chriſtianorum Numidarum a barbaris in captivitatem abductorum, cujus monumentum eſt Epiſtola ejuſdem ſanctiſſimi Epiſcopi & Martyris ad Epiſcopos Numidas. *Maximas* inquit, *vobis gratias agimus, quod nos veſtræ ſollicitudinis, & tam bonæ ac neceſſariæ operationis participes eſſe voluiſtis: ut offerretis nobis agros uberes, in quibus ſpei noſtræ ſemina mitteremus, exſpectaturi meſſem de ampliſſimis fructibus, qui de hac cæleſti & ſalutari operatione proveniunt. Miſimus autem ſeſtertia centum millia nummum* *, *quæ iſthic in Eccleſia, cui De Domini indulgentia præſumus. Clero & plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt: quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis. Et optamus quidem nihil tale de cætero fieri, & fratres noſtros Domini Majeſtate protectos ab ejuſmodi periculis incolumes reſervari. Si tamen ad explorandam animi noſtri caritatem, & examinandam noſtri pectoris fidem, tale aliquid acciderit, nolite cunctari nuntiare hæc nobis litteris veſtris, pro certo habentes Eccleſiam noſtram & fraternitatem iſthic univerſam, ne hæc ultra fiant precibus orare; ſi facta fuerint, libenter & largiter ſubſidia præſtare.* Non ſolum autem imitandam S. Paulus proponit divitibus Corinthiis Macedonum pauperum liberalitatem & copioſam eleemoſynæ largitionem, ſed dantium affectum, ſinceritatem, cordis ſimplicitatem. *Et altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum.* Deo enim acceptæ eleemoſynæ eſſe non poſſunt, niſi ex corde ſimplici procedant, non aliud ſpectante niſi pauperis levamen & Dei honorem. Qui enim aliud opere oſtendit, aliud animo cogitat, cor duplicat, velut ſi quis ob inanem gloriam, vel ut pauperem ſibi devinciat, & ſuarum cupiditatum miniſtrum faciat, vel ex triſtitia, aut neceſſitate largiatur, extorquente magis pauperum importunitate, quam imperante charitate.

Eleemoſynæ abundantes a Clero & plebe Chriſtiana fiunt, ſi caritas in illis abundet.

S. Cyprian. Epiſt. 60.

* Summam viginti quinque millium libellarum monetæ noſtræ.

S. Auguſt.

Et ſupra virtutem voluntarii fuerunt. Deus cor interrogat, non manum. Acceptam habet bonam eorum voluntatem, quibus facultates deſunt ad eleemoſynarum largitionem. Verumtamen laudabilis exceſſus hac in re eſt, qui non ex defectu prudentiæ, ſed ex ſuperabundantia charitatis ortum ducit. Eleemoſyna ſacrificii meritum apud Deum amittit, ſi extorta ſit potius quam oblata. *Gratia* eſt a Deo accepta, *communicatio*, *miniſterium* Chriſti membris exhibitum. Quam prompti, quam alacres ad eam eſſe debent Chriſtiani, ſive honoris, ſive utilitatis ex hoc opere in illos derivandæ rationem habeant? Prævenire debent preces pauperum, illos rogare ut accipiant, non expectare ut ab ipſis importune rogentur. *Cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam & exhortationem miniſterii quod fit in Sanctos.*

Eleemoſyna voluntaria ſit non extorta.

5. Qui dediti ſunt mundo, qui pompis ejus, cupiditatibus, & moribus ſerviunt, qui rerum temporalium amore inescati ſunt & irretiti, nec Domino ſe conſecrant, nec Eccleſiæ Paſtoribus ad pias largitiones ſe devovent. Deo enim & mundo, Chriſto & Mammonæ ſervire impoſſibile eſt. Caritas vera hominis interioris mater cor totum jure ſuo poſtulat, nec dividi patitur cum meretricia cupiditate. *Sed ſemetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.* Non (inquit) partim Deo, partim mundo obedierunt: ſed omnia Deo, atque etiam ſeipſos totos ei dederunt. Neque enim ob piam largitionem faſtu atque arrogantia elati ſunt: verum cum ingentem prius humilitatem, magnam obedientiam, magnam in nos, aliosque Chriſti miniſtros reverentiam, magnum omnigenæ virtutis cultum & exercitationem exhibuiſſent, ita demum ad eleemoſynæ colendæ ſtudium incubuerunt. Paſtoribus & Miniſtris Dei auſcultandum eſt, non humano affectu, ſed ſecundum voluntatem Dei, cum ad divinæ legis obſervantiam, & ad bona opera nos hortantur. *Semetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.*

6. *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam.* „ Ingens plane bonum ac Dei donum hoc eſt, quod „ ſi præſtetur, Deo ipſi nos, quantum fieri poteſt, „ ſimiles efficiat. Major hæc gratia eſt, quam mortuos ad vitam revocare. Chriſtum enim fame laborantem alere, multo majus ac præſtantius eſt, „ quam in nomine Jeſu a morte ad vitam homines „ excitare. Illic enim Deo beneficium das: hic ille „ tibi. Porro non iis qui beneficium accipiunt, ſed „ qui dant, merces eſt conſtituta. Etenim in miraculorum editione debitorem te Deus habet: in „ eleemoſyna autem tu Deum tibi obſtrictum habes. „ Eleemoſyna vero tum demum eſt, cum eo prompto atque alacri animo, cum large & copioſe tribus; cum teipſum non dare, ſed accipere exiſtimas: cum perinde ac beneficium accipiens & quæſtum faciens, non tamquam perdens largiris. Nam „ hoc alioqui ne beneficium quidem cenſendum fuerit.

Eleemoſynarum largitio magnus Dei gratia eſt.

S. Chryſoſt. Hom. 16.

7. *Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, ut & in hac gratia abundetis.* Sine caritate in pauperes, cæteræ virtutes non proſunt divitibus; omnia dona ſpiritualia, quantumvis eminentia, prorſus inutilia ſunt ad ſalutem. Hinc S. Gregorius ad Secundinum ſcribens de Mariniano Epiſcopo, qui ſenſibus mendicantibus eleemoſynam negaverat. *Dic ei, inquit, ut cum loco mutet & mentem. Non ſibi credat ſolam lectionem & orationem ſufficere, ut remotus ſtudeat ſedere, & de manu minime fructificare; ſed largam manum habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam ſuam credat; quia ſi hæc non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet.*

Sine caritate in pauperes cæteræ virtutes non proſunt divitibus.

Lib. 5. Epiſt. 4.

9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* „ Paupertas Chriſti „ non

Digitized by Google

S. Aug. Serm. 36. al. de De ſumpore 212.

„ non nobis attulit pecuniam, ſed juſtitiam. Paupertas autem illius unde? Quia mortalis factus eſt. Ergo divitiæ veræ immortalitas: ibi enim vera copia, ubi nulla indigentia. Quia ergo nos immortales fieri non poſſemus, niſi pro nobis Chriſtus mortalis eſſet effectus, ideo pauper factus eſt cum dives eſſet: paupertatem aſſumpſit, & divitias non amiſit. Intus dives, foris pauper. Latens Deus in divitiis, apparens homo in paupertate. Vide divitias ejus: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt.* „ Quid ditius eo per quem facta ſunt omnia? Aurum habere dives poteſt, creare non poteſt. Cum itaque iſtæ ejus divitiæ commendatæ eſſent, vide paupertatem ejus: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Hac ejus ſumus paupertate ditati, quia ſanguine ejus, qui manavit de carne ejus, quod Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis, conſciſſus eſt ſaccus peccatorum noſtrorum. Per ſanguinem illum abjecimus pannos iniquitatis, ut indueremur ſtolis immortalitatis. Omnes ergo divites boni fideles. Nemo ſe contemnat, pauper in cella, dives in conſcientia. Dives quippe in conſcientia ſecurior dormit in terra, quam dives in purpura. Ibi non excitat ſollicitudo maligna, compunctio corde de ſcelere. Serva divitias in corde tuo, quas tibi contulit paupertas Domini Dei tui. Immo ipſum adhibe tibi cuſtodem: ne pereat de corde quod dedit, ſervet ipſe qui dedit. Omnes ergo divites boni fideles, ſed non divites hujus mundi. Denique divitias ſuas nec ipſi ſentiunt, ſentient poſtea. Vivit radix, ſed hyemis tempore etiam viridis arbor aridæ ſimilis eſt. Tempore quippe hyemis & arbor quæ aret, & arbor quæ viget, utraque nuda eſt honore foliorum, utraque vacua honore fructuum: veniet æſtas, & diſcernet arbores; viva radix folia producit, impletur fructibus; arida in illa æſtate, ſicut hyeme, remanebit. Itaque illi horreum præparatur, huic ſecuris adhibetur, ut amputata in ignem mittatur. Sic æſtas, noſtra, Chriſti eſt adventus: hyems noſtra, Chriſti occultatio: æſtas noſtra, Chriſti revelatio. Denique arboribus bonis hanc allocutionem præbet Apoſtolus, *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Certe mortui, ſed mortui ſpecie, vivi in radice. Attende autem venturum tempus æſtatis. *Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* „ Hi ſunt divites, ſed non hujus mundi. Nec tamen & divites mundi contempti ſunt. Et ipſos lucratus eſt ſua paupertate, qui propter nos egenus factus eſt, cum dives eſſet, ut illius inopia divites eſſemus. Chriſti exemplum imitentur, qui bona ſua cum in ſacrificium obtulerit ad gloriam Dei Patris, propter ſalutem noſtram egenus effectus, divites hujus mundi docuit & divitiarum contemptum, & rectum uſum. Pro cœleſtibus æterniſque divitiis temporales & terrenas; pro ſanguine, panem; pro indumento gloriæ, vile veſtimentum Chriſto in omnium pauperum univerſitate mendicanti, & in membris ſuis egenis rebus omnibus indigenti rependant.

Joan. 1. 1. & ſeq.

Chriſti paupertate divites facti ſumus.

Exemplum Chriſti divites urget ad largitionem eleemoſynarum.

10. 11. *Et conſilium in hoc do, hoc enim vobis utile eſt; qui non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore: nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis.* Bona deſideria, gratiæ initia ſunt, ſed nihil proderunt ad ſalutem, ſi ſterilia remanſerint. Fructus & opera quærit Dominus, non inania deſideria & otioſas voluntates. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari: tota die concupiſcit & deſiderat: qui autem juſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit.* His qui ſanctum propoſitum concipiunt, nec tamen opere perficiunt, convenit illud Iſaiæ: *Venerunt filii uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Prompta videtur ad bonum voluntas, ſed fructum boni operis non parit, ſua culpa ſterilis manet. Quot velle cœperunt ab anno priore, immo plurimis ab hinc annis, & nondum bonam voluntatem impleverunt? Ad mortem uſque differunt eleemoſynarum largitionem, & morte præoccupati, opere non perficiunt ex eo quod habent. Conditio forte teſtamento reſtitutiones rerum male partarum imperant heredibus, aut ipſi ſub piorum legatorum ſpecie colloquunt unde pro rapinis & fraudibus ſatisfiat: Neceſſaria vero caritatis officia nuſquam implent: præcepto de eleemoſynis erogandis ex ſuperfluo ſuo minime ſatisfaciunt, & ad inferos cum otioſis deſideriis detruduntur.

Bona deſideria nihil proſunt ad ſalutem, ſi otioſa & ſterilia remaneant.

Iſai. 37. 3.

12. 13. *Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundum id quod non habet.* Dat multum, qui dat ſecundum vires & facultates ſuas, licet modicum ſit quod donat, bona & prompta voluntate. Ex bona ſiquidem voluntate totum eleemoſynæ meritum eſt. Bona enim voluntas quid eſt aliud quam charitas? *Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate.* Prudentia dirigere debet opera charitatis. Vires quiſque ſuas ac facultates metiri debet, ſuis, familiæque ſuæ neceſſitatibus conſulere, ſuperflua ſive perſonis, ſive ſtatui, pauperibus erogare. Qua in re cupiditas minime audienda eſt, quæ ſuperflua numquam habet, ſed prudens charitas conſulenda, Evangelium audiendum, cujus præceptum eſt: *Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra. MULTA ſuperflua habemus, ſi nonniſi neceſſaria teneamus: nam ſi inania quæramus, nihil ſufficit. Fratres, quærite quod ſufficit operi Dei, non quod ſufficit cupiditati veſtræ. Cupiditas veſtra non eſt opus Dei. Forma veſtra, corpus veſtrum, anima veſtra, hoc totum opus Dei. Quære quæ ſufficiant, & videbis quam pauca ſint. Viduæ ſuffecerunt duo nummi ad faciendam miſericordiam, ad emendum regnum Dei. Videte quia non ſolum pauca ſunt quæ vobis ſufficiant, ſed nec ipſe Deus multa a vobis quærit. Quære quantum tibi dederit, & ex eo tolle quod ſufficit: cetera quæ ſuperflua jacent, aliorum ſunt neceſſaria. Superflua divitum, neceſſaria ſunt pauperum. Res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur.* „ Sed ego, inquis, pretioſas epulas accipio, pretioſis cibis veſcor. Pauper quid? Vilibus . . . . Utantur divites conſuetudine infirmitatis ſuæ, ſed doleant aliter ſe non poſſe. Melius enim poſſent, ſi aliter poſſent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare te extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, pretioſis, quia ſic conſueſti, quia non aliter potes; quia ſi conſuetudinem mutes, ægrotas. Conceditur tibi: utere ſuperfluis, da pauperibus neceſſaria: utere pretioſis, da pauperibus vilia. Exſpectat a te, exſpectas a Deo: exſpectat ille manum quæ facta eſt tecum, exſpectas tu manum quæ fecit te. Sed non ſolum te fecit, ſed & pauperem tecum. Dedit vobis unam viam iſtam vitam: invenistis vos comites, unam viam ambulatis: ille nihil portat, tu nimium oneratus es: Da illi de eo quod habes, & illum paſcis, & onus minuis.

Prudentia dirigit opera caritatis.

Matth. 6. 19. S. August. Enarrat. in Pſal. 147.

Res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua pauperibus non erogantur.

S. Auguſt. Serm. 61. alias 5. De Verbis Domini.

14. 15. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum inopia veſtræ abundantiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit.* Peccatum æqualitatem ſuſtulit & evertit, quam natura inter homines conſtituerat. Id permiſit Deus, ut gratia & charitas æqualitatem inſtaurarent, ſancto quodam commercio inter homines conſtituto: quibuſdam ſcilicet divitias temporales dedit, ut illorum abundantia aliorum ſuppleret inopiam: in manu vero pauperum ſpiritualem (ut ita loquar) divitum portionem poſuit, ut hi bona ſpiritualia in compenſationem eleemoſynarum ſuarum iis quaſi mediatoribus a Deo fidejuſſore ſimul & ſupremo bonorum utriuſque ordinis Domino reciperent. Pauperes & divites ejuſdem corporis membra, eodem Spiritu vegetata, mutuo inter ſe communicantis. Æqualitati igitur reſtituendæ ſecundum Dei mandatum ſtudeant, divites quidem ſuccurrendo pauperum inopiæ temporali, eleemoſynis ex ſuperfluo ſuo erogatis; pauperes vero ſubveniendo divitum inopiæ ſpirituali orationibus ſuis, *Ut fiat æqualitas.* Diſcant divites temporales divitias velut Manna eſſe, quod donum erat Dei, non opus hominum: datum ad faciendum ſatis neceſſitati, non ad ſatiandam cupiditatem, non ad indulgendum voluptati: datum viatoribus & peregrinis, non civibus. (Mundus enim iſte patria noſtra non eſt, ſed exilii & peregrinationis locus) Manna pro pauperibus non minus quam pro divitibus a Deo datum: quod avari collegerint & congregaverint ſuperfluum, non niſi peccati corruptionem & putredinem in eorum animabus generare. „ Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis; & neſcis miſer, quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipſa & ſalus deficit: & dum ne quid rebus tuis minuatur attendis, non reſpicis quod ipſe minuaris, amator magis mammonæ quam animæ tuæ: ut dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipſe pro patrimonio tuo pereas. Pecuniæ tuæ captivus & ſervus es: catenis cupiditatis & vinculis alligatus es; & quem jam ſolverat Chriſtus, denuo vinctus es: ſervas pecuniam, quæ te ſervata non ſervat, patrimonium cumulas, quod te pondere ſuo gravius onerat: nec meminiſti quid Deus reſponderit diviti exuberantium fructuum copiam ſtulta exultatione jactanti: Stulte, *inquit*, hac nocte repetent a te animam tuam; quæ autem congregaſti, cujus erunt?

Sanctum commercium divites inter & pauperes a Deo inſtitutum.

S. Cyprian. lib. De Opere & eleemoſynis.

„ Quia

„ Quid divitiis tuis ſolus incubas? Quid in pœnam „ tuam patrimonii tui pondus exaggeras; ut quo „ locupletior ſæculo fueris: pauperior Deo fias? „ Redditus tuos divide cum Domino Deo tuo: fru„ ctus tuos partire cum Chriſto: Fac tibi poſſeſſio„ num terreſtrium Chriſtum participem, ut & ille „ te ſibi faciat regnorum cœleſtium coheredem.

16. 17. *Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſollicitudinem pro vobis in corde Titi; Quoniam exhortationem quidem ſuſcepit, ſed cum ſollicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos.* Zelus ſalutis animarum, pia ſollicitudo ſubveniendi pauperibus, & divites ad ſanctum hoc opus exhortandi, dona Dei ſunt, pro quibus Deo ipſorum largitori gratiæ ſunt agendæ. Bonus Chriſti Jeſu Miniſter tantum abeſt ut aliorum zelo, fructuoſiſque laboribus & ſanctis operibus invideat: quin potius de illorum talentis non ſecus ac de propriis Deo gratias agit, de illorum ſucceſſu in opere Domini, lætatur, illos palam commendat & laudat, ut eis auctoritatem popolorumque amorem ac fiduciam concilit. Sic Apoſtolum imitatur, unam Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem quærens & procurans. Deum porro hanc ſollicitudinem in corde Titi poſuiſſe ſcribit S. Paulus, ut Corinthios ad largiores eleemoſynas erogandas excitet, quaſi
S. Chryſoſt. hom. 18. Deo per Titum petente & rogante. *Nam cum Deus illum excitarit & ad vos miſerit, ipſe procul dubio per illum petit* (inquit S. Chriſoſtomus) Studium autem, zelumque Titi gratiæ Dei cooperantis impenſe commendat, ut Corinthios ad eum magis colendum & amandum, & ejus adhortationibus obediendum excitet. *Dum enim ſollicitior eſſet; ſua voluntate profectus eſt ad vos*, hoc eſt, provinciam hanc præripuit, velut in theſaurum inſiliit, ſuiſmet commodis ſe conſulere judicavit, bonum veſtrum ſpirituale procurans, tantaque in eo vis amoris erga vos fuit, ut cohortatione noſtra non egeret.

Eleemoſynæ diſtributio. 18. 19. *Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias. Non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam, quæ miniſtratur a nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram. Devitantes ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ miniſtratur a nobis.* Tito Lucam, vel Barnabam Coapoſtolos ſuos adjunxit S. Paulus, ut ſacrarum collectarum ſeu eleemoſynarum colligendarum apud Corinthios, ac Hieroſolyma perferendarum ad ſublevandam pauperum fratrum inopiam, curam haberent. Multum quippe intererat viros Apoſtolici ordinis, ſanctitate inſignes, Evangelii prædicatione ſpectatiſſimos, ab Eccleſia probatos, ad collectam & diſpenſationem eleemoſynarum eligere. Quod Miniſterium Apoſtolis dignum: multo magis Paſtoribus animarum, & Eccleſiaſticis quibuſque viris non impar. Bona Eccleſiæ, quæ poſſident, ſunt *oblationes fidelium, pretium peccatorum, patrimonium pauperum*, ut Patres & Concilia loquuntur. Noverint igitur eorum abſolutum dominium ſibi datum non eſſe, ſed diſpenſationem dumtaxat concreditam, de qua Deo pauperum patri reddere debeant rationem. Noverint gloriam Dei, & piam donatorum intentionem regulas eſſe juſtæ diſpenſationis bonorum Eccleſiæ, ut cum neceſſaria ad victum & veſtitum, & ad ſacrarum Ædium reſtaurationem deduxerint, cetera pauperum
S. Bernardus Epiſtola ſeu Tractatu De Moribus Epiſcoporum, ad Henricum Epiſcopum Senonenſem. neceſſitatibus ſublevandis impendant. Noverint Beneficiarios & ab avaritia & a prodigalitate longe remotos eſſe debere, a ſtudio rerum temporalium, a vanitatibus ſæculi, a deliciis penitus alienos, ne adverſus ipſos coram Deo clament pauperes: „ Noſtrum „ eſt quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur, „ quod inaniter expenditur. Et nos enim Dei plaſ„ matio, & nos ſanguine Chriſti redempti ſumus. „ Nos ergo fratres veſtri. Videte quale ſit de fra„ terna portione paſcere oculos veſtros: vita noſtra „ vobis cedit in ſuperfluas copias. Noſtris neceſſi„ tatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus „ veſtris. Duo denique mala de una prodeunt radice „ cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos
Pſalm. 26. „ ſpoliando perimitis .... Huc accedit, quod hæc „ omnia nec negotiationis ſtudio, nec proprio ma„ nuum exercitio vobis elaboraſtis, ſed nec jure here„ ditario poſſidetis, niſi forte & vos in corde veſtro „ dixeritis: *Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei.* Et „ hæc quidem pauperes modo coram Deo tantum, „ cui corda loquuntur. Nec enim audent aperte „ cauſari adverſum vos, quibus interim neceſſe ha„ bent pro ſua vita potius ſupplicare. Ceterum „ in futuro ſtabunt in magna conſtantia adverſus „ eos qui ſe anguſtiaverunt, ſtante quippe pro eis „ Patre orphanorum & Judice viduarum. Ipſius „ enim tunc vox erit. QUAMDIU non feciſtis uni „ ex his minimis meis, nec mihi feciſtis.

21. *Providemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Cuique de vulgo fidelium ſufficit irreprehenſibilem eſſe coram Deo; ſed Miniſtro Jeſu Chriſti id minime ſufficit: irreprehenſibilem eſſe etiam coram hominibus neceſſe eſt; & ita ſe gerere, ut non ſolum accuſationibus, ſed nec pravis ſuſpicionibus det locum. Quamvis & Chriſtianus quiſque ſtudioſe cavere debeat ne infirmis præbeat offendiculum, aut improbis anſam calumniandi.

Cavendum ne pravis ſuſpicionibus occaſionem demus.

„ Propter nos, *inquit S. Auguſtinus*, conſcientia no„ ſtra ſufficit nobis: propter vos, fama noſtra non „ polluit, ſed pollere debet in nobis. Duæ res ſunt, „ conſcientia & fama. Conſcientia tibi, fama proxi„ mo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam „ ſuam, crudelis eſt: maxime in loco iſto poſitus, „ de quo dicit Apoſtolus, CIRCA omnes teipſum „ bonorum operum præbens exemplum.

S. Auguſt. Serm. 355. alias De Diverſis 49.

Tit. 2. 7.

22. 23. 24. *Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probavimus in multis ſæpe ſollicitum, nunc autem multo ſollicitiorem, confidentia multa in vos: ſive pro Tito qui eſt ſocius meus, & in vos adjutor, ſive fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti. Oſtenſionem ergo quæ eſt caritatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.* Prælatos Apoſtolum imitari decet, & Miniſtros inferiores ſub illorum moderamine in Eccleſia Dei laborantes habere ut fratres, ut cooperatores, ut collegas, iiſque nominibus illos honorare. Sic ſancti Epiſcopi primis Eccleſiæ ſæculis ſecundi Ordinis Sacerdotes Compresbyteros ſuos appellare non dedignabantur. Fidelis autem Miniſter maximo in pretio habendus eſt eo nomine quod ſit *gloria Chriſti*. Omnis enimvero ejus vita ſacrificium eſt ad ejus gloriam qui ſacrum miniſterium illi credidit, ſcilicet Chriſti Jeſu, qui & illum gratia ſua idoneum Novi Teſtamenti Miniſtrum fecit. Laici denique debent illis honorem & charitatem propter Chriſtum, cujus gloriam diligere; propter Eccleſiam, cujus utilitatem quærere tenentur. Cum igitur ſacri Miniſtri honorantur, Eccleſia & Chriſtus honorantur.

CAPUT IX.

Senſus Litteralis.

1. NAm *de Miniſterio quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis.* Superfluum eſt ut pluribus vos adhorter ad eleemoſynam ſubminiſtrandam Chriſti pauperibus, qui ſunt Hieroſolymis. Admirabilis eſt S. Pauli prudentia, & animos tractandi peritia. Cum enim multa dixerit de eleemoſyna eroganda, & ea de re hoc in capite adhuc ſit acturus, ſupervacaneum eſſe dicit ipſos adhortari ad eleemoſynæ collationem, ut eos magis excitet ad hoc ſanctum opus. Pudore enim ſuffundendi erant, ſi Apoſtolus talem de ipſis opinionem haberet, quod adhortatione ad eleemoſynæ collationem opus non haberent, ſi ea opinione eſſent inferiores. *Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit pluſimos.* Novi enim quam prompto affectu ad ſubveniendum neceſſitatibus pauperum fratrum, qui ſunt Hieroſolymis, propenſi ſitis: & hanc animi veſtri ad bonum opus præparationem magnifice prædico apud Macedones, notum illis faciens, Achaiam, cujus Metropolis eſt Corinthus, paratam eſſe ad piam contributionem ab anno ſuperiori. Et veſtrum exemplum pluſimos ſancta æmulatione incendit, ut idem faciendum ſibi proponerent.

3. 4. *Miſi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati ſitis.* Miſi autem Titum & alios duos e fratribus noſtris, ne mea de vobis gloriatio, ſeu magnifica commendatio charitatis veſtræ apud Macedones, falſa vanaque videatur, ſi vel parciores in largiendo ſitis, vel illis tardiores: ſed ut collectam faciatis, & eleemoſynas deponatis in manibus fratrum noſtrorum, qui Hieroſolyma ſunt illas perlaturi, & pauperibus Chriſtianis diſtributuri. *Ne cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (ut non dicamus vos) in hac ſubſtantia.* Ne cum venerint fratres ab Eccleſiis Macedoniæ delegati ad perferendas earum eleemoſynas, una mecum, & vos imparatos invenerint, nondumque confectum collectarum negotium, pudore ſuffundar, qui tantam de animi veſtri promptitudine ad charitatis opus fiduciam habuerim, eamque tam impenſe laudaverim, & ne vos ipſos pudeat tam ſegnes & tardos fuiſſe ad ſanctum opus. *In hac ſubſtantia.* Hoc loco metaphorica ſignificatio eſt nominis *ſubſtantia*, & pro fundamento uſurpatur. Senſus eſt, ne erubeſca-

brieremus de tam levi & inani fundamento fiduciæ & gloriationis.

5. *Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, & quaſi benedictionem, non tanquam avaritiam.* Quantobrem neceſſarium exiſtimavi rogare fratres ſupra memoratos ut meum & Macedonum adventum ad vos præveniant, & procurent ut eleemoſyna anno præterito a vobis promiſſa pro Hieroſolymitanis pauperibus parata ſit & collecta, cum ea largitate, & promptitudine quæ decet donum a charitate oblatum, non quaſi ab avaritia extortum, & a vobis pene invitis collatum.

6. *Hoc autem dico: Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hoc autem vobis denuncio: Qui minus liberaliter dat eleemoſynam, exiguum fructum a Deo referet. Qui vero uberes & largas eleemoſynas tribuerit, uberem fructum ac mercedem a Deo conſequetur.

7. *Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Unuſquiſque liberali & alacri animo largiatur quod dare conſtituit, non ex triſtitia quam concipiunt qui dant inviti, ideoque dant minus quam oportet: aut vi quadam compulſi, puta pudore, aut majorum auctoritate, quorum preces a ſubditis habentur pro imperio; ſed lubenti, liberali, lætoque animo. Eum enim qui lubenter & ex animo dat, Deus diligit, eique benefacit: triſtem vero invitumque largitorem non diligit, non approbat, non remunerat. Confer cum *Eccleſiaſtici* 35. 11.

Eleemoſynam erogans, non timeat egeſtatem.

8. 9. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Occurrit Apoſtolus tacitæ cogitationi metuentium ſibi inopiam, ſi copioſas eleemoſynas darent; docetque quicquid dederint, ipſa a Deo cum fœnore reddendum. Potens eſt Deus ut vos omni gratia cumulet, ea præſertim, quæ ad eleemoſynam prompto, liberali, & læto animo faciendam neceſſaria eſt: ut habentes quod ſatis ſit ad veſtram familiæque veſtræ ſuſtentationem, ac ſtatum tuendum, in pauperes benefici

Pſal. 112, 8.

ac liberales eſſe poſſitis. *Sicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* More ſeminantis ſparſit opes in manus pauperum. Juſtitia ejus, ſive eleemoſyna, manet in perpetuum quoad fructum, ſiquidem eam Deus æterna mercede remunerat.

Pſal. 53, 10.

10. 11. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ: Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem*

Eleemoſyna inſtar ſeminis eſt.

Deo. Semen appellat eleemoſynam. Qui dat vobis quod pauperibus erogetis, dabit vobis ad vitam neceſſaria, & bona veſtra temporalia multiplicabit, quæ in manibus pauperum ſeminatis, & augebit ſpiritales fructus eleemoſynæ veſtræ. Secundum Textum Græcum Optativo modo hæc enuntiantur: *Et panem ad manducandum præſtet, & multiplicet ſemen veſtrum, & creſcere faciat germina juſtitiæ veſtræ*: ut in omnibus divites facti, excitemini ad largas eleemoſynas ſincero & liberali animo in poſterum erogandas. Quæ munificentia veſtra in pauperes materiam nobis præbet agendi gratias Deo tanti boni auctori. *Simplicitatem munificentiam vocat. Qui enim ſuperfluis cogitationibus utitur, in parcitatis vitium facile incurrit* (inquit Theodoretus.)

Fructus eleemoſynarum.

12. *Quoniam miniſterium hujus officii, non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino.* Quoniam functio ſacri hujus miniſterii, ſive, hæc oblatio cujus miniſtri ſumus, non ſolum ſubvenit neceſſitatibus pauperum Chriſtianorum, qui ſunt Hieroſolymis: ſed etiam alium fructum Deo fert, eo quod ipſi gratias agunt qui ea liberalitate ſublevantur.

13. 14. *Per probationem miniſterii hujus glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Evangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes; & in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.* Veſtram enim liberalitatem per miniſterium noſtrum experti, excitantur ad Deum laudandum de conſenſu & obedientia quam Evangelio præbuiſtis, Chriſtum confeſſi, & de ſincera liberalitate, qua bona veſtra temporalia cum ipſis communicatis, & effunditis in omnes alios pauperes Chriſtum colentes; per hoc etiam excitantur ad preces Deo fundendas pro vobis; magno etiam deſiderio vos videndi tenentur, & amorem in vos ſuum vobis ſignificandi, propter eminentem gratiam tam fidei quam caritatis & beneficentiæ, quam vobis contulit Deus.

15. *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus.* Gratias Deo agamus, cujus hoc donum eſt tam excellens, ut pro dignitate verbis explicari non poſſit.

C A P U T IX.

Senſus Moralis.

Aliorum exemplo alii ad bona opera a Paſtoribus excitandi.

1. 2. N*Am de Miniſterio quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis. Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.* Non modo divinas & ſupernaturales, ſed & humanas rationes adhibere debent Paſtores & Concionatores, ut populum Chriſtianum ad bona opera adhortentur & accendant. Sunt enim inter fideles perfecti & imperfecti. Illi divinis & ſupernaturalibus rationibus, iſti humanis plerumque ducuntur. Porro utriuſque debitores ſumus; *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum*, ait alibi Apoſtolus noſter. Aliorum porro exempla maximam ad movendum animos vim habent: quia hominum genus ad æmulationem pronum eſt. Ideo Apoſtolus Corinthiorum exemplo Macedonas, Macedonum exemplo Corinthios ad largas eleemoſynas Hieroſolymitanis pauperibus erogandas hortabatur; ne ſe ab aliis in bono opere prævenire aut vinci paterentur. „ Perpendite, in-

S. Chryſoſt. Hom. [illegible]

„ quit, quam turpe ſit, eos ipſos qui piæ liberalita-
„ tis auctores aliis extiterunt, in hoc largitionis ge-
„ nere poſteriores partes ferre. Ob eam cauſam non
„ dixit, illos imitemini: neque enim hoc tantam ad
„ eorum animos zelo inflammandos vim habebat.
„ Quonam autem modo? Veſtrum illi exemplum
„ ſecuti ſunt: ne committite, magiſtri, ut diſcipulis
„ inferiores ſitis. Atque ut eos vehementius excitet
„ ac incendat ab eorum partibus ſe ſtare ſimulat,
„ quamvis æque conſulat omnibus: non ſecus ac in
„ certamine quodam & contentione in quorumdam
„ partes propendere videntur ſpectatores, illiſque vi-
„ ctoriam optare.

5. *Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi benedictionem, non tanquam avaritiam.* Eleemoſyna debet eſſe voluntaria, prompta, larga. Deus qui nobis non indiget ad alendos pauperes, ſolam caritatem providentiæ ſuæ & caritatis cooperatricem eſſe vult. Eleemoſynam, quæ ab avaritia extorquetur, non remunerat. Eleemoſyna ſacrificium eſt voluntarium animi Chriſtiani, liberalis, & caritate ferventis, non parci & avari. Voluntario, prompto, hilari animo dantes eleemoſynam benedictionibus ſuis & gratiis Deus cumulat. His æternam benedictionem in ultimo judicio repromittit. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare.... Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Eleemoſyna voluntaria prompta, & larga ſit.

Voluntarie ſacrificabo tibi. Pſal. 53. Matth. 25.

6. *Hoc autem dico: Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Eleemoſyna temporale ſemen eſt fructus æterni. Seminemus in manibus pauperum, ut metamus & colligamus in ſinu Dei. „ Meſſis erit uberri-

Eleemoſyna temporale ſemen eſt fructus æterni. *S. August. Enarrat. in Pſal.* 125. n. 11.

„ ma, ſi velimus. *Qui parce ſeminat, parce & metet*;
„ ergo qui multum ſeminat, multum metet: & qui
„ nihil ſeminat, nihil metet. Quare deſideratis latos
„ fundos, ubi multa ſemina ſeminetis? Latior vobis
„ non eſt ubi ſeminetis, quam Chriſtus qui in ſe
„ voluit ſeminari. Terra veſtra Eccleſia eſt: ſemi-
„ nate quantum poteſtis.... Sed parum habes, un-
„ de facias. Habes voluntatem? Quomodo nihil eſ-
„ ſet quod habes, niſi adeſſet bona voluntas, ſic &
„ quia non habes, noli eſſe triſtis, ſi eſt tibi bona
„ voluntas. Quid enim ſeminas? Miſericordiam. Et
„ quid metes? Pacem. Nunquid autem dixerunt An-
„ geli, Pax in terra divitibus hominibus? Sed *Pax*
„ *in terra hominibus bonæ voluntatis*. In Zacchæo ma-

Luc. 2.

„ gna voluntas, in Zacchæo charitas magna. Su-
„ ſcepit Dominum hoſpitio, gaudens ſuſcepit, &
„ dimidium patrimonii ſui pauperibus promiſit ſe
„ daturum, & ſi cui aliquid abſtulerat, quadru-
„ plum redditurum. Ut intelligas propterea eum ſibi

Luc. 21. 2.

„ tenuiſſe dimidium, non ut haberet quod poſſideret,
„ ſed ut non haberet unde debita redderet. Magna
„ voluntas, multum dedit, multum ſeminavit. Er-
„ go vidua illa quæ duo minuta dedit, parum ſemi-
„ navit? Immo tantum quantum Zacchæus. Minora
„ enim facultates ferebat, ſed parem voluntatem ha-
„ bebat.

Eleemoſyna hilari animo danda.

7. *Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Hypocritarum & avarorum, qui pauperi-

bus

bus eleemoſynam quaſi inviti largiuntur, eleemoſynæ gratæ Deo non ſunt. Hilari & læto animo dona Deo debita pauperibus largienda ſunt. Quota lætitiæ ratio eſt, quod Deus nobis uti dignetur ad ſublevandas filiorum ſuorum neceſſitates, ad ſuccurrendum membris Unigeniti Filii ſui, ad cooperandum conſiliis providentiæ ſuæ? Quod bona, quorum Dominus eſt, ad ſolutionem debitorum, quibus ipſi obſtricti ſumus, accipere non recuſet. Sed ad hoc non attendunt imperfecti Chriſtiani, quorum major in Eccleſia numerus eſt. *Eleemoſyna plerumque fit a triſtibus & murmurantibus, ne careant tædio interpellantis, non ut reficiant viſcera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus. Si panem dederis triſtis, & panem, & meritum perdidiſti.*

S. Auguſt. Enarrat. in Pſ. 42. n. 8.

8. 9. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum: ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Complures eleemoſynam dare recuſant, dicentes: Ne forte in paupertatem incidam, ne aliorum ope atque auxilio opus habeam. Ut hunc metum propellat Apoſtolus noſter, ſubdit: *Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* „Non ſimpliciter dixit, *implere*, ſed *abundare facere*. Hoc eſt, tot tantiſque opibus vos cumulare, ut copioſas eleemoſynas largiri poſſitis. *Ut in omnibus omnes ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Non opes ac redundantes facultates fidelibus Corinthiis optat Apoſtolus, ſed *omnem ſufficientiam*: ſimulque oſtendit, beneficiis divinitus acceptis minime abutendum eſſe. Bona temporalia tibi tribuit Deus ea conditione ut ſuperflua pauperibus eroges. Id niſi facias, injuſte poſſides, & divino beneficio abuteris. *Ut abundetis in omne opus bonum.* Nam in temporalibus quidem quantum ſatis ſit Chriſtianis optat Apoſtolus: at in ſpiritualibus ut etiam abundent poſtulat, non in eleemoſynis tantum, ſed etiam in omni bonorum operum genere, *In omne opus bonum*.... Sicut ſcriptum eſt: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Merito quiſpiam miretur, quod quæ aſſervata pereunt, eadem cum diſperguntur manent, & quidem in perpetuum. Fidelis bona temporalia arbitratur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat. Stercora cum accumulantur, fœtent; cum diſperguntur, fructum pariunt. Ita divitiæ congregatæ corrumpunt animam; diſperſæ, & in pauperum manus effuſæ, juſtitiam & gloriam immortalem, ac vitam æternam pariunt. Juſtos quippe homines efficit eleemoſyna, peccata in modum ignis abſumens, cum largiſſime profunditur.

Qui metu inopiæ eleemoſynam non tribuunt, Dei promiſſis diffidunt.

S. Chryſoſt. Hom. 19.

10. *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ: ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.* Quadruplicem eleemoſynam a Deo accipimus: 1. Victum quotidianum, *Panem ad manducandum præſtabit.* 2. Diverſis tempeſtatibus varia novarum frugum & fructuum ſemina: *Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti.* 3. Quotannis meſſem uberem: *Multiplicabit ſemen veſtrum.* 4. Omni tempore & hora juſtitiæ fructus copioſiſſimos: *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Quid igitur cunctamur Deo de ſuis donis ac datis in pauperibus rependere? *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Centuplum bonorum temporalium ut eleemoſynarum fœnus accipere, magnum eſt. Centuplum gratiarum & virtutum accipere, longe majus: æternum vero gloriæ pondus his qui eleemoſynas ex caritate erogant repromiſſum, quis comprehendet? Eleemoſyna gratiam impetrat alias & uberiores & ſanctiores largiendi: fructus eſt fiduciæ in Deo; ſemen actionis gratiarum multiplicis, a Paſtoribus ſcilicet, ab ipſis pauperibus & a bonis omnibus Chriſtianis illi agendarum. Ne ergo inanes excuſationes afferant divites, nec ſe metu egeſtatis ab eleemoſynæ largitione diſpenſatos exiſtiment. *Si vereris & metuis, ne ſi operari plurimum cœperis, patrimonio tuo largâ operatione finito ad penuriam forte redigaris: eſto in hac parte intrepidus, eſto ſecurus: finiri non poteſt, unde in uſus Chriſti impenditur, unde opus cæleſte celebratur. Nec hoc tibi de meo ſpondeo, ſed de ſanctarum Scripturarum fide, & divinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus ſanctus & dicit:* „Qui dat pauperi, non indigebit. Qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam: *oſtendens miſericordes atque operantes egere non poſſe, magis parcos & ſteriles ad inopiam poſtmodum devenire. Item beatus Apoſtolus Paulus:* „Quoniam miniſterium hujus officii, non ſolum ſupplet „ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per „multas gratiarum actiones in Domino. *Quoniam*

Eleemoſynæ in quadruplicem a Deo accipimus.

S. Cyprian. lib. De Opere & Eleemoſyna.

Proverb. 28. 27

dum gratiarum actio ad Deum pro eleemoſynis atque operationibus noſtris pauperum oratione dirigitur, cenſus operantis Dei retributione cumulatur.

Præclare S. Auguſtinus idem tractans argumentum: *Operarius Dei es*, inquit, *quando das egenti & ſeminas hyeme, quod metas æſtate. Quid ergo metuis infidelis, ne in hac magna domo tantus Pater-familias non paſcat operarium ſuum? Eſt & ibi, ſed quod ſufficit tibi. Dabit Deus neceſſitati totum, non cupiditati.*

S. Auguſt. Serm. 352. al. 227. ex Homiliis 50.

12. *Quoniam miniſterium hujus officii non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino.* Miniſterii Apoſtolici & Paſtoralis pars eſt pauperum cura. Eleemoſynarum procuratio & largitio ſacrificium eſt Deo gratiſſimum, quem plurimis gratiarum actionibus honorari procurat. Gratias ſiquidem agunt Deo boni pauperes, qui divitibus & bonam voluntatem, & facultatem dedit illis ſubveniendi. Gratias agunt quod non illis ſolum, ſed aliis pauperibus fratribus ſuis ſuccurrant: non enim ſuum dumtaxat commodum quærunt, ſed omnium membrorum Chriſti, quibuſcum per caritatem unum ſunt. Deum ferventer orant pro ſuis & aliorum pauperum benefactoribus. Gaudent magis de illorum fide & caritate, quam de ſolatio & levamine ab illis impenſo. *Glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ in Evangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes, & in ipſorum obſecratione pro vobis.* Divites tot apud Deum advocatos & interceſſores habent, quot pauperes eleemoſynis ſuis ſublevant. *Gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus.* Caritas & beneficentia, inenarrabile Dei donum, dos Sponſæ Chriſti, alterum (ut ita loquar) baptiſma: *Quia ſicut lavacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis atque operibus juſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua & jugis operatio, baptiſmi inſtar imitata, Dei rurſus indulgentiam largitur .... Præclara & divina res, fratres Chariſſimi, ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati: res poſita in poteſtate facientis, res grandis & facilis; ſine periculo perſecutionis, corona pacis; verum Dei munus & maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adjutus perfert gratiam ſpiritualem, promeretur Chriſtum judicem, Deum computat debitorem.*

Eleemoſyna quaſi alterum baptiſma.

S. Cyprian. De Opere & Eleemoſ. pag. ...

CAPUT X.

Senſus Litteralis.

1. *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis.* Quia erant Corinthi Pſeudo-Apoſtoli quidam ex Judæis, qui legem Moſis cum doctrina Chriſtiana & Evangelio obſervandam eſſe contendebant, & Paulum Doctorem gentium maledictis impetebant vilem & idiotam appellantes, dicenteſque ipſum clam legem ſervare, palam autem id non facere propter eorum imbecillitatem qui ex Gentibus crediderant; adverſus eos Apoſtolici muneris ſui dignitatem tuetur. *Ipſe autem ego Paulus.* Hæc verba magnam emphaſim habent auctoritatis Apoſtolicæ. Renovant enim illis memoriam miraculorum quæ apud eos facta ſunt, & donorum quæ eis collata ſunt a Deo per ejus prædicationem & miniſterium. *Obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam* ſive benignitatem *Chriſti*, quam imitari ſtudeo, Apoſtolicam non oſtendens poteſtatem in exteriori apud vos converſatione. Qui vilis quidem & abjectus vobis videor, cum præſens ſum apud vos, abſens autem audacter & imperioſe erga vos ago, (ut dicitis) graves & acres Epiſtolas ſcribens.

Theodoret.

2. *Rogo autem vos ne præſens audeam, per eam confidentiam qua exiſtimor audere, in quoſdam, qui arbitrantur nos tanquam ſecundum carnem ambulare.* Rogo, ita vos geratis, cum apud vos præſens fuero ne cogar auctoritate mihi a Chriſto data confidenter uti, & ſevere corripere quoſdam ex vobis, qui exiſtimant & calumniantur me in Evangelii miniſterio humanis affectibus indulgere, politica prudentia uti, gratiam captare, aut offenſas improborum metuere; & ideo clam ſervare legem Moſaicam, palam non ſervare, & abſentem audere, quod non audeo præſens.

3. 4. 5. *In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus.* Certe falſum eſt quod effutiunt. Carne enim circumdati, carnis affectus non ſequimur. *Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum.* Nam arma

teu

Digitized by Google

ſed media, quibus in Apoſtolico miniſterio utimur, Chriſto ad ejus Evangelium propagandum ſervientes, ſcilicet verbum Dei, preces, cenſuræ, carnalia non ſunt, uti nec carnalis militia eſt: vel, carnalia non ſunt, id eſt, accommodata vitæ carnali, quales ſunt opes, potentia ſæculi, artes & ſcientiæ humanæ: ſed in Deo, ſeu per Deum potentia ſunt & valida ad deſtruendum quicquid Chriſto & Evangelio ejus ſe opponit. *Conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.* His armis ratiocinationes humanas evertimus, & omne præſidium quod ex eloquentia vel ſcientia ſæculari petitur, & opponitur fidei unius veri Dei, & Evangelio Chriſti. *Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Et omne ingenium quantumvis excellens & humanis ſcientiis excultum, eorum quæ prædicamus veritate convictum, velut captivum fidei ſubjicimus, & ad Chriſtum adducentes, ut illius Evangelio obediat, efficimus.

6. *Et in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit obedientia veſtra.* Et ad manum habemus poteſtatem puniendi omnes, qui divinis, noſtriſque, præceptis obedire contumaciter renuunt, cum vos plene emendaveritis, & perfuncti fueritis obedientiæ officio. Quandiu enim vos contumaciter hærentibus in peccato mixti eſtis, & favetis, prohibemur adhuc diſciplinæ ſeveritatem exercere, & cenſuræ divinæ ſpiritalem gladium diſtringere: ſed cum monitis noſtris parueritis, & illos tueri deſieritis, tunc demum illorum contumaciam plectemus. Per hoc autem quod ait, *Cum completa fuerit veſtra obedientia*, tacite indicat eos quidem obedire, ſed imperfecte. Hæc autem comminatur, ut omnes ad meliorem frugem redeant, & ut neminem feriat.

S. Chryſoſt. Hom. 21. Theodoret. Theophylact.

7. *Quæ ſecundum faciem ſunt videte.* Res ex ſe manifeſtas conſiderate. Converſationem inter vos meam, prædicationem, dona mihi a Deo collata, labores, tribulationes Evangelii cauſa, cum Pſeudo-apoſtolorum converſatione, verbis, factiſque comparate. Græcos Commentatores ſi audiamus, interrogationis in modum legendum erit: *Quæ ſecundum faciem ſunt, videtis?* „ Ita ne vero in æſtimandis ho- „ minibus externam ſolum ſpeciem judicatis, cum „ Dominus dixerit, Nolite ſecundum faciem judi- „ care. *Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos.* Si quis confidit ſe Chriſti miniſtrum eſſe, apud ſe perpendat, quod & nos Chriſti Miniſtri ſumus, immo potiori forte jure, ſi vocationem noſtram, ſi dona, converſationem, labores Evangelii propagandi cauſa ſuſceptos, miraculaque conſiderent.

Joan. 7.

8. *Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: non erubeſcam.* Nam etſi præ illis, qui Chriſtum quomodocumque annuntiantes, ſe Chriſti Miniſtros eſſe jactant, mihique detrahunt, gloriatus fuero de poteſtate quam Dominus Jeſus Chriſtus mihi dedit ut Gentium Doctori & Apoſtolo veſtro, ad veſtram aliorumque populorum ſalutem promovendam, non ad impediendam ſalutem, vel ad avertendos homines a melioribus bonis, pudore non afficiar tanquam mendax aut arrogans, cum id jure facere poſſim ad neceſſariam defenſionem veritatis, ſalva humilitate Chriſtiana, quæ omnia hominis bona Deo accepta refert.

9. 10. 11. *Ut autem non exiſtimer tanquam terrere vos per Epiſtolas:* Ne autem videar terrere vos velle per Epiſtolas, quaſi præſens non auderem improbos & contumaces corripere & punire: (*Quoniam quidem Epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis:*) Nam (inquiunt æmuli mei) litteræ Pauli ſeveræ ſunt & minaces, magnamque poteſtatem & auctoritatem præferunt: præſentia autem corporis illis eſt, infirma, contemptibilis, & ſermo rudis, inelegans, nec eam referens auctoritatem, quæ in Epiſtolis ejus fulminat. *Hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per Epiſtolas, tales & præſentes facto.* Quiſquis eſt qui ita loquitur, intelligat nos præſentes opere implere, ſi neceſſe fuerit, quod abſentes ſermone comminamur, & auctoritatem ac ſeveritatem noſtram in criminoſos exercere, cum id poſtulant eorum ſalus, & Eccleſiæ ædificatio. Vel, Tales ſumus abſentes, quales præſentes; id eſt, humiles, modeſti, nunquam nos ipſos jactantes.

12. *Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſe ipſos commendant.* Neque vero in animum inducimus connumerare aut comparare nos quibuſdam, ſcilicet Pſeudo-apoſtolis, qui ſe ipſos magnifaciunt, ſeque apud omnes ambitioſe commendant: *ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes nosmetipſos nobis.* Sed metimur nos ea menſura quæ nobis convenit, ſecundum dotes ac gratias a Deo acceptas: ea tantum dicimus de nobis, quæ ſunt proportionata nobis, quæ reſpondeant factis noſtris, & veritati. Gloria enim noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Secundum textum Græcum ſic vertendum eſſet: *Sed ipſi in ſeipſis ſemetipſos metientes, & conferentes ſeipſos ſibimetipſis, non intelligunt.* Conſona eſt Græcæ lectioni Verſio Syriaca. Id eſt, illi cum quopiam aliorum conferri non dignantur, ſed proprio ſuo judicio ſe æſtimantes, aut certe commendantes ſeſe mutuo, & gloriam invicem captantes, non intelligunt quam ſe ridiculos exhibeant. S. Auguſtinus Græcorum lectionem ſequitur Enarratione in Pſalmum 34. in Pſalm. cxviii. Sermone 12. & libro xii. *De Civitate Dei* cap. 17.

S. Thomas, Lect. 2.

S. Chryſoſt. Hom. 22. Theophylact.

13. *Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi uſque ad vos.* Nos ultra modum, ſive ultra metas laboris noſtri in Evangelio non gloriabimur: ſed continentes nos intra fines quos deſignavit nobis Deus, in quibus prædicaremus Evangelium & fundaremus Eccleſias, gloriabimur nos perveniſſe uſque ad vos. Deus enim velut ſummus artifex regula ſua, quæ eſt ipſius voluntas, ita labores noſtros direxit ac menſuravit, ut Eccleſiam apud vos fundaverimus & inſtituerimus. Hæc noſtra in Chriſto gloria.

14. *Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos: uſque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti.* Non enim objici nobis poteſt quod inaniter gloriemur, & extendamus nos ultra menſuram, cum dicimus nos ad vos uſque perveniſſe in Evangelio Chriſti propagando, cum res ſit omnibus comperta ac manifeſta. Jure igitur de vobis glorior ut de filiis, quos *in Chriſto Jeſu per Evangelium genui.* Jure vos vendico ut *opus meum in Domino.*

1. Cor. 4. 15. & 9. 1.

15. *Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ in vobis, magnificari ſecundum regulam noſtram in abundantiam.* Non ultra modum gloriamur alienos labores nobis tribuentes, ut Pſeudo-apoſtoli obtrectatores noſtri, qui provincias plurimas evangelizando ſe obiviſſe jactant, in quas pedem non intulerunt: ſed ſperamus fore ut creſcente fide veſtra per miniſterium noſtrum, amplificetur ſors noſtra, ſeu menſura regionum quas nobis Deus admenſus eſt ad propagationem Evangelii. Ad alias enim provincias progrediemur, cum opera noſtra non amplius egebitis: & Eccleſiæ Chriſti terminos prædicatione laboribuſque noſtris proferentes, ampliorem Apoſtolatui noſtro gloriam acquiremus. „ Regulæ ac menſuræ vocabulo commode uti- „ tur Apoſtolus, velut ad orbis terrarum poſſeſſio- „ nem, præſtantiſſimamque hæreditatem profectus, „ & ut oſtendat totius hujus negotii ſummam divi- „ ni beneficii eſſe. Ergo hujuſmodi res habentes, „ inquit, ac majores exſpectantes, non perinde glo- „ riamur ut illi qui nihil habent, nec nobis ipſis „ quidquam adſcribimus, verum omnia Deo.

S. Chryſoſt. Hom. 22.

16. *Etiam in illa, quæ ultra vos ſunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata ſunt gloriari.* Aucta, inquam, & confirmata fide veſtra, mihi conſtitutum eſt in illis etiam regionibus, quæ ultra vos ſunt, Evangelium prædicare, non alienam ſortem invadere, ſive prædicare in locis quæ jam ab aliis Apoſtolis occupata ſunt: & gloriari quaſi ſpiritale ædificium extruxerim ſuper iis quæ jam ab aliis ſunt præparata.

17. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.* Quicumque gloriatur, non de falſis, alienive bonis, ut Pſeudo-apoſtoli, neque de malis glorietur, ſed de bonis quæ a Deo per Chriſtum accepit, atque ab eo ſe accepiſſe agnoſcat, ad ipſumque referat & dona & fructus donorum.

18. *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.* Non enim propterea aliquis probatus eſt & laude dignus, quia ſeipſum magnifacit & laudat; ſed ille vere probatus eſt; quem Deus laude dignum oſtendit ex bonis quæ per ipſum operatur. „ Non dixit Apoſtolus; Nos ſumus pro- „ bati, ſed, *quem Deus commendat*, hoc eſt, quem veritas laboris & operis cum Dei gratia probatum oſtendit.

Theophylact.

CAPUT X.

Senſus Moralis.

1. 2. *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præſens audeam, per eam confidentiam qua exiſtimor audere, in quoſdam, qui arbitrantur nos tanquam ſecundum carnem ambulemus.*

Digitized by Google

Paſtores animarum Chriſti manſuetudinem & juſtitiam imitentur.

lemus. Bonorum Paſtorum ſors eſt a mundo contemni & calumniis appeti. Carnales homines eorum manſuetudinem puſillanimitatem appellant: eorum fiduciam, gravitatem, magnanimitatem, ſuperbiæ & præſumptionis nomine inhonorant. Verum exemplum Chriſti ſolatium illorum eſt. Ejus manſuetudinem & modeſtiam imitari frequentius geſtiunt; ita tamen ut ejus virtutem æmuleotur cum improbitas coercenda eſt. Summi Paſtoris manſuetudinem & juſtitiam oſtendunt, qui has dotes, animarum regimini neceſſarias, in ejus Miniſtris & imitatoribus contemnunt. Carnalium hominum judicia & calumnias interdum ſpernere, interdum refellere debent Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ, & officiis interim ſuis ob Dei gloriam, ob Eccleſiæ utilitatem, ob animarum ſalutem fungi: manſuetudinem, & ſeveritatem Apoſtolicam imitari, obſecrare, minari, prout poſtulat animarum ſalus; humilitatem & modeſtiam erga bonos, auctoritatem & ſeveritatem erga malos & contumaces in peccatis exercere. „ Sit Rector bene

S. Gregor. M. Paſtoral. p. 2. cap. 6.

„ agentibus per humilitatem ſocius, contra delin„ quentium vitia per zelum juſtitiæ erectus; ut & „ bonis in nullo ſe præferat, & dum pravorum cul„ pa exigit, poteſtatem protinus ſui prioratus agno„ ſcat: quatenus & honore ſuppreſſo æqualem ſe ſub„ ditis bene viventibus deputet, & erga perverſos „ jura rectitudinis exercere non formidet .... *Con„ ſiderent Eccleſiæ Rectores, quod* Omnes homines

Eccleſiæ Rectores in corde ſervent humilitatem, in opere diſciplinam.

„ æquales natura genuit, ſed variante meritorum ordi„ ne alios aliis culpa poſtponit. Ipſa autem diver„ ſitas quæ acceſſit ex vitio, divino judicio diſpen„ ſatur; ut quia omnis homo æque ſtare non valet, „ alter regatur ab altero. Unde cuncti qui præſunt, „ non in ſe poteſtatem debent ordinis, ſed æqualita„ tem penſare conditionis; nec præeſſe ſe hominibus „ gaudeant, ſed prodeſſe .... Sed plerumque Re„ ctor eo ipſo quo ceteris præeminet, elatione co„ gitationis intumeſcit; & dum ad uſum cuncta ſub„ jacent, dum ad votum velociter juſſa complentur, „ dum omnes ſubditi, ſi quæ bene geſta ſunt, lau„ dibus efferunt, male geſtis autem nulla auctorita„ te contradicunt, dum plerumque laudant etiam „ quod reprobare debuerant; ſeductus ab his quæ „ infra ſuppetunt, ſuper ſe animus extollitur; & „ dum foris immenſo favore circumdatur, intus ve„ ritate vacuatur, atque oblitus ſui in voces ſe „ ſpargit alienas, talemque ſe credit, qualem ſe fo„ ris audit, non qualem intus diſcernere debuit. „ Subjectos deſpicit, & quos forte poteſtatis exceſ„ ſerit, tranſcendiſſe etiam ſe vitæ meritis credit. „ Cunctis ſe æſtimat amplius ſapere, quibus videt „ ſe amplius poſſe .... Summus itaque locus bene „ regitur, cum is qui præeſt, vitiis potius quam „ fratribus dominatur, ſed cum delinquentes ſubdi„ tos Præpoſiti corrigunt, neceſſe eſt ut ſolicite at„ tendant, quatenus per diſciplinæ debitum culpas „ quidem poteſtatis jure feriant, ſed per humilita„ tis cuſtodiam æquales ſe ipſis fratribus, qui cor„ riguntur, agnoſcant: quamvis plerumque etiam „ dignum eſt, ut eoſdem quos corrigimus, tacita „ nobis cogitatione præferamus. Servanda itaque eſt „ & in corde humilitas, & in opere diſciplina.

Contra carnem, non ſecundum carnem militandum eſt.

3. *In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus*. Chriſtiani hominis vita militia continua eſt contra carnem, contra mundum, & contra diabolum. Qui ſecundum Evangelium vivit, carni, mundo, dæmoni fortis in fide & caritate Dei reſiſtit. Qui mundo, id eſt hominibus mente & corde corruptis diſplicere timet, qui eorum gratiam aucupatur, officiumque ſuum propterea deſerit, veritatem aut juſtitiam prodens, ille ſecundum carnem militat. Utinam omnes Chriſti Miniſtri tam ſincere Deo ſerviant, ita ſint a mundi motibus & ſtudiis, ita ab humanis affectibus & reſpectibus alieni, ut vere dicere poſſint cum Apoſtolo noſtro: *In carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus*.

Arma carnalia quæ ſint? Chriſti Miniſtris non conveniunt. S. Chryſoſt. Hom. 21.

4. 5. 6. *Nam arma Militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes: & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti: & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam*. Quænam arma carnalia ſunt? Opes, gloria, principatus, facundia, ſcientia ſæcularis, artes politicæ, gratia Principum & Magnatum, aſſentationes, ſimulationes, aliaque hujuſmodi. Arma illa politicis hominibus, Philoſophis ſæculi, & hæreticis conveniunt, quorum omnis fiducia in carne & in mediis humanis eſt: non Chriſtianis, & multo minus Chriſti & Eccleſiæ Miniſtris, & Evangelicis Operariis. Arma Saulis David ovium Paſtori non conveniunt, horum uſum non habet. Iiſdem mediis utendum ad propagandam ac regendam Eccleſiam, quibus uſi ſunt Apoſtoli, & ſancti priſcorum ſæculorum Epiſcopi; iiſdem armis utendum ad Philoſophos & ſapientes ſæculi, ad Hæreticos, ad peccatores Chriſto ſubjiciendos, ſcilicet verbo Dei, oratione, humilitate, manſuetudine, patientia in tribulationibus & perſecutionibus, fide, ſpe, caritate. Hæc arma Dei virtute potentiſſima ad deſtructionem omnium munitionum quæ adverſus Evangelium & fidem Chriſti opponuntur. His armis infideles, ſapientes ſæculi, hæretici peccatores obſtinati vincuntur, debellantur, Chriſto ſubjiciuntur, & in captivitatem quavis libertate feliciorem rediguntur in ejus obſequium, cui ſervire, regnare eſt.

Contumaces diſciplinæ ſeveritate coercendi.

Et in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam: cum impleta fuerit veſtra obedientia. Exhortatione magis quam minis, manſuetudine potius quam ſeveritate erga peccatores uti debent Eccleſiæ Præpoſiti. Veruntamen illorum inobedientiam & contumaciam armis Miniſterii ſui domare & frangere debent, & diſciplinæ ſeveritate eos coercere, cum eorum criminibus non eſt implicata multitudo, & crimen tales non habet defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere; & cum ſpes affulget aliqua cenſuras Eccleſiaſticas ad eorum emendationem profuturas. *Cum unuſquiſque fratrum, id eſt Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt, atque id cum ea dilectione de qua Apoſtolus præcipit dicens*:

S. Auguſt. lib. 3. Contra Epiſtolam Parmeniani cap. 2.

„ Ut inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite „ ut fratrem. *Non enim ad eradicandum, ſed ad cor„ rigendum*. Tunc autem ſine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum in agro Domini eradicari poſſunt zizania, id eſt peccatores contumaces & obſtinati ab Eccleſiæ ſocietate ſegregari, cum multitudo fidelium ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena eſt. *Tunc enim adjuvat Præpoſitum potius corripientem, quam criminoſum reſiſtentem: tunc ſe ab ejus conjunctione ſalubriter continet, ut nec cibum quiſquam cum eo ſumat, non rabie inimica, ſed coercitione fraterna. Tum etiam ille & timore percutitur, & pudore ſanatur, cum ab univerſa Eccleſia ſe anathematum videns, ſociam turbam cum qua in delicto ſuo gaudeat, & bonis inſultet, non poteſt invenire ...... Facit autem hoc bene, id eſt humili caritate ac benigna ſeveritate, qui ſic præeſt fratribus ut eorum ſervum ſe eſſe meminerit, ſicut ſeſe habent ipſius Domini & præceptum, & exemplum. Tunc enim fit ſine typho elationis in hominem, & cum luctu deprecationis ad Deum* ... „ Itaque & diſciplina ſervet patientiam & patientia temperet

1. Theſſal. 5. 15.

„ diſciplinam, & utrumque referatur ad carita„ tem, ne forte aut indiſciplinata patientia foveat „ iniquitatem, aut impatiens diſciplina diſſipet u„ nitatem. Hinc Angelo, id eſt Epiſcopo Epheſinæ „ Eccleſiæ in Apocalypſi dicitur; *Scio opera tua, „ & laborem, & patientiam, & quia non potes ſuſti„ nere malos: & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces: & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti*.

S. Auguſt. lib. Ad Donatiſtas poſt Collationem cap. 4.

Apocal. . . .

Quomodo ſe gerere debeant Paſtores erga æmulos obtrectatoreſque ſuos?

7. 8. *Quæ ſecundum faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe, quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam*. Quantacumque ſit humilitate præditus Chriſti Miniſter, debet tamen Miniſterii ſui dignitatem & auctoritatem tueri, ac dona ſibi a Deo collata, labores ſuos pro ſalute populorum, fructumque per Chriſti gratiam a ſe factum, in Evangelii prædicatione & Eccleſiæ regimine commendare, cum inveniuntur in Eccleſiæ ſocietate qui illi detrahunt, ipſumque contemnunt. Id autem, cum neceſſe fuerit, præſtet propter Dei gloriam, ut Miniſterio ſuo venerationem conciliet, utque labores ſui Eccleſiæ & animarum ſaluti utiles ſint. Æmulos, obtrectatoreſque ſuos palam refellat & pudore ſuffundat, ſervata moderatione & manſuetudine, exemplo Apoſtoli Pauli. Meminerit ſibi datam a Deo poteſtatem in Eccleſia in ædificationem, & non in deſtructionem. Ea proinde utendum eſſe ad bonum Eccleſiæ, & ad animarum ſalutem procurandam. Qui auctoritate Eccleſiaſtica contra veritatem & bonos mores abutuntur, ut deſtructores ſe gerunt, non ut Paſtores. Qui adulterant Moralis Chriſtianæ puritatem ut placeant hominibus, in deſtructionem, non in ædificationem, ſacrum Miniſterium obeunt.

9. 10. 11. *Ut autem non exiſtimer tamquam terrere vos per Epiſtolas. Quoniam Epiſtolæ,* (inquiunt) *graves ſunt, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis: Hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus verbis per Epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto*. Hæc diaboli aſtutia eſt, per membra

Digitized by Google

bra ſua calumnias contra ſanctos Paſtores ſpargere, illos contemptui & ludibrio exponere, illorum

S. Aug. Serm. 91. ul. at De Tempore 234.

auctoritati detrahere. „ Falſa confingit. Novit quid „ inde agat, niſi reſiſtat vigilantia fidei. Idem e„ nim & de bonis mala ſpargit, ut infirmi non pu„ tent aliquos eſſe bonos; & tradant ſe rapiendos „ libidinibus & diſſipandos, dicentes apud ſeipſos: „ Quis eſt qui ſervat mandatum Dei, aut quis eſt „ qui ſervat caſtitatem? Dum putat, quia nemo, „ ipſe fit nemo. Hoc agit diabolus ut peccatores contra timorem correptionum Paſtoralium obfirmet, ut impediat ne Rectores animarum ſuarum audiant, ne Prælatorum ſuorum monitis ſalutaribus obtemperent, ut contemptum cenſuratum & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ illis inſpiret. Sed ne propterea contriſtentur boni Paſtores, S. Pauli patientiam & magnanimitatem imitentur; verbo & exemplo, viva voce & per Epiſtolas, populum, cujus curam illis commiſit Chriſtus, Moralis Evangelicæ regulis ac præceptis imbuere, peccatores corripere, diſciplinæ ſeveritatem in contumaces exercere non ceſſent: Sed operam dent ut vere dicere poſſint cum Apoſtolo: *Quales ſumus verbis, tales & in facto*. Doctrinæ ac ſermonibus noſtris vita noſtra operaque reſpondent. Ex iis non ſumus, qui quod una manu ædificant, altera deſtruunt.

12. 13. *Non enim audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam, qui ſemetipſos commendant; ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ qua menſus eſt nobis Deus.* Ex his Apoſtoli ſententiis diſcimus. 1. De profectu noſtro in via ſalutis & perfectionis nos judicium ferre non debere ex comparatione ad aliorum vitia: ſed ex defectu plurium aut pauciorum virtutum, quæ nobis deſunt, & quæ ſtatui noſtro conveniunt. 2. De nobis judicium ferre nos debere comparando nos cum noſmetipſis, id eſt, non extollendo nos de virtutibus, quibus nos præditos eſſe credimus, ſed humiliando nos intuitu peccatorum ac defectuum noſtrorum.

Nos ipſos cum aliis comparare non debemus, ſed cum noſmetipſis.

S. Fulgentius Epiſt. Ad Probam. De Virginit. Capp. 19. 20. 21. 22.

Quoties cogitas de perfectione virtutum, noli conſiderare quid alii minus habeant quam tu habes, ſed quid tu minus habeas quam habere jam debes: nec ideo te putes virtutibus perfectam, ſi quamlibet aliam videas criminibus deditam; nec propterea tibi aliquid velocitatis aſſignes, ſi quaslibet aut retro redeuntes, aut ſegniter videas ambulantes. Neque enim idcirco ſanos oculos habere pronuntiandus eſt lippus, quia videtur cæcus a lumine penitus alienus; nec ideo ſanus eſt qui gravi jacet vulnere ſemivivus, ſi alius graviora vulnera reperiatur acceptus: nec ſibi debet tanquam victor vindicare gloriam quiſquis, licet ab hoſte non ſit occiſus, tenetur tamen ab hoſte captivus. Noli ergo aliis te comparare, ſed audi Apoſtolum: „ Non audemus nos inſerere aut „ comparare quibuſdam, qui ſemetipſos commendant, „ ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & com„ parantes noſmetipſos nobis. *Sic ergo ſemetipſam „ comparet virgo Chriſti: & ut ad perfectam perveniat ſanitatem, non debet de aliorum ſibi periculo graviora blandiri, ſed de ſua curet infirmitate triſtari, de qua*

Pſalm. 37.

ille triſtabatur jugiter, qui dicebat: „ Tota die con„ triſtatus ingrediebar, quoniam anima mea imple„ ta eſt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne „ mea. *Et ut oſtenderet huic triſtitiæ humilitatem debere conjungi, ſtatim adjunxit,* Incurvatus ſum & „ humiliatus ſum nimis. *Et ut deſiderio ſanitatis hoc „ a ſe fieri perdoceret, adjunxit,* „ Rugiebam a ge„ mitu cordis mei, & ante te eſt deſiderium meum, „ & gemitus meus a te non eſt abſconditus. *Ille au„ tem qui hoc aiebat, fatetur ſe aliquando tamquam „ de virtute ſanitatis elatum, & in eo ſe periculum „ graviſſimæ infirmitatis expertum: nam enim in alio „ Pſalmo,* „ Ego dixi in abundantia mea, Non mo„ vebor in æternum. *Et quia hoc merens adjutorio „ divinæ gratiæ fuerat deſertus, & in ſua defecerat „ infirmitate, turbatus, ſequitur dicens,* „ Domine, in „ bona voluntate tua præſtitiſti decori meo virtu„ tem, avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum „ conturbatus. *Et ut oſtenderet adjutorium divinæ gratiæ, quamvis jam habitum, humiliter eſſe & ſine intermiſſione poſcendum, ſubjecit.* „ Ad te clamabo, „ & ad Deum meum deprecabor. *Nemo autem deprecatur & rogat, qui non aliquid ſe cognoſcit minus habere, aut quod habet ſua tantum virtute poſſe ſervare. Quiſquis igitur & beneficium rogat, & adjutorium flagitat, neceſſe eſt & ut eminentium ſua in utilitatis & egeſtatis agnoſcat: & ideo egeſtas noſtra dari ſibi, quod non habet poſcit, & imbecillitas noſtra cuſtodiri ſibi poſtulat quod accepit. Egeſtas audit,* „ Quid enim

1. Cor. 4.

habes quod non accepiſti? *Imbecillitas audit,* „ Re-

Pſalm. 126.

„ vela Domino viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. *Dicat ergo egeſtas illi qui propter nos pauper fa-*

„ *ctus eſt, cum dives eſſet, ut illius inopia divites „ eſſemus:* „ Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua. *Dicat imbecillitas illi qui pro nobis crucifixus eſt in infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei:* „ Cuſto„ di me, Domine, ut pupillam oculi, ſub umbra „ alarum tuarum protege me, a facie impiorum, „ qui me afflixerunt. *Graviter hic affliguntur animæ omnium jam juſtificatorum & ex fide viventium. Vivent enim quia licet ſint gratiæ dono de operum malorum contagione liberæ, tenentur tamen cogitationum varietate captivæ.* „ Quis enim gloriabitur caſtum ſe „ habere cor? Aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe Proverb. 20. „ a peccatis? *Attendamus qualis quantuſque juſtus di„ xerit,* In multis offendimus omnes: *Et ille qui di- Jacobi 3. „ xit:* Si dixerimus quia peccatum non habemus, „ ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Ille etiam qui condelectabatur legi Dei ſecundum inte- Rom. 7. riorem hominem,* videbat aliam legem in membris „ ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captivan„ tem eum in lege peccati: *donec eum ſua infelici„ tatis confeſſum* de corpore mortis hujus liberaret „ gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Ab hac ergo lege peccati, quæ eſt in membris noſtris: non virtus cujuslibet hominis fortis, non induſtria ſapientis, ſed ſola liberat gratia Salvatoris, quæ nonniſi humilibus gratis datur.*

15. 16. *Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus*. Sanctorum Paſtorum caritas non eſt ambitioſa, non æmulatur, non quærit quæ ſua ſunt. Eccleſiam diligit, ſed ordinem & diſciplinam amat. Falcem non mittit in meſſem alienam, nec alienorum laborum gloriam uſurpat ac furatur; aut imprudenti temerarioque zelo juriſdictionis ſuæ fines excedit, ut Pſeudo-apoſtoli; nec aliis Paſtoribus, etiam ſubalternis moleſtiam creat, eorum auctoritatem & jura minuendo; ſed intra fines ſuos ſe continet exemplo ſancti Pauli, *Non in aliena regula in iis quæ præparata ſunt gloriari*.

Antidotum adverſus ... inanis gloriæ vitium.

17. 18. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Qui nihil habet quod non acceperit, nihil habet unde gloriari poſſit. *In nullo igitur gloriandum, quando nihil noſtrum ſit*, ut poſt S. Cyprianum ſæpe repetit S. Auguſtinus. In Domino gloriatur; qui omnia bona ſua ſe illi debere agnoſcit & confitetur, qui ejus gratiam ad ſingulos actus ſibi neceſſariam credit & prædicat: qui nulla in ſe agnoſcit merita, niſi quæ Deus creat & operatur in nobis. *Cum bene agimus, Deum per nos agere intelligamus. Neque quidquam nobis proprium vindicemus inanis gloriæ cupiditate decepti, quo uno*

S. Aug. Lib. De Quantitate Animæ, cap. 34.

modo a ſummo ad ima demergimur. Inanis gloriæ vitium, quod bonis noſtris operibus inſidiatur, & nos diabolo aſſimilat, fugiamus, & ne in corda noſtra blande irrepat, caveamus. Quam vana gloria, quæ pulveri comparatur! *Et gloriam meam in pulverem deducat*, ait Propheta. „ Hic eſt *ille pulvis*, „ *quem projicit ventus a facie terræ*, ſuperborum „ ſcilicet vana & inepta jactantia, & inflata, non „ ſolida, tanquam vento elatus pulveris globus. „ Recte itaque hic poſuit gloriam, quam non vult „ in pulverem deduci. Vult enim eam ſolidam ha„ bere in conſcientia coram Deo, ubi nulla jactan„ tia eſt. *Qui gloriatur*, inquit, *in Domino glorie„ tur*. Iſta ſoliditas in pulverem deducitur, ſi per „ ſuperbiam quiſque contemnens ſecreta conſcientiæ, „ ubi ſolus Deus hominem probat, velit apud ho„ mines gloriari. Hinc eſt quod alibi dicit, *Deus „ conteret oſſa placentium hominibus*. Qui autem bene „ didicit vel expertus eſt vitiorum ſuperandorum „ gradus, intelligit hoc *vitium inanis gloriæ, vel ſolum, vel maxime cavendum eſſe perfectis. Quo primum enim vitio lapſa eſt anima, hoc ultimum vincit*. „ Initium autem omnis peccati ſuperbia, &, Ini„ tium ſuperbiæ hominis apoſtatare a Deo. Cupidinem gloriæ noviſſimam homini exui hoc patet, quod *Sæpe de ipſa vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur*.

Pſalm. 7. S. Aug. Enarr. in Pſ. 7. n. 4.

Eccli. 10. 15.

Qui gloriatur, in Domino glorietur, &c. „ Securus „ glorior, ſi teſte conſcientia de gloria Conditoris „ nihil mihi uſurpo: ſecurus plane: quia jam non „ contra Dominum, ſed in Domino. Hæc nobis glo„ riatio non ſolum non prohibetur, ſed ſuadetur, „ cum dicitur: *Gloriam ab invicem quæritis, & „ gloriam quæ a ſolo Deo eſt, non vultis*. Revera „ gloriari in ſolo Deo, nonniſi a ſolo Deo eſt. Nec „ mediocris iſta gloria, quippe tam vera, quam de „ veritate, & in veritate tam rara, ut vix vel pau„ citas perfectorum perfecte glorietur in ea. Eant „ ergo vani filii hominum, eant, & decipiant ipſi „ de vanitate in idipſum. Nam ſapiens gloriator pro„ babit opus ſuum, atque ad lumen veritatis dili„ genter examinabit: & ſic habebit in ſemetipſo glo-

S. Aug. lib. 10. Confeſſ. cap. 63.

Joan. 5. S. Bernard. Serm. 13. in Cantica.

Digitized by Google

„ riam, & non in ore alterius. Stultus ſum, ſi ciſtellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, & cœpero mendicare eam abs te, cum habere voluero. Nonne nempe in tuo arbitrio eſt probare me vel improbare, prout volueris? Se detineor, penes me, ipſe fidelius ſervo mihi. Imo nec mihi eam credo, ipſi potius repono ſervandam, *Qui potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*, cautus in cuſtodiendo, fidelis in reſtituendo. Secura tunc erit laus unicuique a Deo, his duntaxat qui humanas laudes contempſerint. Nam gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt, dicente etiam Davide: *Qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos*. Fratres, ſi hæc ſcitis, nemo veſtrum velit laudari in vita iſta, quia *Quicquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris; ipſi furaris*.

2. Tim. 1.
Pſalm. 52.

CAPUT XI.

Senſus Litteralis.

1. *UTinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me.* Apoſtolus metuens Corinthiis propter Pſeudo-apoſtolos ipſi detrahentes, neceſſitate compulſus in ſuas laudes excurrit, primumque exponit ſe nihil ſubſidii a Corinthiis accepiſſe, neque illis fuiſſe oneri; deinde labores ſuos, pericula, carceres, plagas, aliaſque ærumnas commemorat, quas terra marique pro Chriſti Evangelio paſſus erat, cum interim Pſeudo-apoſtoli mollem vitam Corinthi inter opulentos cives agerent. Capite vero ſequenti favores Dei ſibi conceſſos, revelationes, & raptus enarrat. Quia vero ſe ipſum laudare ſine neceſſitate & gravi cauſa hominis eſt inſipientia & vani: atque etiam cum cauſa ſubeſt, imprudentiæ ſpeciem habet apud eos qui cauſam ignorant, vel rationes ad id moventes non ſatis conſiderant: ideo Apoſtolus Corinthios rogat ut paulisper inſipientiam ipſius apparentem, commemoratione rerum ad commendationem propriam pertinentium, ſuſtineant. Voſque rogo, inquit, ut me ſuſtineatis. Poteſt indicative verti ſecundum vim Græci Textus: *Sed & ſuſtinetis me*. Id eſt, de benevolentia in me veſtra confido, fore ut me ſuſtineatis laudes meas ex neceſſitate commendantem, ne Miniſterium meum contemnatur & Apoſtolica auctoritas mihi a Deo commiſſa propter veſtram, aliarumque Gentium ſalutem, vilis habeatur.

Cautio Apoſtoli laudes ſuas ex neceſſitate commemorantis.

Luc. 21. 14.

2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Diligo enim vos amore vehementi, qualis eſt maritorum zelotyporum erga uxores ſuas; ſolicite vos cuſtodio, non pro gloria mea, aut commodis meis, ſed propter Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Vos enim tanquam ſpiritualium nuptiarum pronubus deſponſavi, aptavi, ornavi, ut exhibeam, & tradam vos, ſive Eccleſiam cujus membra per fidem & baptiſmum eſtis, uni ſponſo Chriſto, velut virginem caſtam, integros fide, ſpe, & charitate. Alludit ad legalem typum Pontificis Maximi Judæorum, qui virginem ducere debuit. Unam ſponſam hic vocat Apoſtolus Eccleſiam particularem Corinthiorum: talis autem maxime eſt Eccleſia univerſalis, ad quam proprie pertinent promiſſa dotalia. „ Totam Eccleſiam virginem appellavit (inquit Theodoretus) neque enim omnes qui credunt virginitatem profitentur, ſed oportet omnes ornari ſincera fide.

3. *Timeo autem ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* Timeo ne ſicut diabolus ſerpente tanquam organo uſus Hevam ſeduxit verſutia ſua & fallaci ſermone; ita mentes veſtræ corrumpantur blandis & aſtutis Pſeudo-apoſtolorum, qui etiam diaboli ſunt organa, ſermonibus, & paulatim deflectatis & degeneratis a ſimplicitate & puritate fidei Chriſtianæ.

Hanc vocem, *& excidant*, addidit Latinus Interpres majoris perſpicuitatis gratia.

4. *Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis, aut aliud Evangelium, quod non recepiſtis, recte pateremini.* Si is qui ſponte, ſine miſſione ſe in prædicandi Evangelii miniſterium ingerens, ad vos venit tanquam novus ſalutis Magiſter, Chriſtum meliorem vobis prædicaret quam nos prædicavimus; aut præſtantiora Spiritus ſancti dona vobis conferret, quam noſtro miniſterio & manuum noſtrarum impoſitione acceperitis, aut excellentius Evangelium, diviniora Myſteria, & excellentiora promiſſa proponens, vobis annuntiaret, recte illum toleraretis. Verum cum nec ipſi dicant ſe alium Chriſtum, alium Spiritum, aliud Evangelium prædicare; nec vos alium Chriſtum, alium Spiritum, aliud Evangelium agnoſcatis; quam prætendere poteſtis excuſationem? Hic igitur deductione ad abſurdum & ad impoſſibile, quod neque Corinthii, neque ipſi Pſeudo-apoſtoli conceſſerint, utitur S. Paulus. Si eadem ſunt (inquit) fidei capita, & nihil amplius dicunt quod ad dogma attinet: ob quam cauſam illi præ nobis in honore habentur? Quantumcumque enim garrierint; nihil ſupra nos habent niſi faſtum verborum, & ſæcularis doctrinæ oſtentationem. Quod autem ait, *Recte ſuſtineretis*, non eſt laudantis talem ſententiam, ſed magis arguentis. Nam paulo ante hos ſuſtinere, eiſque adhærere, corruptionem appellavit. „ Quid eſt ergo quod arguit? Inexcuſabiles, inquit, eſtis, ſi fallimini, cum utrique noſtrum & nos & Pſeudo-apoſtoli eadem dicere videamur: & tamen a nobis diſcedentes, illis adhæretis. Non enim occaſionem habebitis fraudis novitatem, & rem inſolitam eſſe ad perfectionem dogmatum. Solet enim novitas titillare ac ſimpliciores attrahere: vobis autem ne hæc quidem occaſio relicta eſt.

Photius Oecumenius.

Hinc patet, hunc locum Apoſtoli minime contrarium eſſe alteri, *Galat.* 1. 8. ubi anathema dicit aliud evangelizantibus. Quod enim ibi damnat, hic tanquam rem abſurdiſſimam affert. Ibi de Evangelio contrario, hic de Evangelio excellentiore loquitur.

5. 6. *Exiſtimo enim me nihil minus feciſſe a magnis Apoſtolis.* Græcus Textus ſic ad verbum reddi poteſt: *Exiſtimo me in nullo eſſe inferiorem magnis Apoſtolis*, ſeu his qui inter Apoſtolos ſunt eximii, Petro ſcilicet, Jacobo & Joanne: non eſt ergo cur cedam Pſeudo-Apoſtolis. *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia: in omnibus autem manifeſti ſumus vobis.* Ceterum etſi eloquentiæ ſæcularis imperitus videar, nec ſtudeam elegantiæ verborum, non ſum tamen imperitus, quod ſcientiam attinet rerum divinarum & ad ſalutem veſtram ſpectantium. Idque noſtis per experientiam. Vel, *In omnibus manifeſti ſumus vobis*: id eſt, Nihil diſſimulanter egimus apud vos; non alii videmur, alii ſumus, ſicut Pſeudo-apoſtoli, qui ſimulatione ſanctitatis vobis imponunt.

Linguæ Græcæ autor, eloquentia ſæcularis, ſermonis perſpicuitas S. Paulo non adfuit: Ideo ſe imperitum ſermone fatetur: Quod ab ipſo dictum eſt de conſcientiæ veritate, non de humilitate, ut S. Hieronymus obſervat in Epiſt. Ad Algaſiam. Quæſt. 10. Ceterum eloquentiam ſacram S. Pauli in Epiſtolis ejus admiratur & commendat S. Auguſtinus l. 4. *De Doctrina Chriſtiana.* Capp. 6. & 7.

7. *Aut numquid peccatum feci, meipſum humilians, ut vos exaltemini? Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis?* An id mihi vitio vertendum eſt, quod me humiliaverim apud vos, ita vivens quaſi nullius eſſem auctoritatis, quaſi ſervum me gerens, vile ſcenofactoriæ artis opificium exercens, ut vos per fidem & dona Spiritus ſancti, quæ vobis prædicatio mea procuravit, apud Deum exaltemini? An mihi quaſi crimen objicitur, quod gratuito, ſine veſtro ſumptu vobis Evangelium Chriſti prædicaverim, labore meo victum quærens? *Alias Eccleſias expoliavi*, * *accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum.* Ab aliis Eccleſiis, quamvis eſſent vobis pauperiores, ſcilicet ab Eccleſiis Macedoniæ, plus accepi quam par eſſet, ad ſuſtentationem meam, ne veſtro ſumptu viverem dum Evangelium vobis miniſtrabam.

* In verbo *expoliavi*, nulla eſt injuriæ ſignificatio, ſed eam illud quam vox *expendimus*, metaphyſicam ſignificationem habent a militia ſumptam.

* Philipp. 4.

9. *Et cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres qui venerant a Macedonia: & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.* Cum apud vos miniſterium Apoſtolicum exercerem, & mihi neceſſaria deeſſent, a nullo veſtrum aliquid exegi aut poſtulavi, ſed quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres, qui Corinthum venerant e Macedonia, ſcilicet Philippenſes. * Qua autem huculque ſum uſus cautione, ne alicui veſtrum oneri eſſem, eadem utar in poſterum, vobis gratuito miniſterium ſalutis, exhibens, nec accipiens a vobis debitum ſuſtentationis ſtipendium.

10. *Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ.* Verum loquor (teſtis Chriſtus eſt) hanc gloriam mihi excidere non patiar, ſed volo eam habere perpetuam apud vos & per totam Achaiam, cujus Metropolis eſt Corinthus, quod vobis oneri non fuerim, nec juſtum etiam ſtipendium ad ſuſtentationem meam a vobis exegerim.

11. 12. *Quare? Quia non diligo vos? Deus ſcit.* Quæ cauſa eſt cur a vobis nihil recipere velim? an quia vos non amo? Qui enim aliquem non amant, ejus dona recipere dedignantur. Deus, qui corda novit, ſcit vos a me tenere diligi. *Quod autem facio, & faciam, ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur inveniantur ſicut & nos.* Quod hactenus facio, gratis prædicando Evangelium Corinthi & per totam Achaiam, idem facturus ſum deinceps, ut præcidam occaſionem iis qui illam quærunt gloriandi ſe in omnibus ſimiles eſſe nobis, eloquentia vero & ſermonis elegantia ſuperiores. Optabant nimirum Pſeudo-apoſtoli ut Paulus Evangelium prædicando ſumptus acciperet, ne hac parte illis ſuperior videretur. Nam Pſeudo-apoſtolos non ſibi

ſibi temperaſſe a ſumptibus accipiendis, ut cenſent Interpretes Græci; * compertum eſt ex 1. Corinth. 9. 12. *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non uſi ſumus hac poteſtate? Sed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.* Et ex ipſo, quod exponimus, capite, Verſ. 20. *Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit.* Cenſent tamen Græci Commentatores mox laudati, Pſeudo-apoſtolos palam recuſaſſe munera, clam accepiſſe, & hanc ſimulationem illis occaſionem fuiſſe gloriandi, quod Evangelium gratis prædicarent, ſicut Paulus.

* S. Chryſoſt. Hom. 24. Theodoret. Theophylact.

13. 14. 15. *Nam ejuſmodi Pſeudo-apoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Nam ejuſmodi homines perſonam induunt & nomen aſſumunt Apoſtolorum Chriſti, cum ab eo vocati & miſſi non ſint, & nihil Apoſtolicarum virtutum habeant: immo Evangelium doloſe & mala fide prædicent, privatum, non Domini agentes negotium, & vineam, in qua operari videntur, prava doctrina Evangelii prædicationi admixta, & malis moribus diſſipantes. *Et non mirum: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis.* Nihil vero hac in re novi, ſiquidem diabolus eorum magiſter perſonam ſancti Angeli ſæpe induit, ſive inviſibiliter, ſuggerendo quædam in ſe vel in ſpeciem bona, ex quibus homines in gravia peccata & in perditionem præcipites agit, ſive viſibiliter ſe tamquam Angelum Dei videndum exhibens, ut ipſis illudat, eoſque decipiat. Angeli lucis vocantur ſancti Angeli, tum quia cœleſti & æterna luce ac gloria donati ſunt, cum dæmones tenebris æternis ſint damnati: tum quia Angeli ſancti veritatem & juſtitiam hominibus inſpirant ut Dei miniſtri, ſicut Angeli mali errores & peccata ſuggerunt, ideo dicti Angeli tenebrarum. *Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.* Non eſt ergo mirandum ſi Pſeudo-apoſtoli, miniſtri ſatanæ, perſonam induat miniſtrorum juſtitiæ, id eſt, proborum & ſincerorum Evangelii Miniſtrorum, ſive Apoſtolorum Chriſti, qui ad veram juſtitiam per ejus gratiam homines perducunt. Horum porro ſatanæ miniſtrorum merces digna erit operibus ipſorum, mors æterna.

16. 17. *Iterum dico (ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier)* Iterum eadem vobis dico, ne quis me inſipientem exiſtimet quod ea commemorem quæ ad laudes meas pertinent; juſta enim cauſſa ſubeſt. Si vero impetrare non poſſum ut me prudenter agere cenſeatis, ſaltem me ut inſipientem ſuſtinete, nec moleſte ferte quod laudes meas recenſeam. *Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ.* Quæ loquor ad mei commendationem, Dei legi & Chriſti doctrinæ repugnare videntur, ſi res abſolute, vel ſecundum externam ſpeciem conſideretur, non ſpectatis cauſis & circumſtantiis. Sciptum namque laudare vulgo arrogantis & ſuperbi hominis eſt, & inſipientiæ ſpeciem habet aſſumptum a me gloriationis argumentum.

18. *Quoniam multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor*, cum multi, Pſeudo-apoſtoli, & eorum imitatores, de rebus carnalibus & externis, ſcilicet de generis nobilitate, ſapientia, lege, circumciſione glorientur; & ego gloriabor non de illis tantum, ſed & de aliis quæ me laudabilem reddunt, ad tuitionem miniſterii mei, & auctoritatis a Deo mihi datæ. Ne vero ſcrupulum aliquis patiatur quod Paulus de iiſdem rebus glorietur, de quibus Pſeudo-apoſtoli: quamvis enim eadem ſit materia gloriationis, non tamen eadem intentio, & idem finis: quia Pſeudo-apoſtoli commendabant ſemetipſos propter gloriam propriam & privata commoda: Apoſtolus autem gloriabatur ut verbum Dei per eum prædicatum majoris eſſet auctoritatis & ponderis, & fructum faceret Chriſto.

S. Thomas, Lect. 4.

19. 20. *Libenter enim ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes.* Libenter ſuſtineris Pſeudo-apoſtolos arroganter & falſo gloriantes, & veſtro damno, vos qui ſapientes eſtis ſecundum veſtram, aliorumque quamplurium opinionem. Quamobrem & me, ſpero, tolerabitis ſapienter & utiliter gloriantem. *Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.* * Suſtineris multo duriora inſipientia apparente gloriationis meæ. Toleratis (inquam) Pſeudo-apoſtolos, qui vos Moſaicæ Legis ſervituti ſubjicere iterum volunt, cum ab ea ſitis per Chriſti fidem & gratiam liberati, vel, imperioſam eorum dominationem æquo animo ſuſtinetis: necnon aviditatem inſatiabilem qua ſubſtantiam rei veſtræ temporalis devorant, ventri ſuo ſervientes, & ſumptus exigentes ut laute vivant; inſuper & munera accipientes, ſpecie pietatis: homines ad quæſtum pronos, qui blandis ſermonibus vos ſeducunt, & nummos veſtros extorquent, Suſtinetis hujuſmodi homines ſe ſupra vos extollentes, ſeque importune jactantes: quin etiam vos contumeliis afficientes, & palam vobis improperantes ignobilitatem & priſtinam idololatriam.

Innocens ironia.

* In faciem cædere, hyperbolice ſumitur pro gravi & evidenti injuria & ſpecies pro genere ponitur. Nam ſaci in verberaro, inter maxima ludibria & graviſſimas contumelias eſt. 3. Reg. 22. 2. Matt. 5. 39. Luc. 12. 64.

21. *Secundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego.* In faciem vos cædi a Pſeudo-apoſtolis dixi, id eſt, contumelioſe tractari, dum vobis ignobilitatem generis coram exprobrant, quod ex genere Abrahæ non ſitis, ut illi, nec circumciſionem acceperitis. Vel, Ad dedecus meum hæc commemoro, ſi quidem me ut hominem imbecillem, nullius auctoritatis, & contemptu dignum apud vos traducunt, quod eodem modo vobiſcum non egerim. Verumtamen in quacumque re quiſpiam illorum audet gloriari, audeo & ego, utpote ipſis nulla re inferior. Quamquam id imprudentiæ ſpeciem habet, quia gloriari imprudentium & inſipientium eſt.

Vulgatus Interpres addidit, *In hac parte*, explicationis gratia: quibus verbis nulla reſpondent æquivalentia in Græco Textu, & Syriaca Verſione.

22. *Hebræi ſunt, * & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego.* Hebræi ſunt origine & lingua: & ego, ex Patre Hebræo & Phariſæo natus, Iſraelitæ ſunt, ex poſteris Jacob, ex populo Dei electo & benedicto, non ex Idumæis: & ego. Ab Abrahamo ducunt originem per Iſaacum, non a Loth Abrahami nepote, ut Ammonitæ & Moabitæ, adeoque Abrahamum patrem ſuum cum fiducia appellant, ejuſque filios appellari honori ducunt: & ego.

* Hæc ſententia in quibuſdam Codicibus legitur in modum interrogationis.

23. *Miniſtri Chriſti ſunt (ut minus ſapiens dico) plus ego.* Eſto, Miniſtri Chriſti ſint, quod ſibi nomen arrogant: cum fiducia dico meliori ac potiori jure me Chriſti Miniſtrum eſſe, etſi notam imprudentiæ forte apud vos incurram commendando me ipſum præ illis. Plurimos enim & graviſſimos labores ſuſtinui Evangelii cauſa. *In laboribus plurimis.* Multoties miſſus ſum in carcerem propter nomen Chriſti, atrociter verberatus, mortis periculis præſentiſſimis frequenter expoſitus: *In carceribus abundantius, in mortibus frequenter.*

S. Paulus multa fecit & paſſus eſt, quæ in Actis Apoſtolorum non referuntur: nam S. Lucas ea pena ſola ſcripſit tradidit, quibus ipſe præſens interfuerat.

24. *Ad Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi.* Quinquies a Judæis triginta novem flagellorum ictus accepi. Quadragenarium numerum excedi Lex vetabat, ne fœde jaceret frater ante oculos Judæorum laceratus: illis vero, ſive clementiæ & humanitatis cauſſa, ſive caventibus ne lictores in ipſo verberandi impetu conſtitutum a lege plagarum numerum tranſilirent, unam demere viſum eſt. Quæ conſuetudo ad Seniorum traditiones eſt referenda.

* Deuteron. 25. 3.

25. *Ter virgis cæſus ſum*, * a Gentilibus: *ſemel lapidatus ſum*, Per ſeditionem multitudinis lapidibus ſum appetitus; *ter naufragium feci; nocte & die in profundo maris fui.* Ex naufragio demerſus fui in profundum natis, ut olim Jonas, ubi per noctem & diem fui ſervatus incolumis ope divina, & inde liberatus; Vel, navi diſſoluta, totam noctem diemque huc & illuc a fluctibus impulſus tranſegi.

* Evadere potuerat hanc pœnam S. Paulus dicendo ſe civem eſſe Romanum, ut patet ex Act. 25. ſed evadere noluit Philippis, Act. 16. ut daretur occaſio convertendi cuſtodem carceris cum tota familia ad fidem Chriſti. Act. 14. 5.

26. *In itineribus ſæpe*, difficillimis, *periculis fluminum*, in quibus navigare neceſſe fuit, ut pervenirem ad provincias & civitates, quibus Evangelium prædicaturus eram; *periculis latronum*, in quos non ſemel incidi; *periculis ex genere*: expoſitus fui periculis graviſſimis ex mea gente, ſcilicet ex Judæis; *periculis ex Gentibus*, plerumque a Judæis concitatis: *periculis in civitate*, veluti Damaſci, Hieroſolymis, Epheſi, &c. *Periculis in ſolitudine*, id eſt, in deſertis locis, in quibus ab adverſariis ſtruebantur inſidiæ; *periculis in mari*, ex piratis, & inſidiantibus hoſtibus, præſertim Judæis, ut Act. 20. 3. *Periculis in falſis fratribus*, a fictis Chriſtianis.

27. *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Laborum & moleſtiarum omne genus pertuli Evangelii cauſa, frequentes ac longas vigilias, famem ac ſitim, jejunia frequentia, ſponte ſuſcepta ad impetrandam a Deo gratiam prædicandi cum fructu Evangelium: frigus & nuditatem, id eſt, inopiam veſtium, quæ me a frigore protegerent.

28. *Præter ea quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* Præter mala illa extrinſecus adventitia, quæ paſſus ſum vel patior, animum meum angunt multiplices curæ, moles negotiorum quotidie mihi inſtantium & incumbentium, concurſus fidelium ad me ex variis civitatibus & provinciis, ob difficultates circa negotium Evangelicum emergentes: ſolicitudo omnium Eccleſiarum, non earum tantum quas fundavi, & quibus Evangelium prædicavi. Si enim pro invicem ſolicita ſunt ejuſdem corporis membra, quomodo ego Gentium Apoſtolus & Doctor pro omnibus Eccleſiis ſolicitus

non

non eſſem? Ceterum ſolicitudo omnium Eccleſiarum, quam ſibi tribuit S. Paulus, non eſt regiminis & juriſdictionis ordinariæ, ſed caritatis, & juriſdictionis extraordinariæ Apoſtolatui adnexæ. Soli enim S. Petro univerſalis Eccleſiæ regimen a Chriſto demandatum eſt, nec æqualis S. Pauli cum S. Petro poteſtas, aut duo capita, vel unum utrerque caput, citra errorem jure merito damnatum dici poteſt.

29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Quis fidelium infirmus eſt, & pronus ad peccandum, quin ego ſim intimus commiſerationis affectu, metuens & ſolicite cavens ne de facto cadat? Quis objecto ſibi in via pietatis offendiculo in ruinam impellitur, & ego non uror, partim dolore, partim zelo curandi & avertendi mali? *Uror*, dixit, quo verbo animi cruciatus ſignificatur; non ait, *ſcandalizor*, quia hoc verbum in bonam partem non ſumitur. Scandalizatur enim, non qui cadentibus condolet, ſed qui ſimiliter cadit.

30. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor*. Quandoquidem gloriari compellor, de infirmitatibus meis gloriabor. Infirmitates vocat, non vitia ſeu defectus, ſed afflictiones ſeu calamitates pro Chriſto ſuſceptas & toleratas. De his autem magis gloriatur quam de miraculis, quia his maxime declaratur virtus Chriſti. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti* (ait cap. ſequenti.)

31. *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quod non mentior*. Ad confirmationem & eorum quæ dixit, & eorum quæ capite ſequenti commemoraturus eſt, Deum teſtem appellat. Hæc enim quæ pene incredibilia videri poterant, juramento confirmare neceſſarium Apoſtolo viſum eſt. Porro hæc duo vocabula, *Deus & Pater*, diverſo reſpectu uſurpari Theodoretus obſervat. *Noſter enim Deus eſt, ſed Pater Chriſti*, ſecundum divinitatem; ceterum & Deus ejus ſecundum humanitatem: Joan. 20. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum.*

** Aretas ſocer Herodis Antipæ, Rex Arabiæ Petrææ, & Damaſcenæ civitatis, quæ Arabiæ vicina erat Dominus, cujus meminit Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 7. & alibi.*

Damaſcenum vero ad Arabem olim pertinuiſſe, antequam tranſcripta eſſet in Syrophœnicem teſtantur S. Juſtinus Martyr Dial. cum Tryphone, & Tertullianus, lib. 3. Adverſus Marcionem.

32. 33. *Damaſci Præpoſitus gentis Aretæ Regis * cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet: & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus.* In civitate Damaſci is qui gentis erat Præfectus nomine Aretæ Regis, excubiis poſitis cuſtodiebat urbem ut me comprehenderet, Judæis inimicis meis tradendum: & per feneſtram muro civitatis contiguam noctu demiſſus ſum a Chriſtianis, & evaſi manus ejus. De fuga porro ſua hic non gloriatur Apoſtolus, ſed de periculo, quod tantum erat, ut periiſſet, niſi fuga elapſus eſſet. Recte autem fugit Paulus, tum quia unum Paulum, non reliquos fideles premebat hæc perſecutio: tum quia eo migrante, manebant Damaſci Ananias, & alii Miniſtri, qui fidelibus neceſſaria ſalutis ſubſidia ſubminiſtrarent: tum quia neceſſe erat ut ſe in futurum tempus Eccleſiæ utilitati ſervaret. Patuit igitur Domini mandato, Matth. 10. 23. *Cum vos perſequentur in civitate iſta, fugite in aliam*. Videſis Epiſtolam 228, alias 180. S. Auguſtini ad Honoratum.

CAPUT XI.

Senſus Moralis.

Humilitas a Chriſti Miniſtro ſervanda.

1. UTinam *ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me*. Vera Chriſtiani hominis ſapientia, humilitas eſt, quam ut doceret Chriſtus æterna Sapientia, & verbo, & exemplo, e cœlis deſcendit, & ſemetipſum humiliavit homo factus. Sibi ipſi igitur de ſe ipſo placere, ſeque ipſum laudare, inſipientia quædam eſt. Veruntamen ſi ad Dei gloriam & ſalutem proximi ſeipſum commendare opus ſit, id ſapiens Chriſti Miniſter faciet, non quæſita occaſione, ſed quaſi compulſus; ſine exaggeratione, cum ſimplicitate, cum ſancto pudore, laudum ſuarum commemorationem quaſi inſipientiam ſpectans, & ea libentius recenſens quæ illum coram hominibus humiliare poſſunt, quam quæ extollere & celebrem reddere atque glorioſum. Ceterum extra caſum neceſſitatis, obſervabit Sapientis monitum, immo Dei præceptum: *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*. „ Non te laudes & quando bonus es: laudando te bonum, fit „ malus. Bonum te fecerat humilitas, malum te facit ſuperbia. Intellige quicquid in te mali eſt de „ peccatis, tuum eſſe, quidquid boni in juſtificationibus, Dei eſſe. Sic audies vocem laudis, & enarrabis mirabilia Dei. Deum in te lauda, non te; „ non quia tu es talis, ſed quia ille fecit te; non „ quia tu aliquid potes, ſed quia poteſt ille in te „ & per te.

Proverb. 27. 2. S. Aug. in Pſ. 25. num. 11.

Idem in Pſal. 144. num. 7.

2. 3. *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto*. Paſtores & Prædicatores verbi Dei, omneſque Chriſti fideles Miniſtri amore æmulationis diligere debent animas quas regunt, ſecundum Deum, & propter Deum, non propter ſe. Non enim ſponſi ſunt, ſed pronubi, & paranymphi. Curas omnes adhibere debent, ut eas aptent, præparent, omniumque virtutum monilibus adornent, ut eas uni viro Chriſto Jeſu exhibeant ceu virginem caſtam & incorruptam. Omnia Eccleſiæ membra ſunt una virgo, non corpore, quia virginitas corporis paucorum eſt; ſed mente. *Quæ eſt virginitas mentis? Integra fides, ſolida ſpes, ſincera caritas*. Cum fidei integritas doctrinis peregrinis & erroneis adulteratur, cum ſinceritas caritatis peccato mortali corrumpitur, mentis virginitas amittitur. Fidei & Moralis Chriſtianæ corruptores, ſunt antiqui ſerpentis miniſtri. Eorum aſtutiæ ſimplicitas verbi divini opponenda eſt, quod Scripturis ſacris & Apoſtolica Traditione continetur.

Zelus ſalutis animarum.

S. Aug. Tract. 13. in Joan. n. 12.

4. *Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus, aut alium Spiritum accipitis, quem non accepiſtis, aut aliud Evangelium quod non recepiſtis, recte pateremini*. Unitas Eccleſiæ, & Miniſterii Eccleſiaſtici, excellentiæ illius nota eſt. Unus Eccleſiæ ſponſus Jeſus Chriſtus. Unum pignus amoris Spiritus ſanctus: una divini hujus matrimonii tabula, Evangelium. Deploranda ſane Hæreticorum illuſio, qui cum ad Apoſtolicam Eccleſiam ſe pertinere, eumdem ſe Chriſtum credere, eumdem Spiritum ſanctum ſe accipere, idem Evangelium ſe prædicare glorientur, novum tamen Miniſterium ſine miſſione, ſine auctoritate, ſine miraculis introducunt. „ Edant origines Eccleſiarum ſuarum; „ evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per „ ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille „ Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis „ viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, „ habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt; ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum a Joanne „ collocatum refert: ſicut Romanorum, Clementem „ a Petro ordinatum. Perinde utique & cetera exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis poſt „ blaſphemiam illicitum eſt? Sed etſi confinxerint, „ nihil promovebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum „ Apoſtolica comparata, ex diverſitate & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicujus „ auctoris eſſe, neque Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent.

Unitas Eccleſiæ & Miniſterii Eccleſiaſtici, excellentiæ illius nota eſt.

Tertullian. l. De Præſcriptionibus c. 32.

5. *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis*. Meritum humilitatis non amittit, qui ad defenſionem veritatis, & Miniſterii ſibi a Deo crediti, & ad impediendam fidelium ſeductionem, dotes a Deo ſibi collatas, laboreſque ſuos commemorat & commendat: immo potius acquirit meritum charitatis. *Qui neceſſitate cogente, vera de ſe bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto & veritati ſociatur. An Paulus humilis non fuit, quando æmulatione veritatis contra falſos Apoſtolos tot de ſe diſcipulis fortia geſta narravit? qui veritati inimicus exiſteret, ſi abſcondendo virtutes proprias, prædicatores errorum prævalere permiſiſſet.*

Apoſtolus ſe ipſum commendans meritum humilitatis non amittit.

S. Gregor. M. lib. 36. Moral.

7. 8. 9. *Numquid peccatum feci me ipſum humilians, ut vos exaltemini? Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis. Alias Eccleſias expoliavi accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. Et cum eſſem apud vos & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat ſuppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia; & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi & ſervabo*. Felix Paſtor, cui nihil exprobrari poteſt a calumniatoribus, niſi quod ſe ipſum nimis humiliet ac deprimat ad ovium ſalutem procurandam! *Quis eſt hic? & laudabimus eum*. In paupertate & humilitate vivere, nec exigere juſtum ſuſtentationis ſtipendium a populo, ut fructuoſior ſit prædicatio Evangelii, Apoſtolica virtus eſt. Dignus quidem eſt operarius cibo ſuo; ſed cavere debent Eccleſiæ Miniſtri & divini verbi Prædicatores, ne cupiditas illis dominetur, cujus regnum in aliis deſtruere debent. Miſeri coram Deo, ſi Miniſterium ſacrum artem faciant lucrandi panem, ſi prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione abutantur ad quæſtum, ſi pinguiora & majoris reditus ambiant Beneficia, vel iis in locis prædicare Dei verbum quærunt, in qui-

Venenum cupiditatis Paſtoribus & Concionatoribus cavendum.

Digitized by Google

quibus majoris quæſtus ſpes affulget, ſeu ſtipendium abundantius & eleemoſynæ uberiores Concionatoribus conferuntur. Væ illis qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. Omni vero laude digni Concionatores, qui gratis Evangelium Dei prædicant, & Paſtores qui de patrimonio ſuo viventes, Eccleſiaſticos reditus pauperibus erogant; tantum abeſt ut Eccleſiæ oneri ſint. Hi Juliani Pomerii doctrinam ſequuntur. „ Sicut (*inquit*) nihil habentes

Julianus Pomerius lib. 1. De Vita Contemplat. c. 10.

„ proprium non peccata, ſed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt: ita poſſeſſores non alimenta quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiant. Ipſi quoque pauperes, ſi ſe poſſunt ſuis artificiis aut laboribus expedire, non præſumant quod debet debilis aut infirmus, accipere: ne forte Eccleſia, quæ poteſt omni ſolatio deſtitutis neceſſaria miniſtrare, ſi omnes etiam nihil indigentes acceperint, gravata, illis, quibus debet ſubvenire non valeat. Qui autem Eccleſiæ ſerviunt, & labori ſuo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent aut accipiunt libenter, aut libenter exigunt, nimis carnaliter ſapiunt, ſi putant quod Eccleſiæ fideliter ſervientes ſtipendia terrena, ac non potius præmia æterna percipiant. Secularis quippe militia, quia cœleſtia non habet, terrena ſtipendia militantibus præſtat. Unde ſatis indignum eſt, ſi fidelis & operoſa devotio Clericorum, propter ſtipendium temporale præmia ſempiterna contemnat. Quod ſi Miniſter Eccleſiæ non habet unde vivat, non ei præmium reddat hic, ſed neceſſaria præſtet Eccleſia, ut in futuro præmium ſui laboris recipiat, quod in hac vita jam ſpe Dominicæ promiſſionis certus exſpectat. “ Hæc tamen urgeri quaſi præceptum non debent, ſed quaſi conſilium proponi, quatenus eos qui patrimonium poſſident, ex quo vivere poſſunt, Eccleſiaſticos reditus ad victum & veſtitum percipere non debere, ſed pauperibus omnino erogare aſſerere videntur. Verum ſerio cogitent Eccleſiaſtici Viri, qui pinguia Beneficia poſſident, & Eccleſiæ non ſerviunt, quo jure ex Eccleſiaſticis reditibus vivere poſſint. Hi certe dicere non poſſunt cum Apoſtolo Paulo, ſe oneroſos Eccleſiæ non eſſe, quam gravant accepto ſtipendio; nec juvant Miniſterio.

Eccleſiæ Miniſtris temporalia ſubſidia debentur.

Nec minus reprehenſione digni ſunt, & Dei judicio obnoxii populi, qui Paſtoribus ſuis, & Miniſtris pro eorum ſalute in Eccleſia laborantibus, temporalia ſubſidia deeſſe vident, nec illorum levant inopiam, juſtitiæ & caritatis officium pariter negligentes, præ cupiditate & avaritia, quæ radix eſt malorum omnium. Hoc divitum Corinthiorum vitium. Illis vero magna a Deo merces in cœlo parata eſt, qui ſupplent ex abundantia ſua, quod Paſtoribus & Miniſtris Eccleſiæ deeſt, Macedonum pietatem & charitatem imitati: & qui ſanctis ac ferventibus Miſſionariis ſubminiſtrant ſtipendium, ut gratis Evangelium in remotis etiam regionibus annuntient.

13. 14. *Nam ejuſmodi Pſeudo-apoſtoli ſunt operarii ſubdoli: transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Ab Eccleſiæ naſcentis exordio Pſeudo-apoſtoli & falſi Doctores extiterunt, qui Apoſtolorum Chriſti perſonam induentes, & aſſumpta pietatis larva, Chriſtianam plebem ſeduxerunt. Hæretici, Paſtores & Miniſtri hypocritæ, mercenarii, cupidi, elati, ſive ſuperbi, ambitioſi, voluptatum amatores, Evangelii prædicandi ſpecie negotiationem exercentes, & turpe lucrum quærentes; ſuam gloriam, magis quam Dei; utilitates ſuas, magis quam Eccleſiæ. Hi ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. „ Et non mirum, ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. *Unde S. Gregorius explicans illud Job*; Quis revelabit faciem indumenti ejus? *ait*; Leviathan iſto aliter religioſas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat: nam pravis mala quæ deſiderant aperte objicit: bonis autem latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit. Illis velut familiaribus ſuis antiquum ſe manifeſtius inſinuat: illis vero velut extraneis cujuſdam quaſi honeſtatis prætextu ſe palliat, ut mala, quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine ſubintromittat. Unde & membra ejus ſæpe, cum aperta nequitia nocere non poſſunt, bonæ actionis habitum ſumunt: & prava quidem opere exhibent; ſed ſancta ſpecie mentiuntur. Iniqui enim ſi aperte mali eſſent, a bonis recipi omnino non poſſent; ſed ſumunt aliquid de viſione bonorum, ut dum boni viri in eis recipiunt ſpeciem quam amant, permixtum ſumant etiam virus quod vitant. Unde quoſdam Paulus Apoſtolus intuens ſub prædicationis velamine ventris ſtudio ſervientes, ait: *Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitia.* „ Hanc transfigurationem Joſue timuit, quando videns Angelum, cujus eſſet partis inquiſivit, dicens, *Noſter es, an adverſariorum?* ut videlicet, ſi adverſæ virtutis eſſet, eo ipſo quo ſe ſuſpectum cognoſceret, ab illuſione reſiliret. Quia ergo Leviathan iſte in eo quod iniquitatis opus molitur, ſæpe ſpecie ſanctitatis induitur; & quia niſi per divinam gratiam ſimulationis ejus detegi indumenta non poſſunt, bene dicitur, *Quis revelabit faciem indumenti ejus?* Subaudi, niſi ego, qui ſervorum meorum mentibus gratiam ſubtiliſſimæ diſcretionis inſpiro; ut revelata malitia faciem ejus nudam videant, quam coopertam ille ſub habitu ſanctitatis occultat. Et quia aliquando fidelium mentes corrumpere oſtenſione ſua, aliquando ſuggeſtione conatur (agit enim modo opere, modo perſuaſione) recte ſubjungitur, *Et in medium oris ejus intrabit?* Subaudi, Niſi ego, qui per diſcretas electorum mentes ſuggeſtionum ejus verba diſcutio, & non ita hæc eſſe, ut ſonuerant, manifeſto. Bonum namque videntur promittere, ſed ad perditum finem trahunt. In medium igitur oris ejus intrare, eſt calliditatis ejus verba penetrare, ut nequaquam penſetur quid reſonant, ſed quo intendant. Adverſus Pſeudo-apoſtolos vigilent Epiſcopi Apoſtolorum Chriſti ſucceſſores, S. Pauli zelum imitentur, illos detegant, arceant ab ovili, ne gregem Chriſti corrumpant, ne ovium illudant ſimplicitati. Auxilium vero gratiæ Chriſti aſſiduis & ferventibus orationibus invocent fideles omnes, ne a ſubdolis illis operariis & ſatanæ Miniſtris ſeducantur.

Varia Diaboli artes, ut homines ſeducat propoſita interdum ſpecie boni.

Job 41. 4. S. Gregor. M. lib. 33. Moral. cap. 25.

Joſue 5. 13.

14. *Et non mirum: ipſe enim Satanas ſe transfigurat in Angelum lucis.* Dæmones, inquit Richardus a Sancto Victore) interdum mala ſua ſpecie bona occultant, & ad quædam bona incitant, ut ad malum perducant. Falſa etiam devotione decipiunt, quia per quaſdam orationes & meditationes, dulcem affectum & lacrymas in anima producunt, ut vel mentem in errorem vel elationem, vel corpus perducant ad debilitatem. Male quidem & de ſancte alii eum ſolicitant, quos excitant & accendunt ad converſionem, vel ædificationem aliorum longe poſitorum, quatenus a quiete mentis & utilitate propria eos dejiciant. Cum itaque aliquid nobis ſuggeritur agendum, perpendere debemus, utrum aliqua ſui parte indiſcretio ſe miſceat, vel dolus inimici ſe ingerat: ſi cum debito timore & cautela fiat, ſi humana laus vel oſtentatio ſubrepat, ſi vanitas vel levitas aliqua impellat.

Richardus Victorinus in Cant. cap. 17.

Sæpe ſpiritus malignus animæ bonis, ſanctiſque deſideriis, eis aſſentiri, ipſique cogitatio eas fovere videtur; ſed mox hominem occulte aggreditur, ſuiſque fallaciis miſerum decipit; nam ſenſim venenum infundit, & quem falſo lumine illuſerat, tandem in tenebras horribiles conjicit. Vigilare igitur oportet, & ex fine ad quem tendit, pravam ejus ſuggeſtionem deprehendere. „ Nam quando ſenſus corporis fallit, mentem vero non movet a vera rectaque ſententia, qua quiſque vitam fidelem gerit, nullum eſt in religione periculum. vel cum ſe bonum fingens ea facit ſive dicit, quæ bonis Angelis congruunt, etiamſi credatur bonus, non eſt error Chriſtianæ fidei periculoſus aut morbidus. Cum vero per hæc aliena ad ſua incipit ducere, tunc eum dignoſcere, nec ire poſt eum, magna & neceſſaria vigilantia eſt. Sed quotuſquiſque hominum idoneus eſt omnes mortiferos ejus dolos evadere, niſi regat atque tueatur Deus? Et ipſa hujus rei difficultas ad hoc eſt utilis, ne ſit ſpes ſibi quiſque, aut homo alter alteri, ſed Deus ſuis omnibus. Id enim nobis potius expedire, prorſus piorum ambigit nemo.

S. Aug. Enchiridio c. 60.

17. 18. *Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor.* Ægre ſe ipſum laudat Apoſtolus, idque inſipientiam vocat, & *ſecundum Deum* non eſſe dicit: tanta eſt illius humilitas ut vix ſeipſum tolerare poſſit, ob cauſſam neceſſariam, & quæ ad Dei gloriam & ſalutem proximorum pertinet, ſe commendantem; cum Pſeudo-apoſtoli ſuſtinere non poſſint eos qui illos non laudant, & illorum vanitati non blandiuntur. Comparat autem Apoſtolus genus ſuum ac originem, & ab aliis externis rebus manantem gloriam, cum iis de quibus gloriabantur Pſeudo-apoſtoli, ut eorum inſipientiam oſtendat, & faſtum fugillet, qui de his ſe jactabant. *Quemadmodum*, inquit S. Chryſoſtomus, *ſi quis claro genere natus, ac Philoſophicum vitæ genus amplexus, alios ob nobilitatem magnifice de ſe ſentientes videat, atque eorum faſtum deprimere cupiens, generis ſui ſplendorem commemorare cogatur, non ut ſe inſolenter efferat, ſed ut eos humiles reddat. Idem*

S. Chryſoſt. Hom. 24.

ſan-

Paulus facit. Cauſſa itaque ſpectanda eſt cur aliquis ſe ipſum commendet. *Nam qui auditorum utilitatem unice curalis ſibi proponit, etiamſi ſe ipſum laudibus efferat, non modo nullam reprehenſionem, ſed coronam meretur. Imo ſi eum tacuerit, in reprehenſionem neceſſario incurrit*. Hinc Samuel ſe ipſum commendat ad utilitatem & eruditionem populi ac Regis quem mox erat creaturos. Hinc David de fortitudine ſua gloriatur, qua leonem & urſum olim interfecit, ut ſe Goliatho giganti, Philiſtæiſque populi Dei hoſtibus debellandis imparem non eſſe oſtendat. Hinc ſeipſum commendat Amos coram Amaſia Sacerdote, qui ipſum apud Jeroboam Regem Iſrael calumniis proſciderat, oſtenditque ſe a Domino Prophetam inauguratum, ut ad populum Iſrael Prophetaret. Nemo igitur ſanctus Epiſcopos, Doctores, & Prædicatores imprudentiæ, temeritatis, aut ſuperbiæ inſimulet, cum ſeipſos commendare ad ſuæ dignitatis & miniſterii tuitionem, ad defenſionem veritatis, ad Dei gloriam, & utilitatem ſpiritualem populi Chriſtiani compelluntur, ut Pſeudo-apoſtolos, falſoſque Doctores confundant, & calumniatoribus os occludant.

1. Reg. 12.
1. Reg. 17.
Amos 7.

Qui bonos paſtores & Directores contemnunt, aliiſque non obediunt; ſæpe malis tradantur juſto Dei judicio.

19. 20. *Libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit*. Sæpe evenit juſto Dei judicio, ut qui bonos Paſtores contempſerunt, nec eorum monita, conſilia, adhortationes, qua par erat veneratione & obedientia exceperunt, mercenariis & furibus, ſive Paſtoribus ambitioſis, avaris, duriſque tradantur: quorum directioni ſeu potius dominationi ſubditi, rediguntur in miſeram ſervitutem, non hominum tantum, ſed ſuarum & aliorum cupiditatum, & vitiorum. De aliis judicant ut illi quorum ſe directioni ſubdiderunt: bonis Eccleſiæ Miniſtris, & pietatis doctrinæque merito excellentibus detrahere plerumque non verentur, quos vident a Directoribus ſuis parvifieri. Sibi fas eſſe non credunt examinare an illi forte non fallantur, quibus cæcam obedientiam exhibent duci ut cæci. Adeo deploranda eſt illorum ſervitus. Sæpe evenit juſto Dei judicio, ut qui veritatem ex ore ſanctorum Paſtorum & Miniſtrorum obedienter non audiverunt, falſitatem ſuſcipiant ex ore Pſeudo-prophetarum & operariorum hypocritarum, a quibus ſeducuntur, & in errores inducuntur, ſive in materia fidei, ſive in materia morum. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia: Quid igitur fiet in noviſſimo ejus?*

Jerem. 5. 31.

Apoſtolus ſeipſum commendat utpote charitate, honorem fugit ex humilitate.

21. 22. *Hebræi ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt (ut minus ſapiens dico) plus ego*. Apoſtolus Paulus honorem fugit ex humilitate, ſeipſum commendat utpote charitate. Honorem fugiens, ſervum ſe diſcipulorum prædicat. „ Honorem pro utilitate audien„ tium quærens, falſis Apoſtolis vitæ ſuæ merita „ ſuperponit. Erit quippe Doctor egregius, ut dum „ ipſe qualis eſſet agnoſcitur, & vita & lingua ma„ le prædicantium ejus comparatione vileſceret, illos „ videlicet commendaret, ſi ſe abſconderet; cum„ que ſe non oſtenderet, errori locum dediſſet. „ Hoc igitur modo & humilitatis exhibet gratiam, „ & utilitatis quærit incrementa, ut & ſervum ſe „ diſcipulorum prædicet, & adverſariis potiorem „ demonſtret. Oſtendit diſcipulis quid humilitatis „ acceperit: oſtendit adverſariis quid ſublimitatis. „ Innoteſcit diſcipulis qualis apud ſe maneat in co„ gitatione: innoteſcit adverſariis qualis foris appa„ reat in operatione. “ *Sancti ergo viri cum coguntur bona narrare quæ faciunt, non elationi ſerviunt, ſed utilitati*, non ſuæ, ſed Eccleſiæ, & proximorum: & tamen interius contremiſcunt, & ſummopere cavent ne quis vanæ gloriæ motus ſurrepat. Hinc Apoſtolus omiſſis miraculis, a tentationibus & tribulationibus exorditur.

S. Gregor. 22. lib. 10. Moral. cap. 14.
S. Chryſoſt. Homil. 25.

Hæc pericula numerari quidem poſſunt, ſed tolerari, niſi Spiritu ſancto juvante non poſſunt. S. Aug. Serm. Gradibus 9. De verbis Domini.
* Cætera pericula quieſcere poſſunt, periculum in falſis fratribus quieſcere uſque in finem ſæculi non noverunt.

23. 24. 25. 26. 27. *Miniſtri Chriſti ſunt: plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis * fratribus. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti in jejuniis multis, in frigore & nuditate*. Flagellari ut ſervum contumacem & rebellem, lapidari ut blaſphemum, mitti in mare ut ſceleratum, fors eſt eo dignior Apoſtolo in oculis fidei, quo indignior videtur oculis carnis. Infirmitatem a Deo electum & aſſumptum ad maxima opera, tribulationum igne probari, purgari, expoliri convenit. Apoſtolorum tribulationes tam univerſales ſunt, quam eorum miſſio & auctoritas. Diabolus mundum univerſum contra S. Paulum commovit, armavit, quia orbis totius Apoſtolus erat. Omnibus tribulationibus, omnibus periculis ſuperior fuit, quia Dei virtute & gratia roboratus eſt. Ejus triumphus veritatem religionis demonſtrat; divinæ providentiæ regimen æquiſſimum ac ſapientiſſimum oſtendit; fiduciam Chriſtianorum in periculis, in tribulationibus, in anguſtiis excitat. Quantiſcumque igitur & quibuſcumque malis affligamur & premamur, in Deo confidamus. Manus enim Omnipotentis, quæ S. Paulum in laboribus plurimis roboravit, ex carceribus duriſſimis liberavit, a plagis ſanavit, frequentibus mortis periculis eripuit, ex profundo maris extraxit, Judæorum, & Gentium perſecutionibus, a falſorum fratrum inſidiis ſervavit; ad famem, ſitim, jejunia, frigus, nuditatem, omniſque generis incommoda ſuſtinenda ipſi auxiliata eſt, nos quoque ab omnibus malis & periculis eripere poteſt, & in tempore opportuno adjuvabit, ſi Deum ſpem noſtram, virtutem noſtram, refugium noſtrum, firmamentum noſtrum, liberatorem noſtrum, Patrem noſtrum invocemus, & ad eum toto corde clamemus. Nobis interim perſuaſum ſit, afflictiones & calamitates, quas propter Deum patimur in hoc mundo, Dei favores eſſe, & amoris ejus pignora, probationes virtutum, incrementa meritorum, crucem ſecurum iter eſſe ad beatitudinem & gloriam æternam. In his igitur gaudeamus, & Deo gratias agamus exemplo S. Pauli. Felices Chriſti & Eccleſiæ Miniſtri, ſi pro Chriſti gloria, & animarum ſalute quælibet adverſa patiantur, & eo, quo noſter Apoſtolus animo! „ Hæc „ enim omnia paſſus eſt, ut aliorum mala ſolveret. „ Naufragium ſubiit, ut orbis terrarum naufragium „ ſedaret ac comprimeret. Noctem & diem in imis „ maris gurgitibus egit, ut homines ex erroris pro„ fundo extraheret. In labore verſatus eſt, ut labo„ rantes reficeret ac recrearet. Plagas ſuſtinuit, ut iis, „ quibus diabolus vulnera intulerat, mederetur. In „ carcere commoratus eſt, ut eos qui in tenebris „ ac vinculis ſedebant, in lucem educeret. In „ mortibus frequenter, ut ab æterna morte li„ beraret. Quinquies quadragenas una minus acce„ pit, ut eos qui hæc perpetrabant, a diaboli ver„ beribus eximeret. Virgis cæſus eſt, ut ſub Chriſti „ virgam ac baculum adduceret. Lapidibus impe„ titus eſt, ut a lapidum cultu removeret. In ſo„ litudine fuit, ut a ſolitudine, in qua reſpectu Dei „ eramus, nos revocaret. In itineribus, ut errantes „ reprimeret, cœlique viam aperiret. In urbibus pe„ riclitatus eſt, ut ſupernam Civitatem oſtenderet. „ In fame & ſiti, ut a graviore fame vindicaret. „ In nuditate, ut turpiter & indecore ſe gerentes „ Chriſti ſtola conveſtiret.

S. Aug. Serm. 167. alias 14. De verbis Apoſtoli.
Gratiæ Deo agendæ in afflictionibus in illiſque gaudendum eſt exemplo S. Pauli.
S. Chryſoſt. Homil. 25.

28. 29. *Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum*. „ Illud „ præcipuum omnium caput eſt, quod animus quo„ que ipſius diſloquebatur, & cogitatio diſtrahebatur negotiis undequaque pro Eccleſia Dei, & ani„ marum ſalute incumbentibus. Nam etiamſi nulla „ externus mala ipſum oppreſſiſſent, ſatis tamen ſu„ perque inteſtinum bellum erat, denſique ac aliis „ alii ſuperjecti fluctus, curarum agmina, cogita„ tionum conflictus. Nam ſi quiſpiam unius tantum „ domus curam gerens, ſervoſque & procuratores „ atque adminiſtratores habens, plerumque præ cu„ rarum mole ne ſpiritum quidem ducere poteſt; „ tametſi nemo ſit qui negotium ipſi faceſſat: cogita „ quidnam hic pertulerit, qui non unius domus, ſed „ urbium & populorum, & totius orbis curam ge„ rebat; & quidem pro tanti momenti rebus; cum „ tot eſſent a quibus vexabatur, ipſeque ſolus eſſet, „ ac tanta pateretur, eaque ſolicitudine afficeretur, „ ut nullus pater pro filio in pari cura verſetur. “ Nec mirum ſi Apoſtolus, qui Eccleſiam & omnia ejus membra gerebat in corde, mala omnium ac ſingulorum pateretur, illiſque intus affligeretur, & ureretur. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Non de majoribus quidem hæc dicebat, minores autem contemnebat, ſed abjectiſſimum quemque eorum, qui infirmi erant, inter neceſſarios reponebat, & ſic de uniuſcujuſque malis diſcruciabatur & angebatur, *ac ſi ipſe univerſus orbis eſſet Eccleſia*. Qui ovium ſuarum infirmitatibus non compatitur, qui perditionem illarum non timet, mercenarius, non Paſtor eſt. *Qui infirmatur, & ego non infirmor?* Abundet in te caritas, plus dolebis peccantem. *Quanto in te major caritas eſt, tanto amplius te torquebit quem toleras: non torquebit tamquam iraſcentem illi, ſed tamquam dolentem pro illo*. Vide Paulum

S. Chryſoſt. ibid.
S. Pauli caritas pro omnium Eccleſiis ſollicitudine infirmitatis compaſſio.
S. August. Enarrat. in Pſalm. 99. n. 12. & 13.

Apo-

Apoſtolum, vide quis, quid patiebatur: *Præter illa quæ extrinſecus ſunt*, inquit, *inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum*. „ Vide qualis ſollicitu„do, quam paterna, quam materna. *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Quanto major caritas, tanto „ majores plagæ de peccatis alienis.

S. Gregor. M. l. 3. Moral. cap. 12.

Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum, &c. „ Ipſe in ſe contemnit vulnera corporis, & in aliis, vulnera „ medetur cordis. Habent quippe hoc juſti proprium, „ ut in dolore poſiti tribulationis ſuæ, curam non „ deſerant utilitatis alienæ: & cum de ſe adverſa „ patientes doleut, aliis neceſſaria docentes provi„dent; & quaſi percuſſi quidam, magni Medici æ„grotant. Ipſi tolerant ſciſſuras vulneris, & aliis „ proferunt medicamenta ſanitatis. Valde autem „ minoris laboris eſt aut docere cum nihil toleras; „ aut tolerare cum nihil doces. Unde ſancti viri ad „ utraque ſe ſolerter extendunt, & cum tribulatio„nibus fortaſſe feriuntur, ſic exteriora bella ſuſci„piunt, ut ſollicite cogitent, ne proximorum inte„riora lacerentur. Et ſancti viri fortes in acie ad„ſiſtunt, & illinc jaculis adverſantia pectora fe„riunt, hinc ſcuto poſtpoſitos debiles tuentur: at„que ita utrobique velocitate circumſpectionis in„vigilant, quatenus & ante ſe audaces confodiant, „ & poſt ſe trepidos a vulnere defendant.

30. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor*. Chriſti membro & Miniſtro nihil honorificentius & glorioſius, quam capiti & Domino ſuo per tribulationes & crucem aſſimilari. Sola gloria crucis Chriſtiano digna eſt in hoc mundo: ſiquidem hoc medium elegit Chriſtus ut in gloriam ſuam intraret, Patremque ſuum glorificaret. „ Hinc Apoſto-

Theodoret.

„ lus noſter oſtendit ſe potuiſſe quidem gratiæ dona „ ſibi collata commemorare, exiſtimaſſe autem, quæ „ patientiæ erant, ſibi magis convenire.

32. 33. *Damaſci Præpoſitus gentis Aretæ Regis cuſtodiebat civitatem, ut me comprehenderet: Et per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus*. Ex fuga S. Pauli diſcant Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ, diſcant omnes Chriſtiani, qui perſecutionem patiuntur, nec poſtulanda, nec exſpectanda eſſe a Deo miracula, ut e periculis evadant: hæc enim Dei tentatio eſt: ſed mediis humanis utendum, a divina providentia paratis & oblatis; tametſi humiliora videantur, & illorum infirmitatem demonſtrent: id enim Chriſtianæ religionis ſimplicitati, & humilitati, quam profiteri debent, magis convenit. Diſcant præterea, neminem Chriſtianum, præſertimque Paſtores & Miniſtros Eccleſiæ, exponere ſe debere periculis ſine neceſſitate, aut in iis manere ſine utilitate Eccleſiæ, neminem etiam ex ignavia fugere debere.

Ex S. Pauli fuga quid discere debemus?

S. Gregor. M. l. 31. Moral. cap. 14.

„ Ex Apoſtoli Pauli artificioſa virtute diſcamus, adverſariorum pugnam & „ conſtanter aliquando appetere, & prudenter ali„quando declinare. Neceſſe quippe eſt ut per omne „ quod agimus, in mentis trutina poſitum hinc pon„dus, illinc fructum noſtri laboris æſtimemus; & „ cum pondus fructum ſuperat, laborem quiſque in„noxie declinet, dummodo ſe in illis exerceat, in „ quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum „ vero ſubſequenti quantitati fructuum pondus labo„ris non æquatur aut vincitur, labor non ſine gra„vi culpa declinatur. Unde Prædicator ſanctus, „ cum Damaſci valde obſtinatas mentes perſequen„tium cerneret, eorum voluit adverſitati confligere: „ quia & ſemetipſum, quem profuturum multis „ noverat, vidit poſſe deficere, & aut nullis ſe ibi, „ aut paucis prodeſſe. Seceſſum ergo a certamine „ petiit, & pugnaturum felicius ad alia ſe bella „ ſervavit. Non enim loco virtus, ſed locus virtu„ti defuit: & idcirco fortiſſimus miles ab obſidio„nis anguſtia, certaminis campum quæſivit. Ubi „ autem ſubjuganda Regi proprio multa adverſario„rum colla conſpexit, ſubire bellum vel cum mor„te non timuit: ſicut ipſe cum Hieroſolymam per„geret, eumque diſcipuli, paſſione illius præſcita, „ prohiberent ſibimetipſi atteſtatur dicens: Ego non „ ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus „ ſum pro nomine Domini Jeſu. Neque enim facio „ animam meam pretioſiorem quam me. „ Qui igi„tur hoſtiles cuneos, etiam præſcita paſſione ſua, „ imperterritus petiit, illic de diſpenſatione fuiſſe „ docuit; non de timore, quod fugit. Quæ in re „ penſandum eſt, quia ille labores quoſdam per diſ„penſationis judicium laudabiliter declinat, qui pro „ Deo majores alios fortiter tolerat. Nam ſæpe ab „ hominibus timor debilis cauta diſpenſatio vocatur: „ & quaſi prudenter impetum declinaſſe ſe aſſerunt, „ cum fugientes turpiter in terga feriuntur. Unde „ neceſſe eſt ut in cauſa Dei, cum res diſpenſationis

Act. 21.

„ agitur, motus cordis ſubtiliſſima libratione penſe„tur; ne per infirmitatem timor ſubrepat, & ſeſe „ per diſpenſationis imaginem, rationem confingat; „ ne culpa ſe prudentiam nominet, jamque nec ad „ pœnitentiam animus redeat, quando hoc quod ini„que perpetrat, virtutem vocat. Reſtat igitur ut „ in dubiis quiſque deprehenſus, cum quælibet ſibi „ adverſitas imminet, prius intra ſemetipſum contra „ formidinem & præcipitationem pugnet: quatenus „ nec formidoloſe ſe ſubtrahat, nec præcipitanter „ opponat. Valde enim præceps eſt, qui ſemper ad„verſis ſe objicit; & valde pavidus, qui ſemper „ abſcondit. Sed hæc melius in bellis ſpiritualibus „ diſcimus, ſi formam exercitus a corporalibus bel„lis trahamus. Non enim ille Dux ſapiens eſt, qui „ ſemper contra hoſtiles cuneos exercitum præceps „ admovet: neque ille Dux fortis, qui ſemper hunc „ ab hoſtis facie cavendo ſubducit. Scire namque „ Dux debet modo ab hoſtili impetu exercitum cau„te ſubtrahere, modo hoſtem circumfuſis cornibus „ coarctare. Quod nimirum ſollicite perfecti Prædi„catores exhibent, cum modo perſecutionis rabiem „ declinantes, noverunt ſapienter, ſed non enervi„ter cedere: modo autem perſecutionis impetum „ contemnentes, noverunt ei fortiter, ſed non præci„pitanter obviare.

C A P U T XII.

Senſus Litteralis.

1. *SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad viſiones & revelationes Domini*. Gloriari quidem oportet propter vos, ad tuendam miniſterii mei dignitatem, quæ apud vos Pſeudo-apoſtolorum obtrectationibus eſt imminuta: quamvis id mihi per ſe non expediat, tum quia ſpeciem habet jactantiæ, tum propter elationis periculum, veniam igitur ad commemorationem viſionum & revelationum a Chriſto Domino mihi factarum. Revelatio viſionem includit ſive ſupponit. Cum aliquid videtur, cujus ſignificatio non revelatur, ſimplex viſio eſt, quales fuere viſiones Pharaonis & Nabuchodonoſoris. Cum autem rei viſæ ſignificatio aperitur, & intelligentia datur, revelatio eſt.

Si, abeſt a Græc. n. C... ...

Theophylact. S. Thomas, Lect. 1.

2. *Scio hominem * in Chriſto ante annos quatuordecim, (ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum*. Novi hominem quemdam, ante annos quatuordecim, virtute & operatione Chriſti raptum uſque ad tertium cœlum, quod Empyreum dicitur, Chriſti & beatorum ſedem. Utrum vero raptus ille contigerit anima in corpore manente, ſic tamen ut mens a corporeis ſenſibus penitus alienata fuerit; vel anima, extra ordinem & ad tempus, a corpore ſeparata, id factum ſit, neſcire me profiteor, Deus certo novit. Neſcire ſe profitetur, quod eo tempore a phantaſmatibus & ſenſibus alienatus fuerit, nec ſatis quæ circa ſe gererentur intellexerit, totus iis intentus quæ ſpectanda offerebantur. Signata temporis nota, *ante annos quatuordecim*, ad annum poſt Apoſtoli converſionem octavum referenda eſt, ſcilicet ad annum Æræ noſtræ vulgaris 43. poſtquam excitato Lyſtræ tumultu Paulum lapidatum extra urbem traxerunt quaſi mortuum, qui paulo poſt ſurgens quaſi de ſomno, urbem eſt ingreſſus. Non igitur de ea viſione quæ in ſua converſione accidit (*Act. 9.*) hic loquitur Apoſtolus, ſed de alia. Hæc enim Epiſtola anno Æræ noſtræ vulgaris 57. ſcripta eſt, a quo ad annum ejuſdem Æræ 34. retrogradiendo, quo Paulus ad Chriſtum converſus eſt, non quatuordecim anni dumtaxat, ſed viginti tres numerantur. Tempus autem rei geſtæ annotavit Apoſtolus, ut diſcamus quod cum quatuordecim annos conticuiſſet, nec tunc quidem protuliſſet viſionem & revelationem excellentiſſimam, niſi neceſſitate compulſus.

De ſe ipſo loquitur S. Paulus in tertia perſona, modeſtiæ & humilitatis cauſa.

Act. 14. 18. 19.

S. Chryſoſt. Hom. 26. Theophylact.

3. 4. *Et ſcio hujuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) Quoniam raptus eſt in paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Non diverſæ viſiones hic narrantur a S. Paulo, ſed eadem diverſis verbis commemoratur. Unde nec alia temporis nota his verſibus adſcripta eſt, nec alia & alia ſe vidiſſe vel audiviſſe aſſerit. Raptum autem ſe dicit in paradiſum, non terreſtrem, ſed cœleſtem, de quo Dominus ſancto Latroni ait, *Hodie mecum eris in paradiſo*. Non alius ergo locus paradiſus a tertio cœlo, ſed unus & idem cœleſtis beatitudinis locus. Quamquam diverſis illis vocabulis Apoſtolus ſignificaverit ſe raptum fuiſſe non ſolum ſecundum intellectum ad cognitionem ſublimium quorumdam Myſteriorum, ſed etiam

Lucæ. 23.

Digitized by Google

ſecundum voluntatem, ad percipiendum ex hujuſmodi cognitione ineffabilem ſuavitatem. Paradiſus enim locum ſignificat amœnitatis & voluptatis. Et audivit a Chriſto verba adeo ſublimia, adeo arcana, ſeu res tales ac tantas, ut eas mortalis homo eloqui non poſſit.

S. Auguſt. l. 12. De Gene. ad Litteram & Epiſt., ad Paulinam.

S. Auguſtinus & S. Thomas ex hoc loco probabiliter colligunt S. Paulum in raptu ad eſſentiæ divinæ viſionem evectum fuiſſe, raptim tamen & in tranſitu, non permanenter, quo modo beati Deum vident. Verumtamen expreſſis Scripturæ oraculis repugnare videtur illa interpretatio: *Non videbit me homo, & vivet*: & *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit*. Neque vero ad ſignificandum intuitivam Dei viſionem uſus fuiſſet Apoſtolus metaphora accepta ab auditu, qui ſenſu eſt inferior, dicendo ſe audiviſſe arcana verba. Multo minus enim eſt audire, quam videre, magiſque ad fidem pertinet auditus, quam ad viſionis evidentiam, quia *fides ex auditu*. Deinde, *audire verbo*, non pertinet ad viſionem Dei beatificam, qua quæ videntur, in uno Verbo videntur, quod Deus eſt. Quapropter ceteri pene Patres conſtanter negant quemquam hominum in hac vita mortali Deum vidiſſe, aut videre potuiſſe: & id ſpeciatim de S. Paulo negant SS. Ambroſius & Gregorius Magnus. Nec ipſe Paulus ſe ab hac ſententia & generali lege excipit: *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Ad myſteriorum igitur ineffabilium cognitionem altiſſimam hæc Apoſtoli verba referenda ſunt: *& audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*.

S. Thomas in Comment. Joan. 1. S. Ambroſ. lib. 5. De Fide c. 19. n. 237. S. Gregor. M. lib. 18. Moral. cap. 28. 1. Tim. 6.

S. A. g. lib. 2. De Geneſi ad Litteram, c. 1.

Ceterum an in corpore, an extra corpus raptus ille S. Pauli contigerit, non eſt operoſius diſputandum: *Quis enim audeat dicere ſe ſcire, quod ſe neſcire Apoſtolus dixit?*

Excellentiam ſuam donaque Dei per humilitatem diſſimulat S. Paulus quaſi alterius perſona fictione.

5. *Pro hujuſmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis*. De tali homine loquendo gloriari poſſem, ſed quod me attinet, gloriari nolim niſi in infirmitatibus & calamitatibus meis.

6. *Nam etſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem ne aliquis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me*. Quod ſi gloriari vellem de viſionibus & revelationibus, aliiſque donis ac favoribus a Domino mihi conceſſis, non eſſem inſipiens, qui veritati ſtuderem, non vanitati: ſed ab illis recenſendis mihi tempero, ne quis mihi plus aliquid tribuat quam convenit homini mortali; aut aliunde me æſtimet quam ex his quæ videt me facientem, aut docentem audit.

S. Hieron. Ep. ad Ruſticum Monachum, ad Euſtochium, & ad Demetriadem De Virgin. S. Auguſt. in Pſalm. 58. Conc. 2. S. Thomas, Lect. 3. S. Chryſoſt. Hom. 25. Theodoret. Theophylact.

Stimulus carnis, quo vexatus eſt S. Paulus, quid ſit?

S. Aug. lib. 1. De Gratia Chriſti, cap. 12.

7. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet*. Et ne revelationum excellentia in ſuperbiam efferar, datus eſt mihi, Deo permittente, carnalis tentationis ſtimulus, quo me diabolus pudendum in modum affligit, exagitat, & ad peccatum pertrahere nititur. Quod quis *noſtrum dicere auderet, niſi Apoſtolus confiteri non erubeſceret?* Vel, dati ſunt mihi adverſarii a ſatana concitati, qui prædicationi meæ, & Evangelii progreſſui velut ſtimuli ſeu pali oppoſiti, ubique reſiſtant. Tales fuere Hymenæus, Alexander Ærarius, Philetus, Demetrius, & Pſeudo-apoſtoli, quos numero ſingulari Angelum ſatanæ Apoſtolus appellat, quod plerumque ſingulis locis unuſquiſpiam eſſet ſatanæ miniſter qui Paulo reſiſteret, aliiſque ſe ducem præberet; & tribulationes calamitateſque plurimas in ipſum concitaret, quibus velut colaphis exterior homo cædebatur & affligebatur. Certe de capitis dolore, aut morbo iliaco, aut qualibet alia corporis infirmitate non eſſe intelligendum hunc Apoſtoli locum S. Auguſtinus propugnat contra Pelagium. *Nolenti*, inquit, *perpeti moleſtiam, qua ejus cohiberetur elatio, antequam eſſet in eo caritatis ultima & ſumma perfectio, rectiſſime dicitur, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur: in infirmitate ſcilicet, non ut ille (Pelagius) putat, carnis tantum, ſed & carnis & animi: quia & animus erat in comparatione ſummæ illius perfectionis infirmus, cui ne extolleretur; proinde ſtimulus carnis Angelus ſatanæ intelligebatur datus, quamvis eſſet in carnalium vel animalium nondum percipientium quæ ſunt Dei comparatione firmiſſimus*. Et prior quidem interpretatio, quæ ſtimulum carnis pudendos concupiſcentiæ motus intelligit, Apoſtoli verbis confirmari videtur alias dicentis: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati*.

Rom. 7. 23. 24. 25.

Secundum Textum Græcum.

8. 9. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me*. Quamobrem frequenter Dominum rogavi, ut a tentatione tam gravi me liberaret. *Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur*. Et reſpondit mihi Dominus per inſpirationem ad cor loquens. Ad hanc tentationem ſuperandam ſufficit tibi gratiæ meæ præpotens auxilium, quod tibi ſemper præſens aderit. Nam virtus & potentia mea magis declaratur, & eluceſcit in infirmitate tua, in tentationibus, in adverſitatibus, & calamitatibus, dum per eam roboratus, victor evadis, & coronam gloriæ promereris. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Chriſti*. In pugna & miſeriis carnis meæ libentius gloriabor, quam de miraculis, donis & privilegiis a Chriſto mihi collatis, ut Chriſti virtus firmam, ſtabilemque in me ſedem habeat, ſeu magis appareat. *Habitare* enim hoc loco, eſt *frequenter ſe oſtendere*; ſicut homines ſæpius domi ſunt, quam extra domum.

10. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus: in anguſtiis pro Chriſto: Cum enim infirmor, tunc potens ſum*. Tranquillo & læto ſum animo in infirmitatibus meis, quatenus Chriſti virtus in illis perfectius emicat, tribuendo mihi robur & victoriam. Delector in contumeliis, in perſecutionibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis ſive anxietatibus animi, quas pro Chriſto patior: cum enim infirmus ſum ſecundum naturam, tunc potens ſum & fortis per gratiam Chriſti, & majora per me Deus operatur. Quæ videtur infirmitas, ea mihi veram potentiam conciliat.

Theodoret.

11. *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli; tametſi nihil ſum*. Factus ſum quaſi inſipiens gloriando: ſed vos me ad hoc coegiſtis, ut auctoritatem meam apud vos ſtabilirem, qui tanti facitis Pſeudo-apoſtolos mei contemptores. Neque enim exſpectare debebatis ut quidquam ad mei commendationem ſcriberem, ſed veſtrum erat me commendare contra obtrectatorum calumnias. Nulla enim in re inferior fui primis ac præcipuis Apoſtolis: tametſi ex me ipſo nihil ſum, & totum quod ſum, quod habeo, quod ago, uni gratiæ Dei in me & per me operanti acceptum refero.

12. *Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis & prodigiis, & virtutibus multis*. Signa quidem, quæ me verum Chriſti Apoſtolum eſſe probant, apud vos edita ſunt, Deo per me operante, ſcilicet patientia ſingularis laborum, moleſtiarum, injuriarum: miracula, prodigia, aliaque extraordinaria divinæ omnipotentiæ opera.

13. *Quid eſt enim, quod minus habuiſtis præ ceteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam*. In quo enim vos inferiores feci ceteris Eccleſiis a me, vel ab aliis Apoſtolis fundatis, niſi quod a vobis non accepi ſtipendium & ſubſidium? Quæ ſi veſtro judicio injuria eſt, hanc rogo mihi condonetis.

Apoſtolus ter paratus fuit adire Corinthios, ſed bis tantum adiit. Secunda enim profectio, quam paraverat, fuit impedita, ut colligitur ex illis verbis cap. 1. hujus Epiſtolæ: *Volui prius venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis, & per vos tranſire in Macedoniam, & iterum a Macedonia venire ad vos*.

14. *Ecce, tertio hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero gravis vobis*. Tertiam ad vos profectionem paro ut ſpiritualia vobis miniſtrem, idque ſine veſtro gravamine, ut ante hac feci. *Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*. Non pecunias veſtras, aut commodum aliquod temporale a vobis expeto, ſed vos in æternum ſalvos præſtare cupio. *Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis*. Ego enim pater veſter, qui per Evangelium in Chriſto vos genui, in hoc imitari geſtio carnales parentes, quorum non eſt a filiis accipere, ſed filiis dare, & hereditatem illis relinquere.

15. *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar*. Libentiſſime impendam quæcumque habeo, & ſanguinem etiam meum, vitamque exhauriam & profundam pro ſalute veſtra; licet plus vos diligens quam vos diligant Pſeudoapoſtoli, minus quam illi diligar a vobis.

16. *Sed eſto, ego vos non gravavi: ſed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi*. Sed forte dicent. Me palam quidem a vobis ſumptus non accepiſſe, ſed callide id feciſſe per interpoſitas perſonas.

17. 18. *Numquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumveni vos?* Numquid per aliquem eorum, quos ad vos miſi, ut vos docerent, & in bono confirmarent, aliquid a vobis emunxi? Teſtes eorum Deo vos ipſos appello. *Rogavi Titum, ut ad vos iret, & miſi cum illo fratrem*, ex diſcipulis meis unum. *Numquid Titus vos circumvenit*, aliquid a vobis extorquendo? *Nonne eodem ſpiritu ambulavimus? Nonne iiſdem veſtigiis?* Nonne eodem animo, ſimilique inſtituto apud vos converſati ſumus? Nonne illi meis inſtiterunt veſtigiis, ſive meum imitati ſunt exemplum, nihil a vobis accipiendo?

19. Olim

19. *Olim putatis quod excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur: omnia autem, Chariſſimi, propter ædificationem veſtram.* Nam exiſtimatis me hæc toties repetere ut me purgem apud vos? Teſtis eſt Deus & Chriſtus, nos hæc omnia, quæ hactenus diximus, quaſi in noſtram commendationem, nos dixiſſe, non ad noſtram gloriam, ſed ad veſtram ædificationem & profectum ſpiritualem, ne ſi vobis viléſcamus, viléſcat vobis & Evangelium quod prædicavimus.

20. *Timeo, enim ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos, & ego inveniar a vobis, qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos.* Timeo, ne forte cum ad vos venero, ſicut conſtitui, non quales velim, vos inveniam, id eſt, a priſtinis vitiis non emendatos; & ego inveniar a vobis qualem nolitis, triſtis pater, ſeverus judex vindexque peccatorum rigidior quam hactenus experti eſtis: ne etiamnum poſt tot adhortationes reperiantur inter vos verborum pugnæ ſolo vincendi ſtudio ſuſceptæ, æmulationes ex invidia ortæ, iræ impetus, diſſenſiones in ſtudiis & factis, obtrectationes, ſuſurri, tumores ſuperbiæ, ob divitias, eruditionem, eloquentiam, animos veſtros inflantis, ſeditiones quæ ex ſchiſmate naſcuntur, ſeu tumultus, quibus alii aliorum quietem, & fraternam pacem interturbant.

Immunditiæ nomine peccata contra naturam ſignificat Apoſtolus, nomine impudicitiæ, petulantiorem libidinem in oſculis & tactibus; nomine fornicationis, ſcortationem, inceſtaſque nuptias. Vide 1. Cor. 5. 1.

21. *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.* Timeo ne cum ad vos rediero, me Deus mœrore afficiat & humiliet; cum videro tenuiſſimos veſtros in fide & pietate progreſſus: & multos cum luctu caſtigare cogar, qui fornicatione, omnique genere laſciviæ & impudicitiæ ſe macularant, & dignos pœnitentiæ fructus non fecerunt.

CAPUT XII.

Senſus Moralis.

1. *Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad viſiones & revelationes Domini.* His verbis utitur Apoſtolus. *Non expedit quidem*, non quod nihil ad ſui commendationem antea dixerit, ſed „ quia ad alterum gloriationis genus migraturus eſt, quod etſi non tantam mercedem habet, tamen illuſtriorem eum pleriſque oſtendere videtur, non autem iis qui rem diligenter & accurate expendunt, idcirco ait: *Gloriari quidem non expedit mihi*. De afflictionibus enim antea gloriatus eſt: nunc autem revelationes & arcana Myſteria commemorat. Quæ autem cauſa eſt cur dicat, Non expedit? Ne me, inquit, hujuſmodi commemoratio in arrogantiam extollat. Quid ais, ſancte Apoſtole? An ea neſcis, etiamſi non dixeris? At non æque animus noſter attollitur cum nos ea ſcimus, & cum ad alios efferimus? Neque enim; recte factorum natura faſtum atque arrogantiam excitare conſuevit, ſed vulgi teſtimonium atque cognitio. Ob eam cauſam ait, Non expedit mihi. Pſeudo-apoſtoli ea, quibus carebant, Dei dona, privilegia, & virtutum ornamenta, de ſe ipſis prædicabant; Paulus contra, ea quibus donatus eſt, occultat ac reticet, quantum poteſt; idque cum tanta ipſi neceſſitas incumbit, atque, *Non expedit mihi*, quo omnes doceat multo magis gloriationem, ſuique commendationem fugere. Neque enim iſtud fructum ullum & utilitatem, ſed potius detrimentum affert, niſi utilis quædam ac neceſſaria occaſio ad id impellat, Eccleſiæ ſcilicet bonum, veritatis defenſio, proximorum ſalus, quæ periclitarentur, ſi Miniſterium ſacrum aut perſona Miniſtri viléſcerent. Hinc diſcamus gratias extraordinarias & arcanos Dei favores theſaurum eſſe, qui conſervari non poteſt ſine humilitate, nec aperiri abſque neceſſitate; nec Eccleſiæ occultari ſine infidelitate, cum ejus utilitas illum in publicam lucem proferri poſtulat. Humilitas cedere debet neceſſitati charitatis: Charitas conſulere debet cuſtodiæ humilitatis.

S. Chryſoſt. Hom. 26.

Chriſtianus ſui commendationem fugiat, quantum poteſt.

2. 3. 4. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium cælum*, &c. Raptus, extaſes, viſiones & revelationes ad vitæ Chriſtianæ & ſpiritualis perfectionem neceſſarias qui credit, errat. Illas deſiderare, & temerarium & vanum eſt: de illis gloriari, certum illuſionis argumentum. Humilitas, amor Dei, abnegatio & odium ſui, mundi, rerumque terrenarum contemptus & faſtidium, caritas erga proximum, ſtudium fervens & perſeverans orationis, Chriſtianarum omnium virtutum praxis, mortificatio ſenſuum, patientia & gaudium in rebus adverſis, fidelitas in officiis ſui ſtatus adimplendis, certiora ſunt ſanctitatis argumenta, quam raptus & extaſes. Ad extaſim vitæ & actionum aſpirent perfectionis Chriſtianæ ſtudioſi, non ad extaſim mentis & voluntatis. Extaſis vitæ ea eſt, qua elevatur anima a terreis affectibus, & a vitiis depravatæ naturæ, Deique gratia ad obſervantiam mandatorum Dei, ad recipiendas ſupernaturales inſpirationes, & ad actus virtutum perfecte exercendos ſupra communem hominum conditionem erigitur. Cum quis ergo humilitatem ſuperbiæ, paupertatem divitiis, honoribus contemptum, voluptatibus continentiam præfert, hic vitam extaticam agit. Raptus ille potior eſt & ſecurior quam raptus intellectus & voluntatis, non eſt ſubjectus illuſionibus; minus ſplendoris habet, plus ſanctitatis. Agit in hoc homo, in illo agitur. Deſiderari etiam poteſt extaſis affectus, quo anima mundo mortua in Deum transformetur. Divini amoris affectus eſt illud deſiderium. *Utinam*, inquit S. Bernardus, *hac morte frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non ſentiam vitæ luxurianæ mortifera blandimenta. Bona mors, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius, qua non corpus cadit, ſed anima ſublevatur. Verum hæc hominum eſt. Sed moriatur anima mea morte etiam, ſi dici poteſt, Angelorum, ut præſentium memoria excedens, rerum ſe inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitque ei pura cum illis converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo.*

Nat. Alex. In Ep. D. Pauli Tom. I.

Viſiones, revelationes, extaſes deſiderare, temerarium; de illis gloriari, certum illuſionis argumentum eſt.

Vita extatica viſionibus & revelationibus præferenda.

S. Bernard. Serm. 52. in Cantica.

5. *Pro hujuſmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis.* Attentio ad infirmitates, defectuſque ſuos, ad nihilum ſuum, ut plurimum utilior eſt ad ſalutem, quam attentio ad talenta & dona, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, quibus excellimus. Illa ſanctam humilitatem parit, virtutum ceterarum fundamentum; meritorum cuſtodem: iſta ſuperbiam & elationem, vitiorum omnium initium & caput, meritorum interemptricem. Illa ex hominibus Angelos; iſta ex Angelis dæmones fecit. Quod ad cordis noſtri reformationem ordinatur, nobis magis expetendum eſt, quam quod ad ſolam mentis illuminationem ſpectat. Imitanda Apoſtoli Pauli humilitas; nobis a propriæ excellentiæ, talentorum, donorum, laborum, bonorumque operum commemoratione temperandum eſt: metuendum ne majorem de nobis opinionem & exiſtimationem habeant homines, quam par ſit, a tumore ſuperbiæ, a flatu vanæ gloriæ ſumma vigilantia cavendum. „ Studium hypocritarum eſſe ſolet, ut & quod ſunt ſupprimant, & hoc quod non ſunt, eſſe ſe hominibus innoteſcant: quatenus menſuram ſuam per æſtimationem tranſeant, & præter ſe ceteros actionis nomine oſtendant. Refugiunt videri quod ſunt, & apud oculos hominum ſuperducta quadam innocentiæ honeſtate ſe veſtiunt. Contra omnes veraciter ſancti non ſolum gloriam ſupra modum ſuum omnino non appetunt, ſed etiam hoc ipſum videri refugiunt, quod eſſe meruerunt. Unde ille Prædicator egregius veritatis contra Pſeudo-Apoſtolos loquens, dum virtutes eximias operationis ſuæ pro diſcipulorum eruditione narraret, dum ſe pericula toleraſſe concervata perſecutione dicerет, & poſt hæc uſque ad tertium cœlum raptum ſe eſſe memoraret, ubi tanta cognoſcere potuiſſet, quanta loqui omnino non poſſet: erat de ſe adhuc fortaſſe admirabiliora locuturus, ſed ab humana laude alta ſe conſideratione temperans, ſubdit: *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* „ Habebat ergo adhuc dicendum de ſe aliquid, qui parcit dicere: ſed egit utrumque Doctor egregius, ut & loquendo quæ egerat, diſcipulos inſtrueret, & tacendo ſeſe intra humilitatis limitem cuſtodiret. Nimis namque eſſet ingratus, ſi de ſe diſcipulis tota reticeret, & fortaſſe nimis incautus, ſi de ſe tota vel diſcipulis proderet: ſed mirabiliter egit utrumque, ut loquendo erudiret vitam audientium, & tacendo cuſtodiret ſuam. Sciendum vero eſt quod ſancti viri, quoties de ſe aliquid ſequentibus innoteſcunt, morem Creatoris ſui imitantur. Nam Deus qui nos prohibet ne proprio ore laudemur, per Scripturam ſacram laudes ſuas loquitur; non quia ipſe eis indiget, qui proficere laudibus neſcit: ſed dum ſuam nobis magnitudinem narrat, noſtram ad ſe imperitiam ſublevat, & bona ſua loquendo nos edocet, quem omnino homo non cognoſceret, ſi de ſe tacere voluiſſet. Ideo ergo laudes ſuas indicat, ut valeamus eum audientes cognoſcere, cognoſcentes amare, amantes ſequi, ſequentes adipiſci, adipiſcentes vero ejus viſione perfrui. . . . Morem ergo ſui Creatoris imitantes,

S. Gregor. lib. 19. Mor. c. 6.

Attentio ad noſtras infirmitates, defectuſque noſtros utilior eſt ad ſalutem, quam attentio ad talenta & dona naturalia, ſive ſupernaturalia.

„ ſancti viri, nonnumquam quædam de ſe, ut audientes inſtruant, non ut ipſi proficiant, manifeſtant: & tamen in his alta ſe conſideratione cuſtodiunt, ne dum alios a terrena intentione erigunt, ipſi in terrenæ laudis appetitione mergantur.

S. Aug. Serm. 161. alias 5. De verbis Apoſtoli.

7. *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* „ Grave ſuperbiæ malum, quod tam ſevero, tam importuno, tam periculoſo remedio ſanatur! O venenum, quod non curatur niſi veneno! Caput cædebatur, ne caput extolleretur. O antidotum, quod quaſi de ſerpente conficitur, & propterea theriacum nuncupatur! Serpens enim ille ſuperbiam perſuaſit. *Guſtate, & eritis ſicut dii*,

Geneſ. 3.

„ ſuperbiæ perſuaſio eſt. Unde cecidit, inde deiecit. Merito ergo venenum ſerpentis de ſerpente ſanatur. *Ne magnitudo revelationum extollat me*, &c.

S. Aug. Serm. 162. alias 5. De verbis Apoſtoli.

„ Agnoſcamus Apoſtolum habentem magnitudinem revelationum, & timentem elationis præcipitium. Ut ergo noveris quia & ipſe Apoſtolus, qui volebat alios ſalvos facere, adhuc curabatur, ſi magnipendis ipſius honorem, audi quid Medicus ei appoſuerit ad tumorem. Audi confitentem, ut ſentias docentem. Audi: *Et ne magnitudine revelationum mearum extollar.* Ecce jam poſſum dicere Apoſtolo Paulo: Ne extollaris, ſancte Apoſtole, adhuc timendum eſt? Tu ne extollaris, adhuc huic infirmitati medicina quærenda eſt? Quid mihi, inquit, dicis tu? Et tu audi quid ſim, & noli altum ſapere, ſed time. Audi quomodo brevis agnus ingrediatur, ubi aries hic periclitatur. Ars eſt omnipotentis Dei, & triumphus Jeſu Chriſti, per gratiam ſuam convertere ad hominis ſanctificationem & ſalutem, quod diabolus excitat ad ejus perditionem.

Fervens, humilis, & perſeverans oratio, remedium contra tentationes.

8. 9. *Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet a me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* In graviſſimis tentationibus, præſertim impudicitiæ & immunditiæ, ferventius orandus eſt Deus ut nobis ſit auxilio. Frequens & perſeverans ſit oratio, ut nobis ſubveniat Dei miſeratio. *Propter quod ter Dominum rogavi.* Orandum ſumma cum fiducia in divinæ gratiæ virtute, quæ nos non deficiet, niſi ab ipſa deficiamus. Neminem enim Deus deſerit, niſi deſeratur, ut juſte ſemper ſideque vivatur. Nec deſpondendus eſt animus, ſi non ſtatim exaudiamur a Deo, cum ipſum oramus ut nos a tentatione liberet: ſiquidem Sanctus Paulus orans ut ab eo ſtimulus carnis auferretur, & angelus ſatanæ diſcederet, non eſt exauditus, quia non ei proderat. *Exauditus eſt ad ſalutem, non eſt exauditus ad voluntatem.*

S. Auguſt. Tract. 6. in Ep. 1. S. Joannis.

„ Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. *Rogaſti, clamaſti, ter clamaſti. Ipſum ſemel quod clamaſti, audivi, non averti aures meas a te, novi quid faciam. Tu vis auferri medicamentum quod urit, ego novi infirmitatem qua gravaris. Ergo iſte ad ſalutem exauditus eſt, ad voluntatem non eſt exauditus.* Contra, diabolus petiit ut permitteretur tentare & affligere ſanctum virum Job, & exauditus eſt ad voluntatem, ſed ad damnationem.

Deus electos ſuos exaudit ad ſanitatem, non exaudit ſemper ad voluntatem.

Ideo enim conceſſus eſt iſte tentandus, ut eo probatu eſſet ille cruciandus. „ Petierunt dæmones a Domino, cum eos excluderet ab homine, ut irent permitterentur in porcos. Dæmones exauditi ſunt, Apoſtolus non eſt exauditus? An potius quod verius eſt dicamus, immo Apoſtolus exauditus eſt, dæmones non ſunt exauditi? Illorum voluntas facta eſt, hujus ſanitas perfecta eſt. Secundum hoc intelligere debemus, quia *Deus etſi voluntati noſtræ non dat, ſaluti dat. Quid ſi enim hoc petieris quod tibi obeſt, & Medicus novit quia obeſt tibi? Non enim te exaudit Medicus quando forte frigidam aquam petis, & ſi prodeſt, ſtatim dat; ſi non prodeſt, non dat. Non exaudivit, an potius ad ſanitatem exaudivit, quia voluntati contradixit? Sit ergo in vobis caritas, Fratres, & ſecuri eſtote: & quando non vobis datur quod petitis, exaudimini; ſed neſcitis. Multi dati ſunt in manus ſuas malo ſuo; de quibus dicit Apoſtolus*, „ Tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum. *Petiit aliquis magnam pecuniam: accepit malo ſuo. Quando illam non habebat, parum timebat: habere illam cœpit, præda factus eſt potentiori. Nonne malo ſuo exauditus eſt, qui voluit habere unde a latrone quæreretur, quem pauperem nemo quærebat? Diſcite rogare Deum, ut Medico committatis, quod ipſe novit faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Tu tantum caritatem tene. Nam ille ſecare vult, urere vult: ut ſi clamas, & non exaudiris in ſectione, in uſtione, in tribulatione, novit ille quo uſque putre eſt. Tu jam vis revocet manus, & ille vulneris ſinum attendit: ſcit quo uſque perveniat. Non te exaudit ad voluntatem, ſed exaudit ad ſanitatem.*

Rom. 1. 24.

S. Thomas, Lect. 3.

Nam virtus in infirmitate perficitur. In infirmitatibus noſtris gaudendum de triumpho gratiæ Jeſu Chriſti, cujus virtus magnificentius demonſtratur: de miſeriis vero & periculis noſtris coram Deo gemendum eſt. Solatio nobis eſſe debet fructus ex infirmitate proveniens; ſcilicet exercitatio virtutis, probatio fidei, cuſtodia humilitatis, operatio patientiæ, profectus temperantiæ. *Virtus in infirmitate perficitur.* Infirmitas certe occaſio eſt perveniendi ad perfectam virtutem, quia homo ſuæ infirmitatis ſibi conſcius magis ſolicitatur ad reſiſtendum, & quo magis reſiſtit & pugnat, exercitatior & fortior efficitur. Ideo legitur in ſacra Judicum Hiſtoria quod Dominus noluit deſtruere omnes incolas terræ Chanaan, ſed aliquos reſervavit, ut filii Iſrael eum eis pugnando exercerentur. Sic etiam Scipio æmulam Imperii Romani Carthaginem deſtrui nolebat, & Catoni, ut ipſa dirueretur, decernenti contradicebat: timens infirmis animis hoſtem, ſecuritatem: & tamquam pupillis civibus idoneum tutorem neceſſarium videns eſſe terrorem. Nec eum ſententia fefellit. Deleta quippe Carthagine, magno ſcilicet Reipublicæ Romanæ terrore depulſo & extincto, tanta de rebus proſperis orta mala continuo ſubſecuta ſunt, ut corrupta diſruptaque concordia prius ſævis cruentiſque ſeditionibus, deinde mox bellis etiam civilibus tantæ ſtrages ederentur, tantus ſanguis effunderetur, tanta cupiditate proſcriptionum ac rapinarum ferveret immanitas, ut Romani illi qui vita integriore mala metuebant ab hoſtibus, perdita integritate vitæ crudeliora paterentur a civibus. Ita plerumque pax & ſecuritas pernicioſior Chriſtianis eſt quam bellum tentationum, & tribulationum incurſus.

Fructus ex infirmitatibus noſtris colligendi.

Judic. 3.

S. Aug. l. 1. De Civit. Dei, cap. 3.

Afflictionum utilitas.

9. 10. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* De infirmitatibus ſuis lubentius loquitur Apoſtolus, quam de ſublimioribus donis & favoribus a Deo ipſi conceſſis. In illis gloriatur, triumphat, exultat. Fortitudinem in infirmitatibus, pacem animæ in humiliationibus & tentationibus, gaudium in neceſſitatibus & angoſtiis, tranquillitatem in perſecutionibus & tribulationibus per virtutem gratiæ Chriſti in ipſo inhabitantem invenit. Hanc a Chriſto gratiam ſupplices poſtulemus, ut cum Apoſtolo dicere poſſimus: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* Magna ſcilicet infirmitatum & tribulationum utilitas eſt ad Chriſtianam perfectionem conſequendam. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt*, ad gratiam medicinalem Chriſti amplectandam & quærendam. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto: cum enim infirmor, tunc potens ſum.* Ideo placet, gaudiumque parit incredibile tot & tantorum inundatio malorum, quæ propter Chriſtum Dominum noſtrum patior, qui pro nobis paſſus eſt contumelias, paupertatem, perſecutiones Judæorum, anguſtias, mortem denique ignominioſiſſimam in cruce. Diſcamus ab Apoſtolorum Principibus modum ſanctificandi afflictiones: & infirmitates noſtras, illas offerendo Chriſto, & pro ejus amore patiendo. *Nemo veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine..... Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus ſuper vos requieſcit.* Infirmitates, neceſſitates, contumeliæ, perſecutiones, hoc animo ſuſceptæ & toleratæ, profectum ſpiritualem, robur animi, & gaudium interius pariunt. *Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* In cujus rei typum legitur, quod quanto magis premebantur filii Iſrael, tanto magis multiplicabantur. „ Ita ſi ſenſus carnis mortificentur, ſenſus ſpiritus creſcunt, & quotidie morientibus in ſe vitiis, virtutum numerus augetur. Sed & terra te multiplicat in operibus bonis, quæ per officium corporis miniſtrantur.

Pſal. 15.

S. Aug. Caſſiodorus.

S. Thomas, Lect. 3.

1. Petri 4. 14. 15.

Pſal. 93. 19.

Exod. 1.

Origenes in eum locum.

11. *Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, in prodigiis, & virtutibus.* Inſignior Apoſtolatus caracter ex parte Apoſtoli, patientia eſt; quæ Dei donum eſt ſingulare; ex parte vero Dei, miracula, ad miſſionem probandam neceſſaria, ubi nulla in Miniſterio ſucceſſio eſt. „ Mala omnia quæ pro Chriſto pertulit Evangelium prædicando, uno vocabulo complexus eſt Apoſtolus; miracula vero pluribus verbis expreſſit, ut quæ non ſua, ſed Dei virtute ederentur. Cogita quot carceres, quot plagas, quot diſcrimina, quot inſidias, quot tentationum agmina, quot inteſtina bella, quot externa, quot dolores, quot impetus unico patientiæ vocabulo perſtrinxerit. Per ſigna rurſus, quot homines ab eo a morte ad vitam revocati, quot cæci curati, quot leproſi mundati, quot dæmones ejecti ſint. Ex his edocemur, ut ſi neceſſitas quædam nos ad noſtri commendatio-

Patientia inſignior Apoſtolatus caracter.

S. Chryſoſt. Hom. 27.

Digitized by Google

„ tionem adegerit, ea quæ a nobis recte & cum lau-
„ de geſta ſunt, breviſſime perſtringamus, S. Paulum
„ imitati. Ab amore enim laudis, & inanis gloriæ,
„ quæ contrario facile animum ſubit, ſumma vigilan-
„ tia cavendum eſt.

14. 15. 16. *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Ego autem libentiſſime impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar.* Quiſquis paternum habet erga oves a Chriſto ſibi commiſſas animum, magis paratus eſt ad bona ſua in illorum ſubſidium & uſum impendenda, quam ad ſtipendia ab illis accipienda, ſi aliunde neceſſaria habeat. Alienus ab avaritia, & lucri cupiditate bonus Paſtor eſt, & in ſancta illa diſpoſitione ad finem uſque perſeverat. Virtutis hujus Apoſtolicæ plures gradus S. Chryſoſtomus in S. Paulo obſervat. 1. Nihil accipere ſtipendii, cum jus habeat accipiendi. 2. Cum inopia premeretur. 3. Cum ipſis prædicaret, manibuſque ſuis laboraret, ut neceſſaria ſibi compararet. 4. Largiri quæ habebat. 5. Non vulgari modo largiri, ſed copioſe. 6. Non pecunias dumtaxat, ſed ſeipſum, ſanguinem ſuum, vitam ſuam. *Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 7. Pro ingratis, a quibus minus amabatur, cum ipſos maxime amaret. *Licet vos plus diligens, minus diligar.* 8. Pro eorum ſalute: *pro animabus veſtris.* 9. Cum gaudio: *libentiſſime.* 10. Mercedem laboris ſui a ſolo Deo expectare. 11. Calumnias & pravas ſuſpiciones pari hominum, propter quorum avaritiam aut infirmitatem a ſtipendio accipiendo abſtinebat. *Sed eſto, ego vos non gravavi: ſed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Væ Paſtoribus & Miniſtris avaris, turpiſque lucri cupidis! Patres non ſunt, ſed mercenarii. Diſcipulos ſuos ut filios non habent, ſed ut ſervos: bona illorum quærunt, lanam ovium tondent, & lac emungunt, illarum ſalutem non quærunt. Tantum abeſt ut ſeipſos pro illarum animabus ſuperimpendere parati ſint, ut nec minimam facultatum ſuarum portionem ad eorum inopiam ſublevandam velint impendere. Dominus Apoſtolis dixit: *Faciam vos fieri piſcatores hominum* non pecuniæ. In Hiſtoria ſacra legitur, Joſeph Ægypti Proregem emiſſe Ægyptios in ſervitutem Regis. Chriſtus doctrina ſua & pretio ſanguinis ſui mundum redemit univerſum, & ſubjecit Deo Patri. Sic boni Paſtores & Prædicatores non aliud quærunt quam ſubjicere animas Deo, ad exemplum Chriſti, & Apoſtolorum ejus.

Bonus Paſtor alienus ab avaritia & lucri cupiditate.

S. Chryſoſt. hom. 29.

Geneſ. 47. S. Thomas Lect. 5.

19. *Olim putatis quod excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur: omnia autem chariſſimi propter ædificationem veſtram.* Qui ſe a calumniis purgare coguntur Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ, Apoſtoli modeſtiam imitentur, innocentiam ſuam cum ſinceritate exponant & probent, abſque mendacio, & æquivocatione, abſque exaggeratione & eloquentiæ fuco, cum ſimplicitate Chriſtiana, tanquam Deo præſente. *Coram Deo.* 2. Cum humilitate, caritate, & manſuetudine, non invehendo acerrimoribus verbis in calumniatores. *In Chriſto.* Id eſt, in Spiritu Chriſti, & ad ejus exemplum. 3. Propter ſalutem & ædificationem proximi, magis quam propter famæ ſuæ conſervationem. *Omnia autem propter ædificationem veſtram.* Hi Chriſtianæ apologiæ characteres ex Apoſtolico exemplari expreſſi.

Chriſtianæ contra calumniatores apologiæ caracteres.

20. 21. *Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos & ego inveniar a vobis qualem non vultis, &c.* Bonum Paſtorem nihil ita ſollicitum & anxium facere debet, quam timor ne charitas in grege ipſi commiſſo extinguatur per contentiones, diſſenſiones, æmulationes, odia, detractiones, ſuſurrationes, per ſuperbiæ tumores, per ſeditiones &c. 2. Quamvis neceſſaria ſit diſciplinæ ſeveritas ad peccatorum emendationem, magis tamen metuit bonus Paſtor ne ſeveritate uti & pœnas inferre cogatur, quam timeant peccatores ipſi correptionem & ſeveritatem Paſtoris. 3. Subditorum vitia Paſtores ſanctos humiliant, præſertim illorum impœnitentia, quia negligentiæ ſuæ illa imputant. *Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos.* 4. Boni Paſtores populi ſibi commiſſi peccata plangere debent, ut S. Paulus, lacrymiſque ſuis illorum converſionem a Deo exorare: *Et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam.* Qui non ita ſunt affecti, indigni ſunt Mediatoris officio Deum inter & populum Chriſtianum. 5. Maxime lugere debet bonus Paſtor impudicos & immundos, quia hoc vitium peſtilentius, turpius, & majoris adhæſionis eſt, ut ait S. Thomas, & difficilius curatur & emendatur. *Et non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt.* Hoc vitium Eccleſiam caſtiſſimam Chriſti ſponſam maxime ſcandalizat, dedecorat, affligit. Zelum diſciplinæ, & charitatis affectum ſancti Paſtores habere debent, ut Samuel lugens Saulem, ut S. Paulus lugens Corinthios. *Magnus eſt affectus ſanctorum, etiam cum auſteritatem vindictæ exterius proferunt. Nam foris ſæviunt, ſed intus per amorem liqueſcunt. More matrum parvulos verberant, ſed ipſæ lugent cum parvulis, quos caſtigant.* Inutiles quidem ſæpe ſunt lacrymæ Paſtorum peccatoribus impœnitentibus, ut lacrymæ Samuelis Sauli, ut lacrymæ Davidis Abſaloni, ſed tamen pietatis & caritatis præmium a Deo promerentur. *Lugebat Samuel Saul, miſerans, non deliberans. Fundebat lacrymas David filio parricida, etſi non profuturas, pias tamen.*

Boni Paſtoris caracteres.

S. Gregorius ſeu alius Pater ſub ejus nomine lib. 6. in 1. Regum, cap. 16.

S. Bernard. Epiſt. 12.

CAPUT XIII.

Senſus Litteralis.

1. *Ecce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum vel trium ſtabit omne verbum.* Tertia hac vice conſtitui ad vos proficiſci, quamvis ſemel tantum venerim, altera vice impeditus. Cum autem venero, eos puniam, qui gravius peccaſſe, nec pœnitentiam egiſſe convincentur legitimo duorum vel trium teſtimonio. Vel, duorum aut trium teſtium loco erunt iteratæ viſitationes meæ, & pœnæ denuntiationes per Epiſtolam duplicem. Semel dixi, cum ad vos acceſſi, & nunc item per litteras dico: ſi verba mea & commonitiones contempſeritis, neceſſe erit ut præſtem quæ dixi, reiſque pœnas irrogem.

Deuteron. 17. 6. & 19. 15. & Matth. 18. 16. S. Chryſoſt. Homil. 29. Theophylact.

2. *Prædixi, & prædico, ut præſens, & nunc abſens, iis qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam cum venero iterum, non parcam.* Vobis denuntiavi ut præſens, & nunc abſens iterum denuncio iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam, & ceteris omnibus, quos reos invenero, quod ipſis non parcam, cum iterum venero, ſed Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſeveritatem in eos exercebo. Dixerat ſuperius: *Parcens vobis non veni ultra Corinthum;* nunc pœnas impœnitentibus & contumacibus comminatur.

Cap. 1. hujus Epiſtolæ.

3. 4. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?* An experiri vultis poteſtatem Chriſti, qui per me Apoſtolum ſuum loquitur? Hujus certe potentiæ ſpecimen ac novum documentum non eſt quod deſideretis: Siquidem apud vos non viſus eſt infirmus, ſed multa potentiæ ſuæ argumenta inter vos edidit, in miraculorum operatione miniſterio noſtro facta, in variorum Spiritus ſancti donorum diſtributione, in punitione delinquentium, præſertim hominis inceſti, & multorum indigne communicantium. *Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate; ſed vivit ex virtute Dei.* Quamvis enim ſit crucifixus ſecundum carnem infirmam, paſſibilem & mortalem, quam pro nobis aſſumpſit: vivit tamen, jam non moriturus, ex virtute & potentia Dei Patris ac ſua, qua revocatus ad vitam eſt immortalem atque glorioſam. *Nam & nos infirmi ſumus in illo: ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.* Ita & nos ejus Apoſtoli propter ipſum, & ad illius exemplum infirmi ſumus, deſpicimur, multas patimur contumelias & afflictiones: ſed cum eo vivemus aliquando vita immortali ex virtute & potentia Dei, quæ apud vos ſe exprimit. Vel, Apud vos potentes erimus ex virtute Dei, quæ a Chriſto in Apoſtolos & Miniſtros ejus promanans in media illorum infirmitate eminet: per eam, inquam, virtutem quæ apud vos tam magna operata eſt, in exercenda auctoritate Miniſterii noſtri, & puniendis peccatoribus vividi erimus, & invicti.

5. *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? Niſi forte reprobi eſtis?* Voſmetipſos explorate, num fidem habeatis per dilectionem operantem; vel num fidem habeatis miraculorum effectricem; ita cognoſcetis Chriſtum Jeſum in vobis, id eſt, in cœtu veſtro, in Eccleſia veſtra inhabitare, in qua donum miraculorum, aliaque chariſmata vigent: niſi forte excideritis a gratia qua donati eſtis: niſi a vobis dona ſua Chriſtus abſtulerit in pœnam peccatorum veſtrorum. Proinde ſi in vobis diſcipulis Chriſtus eſt, multo magis in me Apoſtolo ſuo, per quem tot apud vos miracula patravit. *Spero autem quod cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi.* Spero vos cogituros quod non exciderimus ab Apoſtolatus dignitate & auctoritate, a gratia miraculorum & virtutum: vel, quod nos vitæ adeo corruptæ non ſimus, ut e nobis migrare coactus ſit Chriſtus. Eum in nobis habitare probat integritas vitæ: & virtute

S. Chryſoſt. Homil. 29. Theophyl. Oecumen.

ejus

Digitized by Google

ejus ac potentia nos non eſſe deſtitutos compertum habebitis, cum præſentes apud vos Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeveritatem in peccatores diſtringemus.

7. *Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis: nos autem ut reprobi ſimus.* Preces ad Deum fundimus, ne peccata committatis cenſura & animadverſione Apoſtolica digna: non ut noſtra auctoritas & integritas ſeveritate diſciplinæ in puniendis peccatis comprobetur, ſed ut vos, quod bonum eſt agatis implentes duo juſtitiæ generalis officia, *Declina a malo, & fac bonum*: Opto (inquam) & oro ut hæc impleatis, etiamſi nos imbecilles, viles, inglorios, nulliuſque auctoritatis & poteſtatis haberi contigerit. Diſpendium enim famæ noſtræ libenter patiemur propter Dei gloriam, & ſanctificationem veſtram.

S. Thomas, lect. 2.

8. *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Uti nobis non licet poteſtate noſtra adverſus veritatem & juſtitiam, ſed pro ea conſervanda & tuenda. Puniendi enim auctoritas contra reos, non contra inſontes exercetur: & ubi culpa non eſt, ibi omnes ſunt pares. Ideo opto ut ab omni ſcelere puri ſitis, nec ullam nobis detis occaſionem demonſtrandæ poteſtatis noſtræ in punitione improborum.

9. *Gaudemus enim quoniam nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis.* Exultamus quando videmur infirmi, poteſtatis nobis a Deo datæ documenta non edentes, vos autem potentes gratia & virtutibus; quo fit ut judiciariam in vos poteſtatem exercere non poſſimus. *Hoc & oramus, veſtram conſummationem.* Oramus etiam ut proficiatis in bono, & perfecti ſitis.

10. *Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.* Ideo abſens vos moneo, ne cum præſens fuero Corinthi, & vos impœnitentes & inemendatos invenero, uti cogar ſeveritate adverſum vos, ea poteſtate quam dedit mihi Dominus ad Eccleſiæ bonum, & ſalutem animarum veſtrarum, non ad damnum & perditionem. Correptio enim & punitio improborum & contumacium ædificationis eſt, & ad ædificationem Eccleſiæ ordinata.

11. *De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* Quod meum eſt feci, reliquum eſt ut vos quod veſtrum eſt agatis. Si enim mores veſtros emendaveritis, gaudio ſinemini, quod bona conſcientia parit, etiam ſi vos paululum contriſtaverim Epiſtolis meis. Integri eſtote & in doctrina, & in moribus, implete quæ deſunt vobis. Mutuam vobis conſolationem impendite in rebus adverſis. Unanimes eſtote in doctrina, pacifici in converſatione, nullum ut remaneat veſtigium diſſenſionum & ſchiſmatum, quæ inter vos regnarunt: & Deus auctor caritatis & pacis, quæ ex eo veluti ex fonte oriuntur, erit vobiſcum per ampliora gratiæ ſuæ dona, quæ vobis adprecor.

12. *Salutate invicem in oſculo ſancto.* Salutate vos per oſculum fraternæ caritatis ſignum & pignus. Mos hic apud Judæos & Perſas, aliosque Orientis populos ſolemnis ex uſu vitæ communis in Eccleſiam manavit, & ante communionem Corporis & Sanguinis Chriſti olim uſurpatus eſt in mutuæ caritatis teſtimonium. *Salutant vos omnes ſancti.* Id eſt, omnes Chriſtiani qui apud nos ſunt.

13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Gratiam, quæ datur a Chriſto & per ejus merita, & amorem Dei Patris, qui nos in Chriſto Filio ſuo unigenito dilexit, & largam effuſionem donorum Spiritus ſancti, vobis omnibus adprecor. *Amen.* Fiat. Id in Mſ. deeſſe, additumque ab Eccleſia Corinthia, quæ id reſpondere ſolebat quoties hæc Epiſtola legebatur, aſſerit Grotius, ſed falſo. Extat enim in omnibus Exemplaribus Græcis, excepto Mſ. Alexandrino, in omnibus antiquis Verſionibus, & in divina Sancti Hieronymi Bibliotheca. Ea poſtremo hujus Epiſtolæ verſu Spiritum Sanctum eſſe verum Deum, Patri & Filio coæqualem, Sanctus Chryſoſtomus probat.

CAPUT XIII.

Senſus Moralis.

1. 2. *Ecce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Prædixi, & prædico, ut præſens, & nunc abſens, iis qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero, iterum non parcam.* In his verbis S. Pauli ſapientiam, paternumque affectum perſpicere licet, nimirum quam in denuntiandis pœnis multus ſit ac vehemens, in inferendis autem ſegnis ac tardus. Neque enim de iis qui publice peccabant in Eccleſia Corinthia pœnas ſtatim ſumpſit, ſed ſemel atque iterum admonuit. Poſt frequentes admonitiones, ſeverioris diſciplinæ minas intentavit, & ad pœnas irrogandas ſe tandem venturum ſignificat, niſi reſipiſcant & pœnitentiam agant. Hac agendi ratione S. Apoſtolus Dominum omnium imitatur. Nam & Deus ſæpe quidem comminatur; ſed raro pœnas infert, quia miſereri & parcere proprium ipſius eſt, ultio autem & punitio opus eſt quaſi alienum ab eo. S. Pauli prudentiam, caritatem, manſuetudinem, in Eccleſiaſtico regimine paſtores & Prælati imitentur. Meminerint parentes non ſemper filiis blandiri, ſed neceſſitatem illos puniendi monitis ac minis prævenire debere. Peccatores doceant, moneant, arguant, obſecrent, increpent, non dominationis ſpiritu, ſed paternæ caritatis affectu. Peccatores minis ac metu pœnarum excitent, ne ſpe impunitatis in peccatis perſeverent; ſed tamen diſciplinæ ac judiciorum ſervent ordinem; vagis & clandeſtinis accuſationibus ne facile credant, probationum & teſtium firmamento deſtitutis. Occultos delatores non ſecus ac peſtes publicas eliminent, pacem Eccleſiarum ex judiciorum ordine, & Canonum obſervantia pendere perſuaſi.

S. Chryſoſt. Hom. 29. Paſtorum in pœnis inferendis moderatio.

3. 4. *An experimentum quæritis ejus qui loquitur in me Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis? Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate: ſed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo; ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.* Paſtorum & Prælatorum verba, exhortationes, minæ, correptiones, audiri debent cum reverentia, cum obedientia, cum timore ſancto. *Qui vos audit,* (inquit) Chriſtus Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, *me audit & qui vos ſpernit, me ſpernit.* In Paſtoribus, in Concionatoribus, in conſcientiarum Moderatoribus Chriſtus loquitur, & ſæpe contemnitur. Illorum conſiliis & monitis Chriſtiani pierique non obediunt, eorum minis, Dei nomine intentatis non terrentur, eorum adhortationibus non moventur, eorum correptionibus ad meliorem frugem non revocantur. Se judices eorum conſtituunt, quibus Chriſtus judicandi auctoritatem in Eccleſia ſua dedit. Infirmitates ac defectus exteriores ſeu generis, ſeu formæ, ſeu ſermonis, & eloquentiæ, ſeu aliorum talentorum, ſpectant, & eorum intuitu ſpernunt ac viles habent Chriſti Miniſtros; vitam, auctoritatem, & poteſtatem Chriſti in illis neque conſiderant, neque reverentur. *Nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.* Vita Chriſti vivant ejus Miniſtri, cujus auctoritatem exercent, & cujus nomine & verbis loquuntur: ejus infirmitatem imitentur mortificatione carnis & ſenſuum, tribulationum patientia, ut ad vitam immortalem & glorioſam perveniant, æternumque cum eo vivant, qui crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.

Subditorum erga Paſtores reverentia & obedientia.

Paſtorum ſanctitas.

5. *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus in vobis eſt? niſi forte reprobi eſtis.* Fidem nos accepiſſe per baptiſmum, certum eſt: ſed an vivat, an mortua ſit, ex operibus probandum. Ex fructibus ſancta illa radix cognoſcitur. Chriſtus in nobis eſt per fidem caritate formatam, & ex ea operantem: alioqui ſolo nomine, non re, fideles & Chriſtiani ſumus. Timendum ne reprobi ſimus, ſi vita noſtra & opera fidei, quam profitemur, non reſpondeant.

7. *Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis, nos autem ut reprobi ſimus.* Eccleſiæ præpoſiti & Miniſtri ſacri non oſtentent auctoritatem, non affectent dominationem, intentione pura in Eccleſia laborent, ad deſtruendum errorem, intuendam fidei & Moralis Chriſtianæ veritatem ac ſinceritatem, ad accendendam ac nutriendam charitatem, ut Chriſtus Jeſus in omnibus qui Chriſtiano nomine cenſentur, habitet ac regnet. Sui velut immemores, unam Dei gloriam, & ovium ſibi commiſſarum ædificationem, ſanctificationem, profectum, & ſalutem præ oculis habeant: famam ſuam non admodum curent, niſi quatenus ad hæc utilis eſt, ipſam Dei gloriæ & animarum ſaluti devovere parati. Aſſiduis & ferventibus precibus Deum orent, ne quid mali faciant Chriſtiani quos regunt, vel quibus Sacramenta miniſtrant, aut verbum ſalutis annuntiant; ſed ut quod bonum eſt faciant. Mediatores enim ſunt Deum inter & populum; & oratione obtinent a Deo gratiam ad vitandum peccatum & bonum agendum neceſſariam. *Intelligenda eſt enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua ſola homines liberantur a malo,*

& ſine

Digitized by Google

S. August. l. De Correptione & Gratia, c. 2.

& ſine qua nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo faciunt bonum: non ſolum ut monſtrante ipſa quid faciendum ſit ſciant, verum etiam ut præſtante ipſa faciant cum dilectione quod ſciunt. Hanc quippe inſpirationem bonæ voluntatis atque operis poſcebat Apoſtolus eis, quibus dicebat, „Oramus autem „ad Deum, ne quid faciatis mali, non ut probati „appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis. *Quis hoc audiat, & non evigilet, atque fateatur a Domino Deo nobis eſſe ut declinemus a malo & faciamus bonum? Quando quidem non ait Apoſtolus, Monemus, docemus, hortamur, increpamus: ſed ait*, „Oramus ad „Deum, ne quid faciatis mali, ſed quod bonum eſt „faciatis. *Et tamen etiam loquebatur eis, & faciebat illa omnia quæ commemoravi, monebat, docebat, hortabatur, increpabat: ſed ſciebat hæc omnia non valere, quæ plantando & rigando faciebat in aperto, niſi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto.*

Vide & Fragmenta Sermonis S. Auguſtini contra Pelagianos a Fine prelatum in Comment. hujus loci.

Pl... etiam auctoritas ſervire debet veritati & juſtitiæ.

8. *Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate*. Auctoritas ſervire debet veritati & juſtitiæ. Deploranda ſors Paſtorum Eccleſiæ, & Poteſtatum ſæculi, cum auctoritate ſua ita abutuntur, ut nihil poſſe videantur niſi adverſus veritatem, ſive ex ignorantia, ſive ex præjudicantis mentis affectu, ſive ex pravis conſiliis hominum, qui ſe veritatis patronos mentiuntur. In Rationali ſummi Judæorum Sacerdotis deſcripta erant hæc verba, *Doctrina & Veritas*. Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ utramque diligere debent: doctrinam, quia *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ejus ore requirent*. Veritatem, quia Chriſti Miniſtri ſunt, qui Veritas eſt, & ad hoc venit in mundum ut teſtimonium perhiberet veritati. Doctrinam & veritatem ex Scripturæ ſacræ & Traditionis fontibus hauriant; & ſi quæ ſuboriantur difficultas, ſtent judicio Romanæ Eccleſiæ cæterarum Matris & Magiſtræ, quæ veritatis depoſitum incorruptum ſemper cuſtodivit, cuſtodit, & cuſtodiet, Chriſto Eccleſiam ſuam ad finem uſque ſæculi per ſeipſum inviſibiliter, per Vicarios vero ſuos viſibiliter regente: & ſancto Petro in ſua Sede præſidente, per Succeſſores ſuos Romanos Pontifices loquente, & præſtante quærentibus Fidei veritatem, Moralis Chriſtianæ puritatem, Diſciplinæ ordinem. In controverſiis autem, quæ nondum finitæ ſunt, ſententiam propriam nemo plus amet quam veritatem: vinci a veritate glorioſius eſſe cenſeat Eccleſiæ Miniſter, quam vincere. *Non enim bonum hominis eſt hominem vincere, ſed bonum eſt homini ut eum veritas vincat volentem; quia malum eſt homini ut eum veritas vincat invitum. Nam ipſa vincat neceſſe eſt, ſive negantem, ſive confitentem.*

In difficultatibus doctrinam fidei & morum ſpectantibus, Romanæ Eccleſiæ judicio ſtandum eſt.

S. Aug. Epiſt. 238. alias 164. Ad Paſcentium.

10. 11. *Ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem*. Charitas Dei erga Eccleſiam ſuam fons eſt auctoritatis Eccleſiaſticæ: eademque charitas finis, regula & menſura illius eſſe debet. Quod ad ædificationem gregis Jeſu Chriſti in uſu auctoritatis & juriſdictionis non tendit, abuſus eſt. Quiſquis exercendæ ſeveritatis occaſiones quærit, tyranno ſimilior eſt quam patri. Sap. 11. 11. *Hos quidem tanquam Pater monens probaſti: illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnaſti*. Qui Paſtoribus ſuis ſecundum Chriſti mandatum obſequuntur, & vitam ſecundum Evangelium & doctrinam Apoſtolicam inſtituunt, gaudio interiori perfunduntur. *Eorum enim qui virtutem exercent, præmium eſt lætitia*. Gaudium bonæ conſcientiæ parit deſiderium perfectionis: deſiderium iſtud confirmat & conſolatur animos: ſolatium illud & robur cumulatis per mutuam exhortationem communicata caritatem augent: caritas unanimitatem & pacem efficit: caritate & pace bonorum Chriſtianorum corda, Eccleſiæque ſingulæ templum unum fiunt, in quo Deus adoratur & laudatur in ſpiritu & veritate. *De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.*

Bonus uſus Paſtoralis auctoritatis.

Thren. 3.

12. *Salutate invicem in oſculo ſancto*. Oſculum ſanctum ſignum eſt ſincerum conjunctionis cordium in Chriſto Jeſu, & communionis ſanctorum in ejus Spiritu. *Salutate invicem in oſculo ſancto*, non ficto, non ſubdolo, ut Judas oſculatus eſt Chriſtum. „Ideo „enim in Eccleſia inſtitutum eſt oſculum, ut ſit „charitatis fomes, ut affectum inflammet, ut hac „ratione nos mutuo amemur, velut fratres invicem „ſe amant, patreſque viciſſim filios, imo etiam „multo vehementius. Illa enim naturæ ſunt, hæc „gratiæ. Ad hunc modum animæ inter ſe devinciuntur... Templum Chriſti ſumus; itaque templi „veſtibula & aditum oſculamur, cum alii alios oſculamur. Per januas has ingreſſus eſt Chriſtus, & „ad nos ingreditur, cum communicamus. Non enim „vulgari quodam honore os noſtrum afficitur, cum „Corpus Dominicum excipit: eaque præſertim de „cauſa tum mutua oſcula jungimus. Audiant qui „obſcœna loquuntur, qui convitia proferunt, qui „obſcœne oſculantur, cogitent quale os contaminent „ac dedecorent. Sacerdotes & Eccleſiæ Miniſtri os „ſuum auguſtius eſſe noverint Propitiatorio, in quo „Deus olim oracula edebat: illudque abominandis maculis purum conſervent.

Oſculum ſanctum.

S. Chryſoſt. Homil. 30.

13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis*. Nullum bonum præſtantius ſibi mutuo deſiderare & adprecari poſſunt Chriſtiani gratia Dei & caritate quæ per Spiritum ſanctum in cordibus diffunditur. „Prius quidem nos Deus amavit, cum „hoſtili in eum animo eſſemus, & in gratiam ſuam „recepit: poſtea autem amantes jam amare vult. „Quamobrem conſtanter eum amemus, ut ab eo etiam amemur. Nam ſi, cum ab iis amamur qui plu. „rimum poſſunt, timori omnibus ſumus; multo magis ſi a Deo amemur. Quod ſi hujus amoris cauſa, „opes etiam & corpora ac vitam quoque ipſam dare opus ſit, ne id efficere dubitemus. Neque enim „verbis noſtrum erga eum amorem teſtari ſatis eſt: „ſiquidem ipſe non verbis dumtaxat, ſed etiam rebus, ſuum erga nos amorem demonſtrat. Quamobrem tu quoque per opera id oſtende, quæ ipſi „grata ſunt operare. Sic enim ipſe lucrum retereſes. Etenim ille nulla re noſtra indiget. Id „quod etiam veri ac ſinceri amoris indicium eſt, nempe quod, cum nulla ipſe re indigeat, tamen nihil non faciat ut a nobis ametur. Eaque de cauſa „Moſes dicebat: *Et nunc, Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum: ut ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?*

Noſter erga Deum amor ſolis verbis non ſignificandus.

S. Chryſoſt. ibid.

Deuteron. 10. 12.

IN

IN EPISTOLAM
S. PAULI APOSTOLI
AD GALATAS,
COMMENTARIUS
LITTERALIS ET MORALIS,

PRÆFATIO.

CUM ſanctus Paulus certior factus eſſet, Galatas, quibus Evangelium prædicaverat, & quos in Chriſti fide inſtituerat, a Pſeudo-Apoſtolis quibuſdam Semi-Judæis ſeductos fuiſſe qui Evangelium ad ſalutem non ſufficere illis perſuaſerant, ſed cum eo Circumciſionem & Moſaicæ Legis ceremonias eſſe conjungendas, hominemque ex operibus Legis juſtificari; ut eos ab errore tam damnando ad veritatem revocaret, hanc ad illos Epiſtolam dedit, qua oſtendit hominem non ex operibus Legis, ſed ex fide Jeſu Chriſti juſtificari. Ante Chriſtum natum Judæos ſub Lege fuiſſe, ſicut parvulus ſub tutore eſt: ſed ubi Deus miſit Filium ſuum in terras, qui nobis adoptionem filiorum tribueret, nos a Chriſto fuiſſe libertate donatos: nec Circumciſionem, nec præputium prodeſſe, ſed fidem quæ per charitatem operatur. Quia vero Pſeudo-Apoſtoli ſancti Pauli auctoritatem elevare modis omnibus nitebantur, quaſi aliis Apoſtolis eſſet inferior; atque eorum doctrinæ contraria prædicaret, ſui dignitatem Apoſtolatus, auctoritatem prædicandi, & doctrinam, non ab hominibus acceptam, ſed a Chriſto immediate traditam tuetur; ejuſdemque doctrinæ cum reliquis Apoſtolis conſenſionem & concordiam ex habita cum illis collatione comprobat, & ex dextris ſocietatis ſibi datis a Petro, Jacobo & Joanne, qui videbantur columnæ eſſe.

Scripta videtur hæc Epiſtola Epheſi, ut ex peregrinatione S. Pauli intelligitur, & argumenta Latinis exemplaribus præfixa indicant, anno Æræ vulgaris 56. Græcorum Codicum ſubſcriptio miſſam innuit ex urbe Roma, quod minus veriſimile eſt: ſiquidem in ea non meminit Apoſtolatus vinculorum ſuorum, ut in aliis ex Urbe ſcriptis facere ſolet, & Galatas ſtatim a diſceſſu ſuo in errorem abreptos, ſtatim ab errore ipſum revocaſſe veriſimile eſt. Non ad unius civitatis, ſed ad magnæ Provinciæ ſeu regionis integræ Fideles ſcripta eſt hæc Epiſtola. Eſt enim Galatia regio minoris Aſiæ, quæ etiam Gallo-Græcia dicta eſt, a Septentrione Paphlagonia, ab Oriente Cappadocia, a Meridie & Occaſu Phrygia magna concluditur.

CAPUT I.

Senſus Litteralis.

℣. 1. P*Aulus, Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum a mortuis.* Non ab hominibus ſuopte arbitratu & auctoritate munus Apoſtolicum mihi demandantibus miſſus ſum, neque per hominem purum, quales erant Apoſtoli & Seniores Eccleſiarum, ſed per Jeſum Chriſtum immediate vocatus, nullo homine mortali adminiſtro, & per Deum Patrem naturalem Jeſu Chriſti; cujus virtute ſuſcitatus eſt a mortuis, quatenus homo. Ex hoc loco demonſtratur Jeſum Chriſtum eſſe verum Deum, ſiquidem S. Paulus qui ad prædicationem Evangelii a Chriſto miſſus eſt, negat ſe miſſum ab homine, & Præpoſitio *per*, ad Jeſum Chriſtum & Deum Patrem relata, unam utriuſque auctoritatem, virtutem, & divinitatem eſſe oſtendit. Reſurrectionis autem Jeſu Chriſti mentionem faciens, ſe a Chriſto tam immortali & glorioſo e cœlis vocatum & miſſum ſignificat. „ Priores ſunt cæteri Apoſtoli per Chriſtum „ adhuc ex parte hominem: noviſſimus eſt Paulus „ Apoſtolus per Chriſtum jam totum Deum, id eſt, „ omni ex parte immortalem. Sit ergo teſtimonii „ ejus æqualis auctoritas, in cujus honorem amplior „ clarificatio Domini, ſi quid habebat ordo temporis minus, ut S. Auguſtinus obſervat. *Et qui mecum ſunt fratres*, diſcipuli Evangelii prædicatione collaborantes, *Eccleſiis Galatiæ*, Ancyranis, Tavianis, Peſſinuntiis. Fratres, qui re communicata Epiſtolam approbarunt, prudenter adjungit, ut doctrinam ſuam ſingularem non eſſe oſtendat.

S. Hieronym. S. Chryſoſt. Theodoret.

S. Aug. in Expoſit. hujus Epiſtolæ

3. 4. 5. *Gratia vobis & pax a Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Gratiam perſeverantiæ juſtis, gratiam converſionis, pœnitentiæ, & juſtificationis peccatoribus; utriſque pacem, quæ caritatis fructus eſt, adprecor a Deo Patre, ex cujus erga homines amore, ut primo fonte gratia & pax manant; & a Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui tam divina munera nobis ſanguine ſuo promeritus eſt: *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* Qui voluntarie obtulit ſemetipſum hoſtiam pro peccatorum noſtrorum expiatione, ut eriperet nos a præſentis ſæculi corruptione, & a ſervitute peccati quod in mundo regnat. Sæculum præſens malignum dicitur propter homines malignos & iniquos, qui ſunt in mundo & diligunt mundum: ſicut dicimus malignam domum propter malitiam habitatorum. Nos (inquam) a peccatis quæ in mundo tot cupiditatibus flagrante, tot delinquendi occaſiones miniſtrante committuntur, ut eriperet Chriſtus, ſponte ſe obtulit ad mortem ſecundum decretum, beneplacitum, & præceptum Dei, qui Pater eſt non ſolum illius natura & æterna generatione, ſed & noſter gratia ſanctificante, qua nos filios ſuos adoptivos efficit. Cui pro tanto beneficio gloria ſit & honor in omnem æternitatem, & gratiarum actio ſine fine a nobis & ab omnibus electis rependatur.

6. 7. *Miror quod ſic tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium.* Miror vehementer, quod poſt fidem Chriſti prædicatione & inſtitutione mea ſuſceptam, tam cito deficiatis a Deo, qui vos ad gratuitam participationem beneficiorum Chriſti vocavit, ut ejus meritis juſti efficeremini: & quod vos transferri ſinatis a Pſeudo-apoſtolis in aliud Evangelium, ſeu in aliam doctrinam, ei quæ vobis a me tradita eſt, contrariam, quam falſi illi doctores pro Evangelio vobis obtrudant. *Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.* Cum tamen non ſit aliud Evangelium, nec eo nomine digna ſit doctrina illi contraria quam vobis prædicavi. Sed quidam ſunt Novatores qui vos conturbant, volentes evertere Evangelium Chriſti. Volunt Evangelium Chriſti mutare, convertere, turbare, ſed non valent. quia hujus naturæ eſt, ut non poſſit aliud eſſe quam verum eſt. „ Sapientes ſæculi, „ ut S. Hieronymus obſervat, eos qui de dogmate „ transferuntur ad dogmata, *tranſlatos* vocant: ut Dio„ nyſius ille, cujus fuit ante ſententia, Dolorem „ non eſſe malum, poſtquam oppreſſus calamitatibus „ & dolore cruciatus, cœpit aſſirmare dolorem eſſe „ ſummum omnium malorum, ab his appellatus eſt „ *tranſpoſitus ſive tranſlatus*, quod ſcilicet a priori „ decreto recedens in contrarium rec dillet. Miratur itaque S. Paulus, quod Galatæ tranſlati ſint „ ab Evangelii libertate ad legalium operum ſervitutem. Deinde quod tam cito tranſlati; quia non eſſul-

S. Hieronymus hic hyperbaton agnoſcit, quod ita ſuo ordine conſtrui poteſt: *Miror quod ſic tam cito transferimini a Chriſto Jeſu, qui vos vocavit in gratiam, dicens, Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Verum nec Græci Commentatores, nec S. Auguſtinus hoc hyperbaton agnoverunt. *S. Hieron. in Comment.*

Digitized by Google

„ ejuſdem reatus eſt transferri ab aliquo difficulter, „ & cito transferri, ut in Martyrio non eadem „ pœna plectitur qui abſque colluctatione & tor„ mentis ſtatim proſilivit ad negandum; & ille qui „ inter equuleos, fidiculas, ignesque diſtortus, com„ pulſus eſt quod credebat negare. Non dixit, *Tranſlati eſtis*, ſed, *Transferimini*, id eſt, nondum ar-
s. Chryſoſt. „ bitror perpetratam circumventionem. Hæc locu„ tio eſt illos ab errore revocare ſtudentis.

8. 9. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo* [a] *evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Licet ego ipſe Paulus, aut Angelus de cœlo annunciet vobis ac pro Evangelio proferat aliquid contrarium iis quæ vobis Chriſti nomine & auctoritate prædicavi, ſit maledictus & execrandus. παρ' ὃ hic ſignificat, *contra quam*, ut *Act.* 18. 13. *Rom.* 1. 26. & 4. 18. & 11. 24. παρὰ Græcis, ſicut *præter* Latinis, ſæpe ſignificat *contra*. Unde παραβάτης eſt *legis transgreſſor*, & dicimus, *præter morem*, *præter legem*, *præter ſpem*, *præter dignitatem*, id eſt, *contra*. Vel, Si ego, vel Angelus de cœlo, aliquid addiderimus Evangelio, quo adulteretur, labefactetur, invertatur, cum eo nihil ſit vobis commercii, non magis quam cum iis quos Eccleſia a ſuo corpore penitus abſcidit, & maledicto devovit. Quod vero Pſeudo-apoſtoli docebant, circumciſionis, aliarumque ceremoniarum legalium obſervantiam ad ſalutem neceſſariam eſſe, doctrinæ Pauli & ceterorum Apoſtolorum contrarium erat, & Evangelium invertebat, ut ex *Act.* 15 compertum eſt. *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico*: quod antea dixi vobis, nunc repeto, & ut maneat alta mente repoſtum, magis inculco: *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Si quis vobis tradiderit doctrinam contrariam ei quam a nobis accepiſtis, maledictus ſit & execrandus. Non ait, *ſi quis vobis evangelizaverit plus quam accepiſtis*: ſed, *præter quod*
S. Auguſt. Tract. 98. in Evangel. *accepiſtis*. „ Nam ſi illud diceret, ſibi ipſe præjudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes
S. Joan. n. 7. „ ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed „ qui ſupplet, quod minus erat addit, non quod „ inerat tollit. *Qui autem prætergreditur fidei regulam,* „ *non accedit in via, ſed recedit de via.*

[a] Hypotheſis impoſſibilis & hyperbolica locutio: ſi enim non poteſt ut ſanctus Angelus a Deo miſſus aliud Evangelium annunciet ab eo quod Paulus Apoſtolus prædicavit. *S. Chryſoſt. in hunc locum.* *b. Hyeronym.* *1 Theſſal. 3. 10.*

10. *Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem,*
S. Chryſoſt. *Chriſti ſervus non eſſem.* Non jam apud homines judices cauſam hanc ago, ſed ad tribunal Domini mei, cujus judicio eam approbari velim, hominum de doctrina & prædicatione mea judicia minime reformidans. Abſit ergo, ut rationem Deo redditurus prædicationis doctrinæque meæ, corrumpam Evangelii dogmata. Vel, Num illa doceo quæ homines mihi propitios reddant, an quæ Dei favorem concilient, negotium agens illius a quo miſſus ſum, & qui per me loquitur, Chriſti? An veritate poſthabita hominum gratiam aucupari ſtudeo? Si adhuc hominibus placere ſtuderem, verus & fidelis Chriſti miniſter & ſervus non eſſem. Nam ſi voluiſſem hominibus placere, adhuc a Judæis ſtarem, adhuc perſequerer Eccleſiam Dei. Verum qui totam Judæorum gentem, qui familiares, amicos & cognatos, qui popularem gloriam contempſi: & pro his commutavi inimicitias, bella, perſecutiones, & quotidiana mortis pericula, ſatis declaravi me, quæ doceo, non humanæ gloriæ ac laudis ſtudio docere.

11. 12. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem.* Scire vos velim, Evangelium quod vobis annuncio, & quam vobis trado doctrinam, nihil hu-
Hinc probatur Chriſtum non eſſe merum hominem, ſed verum Deum. mani habere: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*, † id eſt, a Jeſo Chriſto mihi immediate factam. „ Evangelium quod ſecundum hominem eſt, mendacium
S. Auguſt. in Expoſit. hujus Epiſt. n. 7. „ eſt, inquit S. Auguſtinus. Omnis enim homo mendax: quia quicquid veritatis invenitur in homi„ ne, non eſt ab homine, ſed a Deo per hominem. „ Ideo quod ſecundum hominem eſt, nec Evange„ lium dicendum eſt: quale illi afferebant, qui in „ ſervitutem ex libertate attrahebant eos, quos Deus „ ex ſervitute in libertatem vocabat. Revelatio au„ tem Evangelicarum veritatum S. Paulo facta a „ Chriſto Jeſu, non ad illud tempus differenda eſt, quo ad tertium cœlum raptus eſt, ſed ad tempus converſionis illius, & vocationis referenda: ſiquidem *continuo in Synagogis prædicabat Jeſum, quoniam hic eſt Filius Dei*.... *& confundebat Judæos, qui ha-*
Act. 9. 20. 21. 22. *bitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.*

13. 14. *Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.* Vos audiviſtis non dubi-
Paulus Phariſæi filius cum legem ipſam, tum ejus in- to, quod notiſſimum eſt, & per omnium ora volitat, modum quo vixi olim in ſecta Judaica, inter eos qui ex ceremoniis legis ſalutem eſſe, aut ſine il-

Nat. Alex. in Ep. D. Pauli Tom. I.

lis non eſſe aſſerebant, Legem Moſaicam, quoad Sa- terpretatione cramenta & Ritus a Chriſto non eſſe adimpletam Sacramenta & abrogatam contendentes: quin furoris æſtu & immoderato ardenti ſtudio peto perſequebar Eccleſiam Dei, id eſt, Chriſtiano- ſectabatur. rum ſocietatem a Deo in terris congregatam, & eam devaſtabam, paſſim Chriſtianos occidens, aut in vincula conjiciens, aut in fugam compellens. *Et proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Et in ſtudio Legis ita proficiebam, ut pleroſque Judæos ejuſdem mecum ætatis antecellerem, ardentiori zelo traditionum a majoribus meis acceptarum ſucceſſus, præſertim Circumciſionis, aliarumque ceremoniarum Legis Moſaicæ, quarum obſervantiam neceſſariam eſſe ad ſalutem ſta-
S. Hieronym. tuebant. „ Plurimum prodeſſe debuit Galatis iſta nar„ ratio, quo modo Paulus vaſtator quondam Ec„ cleſiæ, & Judaiſmi acerrimus defenſor, ad Chri„ ſti fidem ſit repente converſus, eo tempore quo „ Crucifixus primum annuntiabatur in mundo, quo „ novum dogma & a Gentibus, & a Judæis, totius „ orbis finibus pellebatur. Dicere enim poterant: Si „ ille qui a parva ætate Phariſæorum inſtitutus eſt „ diſciplinis, qui omnes coætaneos ſuos in Judaica „ traditione ſuperabat; nunc defendit Eccleſiam, „ quam quondam validiſſime perſequebatur; & ma„ gis Chriſti gratiam & novitatem vult habere cum „ invidia omnium, quam vetuſtatem Legis cum lau„ de multorum: quid nos facere oportet, qui ex „ Gentilitate cœpimus eſſe Chriſtiani? *Audiſtis*, in„ quit, *converſationem meam aliquando in Judaiſmo*: „ converſationem, non gratiam: aliquando, non mo„ do: in Judaiſmo, non in lege Dei. *Quoniam ſu„ pra modum perſequebar Eccleſiam Dei.* Non perſe„ quebatur ut ceteri, ſed ſupra modum, quaſi qui„ dam graſſator ac prædo. Non ait, Eccleſiam Chri„ ſti, ſed Dei: vel ipſum Chriſtum Deum eſſe ſi„ gnificans; vel ejuſdem Dei eſſe Eccleſiam, qui „ quondam legis dator fuit.

15. 16. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum*
S. Chryſoſt. n. S. Hier. Theodoret. Theoph. *in Gentibus, continuo non acquievi carni & ſangui-* Cum autem Deo viſum eſt, qui me ſingulariter ad Apoſtolatum elegit, antequam natus aut quidpiam promeritus eſſem, & vocavit per gratiam ſuam, quo decreverat tempore: cum, inquam, ei placuit Filium ſuum mihi revelare inſpiratione fidei, & cognitionis Myſteriorum Evangelii, ut illum, ejuſque Myſteria, & doctrinam, prædicarem Gentibus: ſtatim & ſine mora parui Deo vocanti: nec tunc adii mortalium quempiam, ut conſilium ab eo quærerem, ac velut de re dubia conferrem ac deliberarem. Sive (quæ vis eſt Græci Textus) *non contuli cum carne & ſanguine*, id eſt, cum nemine hominum communicavi. Qui enim Dei revelatione edoctus erat, hanc cum aliis conferre, & ſuam doctrinam eorum examini ſubjicere, nec opus erat, nec decebat.

17. *Neque veni Jeroſolymam ad antecesſores meos Apoſtolos: ſed abii in Arabiam: & iterum reverſus ſum Damaſcum.* Neque tunc temporis redii Jeroſolymam ad eos qui ante me fuerant ad Apoſtolatum vocati a Chriſto ſcilicet mortalem in terris vitam agente: ſed e Damaſco abii in Arabiam, ſeu in loca Arabiæ Damaſco proxima. Tunc enim Damaſcus ſub arabum regno erat. Venit quidem Paulus Jeroſolymam poſt converſionem, ut conſtat ex *Actuum* 9. 26. ſed neceſſitate fugæ compulſus, & quaſi obiter, non ut videret Petrum, aut cum eo vel aliis Apoſtolis conferret. In illo autem tranſitu raptus in extaſim cum in Templo oraret, vidit Dominum Jeſum, & audivit dicentem ſibi: *Vade, quoniam ego in Nationes longe mittam te.* Hinc abiit in Arabiam. *Act.* 22.
Hæc prima Gentium eſt cui Paulus Evangelium an-
nunciavit; in hoc Moſi ſimilis, cui poſt relictam *S. Lucas in Actis omiſit profectionem S. Pauli in Arabiam, quia commoratio ejus non fuit illo in tempore, nec rerum in illa regione ab eo geſtarum ſeries.* Ægyptum prima ſtatio in Arabia fuit. Significat autem Apoſtolus ſe illuc profectum, ubi nemo erat a quo doceretur: *Et iterum reverſus ſum Damaſcum.* Ibi cum cœpiſſet iterum Evangelium prædicare, coactus eſt fugere perſecutionem Proregis, & per murum in ſporta dimiſſus eſt. In Arabia delituiſſe Paulum triennio ſolido, ut ſe ad Apoſtolicas functiones ſacro ſeceſſu, oratione & contemplatione præpararet, pia quidem, ſed minime fundata recentiorum quorumdam cogitatio eſt, quæ SS. Chryſoſtomum, Auguſtinum, & Theodoretum repugnantes habet.

18. *Deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre* *Honor S. Petro Apoſtolorum Principi a S. Paulo exhibitus.* *Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Triennio in Arabia exacto, venit Jeroſolymam, Petrum Eccleſiæ caput & Apoſtolici ordinis Principem honoris cauſa viſiturus, non ut ab eo diſceret Evan-

gelicam Doctrinam, quam Damaſci & in Arabia jam prædicaverat. Neque enim tam breve quindecim dierum ſpatium ſatis fuiſſe videtur ad ediſcendum quod Gentibus prædicaret. Ivit Jeruſalymam, inquit S. Hieronymus, ut videret Petrum, *non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet auctorem, ſed honoris primi Apoſtolo deferendi*. Et Theodoretus: *Cum humana doctrina non indigeret, ut qui ab univerſorum Deo eam acceperat, Apoſtolorum Principi convenientem honorem tribuit. Propterea enim ad eum venerat, non ut ab eo aliquid diſceret, ſed ut ſolummodo videret.*

19. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini*; * Jeroſolymorum primum Epiſcopum ab Apoſtolis conſecratum, qui tunc in varias regiones ad prædicandum Evangelium erant diſperſi. Frater autem Domini vocatur Jacobus minor, Alphæi & Mariæ Cleophæ filius, quia Domini conſobrinus erat. Matrem enim habuit Matris Domini ſororem.

* Jacobum fratrem Domini, Judæ Apoſtoli germanum, unum ex duodecim Apoſtolis eſſe, probat hic locus cum Verſu 9. ſequentis capitis collatus, ubi inter illos numeratur *qui videbantur columnæ eſſe*, & cum Petro & Joanne nominatur, quos e duodecim numero fuiſſe, nemini dubium eſt. Vide Euſebium *Hiſtor. Eccleſiaſt.* lib. 2. cap. 1. duos tantum Jacobos agnoſcentem, Jacobum ſcilicet fratrem Joannis, & Jacobum juſtum, qui & frater Domini.

20. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. Juramentum adhibet ne conficta putentur quæ narrat. Cauſa autem gravis erat, ut crederetur Apoſtolus a Chriſto immediate vocatus, edoctus, & miſſus, non ab aliis Apoſtolis inſtitutus.

21. *Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ*; poſt quindecim nempe dies, quibus manſi Hieroſolymis.

22. 23. 24. *Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto*, id eſt, Eccleſiis Chriſtianis Judææ: *Tantum autem auditum habebant: Quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat*. Rumor tantum apud eos percrebuerat, eum qui Chriſtianos olim perſequebatur, fidem nunc prædicare, quam olim oppugnabat. *Et in me clarificabant Deum*. Converſionis meæ, & vocationis ad Apoſtolatum gloriam Deo tribuentes, illi gratias agebant. „Tam brevi tem„pore poſt converſionem ſuam ſe in Judæa fuiſſe nar„rat Apoſtolus, ut etiam vultu credentibus eſſet „ignotus. Ex quo oſtendit, non Petrum, non Ja„cobum, non Joannem ſe habuiſſe doctores, ſed „Chriſtum, qui ſibi Evangelium revelaſſet.

CAPUT I.

Senſus Moralis.

S. Hieron. Miſſio Paſtorum divina: & inſtitutione divina eſt.

S. Hieron. Quadruplex Apoſtolorum genus.

P*Aulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem*, &c. Miſſio Paſtorum divina eſt origine & inſtitutione. Id perſuaſum ſit Chriſtianis plebibus, ut illis prædicantibus, dirigentibus, monentibus corripientibus Chriſti nomine, reverentiam & obedientiam exhibeant. Quatuor genera Apoſtolorum ſunt, inquit S. Hieronymus. Unum, quod neque ab hominibus eſt, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem, ut duodecim Apoſtoli, & S. Paulus. Aliud, quod a Deo quidem eſt, ſed per hominem, ut Barnabas, Silas, Timotheus, Titus, Soſthenes, Epaphroditus. Tertium, quod ab homine, non a Deo; cujus generis ſunt, qui hominum favore & ſtudio ordinantur, & ad Epiſcopatum, ac Paſtoralem curam, aliave Beneficia Eccleſiaſtica provehuntur: *Ut nunc videmus plurimos non Dei judicio, ſed redempto favore in Sacerdotium ſubrogari*. Quartum, quod neque a Deo, neque per hominem, neque ab homine, ſed a ſemetipſo: quales ſunt hæretici, & Pſeudo-apoſtoli, operarii iniquitatis, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, qui dicunt: *Hæc dicit Dominus, & Dominus non miſit eos*.

Cleri cum Epiſcopo conſenſus. *S. Hieron.*

2. *Et qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ*. Felices Eccleſiæ, quarum Clerus cum Epiſcopo ad populi correctionem & ſanctificationem conſpirat. *Plurimum quippe facit ad populum corrigendum, multorum in una re ſententia atque conſenſus*. Non ſolum in dogmatibus Religionis, ſed in doctrina Morum, cum Epiſcopo ſuo conſentiant ſecundi ordinis Sacerdotes. Amplectantur utique Doctrinam ſanam, Moralem incorruptam; Animas ſecundum Regulas a Chriſto & Apoſtolis traditas, ſecundum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, ſecundum Sedis Apoſtolicæ Decreta, ſecundum ſanctorum Patrum ſcita, uniformi ratione dirigant in viam ſalutis. Populo Chriſtiano inculcent divini verbi Prædicatores, quod S. Ignatius Martyr ad Magneſios ſcribebat: *Quemadmodum Dominus ſine Patre nihil facit unitus exiſtens, neque per ſeipſum, neque per Apoſtolos; ſic neque vos ſine Epiſcopo & Presbyteris aliquid operemini. Neque tentetis rationabile aliquid apparere proprie vobis; ſed in idipſum una oratio, unus intellectus, una ſpes in caritate, in gaudio incoinquinato, quod eſt Chriſtus Jeſus, quo melius nihil eſt .... Non erretis extraneis opinionibus*. Et quod ſcribit ad Polycarpum idem S. Martyr, ſubalterni Paſtores, & Directores conſcientiarum audiant & teneant: *Si videri quis velit plus Epiſcopo, corruptus eſt. Decet autem ducentes & ductos cum ſententia Epiſcopi unionem facere, ut ſit ſecundum Dominum, & non ſecundum concupiſcentiam.*

Duo gratiæ fontes, Dei bonitas, & Chriſti merita.

3. 4. *Gratia vobis & pax a Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri*. Miſſio & auctoritas Paſtorum ſine fructu eſſent, niſi Deus gratiam ſuam, charitatem, & pacem ovibus largiretur. Duos gratiæ fontes Apoſtolus indigitat. 1. Dei bonitatem, ut Patris. 2. Chriſti Jeſu merita, ut Salvatoris noſtri. Deus gratias nobis non concedit niſi per Filium ſuum, & per ejus merita. Infinitis illis meritis Salvator noſter, Redemptor, ac Dominus eſt, Sacerdos & victima Deo Patri pro peccatis noſtris oblata. *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei & Patris noſtri*. Mortuus eſt ut nos a mundi ſervitute eriperet. Næ nos ingratos, qui non modo pro tanto beneficio gratias non agimus, ſed iterum nos mundo & ejus cupiditatibus tradimus! Voluntati Dei & Patris noſtri obſequamur: hæc omnium operum noſtrorum regula ſit: finis vero ejus gloria. *Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

S. Auguſt. in Expoſit. hujus loci.

„Quanto magis, inquit S. Auguſtinus, homines non „debent arroganter ad ſeipſos referre, ſi quid ope„rantur boni; quando & ipſe Dei Filius in Evan„gelio, non gloriam ſuam ſe quærere dicit, neque „voluntatem ſuam venire facere, ſed voluntatem „ejus qui eum miſit? Quam voluntatem gloriam„que Patris nunc commemoravit Apoſtolus, ut ipſe „quoque Domini exemplo, a quo miſſus eſt, non „ſe quærere gloriam ſuam ſignificaret, nec facere „voluntatem ſuam in prædicatione Evangelii. Quas pœnas incurremus, ſi voluntatem noſtram voluntati Dei & Patris noſtri, ſi gloriam noſtram gloriæ Domini noſtri miſeri homunciones, indignique ſervi præponamus?

Quo modo plerique Chriſtiani Evangelium Chriſti invertant.

6. 7. *Miror quod ſic tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant & volunt convertere Evangelium Chriſti*. Quam frequens, heu! apud noſtrorum temporum Chriſtianos, a Chriſti gratia defectio, ad aliud Evangelium tranſitus, & nemo miratur! Vocationis ſuæ immemores, Chriſti Salvatoris ſui gratiæ ingrati, mundi in maligno poſiti placita, moreſque ſequuntur. Si illi evertebant Evangelium Chriſti, qui Judaicas ceremonias a Deo inſtitutas in Chriſtianam Religionem inferre conabantur: quanto magis evertunt, qui pompas diaboli, ſpectacula, choræas, luxum, ludos aleatorios, comeſſationes, mulierum frequentationes ſemper periculoſas, ſæpe exitiales caſtitati, uſuras novo nomine velut honeſtatas, novo fuco adornatas, rerum ſacrarum nundinationes, omnique generis peccata, cum Religionis Chriſtianæ profeſſione conjungere non dubitant? Invertit Evangelium, qui id quod in facie & ante oculos eſſe debet, poſt tergum projicit, & ea quæ poſt tergum ſunt, vertit in faciem. Ante oculos Chriſtianorum eſſe debent ſpiritalia & æterna; poſt tergum, temporalia & caduca; ante faciem æternitas; poſt tergum vanitas; ante oculos Deus, poſt tergum mundus. Igitur avari, ambitioſi, impudici, & omnes mundi & voluptatum ejus amatores, Evangelium Chriſti invertunt. Ad extremum illud malum ſenſim ducit rerum, quæ hominum judicio minimæ videntur, ſive in doctrina Fidei, ſive in Morali Chriſtiana neglectus.

S. Hieron.

S. Chryſoſt. in hunc locum.

Rerum quæ hominum judicio minuti momenti in religione videntur, neglectus, ſæpe ducit ad damnationem.

„Nonne audiſtis in veteri Teſtamento, eum qui ſab„bato ligna collegerat, unicum mandatum, nec id „maximum tranſgreſſus, extremo affectum eſſe ſup„plicio? Quodque Oza, quoniam Arcam alioqui „ſubvertendam fulcit, ſubito mortuus eſt, eo quod „miniſterium ipſi non congruens uſurpavit? Ergone „ſabbatum violatum, & ſolus Arcæ ruituræ con„tactus, Deum ad tantam indignationem provoca„vit, ut qui hæc auſi fuerunt, nullam veniam ſint „conſecuti: hic vero qui adoranda & ineffabilia „dogmata corrumpit, qui gratiam novi Teſtamenti „irritam facit, qui Chriſti ſanguinem, in quo ſan„ctificatus eſt, conculcat, qui poſt ſuſcepta Sacra„menta cito transfertur ad priſtinas abominationes, „excuſationem habiturus eſt, & veniam conſeque„tur? Hoc ipſum igitur eſt omnium malorum cau„ſa, quod ob puſilla non indignamur. Ob id majo„ra ſcelera ſubierunt, quod minoribus debita cor„rectio non adhibetur. Et quemadmodum in corpo„ribus, vulnera neglecta febres gignunt & putrefa„ctiones, ac mortem denique: ita & in animis qui

mino-

„ minora diſſimulant, graviora inducunt. Ille, inquiunt, labitur in jejunio, neque quidquam eſt magni. Alter, valet quidem recta fide, cœterum temporis gratia ſimulans, profitendi libertatem prodit. Ne id quidem aliquid eſt magni mali. Quia & innumera hujuſmodi peccata quotidie a Chriſtianis committuntur, & diſſimulantur. Non Judaicæ ceremoniæ, ſed Gentilium ſuperſtitiones & mores in Eccleſiam invehuntur. Quamquam a Deo data erat circumciſio: verum quoniam non in tempore obſervata, corruptelam inſerebat Evangelio, nihil non fecit S. Paulus ut eam aboleret. Et nos ne paganas quidem conſuetudines abolebimus? Evangelii integritas, Moralis Chriſtianæ puritas, nullam patitur extraneæ doctrinæ, aut laxiorum opinionum admixtionem. Hanc qui non diligit, conturbat omnia & invertit, tantum abeſt ut ædificet, „ Quemadmodum enim in moneta regia, qui minimum aliquid abraſerit de impreſſa imagine, totum numiſma reddit adulterinum: ita quiſquis fidei Chriſtianæ vel minimam particulam, qui Moralis Evangelicæ vel minimam regulam ſubverterit, omnino corrumpitur, ab hoc initio ſemper ad deteriora procedens.

Quænam aliud Evangelium prædicant?

8. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*. Quicomque Moralem Evangelicam emollit, relaxat, corrumpit, invertit, per latam viam dirigens animas, cum Chriſtus per anguſtam, quæ ducit ad vitam, dirigi jubeat: qui ſæculi pompas & voluptates cum vitæ Chriſtianæ profeſſione conciliat; cum Chriſtus pro diſcipulis ſuis non agnoſcat, niſi eos qui ſemetipſos abnegant, crucem ſuam tollunt, & ipſum ſequuntur: etſi externa ſpecie Paulo ſimilis videatur zelo ſalutis animarum, etſi Angelo ſcientia & puritate non impar habeatur, Pſeudo-apoſtolus eſt, operarius iniquitatis, ſeductor, anathemate dignus, alterius Evangelii Prædicator, veri Evangelii, quod unicum eſt & immutabile, interpolator & everſor. *Veritas*, inquit S. Auguſtinus, *propter ſe ipſam diligenda eſt, non propter hominem, aut propter Angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit eam, poteſt etiam mendacia diligere, ſi qua forte ipſi ſua protulerint*. Caveant Paſtores, Concionatores, Doctores, Conſcientiarum Moderatores, ne pravis moribus, & converſatione ab Evangelii regulis aliena, aliud Evangelium prædicante videantur, evertentes pravis exemplis, quod verbis ædificant. Ad præclaram illam S. Gregorii Magni ſententiam attendant. *Sunt nonnulli, qui ſolerti cura ſpiritualia præcepta perſcrutantur: ſed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant; repente docent, quæ non opere, ſed meditatione didicerunt; & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit ut, cum Paſtor per abrupta graditur, ad præcipitium grex ſequatur*.

S. Auguſt. in hunc locum.

S. Gregor. M. Paſtoral, P. 1. cap. 2.

10. *Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*. Nimium ſtudium placendi hominibus, & gloriæ ſæcularis amor, ad Evangelii corruptionem impellunt infideles Miniſtros & ſubdolos operarios. Ceterum ſancti Paſtores, Concionatores & Directores hominibus placere amant, non propter ſe ipſos, ſed ut eis placeat veritas quam prædicant. Sic Apoſtolus alibi ait: *Sine offenſione eſtote Judæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei: ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalventur*. „ Sed ſi fieri poteſt ut pariter Deo & hominibus placeamus, placendum eſt & hominibus. Sin autem aliter non placemus hominibus, niſi Deo diſpliceamus; Deo magis quam hominibus placere debemus..... *Qui autem ex caritate, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ aliena, placet omnibus ut ſalventur: utique Deo primum placet, cui ſalus hominum curæ eſt*. Cupido placendi, & timor diſplicendi hominibus innumerabilium ſunt fontes peccatorum. Vigilent igitur Chriſtiani omnes ne hæc cupido, ne hic timor in eorum animos irrepat. Vigilent præſertim Eccleſiæ Miniſtri, ne his affectibus abripiantur. *Neceſſe eſt*, inquit Sanctus Gregorius Magnus, *ut Rector ſolerter invigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulſet: ne cum ſtudioſe interiora penetrat, cum provide exteriora ſubminiſtrat, ſe magis a ſubditis diligi quam veritatem quærat: ne cum bonis actibus fultus a mundo videtur alienus, hunc Auctore reddat extraneum amor ſuus. Hoſtis namque Redemptoris eſt, qui per recta opera quæ facit, ejus vice ab Eccleſia amari concupiſcit: quia adulterinæ cogitationis reus eſt, ſi placere puer ſponſæ oculis appetit, per quem ſponſus dona tranſmiſit*. „ Ex amore etenim ſuo mens Rectoris in mollitiem vertitur, quia cum peccantes ſubditos reſpicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non præſumit: nonnumquam vero errata ſubditorum, quæ corripere debuerat, adulatione demulcet. Unde bene per Prophetam dicitur: *Væ his qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite omnis ætatis ad capiendas animas*. „ Pulvillos quippe ſub omni cubito manus ponere, eſt cadentes a ſua rectitudine animas, atque in hujus mundi ſe delectatione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quaſi enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti ſubtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla aſperitas contradictionis pulſat. Sed hæc Rectores qui ſemetipſos diligunt, his exhibent, a quibus ſibi noceri poſſe in ſtudio gloriæ temporalis timent. Nam quos nil contra ſe valere conſpiciunt, aſperitate rigidæ ſemper invectionis premunt; numquam clementer admonent, ſed Paſtoralis manſuetudinis obliti, jure dominationis terrent. Verumtamen oportet ut Rectores boni placere hominibus appetant, ſed ut ſuæ æſtimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant: non ut ſe amari deſiderent, ſed ut dilectionem ſuam quaſi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippe eſt ut quamlibet recta denuncians Prædicator qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præeſt, & ſtudere ſe diligi, quatenus poſſit audiri, & tamen amorem ſuum pro ſemetipſo non quærere, ne inveniatur ei, cui ſervire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide reſultare. Quod bene Paulus inſinuat, cum ſui nobis ſtudii occulta manifeſtat, dicens: *Sicut & ego omnibus per omnia placeo*. Qui tamen rurſus dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*. Placet ergo Paulus, & non placet: quia in eo quod placere appetit, non ſe, ſed per ſe hominibus placere veritatem quærit.

Cupido placendi & timor diſplicendi hominibus, multorum malorum fontes.

1. Cor. 10.

S. Hieron. in hunc locum.

S. Gregor. M. P. 2. Paſteral. cap. 8.

Ezechiel. 13. 18.

1. Cor. 10.

Galat. 1. 10.

11. 12. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*. Nec dogmatum Fidei veritas, nec Moralis Chriſtianæ puritas, ſecundum hominem eſt: abſit ut alterutrum Chriſtianis abſcondamus. *Notum vobis facio Evangelium*. „ Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Abſit ut alterutram ſecundum humana præjudicia, ſecundum hominum opiniones & probabilitates, non vero ſecundum verbum Dei ſcriptum & traditum, doceamus & prædicemus. Abſit ut peccatoribus blandiamur, vitam mollem, ſuiſque cupiditatibus, & ſæculi moribus, non Evangelicis & Apoſtolicis regulis conformem, ipſis agere permittentes. Vita quæ ſecundum hominem eſt, Deo digna non eſt. Evangelium quod ſecundum hominem eſt, non eſt Evangelium Dei, ſed diaboli. Eccleſiæ doctrina, ſive fidem, ſive mores ſpectans, Deum habet auctorem, Chriſtum Jeſum doctorem & magiſtrum unum. Aquæ in vitam æternam ſalientis homines canales ſunt, non fontes. Hujus doctrinæ ſunt depoſitarii, non domini, ut eam pro arbitrio immutent & invertant. Hæc doctrina non eſt humani ingenii inventum, ſed Dei donum per Jeſum Chriſtum. Solus ille docere potuit quo modo vellet ab hominibus coli. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*. Novatores in Fide aut Morali Chriſtiana, Dei Evangelium non tenent, non prædicant. *Hæretici*, inquit Sanctus Hieronymus, *non habent Dei Evangelium, quia non habent Spiritum ſanctum, ſine quo humanum fit Evangelium quod docetur. Nec putemus in verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis. Dicitur in Propheta ex Deo*: „ Sermones ejus boni ſunt cum eo. *Tunc Scriptura utilis eſt audientibus, cum abſque Chriſto non dicitur, cum abſque Patre non profertur; cum ſine Spiritu non eam inſinuat ille qui prædicat. Alioquin & diabolus, & omnes hæreſes, ſecundum Ezechielem, inde ſibi conſuunt cervicalia, quæ ponant ſub cubito univerſæ ætatis. Ego quoque ipſe qui loquor, ſi Chriſtum in me habeo, non habeo Evangelium hominis. Si autem peccator ſum, dicitur mihi*: „ Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. *Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne forte interpretatione perverſa de Evangelio Chriſti, hominis fiat Evangelium, aut quod pejus eſt, diaboli*. Ad hæc attendant, Paſtores, Concionatores, & Moderatores conſcientiarum, & contremiſcant.

Evangelium quod ſecundum hominem eſt, non eſt Evangelium Dei, ſed diaboli.

S. Hieron. in hunc locum.

Michæ 2.

Ezechi l. 13.

Pſal. 49.

13. 14. *Audiſtis enim converſationem meam aliquando*

Digitized by Google

in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam. „ Vides ut ſingula cum „ exaggeratione commemorat, nec pudet ſua pecca„ta confiteri. Non enim tantum ſe perſecutum eſſe „ dicit, ſed omni eum vehementia: nec perſecu„tum eſſe modo, verum etiam expugnaſſe, id eſt, conatum eſſe extinguere, ſubvertere, demoliri, abolere. Non ait ſimpliciter ſe perſecutionem moviſſe contra Chriſtianos, ſed adverſus Eccleſiam Dei, ut ſui gravitatem peccati luculentius oſtendat ac probet. Supra modum, inquit, longe vehementius & atrocius quam alii perſecutores, qui a Principibus conducti naſcentem perſequebantur Eccleſiam Hieroſolymis; ut innuat ſe Principes Sacerdotum contra Eccleſiam incitaſſe, & perſecutionis non tantum miniſtrum fuiſſe, ſed incentorem; non in Jeruſalem dumtaxat, ſed per omnem regionem. Apoſtoli humilitatem imitemur, peccata noſtra præterita coram Deo recogitemus in amaritudine animæ noſtræ, illa humiliato & contrito corde Deo & Sacerdoti confiteamur. Non quæramus excuſationes in peccatis, noſtrum eſſe ſimpliciter ac ſincere fateamur, quod peccavimus: „ *converſationem meam*: quia „ quod male facimus, ex nobis eſt: ex Deo autem „ quicquid boni facimus. Sed & coram hominibus de peccatis noſtris ſalubriter confundamur, cum nota ſunt, & publica fuerunt. Pudor interiorem dolorem pariat ob Deum offenſum, ob tremendam ejus majeſtatem & infinitam bonitatem ſupra modum impugnatam. Quantum abſunt ab his diſpoſitionibus, qui de peccatis ſuis gloriantur? De quibus Propheta: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? . . . Propterea Deus deſtruet te in finem.* Et Sapiens: *Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis; quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum.*

S. Chryſoſtom.

S. Pauli humilitas in peccatorum noſtrorum confeſſione imitanda.

S. Thomas, Lect. 3.

Pſal. 51.

Proverb. 2. 14.

14. *Et proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Quot impedimenta converſionis hæreticorum! 1. Præjudicia in favorem Sectæ. 2. Odium Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, quæ ſola eſt Eccleſia Dei. 3. Honor & gloria humana, qua fruuntur in Secta. 4. Falſus & cæcus zelus pro erroribus, quos a parentibus & magiſtris quaſi vera dogmata acceperunt. Hæc impedimenta in S. Paulo vicit Gratia Chriſti. Gratias cum illo Deo agamus, qui per ipſum Gentes ab erroribus ad Evangelii veritatem convertit. Oremus Deum ut Gentes quæ Deum non noverunt, & nomen ejus non invocaverunt, Chriſti gratia illuminentur, & virorum Apoſtolicorum opera ad unius veri Dei notitiam & cultum perducantur. Oremus pro Judæis, qui paternas traditiones Dei legi ac mandatis anteponunt, ut Chriſtum, quem Lex & Prophetæ prædixerunt, Jeſum Dei Filium, Dominum ac Salvatorem omnium hominum, finem Legis & Prophetarum agnoſcant, in eum credant, eumque cum omnibus gentibus adorent. Oremus pro hæreticis, ut antiqua præjudicia deponentes, & gloriam Dei magis quam hominum quærentes, Catholicam veritatem amplectantur, & ad Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam, Romanam redeant, extra quam non eſt ſalus. Oremus tandem pro iis omnibus qui Scripturas ſacras Judaico ſenſu intelligunt, vel humanas opiniones, & ſæculi conſuetudines, in directione Animarum, legi Dei, Apoſtolicæ traditioni, Eccleſiæ Decretis, Canonibus Spiritu Dei conditis, & totius mundi, reverentia conſecratis anteponunt. *Hi enim perſequuntur Eccleſiam Chriſti, & populantur illam, non ſtudio legis Dei, ſed traditionibus hominum depravati.*

Impedimenta converſionis hæreticorum.

S. Hieron. in hunc locum.

15. *Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuo non acquievi carni & ſanguini. Neque veni Jeroſolymam,* &c. Effecta & dona miſericordiæ Dei in Apoſtolo Paulo, aliiſque electis, quorum a felici numero faxit Deus ut ſimus, multiplicia ſunt. 1. Electio gratuita, ſeu divinæ beneplacitum voluntatis, nulla ex parte hominum merita ſupponens, ſed omnia merita in ipſis creans. *Cum placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ.* 2. Vocatio efficax, quæ a nullo duro corde reſpuitur, quippe quæ datur ut cordis duritia primitus auferatur; *& vocavit per gratiam ſuam.* 3. Fides in Chriſtum Jeſum. *Ut revelaret Filium ſuum in me.* 4. Zelus fidei ac pietatis propagandæ, ſeu verbo; quod paucis; ſeu exemplo, quod omnibus electis convenit, *Ut evangelizarem illum in gentibus.* Quiſquis enim ſancta converſatione bonus odor Chriſti & in omni loco, illum ſuo modo evangelizat. 5. Prompta obedientia inſpirationibus Dei. *Continuo.* 6. Carnalium affectuum abdicatio. *Non acquievi carni & ſanguini.* 7. Receſſus a locis & ſocietatibus in quibus tuenda fides vel innocentia periclitari & labefactari poſſunt, S. Paulus ſtatim poſt converſionem ſuam Hieroſolymis commorari noluit, ne propinqui ejus & amici illum ad Judaiſmum revocare conarentur, & Chriſti fidem in ejus animo concuterent, *Neque veni Jeroſolymam.* „ Acquieſcit enim carni & ſanguini, quiſquis car„nalibus propinquis & conſanguineis ſuis carnaliter „ ſuadentibus aſſentitur. Si parentes & cognatos contingat impedimenta filiis aut conſanguineis apponere ne Deo ad perfectioris vitæ ſtatum vocanti obediant; vel, ne ſui ſtatus officiis, ut par eſt, fungantur, per calcatum patrem, per calcatam matrem pergendum eſt, & ad vexillum crucis evolandum. Revocanda in memoriam Chriſti Jeſu Domini noſtri verba: *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.* Et, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Et illa Moſis tribui Levi benedicentis: *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos: & fratribus ſuis, Ignoro vos: & neſcierunt filios ſuos, Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt.* „ Solerti ergo cura providendum eſt, ne „ carnis gratia ſubrepat, atque a recto itinere cor„dis greſſum deflectat, ne vim ſuperni amoris impe„diat, & ſurgentem mentem ſuperimpoſito pondere „ deorſum premat. Sic etenim quiſque propinquo„rum debet neceſſitatibus compati, ut tamen per „ compaſſionem non ſinat vim ſuæ intentionis im„pediri: ut affectus quidem mentis viſcera repleat, „ ſed tamen a ſpirituali propoſito non avertat. Ne„que enim ſancti viri ad impendenda neceſſaria pro„pinquos carnis non diligunt, ſed amore ſpiritualium „ ipſam in ſe dilectionem vincunt: quatenus ſic eam „ diſcretionis moderamine temperent, ut per hanc „ in parvo ſaltem ac minimo a recto itinere non „ declinent.

Effecta miſericordiæ Dei in S. Paulo & omnibus electis.

S. Auguſt. in hunc locum.

Luc. 9. 60. 62.

Deuter. 33. 9.

S. Gregor. M. lib. 7. Moral. cap. 14.

18. 19. *Deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Chriſtiani, præſertimque Miniſtri Eccleſiæ, Concionatores, Viri Religioſi, viſitationum quas officioſe exhibent cujuſcumque Ordinis hominibus, hanc regulam intueantur. Non curioſitate, ambitione, cupiditate, aut voluptate ducti viſitationis officium impendant, ſed obſervantia, caritate, neceſſitate, negotiorum, ob Dei gloriam, ob mutuam ædificationem. Breves ſint viſitationes, ne tempus inanibus confabulationibus aut ludis aſſiduis teratur, ne ſæculi ſpiritus hauriatur, ne a ſuis abſtrahantur vel retardentur officiis & qui inviſuntur, & qui alios inviſunt. Sanctus Paulus in urbe magna, Judææ Metropoli Jeruſalem, ſolum Petrum & Jacobum inviſit, ut honorem ac reverentiam Apoſtolorum Principi, & Domini cognato, quem Apoſtoli Hieroſolymorum Epiſcopum inauguraverant, deferret. „ Non „ ivit Jeroſolymam, ut aliquid humanum in Petro „ aſpiceret, ſed his oculis aſpexit eum, quibus & „ modo in ſuis Epiſtolis videtur; his oculis, quibus „ nunc a prudentibus quibuſque Paulus conſpicitur. „ Nec in ea viſitatione longius tempus conſumpſit, ſed quindecim tantum dies, qui reverentiæ, obſervantiæ, caritatis officiis, collationibus de rebus divinis, & Eccleſiæ propagatione ſatis erant. Petrum & Paulum videre amemus & audire in eorum Epiſtolis; in Romano Pontifice Petri ſucceſſore, in Epiſcopis Apoſtolorum heredibus eorum revereamur auctoritatem. Sancti Petri Primatum, quem Apoſtolus Gentium veneratus eſt, qui in Romanos Pontifices illius Succeſſores jure divino tranſiiſſe non credit, non colit, Chriſtianus Catholicus non eſt. Petrus in Sede ſua vivit & præſidet, Petrus per Clementem XI. loquitur. Ipſum adeamus, ab illo Fidei veritatem, Moralis Chriſtianæ puritatem, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ordinem quæramus, audiamus, ſuſcipiamus.

Viſitationum officioſarum regulæ ab Eccleſiæ Miniſtris ſervandæ.

S. Hieron.

20. *Quæ autem ſcribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior.* Jurare, cum id gloria Dei, & bonum ſalutis animarum exigunt, actus religionis eſt, quo Deus honoratur. Jurare abſque neceſſitate, ex levitate, & prava conſuetudine malum eſt, & diſpoſitio ad perjurium. „ Jurat Apoſtolus; & quid ſan„ctius hac juratione? Sed non eſt contra præceptum „ juratio quæ a malo eſt, non jurantis, ſed incre„dulitatis ejus cui jurare cogitur. Nam hinc intel„ligitur Dominum prohibuiſſe a jurando, ut quantum „ in ipſo eſt quiſque non juret: quod multi faciunt „ in ore habentes jurationem tamquam magnum aut „ ſuave aliquid. Quantum ergo in ipſo eſt, non ju„rat Apoſtolus: non enim appetit jurationem cupi„ditate aut delectatione jurandi. Amplius eſt enim „ quam, *Eſt, eſt; Non, non,* & ideo *a malo eſt*, ſed „ infirmitatis aut incredulitatis eorum, qui non ali„ter moventur ad fidem.

S. Auguſt. in hunc locum

Matth. 5.

22. 23. *Erant autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto: tantum autem auditum habebant,*

Quæ-

Digitized by Google

Quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: & in me clarificabat Deum. De peccatorum converſione gratias Deo agere debemus, cujus gratiæ opus eſt, etſi illos ex facie non noverimus. Cum vero audimus illos egregium aliquid ad gloriam Dei, & ædificationem Eccleſiæ fecisse, & pro tuenda veritate, propaganda fide, ſtabilienda pietate, fructuoſe laborare, Deum qui hæc in illis & per illos operatur, glorificare debemus, ſicut Eccleſiæ Judææ Deum glorificabant ob admirabilem Pauli converſionem, & ejus Apoſtolatum. *Et glorificabant in me Deum.* Non dixit, Admirabantur me, laudabant me, ſtupebant, ſed declaravit totum hoc eſſe gratiæ, dicens: *Deum glorificabant in me.* Sic noſtrum in Deum amorem teſtamur, ſic gratiarum ejus incrementum obtinemus. Etenim

> —— *Fons meriti eſt lucis Pater, inde quod in nos*
> *Fluxerit, hoc nobis majorum eſt cauſa bonorum.*
> *Dum largitori ſua reddimus, æque relatis*
> *Augemur, noſtrumque bonum ſit gloria dantis.*

Gratiarum actio. — S. Chryſoſt. — S. Proſper. Carm. de ingratis, p. 3.

dicandum Evangelium, & fundandas Eccleſias, nulla habita prioris vitæ ratione. Proinde tametſi ceteri me aliqua minori hîc me dignum exiſtiment, quod ultimus Apoſtolorum vocatus ſim, quod cum Chriſto converſatus non fuerim ut alii, quod Eccleſiam olim perſecutus ſim. De aliis Apoſtolis abſit ut taceam: nam cum Deus perſonarum acceptor non ſit, nec ſe minorem accipiet qui cedere quondam videntur ad tempus, tametſi ipſi mecum ſentiant. Hæc igitur non ſunt contra Apoſtolos; ſed Evangelicæ doctrinæ, quam prædicat, veritati nihil obeſſe aiebat indulgentiam & diſpenſationem, qua Judæis ad tempus permiſerunt legalium ceremoniarum obſervationem, de qua diſpenſatione ſoli Deo rationem debent. Sibi ſatis eſſe quod eandem Evangelii veritatem cum ipſo teneant, ſcilicet Circumciſionem, ceteraſque legis ceremonias nihil ad ſalutem prodeſſe, neque ex operibus legis, ſed per gratiam & fidem Jeſu Chriſti tam Judæos quam Gentiles juſtificari apud Deum.

7. 8. 9. *Sed e contra, cum vidiſſent quod mihi creditum eſt Evangelium præputii, ſicut & Petro Circumciſionis.* Tantum abeſt ut primarii Apoſtoli doctrinam meam improbaverint, ac reprehenderint, quin potius me ut Coapoſtolum agnoverunt, & ut tali dexteram dederunt, cum audiſſent mihi a Chriſto demandatam eſſe provinciam prædicandi Evangelium Gentibus incircumciſis, ſicut & Petro illud prædicandi Judæis. (*Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.*) Qui enim gratiæ ſuæ virtute tribuit Petro ut ejus prædicatio apud Judæos efficax & fructuoſa eſſet, idem mihi tribuit ut prædicatio mea efficax & fructuoſa eſſet apud Gentes, ad quarum præſertim converſionem vocatus ſum Apoſtolus. *Et cum cognoviſſent gratiam quæ data eſt mihi,* * *Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras mihi dederunt & Barnabæ ſocietatis: ut nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſionem.* Cum (inquam) Petrus, Jacobus, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, quibus Eccleſiæ ſuſtentaretur ædificium, cognoviſſent gratiam Apoſtolatus mihi a Deo datam, dextras mihi & Barnabæ dederunt in ſignum ſocietatis & concordiæ, noſque ut Coapoſtolos, & in Evangelii miniſterio pares receperunt: ita ut nos Apoſtolica munere apud Gentes præcipue fungeremur, illi vero apud Judæos. „ Dexteras ſocietatis Paulo & Barnabæ datas a Petro Jacobo & Joanne, S. Hieronymus obſervat, ne obſervatione varia, diverſum Chriſti Evangelium putaretur, ſed & Circumciſorum, & habentium præputium una eſſet communio.

Primatus … — S. Chryſoſt. — S. Hieron. — * Jacobus hic primus nominatur, quod Jeroſolymorum eſſet Epiſcopus, & cognatus Domini. Cephas ipſe Petrus eſt Apoſtolorum Princeps, non unus e LXX. Diſcipulis, ut aliqui commenti ſunt, indignum judicantes quod Petrus erraverit, & quod Paulus Apoſtolici Collegii Principem reprehendere auſus fuerit. — S. Hieron. in hunc. locum. — S. Chryſoſt. Hebr. 10. — S. Petrus a S. Paulo ſincere reprehenſus.

10. *Tantum ut pauperum memores eſſemus: quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere.* Nos tantum monuerant ut pauperum, qui Jeroſolymis erant, memores eſſemus, eoſque Gentibus ad Chriſtum converſis commendaremus, pecunias colligentes quibus eorum egeſtas ſublevaretur. Quod quidem ſummo ſtudio & diligentia procuravi. Pauperes autem erant vel ſortis conditione, vel quod venditis poſſeſſionibus ſuis, & pretio illarum ad pedes Apoſtolorum poſito, paulatim ad inopiam redacti eſſent; vel quod facultatibus ſuis propter Chriſti fidem a civibus ſuis ſpoliati eſſent. Unde S. Paulus ad Hebræos ſcribit: *Et rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.*

11. *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Cum veniſſet Petrus Antiochiam, poſt Concilium Jeroſolymitanum, palam ei reſtiti, quia rem commiſerat reprehenſione dignam. Petrum a Paulo vere fuiſſe reprehenſum, non per ſimulationem & ex compoſito, S. Auguſtinus invicte probat contra S. Hieronymum, qui tandem argumentis S. Auguſtini convictus, in ipſius ſententiam conceſſit. Legatur S. Hieronymi Epiſtola ad Auguſtinum inter S. Auguſtini Epiſtolas LXXV. alias XI. & Epiſtola S. Auguſtini ad Hieronymum LXXXII. alias XIX. Videtis Diſſertationem noſtram XI. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi I.

12. *Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat, cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex Circumciſione erant.* Prius enim quam venirent Antiochiam ab Jeroſolymis quidam ex Judæis ad Chriſtum converſi, cum Gentibus edebat communes cibos, nulla habita ratione Legis Moſaicæ certorum ciborum uſum prohibentis: hoc facto docens, Legis obſervationem non eſſe neceſſariam Gentibus ad ſalutem. Cum autem veniſſent illi Jeroſolymitani Legis æmulatores, ſubtrahebat ſe & continebat a convictu & menſa Gentilium, metuens ne Judæos offenderet, quorum erat Apoſtolus, & occaſionem illis daret deficiendi a Religione Chriſtiana, cum viderent Apoſtolum ſuum aliud in Judæa, aliud inter Gentiles agere.

CAPUT II.

Senſus Litteralis.

1. D*Einde poſt annos quatordecim, iterum aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.* Poſt annos quatuordecim ab eo tempore numerandos, quo profectus erat Jeruſalem, Petrum viſiturus, ruſum aſcendit Jeroſolymam, anno a converſione ſua decimo-ſeptimo, cum Barnaba miſſus ad Jeroſolymitanum Concilium de legalium ceremoniarum quæſtione. Aſſumpſit autem cum Barnaba Judæo Titum hominem Gentilem & incircumciſum, ut ipſo facto oſtenderet Circumciſionem ad ſalutem neceſſariam non eſſe. Confer cum *Act.* 15.

2. *Aſcendi autem ſecundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe: ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Aſcendi autem ex revelatione divina, id eſt, non humano dumtaxat conſilio, ſed divino inſtinctu & oraculo; & communicavi doctrinæ meæ rationem, & Evangelium quod prædico Gentibus, cum fidelibus, privatim autem cum iis quorum major erat illa in Eccleſia auctoritas, cum Apoſtolis ſcilicet primariis, Petro, Jacobo, & Joanne, ac Senioribus: ne prædicatio mea, laboreſque mei in Evangelio propagando fructu carerent, ſi fama ſpargeretur aliud me docere, quam illi, qui ante me vocati erant Apoſtoli. Se contuliſſe dicit cum Apoſtolis, non ab iis didiciſſe. „ Aliud eſt enim conferre, aliud diſcere, „ ut obſervat S. Hieronymus. Inter conferentes æqualitas eſt; inter docentem & diſcentem minor eſt „ ille qui diſcit.

3. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet Gentilis, compulſus eſt circumcidi.* Neque Titum, quamvis utroque parente Gentilis eſſet, Apoſtoli & Priores Eccleſiæ Jeroſolymitanæ circumcidi juſſerunt: quod argumento eſt illos non ſenſiſſe, obſervationem Moſaicæ legis, cujus præcipua pars erat Circumciſio, neceſſariam eſſe ad ſalutem.

4. 5. *Sed propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierant explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto, ut nos in ſervitutem redigerent, quibus neque ad horam* * *non ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneret apud vos.* Quod autem Titus ab Apoſtolis non ſit ad Circumciſionem compulſus, factum eſt ne falſis fratribus, & ſolo nomine Chriſtianis, qui in Eccleſiam quaſi exploratores in caſtra aliena irrepſerant, ut inſidioſe obſervarent libertatem ab obſervatione Moſaicæ legis, qua fruimur in Eccleſia Chriſti, daretur occaſio nos redigendi in ſervitutem legis, a qua per Chriſtum liberati ſumus. Quibus, nempe falſis fratribus, ne ad minimum quidem tempus ceſſimus ſubjiciendo nos ſervituti legis, ut ſinceritas & veritas Evangelicæ doctrinæ de lege per Chriſtum abrogata, & de ſalute nobis per gratiam, non per legem procuranda, apud vos permaneret. Non permanſiſſet autem apud vos, ſi Titum circumcidi permiſiſſem, quia vobis occaſionem dediſſem exiſtimandi legalium ceremoniarum obſervationem ad ſalutem eſſe neceſſariam.

6. *Ab iis autem qui videbantur eſſe aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus perſonam hominis non accipit.) Mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.* Ab iis, qui apud fideles Judæos majori in pretio erant, hoc eſt a primariis Apoſtolis, nihil novi didici. Quales olim fuerint ante vocationem ſuam, non expendo. Deus, quos voluit, Apoſtolos elegit, vocavit, miſit ad præ-

S. Hieron. in hunc locum. — Quatuordecim illos annos a S. Pauli converſione numerandos, quæ eſt Petavii ſententia, minus probabile videtur. A Chriſti morte hanc epocham longe improbabilius ducit Capellus. Grotii conjicientis pro *quatuordecim* legendum eſſe, *quatuor*, minime prætendenda diviſio, Codicum omnium, & Interpretum tam Græcorum quam Latinorum ſummo conſenſu confutata. — *S. Hieron. in hunc locum.* — * In Latinis plerique Codicibus ante S. Hieronymum legebatur, *Quibus ad horam ceſſimus*, ſed hanc lectionem mendoſam eſſe S. Hieronymus oſtendit, tum ex Græci Textus fide, tum ex Apoſtoli ſenſu, cui penitus contraria eſt. Si enim ceſſiſſet, ac permiſiſſet circumcidi Titum, quomodo Galatas a Circumciſione revocaſſet? Mendoſos Codices ſecutus Tertullianus hunc locum abſque negatione legit, & Titum circumciſum fuiſſe opinatus eſt *lib.* 5. *Contra Marcionem, cap.* 3. Cum Tertulliano ſenſit

13. *Et*

13. *Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Judæi ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Et ceteri Judæi, qui Antiochiæ cum Petro erant, ejus exemplum ſecuti ſunt & imitati, quo ſignificaxe videbatur, ciborum Moſaica Lege vetitorum diſcrimen adhuc obſervandum eſſe ab iis qui Chriſti fidem amplexi eſſent, non ſolum Judæis, ſed & Gentilibus. Tanta autem exempli a Petro dati vis fuit, ut & Barnabas Collega meus in Apoſtolatu Gentium abreptus ſit in eamdem ſimulationem, pariter ſe ſubtrahens a convictu & menſa Gentilium, ſeque continens a cibis Lege vetitis: quo facto innuere videbantur legalium ceremoniarum obſervationem cum fidei Chriſtianæ profeſſione eſſe conjungendam. Alia tamen Petri & Barnabæ mens erat, Judæorum infirmitati condeſcendentium. Sed imprudentia peccavit Petrus Gentibus offendiculum opponens, & exemplo ſuo eos inducens ad judaizandum. Ceterum error iſte *converſationis* fuit, *non prædicationis*. Eadem enim ejus erat doctrina quæ Pauli; Circumciſionem ſcilicet, aliaſque Legis ceremonias nullius eſſe momenti ad juſtificationem & ſalutem: & Gentibus illas obſervantibus Chriſtum nihil prodeſſe.

14. *Sed cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo Gentes cogis judaizare?* Sed cum vidiſſem quod eorum converſatio hac in re non congrueret Evangelicæ doctrinæ puritati, ſeu quod exemplo & imprudentia facti claudicarent in negotio veritatis Evangelicæ propagandæ; dixi Petro coram omnibus, tamquam ſcandali dati Gentibus auctori: Si tu cum ſis Judæus genere, vivis more Gentilium, neglectis legis ceremoniis Chriſti paſſione abolitis, ac diſcrimine ciborum, & non Judæorum more legem obſervando: quomodo Chriſtianos ex Gentibus ad Evangelium converſos exemplo tuo provocas ad ceremonias Legis obſervandas inſtar Judæorum?

Juſtificatio per fidem Jeſu Chriſti, non ex operibus Legis

15. *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores.* Nos origine Judæi ſumus, ſub lege nati; & non ex Gentibus procreati, idololatræ & divinæ legis ignari, indeque in omne genus peccatorum præcipites.

16. *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* * Cum autem ſciamus, ut Petre, & ego Paulus, hominem non juſtificari vera, interiore, proprieque dicta juſtitia, quæ remiſſionem peccatorum complectitur, ex operibus legis quibuſcumque, ſed per fidem in Jeſum Chriſtum: etiam nos in Chriſtum Jeſum credimus ut per fidem in illum conſequamur juſtitiam quam ſua paſſione ac morte nobis promeruit; & non per opera legis. Quia nemo homo, ſive Gentilis, ſive Judæus, juſtificari poteſt per opera legis. Quod igitur credimus, verbo pariter & exemplo doceamus & prædicemus.

* Carnis nomine ſignificatur homo natura peccato corrupta, & ad ullum bonum opus vitæ æternæ meritorium ex propriis viribus impotens.

17. *Quod ſi quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatores, numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit.* Si autem, quod lege relicta ad Chriſtum acceſſimus, per fidem in ipſum juſtitiam aſſequi cupientes, hoc nobis imputatum eſt in peccatum; in ipſum Chriſtum Dominum culpa conferetur. Ipſe enim nobis novum Teſtamentum dedit, ipſe nos a ſervitute legis liberavit, ipſe credentibus in eum, baptizatis, & ſecundum Evangelium viventibus, remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum, & ſalutem æternam promiſit. Abſit autem a nobis hæc blaſphemia, ut Chriſtum auctorem peccati dicamus.

18. *Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo.* Si enim poſtquam aperte & conſtanter docui, Legis Moſaicæ obſervationem neceſſariam non eſſe ad ſalutem, nunc eſſe neceſſariam doceo, aut facto everto quod prædicatione mea adſtruxi; me ipſum prævaricatorem oſtendo, qui relicta lege fidem Chriſti amplexus ſum. Hæc Pauli verba non ad ipſum tantum, ſed ad ceteros Apoſtolos referri cenſet Theodoretus. Nam illis quoque viſum eſt, ut qui ex Gentibus crediderant, nequaquam legem ſervarent. „ Aperte, inquit, tranſgredimur ea quæ ſunt conventa, ea quæ ædificavimus diruentes. Ædificavimus enim gentes non „ ſuper legis, ſed ſuper Chriſti fundamentum.

Theodoreti in hunc locum.

19. *Ego enim per legem, legi mortuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci.* Per legem cognoſcens Jeſum eſſe Meſſiam a Deo promiſſum, qui veteres figuras & Prophetias implevit, ut Legis & Prophetarum finis, a ſervitute legis ſolutus ſum, ut veram juſtitiam per Chriſti fidem conſecutus, Deo vivam vita nova, quam ſecundum Evangelium inſtituo. Cum Chriſto typice crucifixus ſum per baptiſmum, qui mortis Chriſti ſimilitudinem gerit; per baptiſmum veteris hominis vita in me extincta eſt, per illum Chriſto conſepultus, & ad vitam novam mortis ejus merito ſuſcitatus, nihil habeo ultra cum lege commercii.

Deuter. 18. 18. 19. Joann. 31. 35. Act. 10. 43.

20. *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Chriſtus.* Vivo vita nova, ſpirituali, cœleſti, quam regeneratione ſum conſecutus: non ego qui olim ſub lege eram, carnalis homo, ſub peccato venumdatus, vita illa veteris hominis non amplius vivo: ſed Chriſtus per fidem & charitatem in me vivit, Spirituque ſuo me ad opera juſtitiæ movet. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Quod autem in hac mortali carne tot vitiis, tot defectibus, & tentationibus obnoxia juſte vivo, non habeo ex lege, ſed ex fide in Chriſtum Jeſum Filium Dei, qui me immeritum dilexit, & ſe in mortem tradidit ut me a morte peccati & damnationis æternæ redimeret; ac vitæ ſpirituali per gratiam ſuam reſtitutum, ad vitam æternam perduceret.

21. *Non abjicio gratiam Dei: Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Non ſum adeo ingratus, ut gratiam Dei per Chriſtum mihi oblatam & collatam repudiem, quam certe abjicerem, ſi nos ex operibus legis juſtificari docerem. Si enim per opera legis haberi vera juſtitia potuit, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Siquidem finis mortis Chriſti fuit ut nobis remiſſionem peccatorum, veram interioremque juſtitiam, & ſalutem æternam mereretur: Quæ ſi nobis per opera legis contingunt, ſupervacanea erit mors Chriſti, utpote fine ſuo fruſtrata.

CAPUT II.

Senſus Moralis.

1. 2. *DEinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba, aſſumpto Tito. Aſcendi autem ſecundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium, ſeorſum autem illis qui videbantur aliquid eſſe: ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Sancti Pauli Apoſtoli prudentiam, humilitatem, ſtudium ardentiſſimum Evangelii promovendi, Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ imitentur. Teſtes omni exceptione majores & probatos ſuæ converſationis ſecum habeant, ut Apoſtolus Barnabam & Titum; qui ſuffragio ſuo approbent & confirment bonum quod agunt; & data occaſione famam illorum contra calumniatores tueantur. Hinc antiqui Epiſcopi Syncellos ſeu Concellaneos ex Eccleſiæ diſciplina habuerunt. *Multos habeat actuum conſcios, qui Deo debet innocentiam. Videant æmuli quia qui teſtes habet, vult probari. Certa vel ſi mens recti ſit conſcia, vindicta aiquid eſt, qui ubi exiſtit cauſa periculi.* Secundo, ſemper parati ſint Eccleſiæ Miniſtri ad reddendam Eccleſiæ Sedi Apoſtolicæ, Epiſcopis ſuis doctrinæ ſuæ rationem. Privato lumini, & propriæ eruditioni ne confidant: Eo magis dociles ſint, quo doctiores. Doctrinam ſuam conforment doctrinæ Epiſcoporum Eccleſiæ Catholicæ, maximeque Romani Pontificis, qui eam Sedem tenet in qua S. Petrus vivit & præſidet, ac præſtat quærentibus fidei veritatem. *Et contuli cum illis Evangelium....* Ipſe Apoſtolus Paulus poſt Aſcenſionem Domini de cœlo vocatus, *Si non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omnino non crederet. Sed cum cognoviſſet eum hoc annuntiantem quod illi annuntiabant, & in eorum communione atque unitate viventem, accedentibus etiam per eum talibus ſignis, qualia & illi operabantur: ita eum Domino commendante, meruit auctoritatem, ut verba illius hodie ſic audiantur in Eccleſia, tamquam in illo Chriſtus, ſicut ipſe veriſſime dixit, locutus audiatur.* Tertio, Quolvis labores, itinera, pericula ſubire debent Paſtores ut veritatem defendant, & animas illis commiſſas ab errore liberent. *Aſcendi Jeroſolymam.* Quarto, ſcandalum & perturbationem Eccleſiæ vitare debent in modo defendendi veritatem, nec de ſublimioribus, difficilibus, & intricatis quæſtionibus diſſerere aut conferre coram promiſcua plebe, cujus captum ſuperant, ſed coram illis qui & eruditione & auctoritate quæſtiones illas elucidare, & de illis judicium ferre valent. *Seorſum autem illis qui videbantur aliquid eſſe.* „ Quod Paulus ſeorſum expoſuerit Evangelium eis qui eminebant in Ec„ cleſia, inquit, S. Auguſtinus, cum jam illud expo„ ſuiſſet coram omnibus, non ideo factum eſt, quod „ aliqua falſa dixerat, ut ſeorſum paucioribus vera „ diceret: ſed aliqua tacuerat, quæ adhuc parvuli „ portare non poterant: qualibus ſe ad Corinthios „ lac dicit dediſſe, non eſcam. Falſum enim dicere „ nihil

S. Pauli humilitas & prudentia Paſtoribus & Miniſtris Eccleſiæ imitandæ.

Verba Theodorici Regis in Edicto a Sede Apoſtolica, & a Symmacho Papa probato, apud Ennodium, Opuſc. 7.

S. Auguſt. lib. 28. Contra Fauſtum, c. 4.

2. Cor. 13. 3.

S. Aug. [illegible] in hunc locum.

1. Cor. 3. 2.

„ nihil licet: aliquando autem aliquid veri tacere, „ utile eſt. Quinto, Cum nihil Eccleſiæ Miniſtris eſſe debeat antiquius, quam Dei gloriam & animarum ſalutem promovere, omnes obices removere debent qui opus Dei & converſionem peccatorum impedire vel retardare poſſunt. *Ne forte in vanum currerem, aut cucurriſſem.*

Diſciplina tuendis fidei dogmatibus conveniens Epiſcoporum unanimi conſenſu probanda & firmanda eſt.

3. 4. 5. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet Gentilis, compulſus eſt circumcidi.* Diſciplinam tuendis & confirmandis fidei dogmatibus convenientem & opportunam unanimi Epiſcoporum, qui Apoſtolis ſucceſſerunt conſenſu firmari & obſervari operæ pretium eſt. Titi circumciſio fidei non violaſſet integritatem, quo tempore legalia nondum erant mortifera, & tolerabantur adhuc veteres ceremoniæ ut Synagoga cum honore efferretur ad ſepulchrum. Verumtamen ad tuendum hoc fidei dogma, ſcilicet Circumciſionem, aliaſque Legis Moſaicæ ritus neceſſarios amplius non eſſe ad ſalutem, nec juſtitiam expectandam eſſe ex operibus legis, ſed ex fide Jeſu Chriſti: Apoſtoli qui Jeroſolymis erant, in eo diſciplinæ capite S. Paulo conſenſerunt, Gentiles ad Chriſti fidem converſos non eſſe circumcidendos. Inſtarent licet, urgerentque ſubintroducti falſi fratres, ut Titus, aliique a Gentibus ad Evangelium converſi circumciderentur, nulla ipſorum habita eſt ratio. Immo majori zelo Paulus incubuit ad tuendam Evangelicæ doctrinæ integritatem, diſciplinæ uniformitatem, Chriſtianam denique libertatem. *Sed propter ſubintroductos falſos fratres, &c.* Fuere ſemper,

Falſis fratribus in Eccleſiam ſubintroductis numquam cedendum.

ſunt etiamnum, & erunt ad finem uſque ſæculi in Eccleſia ſubintroducti falſi fratres, qui ejus Doctrinam adulterent, Moralem corrumpant, Diſciplinam emolliant & relaxent; Paſtores calumniis ſuis exerceant, veros Eccleſiæ filios inſidioſe fraudulenterque ſubvertere nitantur. Contra hujus modi homines Paſtores armari debent vigilantia, oratione, patientia, zelo, fortitudine & conſtantia, exemplo ſanctorum Epiſcoporum Cornelii, Cypriani, Athanaſii, Hilarii, Damaſi, Ambroſii, Innocentii, Auguſtini, Thomæ Cantuarienſis, Caroli Borromæi: nec umquam cedere adverſariis fidei, vel diſciplinæ Morum, aut libertatis Eccleſiaſticæ. *Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.*

Quatuor præclara documenta hoc uno verſu comprehenſa.

6. *Ab iis autem qui videbantur eſſe aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus perſonam hominis non accipit.) Mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.* Ex his Apoſtoli ſententiis diſcimus, 1. Chriſtianos omnes, maximeque Miniſtros Chriſti & Eccleſiæ, ab omni adulatione & diſſimulatione alienos eſſe debere. Falſam humilitatem eſſe, acceptum referre hominibus, quod ſoli Deo debemus. Apoſtoli ſinceritas imitanda, nec ab ea recedendum propter reverentiam Majoribus debitam. *Mihi enim qui videbantur aliquid eſſe, nihil contulerunt.* 2. Neminem ſpernendum eſſe ob generis obſcuritatem, ob parentum inopiam, ob educationem civilitatis & litterarum expertem, aliorumque talentorum ſeu naturæ, ſeu fortunæ defectum: ſed ex iis æſtimandum quæ habet in Chriſto Jeſu, & ſecundum Jeſum Chriſtum. Apoſtoli Piſcatores fuerunt, homines rudes, illiterati, pauperes: numquid ideo minoris faciendi, cum a Deo electi ſint & a Chriſto vocati ut eſſent Eccleſiæ Principes, fundamenta, columnæ, orbis Doctores, Chriſti Vicarii, primi Novi Teſtamenti Miniſtri, lux mundi, ſæculi Judices? *Quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt.* 3. Chriſtianos, & multo minus Eccleſiæ Miniſtros de nobilitate & claritate generis, de parentum ſuorum divitiis, potentia, favore, fama, honoribus, gloriari non debere, ſeque ſuper alios efferre: quia *Deus perſonam hominis non accipit.* Unus ſplendor, una generis amplitudo, propinquitas cum Deo. Veræ divitiæ, gratia Chriſti, virtutes, Spiritus ſancti dona. 4. In collatione Dignitatum Eccleſiaſticarum, nominatione ad Beneficia, functionumque ſpiritualium diſtributione, perſonas accipi non debere; neque nobilitatis, favoris, divitiarum, affinitatum, ſed uno virtutum, & talentorum a Deo collatorum iis, quos idoneos Eccleſiæ Miniſtros effecit, intuitu, hujuſmodi nominationes, promotiones, diſtributiones eſſe peragendas. Qui aliter ſe gerunt Præſules, Principes, & eorum in conſcientiæ rebus Conſiliarii, Patroni Eccleſiaſtici & Laici, Deum graviter offendunt, qui *Perſonam hominis non accipit.*

8. *Et cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras mihi dederunt, & Barnabæ ſocietatis: ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem.* Epiſcopi, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſucceſſerunt, firmi eſſe debent, columnarum inſtar, ad veritatem doctrinæ, diſciplinæ integritatem, Eccleſiæque jura tuenda. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, ſuper omnem terram, Regibus Juda, Principibus ejus, & Sacerdotibus, & populo terræ.* Invicta ſit eorum fortitudo & conſtantia neceſſe eſt. *Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens occidi poteſt, vinci non poteſt.* Sed & omnes Chriſtiani, tentationibus dæmonis fortiter reſiſtendo, & mundum cum ſuis erroribus, amoribus, & terroribus vincendo, columnæ Eccleſiæ fieri poſſunt. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei......* Petrus, Jacobus, & Joannes, Apoſtoli primarii, Paulo noviſſime vocato dexteram dant ſocietatis: nullo æmulationis ſtudio aguntur, quia ſolam Dei gloriam, & regni Chriſti Jeſu propagationem quærunt. Sanctos Apoſtolos imitentur Paſtores Eccleſiæ: aliis Miniſtris vocatione poſtremis, ſed tamen in Eccleſia ad animarum ſalutem magno cum fructu, ædificatione, & laude laborantibus non invideant. Summa erit inter Operarios evangelicos & Paſtores animorum concordia, ſi nemo quærat quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti; ſi temporalium emolumentorum cupiditas non dirimat penes eos fraternitatem. Se ſocios eſſe in opere Domini meminerint, non diſſideant, non litigent, non contendant. Abrahamum imitentur, qui rixa exorta inter paſtores gregum Loth nepotis ſui, & paſtores gregum ſuorum, his verbis ipſum Loth prævenit: *Ne, quæſo, ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſumus.*

Jerem. 1. 18.
Epiſcopalis fortitudo & animi firmitas.
S. Cyprian.
Apocal. 3. 12.
S. Hieron. in hunc locum.
Concordia inter Paſtores Eccleſiæ & alios Operarios Evangelicos ſervanda.
Geneſ. 13. 8.

10. *Tantum ut pauperum memores eſſemus: quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.* Pia pro pauperibus ſollicitudo digna eſt vicariis caritatis Chriſti Jeſu Domini noſtri, quales ſunt Epiſcopi, & ſecundi ordinis Paſtores; digna omnibus Eccleſiæ Miniſtris. Pauperum cura, proprium ipſorum negotium. Eccleſiaſtica jurisdictio certis finibus continetur: charitas erga pauperes nullos fines habet. Tam late patet quam Eccleſia. Se igitur patres pauperum exiſtiment Eccleſiaſtici viri, erga ipſos induant viſcera miſericordiæ, ſibi ſingulatim a Domino dictum agnoſcant: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Scire convenit *Præſulibus res Eccleſiaſticas non ut proprias, ſed ut Domino ſibi pro aliorum neceſſitatibus commiſſas;* atque juxta Proſperi, ſeu potius Juliani Pomerii documentum, *ideirco ſummopere eſt devitandum, ne aliquis Pontificum ea quæ Eccleſiaſticis tradita ſunt Miniſteriis pro remiſſione peccatorum, aut aliis amplanda officiis, aut pauperibus eroganda, ne aliquis ea propria cupiditate, aut Potentum terrore, patronumque procuratione ad alios uſus retorqueat: ne forte quod aliis extat remiſſio peccatorum, ipſi ſit damnationis augmentum: ſed potius ſolerti Meditatione indigentibus ea & Eccleſiaſticis Miniſteriis diſtribuat, ne exinde a Domino velut infidelis diſpenſator damnetur; verum quod beatus eſt, deſiderabili voce laudetur, juxta Evangelicæ parabolæ exemplum: EUGE ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Hæc ſollicitudo S. Cyprianum in ſe eſſu conſtitutum tempore perſecutionis urgebat, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Clerum Carthaginenſem. *Peto vos (inquit) pro fide & religione veſtra, fungamini illic & veſtris partibus, & meis, ut nihil ad diſciplinam, vel ad diligentiam, deſit. Quantum autem ad ſumptus ſuggerendos, ſive illis qui glorioſa voce Deum confeſſi, in carcere ſunt conſtituti; ſive pauperes & indigentes laborant, & tamen in Domino perſeverant, peto nihil deſit: cum ſummula omnis quæ redacta eſt, illic ſit apud Clericos diſtributa propter ejuſmodi caſus; ut haberent plures, unde ad neceſſitates & preſſuras ſingulorum operari poſſint....* Apoſtolica illa ſollicitudo S. Ambroſium urgebat ut aliis deficientibus ſubſidiis, vaſa aurea & argentea Eccleſiarum ad alendos pauperes, captivoſque redimendos conflaret. *Aurum,* inquit, *Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Aſſyrii abſtulerint? Nonne melius conflant Sacerdotes propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint; quam ut ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus: Cur paſſus es tot inopes fame mori? cur tot captivi deducti in commercio ſunt, nec redempti, occiſi ſunt? Melius fuerat ut vaſa viventium ſervares, quam metallorum. His non poſſet reſponſum referri. Quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deeſſet? Reſponderet: Aurum Sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum eſt. Vere illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas a morte. Ille verus theſaurus eſt Domini, qui operatur quod ſanguis ejus operatus eſt. Tunc vas Dominici ſanguinis agnoſcitur, cum in utroque viderit redemptionem, ut calix ab hoſte redimat, quos ſanguis a peccato redemit.* Idem ſanctus Antiſtes Relationi Symmachi Præfecti Urbis reſpondens, conquerentis

Cura pauperum Epiſcopis & ſecundi ordinis Paſtoribus gerenda.
Concil. Agathenſ. ſecundum annum 36.
Julianus Pomerius lib. 2. De Vita Contemplat. c. 9.
Matth. 25.
S. Cyprian. Epiſt. 4.
S. Ambroſ. lib. 2. De Offic. Miniſtrorum cap. 28.
Idem Epiſt. 18. ad Valentinian. Imp.

Digitized by Google

cis quod prædia ablata eſſent Idolorum templis & ſacrificulis, Edictis imperatorum, Eccleſiis vero & Sacerdotibus relicta: *Poſſeſſio Eccleſiæ* (inquit) *ſumptus eſt egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exſulibus vivendi ſubſidia miniſtraverint.* Apoſtolicam de pauperibus ſublevandis ſollicitudinem S. Auguſtinus imitabatur, de quo Poſſidius in ejus Vita ſcribit: *Compauperum ſemper memor erat, eiſque inde erogabat, unde & ſibi ſuiſque omnibus ſecum habitantibus, hoc eſt, vel ex reditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel ex oblationibus fidelium .... Deum Eccleſiæ pecunia deficeret, hoc ipſum Chriſtianis denuntiabat, non ſe habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vaſis Dominicis propter captivos, & quamplurimos indigentes, frangi & conflari jubebat, & indigentibus diſpenſari.*

Poſſidius in Vita S. Auguſt. cap. 23. & 24.

11. *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Libertas & fidelitas ſancti Pauli, humilitas & docilitas ſancti Petri admiratione dignæ ſunt. Juſtam Pauli libertatem minores imitentur, monendo & corripiendo majores, ſalvis debitæ reverentiæ legibus, cum ſecundum Evangelii veritatem non ambulant, & pravis exemplis Eccleſiam offendunt, plurimoſque impellunt in ruinam. S. Petri humilitatem imitentur majores, cum ab inferioribus monentur, & corripiuntur. Deus S. Petrum immediate per ſe ipſum, aut Angeli miniſterio hac in occaſione docere noluit, quia humilitatis ejus exemplo docere voluit Eccleſiam. „Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit: atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi forte recti tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi; quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, ſalva fraterna caritate reſiſtere. Nam cum ſatius ſit a tenendo itinere in nullo, quam in aliquo declinare, multo eſt tamen mirabilius & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem. Eſt laus itaque juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro . . . Facilius eſt videre quid in alio corrigas, atque id vituperando vel objurgando corrigere, quam videre quid in te corrigendum ſit, libenterque corrigi, vel per te ipſum, nedum per alium: adde poſteriorem, adde coram omnibus. Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima eſt diſciplina Chriſtiana; humilitate enim conſervatur caritas. Nam nihil eam citius violat quam ſuperbia.

Juſta S. Pauli libertas, S. Petri humilitas.

S. Auguſt. Epiſt. 82. alias 19.

Idem in hunc locum.

12. *Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat; cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Timore ſcandali nunquam ab officio recedendum eſt: compatiendum infirmis, non ſimulandum, nec agendum aliquid veritati fidei & Evangelii nocere poſſit. *In quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus. Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.* Omnis ſimulatio indigna eſt Religione, cujus principium eſt Veritas increata; fundamentum, Veritas incarnata; regula, Veritas inſpirata & revelata. Simulatio Petri ſeſe a Gentibus ſegregantis ne Judæos offenderet, illis argumentum præbuit credendi veteris legis ceremonias neceſſarias eſſe ad ſalutem. Negligentia & timiditas Paſtorum, ſuperſtitioſas conſuetudines, aut degeneres a Chriſtianæ pietatis ſinceritate devotiones aliquando tolerantium, plebi Chriſtianæ perſuadet illas eſſe licitas, vel earum obſervationem ad ſalutem conducere. Multis neceſſarius eſſet Paulus in faciem reſiſtens, & libero corripiens.

Omnis ſimulatio indigna eſt religione. *S. Gregor. M. Homil. 7. in Ezechiel.*

14. *Sed cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* Lapſum publicum correptione publica emendandum, Petri & Pauli exempla docent. „Quod Paulus Petro id coram omnibus dixit, neceſſitas coegit, ut omnes illius objurgatione ſanarentur. *Non enim utile erat errorem, qui palam nocuerat, in ſecreto emendari.* Nemo lapſum non timeat, qui Petrum Eccleſiæ columnam lapſum audit. Nemo ſuis magis conſiliis confidat quam alienis; ſiquidem Petrus proprio nimium credens conſilio deceptus eſt. Illos qui recte alioqui viventes & docentes in Eccleſia, ſibi magis quam aliis credunt, & pedem extra limitem tendunt, Petrus intra menſuræ lineam revocat, qui poſtquam libertate vocis auctoritatem Principum preſſit, dicens: „*Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, per humilitatem cordis, de non circumcidendis Gentibus Pauli conſilium audivit. Sic enim ſemetipſum contra adverſarios ex auctoritate curabat erigere, ut tamen ſibimetipſi non crederet in his quæ non recte ſentiret: ut & libertate fortitudinis tumentes poteſtates excederet, & humilitate manſuetudinis obedientiam in recto conſilio etiam minoribus fratribus exhiberet: & modo per ſemetipſum aliis, & modo ſibimetipſi cum aliis obviaret. *In factis igitur Petri quaſi ante oculos noſtros auctoritatis & humilitatis linea tenditur, ne mens noſtra aut per timorem ad menſuram non perveniat, aut per tumorem limitem excedat.*

Lapſus publicus correptione publica emendandus.

S. Aug. in hunc locum.

Act. 5.

S. Gregor. M. lib. 28. Moral. cap. 6.

16. *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis; propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* „Exterior juſtitia per opera legis haberi potuit: interior & vera juſtitia nonniſi per fidem Jeſu Chriſti, ut homo impleat opera legis, adjuvante infirmitatem ſuam, non merito ſuo, ſed gratia Dei. Hanc veritatem perſpectam habentes Apoſtoli non exigebant a Gentibus carnales legis obſervationes, ſed per ipſam gratiam fidei, ſpiritalia opera legis eos implere poſſe cognoſcebant & docebant. Quoniam ex operibus legis, cum ſuis viribus ea quiſque tribuerit, non gratiæ miſerantis Dei, non juſtificabitur omnis caro, id eſt, omnis homo, ſive omnes carnaliter ſentientes. Et ideo illi, qui cum jam eſſent ſub lege, Chriſto crediderunt, non quia juſti erant, ſed ut juſtificarentur, venerunt ad gratiam fidei. „Verum (inquies) Numquid Patriarchæ & Prophetæ, ceterique Sancti, qui ante Chriſti adventum vixerunt, veram juſtitiam conſecuti non fuerunt? Conſecuti ſunt plane, non ex operibus legis, ſed ex fide Chriſti venturi. Siquidem *Abraham vidit diem Chriſti, & gaviſus eſt.* Et Moſes *majores divitias æſtimavit theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem.* Et Iſaias vidit gloriam Chriſti, ut Joannes Evangeliſta commemorat, & Judas de omnibus generaliter: *Commonere* (inquit) *vos volo ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundo eos qui non crediderunt, perdidit.* „Unde non tam legis opera damnantur, quam hi qui tantum ex operibus juſtificari ſe poſſe confidunt. *Gratia igitur Dei, qua ſemper eſt univerſitas juſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis Sacramentum tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minus adepti ſint, qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum.* Cum ſine fide in Chriſtum Jeſum nulla ſit juſtitia interioris hominis, Judæis & Paganis, quæcumque opera bona faciant, aut facere videantur, nihil proſunt ad ſalutem. Gratias igitur immortales Deo agamus, qui nos ad cognitionem Jeſu Chriſti vocavit, ut in eum credentes, vitam habeamus in nomine ipſius, ſi fides noſtra per dilectionem operetur.

Juſtificatio ex fide Jeſu Chriſti, non ex operibus Legis.

S. Auguſt. in hunc locum.

S. Hieron. in hunc locum.

Joan. 8.

Hebr. 11.

Iſai. 6.

Epiſt. S. Judæ.

S. Leo Serm. 4. in Nativit. Domini.

18. *Si enim quæ deſtruxi hæc iterum ædifico: prævaricatorem me conſtituo.* Prævaricatores ſunt Eccleſiæ Miniſtri, ſi quod verbis ædificant, opere & pravo exemplo deſtruant. Prævaricatores Chriſtiani, qui cum Evangelio ſe credere profiteantur, cum ſe victuros ſecundum Evangelium in baptiſmo promiſerint, tam ſancti pacti immemores, Dei legem tranſgrediuntur, quaſi Chriſtum non noviſſent, ejus beneficiis ingrati. Prævaricatores, qui peracta pœnitentia, in eadem peccata prolabuntur: „Jam quidem, *inquit Tertullianus*, nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur; quod Domino agnito, præceptiſque ejus admiſſis, denique pœnitentia delictorum functus, rurſus te in delicta reſtituis. Ita in quantum ab ignorantia ſegregaris, in tantum contumaciæ agglutinaris. Nam ſi idcirco te deliquiſſe pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia geſſiſti, reſcindere maluiſti, niſi quia metuere deſiiſti? Neque enim timorem alia res quam contumacia ſubvertit. Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur a pœna (quia Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cœleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet) quanto cognitum deſpici periculoſum eſt? Deſpicit porro, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, reſumens, intellectui ſuo, id eſt, Dei dono contumeliam facit: reſpuit datorem, cum datum deſerit; negat beneficum, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei poteſt placere, cujus munus ſibi diſplicet? Ita in Dominum non modo contumax, ſed etiam ingratus apparet.

Prævaricatores ſunt qui quod verbis ædificant, operibus deſtruunt.

Tertull. in l. De Pœnit. c. 5.

19. *Ego enim per legem, legi mortuus ſum, ut Deo vi-*

vitam: Christo confixus ſum cruci. „ Vivere Deo,
„ eſt abnegare impietatem & ſæcularia deſideria,
„ ut ſobrie, juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo,
exſpectantes beatitudinem æternam, cujus nobis
ſpem dedit Deus, & adventum gloriæ magni Dei,
& Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Deo vivere, eſt
omnia opera ſua facere amore juſtitiæ, non timore
pœnæ in divinæ legis transgreſſores ab illo conſti-
tutæ. Deo vivere, eſt gloriam ipſius, non noſtram
quærere. Deo vivere Lex non docuit, ſed gratia
Salvatoris noſtri erudiens nos, ut veterem hominem
cum illo crucifigamus, cui conſepulti ſumus per
baptiſmum; ut denique crucem noſtram tollamus,
& Chriſti ſequamur exemplum, ejus mortificatio-
nem in corpore noſtro circumferentes. *Si quis mor-
tificatis membris ſuper terram, & mundo mortuus, con-
figuratus fuerit morti Jeſu Chriſti, crucifigitur cum Je-
ſu, & trophæum mortificationis ſuæ in ligno Dominicæ
paſſionis affigit*. „ Hæc obligatio in baptiſmo contra-
„ cta. Dum enim renunciatur diabolo, & creditur
„ Deo, dum in novitatem a vetuſtate tranſitur,
„ dum terreni hominis imago deponitur, & cœle-
„ ſtis forma ſuſcipitur: quædam ſpecies mortis &
„ quædam ſimilitudo reſurrectionis intervenit, ut
„ ſuſceptus a Chriſto, Chriſtumque ſuſcipiens, non
„ idem ſit poſt lavacrum, qui ante baptiſmum fuit,
ſed *Corpus regenerati fiat caro Crucifixi*.

Dꝭ vivere quid ſit?

S. Hieron. in hunc locum.

S. Leo, Serm. 64. De Paſſ. Dom. 14.

20. *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Chri-
ſtus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo Fi-
lii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro
me*. „ Quid eſt, Vivit in me Chriſtus? *Nihil*, in-
„ quit, *geritur a me, quod nolit Chriſtus*. „ Sicut
„ enim mortem appellat non iſtam communem,
„ ſed mortem a peccatis: ſic & vitam appellat li-
„ berationem a peccatis. Deo ſiquidem nemo po-
„ teſt aliter vivere, niſi mortuus fuerit peccato.
„ *Vetus noſter homo crucifixus eſt*, quod in lavacro fa-
„ ctum eſt. Quod ſi manſeris mortuus peccato, vi-
„ vis Deo: ſin denuo peccatum ſuſcitaveris, corru-
„ piſti talem vitam. At non talis erat Paulus, qui
„ perſeveravit perpetuo mortuus. Non dixit, *Vivo
„ ego*, ſed, *Vivit in me Chriſtus*. Quis auſit in hanc
„ vocem erumpere? Quoniam enim ſeipſum Chriſto
„ Domini ac cruci præbuerat, cunctaque rejecerat
„ temporalia, & ad illius voluntatem faciebat o-
„ mnia, non dixit, *Vivo Chriſto*, ſed quod longo
„ majus erat, dixit: *Vivit in me Chriſtus*. Quemad-
„ modum enim peccatum ſi vicerit, ipſum eſt quod
„ vivit in homine, animam ad quæ vult pertrahens,
„ ita ſi illo mortuo, quæ Chriſto ſunt placita fiant,
„ nec humana deinceps eſt, ejuſmodi vita, ipſo
„ Chriſto vivente in nobis, hoc eſt, agente ac do-
„ minante .... *Vivo ego, jam non ego*. Aperta fuit
„ negatio: ſed jam ſequitur glorioſa Chriſti confeſ-
„ ſio, *Vivit vero in me Chriſtus*. Quid eſt ergo, Ne-
„ ga te? Noli tu ipſe vivere in te. Noli facere vo-
„ luntatem tuam, ſed illius qui habitat in te.

S. Chryſoſt. in hunc locum.

S. Auguſt. Serm. 330. novæ Editionis.

*In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit
ſemetipſum pro me*. Quod in fide Filii Dei vivamus,
ipſius donum eſt. Ejus gratia vivimus, ſi fides per
dilectionem in nobis operetur, quæ ſine operibus
mortua eſt. Vivimus in carne, non ſecundum car-
nem. Hoc amoris unigeniti Filii Dei erga nos pignus;
hic paſſionis & mortis ejus pro omnibus nobis, &
pro ſingulis fructus. *Qui dilexit me, & tradidit ſe-
metipſum pro me*. „ Quid facis, o Paule, dum com-
„ munia proprie tibi vindicas, quæque pro toto ter-
„ rarum orbe facta ſunt, tibi facis peculiaria? Non
„ enim dixiſti, Qui dilexit nos, ſed, *qui dilexit me*.
„ Atque Evangeliſta dicit, *Sic Deus dilexit mundum*.
„ Quin & tu ipſe dicis: *Qui proprio Filio ſuo non
„ pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Non
„ igitur pro te, ſed pro omnibus. Cum conſide-
„ raret Apoſtolus infirmitatem humanæ naturæ, &
„ ineffabilem Dei ſolicitudinem, tum quibus ipſum
„ malis liberaſſet, quæ bona largitus eſſet, inflam-
„ matus illius deſiderio hunc in modum loquitur.
„ Quandoquidem & Prophetæ non raro communem
„ omnium Deum proprium ſibi faciunt, hoc modo
„ loquentes: *Deus, Deus meus*. Hoc præterea lo-
„ quendi modo declarat Apoſtolus par eſſe, ut
„ quiſque noſtrum non minus gratias agat Chriſto,
„ quam ſi ob ipſum ſolum adveniſſet. Neque enim
„ recuſaturus erat vel ob unum tantam exhibere
„ diſpenſationem, adeo ſingulatem quemque homi-
„ nem pari charitatis modo diligit, quo diligit or-
„ bem univerſum. *Itaque Victima quidem pro tota
oblata eſt natura, ac ſufficiebat omnibus ſalvandis.
Ceterum ſoli illi qui crediderunt, ſunt quibus uſui fuit
„ beneficium*. „ Attamen non abſterruit eum ab ejuſ-
„ modi diſpenſatione, quod non omnes accederent:
„ ſed quemadmodum in Evangelio convivium qui-
„ dem omnibus paratum erat; verum quoniam qui

S. Chryſoſt. in hunc locum.

Joan. 3.

Rom. 8.

Mors Chriſti pro omnibus & ſingulis.

„ vocati erant, venire noluerunt, non propterea
„ ſuſtulit quæ erant parata, ſed alios vocavit: iti-
„ dem & hic fecit. Nam & ovis quæ fuerat a no-
„ naginta novem diſtracta, unica erat, nec hanc ta-
„ men contempſit. Ergo cum ille ſic te dilexerit,
„ ut ſemetipſum etiam tradiderit, omnique ſalutis
„ ſpe deſtitutum ad novam vitam adduxerit; ut poſt
„ tot accepta bona ad veterem vitam denuo recur-
„ ris? O ingrati animi vitium horrendum!

Gratia Dei non abjicien-da.

21. *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem juſti-
tia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*. Qui gratiæ Dei
fideliter non cooperatur, illam abjicit. Abjicit gra-
tiam Dei, tam ille qui poſt Evangelium vivit in
lege, quam is qui peccato poſt baptiſmum ſordida-
tur. Qui autem poteſt cum Apoſtolo dicere, *Gratia
ejus in me vacua non fuit*, iſte & hoc loquitur con-
fidenter, *Non abjicio gratiam Dei*. Gratiam Dei ab-
jiciunt, qui Deo dicunt factis, ſi non verbis: *Rece-
de a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Hos
pariter abjiciet Deus & in æternum tradet interi-
tum, quia ipſi vivere noluerunt. Quicumque in ju-
ſtificationis negotio totum tribuit timori, qui le-
gis eſt effectus, & neceſſitatem divini amoris exclu-
dit, qui gratiæ fructus eſt, abjicere videtur gratiam
Dei, non minus quam ille qui totum tribuit legi
terrenti per litteram, non Spiritui vivificanti &
dilectionem ac delectationem juſtitiæ infundenti per
gratiam. Dicere ergo licet: Si per ſolum timorem
pœnæ juſtitia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt: ſi-
quidem finis mortis ejus eſt ut nos eum diligeremus
qui prior dilexit nos, & ſemetipſum tradidit pro
nobis.

CAPUT III.

Senſus Litteralis.

1. O *Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obe-
dire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chri-
ſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus*? O rudes &
parum cordati Galatæ, quis ita menti veſtræ, velut
præſtigiator, falſis perſuaſionibus illuſit, ut verita-
tem paulo ante cognitam & receptam jam non vi-
deatis, nec ei obediatis, ſed pro ea falſam Pſeudo-
apoſtolorum doctrinam amplectamini? Vel, Neſcio
quis invidus & faſcinator dæmon mentes veſtras ad-
huc teneras infecit erroris Judaici inſpiratione, tan-
tumque vobis creavit faſtidium ſalutaris doctrinæ,
ut eam prius acceptam rejiceretis: quibus per meam
prædicationem Chriſtus crucifixus tam vivis colori-
bus depictus ac deſcriptus eſt, ut eum quaſi præ-
ſentem intueremini ... Hæc verba, *Non obedire ve-
ritati*, S. Hieronymus non legebat in Græcis exem-
plaribus: nec ea legit S. Chryſoſtomus, nec S. Au-
guſtinus, nec Syriacus Interpres expreſſit. Ex cap.
5. huc tranſlata, eruditi Critici conjiciunt. *Proſcri-
ptus*, pro *præſcriptus*, in quoſdam Codices irrepſit.
Priorem lectionem SS. Hieronymus & Auguſtinus
ſequuntur: ſecundam Græci Patres.

Secundum Textum Græcum, & Vulgatam Verſionem legendum [illegible] *ſcriptus*.

2. *Hoc ſolum a vobis volo diſcere: Ex operibus legis
Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei*? Hoc unum a
vobis noſſe velim: reſpondete mihi: Num ex lega-
lium ceremoniarum prædicatione & obſervatione
Spiritum ſanctum, ejuſque dona accepiſtis, an ex
doctrina fidei, quam audiviſtis, & cui obediviſtis
me prædicante?

3. *Sic ſtulti eſtis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc
carne conſummemini*? Ita-ne vecordes & inſipientes
eſtis, ut cum ſpiritualem vitam agere cœperitis, ſe-
cundum legem Spiritus, id eſt, ſecundum Evange-
lium, nunc ad carnales legis ceremonias deflectatis,
quaſi perfectio & ſalus ab iis ſit exſpectanda?

4. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? Si tamen ſine cauſa*.
Tot & tam gravia mala paſſi eſtis pro Chriſti no-
mine ſine fructu? Quod utique futurum erit, ſi a
gratia & fide Chriſti ad Legis Moſaicæ carnales
ceremonias prolabamini. Vobis enim inutilia redden-
tur, quæcumque Evangelii cauſa paſſi eſtis. Sed
ſpero meliora, vos ſcilicet relicta Lege ad Evange-
licæ Doctrinæ puritatem & ad gratiam redituros.
Vel, Non leve erat damnum, ſi circumciſionem ſe-
quentes, tantum priſtinum fidei perdidiſſetis laborem:
nunc vero ad hoc detrimentum pœna prævaricatio-
nis accedit, ut & præterita ſine cauſa perpeſſi ſitis,
& in futuro cruciemini. *Hinc* optime colligitur,
quod *Quicumque ob Chriſti fidem laboraverit, & poſtea
lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora ſine cauſa dicitur
paſſus fuiſſe dum peccat, ſic rurſum non perdat ea ſi
ad priſtinam fidem, & ad antiquum ſtudium reverta-
tur*.

S. Hieron. in hunc locum.

5. *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtu-*

Juſtificatio non ex operibus Legis, ſed ex fide in Chriſtum Jeſum, non tamen ſola.

tes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Qui ergo Spiritum ſanctum ejuſque dona vobis largitus eſt Chriſtus, & apud vos miracula operatus eſt, idne præſtitit vobis ex Legis ceremoniis, an ex fide cujus prædicationem audiviſtis, & ſuſcepiſtis? Ad fidei certe confirmationem Spiritus ſancti chariſmata in vos effuſa, & miracula edita ſunt, non ad legalium ceremoniarum, jam a vobis relictarum renovationem & prorogationem.

Confer cum *Geneſ.* 15. 1. 4. 5. & *Rom.* 4. 16. 18. & *cap.* 9. 7.

6. 7. 8. 9. *Sicut ſcriptum eſt: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Sic Deus Spiritum vobis ſubminiſtrat, & virtutes operatur in vobis, ex fide, & non ex operibus legis, ſicut Abrahæ juſtitia obtigit, non ex operibus legis, ſed ex fide qua Dei promiſſioni credidit, cum adhuc eſſet incircumciſus. Abraham credidit Deo, & fides ejus illi ad juſtitiam imputata eſt, non tamen ſola, ſed cum dilectione Dei conjuncta: quia *Legis opera ſupergreſſus, Deum non metu, ſed dilectione promeruit* (inquit S. Hieronymus) *Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ.* Intelligite igitur, eos qui juſtitiam ex fide quærunt, filios eſſe ſpirituales Abrahæ, ejus imitatione, meliore titulo quam Judæos juſtitiam ex lege quærentes. *Providens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ. Quia benedicentur in te omnes Gentes.*

Geneſ. 22. 18.

Cum enim Deus, qui loquitur in Scriptura, prævidiſſet ac decreviſſet ſe Gentes ex fide juſtificaturum, olim prænuntiavit Abrahæ rem lætiſſimam. In te, id eſt, in ſemine tuo, id eſt Chriſto, qui ex genere tuo naſciturus eſt, benedicentur omnes gentes, omnem benedictionem ſpiritualem, in juſtitia, ſanctitate, & beatitudine vitæ æternæ poſitam, per eum conſequentur. *Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Igitur qui Abrahæ fidem imitantur, & juſtitiam ex fide pariter expectant, non ex Circumciſione ſive ex aliis operibus legis, ſpiritualem omnem benedictionem cum Abraham Credentium Patre conſequentur.

Deuter. 27. 26.

Quamvis in Hebræis Codicibus abſint illa ſignantiverſalia, *omnis*, & *omnibus*: illa tamen a Judæis eraſa fuiſſe, veriſimile non eſt (quod falſo S. Hieronymi reverentia dictum ſit) illa enim habent *LXX.* Interpretes, & Samaritanus Pentateuchus: nec illa expreſſiſſet Apoſtolus Hebrææ Scripturæ periſſimus, niſi is fuiſſet ſententiæ ex Deuteronomio laudatæ ſenſus. Certe ut indiſciplinum, ſic in legum, indefinitas propoſitiones univerſalem habere ſenſum, compertum eſt. Exempla habentur.

10. *Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Quicumque ex operibus legis juſtitiam expectant, & ſalutis fiduciam in lege collocant, maledictioni, pœniſque graviſſimis ſunt obnoxii: ſiquidem in ipſa lege ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui non ſervaverit perſeveranter omnia quæ lex facienda præſcribit. Neminem vero ex operibus legis juſtificari, ſed ex fide in Chriſtum Redemptorem, Propheticum docet Oraculum.

Exod. 21. & 22.
Habacuch. 2. 4.
Confer cum *Rom.* 1. 17.
Levit. 18. 5.
Ezech. 20. 11.
Confer cum *Rom.* 10. 5.
SS. Hieron. & *Auguſt.* in *hunc locum.*
Philipp. 3. 6.
S. Auguſt. lib. 3. *ad Boniface.* c. 2. & l. 4. c. 5.

11. 12. *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: Quia juſtus ex fide vivit.* Perſpicuum eſt neminem apud Deum juſtificari vera illa æternaque juſtitia, quæ vitæ æternæ ſemen eſt, per legem Moſaicam: Quia juſtus ex fide vivit; vitam ſpiritualem ex fide haurit, ex hac radice habet quod juſtus eſt, & juſte operatur. *Lex autem non eſt ex fide, ſed, Qui fecerit ea, vivet in illis.* Lex fide non nititur, nec opera legis, quatenus talia juſtificare hominem poſſunt: ſed qui ea fecerit, vitam conſequetur, id eſt, veram juſtitiam ac ſalutem æternam obedientia ſua: non tamen per legem, ſed per gratiam & fidem in Chriſtum Jeſum. Vel, *Qui fecerit ea, vivet in illis*, id eſt, habebit præmium ne temporali morte puniatur. Aliud eſt ergo, non juſtificari: aliud non juſtificari apud Deum. Qui omnino non juſtificatur, nec illa ſervat, quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum. Qui autem in operibus legis juſtificatur, non apud Deum juſtificatur; quia temporalem inde expectat viſibilemque mercedem. Sed tamen eſt etiam illa quædam, ut ſic dicam, terrena carnaliſque juſtitia: nam & ipſe Apoſtolus eam juſtitiam vocat, cum alibi dicat: *Secundum juſtitiam quæ ex lege eſt, converſatus ſine querela.* Sed planior eſt prior expoſitio. Quis dicat non juſtificari eos qui ſunt legi obedientes, quando niſi juſtificarentur, non poſſent eſſe obedientes? Sed dicimus *Lege fieri, ut Deus quid fieri velit, audiatur: gratia vero fieri, ut legi obediatur. Non enim auditores legis, ait Apoſtolus, juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. Lex ergo auditores juſtitiæ facit, gratia factores.* De operibus quidem legis ſcriptum eſt: *Qui fecerit ea, vivet in eis:* ſed ut faciat ea, & vivat in eis, *non lex quæ hoc imperat, ſed fides eſt neceſſaria, quæ hoc impetrat. Quæ tamen fides ut hæc accipere mereatur, ipſa gratis datur.*

Cum in Hebræa Codicibus, & in Verſione LXX. Interpretum, nec-

13. 14. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno: Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Chriſtus Sanguinis ſui pretioſo, tam Judæos, quam Gentiles, liberavit a pœna, quam Lex cum execratione minatur, ab ira Dei, a morte æterna, cui omnes obnoxii per peccatum eramus; factus pro nobis maledictum, id eſt ſimilitudinem gerens hominis a Deo maledicti, & pro tali ab hominibus reputatus, quatenus pro noſtra redemptione in cruce ſuſpenſus. & inſtar hirci emiſſarii maledictionibus & pœnis univerſo generi humano debitis onuſtus: *Quia ſcriptum eſt:* (Deuteron. 21. 23.) *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Chriſtus (inquam) nos de maledicto legis redemit, ut benedictio Abrahæ promiſſa, quæ totam hominis renovationem & beatitudinem complectitur, ad omnes Gentes Chriſto per fidem inſerendas perveniret, in iiſque per Chriſtum compleretur: ut per fidem qua in Jeſum Chriſtum credimus, Spiritum ſanctum ab eo promiſſum accipiamus: Spiritum non ſervitutis in timore, quem acceperant qui ſub lege erant, ſed charitatis, & adoptionis filiorum Dei.

non Theodotionis & Aquilæ, legatur, *Maledictus a Deo eſt, qui pendet in ligno*, ſive *Maledictio Dei ſuſpenſus*: hæc verba, *a Deo*, (quo ſeſtimus conſilio) Apoſtolus omiſit. Forte quia ex loci hujus circumſtantia & oppoſitione benedictionis evidens eſt de maledicto eorum Deo agi. Forte etiam ne durior verbo imbecillei Galatarum animi offenderentur. Ut ut eſt, verba illa, *a Deo*, in Textum ſacrum a Judæis intruſa, minus probabile eſt: quamvis a viris maximis ita exiſtimatum, magis probanda ſecunda S. Hieronymi reſponſio, *Apoſtolum ſenſum Scripturarum poſuiſſe, non verba*, quam aliæ ejuſdem conjecturæ.

Porro quod nobis ſolet pro infamia objici a Judæis, quod Jeſus in quem credimus, & quem ut Salvatorem noſtrum ac Dominum colimus, fuerit ſub maledicto, facile refellitur. „Non enim quicumque in ligno pependerit, maledictus eſt apud „Deum: ſed qui peccaverit, & propter ſcelus morti fuerit adjudicatus, ſublatuſque in crucem, non „ideo maledictus, quia crucifixus eſt, ſed quia in „talem inciderit reatum, ut mereretur crucifigi. Deinde illud opponendum, quod infernus cauſa patibuli plenius exponatur, Scriptura referente, ob „maledictum & blaſphemiam Dei eum fuiſſe crucifixum. Quod apertius Symmachus tranſtulit dicens: *Quia propter blaſphemiam Dei ſuſpenſus eſt.* „Ad extremum interrogemus eos, ſi Ananias & „Azarias, & Miſahel, nolentes adorare idolum „Nabuchodonoſor, fuiſſent in ligno ſuſpenſi: Eleazarus quoque nonagenarius ſub Antiocho Rege „Syriæ, & cum ſeptem filiis glorioſa Mater, utrum „maledictos eos æſtimaturi fuerint, an omni benedictione digniſſimos? Certe ſi crucem, quam Aman paraverat Mardochæo, non ipſe pro ſuo merito conſcendiſſet, puro Mardochæus in eam, non „ut maledictus, ſed ut vir ſanctus aſcenderet. His „& ceteris ſimilibus comprobatur, illum eſſe maledictum, qui dignum facinus patibulo perpetrarit: „non eum qui iniquitate judicum, & inimicorum „potentia, aut clamore vulgi, aut virtutum invidia, aut Regis ira fuerit crucifixus. Hæc adverſus Judæos ſanctus Hieronymus in hunc locum.

Geneſ. 12. 7. & cap. 13. 15. c. 17. 7. c. 22. 18.

Hujuſmodi promiſſiones hiſtoricæ ſunt ſimul ac typicæ: hiſtoricæ reſpectu Iſaac, & Iſraelitarum, ex eo ſecundum carnem progenitorum: typicæ, reſpectu Chriſti, & fidelium, capitis & membrorum. Caput enim & membra ſunt unus Chriſtus.

S. Thomas, *Lect.* 6.

15. *Fratres* (*ſecundum hominem dico:*) exemplo utor a rebus humanis ſumpto. *Tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat.* Hominis certe teſtamentum legitimum & authenticum, ſive pactum, aut promiſſionem publica auctoritate per ſolemnes formulas firmatam, nemo convellit, aut immutat, præter teſtatoris, contrahentis, & eorum, quorum intereſt, voluntatem. Multo minus teſtamentum, ſeu pactum, & promiſſio Dei, poteſt a quoquam reſcindi, vel mutari, addendo vel demendo: cum divina humanis neceſſe ſit eſſe firmiora.

16. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Abrahæ factæ ſunt a Deo promiſſiones, & ſemini ejus, ſeu poſteritati. Non dicit Deus Abrahamo, *& ſeminibus*, in plurali numero, quaſi multas poſteritates ſpirituales deſignans, diviſas, & in unum corpus non coaleſcentes: ſed quaſi de uno ſemine ſingulari ſeu poſteritate ad unum redacta loquens, dicit: *Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*, ſive, quod ſemen eſt Chriſtus; de quo promiſſiones factæ ſunt Abrahæ, & per quem promiſſiones de æterna hereditate, per terram Canaam adumbrata, adimplendæ ſunt in veris Abrahæ filiis, fideique ejus ac ſanctimoniæ imitatoribus. Apoſtolus autem eodem Spiritu quo promiſſiones factæ, & Scriptura condita eſt, eas hic interpretatur, quod ex numero ſingulari unus, id eſt, Chriſtus ſit intelligendus; qui ſolus eſt per quem, & in quo potuerint omnes benedici. Nam ipſe ſolus & ſingularis eſt, qui non ſubjacet maledictioni culpæ, etſi maledictio pro nobis dignatus ſit fieri.

17. *Hoc autem dico:* Huc pertinet quod dixi, promiſſa perfectionem ſuam habentia non reſcindi, nec immutari: *Teſtamentum confirmatum a Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos * facta eſt Lex, non irritum facit, ad evacuandam promiſſionem.* Lex quæ poſt annos a promiſſione Abrahamo facta quadringentos & triginta data eſt, non poteſt irritum facere pactum tanto ante firmatum, & ratihabitum a Deo, de benedictione per Chriſtum omnibus Gentibus præſtanda. Id autem contigeret, ſi per legem eſſet benedictio. Pactum cum Abraham & ſemine ejus a Deo initum, ſeu promiſſio ipſi a Deo confirmata, *Teſtamentum* appoſite dicitur ab Apoſtolo

* Unde numerandi ſint anni illi 430. docet Hiſtoris noſtra Eccleſ. Veteris Teſtamenti, *Diſſert.* 3. *in tertiam Mundi Ætatem.*

S. Auguſt. in hunc locum.

1. Quia

1. Quia quod mors teſtatoris valet ad confirmandum teſtamentum ejus, quia conſilium mutare jam non poteſt: hoc incommutabilitas promiſſionis Dei valet ad confirmandam hereditatem Abrahæ, cui fides reputata eſt ad juſtitiam. 2. Quia pactum illud divinam reſpiciebat mortem Chriſti, ab eaque ut a Deo Patre præordinata, & certo futura, firmitatem jam inde ab initio accipiebat.

18. *Nam ſi ex lege hereditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.* Nam ſi per legem præſtatur benedictio Abrahæ & filiis ejus ſpiritualibus, id eſt fidei ejus imitatoribus a Deo promiſſa, id eſt juſtitia & ſalus; non ergo jam ex pura & liberali Dei promiſſione per Chriſtum exſpectanda erit. Per legem igitur irrita facta eſt promiſſio? Abſit. Abrahæ namque ſpiritualem hereditatem, benedictionem, juſtitiam, ſalutem, per Chriſtum, quam ex ejus ſtirpe naſciturum promiſit, Deus donavit, & quotidie donat veris Abrahæ filiis. *Manet promiſſum & quotidie impletur quod Abrahæ Dominus ſine conditione promiſit, ſine lege donavit* (inquit Auctor librorum *De Vocatione omnium Gentium*.)

L. 1. cap. 9. S. Chryſoſt. & Hieron. in hunc locum. Lex ad quid data?

19. *Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu Mediatoris.* Quorſum igitur lex data eſt? Propter tranſgreſſiones coercendas terrore & minis: quia vitia populi Iſraelitici in Ægypto increverant, & pœnarum metu debebant coerceri, ne prava illa conſuetudine paulatim ad impietatem prolaberentur. Lex igitur fræni vice fuit impoſita homines erudiens, commonens, prohibens eis tranſgreſſionem præceptorum. 2. Lex poſita eſt propter tranſgreſſiones oſtendendas, *Per legem enim cognitio peccati*: ut ſuperbus populus per legem cognoſceret peccata ſua, infirmitatemque ſuam, & Chriſti gratia ſibi opus eſſe intelligens ad legem implendam, confugeret ad Medicum. 3. „Lex poſita eſt *propter tranſgreſſiones* augendas, non quod tranſgreſſiones „ſint finis legis, ſed quod lex occaſio tranſgreſſionum fuerit, permittente Deo ut ſuperbus populus quoniam gratiam caritatis niſi humiliatus accipere non poſſet, & ſine hac gratia nullo modo „præcepta legis impleret, tranſgreſſione humiliaretur ut quæreret gratiam, nec ſe ſuis meritis ſalvum fieri, quod ſuperbum eſt, opinaretur: ut „eſſet non in ſua poteſtate & viribus juſtus, ſed „in manu Mediatoris juſtificantis impium. Confer „cum Rom. 5. ubi ſcribit Apoſtolus: *Lex ſubintravit ut abundaret delictum* & Rom. 7. 8. *Occaſione accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*: & Verſ. 11. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me & per illud occidit.* Lex, inquam, addita eſt pro diſtinctione inter & Evangelium medio tempore, dum tura donec veniret Chriſtus, finis Legis, ad quem, cum ſuo corpore, quod eſt Eccleſia, promiſſio illa Abrahamo facta ſpectabat: *In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes.* Lex autem ſcripta, promulgata & ſubminiſtrata eſt Angelorum opera, internuncio Moſe, inter Deum & populum ſe medium interponente. *Ego*, inquit, *ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos tempore illo.* SS. Hieronymus & Auguſtinus, Legem datam in manu Mediatoris, id eſt, in potentia & virtute Chriſti, populum Iſrael ad ſuum adventum hoc modo præparantis, interpretantur. Verum ſalva, quæ tantis nominibus debetur, reverentia, nomine Mediatoris ibi Moſem intelligendum eſſe, non Chriſtum, longe probabilius eſt. 1. Quia hic loquendi modus, *in manu*, non ſummam poteſtatem declarat, ſed miniſterium; ſic dicitur factum verbum Domini *in manu Aggæi Prophetæ*. Et Levit. 8. 36. *Feceruntque Aaron & filii ejus cuncta quæ locutus eſt Dominus per manum Moyſi.* 2. Significat Apoſtolus iſtum Mediatorem, accepiſſe ab Angelis ut ſuperioribus, Deique Legatis, quod ad Iſraelitas deferret. 3. Hic agitur de lege quatenus promiſſioni oppoſita eſt. Chriſtus autem non veteris Teſtamenti, ſed Novi Mediator eſt. *Et, Lex per Moyſen data eſt, Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Demque Theodoretus Mediatoris nomine Moſem ab Apoſtolo deſignatum aſſerit.

Rom. 3. & 7.

S. Auguſt. in hunc locum.

Deut. 5. 5.

Heb. 8. 5. 6. 9. 15. 12. 24. Joan. 1. 17.

20. *Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt.* Mediator non unius eſt, ſed duorum ſaltem inter ſe diſſidentium. Unde Moſes Deum inter & populum intercedit. Deus autem unus eſt, qui & promiſſionem Abrahæ fecit, & legem tulit, & promiſſum implevit. Lex diſpoſita fuit per Angelos, in manu mediatoris: promiſſio a ſolo Deo facta, nullo mediatore. Promiſſio igitur ex hoc etiam capite dignior eſt lege: 2. Quia promiſſio principaliter ac primo facta eſt. Lex appoſita & addita. 3. Quia promiſſio benedictionis eſt, & ſeminis in quo gentes omnes benedicentur, id eſt, Chriſti: Lex propter

tranſgreſſiones. 4. Quia promiſſio limitationem temporis non habet: Lex poſita eſt donec veniret ſemen cui promiſerat Deus.

21. *Lex ergo adverſus promiſſa Dei?* Numquid Lex evertit promiſſiones Dei? Abſit. Deus enim legem dando, promiſſum Abrahæ factum non abſtulit, ſed diſtulit, in plenitudine temporis implendum. *Si enim data eſſet Lex, quæ poſſet vivificare, vere ex lege eſſet juſtitia.* Si Lex Moſaica poſſet hominibus præſtare ut recte vivant, illoſque interius renovare, & ad vitam æternam perducere, revera juſtitia eſſet ex lege. Deus ergo abolito priore pacto, quod cum Abrahamo pepigerat, ſanxiſſet aliud ei contrarium: quod fieri non poteſt; cum Deus, qui unus eſt & immutabilis, a ſe ipſo diſſidere non poſſit.

22. *Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* Sed Scriptura ſacra declarat omnes homines concluſos & captivos teneri ſub dominio peccati: ut quod Deus Abrahæ promiſerat, ſcilicet benedictio ſpiritualis, juſtitia, & ſalus æterna, per fidem Jeſu Chriſti daretur credentibus in eum.

Confer cum Rom. 3. Verſ. 9. 10. & ſeq. uſque ad 23.

23. *Prius autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat.* Prius quam veniret tempus revelandæ fidei, ſeu prædicationis Evangelii, ſub legis cuſtodia concluſi tenebamur, & quaſi militari præſidio ſervabamur, & pœnarum timore coercebamur, ne in crimina manifeſta prorumperemus: ſic Lex præparabat homines ad fidem ſuo tempore per Chriſtum revelandam, & per ejus Apoſtolos prædicandam.

S. Hieron. in hunc locum.

24. 25. 26. *Itaque Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.* Lex inſtar Pædagogi nos tanquam pueros omnino rudes & ad vitia proclives, timore coercens, duxit ad Chriſtum verum juſtitiæ Doctorem, ut ex ejus fide juſtitiam conſequamur. *At ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pædagogo.* At ubi venit tempus revelatæ fidei, per quam Chriſto traditi ſumus, & per eum libertate filiorum Dei donati, quaſi jam adulta ætate; jam non ſumus ſub lege, nec ejus pædagogia indigemus. *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Omnes enim vos, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſine legis opera filii Dei eſtis, per fidem qua in Chriſtum Jeſum creditis. Fides (inquam) quæ per dilectionem operatur, vos filios Dei adoptivos efficit.

27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quicumque in Chriſti corpus myſticum per baptiſmi Sacramentum inſiti eſtis, exuto vetere homine, in Chriſtum novum hominem quaſi transformati eſtis.

28. *Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* In negotio juſtitiæ per Chriſtum adipiſcendæ nulla ratio habetur generis, conditionis, aut ſexus. Nec Judæus ideo melior cenſetur, quia circumciſus eſt, nec Gentilis deterior, quia incircumciſus: ſed pro qualitate fidei, vel Judæus, vel Gentilis melior ſive deterior eſt: poteſt & ſervus libero eſſe melior, & liber ſervum in fidei qualitate prævertere. Maſculus ſimiliter & femina fortitudine & imbecillitate corporum ſeparantur. Ceterum fides pro mentis devotione cenſetur: & ſæpe evenit ut mulier viro cauſa ſalutis, & mulierem vir in religione præcedat. Cum autem ita ſe res habeat, omnes unum ſumus in Chriſto Jeſu: ut quomodo Pater & Filius in ſe unum ſunt, ita & nos in ipſis unum ſimus.

29. *Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem heredes.* Si vos per baptiſmum & fidem, Chriſti membra facti eſtis, qui eſt verum illud ac ſingulare ſemen Abrahæ promiſſum: ergo filii Abrahæ eſtis, & promiſſæ benedictionis heredes: heredes, inquam, Dei, coheredes autem Chriſti. Cur igitur jugo legalis ſervitutis vos iterum ſubjicitis, veſtræ dignitatis immemores?

CAPUT III.
Senſus Moralis.

1. O *Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Lingua caritatis aculeum ſuum habet, ſicut & lingua cupiditatis: illa ut ſanet, iſta ut vulneret. Pſeudo-apoſtolorum ſermo faſcinavit Galatas falſa lenitate, & vera adulatione, ut eos ad amplectendum mendacium pelliceret. Apoſtoli ſermo Galatarum tumorem pupugit, ut ex illorum mentibus ſuperbiæ virus exprimeret, & ad audiendam veritatem excitaret. *O inſenſati Galatæ, &c.* Voces iſtæ non ſunt conviciantis, ſed ex dilectione corrigentis. Sæpe crudelis eſt qui parcit, pius qui

Lingua caritatis aculeum habet, ſicut & lingua cupiditatis. Adulari neſcit.

Eccleſiaſt. 12. 11.

S. Hieron. in hunc locum Commentar.

ſerit. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno.* „ Verba ſapientium pungere di„cuntur, non palpare nec molli manu attrahere la„ſciviam, ſed errantibus, & tardis, (quales erant „ Galatæ) pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. „ *Si cujus igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem „ facit audientibus, iſte non eſt ſermo Sapientis.* Ver„ba quippe ſapientium ut ſtimuli. Quæ quoniam „ ad converſionem provocant delinquentem, & fir„ma ſunt, & a conſilio ſanctorum data, & ab uno „ Paſtore conceſſa, & ſolida radice fundata ſunt. Veruntamen ſeveritas vel lenitas correptionis adhibenda eſt ſecundum indolem & diſpoſitionem delinquentis.

S. Gregor. M. Hom. 11. in Ezechiel.

Verecundæ etenim mentes, ſi quae fortaſſe culpas admiſerint, leniter arguendæ ſunt, quia ſi aſperius increpentur, franguntur potius quam erudiuntur. At contra mentes aſperæ atque impudentes, ſi increpatæ leniter fuerint, ad majores culpas ipſa lenitate provocantur. Ideo Apoſtolus Corinthios leniter arguit, laudis & conſolationis ſermonem præmittens, ut eorum verecundiæ conſulat.

1. Cor. 1.

Galatas vero nulla locutionis dulcedine prærogata ſevere increpat: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit?* „ Mentes etenim duræ, niſi aperta eſſent increpa„tione perculſæ, nullo modo malum cognoſcerent, „ quod egiſſent. Nam ſæpe hi qui impudentes ſunt, „ tantum ſe peccaſſe ſentiunt, quantum de peccatis „ quæ fecerint, increpantur: ut minores culpas ſuas „ æſtiment, quas minor invectio caſtigat: & quas „ vehementer objurgari viderint, majores eſſe de„prehendant.

Qui bene inceperunt, timeant ne forte non perſeverent.

3. 4. *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa?* Converſionis initia adeo ferventia, fides tam viva, ut Chriſtum crucifixum eorum mentibus præſentem redderet, ut Spiritus ſancti & donorum ejus viſibilem effuſionem impetraret, fides tantis tribulationibus probata, Galatas a lapſu non prohibuit. Quis non contremiſcat: In Chriſtianis non coronantur initia, ſed finis. Non qui bene cœperit, ſed *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Uno momento, uno peccato mortali, omnium bonorum operum fructus, quæ per totum vitæ curriculum facta ſunt, perire poſſunt, & nemo recogitat. Timeamus, humiliemus noſmetipſos in conſpectu Dei, gemamus & ploremus coram Domino qui fecit nos: in uno Chriſto Jeſu, non in viribus noſtris, non in meritis, quæ in nobis nulla ſunt ex nobis, confidamus; nec otioſa ſit fiducia noſtra, ſed bonis operibus in finem uſque vitæ noſtræ comitata. Donum perſeverantiæ aſſiduis & ferventibus precibus a Deo poſtulemus Dominica præſertim Oratione, cujus ſingulæ petitiones eo colliment.

S. Auguſt. lib. De Dono Perſ.

Caveamus ne illecebris ſenſuum, & voluptatibus ſæculi abrepti, ab anguſta Evangelii via deflectamus, & carnales efficiamur. *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini.* Quam multos etiam fortes illecebra decepit!

5. 6. 7. 8. 9. *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?* Fides, quæ per dilectionem operatur, fons eſt juſtitiæ Chriſtianæ, fundamentum pietatis, character filiorum Dei, dans jus ad benedictionem omnem ſpiritualem in Chriſto Jeſu, & ad cœleſtem hereditatem.

Fides per dilectionem operans fons juſtitiæ eſt.

Hæc Spiritum ſanctum impetrat, miracula in Eccleſia operatur, cum opus eſt, virtutum omnium incrementa per eumdem Spiritum obtinet. *Qui ergo tribuit vobis Spiritum,* &c. Quibus verbis oſtenditur, *per ſingulas horas atque momenta ſemper digniſ ſanctum Spiritum miniſtrari, & quanto quis in Dei opere & amore profecerit, tanto magis ſancti Spiritus habere in ſe virtutes, quas auditu fidei, & non legis opera conſummant. Non quo legis opera* (ad Mores, non ad ceremonias pertinentia) *contemnenda ſint, & abſque eis ſimplex fides appetenda, ſed quo ipſa opera fide Chriſti adornentur,* ſine qua non ſufficerent ad ſalutem.

S. Hieron. in hunc locum.

„ Abraham filium ſuum immolandum Deo „ obtulit. Magnum opus, ſed ex fide. Laudo ſu„peræadificationem operis, ſed video fidei funda„mentum: laudo fructum boni operis ſed in fide „ agnoſco radicem. Si autem hoc præter fidem fa„ctam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet qua„lecumque illud opus eſſet. Rurſum ſi ſic tene„ret fidem Abraham, ut cum Deus imperaret „ offerre ſibi immolandum filium ſuum, diceret „ apud ſemetipſum, Non facio, & tamen credo „ quia me etiam contemnentem juſſa ſua liberat „ Deus: fides ſine operibus mortua eſſet, & tam„quam radix ſine fructu ſterilis atque arida rema„neret: Quid ergo? Debemus nulla opera præpo„nere fidei, id eſt, ut ante fidem quiſquam di„catur bene operatus? *Ea enim ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus lau*

S. Aug. En. 2. in Pſal. 31.

dabilia, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe ut magnæ vires & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Ex fide juſtificatum eſſe Abraham certo novimus, non ex operibus fidem præcedentibus, *ſicut ſcriptum eſt; Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Sed ſi fidem opera non præceſſerunt, tamen ſecuta ſunt. Numquid enim fides tua ſterilis erit? Si ſterilis non es, ſterilis non eſt ipſa. Tene ergo fidem operaturus. *Nemo jactet bona opera ſua ante fidem, nemo ſit piger in bonis operibus accepta fide.* Sic filius eris Abrahæ, fidem ejus imitando. *Cognoſcite ergo quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ.* Sed & opera Abrahæ facienda ſunt: humani affectus Deo immolandi: nulli rei creatæ in mundo inhærendum, ita ut eam propter ſeipſam expetamus, eaque frui velimus: ſic benedictionem omnem ſpiritualem & cœleſtem hereditatem cum Abraham credentium Patre conſequemur. *Qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

10. *Quicumque enim ex operibus Legis ſunt, ſub maledicto ſunt: Scriptum eſt enim, Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.* Qui nullum aliud habet quam legis auxilium, concupiſcentiæ ſuæ, peccato, juſtitiæ vindici Dei dedititius eſt: ſine gratia enim Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti a peccato ſanari & liberari non poteſt, nec bonum ullum ad ſalutem & vitam æternam conducibile operari.

Gravior maledictio peccantium in Evangelium, quam in Legem.

Si maledictionem incurrebant quicumque in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis non permanerent: quanto graviorem maledictionem merentur, qui peccaverint in Evangelium? *Irritam quis faciens legem Moyſi ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum, Quia judicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.*

Heb. 10. 28.

Deut. 32. 35.

Qui non perſeveraverit in omnium Dei mandatorum & totius Evangelii obſervantia, audiet a Chriſto juſto judice; *Diſcedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Nam *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus . . . . Sic loquimini, & ſic facite. Sicut per legem libertatis incipientes judicari.* Judicabitur plane unuſquiſque Chriſtianus per Evangelium, cujus obſervationem in baptiſmo profeſſus eſt.

Jacobi 2. 10. 11. 12.

11. 12. *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt; quia juſtus ex fide vivit.* Fides fundit orationem; fuſa oratio impetrat fidei firmitatem, firma fide gratia & cæteras obtinetur. Invocandus igitur Deus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Sic enim ab eo fides impetrat, quod lex imperat.*

Quid ſit, ex fide vivere?

S. Aug. Serm. 16. in Pſ. 118.

Nemo apud Deum juſtificatur ex lege, ſine fide Jeſu Chriſti. Nec Moyſes ipſe legis dandæ mediator & miniſter, nec Abraham, cæterique Patriarchæ & Prophetæ, nec alii veteris Teſtamenti juſti homines, apud Deum juſtificati ſunt, niſi ex fide Jeſu Chriſti, non ex operibus legis. *Lex autem non eſt ex fide; ſed, qui fecerit ea, vivet in illis:* non per legis virtutem, quæ exterius tantum docet, monet, præcipit, prohibet, corripit, demonſtrat infirmitatem; non ſanat, non juvat interius, non remittit peccata; ſed per gratiam Salvatoris noſtri Dei, & per fidem in illum. *Ille enim juſtificatur apud Deum, qui eum gratis colit, non ſcilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipſo præter ipſum, aut timore amittendi. In ipſo enim ſola vera noſtra beatitudo atque perfectio eſt, & quoniam inviſibilis eſt oculis carnis, fide colitur, quamdiu in hac carne vivimus . . . . Non itaque ex fide vivit, quiſquis præſentia quæ videntur vel cupit vel timet: quia fides Dei ad inviſibilia pertinet, quæ poſt dabuntur.*

S. Aug. in Expoſit. Epiſt. ad Galat. n. 21.

Ex fide non vivit, quiſquis ſecundum fidei lumen non cogitat, non judicat, non amat: ſiquidem vita animæ in cognitione & amore poſita eſt. Non igitur ſecundum humanos affectus, ſecundum hominum opiniones judicandum eſt de credendis, agendis, vitandis, timendis, deſiderandis & ſperandis in negotio ſalutis noſtræ; ſed ex lumine fidei, divino, certiſſimo, invariabili. Nihil diligendum, nihil deſiderandum, nihil timendum eſt, niſi quod fides diligere, deſiderare, timere docet. Hæc eſt vera juſtitia: *Quia juſtus ex fide vivit.*

13. 14. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno: Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Quanta hominis miſeria, qui a maledictione Dei liberari non potuit, niſi Deus hominum e maledictioni exponeret! Quanta Dei miſeri-

Quanta hominis miſeria? quanta Dei miſericordia?

ſericordia, qui pro nobis factus eſt maledictum, ut nos a maledictione liberaret, nobiſque non ſolum remiſſionem peccatorum, ſed gratiam bene operandi, & implendæ legis evangelicæ per paſſionem ac mortem ſuam mereretur! „ Christus pependit in ligno, ut nos liberaret a maledicto legis: ut non jam timore juſtificaremur in operibus legis, ſed fide apud Deum quæ non per timorem, ſed per dilectionem operatur. Spiritus enim ſanctus, qui per Moyſen dixit, *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, utrumque providit, ut & timore viſibilis pœnæ cuſtodirentur, qui nondum poterant ex inviſibilium fide vivere; & ipſe timorem iſtum ſolveret ſuſcipiendo quod timebatur, qui timore ſublato donum dare poterat caritatis. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Quæ ſententia carnaliter ſentientibus, ſi Judæi ſunt, jugum eſt ſervitutis; ſi Pagani, aut Hæretici velamentum eſt cæcitatis: ſpiritaliter autem intelligentibus ſacramentum eſt libertatis. Non enim mirum ſi Chriſtus de maledicto vicit maledictum, qui vicit de morte mortem, de peccato peccatum, de ſerpente ſerpentem. Maledicta autem mors, maledictum peccatum, maledictus ſerpens: & hæc omnia in cruce triumphata ſunt. *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem*. Fides, Judæis Gentibuſque communis, per Chriſtum ſubſtituta eſt legi ceremoniali, quæ ad ſolos Judæos pertinebat. Hic fructus crucis, ut timore maledictionis ablato, caritas benedictionis Abrahæ perveniat ad Gentes, propter exemplum fidei qua Chriſti corpori inſeruntur æque ac Judæi credentes in Chriſtum Jeſum, & Spiritum ſanctum accipiunt, cujus plenitudo in Chriſto reſidet & qui in ejus membra effuſus, benedictio eſt, hereditas, & complementum promiſſionum Abrahamo factarum a Deo in Chriſto Jeſu & ejus electis, quorum typus Iſaac & ejus poſteri Iſraelitæ. *Ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem*: ut non quod timetur in carne, ſed quod ſpiritu diligitur, credituris annuntietur.

S. Aug. in Exp. inch. Epiſt. ad Galat. n. 22.

15. 16. *Fratres (ſecundum hominem dico) tamen hominis confirmatum Teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*. Mira & incomprehenſibilis Dei bonitas, qui cum creatura ſua pactum init & fœdus irrevocabile! Gratuita prorſus promiſſio, qua Deus creaturæ debitor non fit, ſed ſibi, quia *Fidelis eſt in verbis ſuis*. Nihil autem promiſit Deus, nihil dedit virtute promiſſionis ſuæ, niſi Chriſto Jeſu. Nulla gratia, nullum jus ad cœleſtem hereditatem, nulla ſpes niſi in ipſo. Omnia Dei promiſſa ad Novum Teſtamentum pertinentia in illo implentur, quatenus, *Caput & membra unus eſt Chriſtus*. „ Quicumque in hac unitate non manet, in æternum perit. Per ſolum Chriſtum Gentes omnes benedictionem conſecutæ ſunt. Omnes legis antiquæ juſti, etſi ſemen Abrahæ ſecundum naturam dicantur, non ſunt tamen illud ſemen quod benedictionem attulit Gentibus, ſed ſolus Chriſtus. Illi ergo adhæreamus per fidem & caritatem, in illo non confidamus, ut per ipſum omnem benedictionem ſpiritualem in cœleſtibus conſequamur.

Omnis benedictio ſpiritualis in Chriſto & per Caritatem. S. Auguſt.

Theod. in hunc locum.

17. 18. *Hoc autem dico: Teſtamentum confirmatum a Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem*. Nonne Deus, ſibi ipſi quodammodo præcavere videtur in gratiam hominum peccatorum? Nonne ſe ipſum obſtringere voluiſſe Abrahæ & ſemini ejus ante Legem latam, & ante illius tranſgreſſiones, ne juſtitia ejus miſericordiæ ejus conſiliis obviaret? O amoris ingenium! Lex promiſſionem a Deo ante tot annos confirmatam, inſtar pacti & fœderis ſolemnis, evertere & fruſtrare non potuit: cœleſtis ergo hereditas ex lege non eſt expectanda. *Nam ſi ex lege hereditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus*. Hinc intelligimus omnes Sanctos veteris Teſtamenti, non ex operibus legis, ſed ex fide juſtificatos. „ Quod enim nos ex parte præteritum, id eſt, primum adventum Domini; ex parte futurum, id eſt, ſecundum adventum Domini credendo ſalvi efficimur: hoc totum illi, id eſt, utrumque adventum futurum credebant, revelante ſibi Spiritu ſancto ut ſalvi fierent. Unde Chriſtus ait: *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*. „ Ab exordio (inquam) generis humani quicumque in Chriſtum crediderunt, & ſecundum ejus præcepta pie & juſte vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, per eum procul dubio ſalvi facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem, „ & qui in carne jam venerit: ſic in eum credebant Antiqui & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum nuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, ideo fides ipſa variata, vel ſalus diverſa eſt ... Proinde aliis tunc nominibus & ſignis, aliis autem nunc, & prius occultius, poſtea manifeſtius; & prius a paucioribus, poſtea a pluribus, una eademque Religio vera ſignificatur & obſervatur.

S. Aug. in Exp. hujus Ep. n. 23.

Jo. 8. 56.

S. Aug. Epiſt. 102. alias 49. Quæſt. 2.

19. 20. *Quid igitur Lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris*. O cœleſtis Medici ars admirabilis, qui morbi incremento præbet occaſionem, ut ex ipſo morbo primum faciat quaſi medicamentum! Humilitas adeo neceſſaria eſt homini ad ſuſcipiendum Chriſtum Salvatorem, & ad conſequendum benedictionem & hereditatem in ipſo promiſſam & per eum conferendam, ut Deus Legis tranſgreſſiones permittat, quibus eum datis velut occaſionibus ad hanc virtutem perducat. *Superbienti populo Lex poſita eſt*, inquit S. Auguſtinus, *ut quoniam gratiam caritatis niſi humilitatus accipere non poſſet, & ſine hac gratia nullo modo præcepta legis impleret, tranſgreſſione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec ſe ſuis meritis ſalvum fieri, quod ſuperbum eſt, opinaretur: ne eſſet non in ſua poteſtate & viribus juſtus, ſed in manu Mediatoris juſtificantis impium*. Deus per miniſtros ſuos legem & doctrinam hominibus tradit; *Ordinata per angelos in manu mediatoris*. Per ſeipſum vero gratiam & caritatem infundit, qua ſola lex impletur. Miniſtri, quamvis ſcientia & puritate Angelis ſimiles, quamvis prudentia, ſanctimonia, zelo, fidelitate Moyſi non impares, Dei legem docere & exponere exterius poſſunt: Unus Mediator Dei & hominum Jeſus Chriſtus Deus & homo illam in tabulis cordis Spiritu ſuo & Patris deſcribere poteſt, cum quo unus eſt Deus. Hic electos ſuos colligit in unitatem corporis ſui, ut & ipſi unum ſint, ſicut ille cum Patre unum eſt. *Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt*. Unus ille Dei & hominum Mediator liberavit homines a peccatis, jam per tranſgreſſionem legis coactos confiteri, opus ſibi eſſe gratia & miſericordia Domini, ut ſibi peccata dimitterentur, & in nova vita per eum, qui pro ſe ſanguinem fudiſſet, reconciliarentur Deo, quicumque ipſius Chriſti humilitatem & per revelationem antequam fieret, & per Evangelium, poſtea quam facta eſt, *credendo dilexerunt, diligendo imitati ſunt*.

Neceſſitas humilitatis.

S. Aug. in Exp. hujus Ep. n. 24.

S. Aug. ibid.

21. 22. *Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, vere ex lege eſſet juſtitia. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus*. „ Non ergo Lex data eſt ut peccatum auferret, ſed ut ſub peccato omnia concluderet. Lex enim oſtendebat eſſe peccatum, quod illi per conſuetudinem cæcati, poſſent putare juſtitiam: ut hoc modo humiliati, cognoſcerent non in ſua manu eſſe ſalutem ſuam, ſed in manu Mediatoris. *Maxime quippe humilitas revocat, unde nos dejecit ſuperbia. Et ipſa humilitas eſt accommodata percipiendæ gratiæ Chriſti, qui ſingulare humilitatis exemplum eſt*. Lex ergo profuit quidem Judæis, non ut juſtitiam & vitam ſpiritualem daret, ab eo ſolo expectandam, qui fidem & caritatem dare poteſt. Profuit ut eos Dei timore concluderet, donec cor eorum per caritatem mutaretur. Et quod prævaricatores ipſius Legis inventi ſunt, non ad perniciem, ſed ad utilitatem valuit eis qui crediderunt: *Cognitio enim majoris ægritudinis, & deſiderari Medicum vehementius facit, & diligi ardentius*. Lex Judæos cuſtodiebat & concluſos tenebat, ne Idola Gentium colerent, eoſque ſeorſim diſponebat ad fidem, quæ veteri Teſtamento adumbrata & velata erat, & in Novo revelanda. Vetus enim Teſtamentum recte intelligentibus Prophetia eſt Novi: Novum Teſtamentum explicatio veteris. Fides in Chriſtum Jeſum, omnium ſæculorum eſt. *Eadem fides* eſt antiquorum juſtorum, qui *nondum nomine, ſed re ipſa fuerunt Chriſtiani*, & eorum *qui non ſolum ſunt, verum etiam vocantur, & in utriſque eadem gratia per Spiritum ſanctum*. Moyſes Miniſter veteris Teſtamenti, heres novi: ſimiliter & omnes juſti veteris Teſtamenti ad novum pertinebant. *Prius autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat*.

S. Aug. ibid. n. 25.

S. Aug. paſſim.

24. 25. *Itaque Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pædagogo*. Veteris Teſtamenti Scripturas, & Legis antiquæ ceremonias non intelligit, qui Chriſtum in illis non invenit. Figuræ ſunt enim vero illum repræſentantes, umbræ ſunt illum præceden-

Legitimus Legis uſus.

cedentes, ſunt denique ad Chriſtum ductrices. *Lex Pædagogus noſter in Chriſto*. Deus Pædagogum dedit Judæis quem timerent, daturus poſtea Magiſtrum quem diligerent, Chriſtum Jeſum, cujus fide per caritatem operante juſtificamur. Niſi enim ita credamus, ut ex fide, & ſecundum fidem vivamus: niſi Chriſtum, in quem credimus, diligamus, & imitemur, adhuc ſub lege ſumus, adhuc parvuli, adhuc ſub Pædagogo. „ Utinam in hoc ſtatu Lex nobis proſit! Utinam ea legitime utamur! Nam & injuſtus ut juſtificetur, id eſt, ut juſtus fiat, legitime lege uti debet, qua tamquam Pædagogo perducatur ad gratiam, per quam ſolam quod lex jubet poſſit implere. Injuſtus ergo legitime lege utitur, ut juſtus fiat, quod cum factus fuerit, ea jam non utitur tamquam vehiculo, cum pervenerit, vel tamquam pædagogo, cum eruditus fuerit. Quomodo enim juſto lex non eſt poſita, ſi & juſto eſt neceſſaria, non qua injuſtus ad juſtificantem gratiam perducatur, ſed qua legitime jam juſtus utatur. An forte, immo vero non forte, ſed certe, ſic legitime utitur lege jam juſtus, cum eam terrendis imponit injuſtis? *Ut cum & in ipſis cœperit inſitæ concupiſcentiæ morbus incentivo prohibitionis & cumulo prævaricationis augeri, confugiant per fidem ad juſtificantem gratiam, & per donum Spiritus ſuavitate juſtitiæ delectati pœnam litteræ minantis evadant.* „ Ita non erunt contraria, neque inter ſe duo illa pugnabunt, ut etiam juſtus bona lege legitime utatur, & tamen juſto lex poſita non ſit: *Non enim ex ea juſtificatus eſt, ſed ex lege fidei, qua credidit nullo modo poſſe ſuæ infirmitati ad implenda ea quæ lex factorum juberet, niſi divina gratia ſubveniri.*

S. Aug. lib. De Spiritu & Littera, c. 10.

26. *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* „ Unicus eſt Patris æterni Filius natura, plures adoptione. Solus ad divinitatem, per miſericordiam vero ſuam non ſolus ad hereditatem. Coheredes unico ſuo fecit Pater: non quos de ſubſtantia ſua ſicut ipſum genuit, ſed quos de familia ſua per ipſum adoptavit: *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.* O ineſtimabilem dignitatem! Non ſimus ergo filii degeneres. Vivamus ut filii Dei, non ut filii ſæculi. Quid prodeſt nomen ubi res non eſt? Quam multi vocantur Medici, qui curare non noverunt? Quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Chriſtiani & filii Dei, qui revera non ſunt, vita, moribus, fide, ſpe, caritate, quæ ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli.

Filiorum Dei adoptio per juſtitiam [illegible].
S. Aug. Ser. 120. al. 12. ex Hom. 50. c. 7. Joan. 3. 1.

27. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* „ Induimus imaginem terreni hominis propagatione prævaricationis & mortis, quam nobis intulit generatio: ſed induimus imaginem cœleſtis hominis gratia indulgentiæ vitæque perpetuæ, quod nobis præſtat regeneratio, non niſi per Mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum, qui de cœlo venit, ut terrenæ mortalitatis corpore veſtiretur, quod cœleſti immortalitate veſtiret. Indices dignitatis habitus. Si Chriſtus indumentum noſtrum eſt, nihil in nobis præter Chriſtum cernatur. Chriſti caritas, humilitas, puritas, modeſtia, manſuetudo, potentia, & quicquid ad motum ejus ſanctimoniam pertinet, conſpiciatur in nobis. Utinam hanc & incorruptibilem veſtem nunquam exuamus, ut ea indutos Pater Æternus agnoſcat, & ut filios admittat ad hereditatem.

S. Aug. l. 13. De Civ. Dei, c. 23. n. 3.

28. *Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* „ In quantum omnes fideles ſunt, omnes unum ſunt in Chriſto Jeſu. Et ſi hoc facit fides, per quam in hac vita juſte ambulatur, quanto perfectius atque cumulatius id ſpecies ipſa factura eſt, cum videbimus facie ad faciem? Nam nunc quamvis primitias habentes Spiritus, qui vita eſt, propter juſtitiam fidei, tamen quia adhuc mortuum eſt corpus propter peccatum, differentia iſta vel Gentium, vel conditionis, vel ſexus, jam quidem ablata eſt ab unitate fidei, ſed manet in converſatione mortali, ejuſque ordinem obſervandum eſſe, & Apoſtoli præcipiunt, qui etiam regulas ſaluberrimas tradunt, quemadmodum ſecum vivant pro differentia gentis Judæi & Græci, & pro differentia conditionis domini & ſervi, & pro differentia ſexus viri & uxores. Cum omnes in Chriſto unum ſint, nemo Chriſtianus ex nobilitate, dignitate, aut conditione inſoleſcat, & adverſus alterum extollatur. Nemo propter res temporales a fratribus Chriſtianis diſſideat, quibuſcum per baptiſmum factus eſt unus Chriſtus in unitate corporis ejus quod eſt Eccleſia, per ſancti Spiritus ejus unitatem. Quid de terrenis rebus diſſident & litigant, qui cœleſtis regni ſunt cohæredes? *Si autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem heredes.*

S. Aug. in hunc locum n. 28.

CAPUT IV.

Senſus Litteralis.

1. 2. 3. DIco autem: *Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit Dominus omnium.* Dico inſuper ad aſſertæ ſuperius veritatis confirmationem: Filius in minore adhuc ætate conſtitutus, nulla re differt a ſervo, quantum ad vitæ rationem, quia alieno regitur arbitrio, nec liberum habet uſum paternorum bonorum; quamvis dominus ſit omnium hæreditatis jure, & paterna voluntate. *Sed ſub tutoribus & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus a patre.* Sed ſub tutoribus & curatoribus eſt, qui ejus bona defendant, & adminiſtrent, negotiaque gerant, donec tempus advenerit patris voluntate ſtatutum, aut alioqui lege præfinitum, quo ſit a tutela liber, ſuarumque rerum adminiſtrationem & curam ſuſcipiat. *Ita & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.* Ita & nos Judæi, cum rudes adhuc eſſemus tamquam parvuli, tum cognitione, tum affectu de Deo & rebus divinis carnaliter ſapientes, rebus etiam ſenſibilibus quibus infantes delectantur, additi, ſub ſenſibilibus & corporalibus ceremoniis legis Moſaicæ, quadam ſervitute preſſi tenebamur, nondum capaces Evangelicæ Doctrinæ, nondum ad percipiendam benedictionem Abrahæ promiſſam idonei. Rudimenta, ſeu rudior diſciplina, qua manuducuntur pueri & incipientes ad ſcientiam, dicuntur elementa: ita veteris Legis ceremoniæ, Judæis propoſitæ, per quas manuducerentur ad fidem & juſtitiam, dicuntur elementa mundi. Vel, *ſub elementis mundi eramus ſervientes*, id eſt, corporalibus illis ritibus eramus ſubjecti, qui nobis cum mundo ſunt communes, victimis, purificationibus, Neomeniis, Sabbato. Id tamen diſcriminis erat Judæos inter & Gentiles, quod illi elementis mundi ſervirent & divinum cultum impenderent, Judæi vero ſub eis uni Deo ſerviebant, ſenſibilibus illis ad tempus addicti, ne illorum amore ad idola delaberentur: immo per corporales illos ritus erudirentur, & ad ſpiritualium cognitionem paulatim perducerentur.

S. Thomas, Lect. 1.

4. 5. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Quando tempus impletum eſt a Deo præfinitum ut liberaremur a ſervitute legis, & hereditatem acciperemus, miſit Deus Filium ſuum unigenitum in terras, ut ex mulieris ſubſtantia, Spiritus ſancti operatione, homo factus naſceretur; & legi ſubditus fieret, non obligatione, ſed dignatione, & voluntaria ſubjectione; atque obſervatione: ut eos qui ſub lege erant, dato pretio ſanguine ſuo, a ſervitute legis; omnes homines a ſervitute peccati, redimeret, ſibique vendicaret: ut ipſius gratia adoptaremur in filios Dei, & hereditatem adoptionis jure debitam aliquando conſequeremur, tam Gentiles, quam Judæi.

Factus ex muliere dicitur Chriſtus Jeſus, quo loquendi modo Marcionis, aliorumque hæreticorum, qui putatitiam & phantaſticam carnem Chriſto tribuerunt, vel cœlo formatum corpus, quod Valentinus edixit, errores refelluntur. Mulieris autem nomine, non decus virgineum negatur, ſed ſexus femineus oſtenditur.

6. 7. *Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem: Abba, Pater.* Quoniam autem vos Galatæ, ceterique Gentiles in Chriſto baptizati, quamvis ſub Legis pedagogia & tutela non fueritis, ſicut Judæi, filii tamen Dei eſtis per adoptionis gratiam, & in ſtatu libertatis filiorum per Chriſti mortem conſtituti; miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamare vos facientem cum fiducia in orationibus veſtris: Pater, Pater. *Itaque jam non eſt * ſervus, ſed Filius. Quod ſi filius, & heres per Deum.* Itaque nemo veſtrum, qui ad Deum per Spiritum Filii ejus clamatis, Pater, Pater, jam ſervus eſt, ſed filius, ipſius Spiritus ſancti teſtimonio. Quod ſi filius & heres Dei, per meritum Chriſti, non per legem.

Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere: Igitur Maria Virgo Dei genitrix eſt, contra Neſtorium.

Miſſio Filii Dei in terras aſſumptio fuit carnis non de[illegible] majeſtatis. Igitur miſſus non fuit ut minor, contra Arium, & Eunomium.

Spiritus Filii vocatur: agitur a Filio non minus [illegible]

8. 9. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non ſunt dii, ſerviebatis.* Vos quidem, o Galatæ, Legi non ſerviebatis, ut Judæi, ante vocationem veſtram, ſed longe deteriori ſervituti addicti eratis, falſorum ſcilicet Numinum & Idolorum, Deum verum ignorantes. *Nunc autem, cum cognoveritis Deum, immo cogniti ſitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* At nunc poſtquam Deum Chriſti beneficio cognoviſtis, immo potius cogniti eſtis & dilecti a Deo, qui gratia ſua vos prævenit, quomodo vos convertitis ad alterius generis ſervitutem, quaſi pertæſi libertatis filiorum per Chriſtum partæ, ſcilicet ad ſervitutem legalium ceremoniarum, quæ

infir-

Digitized by Google

quam a Patre procedit, a quo mittitur.

* Græce & Syriace in ſecunda perſona enunciatur.

Itaque pars non eſt ſervus. S. Chryſoſt. S. Hieronym. Theodoret. in hunc locum.

S. Hieron. in hunc locum.

Objectionem Hæreticorum hujus temporis contra dies feſtos & ſtata jejunia Eccleſiæ Catholicæ occupat.

infirma ſunt & egena elementa, id eſt, quæ rudimenta quidem pietatis fuere Judæis, ſed per ſe ad juſtitiam & ſalutem vitæ æternæ nihil conferentia?

10. 11. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.* Sabbata, dies Azymorum, Neomenias, Scenopegia, ceteraſque ſolemnitates Judaicas, primum ſeptimumque menſem, morem aſcendendi Jeroſolymam ter ſingulis annis, annum Sabbaticum, & Jubilæum, aliaſque Legis ceremonias obſervatis. *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Timeo de vobis, ne forte prædicatio mea ſine fructu apud vos fuerit. Sermonem inter metum ac ſpem temperat. Non enim ait, Fruſtra laboravi, ſed, *Ne forte.* Quaſi dicat; Nondum accidit naufragium, ſed tempeſtatem hoc parturientem cerno: propterea metuo, non deſpero. Vobis enim in manu eſt tutum hoc corrigere, & ad priſtinam redire tranquillitatem. Videns eos zelum Dei habere, ſed non ſecundum ſcientiam, nec penitus eorum deſperavit ſalutem, qui pio fuerant errore decepti; nec rurſum irreprehenſos reliquit; ne ipſis perſeverandi in errore, & ceteris occaſionem ſimiliter tribueret errandi.

Quam imperite hoc loco Hæretici abutantur contra Chriſtianam Catholicam obſervationem dierum feſtorum, & ſtatorum jejuniorum, ex S. Hieronymo oſtenditur, qui eorum objectionem videtur occupaſſe. „ Dicat aliquis, (ait Doctor ſanctiſſimus) Si dies obſervare non licet, & menſes, & tempora, „ & annos; nos quoque ſimile crimen incurrimus, „ quartam ſabbati obſervantes, & Paraſceven, & „ diem Dominicam, & jejunium Quadrageſimæ & „ Paſchæ feſtivitatem, & Pentecoſtes lætitiam, & „ pro diverſitate regionum diverſa in honorem Martyrum tempora conſtituta. Ad quod qui ſimpliciter reſpondebit, dicet: Non eoſdem Judaicæ obſervationis dies eſſe, quos noſtros. Nos enim non „ Azymorum Paſcha celebramus, ſed reſurrectionis „ & crucis. Nec ſeptem, juxta morem Iſrael, „ numeramus hebdomadas in Pentecoſte, ſed Spiritus ſancti veneramur adventum. E ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto „ propterea dies aliqui conſtituti ſunt, ut in unum „ pariter omnes veniremus. Non quo celebrior ſit „ dies illa qua convenimus: ſed quo quacumque die „ conveniendum ſit, ex conſpectu mutuo lætitia major oriatur. Jejunia autem, & congregationes inter dies, propter eos a viris prudentibus conſtituta, qui magis ſæculo vacant quam Deo: nec „ poſſunt, immo nolunt toto in Eccleſia vitæ ſuæ „ tempore congregari, & ante humanos actus, „ Deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca quæ „ ſtatuta ſunt, vel orandi tempora, vel jejunandi, „ ſemper exerceat? Itaque ſicut nobis licet vel jejunare ſemper, vel ſemper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus: non ita & Judæis fas eſt omni „ tempore immolare agnum, Pentecoſten agere, Tabernacula figere, jejunare quotidie.

12. *Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos. Fratres, obſecro vos; Nihil me læſiſtis.* Judaicas obſervationes exemplo meo abjicite. Nam in eodem olim errore verſatus ſum, Moſaicæ Legis æmulator fui, prout vos nunc eſtis: & tamen priſcas illas ceremonias neglexi, ut Evangelicæ Doctrinæ puritatem ſectarer, & juſtitiam ac ſalutem æternam a ſolo Chriſto non a Lege me exſpectare demonſtrarem. Hac in re imitatores mei eſtote, obſecro vos. Nihil me privatim læſiſtis; quod igitur vos durius increpavi, non feci contumelioſe & ex iracundia, quaſi injuria laceſſitus, ſed ex amore, & ſtudio ſalutis veſtræ.

S. Hieron. in hunc locum.

13. 14. *Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem, & tentationem veſtram in carne mea non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis: ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum.* Scitis quia inter perſecutiones, contumelias, & varia pericula, jampridem vobis Evangelium prædicavi: & afflictiones meas, quibus tentari poteratis, & ab audiendo ea ore meo Evangelio abſterreri, non ſpreviſtis. Vel, Quando veni ad vos, non veni in ſermone ſapientiæ, ſed homo humilis atque contemptus, nihil magnum deferens niſi Crucifixum. Cum igitur me videritis in corpore infirmitatibus obnoxio conſtitutum, regna cœleſtia promittentem, non irriſiſtis, nec æſtimaſtis dignum eſſe contemptu. Intelligebatis quippe humilitatem carnis meæ, & ipſius habitus vilitatem, ad veſtram probationem fieri, an videlicet contemneretis eum, qui ab incredulis miſerabilis putabatur, ſed contra ſummo honore me excepiſtis, quaſi angelum cœlitus a Deo miſſum, immo ſicut Chriſtum Jeſum, cujus ſum miniſter. Revocat in illis memoriam collata ab ipſis in ſe beneficia, ne illis credatur infenſus eſſe, & ut eorum in ſe fiduciam excitet.

15. 16. *Ubi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi?* Ubi nunc gratulatoriæ illæ voces, quibus vos beatos dicebatis ob adventum ad vos meum, ob prædicationem apud vos meam, ob acceptam a me doctrinam Evangelii? Adeo tener erat erga me amor veſter, tantus grati animi ſenſus, ut me oculis veſtris chariorem haberetis, quos, ſi fieri poſſet, mihique prodeſſe potuiſſet, eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Id de vobis teſtari ſoleo. *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* An nunc quia vobis vera dico, putatis me inimico in vos eſſe animo?

17. *Æmulantur vos, non bene, ſed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.* Pſeudo-apoſtoli, qui me vobis inimicum eſſe ſuggeſſerunt, vos ſibi conciliare & devincire ambiunt, zelum pro ſalute veſtra præ ſe ferentes; ſed rectam non ineunt viam, bona non eſt eorum æmulatio: ſiquidem bonum veſtrum, ſalutem veſtram non quærunt, ſed ſuam gloriam, & lucrum. Vos enim excludere volunt a Chriſtianæ fidei puritate & perfectione, & ad imperfectiorem Legis Moſaicæ ſervitutem dejicere, ut ipſos ceu præceptores revereamini, eoſque æmulemini ac imitemini tamquam diſcipuli, nobis excluſis.

Secundum Textum Græcum, legendum: *Bonum autem æmulari in bono ſemper.*

18. *Bonum autem æmulamini in bono ſemper, & non tantum cum præſens ſum apud vos.* Bonum quemque æmulamini, in rebus bonis; non ad horam, ſed ſemper; nec tantum cum præſens ſum apud vos. Quaſi dicat, Me Apoſtolum Doctoremque veſtrum, bonam doctrinam vobis tradentem, & ſecundum eam viventem, imitari debetis, non præſentem ſolum apud vos, ſed & abſentem. „ Nolite (inquit) aſſertores Judaicæ obſervationis imitari, „ ſed ea quæ bona ſunt imitamini. Quo modo „ enim qui divitias, potentiam, dignitatem alicujus imitatur, non tam bona, quam ea quæ fugienda ſunt, æmulatur: ita vos e contrario bonum æmulamini in bono, magis quærentes ſpiritualia, quam carnalia; ut non illi vos Judæos, „ ſed vos illos Chriſtianos eſſe doceatis. Hoc autem „ facite ſemper, ut perſeveranti gradu ad finem „ boni operis pervenire poſſitis. Æmulabamini ſiquidem bonum in bono, prius, cum apud vos „ eſſem: qui poſtquam a vobis receſſi, omnia quæ „ tradideram, perdidiſtis, de ſtatione certa & fido „ portu rurſum in altum unda relabente ſubtracti.

S. Hieron. in hunc locum.

19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Comparat ſe matri, cujus eſt tenerrimus in filios affectus; alibi patri. Filioli mei, quos in lucem Evangelii prædicatione mea editos, magno nixu & labore conor a Judaiſmo revocatos ad Evangelii puritatem, recipiatis parere, donec perfectam Chriſti ſimilitudinem a qua excidiſtis, iterumque fide recta, & per caritatem formata, qua credatis Chriſtum vobis ad ſalutem ſufficere ſine legalium ceremoniarum obſervatione.

20. *Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.* Utinam nunc vobis adeſſem, ut ſermonem meum, inflectere & accommodare poſſem diſpoſitioni veſtræ, & modo aſperius, modo lenius loquerer, prout vos viderem affectos. Ambigo enim & perplexus ſum, quomodo vobiſcum agam, quid loquar, quid deſleam. Non „ video me prodeſſe, ſi ea loquar, quæ prius locutus ſum: propter quod ignoro quid agam, & in „ diverſa diſtractus, laceror, confundor, atque dilanior. Et quo modo Medici, cum vim artis ſuæ „ in primo viderint non valere medicamine tranſeunt „ ad aliud, & tamdiu experiuntur quid proſit e pluribus, donec perveniant ad curationem, ut quod „ per mollitiem alicujus emplaſtri, nequaquam ſanari valuit, mordaciori pulvere & auſteriore curatione ſanetur: ita & ego, quia confundor in „ vobis, & ignorantia huc atque illuc diſtrahor, „ vellem litterarum vocem præſens de meo ore proferre, ut vos ſolito ſeverior ipſe corriperem: quoniam Epiſtola non poteſt vocem objurgantis exprimere, non valet iraſcentis reſonare clamorem, „ & dolorem pectoris apicibus explicare.

S. Hieron. in hunc locum. *Vox ἀπορῶ quæ Vulgatus noſter Interpres vertit, confundor, Græcis ſignificat, hæreo, perplexus ſum inops ſum conſilii.* S. Hieronymus interpretatur. *Quoniam confundor in vobis.*

21. *Dicite mihi qui ſub Lege vultis eſſe, Legem non legiſtis?* Reſpondete mihi, vos qui jugum legis ultro ſubire vultis in perniciem veſtram, non intelligitis ſenſum legis? * Hic Legis nomine ſignificatur Geneſis hiſtoria de Abrahamo, ejuſque uxoribus, ac liberis contexta. Legimus & in alio loco Legis ſignificationem Prophetas & Pſalmos complecti. Audit porro legem, qui non ſuperficiem, ſed medullam ejus introſpicit. Non audit legem, qui ſimilis Galatis exteriorem tantum corticem ſequitur, ait S. Hieronymus.

* Non habeo ſtultis, quos ſolent de diſcipulis inoere Doctores, & ſine cauſa ſemen jactum eſt doctrinarum, cum penitus in vobis pateat ęgeſtatem.

22. 23. Scri-

** Jo. 15. 25. 1. Cor. 14. 21. Geneſ. 16. & 21.*

22. 23. *Scriptum eſt enim: Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera.* Non eſt ſine myſterio quod Scriptura narrat de duobus Abrahami filiis, Iſmaele ſcilicet, quem ex Agar ancilla, & Iſaac, quem de Sara libera uxore ſuſcepit. *Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt*, id eſt, per vires carnis, ſecundum conſuetum naturæ ordinem, quo gigni ſolent liberi, juſtis parentum ætatibus: *Qui autem ex libera, per repromiſſionem.* Qui ex libera, ſcilicet ex Sara, natus eſt vi promiſſionis divinæ Abrahamo & Saræ factæ, & fœcunditatis per miraculum illis ſubminiſtratæ, quibus jam nimium ſenibus & ſterilibus naſci non poterant liberi naturali virtute.

24. *Quæ ſunt per allegoriam dicta: Hæc enim ſunt duo Teſtamenta. Unum quidem in Sina, in ſervitutem generans: quæ eſt Agar.* Quæ quidem, præter hiſtoricum ſenſum, altius quiddam & ſpirituale ſignificat ex intentione Spiritus ſancti, quo inſpirante hæc ſcripſit Moſes. Agar enim & Sara ſigna ſunt & figuræ duorum Teſtamentorum, ſeu duorum fœderum, Veteris, & Novi. Quorum primum a monte Sina profectum, in quo Lex data eſt, filios generans ſervituti obnoxios, Judæos ſcilicet multiplicium ceremoniarum oneri ſubditos, & ſolo timore ſervili Legem obſervantes. Cujus fœderis ſeu Teſtamenti veteris typus eſt Agar ancilla.

25. *Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis.* Sina enim mons Arabiæ, in quo Lex data, ſignificatione conjunctus eſt terrenæ Jeruſalem: quia Sina typus eſt Judaici populi in ſtatum ſervilem geniti: qui populus Hieroſolymis ſedem fixit, ubi ceremoniarum Legis diligentior obſervatio. Qui autem nunc Jeruſalem habitant Judæi, & ſub veteri Teſtamento perſeverant, ſerviunt adhuc Legi in Sina datæ. Mons Sina in Arabia, longe extra fines terræ promiſſæ ſitus, mons horridus & incultus, aptiſſimus eſt ad vetus Teſtamentum ſignificandum, cujus proprium eſt timorem incutere, & ſervos facere promiſſionis exortes, & ab hereditate alienos. Mons ille Agar olim nuncupatus. Unde Græcus Textus habet: *Agar enim Sina mons eſt in Arabia &c.* Certe montem Sina non eſſe reipſa conterminum, confinem, contiguum Jeruſalem, Geographia demonſtrat: abeſt enim a Jeruſalem itinere viginti circiter dierum. Non igitur de locali conjunctione intelligendus eſt Apoſtolus, cum ait: *Qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt, Jeruſalem*: ſed de conveniente ſignificatione: quod Theodoretus paucis verbis exponit. *Etenim*, inquit, *ex monte Sina vetus Lex data eſt, juxta illum autem montem habitavit genus Agar. Ille autem mons convenit huic terreſtri Jeruſalem.*

26. *Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Cœleſtis vero Jeruſalem, quæ eſt Eccleſia Chriſtiana, cujus typus fuit Sara, libera eſt a ſervili jugo legis Moſaicæ, & hæc eſt mater noſtra, per baptiſmum nos generans in libertatem adoptionis filiorum Dei, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus ad Chriſtum converſos. Dicitur autem Eccleſia ſuperna Jeruſalem, ratione capitis, ſcilicet Chriſti qui e cœlis deſcendit, & rurſum in cœlos aſcendit, indeque Eccleſiam colligit & regit gratia ſua, & quærere docet ac facit quæ ſurſum ſunt. Confer cum Apocalypſis 21. 2. ubi dicitur: *Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo a Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.*

Iſ. 54. 1. ſecundum Verſionem LXX.

27. *Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis; quia multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Tu novi Teſtamenti Eccleſia, quæ uſque ad Chriſti adventum ſterilis fuiſti, & ex Gentibus pene nullos, ex Judæis autem pauciſſimos Chriſto filios, eoſdemque ſub ſervitutis velamine latitantes enixa es, lætare & in cantica laudis & gratiarum actionis erumpe: quoniam quæ hactenus ſolitaria fuiſti ac deſerta, nunc fœcunditate per Spiritum Chriſti donata, multo plures paries filios quam Synagoga legi Moſaicæ quaſi viro conjuncta.

28. *Nos autem, fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus.* Nos autem ad exemplum Iſaaci, qui non virtute carnis, ſed promiſſionis natus eſt, filii promiſſioni ſumus, *Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati*: ac proinde Legis Moſaicæ ſervituti obnoxii non ſumus, ſicut infideles Judæi, qui non, inſtar Iſaaci, promiſſionis filii ſunt ex libera; ſed, inſtar Iſmaelis, filii carnis ex ancilla.

Joan. 1.

** Luſum Iſmaelis cum Iſaac Geneſ. 21. 3. Apoſtolus perſecutionem vocat, quia Iſmael, quaſi major natu ſibi primogenita vendicabat, quod Sara non ſuſtinens, dicit Abrahamo: Ejice ancillam hanc & filium ejus. Non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Vel, Luſio illa, illuſio erat, ut loquitur, S. Auguſtinus. Irridebat Iſmael pietatem Iſaaci, fidemque promiſſionum divinarum: quod genus eſt perſecutionis, Peccati ſervitus.*

29. *Sed quomodo tunc, is qui ſecundum carnem natus fuerat*, ſcilicet Iſmael, *perſequebatur * eum qui ſecundum Spiritum*, id eſt per miraculum natus erat ex matre ſterili, nempe Iſaacum: *ita & nunc* carnales Iſraelitæ, Legis æmulatores, ſpirituales Iſraelitas, id eſt Chriſtianos odio habent & perſequuntur.

30. *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Quid Scriptura commemorat? Ejectam eſſe Agarem ancillam cum filio ſuo, Sara poſtulante, & Deo annuente, excluſumque ab hereditate Abrahami. Quo ſignificabatur repudiatio Synagogæ; & eos, qui ſub lege a Chriſto abrogata vivunt, ejuſque Ritibus ſerviunt, a vera juſtitia & cœleſti hereditate excludi.

31. *Itaque fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Nos Chriſtiani meminerimus nos non eſſe filios Synagogæ, nec addictos Legi ſignificatæ per ancillam Agarem, ſed filios Eccleſiæ myſticæ illius Jeruſalem, quæ ſurſum eſt, ſignificatæ per Saram liberam: ac proinde nos a jugo ceremoniarum legalium eſſe liberatos per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum.

C A P U T IV.

Senſus Moralis.

1. 2. 3. Q*Uanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus a patre. Ita, & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.* Quicumque in ſtatu peccati eſt, addictus eſt miſeræ ſervituti: puer eſt ſenſibus, rebus ſenſibilibus & terrenis inhæret, contempto Deo, rebuſque cœleſtibus poſthabitis. A dæmone regitur, non tutore, ſed proditore, non actore, ſed exactore. Eſto, elementa fidei ac pietatis noverit, ſervit tamen concupiſcentiis ſuis & peccatis. Sed etſi faciat interdum quæ legis Chriſtianæ ſunt, non facit ea dilectione juſtitiæ, ſed timore pœnæ, peccati ſervus, non liber juſtitiæ. Corticem & litteram legis non ſpiritum habet; ſub Chriſtiano nomine Judæis ſimilis eſt. *Recte hi ſub tutoribus & actoribus eſſe dicuntur, qui habentes ſpiritum timoris, necdum meruerunt Spiritum libertatis & adoptionis accipere.* Deum Patrem noſtrum in ſpiritu humilitatis & animo contrito oremus, ut nos in virum perfectum per gratiam ſuam creſcere faciat in Chriſto Jeſu, ut nos in libertatem filiorum aſſerat; ut nos ab elementis hujus mundi, ad perfectam Chriſtianæ Religionis intelligentiam, tum quoad dogmata, tum quoad officia, perducat: illa perfecte credere, hæc diligere & perſeveranter implere faciat; noſque tandem admittat præfinito tempore ad poſſeſſionem cœleſtis hereditatis.

S. Hieron. in hunc locum.

Incarnatio Chriſti. Varii exinanitionis ejus gradus. S. Th. lect. 2.

4. 5. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum de muliere, factum ſub lege, Ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Miſit Deus Filium ſuum in tempore, quem ab æterno genuit. Miſit convenienti tempore, qui tempori non ſubjacet. Tempus autem illud Incarnationis Chriſti congrue a Deo præordinatum eſt. 1. Ob magnitudinem ejus qui venturus erat, ut multis figuris & prophetiis homines ad ejus adventum, & ad tantum Myſterium credendum diſponerentur. *Paraturam deſiderabat ut credi poſſet*, ait Tertullianus. 2. Ob venientis conditionem: quia enim Medicus erat venturus, neceſſe erat ut ante adventum ejus convincerentur homines de gravitate morbi, & quantum ad defectum ſcientiæ in lege naturæ, & quantum ad virtutis defectum in lege ſcripta; & ideo conveniens fuit legem naturæ & legem ſcriptam præmitti Incarnationi Chriſti. Plenum autem dicitur illud tempus, *Ubi venit plenitudo temporis.* 1. Propter plenitudinem veritatis & gratiæ quam Chriſtus hominibus communicavit. *Vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.* 2. Propter impletionem figurarum veteris Legis. *Chriſtus* enim *finis legis & Prophetarum*, *non venit Legem ſolvere, ſed adimplere.* 3. Propter impletionem promiſſionum Dei. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una.*. *Miſit Deus Filium ſuum in mundum*: Hic primus exinanitionis Filii Dei gradus. 2. Homo factus eſt: en gradus alter. 3. Corpus aſſumpſit, non a Deo immediate formatum, ut primi Adami corpus, ſed *factum ex muliere*, via nativitatis & infantiæ, incrementis ætatis ſubditum, mortale: en tertium exinanitionis gradum. 4. Formam ſervi accepit, ſeque jugo legis ſubdidit: *Factum ſub lege*: en quartum exinanitionis gradum. 5. Seipſum offert Deo ut victimam ac pretium redemptionis peccatorum: *Ut eos qui ſub lege erant redimeret*; quintus hic exinanitionis gradus. 6. Servos ac peccatores filios Dei facit, & ad hereditatis conſortium admittit: *Ut adoptionem filiorum reciperemus*: Sextus hic exinanitionis gra-

Joan. 1.

Daniel. 9

gradus. Deum propter nos homines & propter noſtram ſalutem hominem factum, ex muliere Virgine natum, infantem, forma ſervi indutum adoremus, ejus humiliationem & obedientiam imitemur. Nihil faciamus indignum filiis Dei, ne ſimus degeneres, & immemores nobilitatis & dignitatis, ad quam per Chriſtum provecti ſumus. Documenta a Doctore juſtitiæ Chriſto in plenitudine temporis humano generi data ſectemur. „ Ipſa eſt plenitudo temporis, „ quando venit ille temporalia docere contemni, „ non habere magnum quicquid mali homines cupiunt, pati quicquid mali homines metuunt. Factus eſt via, revocavit ad cogitationem intimam, „ admonuit quid a Deo quærendum eſſet.

S. Aug. in Pſ. 72.

Effuſio Spir. ſancti in corda noſtra, fructus eſt Incarnationis Filii Dei.

S. Leo Serm. 73. De Pent. 1.

6. 7. *Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba, Pater. Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius. Quod ſi filius, & heres per Deum.* Effuſio Spiritus ſancti in corda noſtra, fructus eſt miſſionis Filii Dei in carne, fundamentum adoptionis noſtræ per ipſum principium totius commercii noſtri cum Deo per religionem. Hic eſt *Inſpirator fidei, doctor ſcientiæ, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, & totius cauſa virtutis.* Hic eſt orationum noſtrarum auctor. Clamare nos facit ad Deum cum fiducia, *Abba, Pater.* Fervor orationis, clamor cordis. Spiritus ſanctus pignus eſt æternæ hereditatis, filiis Dei adoptivis in cœlis repoſitæ. *Quod ſi filius, & heres per Deum.*

8. 9. *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non ſunt dii ſerviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti ſitis a Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* A ſtatu ignorantiæ & tenebrarum, ſcilicet ab Ethniciſmo, ad lucem Evangelii, a ſtatu ſervitutis ad ſtatum libertatis filiorum Dei per ejus miſericordiam vocati ſumus. Gratias agamus Deo & Patri, qui vocavit nos, & per baptiſmum membra unigeniti Filii ſui effecit, ut illi ſerviremus in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris. Quod ſi vocationi noſtræ non reſpondeamus, notum ſit nobis graviora eſſe peccata noſtra peccatis Paganorum, ſiquidem poſt Dei cognitionem, poſt tot ab eo collata in nos beneficia, iterum ad creaturas convertimur, in illiſque finem conſtituimus ſpreto Creatore? iterum ſervimus divitiis, voluptatibus, vanitati. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti ſitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?*

Vana & ſuperſtitioſa temporum obſervatio claudit nobis regnum Dei.

10. 11. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Nunc periculum non eſt ne Chriſtiani cum Judæis Sabbata, Neomenias, Azymorum dies, annos ſabbaticos, aliaque id genus obſervent, ſed metuendum eſt ne in alias ſuperſtitiones, præſertimque dierum, quos fauſtos vel infauſtos, populari errore eſſe credunt, vanam obſervationem labantur, & naufragium faciant Chriſtianæ libertatis. Ad hos etiam pertinet illa Apoſtoli ſententia: *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* „ Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus. Uſitata „ vero pro quibus Filii Dei ſanguis effuſus eſt, „ quamlibet magna ſint, & omnino claudi contra „ ſe faciant regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur: atque utinam, o Domine, non omnia quæ „ non potuerimus prohibere, faciamus (ait hac occaſione S. Auguſtinus, vanam & ſuperſtitioſam temporum obſervationem ex eorum numero peccatorum eſſe docens, *quæ omnino contra ſe claudi faciunt regnum Dei.*)

S. Auguſt. in hunc locum.

Divinæ animarum medicinæ ratio.

12. 13. 14. *Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos, nihil me læſiſtis.* Nunc acrioribus & fortioribus remediis, nunc ſuavioribus utendum eſt ut medeamur morbis animarum. Hæc divinæ medicinæ ratio, cujus miniſtri ſunt & adjutores Paſtores & Rectores animarum. Hujus præbet exemplum Apoſtolus Galatarum ſpirituales morbos curans. „ *Obſecro vos, fratres,* &c. Quæ verba nos ad „ humilitatem provocant, & ſupercilium decutiunt „ quorumdam Prælatorum, qui velut in aliqua ſublimi ſpecula conſtituti, vix dignantur videre „ mortales, & alloqui conſervos ſuos. Diſcant ab „ Apoſtolo errantes & inſipientes Galatas fratres vocari. Diſcant poſt increpationem blanda verba dicentis, *Obſecro vos,* injurias ſibi illatas non exaggerent Paſtores: ſubditorum culpas aliquando diſſimulent, recta ipſorum facta laudent interdum & commendent, verba ſolatii neceſſariis increpationibus admiſceant, & eorum fiduciam ſibi conciliare ſtudeant Paſtoralis caritatis ſignificatione. *Nihil me læſiſtis. Scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem, & tentationem veſtram in carne mea non ſprevistis, neque reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum.* Caveant Chriſtiani ne Paſtores ſuos lædant. *Lædit diſcipulus magiſtrum, ſi per negligentiam ſuam præcepta ejus laboremque diſperdat.* Caveant ne illos contemnant propter ignobilitatem, inopiam, ſermonis inelegantiam, aut alios corporales defectus; multo minus, propter calamitates; ſed revereantur illos ſicut Angelos Dei, ſicut Chriſtum Jeſum. Evangelii miniſterium opus eſſe crucis, & per crucem impleri noverint.

S. Hieron. in hunc locum.

S. Hieronym.

Veritatis amor.

S. Auguſt. in

16. *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* Infinitus eorum numerus eſt, qui *Veritatem amant lucentem, oderunt eam redarguentem.* Speculativas veritates pauci ſunt qui non diligant: practicas pauci qui ament & amplectantur. „ Verumtamen obſequium quo putatur amicos fieri veritate dempta, non tam obſequium eſt, quam adulatio: quas clandeſtinas inimicitias, magis quam „ amicitias dici debere, perſpicuum eſt: ſimul autem conſiderandum, quod hodie quoque quandiu „ parvulis atque lactentibus juxta literam Scripturas explanamus, laudamur, ſuſpicimur, admirationi habemur. Cum autem paululum cœperimus „ eos provocare ut tranſeant ad majora, de præconibus noſtris inimici fiunt, & malunt Judæos potius quam Apoſtolos ſequi (ait Sanctus Hieronymus.) Amicos amittere & inimicos facere durum eſt: ſed inimicam ſibi facere veritatem, illam in injuſtitia detinendo, & illam ignavo ſilentio prodere, cum prædicanda & propugnanda eſt, longe periculoſius, & omnino damnabile. Ipſa eſt enim quæ nos judicabit in noviſſimo die.

S. Hieronym.

Boni Paſtores in bono ſemper imitandi.

18. *Bonum æmulamini in bono, ſemper, & non tantum cum præſens ſum apud vos.* Qui ſuis Paſtoribus, & Directoribus ſolo boni ſpiritualis & virtutis amore adhæret, quia per arctam viam, quæ ſola tuta eſt, Animas ad Chriſtum ducunt, quia cupiditati nuſquam blandiuntur, quia mundum cum Evangelio conciliandi artem non noverunt; quia regulas Apoſtolicas, non humanas opiniones & probabilitates in directione ſequuntur; quia eorum vita a prædicatione & directione non diſcordat: illos æmulantur ſive imitantur *in bono*, ſemper, ubique. Non ita Galatæ, qui Pſeudo-apoſtolos imitabantur, ſed non in bono: Apoſtolum autem ſuum Paulum aliquando fuerant æmulati, ſed non diu, & præſentem duntaxat, non abſentem. Idem in Miſſionibus evenit, quas Epiſcopi ſuis in Diœceſibus pro officio reſidentes, & ſacras Viſitationes ſedulo obeuntes ſuis ovibus procurant. Nam ſi quando Concionator ſermone ornatus & vita Miſſioni prafuerit, qui audientes quaſi ſtimulis quibuſdam concitet ad virtutes; ſi Parochus hujus caracteris populum Chriſtianum rexerit: videmus omnem plebem circa eleemoſynas, orationes, jejunia, caſtitatem, Sacramentorum frequentationem, ſuſceptionem pauperum, aliaque bona opera feſtinare, fervere, diſcurrere. Cum autem illi receſſerint, paulatim emarceſcere, & quaſi ſubtracto cibo, tenuari, pallere, langueſcere, & interitum ſequi omnium quæ prius vigebant. Quamobrem quia meſſis multa, boni autem operarii pauci: precemur Dominum meſſis, ut mittat operarios ad metendum: ut ſpicas populi Chriſtiani, quæ ſtant in Eccleſia futuro tritico præparatæ, metant, colligant & in horrea comportantes, nequaquam perire patiantur.

S. Hieronym.

1. Cor. 4.

Matris affectum cum paterna ſolicitudine conjungere debent, Rectores animarum.

S. Hieron. in hunc locum.

19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Teneritudinem matris affectum cum paterna ſolicitudine conjungere debent Animarum Paſtores, exemplo Apoſtoli Pauli, qui cum alibi dixiſſet: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres: Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui:* jam non quaſi pater, ſed ut mater loquitur in Chriſto, ut utriuſque anxietatem & pietatem in ſe parentis agnoſcat. Semel filios ſuos parturit mater, Paſtor toto vitæ ſuæ decurſu. Per baptiſmum & pœnitentiam Chriſto membra pariuntur, ſed ſemper in eis imago Chriſti Paſtorum curis reformanda eſt. „ Quis „ noſtrum (ait S. Hieronymus) ita de diſcipulorum „ anxius eſt ſalute: ut non paucis horis, aut ut „ multum biduo triduove, ſed toto vitæ ſuæ tempore torqueatur, donec Chriſtus formetur in eis? Quod liberi non procreentur, cauſa interdum eſt impotentia patris, aliquando ſterilitas matris, nonnumquam utriuſque ad generandum ineptitudo; tunc autem liberi procreantur, cum vir & uxor fœcundi ſunt. Idem proportione ſervata contigit in Paſtoribus & Concionatoribus, qui verbum Dei ſeminant: *Ut impleat quidem ſuum Doctor officium, ſed ſit ſterilis auditor: vel auditor bonæ indolis ſit, ſed per imperitiam Doctoris verbi ſemen intereat: aut certe tam vecors ſit qui docetur, quam ille eſt qui*

præcipit: raroque contingit ut & Magiſter & diſcipulus ſibi conſentiant, ſcilicet ut tantum iſte doceat, quantum ille poſſit haurire: vel tantum ſuſcipere doctus, quantum Doctor ingerere.

S. Greg. lib. 30. Moralium cap. 9. & 10.

Filioli, quos iterum parturio, &c. „ Pauci obſervant quantus labor ſit in prædicationibus ſanctorum Paſtorum, quantis doloribus, quaſi quibuſdam conatibus animas in fide & converſatione parturiunt, quam cauta ſe obſervatione circumſpiciunt, ut ſint fortes in præceptis, compatientes in infirmitatibus, in minus terribiles, in exhortationibus blandi, in oſtendendo magiſterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adverſitatibus rigidi, & tamen dum vires ſuas ſibimet non tribuunt, infirmi: quantus ſit eis dolor de cadentibus, quantus de ſtantibus timor; quo fervore alia adipiſci appetunt, quo pavore alia adepta conſervant. Hi ſanctorum Paſtorum & Doctorum affectus: qui propterea cervis parturientibus comparantur, ut ad verba illa Job 39. *Numquid parturientes cervas obſervaſti?* S. Gregorius M. ediſſerit. *Illi*, inquit, *veri Doctores ſunt, qui cum per vigorem diſciplinæ patres ſunt, per pietatis viſcera eſſe matres noverunt. Qui labores ſanctæ conceptionis tolerant, & proferendos Deo filios intra uterum caritatis portant. In edenda enim prole amplius matres laborant, quæ creſcentem intra uterum conceptionem longo menſium tempore ſuſtinent, & quæ ex utero procedentem non ſine magnis doloribus deponunt.*

Idem ibidem.

20. *Vellem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.* Ecce mutare vult vocem in partu ſuo, ut prædicationis ſermo in rugitum vertatur doloris. „ Vult mutare vocem ſuam, quia quos prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualis in ejus cervæ partu rugitus fuit, quæ diu conceptos filios cum tot difficultatibus peperit, & quandoque partus ad malitiæ uterum rediiſſe cognovit? Conſideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ & poſtquam potuit concepta edere, rurſum compulſa eſt extincta ſuſcitare.

Veteris & Novi Teſtamenti diſcrimen.

22. 23. 24. 26. *Scriptum eſt, quia Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera*, &c. *Quæ ſunt per allegoriam dicta: Hæc enim ſunt duo Teſtamenta: Unum quidem in monte Sina in ſervitutem generans, quæ eſt Agar. Illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Exceptis Sacramentis & ceremoniis quæ ſola ſignificandi ratione in Lege veteri ſunt præcepta, cetera quæ ad pietatem bonoſque mores pertinent, maximeque præcepta Decalogi, in Evangelica Lege renovata Chriſtianos, etiam omnes ſpectant, non ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutos. „ Verum hæc plane magna diſtantia eſt, quod faciunt iſta ſub lege poſiti, quos littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiſcendi, vel timore amittendi: & ideo non vere faciunt; quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potius vel augetur, cupiditate alia non ſanatur. Hi ad vetus pertinent Teſtamentum, quod in ſervitutem generat; quia facit eos carnalis timor & cupiditas ſervos, non evangelica fides & ſpes & caritas liberos. Sub gratia vero poſiti, quos vivificat Spiritus, ex fide iſta faciunt, quæ per dilectionem operatur, in ſpe bonorum, non carnalium, ſed ſpiritualium, non terrenorum, ſed cœleſtium, non temporalium, ſed æternorum; præcipue credentes in Mediatorem, per quem ſibi non dubitant & Spiritum gratiæ ſubminiſtrari, ut bene iſta faciant, & ignoſci poſſe cum peccant... Teſtamentum vetus pertinet ad hominem veterem, a quo neceſſe eſt hominem incipere: Novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetuſtate tranſire. Ideo in illo ſunt promiſſa terrena, in iſto promiſſa cœleſtia: quia & hoc ad Dei miſericordiam pertinuit, ne quiſquam vel ipſam terrenam qualemcumque felicitatem, niſi a Domino Creatore univerſitatis putet cuiquam poſſe conferri. Sed ſi propter illam colatur Deus, ſervilis eſt cultus, pertinens ad filios ancillæ: ſi autem propter ipſum Deum, ut in æterna vita ſit Deus omnia in omnibus, liberalis eſt ſervitus, pertinens ad filios liberæ, quæ eſt mater noſtra æterna in cœlis; quæ prius tamquam ſterilis apparebat, quando perſpicuos filios non habebat; *nunc autem videmus quod de ea Prophetatum eſt.*

S. Aug. lib. 3. ad Bonifacium, cap. 5.

27. *Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Qui Eccleſiam ut matrem diligit, de illius fœcunditate & incrementis lætatur, & Deo gratias agit. Infelix fœcunditas Synagogæ, quæ ſervos ſub Lege generabat! Fœlix fœcunditas Eccleſiæ, quæ tot reges parit quot filios per Spiritum caritatis! A libertate matris noſtræ ne ſimus degeneres, peccato ne ſerviamus, Dei mandata ne metu pœnarum, ut ſervi, ſed caritate impleamus, ut liberi. *Hæc enim eſt apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, timor & amor.*

S. Auguſt. lib. Contra Adimantum, c. 16

29. *Sed quomodo tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum Spiritum, ita & nunc.* Pacem cum carnalibus Chriſtianis ſe in hoc mundo habituros ne ſperent filii gratiæ, filii promiſſionis, cœleſtis Jeruſalem heredes. Studiorum, affectuum, morum, finium tanta diſſimilitudo concordiam non patitur. *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur.* „ Verum faciant quod voluerint carnales homines, & cum Iſmaele perſequantur Iſaac, ejicientur foras cum ancilla matre Ægyptia: nec accipient hereditatem, quam ſolus qui de repromiſſione natus eſt, conſequitur. Sed obſervandum quod Apoſtolus ait, Eum, qui ſecundum carnem natus eſt, perſequi ſpiritualem. Numquam enim ſpiritualis perſequitur carnalem, ſed ignoſcit ei quaſi ruſticano fratri; ſcit eum proficere poſſe per tempus. Et ſi quando Ægyptiæ filium viderit iraſcentem, recordatus unius patris. Cum patientia toleremus filios diſcordiæ & cupiditatis: appropinquat æternitas, in qua nullos concives habebimus præter filios unitatis, pacis & charitatis.

2. Timoth. 3. 12.
S. Hieron. in hunc locum.

31. *Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Libertas ad bene agendum & ad Deum diligendum primi peccati granditate in Adamo perdita, non redit niſi per gratiam Salvatoris, qua ſanatur & adjuvatur voluntas. Primi hominis peccato liberum arbitrium de humano genere funditus periiſſe, nemo niſi hæreticus dixerit. *Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam. Propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino.* „ Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: *utique liberi ad bene juſteque vivendum. Nam liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant & amore peccati, hoc eis placet quod eos libet. Unde & Apoſtolus*, cum eſſetis, *inquit*, ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ, &c. „ Nunc autem liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. *Liberos dixit juſtitiæ, non liberatos, a peccato autem non liberos*, ſed vigilantiſſime maluit dicere *liberatos ne ſibi hoc tribuerent.* Liberum igitur arbitrium liberum in bono non erit, quod *Liberator non liberavit: ſed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifeſtus deceptor inſeruit, vel ſibi ipſe perſuaſit.* Qui gloriam libertatis ad bonum ſibi tribuunt, non gratiæ medicinali Chriſti: & quicumque libertate ſua contra Liberatorem noſtrum abutuntur, in ſervitutis miſerrimam conditionem relabuntur. Vere liberi ſumus, cum Deo caritate ſervimus. *Libera ſervitus eſt apud Dominum, libera ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed caritas ſervit... Simul es & ſervus & liber: ſervus, quia factus es; liber, quia amaris a Deo a quo factus es: immo etiam inde liber, quia amas eum a quo factus es.* Hæc libertas eſt novi Teſtamenti, *Qua libertate Chriſtus nos liberavit.* IPSA *eſt vera libertas propter recti facti lætitiam, ſimul & ipſa ſervitus propter præcepti obedientiam.*

Liberum arbitrium in peccatore penitus non periit.
S. Aug. paſſim, ſed & in primis lib. 1. Ad Boniſac. cap. 2.
Joann. 8. 36.
Rom. 6. 20.
Vere liberi ſumus, cum Deo caritate ſervimus.
S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 99. n. 7.
Enchirid. cap. 30.

CAPUT V.

Senſus Litteralis.

STate, *& nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* Stare in libertate qua Chriſtus per mortem ſuam vos donavit, nec patiamini vobis iterum imponi jugum ſervitutis, vos adſtringi duro legalium ceremoniarum jugo, ſervis congruente, non liberis.

Græci hoc verbum, *ſtate*, ad poſtremum ſuperioris capitis verſum referunt, ſic legentes: *Libertate igitur qua Chriſtus vos liberavit, ſtate.*

2. *Ecce ego Paulus dico vobis: Quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Ego Apoſtolus veſter, auctoritate a Chriſto mihi data, vobis denuncio, quod ſi vos circumcidi procuratis, juſtitiam ex circumciſione exſpectantes, eamque ad ſalutem neceſſariam eſſe credentes, Chriſti paſſionem & mortem vobis inutilem reddetis, nec ejus beneficiorum eritis participes. Hanc ſententiam opponit Apoſtolus errori Pſeudo-apoſtolorum dicentium: *Niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.* Hæc autem ſententia, *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis* proderit, ad Chriſtianos ex Gentibus converſos refertur, non ad eos qui ex Judæis ad Chriſtum converſi erant. His enim legis ceremoniæ, etſi mortuæ, nondum tamen erant mortife-

Act. 15. 1.

mortife-

Digitized by Google

tiferæ. Filios ergo ſuos tunc circumcidere poterant, tum ut Synagogam ad ſepulcrum honorifice deducerent, tum ut infirmorum ex Judæis fratrum offenſionem vitarent. Quam ob cauſam Paulus Timotheum circumcidit. Ratio autem cur Chriſtus circumciſis profuturus non ſit, hæc eſt. Qui circumciditur, tanquam legem metuens circumciditur. Eam qui metuit, diffidit viribus gratiæ. Porro qui diffidit, nihil fructus capit ab ea cui diffidit.

Act. 16.

3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Iterum denuncio omni homini inter vos Gentiles ſe circumciſioni ſubjicienti, illum teneri ad totius Legis Moſaicæ obſervationem, cujus ipſa circumciſio profeſſio eſt. Legis enim præcepta inter ſe cohærent. Et qui ex libero deſcriptus eſt in ſervitutem, non amplius facit quæ vult, ſed omnibus ſervituris legibus obſtrictus eſt. Idem accidit in lege: ubi puſillam aliquam legis partem ceceperis, teque ipſum jugo ſubmiſeris, totum illius dominatum tibi acceſſiſti. Idem fit in hereditate mundana. Qui nihil attigit, ab omnibus liberatus eſt negotiis, quæ ſequuntur defuncti hereditatem. Quod ſi aliquid attigerit, etiamſi non acceperit omnia, omnibus tamen ſeſe obſtrinxit, qui partem attigit. Idem accidit in lege. Ideo ait Apoſtolus: *Debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Quod ſi lex habet auctoritatem, noli partem implere, ſed totam. Si non habet auctoritatem, ne partem quidem ſervare velis.

S. Chryſoſt. in hunc locum.

S. Chryſoſt.

4. 5. *Evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini, gratia excidiſtis.* Quicumque ex lege juſtitiam quæritis & exſpectatis, a Chriſto excluſi eſtis, nullam cum eo partem habetis, nihil beneficii vobis ab ipſo ſperandum eſt, gratiam ejus perdidiſtis, Evangelio renunciaſtis, quod juſtitiam & ſalutem per fidem in Chriſtum hominibus conferri docet. *Nos enim Spiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus.* Nos qui vere & ex animo Chriſtum colimus, ſperamus juſtitiam per Spiritum ſanctum nobis conferendam vi fidei qua in Chriſtum auctorem juſtitiæ credimus, non ex lege, non ex circumciſione.

6. *Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per dilectionem operatur.* In Chriſtiana Religione nihil confert ad juſtitiam & ſalutem quod aliquis ſit circumciſus vel incircumciſus: ſed plurimum valet fides per caritatem animata, fides viva & actuoſa. Confer cum *Jacobi 2. Verſ. 14. & ſequ.* Tertullianus legit: *Sed fides quæ per dilectionem perficitur.*

Tertul. lib. 5. Contra Marcion. c. 4.

7. 8. *Currebatis bene, quis vos impedivit non obedire veritati?* In ſtadio fidei & pietatis magna cum alacritate currebatis; egregie proficiebatis in via & doctrina Evangelii: quis ita vos tranſverſos egit, ut impediret ne veritati Evangelii obediretis? Quis vobis perſuaſit ut ad Judaiſmum retrocederetis? *Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos.* Error iſte, quem vobis perſuaderi paſſi eſtis, non eſt a Deo, qui jam ante vos ad veritatem Evangelii vocavit: Deus enim ſibi ipſi non poteſt eſſe contrarius: eſt ergo a diabolo, ejuſque miniſtris, qui ſaluti veſtræ inſidiantur.

9. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Modicum fermentum cum farina conſperſum totam maſſam ſuo ſapore imbuit. Ne igitur parvis paucorum hominum, qui ex Judæa venientes, aliud doceant quam a nobis accepiſtis, inſidias eſſe contemnendas. Perverſæ enim doctrinæ vel modica portio a Pſeudo-apoſtolis Evangelicæ doctrinæ admiſta, ſinceritatem ejus corrumpet, ac totum Eccleſiæ veſtræ corpus inficiet.

S. Hieron. & S. Auguſt. in hunc locum.

10. *Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud ſapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque eſt ille.* De Domini erga vos bonitate & gratia ſpero, quod non patiemini vos abduci in ſententiam contrariam doctrinæ, quam ex ore meo audiviſtis. Quicumque autem vos conturbant, nova dogmata ferentes, quibuſcumque titulis ſe ornaverint, ut vobis fucum facerent, juſtas pœnas luent.

11. *Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis.* Si poſt meam ad Chriſtum converſionem, adhuc circumciſionis neceſſitatem prædico (quod Pſeudo-apoſtoli conſtituunt) cur perſecutionem patior a Judæis, ſola legis æmulatione mihi infenſis? Ergo ceſſavit ſcandalum crucis, id eſt Chriſti crucifixi prædicatio deinceps Judæos non offendet. Non enim prædicatione crucis tam offenduntur, quam Legis per Chriſtum crucifixum abolitæ aſſertione. Vel, Si circumciſionem adhuc prædico, legaleſque ceremonias ad juſtitiam eſſe neceſſarias: ergo abolita eſt virtus crucis & paſſionis Chriſti, quæ Judæis ſcandalum eſt: ſiquidem non ex fide Jeſu Chriſti, ſed ex Legis ceremoniis juſtificamur. Nam, ut ſupra dictum eſt, *Si ex Lege juſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.*

S. Hieron.

12. *Utinam & abſcindantur, * qui vos conturbant.* Vox eſt comminantis, immo Apoſtolica auctoritate denunciantis quam pœnam mereantur falſi Doctores. Utinam a conſortio veſtro abſcindantur per excommunicationis gladium, quod præjudicium quoddam eſt extremi judicii, qui vos labefactant, & a libertate per Chriſtum vobis parta deturbare conantur. Confer cum 1. ad Corinth. 5. ubi de inceſtuoſo Corinthio ſcribit: *Ut tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit..... Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum..... Auferte malum ex vobis ipſis.* Hoc ſenſu Apoſtolicam ſententiam, in cujus expoſitione verſamur, Innocentius I. Romanus Pontifex intelligendam cenſuit, ut ex illius Epiſtola ad Patres Synodi Milevitanæ compertum eſt, qua Pelagium & Cœleſtium hæreticos *Eccleſiaſtica Communione privari, apoſtolici vigoris auctoritate* decernit *donec reſipiſcant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ſecundum ipſius voluntatem; eoſque interim dominico ovili non recipi, quia ipſi perverſa viæ ſecuti tramitem, deſerere voluerunt. Abſcindendi ſunt enim qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.... Abjiciat atriis Domini, careant cuſtodia paſtorali, ne duarum ovium diru contagia ſerpant forſitan per incautos inceſſatam.*

S. Auguſt. Cap. 2. 11.
** S. Chryſoſt. Theodoretus, aliique Græci commentatores, & S. Hieronymus, alium ſenſum S. Paulo tribuunt, Apoſtolico (ut videtur) ſpiritu minus dignum: Utinam non ſolum circumcidantur, ſed pudendorum totali abſciſſione plectantur, qui vos conturbant:* Vviligothicum potius quam Apoſtolicum ſtylum ſapit hujuſmodi comminatio. *L. g. Vviligot. 12. Illi vero qui carnis circumciſione in Judæis* [illegible] *Chriſtianis exercere* [illegible] *implerant, quiſquis hoc non* [illegible] *aut fieri ab altero permiſerit ſibi veretri ex toto amputatione plectetur.* Non me latet SS. Auguſtinum & Innocentium Apoſtoli maledictum in [illegible] vertere & ſic interpretari: *Utinam ſicut* [illegible] *propter regnum cælorum,* [illegible] Sed hæc interpretatio litteræ minus convenire videtur.

13. *Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem Spiritus ſervite invicem.* Vos in ſtatum libertatis a jugo Legis Moſaicæ vocati eſtis a Chriſto Jeſu. Veruntamen libertatem vobis datam ne putetis agendi quicquid libuerit, & vivendi ſecundum carnem, ſeu indulgendi cupiditatibus & affectibus carnis: immo per charitatem a Spiritu ſancto in cordibus veſtris diffuſam, vobis mutuo ſervite. Qui enim vere amat, nec ſervire recuſat ei quem amat.

14. *Omnis enim Lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Omnis Lex quatenus præcepta moralia complectitur, generali illo caritatis præcepto impletur: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Omnis homo proximus noſter eſt, non propinquitate ſanguinis, ſed ſocietate rationis. Dilectionem Dei non excludit Apoſtolus, ſed ſupponit ut radicem & finem dilectionis proximi. Unum enim ſine altero impleri non poteſt: ſed ſolum de proximi dilectione præceptum Apoſtolus hic commemorat, & *Rom. 13. verſ. 8.* „ quia de dilectione Dei „ poſſunt mentiri homines, quia rariores tentationes „ eam probant; dilectionem autem proximi facilius „ convincuntur non habere, dum inique cum hominibus agunt. Conſequens eſt autem ut qui ex toto „ corde, ex tota anima, ex tota mente diligit Deum, „ diligat & proximum ſicut ſeipſum; quia hoc jubet ille quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, id eſt, omnem „ hominem, tanquam ſeipſum, quis poteſt, niſi „ Deum diligat, cujus præcepto & dono dilectionem proximi poſſit implere? Cum igitur utrumque præceptum ita ſit, ut neutrum ſine altero „ poſſit teneri, etiam unum horum commemorare „ plerumque ſufficit, cum agitur de operibus juſtitiæ: ſed opportunius illud, de quo quiſque facilius convincitur. Unde Joannes dicit: *Qui enim „ non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem „ non videt, quomodo poteſt diligere?*

S. Aug. l. in hunc locum.
1. Joan. 4. 20.

15. *Quod ſi invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini.* Si vos mutuo mordetis & devoratis contentionibus, detractionibus, calumniis, cavete ne vos mutuo perdatis, & ab æterna ſalute excidatis. „ Vitio contentionis & invidentiæ perniicioſæ diſputationes inter Galatas nutriebantur, „ male de invicem loquendo, & quærendo quiſque „ gloriam ſuam, vanamque victoriam, quibus ſtudiis conſumitur ſocietas populi, dum in partes diſcinditur.

S. Aug. in hunc locum

16. *Dico autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Dico igitur vobis: Ductum Spiritus ſancti ſequimini, & ſecundum ejus inſtinctum Chriſti doctrinæ ſemper conformem vitam inſtituite: & deſideria ſeu concupiſcentias carnis, id eſt, quod caro contra rationis ordinem & Dei legem concupiſcit, non perficietis, nec opere, nec conſenſu.

Hic hoc loco perperam intelligebant Manichæi, dum [illegible] naturas contrarias per ſe principiis conſtituentes, unam bonam, alteram malam.

17. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Carnalis concupiſcentia, quam ex Adam traximus, & quæ, etiam poſt baptiſmum, in nobis manet ad agonem, excitat & commovet in nobis prava deſideria Spiritui ſancto contraria: & Spiritus ſanctus in nobis excitat pia & ſancta deſideria, quæ carnis, id eſt, naturæ corruptæ deſideriis contraria ſunt. Hæc autem, ſcilicet caro & Spiritus contrariis motibus & deſi-

deſideriis Ita pugnant inter ſe in hominibus juſtis, e quorum numero vos eſſe confido, ut non omnia, quæ vultis, bona ſine difficultate, & repugnantia carnis, faciatis; nec pravis concupiſcentiæ motibus, quos non ſentire velletis, in hoc mortali corpore penitus careatis. Confer cum *Roman.* 7. Verſ. 18. & 19. *Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.* Carnis nomine, ſignificari ab Apoſtolo propenſionem animi ad deteriora: nomine autem Spiritus, inhabitantem gratiam, quæ animam ad præſtantiora deducit, Theodoretus interpretatur: & hæc verba, *Ut non quæcumque vultis, faciatis*, imperative accipit, ut ſit ſenſus: *Ne ſequamini malas cogitationes, id eſt, has vincite adjuti a gratia Spiritus.*

18. *Quod ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub Lege.* Si ductum Spiritus ſancti vos moventis & agentis ſequimini, non eſtis ſub Lege, quæ Spiritum ſanctum non dabat: non eſtis ſub lege premente, terrente, vindicante: quin Spiritus ſancti impulſu & gratia libenter & delectabiliter facitis quod Lex præcipit.

Opera carnis.

19. 20. 21. *Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Actus ad quos excitat caro, ſeu opera hominum ſecundum carnem viventium, nota ſunt omnibus ipſo naturæ lumine, ſi ad illud attendant, nec tenebris obſcuratum habeant intellectum. Manifeſtum eſt (inquam) fidelibus hæc non Spiritus ſancti impulſu, ſed carnis inſtigatione fieri. Hæc autem ſunt, *fornicatio*, ſeu omnis concubitus viri cum femina extra nuptias legitimas; *immunditia*, id eſt, omnis libido contra naturam; *impudicitia, luxuria*, id eſt, omnia libidinum incitamenta, cogitationes, aſpectus, verba, oſcula, tactus impudici. *Idolorum ſervitus*, ſeu falſorum numinum cultus; *veneficia*, ſeu veneni procurationes, & maleficia ſeu opera magica, per quæ ex pacto cum dæmonibus inito nocumenta inferuntur hominibus; *inimicitiæ*, odium proximi, odium (inquam) non vitiorum, ſed hominum; *contentiones*, verbis probroſis, & inimico animo; *æmulationes*, quibus contendimus palmam & honorem aliis præripere; vel dolemus quod iis, quæ nos concupiſcimus, alii potiantur, nos careamus; *iræ*, immoderatæ, & ad vindictam exardeſcentes; *rixæ*, vitium quo quis ſemper ad contradicendum & contendendum paratus eſt cum diſpendio charitatis; *diſſenſiones*, ſeu diſſidia domeſticorum, civium, fidelium, non in Religionis dogmatibus, ſed in iis quæ Eccleſiæ diſciplinam, aut politiam civilem, vel rectam familiæ inſtitutionem & pacificam adminiſtrationem, concordemque convictum ſpectant; *ſectæ*, ſeu diſſidia opinionum in doctrina Religionis, hæreſes, & ſchiſmata; *invidiæ*, ſeu dolor de bonis alienis. Invidus alium felicem eſſe ægre patitur; qui vero æmulatione agitur, non dolet de alienis bonis aut felicitate, ſed eum præcellere impotenter cupit. *Homicidia*, in quæ iræ, & rixæ frequenter deſinunt; *ebrietates*, ſeu ingurgitatio vini, aut cujuſcumque potus inebriantis, etiam citra rationis deliquium; *comeſſationes*, ſive exceſſus circa cibos, ſeu epulæ nullius neceſſitatis, ſed voluptatis tantum cauſa: *& his ſimilia, quæ prædico vobis*, abſens per epiſtolam, ſicut præſens viva voce *prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Qui hujuſmodi peccata committunt deliberato conſenſu, etiamſi forte opere externo implendi facultas non detur, regnum Dei hereditare non poſſidebunt, niſi ante finem vitæ pœnitentia deleantur.

Græcus Textus *mœchiam* ſive *adulterium* fornicationi præmittit, *impudicitiam* prætermittit, *immunditiem* & *laſciviam*, ſeu *luxuriam* Græce ἀσέλγειαν, tantum habet. Impudicitia igitur & luxuria uno vocabulo Græco reſpondentes, ex diverſis Verſionibus Latinis acceptæ, ſimul junctæ ſunt in Vulgata noſtra: *homicidia* nec in Textu, nec in Commentario *impudicitiam* agnoſcit, ſed *immunditiam* tantum & *luxuriam*. Græco Textui conſonat Syriaca Verſio. S. Hieronymo S. Auguſtinus lib. 14. *De Civit. Dei*, cap. 2. & in Commentario concordat.

S. Thomas, Lect. 5.

Obſervandum cum S. Thoma, omnia peccata hic ab Apoſtolo enumerata eſſe aliquo modo mortalia, quædam ſecundum genus ſuum, ſicut homicidium, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolatria, veneficia, ebrietates, & alia hujuſmodi: quædam vero ſecundum ſuam conſummationem, & alia hujuſmodi: quædam vero ſecundum ſuam conſummationem, ut ira, cujus conſummatio eſt in nocumentum proximi; unde accedente conſenſu in ipſum nocumentum, eſt peccatum mortale. Similiter comeſſatio ordinatur ad delectationem cibi, in qua ſi quis finem ſuum conſtituat, ut illi *quorum Deus venter eſt*, mortalis peccati reus eſt.

Fructus Spiritus ſancti.

22. 23. *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujuſmodi non eſt lex.* Opera, quæ Spiritus ſanctus in nobis producit, quæ ob ſpiritualem utilitatem & delectationem, fructus appellantur, ſunt *caritas* erga Deum & proximum, quæ reliquorum radix eſt & origo, legiſque complementum; *gaudium*, utique ſpirituale, quod Apoſtolus noſter alibi vocat *gaudium in Spiritu ſancto*, hoc eſt de iis bonis quorum auctor eſt Spiritus ſanctus, & quæ ad noſtram vel aliorum ſanctificationem ſpectant; *pax*, quæ eſt in bono, & ad bonum cum aliis tranquillitas; *patientia*, quam nemo habet, niſi qui fervet diligendo; *benignitas*, ſeu humanitas, virtus blanda, lenis, tranquilla, omnium bonorum apta conſortio, invitans ad familiaritatem ſuam, dulcis alloquio, moribus temperata, ait S. Hieronymus; *bonitas*, qua vir Chriſtianus non ſolum a nocumentis abſtinet, ſed & prodeſſe ac benefacere omnibus paratus eſt; *longanimitas*, ſeu perſeverantia in bono; *manſuetudo*, quæ iras, rixas, & contentiones moderatur; *fides*, ſeu fidelitas & veracitas in promiſſis pactiſque ſervandis, quæ eſt fundamentum juſtitiæ; *modeſtia*, quæ dictis & factis modum imponit, ut nihil torvum aut elatum ſit in oculis, nihil in verbis procax, nihil in nutu inverecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior; *continentia*, non tantum a venereis, ſed a cibo & potu, *caſtitas*, quæ præcipua ſpecies eſt continentiæ. Adverſus homines, in quibus Spiritus Sanctus hujuſmodi fructus parit, non eſt lex arguens, maledicens, damnans, & puniens; immo & ipſis regnum Dei paratum eſt.

Novem tantum fructus Spiritus ſancti Græcus Textus habet. *patientiam, modeſtiam, & caſtitatem* prætermittit. Conſentiunt Græci Patres, necnon *S. Hieronym.* & *S. Auguſt.* in Commentar. & *Tract.* 87. *in Joann.* Conſentiunt etiam Commentatores eadem vocabula Græca a diverſis variomodo fuiſſe tranſlata, ut μακροθυμίαν, *patientiam & longanimitatem*, πραΰτητα, *modeſtiam & manſuetudinem*, ἐγκράτειαν *continentiam & caſtitatem*.

24. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Qui Chriſti Spiritu aguntur, carnalem concupiſcentiam cum pravis affectibus & deſideriis in ſe mortificare non ceſſant, atque ita conſtringunt, frangunt, debilitant, vincunt per Spiritum ſanctum, ut non amplius ipſis dominentur.

25. *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* Si anima noſtra Dei Spiritu vivit ac movetur, id ſpiritualibus & ſanctis actionibus teſtemur: ne a Spiritu defluamus ad opera carnis. Vel, Ne ex Lege vitam inſtituamus, ſed gratiæ ductum ſequamur.

26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Ne humanæ gloriæ cupiditati indulgeamus, quæ cum in hominum opinione poſita ſit, inanis eſt: *invicem provocantes* ad pugnas verborum, & alii aliis defectus, errores & vitia exprobrantes, ut ſuperiores ceteris eſſe videamur: *invicem invidentes*, cum pares aut ſuperiores ceteris eſſe non poſſumus.

CAPUT V.

Senſus Moralis.

1. 2. *STate, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis: Quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Quamvis propriis viribus ſtare non poſſimus, propria tamen voluntate & malitia cadimus. Dominus enim non facit a nobis occaſum, niſi fecerimus caſum. Non excidimus a libertate filiorum Dei, niſi ſuavo Chriſti jugum excutientes, mortaliter peccemus, & dæmonis ſervituti nos ipſos ſponte ſubjiciamus. Solus Sapiens, id eſt ſpiritalis homo, & pius Dei cultor, liber eſt. *Eſt Sapienti & ſervire libertas: Stulto & imperare ſervitus eſt, & quod pejus eſt, cum paucioribus præſit, pluribus dominis & gravioribus ſervit. Servit enim cupiditatibus ſuis, quarum dominatum nec nocte fugere poteſt, nec die, quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſervitium patitur intolerabile. Gemina enim ſervitus eſt, altera corporis, animarum altera: domini autem corporis quidem homines, animarum autem malitia & paſſiones, a quibus ſola animi libertas*, per Chriſti gratiam parta, *Sapientem vindicat, ut ſervitio ei liceat exire.* Deus ſervos ſuos aliis dominis ſervire non patitur: cor integrum & vivum poſtulat. Fiduciam noſtram, amorem noſtrum, Deum inter & creaturam; Moyſen inter & Chriſtum, legem inter & fidem, ſine ſacrilegio dividere non poſſumus. Adhæres avaritiæ, libidini, ambitioni, aliiſque pravis cupiditatibus, multo gravior eſt in Chriſtum injuria, quam Galatarum ſtudia & propenſio in ceremonias Legis, quam noverant a Deo datam, & quas a Judæis ad Chriſtum converſis adhuc obſervari videbant. Et tamen Apoſtolus Chriſtum nihil illis profuturum denunciat, ſi circumcidantur. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Nos vero Chriſtianis quibuſcumque dicimus: Si membra veſtra arma iniquitatis peccato exhibeatis, ſi opera carnis ab Apoſtolo enumerata faciatis, ſi mortale quodvis peccatum committatis, nec illud vera Pœnitentia emendetis ac a Deo deleri curetis miniſterio Sacerdotis

Solus Sapiens, id eſt, pius Dei cultor, vere liber eſt.

S. Amb. Epiſt. 37. novæ Edit.

Digitized by Google

dotis Confeſſarii, nihil vobis Chriſtus proderit; fruſtra orationes veſtræ, fruſtra eleemoſynæ, fruſtra jejunia, fruſtra quævis bona opera: non impedient quin regno cœlorum privemini, quin æterno igne ardeatis; ſed id præſtabunt unum, ut mitius forte ardeatis.

Chriſtianus totius legis Evangelicæ obſervandæ debitor eſt.

3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, Quoniam debitor eſt univerſæ Legis faciendæ.* Quanto magis qui per baptiſmum Chriſto conſecratur, debitor eſt totius Evangelicæ Legis implendæ, ad omnia Chriſti præcepta obſervanda tenetur, & ad Chriſtum imitandum, prout ſolemni voto profeſſus eſt? Manichæis Evangelium ex parte recipientibus, ex parte rejicientibus, aiebat S. Auguſtinus: *Qui in Evangelio, quod vultis, creditis, quod non vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.* Nos vero Chriſtianis Evangelica præcepta ex parte obſervantibus, ex parte negligentibus ac violantibus dicimus: Qui in Evangelio quod vultis ſervatis, quod non vultis non obſervatis, legem carnis potius quam legem Spiritus, legem Mundi potius quam legem Dei ſervatis; cupiditatibus veſtris potius quam Evangelio Chriſti obeditis.

Fides ſine Dei amore non juſtificat hominem.

S. Aug. lib. De Spiritu & Littera, c. 32. Pſ. 102, 5.

5. 6. *Nos enim Spiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus.* Spiritus ſanctus principium fidei, fides principium veræ & interioris juſtitiæ, qua Deo placemus. *Fides enim eſuriens ſitienſque juſtitiam, renovatione de die in diem interioris hominis proficit in ea, & ſperat in ea ſatiari in vita æterna*, ubi fiet quod ſcriptum eſt: *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Fides autem non ſterilis & otioſa, ſed caritate formata & animata, ac per eam agens, juſtificationis & ſanctificationis noſtræ fons eſt & radix. Si quod enim ſine dilectione Dei bonum agimus, nullius eſt momenti ad ſanctificationem noſtram, nullius meriti ad ſalutem. *Nam in Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per dilectionem operatur*, „ Non per timorem; non formidando pœnam, ſed amando juſtitiam. *Unde ergo iſta dilectio, id eſt, caritas per quam fides operatur, niſi unde illam fides ipſa impetravit? Neque enim eſſet in nobis, quantacumque ſit in nobis, niſi diffunderetur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis... Hæc eſt juſtitia Dei, quam non ſolum docet per Legis præceptum, verum etiam dat per Spiritus donum.*

S. Aug. Tract. 10. in Ep. 1. S. Joan.

Sine dilectione fides inanis eſt. *Cum dilectione fides Chriſtiani, ſine dilectione fides dæmonis.* „ Neſcio quis non vult credere in Chriſtum, adhuc nec dæmones imitatur. Jam credit in Chriſtum, ſed odit Chriſtum: habet confeſſionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: nam & illi puniri timebant. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides qualem dicit Apoſtolus Paulus: *Fides quæ per dilectionem operatur*; inveniſti Chriſtianum, inveniſti civem Jeruſalem, inveniſti civem Angelorum, inveniſti in via ſuſpirantem peregrinum, adjunge te illi, comes tuus eſt, curre cum illo, ſi tamen & tu hoc es.

In via Dei cum fervore currendum. Timenda impedimenta, & cum Dei gratia removenda.

7. 8. 9. *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* In via Dei non ſolum ambulandum, ſed cum fervore currendum eſt. Progrediendum ſemper, nec remittendus eſt curſus noſter, donec pervenerimus. Noſtrum enim non progredi, reverti eſt. Timenda impedimenta, ab iiſque cavendum: ſed nobis certum eſſe debet ea non eſſe a Deo, ſed ex dæmone, ex mundo, ex nobis ipſis, qui non obedimus veritati nos interius per ſanctas inſpirationes docenti, exterius per Paſtorum & Concionatorum adhortationes, per ſacrorum librorum lectiones, per Sanctorum exempla erudienti, monenti, corripienti. *Quis vos impedivit veritati non obedire?* Cogitationes, conſilia, colloquia, operaque noſtra commenſuremus officiis vocationis noſtræ: quidquid nobis in animum venerit, aut exterius ſuggeſtum fuerit Dei legi, officiiſque noſtris contrarium, reſpuamus, certi hanc perſuaſionem non eſſe ex eo qui nos vocavit. Impedimenta quæ ad curſum noſtrum retardandum a dæmone, vel ab hominibus carnalibus apponuntur, vincamus fide per caritatem operante. Hæc eſt enim victoria quæ vincit mundum fides noſtra: hæc eſt qua poſſumus omnia tela Nequiſſimi ignea extinguere & frangere. Chriſtum per quem currimus, ut viam noſtram, & ad quem currimus ut vitam, ferventer oremus ut per gratiam ſuam omnia curſus noſtri impedimenta removeat: Illi obediamus, qui Veritas eſt nos docens in via, ne ſeducamur; nos beatificans in patria, ſi obedierimus. Quæ videntur minima in vitæ Chriſtianæ, ſtatuſque, ad quem nos Deus vocavit, officiis, ne negligamus: hæc enim negligentia curſus noſtri impedimentum eſt. *Qui ſpernit*

Eccli. 19. 1.

modica, paulatim decidet. Et, *Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.* Si enim parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audenter etiam majora perpetramus. *Quia igitur a levioribus malis incipitur, & ad graviora pervenitur, vanitas mentem obnubilat, iniquitas cæcat. Quæ nimirum mens amiſſo mox lumine, tanto ſe altius per tumorem erigit, quanto & iniquitatis capta laqueis, a veritate longius recedit.* Hæc negligentia tranſverſos egit Galatas, & rectum illorum curſum impedivit. Familiaritas denique & conſuetudo cum malis impedimentum eſt recti curſus in via Evangelii. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala: &, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Unus hæreticus urbem, provinciam, regnum integrum, immo plura regna ſeducere; una cum viro impio aut impudico converſatio animam ſimplicem corrumpere poteſt. „ Fermentum res modica videtur & nihili, ſed cum farinæ conſperſum, totam maſſam ſuo vigore corruperit, in illius vim tranſit omne quod mixtum eſt: ita & doctrina perverſa ab uno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, ſed paulatim ut cancer ſerpit in corpore. Scintilla res parva eſt, & pene dum cernitur, non videtur; ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui quamvis parvus ignis invenerit, mœnia, urbes, latiſſimos ſaltus, regioneſque conſumit. Igitur & ſcintilla ſtatim ut apparuerit, extinguenda eſt, & fermentum a maſſæ vicinia ſemovendum; ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum animal a caulis omnino repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus, pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. Arius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem ejus flamma populata eſt. Neſtorius in Oriente, Pelagius in Africa, Lutherus in Germania, Calvinus in Gallia, Bucerus in Anglia, Zuinglius apud Helvetios, Socinus in Polonia, alii Novatores alibi, quot incendia excitarunt, quot fideles ſeduxerunt, quot animas perdiderunt? Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.

Eccli. 19. 1. Luc. 16. 10. S. Greg. l. 10 Moral. cap. 13

S. Hieron. in hunc locum.

Hæreſium & Schiſmatum auctores, &c.

10. *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque eſt ille.* Animas ab obedientia veritatis, a via ſalutis, a vinculo unitatis abſtrahere, & in errores aut vitia inducere, pacem Eccleſiæ ſectis vel factionibus perturbare, Ordinis Hierarchici ſubverſionem moliri, oves a Paſtoribus avellere, & quam debent illis reverentiam & fiduciam labefactare, convellere, crimina ſunt terribili Dei judicio punienda. Horum auctores certa pene manet damnatio, quia vix unquam pœnitentiam agunt. Eorum crimen, qui Traditione contempta varias & peregrinas doctrinas contra Fidei aut Morum integritatem adinveniunt & ſpargunt, pejus eſt quam Lapſorum in perſecutione, qui ea infirmitate & ſuppliciorum metu fidem negarunt, ſed tamen in Pœnitentia criminis conſtituti, Deum plena ſatisfactione placare conati ſunt. *Hic Eccleſia quæritur & rogatur: illic Eccleſiæ repugnatur. Hic poteſt neceſſitas fuiſſe, illic voluntas tenetur in ſcelere. Hic qui lapſus eſt, ſibi tantum nocuit: illic qui hæreſim vel ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecum trahendo decepit. Hic animæ unius eſt damnum, illic periculum plurimorum. Certe peccaſſe ſe hic & intelligit, & lamentatur, & plangit: ille tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſibi delictis placens, a Matre filios ſegregat, oves a Paſtore ſollicitat, Dei Sacramenta diſturbat. Et cum lapſus ſemel peccaverit, ille quotidie peccat.*

Seductores pejores ſunt lapſis in perſecutione.

S. Cyp. l. De Unit. Eccleſiæ.

11. *Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis.* Si Apoſtoli & Apoſtolici viri Judaicas ceremonias, aut Gentilium ſuperſtitiones, cum fidei Chriſtianæ profeſſione conciliare voluiſſent, illarumque obſervationem civilis cultus & honoris, ſeu quovis alio ſpecioſi nominis fuco adornatam permittere, perſecutiones avertiſſent ab Eccleſia. Sed hæc ars noviſſimis temporibus ſuggerente dæmone adinventa, Apoſtolis & Apoſtolicis viris incognita fuit. Eccleſiæ pacem interpolatione Evangelicæ doctrinæ, diſſimulatione veritatis, non eſſe redimendam, perſuaſum habebant. Sanguinem Martyrum ſemen Chriſtianorum fore, Eccleſiam perſecutionibus propagandam, martyriis coronandam confidebant: de ſcandalo crucis non erubeſcebant, cujus virtute & merito vocatos ex Judæis & Gentilibus ad Chriſti fidem ſanctificari credebant. Summa pace frui, nihil pati adverſi ab hominibus hujus ſæculi amatoribus facile eſt, ſi veritas deſeratur, aut injuſto ſilentio prematur; ſed poſt illa vitæ hujus mortalis tempus non accedit. Veritas deſertores ac proditores ſuos non liberabit, nec ad pacem æternam cœleſtis Jeruſalem admittet. Veritatem igitur ſive dogmatum Fidei, ſive Moralis Chriſtianæ, puram integram

Pax Eccleſiæ interpolatione Evangelicæ doctrinæ aut diſſimulatione veritatis Fidem aut Moralis Chriſtianæ integritatem ſpectantis, non eſt redimenda.

gram

Digitized by Google

gramque doceamus, prædicemus, defendamus, politicis artibus nihil indulgentes. *Veritas enim nihil erubeſcit, niſi tantummodo abſcondi.* Philoſophi affectant veritatem, & *affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant. Chriſtiani & neceſſario appetunt, & integre præſtant, ut qui ſaluti ſuæ curant.*

Tertullian.

12. *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.* Poſtulat Eccleſiæ bonum ut ab ea abſcindantur membra, quæ ipſam profanis novitatibus, aut factionibus conturbant. „ Cavenda ſunt non ſolum quæ „ ſunt aperta atque manifeſta, ſed & aſtutæ frau„ dis ſubtilitate fallentia. Quid vero aſtutius, quid „ ve ſubtilius, quam ut Chriſti adventu detectus ac „ proſtratus inimicus, videns idola derelicta, & per „ nimium credentium populum ſedes ſuas ac tem„ pla deſerta, excogitaverit novam fraudem, ut ſub „ ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? „ Hæreſes invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret „ fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unita„ tem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris „ cæcitate, circumſcribit & decipit novi itineris „ errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum „ ſibi appropinquaſſe jam lumini, atque evaſiſſe ſæ„ culi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras „ rurſus infundit; ut cum Evangelio Chriſti & ob„ ſervatione ejus & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe „ vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lu„ men exiſtiment, blandiente adverſario atque fallen„ te, qui ſecundum Apoſtoli vocem, transfigurat „ ſe velut Angelum lucis, & miniſtros ſubornat „ ſuos velut miniſtros juſtitiæ, aſſerentes noctem „ pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub „ obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, An„ tichriſtum ſub vocabulo Chriſti, ut dum veriſi„ milia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtren„ tur. “ Cum itaque hujuſmodi ſanæ doctrinæ corruptores, ſeductores fidelium, perturbatores Eccleſiæ, fraudulenter graſſentur in perditionem animarum, ab Eccleſia ſunt abſcindendi, cum emendari nolunt. *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.*

S. Cyprian. lib. De Unitate Eccleſiæ.

Novatores contumaces, & perturbatores Eccleſiaſticæ pacis, ab Eccleſia ſunt abſcindendi.

13. *Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem Spiritus ſervite invicem.* Chriſtiana libertas, quam nobis Chriſtus ſanguine ſuo acquiſivit in independentia poſita non eſt, neque in eo quod voluntatem ſuam quiſque faciat; ſed quod voluntatem ſuam divinæ ſubjiciat, conformetque voluntati, Deique legi, ac eorum qui vice Dei illi præſunt, mandatis obtemperet: in eo denique ut proximis ſerviat per caritatem, quæ Spiritus ſancti donum eſt. „ Non ergo dicat Chriſtianus, Liber ſum, in „ libertatem vocatus ſum: ſervus eram, ſed re„ demptus ſum, & ipſa redemptione liber effectus „ ſum, faciam quod volo, nemo me prohibeat a „ voluntate mea, ſi liber ſum. Sed ſi iſta voluntate „ peccatum facis, ſervus es peccati. Noli ergo li„ bertate abuti ad libere peccandum, ſed utere ad „ non peccandum. *Erit enim voluntas tua libera, ſi fuerit pia. Eris liber ſi fueris ſervus; liber peccati, ſervus juſtitiæ. Prima libertas eſt carere criminibus.* Tunc vere liberi ſumus, cum legi Dei ſecundum interiorem hominem condelectamur, & Deo, proximoque propter Deum, caritate ſervimus. *Qui enim per caritatem ſervit, libere ſervit, & ſine miſeria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur.* „ Per caritatem autem ſervit alter al„ teri, cum illius infirmitatem habet quaſi ſuam, „ ut eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur „ ille, cujus curat ſalutem. Timeamus ne in hujus mundi lubrico libertate noſtra abuſi, a vera libertate caritatis, ad effrenem cupiditatis libertatem, immo potius pudendam ſervitutem tranſeamus. Gratiæ Chriſti auxilium imploremus, ſine qua libertas noſtra non eſt vera libertas, ſed contumacia: Quia *voluntas tanto liberior, quanto ſanior: tanto ſanior, quanto divinæ gratiæ ſubjectior.*

Chriſtiana libertas in quo poſita?

S. Aug. Tract. 41. in Joan.

S. Auguſt. in hunc locum. Idem lib. 2. De Sermone Domini in Monte, cap. 19. num. 65.

S. Auguſtin.

14. *Omnis enim Lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Hæc nota diſcipulorum Chriſti. *In hoc*, inquit, *cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Vide, inquiebant Ethnici in Eccleſiæ exordiis, *vide ut invicem ſe diligant, & ut pro alterutro mori ſint parati.* Hoc præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit, aiebat dilectus Chriſti Diſcipulus. Domine, da quod jubes & jube quod vis. Quomodo ſine caritate, quam Deus in nobis operatur poſſet lex impleri, quæ ad caritatem tota collineat & redigitur? O deplorandam humani cordis perverſitatem! Solum ab illo amorem poſtulat Deus, & id Deo negat, quod & facillimum, & ſuaviſſimum eſt, æternoque premio donandum. „ Cum omnia quæ „ difficiliora ſunt, vel modica ex parte faciamus: „ hoc ſolum non facimus, quod & factu facilius „ eſt, & abſque quo caſſa ſunt univerſa quæ faci„ mus. Jejuniis Corpus ſentit injuriam, vigiliæ car„ nem macerant: eleemoſynæ labore quæruntur: „ ſanguis in martyrio, quamvis ardeat fides, tamen „ ſine dolore & timore non funditur. Hæc omnia „ ſunt qui faciant: *Sola caritas ſine labore eſt. Et quia ſola cor mundum efficit, a diabolo expugnatur in nobis, ne Deum pura mente videamus . . . . Caritatis rara poſſeſſio eſt.* „ Quis vult ipſe anathema „ eſſe a Chriſto pro fratribus ſuis, Apoſtolum ſe„ quens? Quis cum lugentibus lugens, cum gau„ dentibus gaudens, alieno vulnere vulneratur? Quis „ fratris morte perimitur? Omnes magis amatores „ noſtri quam Dei ſumus. Vide quantum bonum „ ſit caritatis. Si ita martyrium fecerimus, ut no„ ſtras velimus ab hominibus reliquias honorari, ſi „ opinionem vulgi ſectantes, intrepide ſanguinem „ fuderimus, & ſubſtantiam noſtram uſque ad men„ dicitatem propriam dederimus: huic operi non „ tam præmium quam pœna debetur, & perfidiæ „ magis tormenta ſunt, quam corona victoriæ. Sola „ caritas, Deum promeretur, ſola æterno præmio „ remuneratur.

Joan. 13. 35.

Tertullianus Apolog.

Lex caritatis.

S. Hieron. in hunc locum.

15. *Quod ſi invicem mordetis, & comeditis: videte ne ab invicem conſumamini:* Schiſmate nihil Eccleſiæ exitialius, bello civili & factionibus nihil Reipublicæ perniciolius, domeſticis diſſidiis nihil familiis periculoſius. Væ tam gravium incentoribus malorum. Odium, invidia, calumnia & detractio dentes habent acutiores & crudeliores dentibus leonum & ſerpentium: beſtiæ enim illæ quantumvis feroces propria membra non mordent, non lacerant: ſed Chriſtiani ſibi mutuo invidentes, ſibi mutuo detrahentes, propria membra mordent & lacerant. Unum enim corpus Chriſti ſunt, *ſinguli autem alter alterius membra*, ait Apoſtolus noſter. Quando igitur ſedens loquor adverſus fratrem meum, & contra filium matris meæ pono ſcandalum: quando aliena torqueor felicitate, & alterius bonum meum malum facio, tunc in me illud impletur: *Si invicem mordetis, & comeditis: videte ne ab invicem conſumamini.* David Rex & Propheta ſanctus, eodem quo Apoſtolus noſter animatus Spiritu ait: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar. Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* „ Habet epulas ſuas cor „ pium, habet epulas ſuas cor ſuperbum. Cor ſu„ perbum unde paſcitur? Si ſuperbus eſt, invidus eſt. „ Superbia mater invidentiæ eſt: non poteſt niſi ge„ nerare hanc, & cum illa ſemper eſſe. Omnis ergo „ ſuperbus, invidus eſt. Si invidus eſt, malis alienis „ paſcitur. Unde dicit Apoſtolus: *Si invicem mor„ detis, & comeditis: videte ne ab invicem conſumamini.* „ Videte comedentes, nolite his convivi, fugite „ tale convivium. Neque enim ſe ſatiant gaudendo „ de malis alienis, quia inſatiabili corde ſunt. Cave „ ne capiaris in epulis eorum laqueo diaboli. Cibis „ talibus paſcebantur Judæi, quando crucifixerunt „ Dominum. Dicebant enim cum riderent eum pendentem in cruce, inſultantes, quia inſatiabiles corde erant: *Si Filius Dei eſt, deſcendat de cruce: alios ſalvavit, ſeipſum non poteſt ſalvare.* „ Paſcebantur „ cibo crudelitatis ſuæ, & ille paſcebatur cibo mi„ ſericordiæ ſuæ. *Pater*, inquit, *ignoſce illis, quia „ neſciunt quid faciunt.* Illi ergo habebant alias epu„ las, ille alias. Sed quid dictum ſit de menſa ſu„ perborum, audite: *Fiat menſa eorum in laqueum, „ & in retributiones, & in ſcandalum.* Paſti ſunt, ca„ pti ſunt. Quomodo enim aves ad muſcipulam, & „ piſces ad hamum paſcuntur, ſed capiuntur, ſic „ & ipſi.

Invidiæ & detractionis ſoſtas crudelitas.

Pſalm. 100.

S. Auguſt. Enarrat. in hunc Pſalm. n. 9.

Matt. 27. 40.

16. *Dico autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Quicumque a proprio ſpiritu ducitur, cæcum ſequitur, ducitur in præcipitium: qui vero Spiritu Dei agitur, ſequitur lumen vitæ. Spiritus hominis in hoc naturæ corruptæ ſtatu, omnium deſideriorum carnalium principium eſt: Spiritus Dei omnium ſanctorum deſideriorum, juſtorum conſiliorum, & rectorum operum principium eſt: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* „ Non ait: Concupiſcentias carnis ne adverſarias ha„ bueritis, quoniam videbat perfectam pacem car„ nis & ſpiritus non poſſe in corpore mortis hujus „ impleri: ſed ait: Concupiſcentias carnis ne per„ feceritis; ubi certamen nobis potius quod contra „ carnem adverſantem debeamus exercere, propo„ ſuit, *Ut concupiſcentias ejus non perficiamus conſen„ tiendo, ſed reſiſtendo vincamus:* „ Pax vero ubi non „ eas adverſantes repugnanteſque patiamur, ſuit in „ corpore vitæ illius, quam natura vitiata primi „ hominis prævaricatione perdidimus.

S. Aug. l. 6. Operis Imperfecti contra Julian. n. 14.

17. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem, hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis faciatis.* Infelix

Contra concupiſcentiam ſemper pugnandum eſt.

hæc

Digitized by Google

hæc hereditas filiorum Adam, primique pœnæ peccati, innata propenſio ad malum, impotentia ad bonum, perpetua hominis pugna contra ſeipſum. „ Hoc bellum nullum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta eſt, perſtitiſſet. Nunc vero quæ pacem fœlix cum Deo habere noluit, ſecum pugnat infœlix, & cum ſit hoc malum miſerabile, melius eſt tamen quam priora vitæ hujus. Melius confligitur quippe cum vitiis, quam cum ſine ulla conflictione dominantur. Melius eſt (inquam) bellum cum ſpe æternæ pacis, quam ſine ulla liberationis cogitatione captivitas. Cupimus quidem etiam hoc bello carere, & ad capeſſendum ordinatiſſimam pacem, ubi firmiſſima ſtabilitate potioribus inferiora ſubdantur, igne divini amoris accendimur. Sed ſi (quod abſit) illius tanti boni ſpes nulla eſſet, malle debuimus in hujus conflictationis moleſtia remanere, quam vitiis in nos dominationem non eis reſiſtendo permittere .... Nunc quandiu concupiſcit caro adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ſat eſt nobis non conſentire malis quæ ſentimus in nobis. Cum autem fit iſta conſenſio, tunc exit ex ore cordis quod coinquinat hominem. Cum vero per continentiam conſenſio non tenetur, malum concupiſcentiæ carnalis, contra quod pugnat concupiſcentia ſpiritualis, nocere non ſinitur. Sed aliud eſt bene pugnare, quod nunc eſt: quando mortis contentioni reſiſtitur, aliud adverſarium non habere, quod tunc erit, quando mors noviſſima inimica deſtruetur. Nam & ipſa continentia, cum fræuat cohibetque libidines, ſimul & appetit bonum ad cujus immortalitatem tendimus, & reſpuit malum cum quo in hac mortalitate contendimus. Illius quippe amatrix & ſpectatrix, hujus vero & hoſtis & teſtis eſt, & decus appetens, & dedecus fugiens. Hanc pugnam non experiuntur in ſemetipſis, niſi bellatores virtutum debellatoreſque vitiorum: nec expugnat concupiſcentiæ malum, niſi continentiæ bonum.

S. Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 5.

S. Auguſt. lib. De Continentia, cap. 2. & 3.

Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur &c. „ Concupiſcentia ergo ſpiritalis contra alterius poteſt pugnare carnalem, vel concupiſcentia carnalis contra alterius ſpiritalem, ſicut inter ſe ſpugnant boni & mali: vel certe ipſæ concupiſcentiæ carnales inter ſe duorum bonorum, nondum utique perfectorum, ſicut inter ſe pugnant mali & mali, donec eorum qui curantur ad ultimam victoriam ſanitas perducatur.

S. Auguſt. lib. 15. De Civit. Dei, cap. 5.

Quatuor hominis ſtatus.

18. *Quod ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. Quatuor humani generis ſtatus, Apoſtolo duce, Sanctus Auguſtinus diſtinguit 1. Ante Legem. 2. „ Sub lege. 3. Sub gratia. 4. In pace & gloria cœleſti. Sicut prima hominis vita eſt ante Legem, cum nulla nequitia & malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus reſiſtit: quia non eſt qui prohibeat: ſic ſecunda eſt ſub Lege ante gratiam, quando prohibetur quidem, & conatur a peccato abſtinere ſe, ſed vincitur; quia nondum juſtitiam propter Deum & propter ipſam juſtitiam diligit, ſed eam ſibi vult ad conquirendum terrena ſervire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipſam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit juſtitiam: quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud, quod ſe nunc videt amittere, ſi illam tenuerit. Tertia eſt vita ſub gratia, quando nihil temporalis commodi juſtitiæ proponitur: quod niſi caritate ſpiritali, quam Dominus exemplo ſuo docuit, & gratia donavit, fieri non poteſt. In hac enim vita etiamſi exiſtant deſideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad conſenſionem peccati non ſubjugant. Ita jam non regnat peccatum in noſtro mortali corpore; quamvis non poſſit niſi inhabitare in eo, quamdiu mortale corpus eſt. Primo enim non regnat, cum mente ſervimus legi Dei, quamvis carne legi peccati, id eſt, pœnali conſuetudini, cum ex illa exiſtunt deſideria, quibus tamen non obedimus. Poſtea vero ex omni parte extinguitur. *Quoniam ſi Spiritus Jeſu habitat in nobis, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora noſtra propter Spiritum qui habitat in nobis.* Nunc ergo implendus eſt gradus ſub gratia, ut faciamus quod volumus ſpiritu, etiamſi carne non poſſumus, id eſt, non obediamus deſideriis peccati, ad præbenda illi membra noſtra arma iniquitatis, etiamſi non valemus efficere ut eadem deſideria non exiſtant; ut quamvis nondum ſimus in pace illa æterna ex omni hominis parte perfecta, jam tamen deſinamus eſſe ſub Lege, ubi prævaricationis rea mens tenetur, dum eam concupiſcentia carnis in conſenſionem peccati captivam ducit; ſimus autem ſub gratia, ubi nulla eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Jeſu: quia non certantem, ſed victum pœna conſequitur. Ordinatiſſime itaque ſubjungit, *Quod ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub Lege*: ut intelligamus eos eſſe ſub Lege, quorum ſpiritus ita concupiſcit adverſus carnem, ut non ea quæ volunt faciant: id eſt, non ſe teneant invictos in caritate juſtitiæ, ſed a concupiſcente adverſum ſe carne vincantur; non ſolum ea repugnante legi mentis eorum, ſed etiam captivante illos ſub lege peccati, quæ eſt in membris mortalibus. Qui enim non ducuntur Spiritu, ſequitur ut carne ducantur. Non autem pati adverſitatem carnis, ſed duci a carne, damnatio eſt. Concupiſcentias autem carnis omnino non habere, non jam certamen, ſed certaminis præmium eſt, ſi obtinuerimus victoriam perſeverando ſub gratia. Commutatio enim corporis in immortalem ſtatum ſola carnis concupiſcentias non habebit.

S. Auguſt. in hunc locum, n. 46.

Rom. 6. 10.

Rom. 7. 25.

Rom. 8. 11.

Rom. 6. 13.

S. Aug. ib. n. 47.

Opera carnis.

19. 20. 21. *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Quam pauci Chriſtiani ad hæc attendunt! Quot ſe ſpirituales exiſtimant, qui opera carnis agunt! Quotuſquiſque eſt qui contentionibus & æmulationibus obnoxius non ſit? Horreamus non modo fornicationem, & nefaria crimina quæ in occulto fiunt, & quæ violant in nobis templum Dei; ſed & liberiores & frequentiores cum perſonis alterius ſexus converſationes, amatoria verba, dulces litterulas, quas ſanctus amor non habet; multo magis turpes cogitationes, obſcœna verba, laſciva oſcula, tactus impudicos, quibus fornicationi, aut aliis gravioribus, quæ vel nominare turpe eſt, præluditur. Non ſolum idololatriam fugiamus, ſed omnem creaturæ adhæſionem, omne peccatum mortale, quo poſtpoſito Creatore, ad creaturam convertimur. *Per vitia quippe vel maxime dæmones coluntur*. Non ſolum homicidia, & veneficia; ſed ſcandala, corporum cædibus, & lethiferarum potionum propinatione pejora. Non tantum ebrietates, ſed compotationes & comeſſationes, in quibus temperantiæ regulæ contemnuntur, violantur, & carnis deſideriis nimium indulgetur. Non modo inimicitias, ſed iras, contentiones, rixas, diſſenſiones, odiorum incentiva, vel germina. Non ſolum hæreſes, ſed omnes falſas opiniones Eccleſiaſticis Dogmatibus repugnantes, aut Moralis Chriſtianæ puritatem corrumpentes: quas qui tuetur a Script. Sac., doctrina Patrum, ſanctiorumque Theologorum, & Eccleſiæ Doctoris devians nimio propriæ ſententiæ amore, carnalis eſt. Alta mente reponenda illa S. Hieron. ſententia: *Quicumque Scripturam Sacram aliter intelligit, quam ſenſus Sp. S. flagitat, quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt, eligens quæ pejora ſunt*. „ Non ſolum vitemus invidiam, ſed pravam æmulationem, *& his ſimilia*, quæ utinam tam facile vitare poſſemus, quam facile intelligimus. Ad hæc Apoſtoli verba qui non contremiſcit, ex fide non vivit: *Quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. „ Nec refert uno quis a beatitudine excludatur, an pluribus, cum omnia ſimiliter excludant. Templum Dei in nobis ædificemus operante gratia Chriſti. Videte quemadmodum cum loca ipſa terrena in melius convertuntur, alia diruuntur atque franguntur, alia in meliores uſus commutantur; ſic & nos ſumus. “ Opera carnis fuerunt in nobis, dejicienda ſunt, non mutanda. Iſta in nobis tamquam idola frangenda ſunt: in uſus autem meliores vertenda ſunt ipſa corporis noſtri membra, ut quæ ſerviebant immunditiæ cupiditatis, ſerviant gratiæ caſtitatis.

S. Hier. in hunc locum.

S. Aug. Serm. 163. al. 3. De verb. Apoſt. c. 2.

22. 23. *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujuſmodi non eſt lex*. Caritas primus Spiritus ſancti fructus eſt, fons radix, meritum, & vita ceterorum. *Quis enim bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet? Quis pacem veram niſi cum illo poteſt habere, quem veraciter diligit? Quis eſt longanimis in bono perſeveranter manendo, niſi ferveat diligendo? Quis eſt benignus, niſi diligat cui opitulatur? Quis bonus, niſi diligendo efficiatur? Quis ſalubriter fidelis, niſi ea fide quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter manſuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet unde tur-*

Caritas omnium fructuum Spiritus ſancti fons eſt.

S. Aug. Tract. 87. in Jo. n. 1.

rumpatur, niſi diligat unde beneſtatur? Addit Apoſtolus, *Adverſus hujuſmodi non eſt lex.* Ad quid enim timor Legis, ubi caritas animo dominatur? „Quod malum formidare poteſt, qui nullum aliud novit, quam non amare Deum, & legem ejus violare? Regnant ergo ſpiritales iſti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem iſta bona, ſi tantum delectant, ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt:* ut verbi gratia, occurrit forma ſpecioſæ feminæ, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat pulcritudo illa intima & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundum hanc vivimus, & ſecundum hanc operamur; ut non regnante in nobis peccato ad obediendum deſideriis ejus, ſed regnante juſtitia per caritatem cum magna delectatione faciamus, quicquid in ea Deo placere cognoſcimus.

S. Aug. in Expoſit. hujus Epiſt. n. 49.

24. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Quam pauci Chriſti ſunt, cum tam pauci carnem ſuam cum vitiis & cupiditatibus crucifigant! „Crucifiguntur autem timore illo caſto permanente in ſæculum ſæculi, quo cavemus offendere illum, quem toto corde, tota anima, tota mente diligimus. Non enim hoc timore timet adultera, ne cuſtodiatur a viro, quo timet caſta ne deſeratur: illi enim triſtis eſt præſentia viri, huic abſentia. Et ideo timor ille corruptus eſt, & tranſire non vult hoc ſæculum: iſte autem caſtus permanet in ſæculum ſæculi. Quo timore crucifigi optat Propheta, cum ait: *Confige timore tuo carnes meas.* Carnes ſunt carnales concupiſcentiæ; clavi ſunt præcepta juſtitiæ: his illas timor Domini configit, qui nos illi acceptabilem hoſtiam crucifigit. In hac cruce per totam iſtam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Chriſtianus. Non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos... Sic ſemper hic vive, Chriſtiane: ſi terreno limo greſſus non vis immergere, noli de iſta cruce deſcendere.

Caro cum vitiis & concupiſcentiis crucifigenda.
S. Auguſt. ibid. n. 53.
Pſal. 118. 120.
S. Aug. Serm. 205. al. De Diverſis 64.

25. *Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus.* Propenſiones, deſideria, conſilia, motus, opera, vitæ principio reſpondent. Qui Spiritu Dei vivit, ſanctas actiones exercet, propter Deum omnia operatur, mundo morem non gerit, carnis deſideriis non indulget. „Quis eſt qui vivit Spiritu, niſi interior ditus homo noſter, qui & juxta carnem interdum ſolet vivere? Sed cum Spiritu vixerit, Spiritu ambulat. Cum in carne voluerit ambulare, vivens mortuus eſt. Vir perfectus in Chriſto, ſemper vivit in Spiritu, Spiritui obedit, numquam vivit in carne. Et contra; qui ſe totum carni dederit, & paſſionibus deputarit, numquam vivit in Spiritu. Inter hos medii ſunt, quos nec ſpirituales poſſumus appellare, nec carnales, ſed qui inter virtutes & vitia fluctuantes, nunc ad meliora retrahuntur, & ſpiritus fiunt, nunc carnis lubrico ſupplantantur, & caro ſunt.

Perfecti Chriſtiani ſemper vivant in ſpiritu.
S. Hieron. in hunc locum.

26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Spiritus ſanctus in corda noſtra diffundens caritatem, deſtruit inanis gloriæ cupiditatem. Caritas concordiam parit, fraterna concordia diſſenſiones & invidiam non patitur. Vana gloria pene commune delictum eorum qui ab iis vitiis alieni ſunt, quæ carne conſummantur. Eleemoſyna, longa oratio, pallor ex jejunio ſequens, caſtitas in virginibus & viduis, ſæpe plauſum quærit humanum, & laudem inanem, vacuam, fallacem, ex hominum judicio plerumque cæco, ſæpius injuſto, ſemper mutabili dependentem. Quid tam Dei opus quam Scripturas legere, in Eccleſia prædicare, Sacerdotium cupere, ante altare Domini miniſtrare. Sed & hæc, niſi aliquis omni diligentia cuſtodierit cor ſuum, ſæpe de cupiditate laudis oriuntur, aut certe vanæ gloriæ flatu corrumpuntur, & vera, quæ a Deo eſt, gloria fruſtrantur. Videas pleroſque libros de contemnenda gloria inſcribere, & cauſa gloriæ proprii nominis titulos prænotare. „Interpretamur Scripturas, ſæpe vertimus ſtilum, quæ digna lectione ſunt ſcribimus: & niſi Chriſti cauſa fiant, ſed memoriæ in poſteros, & famæ in populos, totus labor irritus fiet, & erimus quaſi tympanum ſonans, & cymbalum concrepans. Inanis gloriæ cupiditas invidiam parit, cujus late patet multiplex & fœcunda pernicies. Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat; dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, Judicii dies non providetur. Inflat ſuperbia, exacerbat ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira ferveſcit: nec ſe jam poteſt cohibere vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ad ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur.... Qualis vero animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus vel felicitatem, id eſt, odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam?.... Mala cetera habent terminum; & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro; in latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo; & prædoni rapacitatem ſtatuit præda poſſeſſa; & fallacio modum ponit impleta fallacia. *Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, & ſine fine peccatum, quantoque ille cui invidetur ſucceſſu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus exardeſcit.*

Inanis gloriæ cupiditas expugnanda.
S. Hieron. in hunc locum.
Invidiæ mala.
S. Cypr. lib. De Zelo & livor.

CAPUT VI.

Senſus Litteralis.

1. F*Ratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Si quiſpiam circumventus fuerit, ſeu ex improviſo, non malitia, ſed infirmitate, ignorantia vel imprudentia lapſus in aliquod peccatum; vos, qui perfecti eſtis in doctrina fidei, & Spiritus ſancti ductum ſequi amatis, hujuſmodi hominem inſtruite ſalutaribus documentis & monitis, corripite, inſtaurate, quaſi luxatum membrum loco ſuo reponentes & confirmantes, erigite, perficite quod deficit, ſupplete; non duriter & ſevere agendo cum ipſo, ſed cum manſuetudine, quæ fructus eſt Spiritus ſancti. Unuſquiſque autem hoc officium caritatis præſtans proximo, ſeipſum circumſpiciat, & ad propriam infirmitatem ſedulo attendat, timens & cavens ne & ipſe tentationi ſuccumbat.

Caritas erga peccatores.
S. Chryſ. Theodor. & S. Hier.
Prærupta numeri mutatio ab Apoſtolo non fit ex imperitia, ut S. Hieronymo viſum eſt, ſed ſtudio, quod numerus ſingularis aptior eſſet ad urgendam uniuſcujuſque conſcientiam.

2. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Alii aliorum onera ſublevate, alii aliorum vitia & infirmitates manſueto animo tolerate, & emendare ſtudete: & id faciendo adimplebitis mandatum novum dilectionis a Chriſto datum. Vitia & imperfectiones eleganti metaphora onera vocat, quia iram Dei provocando animum gravant. Unde Pſalm. 37. dicitur: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Præterea, aliorum vitia & imbecillitates aliis oneri ſunt. Alludit autem Apoſtolus ad eos qui onuſti una iter agunt, quorum alii minus onuſti, alios nimio onere gravatos adjuvant.

Joann. 13. 15. 33. 34. & cap. 15. 12.

3. 4. 5. *Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Nam ſi quis magnifice de ſe ſentit, ſeque ſupra alios extollit, quaſi a vitiis humanæ fragilitatis exemptum, ab oneribus liberum, & ſatis fortem ad vincendas tentationes, ipſe ſe decipit, cum ex ſe nihil ſit, nihilque ex ſe poſſit quod ad pietatem & ſalutem æternam pertineat. *Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero.* Unuſquiſque vitam ſuam, converſationem ſuam, opera ſua ſcrutetur, diſcutiat, expendat: & apud Deum gloriam inveniet de recte factis per gratiam illius: (gloria enim noſtra, teſtimonium bonæ conſcientiæ:) non ſeipſum cum aliis deterioribus comparando, gloriabitur, ut Phariſæus Publicano inſultans. *Unuſquiſque enim onus ſuum portabit.* Unuſquiſque in Dei judicio pro ſe rationem reddet, propterque peccati, quod hic per Pœnitentiam non fuerit expiatum, pœnas luet non pejorum comparatione juſtificabitur, aut ſublevabitur.

Humilitas.

6. *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis.* Qui ab alio inſtituitur in Doctrina Chriſtiana, Doctorem ſuum, Paſtorem, Concionatorem participem faciat bonorum ſuorum temporalium, ſecundum facultates ſuas, & illius neceſſitatem. Æquum enim eſt, ut qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat. Bona igitur

Honor in Paſtores & Miniſtros Evangelii tribuendum.

in

in præſenti loco, juxta vulgi conſuetudinem, moremque communem, victum & veſtitum, & cetera quæ homines inter bona numerant, appellavit. Confer cum 1. Cor. 6. 7. 8. 9. 11.

Bonis operibus mittere præmium. Mat. 25. 24. 26. 2. Cor. 9. 6. & ſeq.

7. *Nolite errare: Deus non irridetur*. Vanis prætextibus, excuſationibus, & ſubterfugiis divinum mandatorum de honorario Paſtoribus veſtris ac Miniſtris Evangelii tribuendo ni eludatis, vosmetipſos decipientes, Deus ſibi impune illud non ſinit.

8. *Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam*. Hebræis *ſerere* ſæpe ſignificat operari; *metere*, pœnam aut præmium ferre. Senſus igitur eſt: Unuſquiſque omnium operum ſuorum præmium vel pœnam in futuro Dei judicio recipiet. Hæc vita, ſementis inſtar eſt; ſemen, opera, meſſis, conſummatio ſæculi; ſeges, præmium aut pœna operibus retribuenda. Qui carnis cupiditatibus indulget, ac voluptatibus ſervit, opera ſua ad præſentis vitæ commoda referens, nullo futuræ vitæ reſpectu, ex carne ſua referret corruptionem, miſeriam, & mortem æternam. Qui autem ſeminat in ſpiritu, id eſt, opera ſua facit ſecundum dictamen & ductum Spiritus ſancti, cœlum magis quam terram, Dei gloriam magis quam propria commoda reſpiciens, ejus legi, non propriis cupiditatibus obtemperans, per eumdem Spiritum merebitur & metet vitam æternam in bonis operibus velut in ſemine contentam, quæ tamen Dei dona ſunt, & nullam vim habent ad æternæ vitæ conſecutionem, niſi ex Spiritu ſancto, Qui

Bonorum operum præmium vita æterna.

S. Proſp. Carm. de Ingrat. c. 4.

Quæ dare vult, tribuit, ſervans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans ſua dona coronis.

9. 10. *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes*. Opera tum juſtitiæ, tum miſericordiæ in hac vita exercentes, ne defatigemur, ne torpeſcamus, ne tædio & moleſtia animum noſtrum languere ſinamus, tempore enim a Deo præfinito fructum percipiemus nunquam defecturum, ſi in bonis operibus perſeveremus, nempe vitam æternam. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei*. Igitur dum in hoc mundo vivimus; nullam prætermittamus opportunitatem benefaciendi omnibus hominibus; qui proximi noſtri & fratres ſunt jure naturæ matris unius: maxime autem iis qui in unam Dei familiam, quæ eſt Eccleſia, per fidem congregati ſunt, factique *Domeſtici Dei*.

11. *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu*. Videte qualem Epiſtolam, quam gravem, quam fortem ad vos ſcripſi manu propria, non per amanuenſem. Totam Epiſtolam a Paulo manu propria ſcriptam his verbis ſignificari S. Chryſoſtomus cenſet, quod affectus ſinceri erat argumentum. Ceteris enim Epiſtolis ſubſcribebat quidem ipſe, ceterum alius ſcribebat, idque ex Epiſtola ad Romanos conſtat, cujus ad calcem habetur: *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam*. Hanc vero totam ipſe ſcripſerat, non modo ob charitatem, verum etiam ad tollendam malam ſuſpicionem. Quia enim Pſeudo-apoſtoli in vulgus ſparſerant illum circumciſionis ſeu aliarum legis ceremoniarum obſervationem neceſſariam profiteri, diſſimulare tamen quaſi non profiteretur, ideo compulſus eſt Epiſtolam ſua manu ſcriptam mittere, depoſito apud illos teſtimonio. Sanctus vero Hieronymus ab hoc dumtaxat loco uſque ad finem, manu propria ſcriptam a Paulo hanc Epiſtolam exiſtimat, ſuperiora autem ab alio exarata. Quod autem hæc verba, *Qualibus litteris ſcripſi vobis mea manu*, ad deformitatem characterum Pauli, qui Græce non bene pingebat, aliqui referunt, S. Hieronymus ut ridiculum ſugillat.

S. Chryſoſtom. Theodoret. Theophylact. in hunc locum.

S. Hieron. oblique notare videtur S. Chryſ. tacito ejus nomine: *In hoc loco vir apprime noſtris temporibus eruditus, miror quomodo rem ridiculam locutus ſit, &c.*

12. 13. *Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur*. Quicumque enim volunt placere hominibus ſecundum carnem ſibi conjunctis, ſcilicet Pſeudo-apoſtoli, qui popularium ſuorum Judæorum gratiam aucupantur externa carnalium ceremoniarum Legis obſervatione, de qua apud illos gloriantur: hi non ſtudio & amore Legis tradunt vobis doctrinam qua ad circumciſionem cogamini, ſed tantum ut ſuæ ſecuritati conſulant, & perſecutionem vitent, ſinceris crucis Chriſti Prædicatoribus & ſectatoribus, ejus virtute abrogatas eſſe Legis ceremonias docentibus, a Judæis inferri ſolitam. *Neque enim qui circumciduntur, Legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur*. Neque enim ipſi, quamvis circumciſi ſint, & circumciſionem prædicent cum Baptiſmo & Evangelii profeſſione conjungendam, legem obſervant accurate, ſacrificia non offerunt, cum Jeroſolymis non degant, plurimaque alia Legis præcepta negligunt: ſed vobis perſuadere nituntur circumciſionem, ut de vobis tamquam proſelytis factis, & ad Circumciſionem atque Judaiſmum converſis, apud Judæos glorientur.

Theodoretus.

14. *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo*. Abſit autem a me ut gaudeam & glorier niſi in paſſione & morte Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua crux illius facta eſt fons omnium benedictionum ſpiritualium: per quem ego & mundus, id eſt, homines mundo ſervientes; mutuo reſpectu plane mortui ſumus, & ab invicem alieni atque averſi. Illi me ut cruciarium deſpiciunt, abominantur, horrent: illorum mores, inſtituta, & quicquid magnifaciunt pariter deſpicio & horreo. Propter Chriſtum crucifixum vita mihi nullius pretii eſt, & morti ſimilis: immortalem enim vitam expecto.

15. 16. *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*. In negotio ſalutis per Chriſtum obtinendæ nihil prodeſt quod aliquis circumciſus ſit vel incircumciſus; ſed ſola vita ſpiritualis, & interior renovatio, quam Deus in nobis per gratiam ſuam efficit & creat, donando ut in eum credamus, & mandata ejus ſervemus. *Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei*. Omnibus vero fidelibus tam ex Gentibus, quam ex Judæis, qui traditam a me hac in Epiſtola doctrinam ſequuntur, & ſecundum illam vitam ſuam componunt, pacem & miſericordiam, omniaque ſpiritualia bona a Deo adprecor.

17. *De cetero nemo mihi moleſtus ſit*. Ceterum nemo veſtrum mihi novas moleſtias inferat, nemo ad afflictiones meas quotidianas addat, deficiendo a doctrina, quam vobis tradidi, & a regula Chriſtianæ vitæ, quam vobis præſcripſi. *Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*. In corpore meo geſto vibices ac cicatrices ex plagis, lapidationibus, & verberibus propter Jeſu Chriſti fidem & crucis ejus prædicationem mihi illatis relictis. Hæ ſunt ſervitutis meæ qua Chriſto ſum addictus, immo libertatis qua ſum ab illo donatus, inſignes notæ, & teſtimonia veritatis, quam vobis prædicavi, pro qua omnia adverſa perpeti non refugio. In his glorior & exulto, non in circumciſionis cicatrice. 2. Cor. 11.

18. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, Fratres. Amen*. Conſuetam benedictionem velut quoddam ſignaculum litteris impoſuit. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti meritis vobis parta, & per illum vobis data, in vobis creſcat & permaneat.

CAPUT VI.

Senſus Moralis.

1. F*Ratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum ne & tu tenteris*. Fraternæ correptionis officium proximis in peccatum lapſis exhibere divino mandato tenemur. Illum enim vere non diligimus, niſi ipſi ad vitam æternam conſulamus, niſi lapſum erigere ſatagamus, nutantem ſuſtentemus, debilem confirmemus ac roboremus. Sed correptionis modum ſervare non ita facile eſt, quem nec plerique noverunt 1. Excuſandus eſt, quantum fieri poteſt peccator, ut correptionem ſuſcipiat. Ejus lapſus vel ſurreptioni, ignorantiæ, inconſiderationi, imprudentiæ, vel fragilitatis, vel tentationis vehementiæ, non malitiæ, ut plurimum tribuendus eſt. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*. 2. Ut majori cum auctoritate fiat correptio, majorique cum fructu, laborare debent quibus ex officio incumbit alios corripere, ut ſpirituales ſint, a carnalibus cupiditatibus alieni irreprehenſibiles. *Vos qui ſpirituales eſtis*. 3. Inſtruendi ſunt qui corripiuntur, erigendi, perficiendi, illiſque Lex Dei, Scripturæ ſacræ documenta, officia, contra quæ deliquerunt, ponenda ob oculos. *Hujuſmodi inſtruite*. 4. Corripiendi ſunt compaſſione miſericordiæ, non impetu iracundiæ, non acerbioribus verbis, & ex amaritudine animi ſubſeuli prodeuntibus, ſed cum benignitate & manſuetudine. *In ſpiritu lenitatis*. 5. Seipſum conſiderare debet, ac humiliare coram Deo qui hoc munus caritatis exercet, perſuaſumque habere ſe in eadem peccata, quæcumque ſint, pro humana fragilitate labi poſſe, quæ in aliis emendare ſatagit ſalutari correptionis medicamento. 6. Sibi ipſi timere debet, qui peccantem corripit, attendere, vigilare, ne eadem tentatione præoccupetur & corruat, vel ne in ipſa

Fraternæ correptionis officium & modus.

Digitized by Google

correptionis officio exhibendo ſuperbia, ita, aut amaritudo aliqua ſubrepat. *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris* .... S. Auguſtinum audire præſtat. *Nihil* (inquit) *ſic probat ſpiritalem virum, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potius quam inſultationem, potiuſque auxilia quam convicia meditatur & quantum facultas tribuitur, ſuſcipit.* „ Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis inſtruite hujuſmodi. *Et ne ſibi quiſque videatur inſtruere, etiam cum proterve exagitat irridetque peccantem, aut ſuperbe tamquam inſanabilem deteſtatur*: „ In ſpiritu, *inquit*, lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Nihil enim ad miſericordiam ſic inclinat, quam proprii periculi cogitatio .... Numquam itaque alieni peccati objurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cum internis interrogationibus examinantes noſtram conſcientiam, liquido nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere. Quod ſi convicium, vel minæ, vel etiam perſecutiones ejus quem argueris, laceraverint animum, ſi adhuc ille per te ſanari poſſe videbitur, nihil reſpondeas donec ſaneris prior: ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum conſentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quicquid enim lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus; non caritas corrigentis. Dilige, & dic quod voles: nullo modo maledictum erit, quod ſpecie maledicti ſonuerit, ſi memineris ſenſeriſque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis eſſe velle ab obſidione vitiorum. Quod ſi forte, ut plerumque accidit, dilectione quidem talem ſuſcipis actionem, & ad eam corde dilectionis accedis, ſed inter agendum ſubrepſerit aliquid, dum tibi reſiſtitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo, & ipſi homini faciat infeſtum; poſtea te lacrymis lavantem hujuſmodi pulverem, multo ſalubrius meminiſſe oportebit, quam non debeamus ſuper aliorum ſuperbire peccata, quando in ipſa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos quam miſeria miſericordes facit. *Inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis*. Neque ergo conſentientes illis malis, ut approbetis, neque negligentes, ut non arguatis, neque ſuperbientes, ut inſultanter arguatis.

S. Aug. in hunc locum.

S. Aug. Serm. 18. al. 16. De verbis Domini num. 20.

2. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Proximi onera portare, eſt ipſius peccata cum patientia ſuſtinere, peccantibus in nos ex animo ignoſcere, divinam miſericordiam pro illis humiliter exorare, illos ad pœnitentiam adducere, cum illis & pro illis Deo ſatisfacere in nomine & Spiritu Chriſti, propter Chriſtum, ut mandatum novum nobis ab illo datum impleamus. *Qui portant invicem onera ſua, niſi qui habent caritatem? Qui non habent caritatem, graves ſunt ſibi: qui autem habent caritatem, portant ſe. Læſit te aliquis, petit veniam, ſi non dimittis, non portas onus fratris tui; ſi dimittis, portas infirmum. Et tu ſi forte in aliquam infirmitatem cecideris, quaſi homo, oportet ut ſic te portet & ille, quemadmodum & tu.* „ Dicuntur cervi, quando tranſeunt freta in proximas inſulas paſcuæ gratia capita ſuper ſe invicem ponere; & unus qui ante eſt ſolus portat caput, & non ponit ſuper alterum, ſed cum & ipſe defecerit, tollit ſe ab anteriori parte & redit poſterius, ut & ipſe in altero requieſcat, & ſic portant omnes onera ſua, & perveniunt ad quod deſiderant, & non patiuntur naufragium, quia quaſi navis eſt illis caritas ... *Dilectionis officium eſt, invicem onera noſtra portare. Sed hoc officium, quod ſempiternum non eſt, perducet ſane ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt noſtra onera, quæ invicem portare jubeamur. Nunc vero cum in hac vita, id eſt, in hac via ſumus, onera invicem noſtra portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere, pervenire poſſimus.* „ Neque ulla res officioſum illum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, niſi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Peccata enim noſtra ſuſcepit; & nos igitur, ad ejus imitationem, invicem onera noſtra portemus. Accedit etiam illa cogitatio, quia ille ſuſcepit hominem, nos autem homines ſumus: & conſiderare debemus quod ægritudinem ſive animi, ſive corporis, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut poſſumus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, ſi forte nos in ea eſſemus, & ipſe non eſſet. Deinde etiam illud cogitandum, nullum eſſe hominum, qui non poſſit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamſi lateat, in quo ſine dubio poſſit te eſſe ſuperior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandamque ſuperbiam valet, ne arbitreris quoniam tua quædam bona eminent & apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, & fortaſſe majoris ponderis bona, quibus te ſuperat neſcientem .... Iſtæ cogitationes deprimentes ſuperbiam, & acuentes caritatem, faciunt onera fraterna invicem, non ſolum æquo animo, ſed etiam libentiſſime ſuſtineri.

Onera noſtra ſunt infirmitates & defectus invicem portare, caritatis officium eſt.

S. Aug. Enar. in Pſ. 129. n. 4.

S. Aug. l. De divers. Quæſt. 83. Quæſt. 71. n. 1. 3. 4. 5.

3. *Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*. Nihil ſuperbia fallacius, nihil ad ſpiritualem cæcitatem inferendam funeſtius. Ad humilitatem nobis proficiant quotidiani lapſus noſtri; nos erudiant & caſus alieni. Cogitemus nullum eſſe peccatum quod facit homo, quod non poſſit facere & alter homo, ſi deſit Rector a quo factus eſt homo. Talentis naturalibus, aut gratuitis donis ne extollamur. Magis humiles ſimus ex eo quod deeſt, quam elati ex eo quod adeſt. „ Nam qui putant ſe aliquid habere cum hic vivunt, ſuperbiendo non accipiunt quod deeſt: quia magnum putant eſſe quod adeſt. Qui enim putat ſe eſſe aliquid, cum nihil ſit, ſemetipſum ſeducit. Nec iſti ex hoc magni ſunt. Nam & inflatio & tumor imitatur magnitudinem, ſed non habet ſanitatem ... Ipſa eſt ergo gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confeſſionem infirmitatis, ut quicquid boni poſſumus, quicquid potentes ſumus, in illo ſimus, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.

Gratia Dei prima, cognitio nihil noſtri.

S. Auguſt.

Idem in Pſal. 38. n. 8. & 18.

4. 5. *Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero*. Opera noſtra diſcutiamus, non aliorum comparatione qui legem Dei violare non metuunt, & gravius forſan ac frequentius peccant: Sed nos ipſos, affectum noſtrum, intentionem noſtram, infidelitatem noſtram Dei gratiæ conſiderantes. Secundum Dei legem judicabimur, ſecundum illam nos judicemus. Aliorum exemplum coram Deo nos accuſare & damnare poteſt, juſtificare & abſolvere non poteſt. *Unuſquiſque enim onus ſuum portabit*. Ex conſcientiæ noſtræ puritate veram apud Deum gloriam habere ſtudeamus, ex hominum teſtimonio plerumque fallaci ne quæramus. „ Laudatores enim noſtri non minuunt onera conſcientiæ noſtræ: atque utinam non etiam cumulent, cum plerumque ne illis offenſis laus noſtra minuatur, aut objurgatione illos curare negligimus, aut jactanter eis aliquid noſtrum oſtentamus, potius quam conſtanter oſtendimus. Omitto ea quæ fingunt & mentiuntur de ſe homines propter hominum laudes. Quid enim iſta cæcitate tenebroſius, ad obtinendam inaniſſimam gloriam errorem hominis aucupari, & Deum teſtem in corde contemnere? Quaſi vero comparandus ſit ullo modo error illius qui te bonum putat, errori tuo, qui homini de falſo bono placere ſtudes, de vero malo diſplices Deo.

Vera gloria non in laudibus hominum, ſed in conſcientiæ puritate coram Deo poſita eſt.

S. Aug. in hunc locum.

6. *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis*. Evangelicos Operarios & Paſtores a Chriſtiano populo, cui ſpiritualia miniſtrant, ſuſtentari Chriſtus juſſit ut in illis humilitatem ac modeſtiam foveret, in illis caritatem accenderet. „ Quoniam enim Paſtoralis aut Doctoralis auctoritas frequenter inflat ea præditos, cohibens Doctoris ſpiritum, conſtituit illum in hac neceſſitate, ut opus habeat diſcipulis: & his rurſus præbet occaſionem ut faciliores reddantur ad benevolentiam & ad caritatem excitentur. Alioquin quam ob cauſam Deus, qui ingratos Judæos manna aluit, Apoſtolos in mendicorum neceſſitatem dejeciſſet? Nonne perſpicuum eſt, quod hinc magna pararet bona, modeſtiam & caritatem? Modeſtiam & humilitatem in Doctoribus: probrum enim videtur petere: caritatem in diſcipulis. *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis*. Hoc eſt, omnem in illum exhibeat liberalitatem; quippe qui majora dat, quam accipit; eo, inquam, majora, quo præſtantiora ſunt cœleſtia terrenis? Itaque ſi Doctor quærit quod naturæ ſatis eſt, nihilo minus accipiens manet in ſua dignitate. Quandoquidem & hoc laudi dandum eſt, Doctorem ſic aſſiduum eſſe miniſterio ſermonis, ut ceteris egeat, altiſſimaque laboret inopia, contemnens omnia quæ ad victus neceſſitatem pertinent. Quod ſi modum tranſgreſſus fuerit, corrupit ſuam dignitatem, non eo quod accipit, ſed quod prætet modum. Habentes igitur alimenta, & quibus tegantur, his contenti ſint Evangelii Miniſtri.

Eccleſiæ & Evangelii Miniſtris victus & [illegible] ſuppeditari debetur.

S. Chryſoſt. in hunc locum.

1. Tim. 6. 8.

7. 8. *Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet*. „ Prævidens ſpiritu Apoſtolus, eos qui docentur, & debent Magiſtris ſumptus & vitæ neceſſaria, poſſe obtendere paupertatem, & dicere: Ager meus hoc anno aruit ſiccitate, vineam grando contrivit; redditus, qui

S. Hieron. in hunc locum.

eſſe

Digitized by Google

eſſe poterant, tributa rapuerunt, non habeo unde tribuam quod debetur; adjecit: *Nolite errare: Deus non irridetur*. Paſtores & Operarios Evangelicos ſtipendiis & honorariis debitis defraudare, eſt Deum irridere. Scit Deus corda veſtra, non ignorat facultates. Excuſatio veriſimilis hominibus poteſt utcumque placere, Deum non poteſt fallere. Quod autem exhiberi jubetur, ſemen nominat, ne putes perditum, quod multiplicato fœnore recepturus es. *Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam.* „ Omne quod loquimur, agimus, cogitamus, in duobus ſeminatur agris, carne & ſpiritu. Si bona ſunt, quæ de manu, ore, corde promuntur; ſeminata in Spiritu, vitæ æternæ fructibus redundabunt: Si mala, ab agro carnis excepta, corruptionis nobis ſegetem pullulabunt. Ait autem Apoſtolus, *Qui ſeminat in carne ſua*: non ait, Qui ſeminat in ſpiritu ſuo, ſed ſimpliciter. Qui autem *ſeminat in ſpiritu*, Qui enim bona ſeminat, non in ſuo quidpiam, ſed in Dei Spiritu ſeminat, de quo & vitam meſſurus eſt æternam. Certum habeamus Spiritum ſanctum non remuneraturum niſi opera, quorum principium, regula, & finis eſt. Si mercedem æternam a Deo ſperamus, opera beata æternitate digna faciamus.

Deo agri in quibus hic ſeminamus, caro, & Spiritus.

9. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes*. Præſens vita ſementis tempus eſt; meſſis Æternitas. An diuturnior videri debet labor æterna mercede munerandus? An eo poſſumus defatigari? Agricola tempus & occaſionem ſementis obſervat, ſemen in terram ſpargit, & abſcondit, tempus meſſis expectat, laborans ſemper, & non deficiens: talis debet eſſe vita hominis Chriſtiani. Laborare ſemper in bonis operibus debet, numquam deficere: niſi enim uſque in finem perſeveraverit, vitam æternam non metet. Quam pudendum autem, ut cum peccatores quotidie in malis operibus augeantur, nos in bonis operibus defatigemur & deficiamus? Alta maneat mente repoſitum: *Opus cum fine, merces ſine fine*.

Præſens vita ſementis tempus; Meſſis æternitas.

Antiquus Auctor Sermonis 14. *De Sanctis* ſub S. Aug. nomine

10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei*. Cum vita iſta tranſierit, operandi tempus in beatam vel miſeram æternitatem deſinet. Unde Salvator ait: *Operamini dum dies eſt: veniet nox, quando jam nullus poterit operari*. Cum autem benefaciendi ſe dat occaſio, ne dicamus, Ille debet accipere, hic contemni. Imitemur Patrem noſtrum, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Fons bonitatis omnibus patet. Servus & liber, plebeius & rex, dives & pauper ex eo ſimiliter bibunt. Lucerna cum accenſa fuerit in domo, omnibus lucet æqualiter. Quod ſi in cunctos beneficentia exercenda eſt, quanto magis in domeſticos fidei, ſive in Chriſtianos, qui eumdem habent Patrem, & ejuſdem Magiſtri appellatione cenſentur? Quibus Chriſtus ait: *Unus eſt Pater veſter, omnes autem vos fratres eſtis: unus eſt Magiſter veſter*. Titus Imperator tantæ dicitur fuiſſe bonitatis, ut cum aliquando in cœna recordaretur quod nihil boni illa die feciſſet, dixerit amicis: *Hodie diem perdidi*. „ Nos vero putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates cum otioſum verbum loquimur, pro quo reddituri ſumus rationem in die judicii? Quod ſi ille ſine Lege, ſine Evangelio, ſine Salvatoris & Apoſtolorum doctrina, naturaliter & dixit & fecit; quid nos oportet facere, qui Evangelium audimus, & credimus, vitam æternam per Chriſtum Jeſum Salvatorem noſtrum ſperamus?

Joan. 4.
Matth. 5.

Beneficentia.

S. Hieron. in hunc locum.

Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. „ Perfecta liberalitas fide, cauſa, loco, tempore commendetur; ut primum opereris circa domeſticos fidei. Grandis culpa, ſi ſciente te, fidelis egeat: ſi ſcias eum ſine ſumptu eſſe, famem tolerare, ærumnam perpeti, qui præſertim egere erubeſcat: ſi in cauſam ceciderit aut captivitatis ſuorum, aut calumniæ & non adjuves: ſi ſit in carcere, & pœnis & ſuppliciis propter debitum aliquod juſtus excrucietur (Nam etſi omnibus debetur miſericordia, tamen juſto amplius) ſi tempore afflictionis ſuæ nihil a te impetret, ſi tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri. Perſonarum quidem Deus acceptor non eſt, quia novit omnia. Nos autem omnibus quidem debemus miſericordiam: ſed quia plerique fraude eam quærunt, & adfingunt ærumnam, ideo ubi cauſa manifeſtatur, perſona cognoſcitur, tempus urget, largius ſe debet profundere miſericordia .... Eſt etiam illa probanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius eſt enim ut ipſe ſubvenias tuis, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati: non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus; cauſa enim præſtat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicaſti, ut tuos divites facias, ſed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis peccata redimas tua. Putant ſe parum poſcere? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & ſe juſte facere putant. Et accuſat quod eum divitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede.

S. Amb. l. 1. De Offic. Miniſtr. cap. 30. n. 148. 149. 150.

14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Dicere poterat, Mihi abſit gloriari niſi in ſapientia, in majeſtate, in poteſtate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed dixit, Niſi in cruce. „ Ubi mundi Philoſophus erubeſcit, ibi theſaurum Apoſtolus reperit; non contemnendo vile involucrum; pervenit ad pretioſum involutum. Apoſtole ſancte, ibi totum eſt quod quæſiſti; & quid ibi magnum lateret, oſtendiſti. Quale adjutorium? *Per quem mihi*, inquit, *mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Quando tibi crucifigeretur mundus, niſi pro te crucifigeretur per quem factus eſt mundus? Ergo *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Quo Domino? Chriſto crucifixo. *Ubi humilitas, ibi majeſtas, ubi infirmitas, ibi poteſtas; ubi mors, ibi vita*. Si vis ad illa pervenire, noli iſta contemnere .... Hæc eſt Doctrina Chriſtiana, humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, ut non gloriemur niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Nam non eſt magnum in Chriſti ſapientia gloriari. magnum eſt in cruce Chriſti gloriari: unde tibi inſultat impius, inde glorietur pius; unde inſultat ſuperbus, inde glorietur Chriſtianus. Noli erubeſcere de cruce Chriſti: ideo in fronte tamquam in ſede pudoris ſignum ipſum accepiſti. Recole frontem tuam, ne linguam expaveſcas alienam. *Signum veteris Teſtamenti circumciſio in latenti carne: ſignum novi Teſtamenti, crux in libera fronte*. Ibi enim occultatio eſt, hic revelatio: illud eſt ſub velamine, hoc in facie .... Venit ipſa Petra, omnes nos Spiritu circumcidit, & ſuæ humilitatis ſignum in redemptorum fronte defixit. Jam gloriatio in cruce ſit Chriſti: non nos pudeat humilitatis Excelſi.... Crucifigatur vobis mundus, crucifigimini mundo. Quid eſt hoc? Felicitatem non quæratis de mundo; abſtinete vos a felicitate mundi. *Blanditur mundus, caveatur corruptor: minatur mundus, non timeatur effugator. Si bona mundi non te corruperint, ſi mala mundi non te corruperint, crucifixus eſt tibi mundus, crucifixus es mundo*.

In ſolo Chriſto crucifixo gloriandum.

S. Aug. Serm. 160. al. 11. inter editos ex Carthuſ. MSS.

S. Aug. Serm. 259. al. 3. ex editis a Vignerio.

Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. „ Mundum appellat res omnes temporarias, gloriam, opes, voluptates. Hæc omnia quæ vulgo videntur eſſe magnifica, mihi facta ſunt mortua. Talem oportet eſſe Chriſtianum, & hanc vocem ſemper habere in ore. Conſidera Apoſtoli erga Deum caritatem. Non ſufficit illi prior mortificationis modus, ſed & alterum addit, dicens, *& ego mundo*. Et illa (inquit) mihi mortua ſunt & ego viciſſim illis. Nec illa me capere poſſunt, neque manibus injectis captivum ducere, quippe ſemel mihi mortua; neque ego illorum cupidine teneri, quippe qui mortuus illis. Nihil hac mortificatione felicius. Hoc eſt beatæ vitæ fundamentum. Hæc ſanctarum pars animarum, quæ unum timere, unum diligere, & in unum Dominum ſperare didicerunt, mortificatis cupiditatibus, & crucifixis corporis ſenſibus, ad nullum hoſtium metum, ad nullum inclinantur obſequium. Voluntatem enim Dei etiam ſibi præferunt, *& tanto amplius ſe amant, quanto amplius pro Dei amore ſe non amant*. Cumque audiunt ſibi divinitus dici; *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere*, dividunt affectus ſuos, & legem mentis a corporis lege diſcernunt: *Ut ex quadam ſe parte ſibi denegent, perdentes ſe in iis, quæ carnaliter cupiunt, & invenientes ſe in iis, quæ ſpiritaliter concupiſcunt*. Hi ſunt quibus mundus crucifixus eſt, & illi mundo.

Mortificatio Chriſtiano omnino neceſſaria.

S. Chryſoſt. in hunc locum

S. Leo Serm. 65. De Paſſ. Dom. 19. c. 5.

Eccli. 18. 30.

15. *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*. Qui nos ſine ullis noſtris meritis condidit in prima creatione ut homines eſſemus; ſine ullis noſtris meritis fecit in ſecunda creatione ut novi homines eſſemus. In prima conditi ſumus ex nihilo naturæ; in ſecunda renovati ex nihilo peccati. Id per ſanctum baptiſma

factum, in quo veterem hominem exuimus, novumque induimus: & onus peccatorum deponentes, gratiam Spiritus ſancti ſuſcepimus. Id in beata reſurrectione perficietur, & conſummabitur, cum deſtructa morte, & concupiſcentia, corruptibile & mortale corpus induet incorruptionem & immortalitatem. Ad quam ut perveniamus, in hoc mundo vivamus ut homines novi.

Vita Chriſtiani, debet eſſe vita crucifixi.

17. *De cetero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* Felix qui ſe Chriſti ſervum non ſolis verbis, ſed crucis ejus participatione profitetur. Mortificationes & afflictiones carnis, perſecutiones propter juſtitiam patienter & cum gaudio toleratæ, notæ ſunt Domini Jeſu, quibus ut fideles ejus ſervi agnoſcimur. Hæc inſignia militiæ noſtræ. *Quod crux fuit Chriſto, hoc eſt baptiſma Chriſtiano.* Per baptiſmum contraximus obligationem patiendi, ſicut Chriſtus in cruce paſſus eſt. Et ſicut vita ejus in cruce erat vita patiens & vita moriens, ſic tota vita Chriſtiani debet eſſe vita crucifixi, vita pœnitens, vita patiens, vita mortificata. *ſed & qui crucis nos religioſos putat, conſecraneus erit noſter.* Tertullian.

18. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres. Amen.* In Chriſto Jeſu manere non poſſumus, niſi gratia ejus maneat & operetur in nobis, niſi ſpiritus noſter ejus Spiritu non modo regatur, ſed agatur; niſi per ipſum a carnalibus operibus expurgati, ſpirituales homines efficiamur. Apoſtolus in memoriam revocat Chriſtianis Galatis donum, quod non per Legem, ſed per Fidem acceperunt. Hanc nos quoque gratiam cuſtodiamus, & ne Spiritum ſanctum contriſtemus, in quo ſignati ſumus in diem redemptionis: ſed bonam actionem veluti quoddam oleum intelligenti huic luci adhibeamus; ut illuminati recta incedamus, & ſanctum vitæ finem conſequamur in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Amen.* Theodor. in hunc locum.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM
S. PAULI APOSTOLI
AD EPHESIOS,
COMMENTARIUS
LITTERALIS ET MORALIS,

PRÆFATIO.

Act. 19. & 20.

EPHESUS minoris Aſiæ Metropolis, Dianæ Multimammiæ templo, Oratorum & Philoſophorum ingenti numero celeberrima, in qua S. Paulus per triennium prædicans, idololatriam & magiam ibi regnantem expugnaverat, nobilemque fundaverat Eccleſiam. Operæ autem pretium duxit Apoſtolus fideles Epheſios ad Chriſtum converſos in doctrina fidei confirmare, ac de præcipuis Religionis Myſteriis, necnon de Chriſtianæ vitæ officiis plenius edocere: quod iſta præſtitit Epiſtola, Romæ ſcripta ex vinculis, & miſſa per Tychicum Diaconum. De prædeſtinatione Chriſti & Sanctorum, de redemptione & juſtificatione noſtra per mortem Chriſti, de illius glorificatione, de vocatione Gentium omnino gratuita, de Eccleſiæ ædificatione, primis quatuor capitibus agit ſublimi ſtylo, & Myſteriorum, de quibus agit, dignitati reſpondente. Mutua deinceps virorum & uxorum, parentum & liberorum, dominorum & ſervorum officia explicat. Omnes denique ac ſingulos tamquam in Chriſti militiam adſcriptos, adverſus impugnationes dæmonum armis ſpiritualibus inſtruit.

Cap. 3. & ult. hujus Epiſt.

Contra Simonis Magi diſcipulos maximam partem Judæos, qui de Angelis & Dæmonibus multa fabuloſa ſub falſo ſcientiæ nomine vulgabant, quædam intermiſcet, docens qui ſint dæmones, quid valeant, quid ante fuerint, & quo modo poſt adventum Chriſti ſunt diruti atque deſtructi. *Mediam* hanc *Apoſtoli Epiſtolam* S. Hieronymus vocat, *non quo primus ſequens, extremis major ſit, ſed quomodo cor animalis in medio eſt: ut intelligatur quantis difficultatibus, & quam profundis quæſtionibus involuta ſit.*

Cap. 6.

S. Hieron. Proœm. Com.

CAPUT I.

Senſus Litteralis.

Confer cum 1. Cor. 1. 1. 2. Cor. 1. 1. Gal. 1. 4.

Confer cum Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 3. 2. Cor. 1. 2. Galat. 1. 3.

1. 2. P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu.* Paulus, non meis meritis, non humana electione, ſed ſola Dei voluntate ad Apoſtolatum Jeſu Chriſti vocatus, omnibus in Chriſtum credentibus, ab ipſo, per ipſum, & in ipſo ſanctificatis, qui ſunt Epheſi. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Deus Pater noſter, fons totius Deitatis, & omnium beneficiorum ſpiritualium auctor; & Dominus Jeſus Chriſtus, Mediator noſter, per quem omnia donat Pater, gratiam & pacem vobis largiantur.

3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cæleſtibus, in Chriſto Jeſu.* Laudetur & adoretur Deus noſter, idemque Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos omnibus donis ſpiritualibus, ad ſalutem & vitam æternam, in cœlis nobis paratam, conducentibus & provehentibus, per Chriſtum Jeſum auxit & cumulavit.

Prædeſtinatio ſanctorum omnino gratuita.

4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate.* Secundum quod nos elegit & prædeſtinavit ab æterno per ipſum Chriſtum, gratuito voluntatis ſuæ propoſito, nullo ad merita noſtra habito reſpectu, ut eſſemus ſancti per remiſſionem peccatorum & mentis renovationem, & irreprehenſibiles in omni vita & converſatione noſtra, non hominum tantum, ſed Dei qui omnia intuetur, judicio. Hæc autem electio ad caritatem Dei erga nos unice referenda eſt.

Secundum Græcum Textum, redundant hæc verba, *Filio ſuo*, & habetur ſolum, *in Dilecto*; ſuffragante S. Hieron. Hæc ſiquidem verba, *Filio ſuo*, explicationis gratiam in Latinis Codicibus adjecta ſunt.

5. 6. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.* Qui nos æterno conſilio & propoſito bonæ voluntatis ſuæ prædeſtinavit ut filii ejus adoptivi efficeremur per meritum Jeſu Chriſti, tum adoptione inchoata per gratiam, tum perfecta, quam exſpectamus, per gloriam. Nos autem prædeſtinavit ad tantam dignitatem & felicitatem, ut laus & gloria ejus gratiæ, & bonæ in nos voluntati, æternæque caritati tribuatur, per quam nos ſibi gratos & acceptos efficit, propter meritum Filii ſui ſingulariter a ſe dilecti.

Redemptionis per Chriſtum noſtræ Myſterium.

7. 8. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis, in omni ſapientia & prudentia.* Per quem Dilectum Filium Dei Jeſum Chriſtum redempti ſumus a captivitate peccati, mortis, ac diaboli, ſoluto pro nobis in cruce pretio ſanguinis ipſius. Cujus quidem redemptionis primarius fructus eſt remiſſio peccatorum, ex infinita ejus bonitate, & divite gratia, quam in nos copioſiſſime effudit, una cum præclaris cœleſtis ſapientiæ & prudentiæ donis. Sapientia reſpicit res credendas & cognoſcendas, prudentia res agendas, vitam & mores Chriſtiani. Vel: Quam gratiam mira ſapientia & prudentia nobis elargitus eſt. Sapientiæ ſcilicet fuit adinvenire rationes redimendi & ſalvandi generis humani; prudentiæ vero eas diſponere. Sanguis autem Chriſti pretium fuit non modo ſufficiens, ſed ſuperabundans redemptionis omnium hominum, & ſatisfactio ſecundum ſtrictos juris apices, ob infinitam perſonæ ſatisfacientis dignitatem, utpote Dei & hominis. „ Non enim aliter
„ Deo ſatisfieri potuit, niſi ſolveretur pro peccato
„ hominis aliquid majus, quam omne quod Deus
„ non eſt. Illum quoque qui de ſuo poterit Deo
„ dare aliquid quod ſuperat omne quod ſub Deo
„ eſt, majorem eſſe neceſſe eſt, quam omne quod
„ non eſt Deus. Nihil autem eſt ſupra omne quod
„ Deus non eſt, niſi Deus. Sed nec ſatisfacere de-
„ bet niſi homo. Neceſſe ergo fuit ut ſatisfaceret
„ Deus homo. Nullatenus enim poteſt homo acci-
„ pere a Deo, quod Deus illi dare propoſuit, ſi
„ non Deo reddit totum quod illi abſtulit: ut
„ ſicut per illum Deus perdidit, ita per illum Deus
„ recuperet. Quod non aliter fieri valet, niſi ut
„ quemadmodum per victum hominem tota natura
„ corrupta & quaſi fermentata eſt peccato, cum quo
„ nullum Deus aſſumit ad perficiendam illam civi-
„ tatem cœleſtem: ita per vincentem juſtificentur
„ a peccato tot homines, quot illum numerum
„ completuri erant, ad quem complendum factus
„ eſt homo. Sed hoc facere nullatenus poteſt homo
„ peccator; quia peccator peccatorem juſtificare ne-
„ quit. Satisfactio igitur condigna & accurata ex-
„ hiberi Deo non potuit niſi a Deo homine, dilecto Filio ſuo Jeſu Chriſto, qui ſolus nobis eſt *pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus.*

S. Anſelm. l. 2. Cur Deus homo, cap. 6.

Idem l. 1. c. 23.

Hebr. 7. 26.

9. 10. *Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum bene placitum ejus, quod propoſuit in eo. In diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.* Ut nobis revelaret arcanum voluntatis ſuæ conſilium, Myſterium nempe redemptionis ac ſalutis humanæ, diu abſconditum figurarum involucris, & obſcuratis Prophetarum oraculis: Quod quidem Myſterium

Pro *inſtaurare*, S. Hier. vertit, *recapitulare*, vel *in unum colligere*, & eſt verbi Græci.

bitioſis parentibus Clero deſtinantur & Abbates vocantur, antequam ex ephebis exierint, & pueriliſ crepundia abjecerint. Hi per voluntatem carnis, non *per voluntatem Dei* Jeſu Chriſti Miniſtri ſunt. Ab illo proinde non agnoſcentur, de quo ſcriptum eſt: *Cognovit Dominus qui ſunt ejus*. Dicet illis, *Neſcio vos*: nomina eorum in Aula cœleſti non ſcribuntur, ſtipendium æternæ beatitudinis non recipient.

Chriſtiani omnes ſancti eſſe debent ac fideles Chriſto Jeſu.

Omnibus ſanctis qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu. Chriſtiani omnes intelligant ſe profeſſione & ſtatu ſanctos, morum integritate ac puritate, vitæ ſanctimonia implere teneri quod profitentur. Etſi in ſæculo, etſi in conjugio vivant, etſi in aula, etſi in caſtris, etſi in negotiis, ſancti ſint oportet, ac fideles Chriſto Jeſu, quia Chriſtiani ſunt. Stabilem & perſeverantem ſanctitatem ac obſervantiam evangelicæ legis fidelitas Chriſto Jeſu in baptiſmo ſolemniter promiſſa importat. Quam pauci nunc in Eccleſia ſancti! Quam rara virtus! Quantum a primævo Chriſtianiſmo decidimus ac defecimus! „ Plures ſunt fideles, ſed non in Chriſto Jeſu. Si quis reddat depoſitum, ſi commodata non abneget, fidelem ſe amicum exhibeat, animam „ magis quam fidem paratus ſit prodere (quod de „ nonnullis Philoſophis, immo & de Athenienſi „ meretrice, memoriæ proditum eſt) iſte quidem „ fidelis eſt, ſed non in Chriſto Jeſu, niſi cujuſcumque criminis & mortalis peccati puris ſit, & ſecundum Evangelium vivat.

S. Hieron. in hunc locum.

2. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*. Gratia panis quotidianus eſt, quem in Oratione Dominica poſtulare a Deo Patre noſtro debemus. Unde Innocentius I. Pontifex Maximus quotidianam gratiam vocat, ad ſingulos ſcilicet actus bonos neceſſariam. *Quid enim tam iniquum eſſe poteſt, tam Chriſtianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere quicquid in quotidiana gratia conſequeris, cui te ipſe debere confiteare quod natus es? Ergo eris tibi in providendo præſtantior, quam poteſt is eſſe, qui te ut eſſes, effecit? Et cum te putes ei debere quod vivis, quomodo te non putas illi debere, quod quotidianum ejus conſequendo gratiam, taliter vivis?* Pax hereditas eſt quam ſperemus & expectamus. *Quia filii ſumus, hereditatem habebimus. Et quid ipſa hereditas, niſi pax? Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Jeruſalem interpretatur *Viſio pacis*. Qui non commovebitur in æternum? Qui habitant in Jeruſalem. Et, *Pax ſuper Iſrael*. Ergo Iſrael, qui videns Deum eſt, videns pacem eſt: igitur Deus ipſe eſt pax. Summa deſideriorum noſtrorum, æterna in Deo requies. *Propter hanc totum agitur quod Chriſtiani ſumus. Hæc pax finem temporis non habebit, ſed omnis ſit noſtra intentionis actionisque finis ipſa erit. Propter hanc ſacramentis ejus imbuimur, propter hanc mirabilibus operibus ejus & ſermonibus erudimur, propter hanc Spiritus ejus pignus accepimus, propter hanc in eum credimus, & ſperamus, & ejus amore quantum donat accendimur: hac pace in preſſuris omnibus conſolamur, hac a preſſuris omnibus liberamur: propter hanc omnem tribulationem fortiter ſuſtinemus, ut in hac feliciter ſine ulla tribulatione regnemus*. Utrumque vero bonum gratiæ & pacis per Domini noſtri Jeſu Chriſti merita a Deo Patre noſtro ſuppliciter poſtulare & expectare debemus.

Innocentius I. Epiſt. ad Concil. Carthag. Gratia & pax ſumma deſideriorum hominis Chriſtiani.

S. Aug. Enar. in Pſal. 125.

Idem Tract. 104. in Joan.

3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*. Una Dei maledictio ſuper Adamum peccatorem & ejus poſteros mala omnia complectitur: una Dei benedictio ſuper Chriſtum Jeſum & ejus electos, omnia bona tulerit: Bona, inquam, ſpiritalia & cœleſtia. *Omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus*. Benedictio temporalis veteris Teſtamenti propria erat: Benedictio ſpiritualis, Teſtamenti novi. Qui temporalia bona deſiderant, ſuamque in illis felicitatem conſtituunt, carnalibus Judæis ſimiles ſunt. Temporalis fœlicitas plerumque reproborum portio eſt: bona ſpiritualia, cœleſtia, æterna, hereditas eſt electorum. Temporales certe benedictiones, ſcilicet benedictos eſſe in urbibus, in agris, affluere opibus & honoribus, in Prophetis impletas non videmus: hominibus, qui in melotis & in pellibus caprinis erraverunt, in egeſtate, in anguſtia, in deſertis montibus, in ſpeluncis & cavernis terræ, perſecutorum impetus declinantes: ſed ſpiritalem omnem benedictionem a Deo Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti habebant, & in cœleſtibus per Chriſtum venturum expectabant, ad novum Teſtamentum pertinentes, licet in veteri viverent. Quis non potius eligat cœleſtem omnem bendictionem, quam terrenam: ſpiritalem, quam carnalem; æternam, quam temporalem & tranſitoriam? „ Quid tibi deeſt, Chriſtiane? Factus es immortalis, factus „ es liber, factus es filius, factus es juſtus, factus „ es frater, factus es cohæres: ſimul regnas, ſimul glorificaris. Omnia tibi gratis donavit. Quomodo non etiam cum ipſo nobis omnia donabit? „ Primitiæ tuæ adorantur ab Angelis, a Cherubim „ & Seraphim. Quid adhuc deeſt? *In omni benedictione ſpirituali*. Nihil eſt hic carnale. Propterea Diſcipulis ſuis Chriſtus Jeſus dixit: *In mundo preſſuram habebitis*. Nam quomodo qui habebant carnalia, ſpiritualia audire non poterant: ita qui „ aſſequuntur ſpiritualia, ea non poſſunt aſſequi, „ niſi prius diſcedant a carnalibus. Quid eſt benedictio ſpiritualis in cœleſtibus? Non in terra, ſicut apud Judæos. *Bona terræ comedetis .... In terram fluentem lacte & melle .... Benedicet Deus terram tuam*. Hic autem nihil tale. Sed quid? *Qui diligit me, mandata mea ſervabit*. Et, *Ego & Pater ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus ... Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Vides ubique cœlos, nuſquam terram, neque ea quæ ſunt in terra. Omnis benedictio ſpiritualis in cœleſtibus in Chriſto Jeſu pars eſt eorum quorum converſatio in cœlis eſt, qui non ſunt de mundo, nec diligunt mundum; qui depoſita imagine terreni hominis, portant imaginem cœleſtis, & in carne non vivunt, ſed in ſpiritu & theſaurizant ſibi in cœlis, ubi & cor habent.

S. Chryſ. Hom. 1. in hanc Epiſtolam.

Benedictiones ſpirituales Novi Teſtamenti propriæ, potiſſimum electorum, a Chriſto donantur.

S. Hieron. in hunc locum. Hebr. 11.

Rom. 8.

Joan. 16.

Levit. 20. Num. 13. Deuteron. 19. Pſalm. 84. Joan. 14. Matth. 5.

4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate*. In mundo iſto facti ſumus, nec mundus erat quando electi ſumus. „ Ineffabilia mirabilia! Quis hoc explicare ſuffecerit? Quis ſaltem „ quod explicet cogitare? Eliguntur qui non ſunt: „ nec errat qui eligit, nec vane eligit. Eligit tamen & habet electos, quos creaturus eſt eligendos: habet autem apud ſe ipſum, non in natura „ ſua, ſed in præſcientia ſua. Ergo nolite extolli: „ homines ſumus; *Ipſe fecit nos*. Fideles ſumus, etiam fideles, etiam juſtos, quia juſtus ex fide vivit, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Si magna gratia „ eſt qua conditi ſumus, cum nihil boni mereremur; *Quanta gratia eſt, quando tantum mali merebamur?* Qui nondum erat, bene non merebatur; peccator & male merebatur. Nondum erat „ qui factus eſt, nondum erat, ſed nec offenderat. „ Nondum erat, & factus eſt: offendit, & ſalvus „ eſt. Qui nondum erat, nihil ſperabat, factus eſt: „ lapſus autem damnationem expectabat, & liberatus eſt. Hæc eſt gratia per Jeſum Chriſtum Dominum „ noſtrum. Ipſe fecit nos, & antequam eſſemus omnino ipſe fecit nos, & factos & lapſos ipſe & „ juſtos fecit nos, & non ipſi nos. Elegit nos ante mundi conſtitutionem, non quia futuri eramus ſancti, ſed ut eſſemus. Gratiam & gloriam „ electis ſuis præparatam commiſit Chriſto Jeſu Filio ſuo, in quo benedicuntur, ſanctificantur, & „ glorificantur, ut ejus membra, cui Pater illos dedit, & de cujus manu nemo illos rapere poteſt. *Elegit nos in ipſo, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus*. Nemo quippe vere ſanctus eſt, qui non judicio Dei ſanctus eſt. Plerique enim in conſpectu hominum ſancti ſunt, ſive ſanctitatem mentiuntur, qui judicio Dei cordium ſcrutatoris, quem nemo fallere poteſt, ſancti non ſunt & immaculati, ſed ſepulcris dealbatis ſimiles, & lupi ſub pellibus ovium. Elegit autem nos *in charitate*. „ Nec tamen „ a ſola ejus charitate ſalus noſtra eſt, ſed & noſtra „ virtute. Nam ſi a charitate ſola, oporteret omnes „ eſſe ſalvos. Si autem a noſtra ſola virtute, ſupervacaneus fuiſſet ejus adventus, & quæcunque „ pro nobis incarnatus fecit & paſſus eſt. Sed neque a ſola charitate, neque a noſtra virtute, ſed „ ex utriſque. Nullum ſalvum feciſſet virtus, niſi „ Dei charitas virtutem dediſſet. Nam quid profuiſſet Paulo, niſi ipſum evocaſſet e ſuperis, & „ dilectum ad ſe traxiſſet? Sed charitas Dei operatur charitatem in nobis, qua vere ſancti ſumus „ & immaculati in conſpectu ejus.

Electio ad gratiam & gloriam ſola misericordia præviſione.

S. Aug. Serm. 26. alias 11. de verbis Apoſtoli, cap. 11.

Pſalm. 94.

S. Auguſt. lib. De Præd. Sanctor. c. 18.

S. Chryſ. Hom. 1. in hanc Epiſt.

5. 6. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*. Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, ut qui natura homines ſumus, per gratiam ſimus divinæ conſortes naturæ, & Unigeniti coheredes. „ Fecit autem hoc ſecundum placitum voluntatis ſuæ, ut nemo de ſua, „ ſed de illius erga ſe voluntate glorietur: fecit hoc „ ſecundum divitias gratiæ ſuæ, ſecundum bonam „ voluntatem ſuam, quam propoſuit in dilecto Filio ſuo, in quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum, non noſtrum, ſed

Prædeſtinatio ſanctorum in ſola Dei miſericordia & bonitate fundatur.

S. August. lib. De Prædeſtin. Sanctor. c. 18. num. 47.

„ ejus

„ ejus, qui univerſa operatur, uſque adeo ut ipſo „ in nobis operetur & velle. Operatur autem ſecun„ dum conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus in lau„ dem gloriæ ejus. Hinc eſt quod clamamus, ut „ nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in ſe „ ipſo, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur ..... „ Ex hoc propoſito ejus eſt illa electorum propria „ vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, „ quia ſecundum propoſitum vocati ſunt, & ſine „ pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. In natura per peccatum corrupta, in voluntate vulnerata & infirma ne quæramus cauſam prædeſtinationis Sanctorum, quæ in ſola Dei bonitate & miſericordia fundatur. Per Chriſtum, in Chriſto, propter Chriſtum prædeſtinati ſunt, vocati, ſanctificati, „ glorificandi, quicumque ſecundum propoſitum divinæ voluntatis electi ſunt. Per Chriſtum (inquam) id eſt, per ejus Myſteria, mediationem, merita, ſacerdotium, & ſacrificium. In Chriſto, id eſt, in ejus perſona, in ejus corpore, illi adhærendo ut fratres, & membra adoptata, ab eoque ut capite ſpiritum & vitam recipientia. Propter Chriſtum, id eſt, ut corpus ejus myſticum omnibus membris ſuis perficiatur, ut Myſteria ejus adimpleantur, ut ejus gratiæ virtus omnipotentiſſima in æternum laudetur. Jam nunc Deum glorificemus & laudemus, ut felices æternitatis candidati. „ Deus bonorum „ noſtrorum non eget: ſed vult a nobis laudari & „ glorificari, ut in ipſum caritas ſit in nobis fer„ ventior. Ex noſtris nihil aliud cupit, quam no„ ſtram ſalutem. Qui enim gratiam ſibi factam lau„ dat & admiratur, attentior erit & diligentior. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*, Per gratiam ſuam nos ſibi gratos & amabiles fecit in Chriſto Jeſu dilecto Filio ſuo Deus Optimus Maximus. Diſplicentes amati ſumus, & nobis dedit unde placeremus. „ Velut ſi quis „ ſenem-decrepitum, ſcabioſum, egenum, pannoſum, „ in juventutem & admirabilem pulcritudinem re„ formaret, purpuraque & diademate ordinaret. Ita „ Deus noſtram per Chriſtum renovavit animam, „ pulchram fecit, inſtruxit, ornavit; ita ut in ipſa „ Propheticum illud oraculum impleatur: *Et concupiſcet Rex decorem tuum.*

In Chriſto per Chriſtum & propter Chriſtum prædeſtinati ſunt Sancti.

S. Chryſoſtom.

Pſalm. 44.

7. 8. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus, Quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia.* Chriſtus Jeſus Dei Filius unigenitus proprium ſanguinem dedit, ut nos a peccati & diaboli miſerrima turpiſſimaque ſervitute liberaret, ac libertate filiorum Dei donaret. Codrum, Curtium, & Decium profana jactet Antiquitas, qui ſe devoverunt in certum interitum ut peſtilentiam, famem & bella ab urbibus averterent; quanto major filii Dei bonitas, miſeratio, & caritas qua dilexit nos, qui ſanguine ſuo non urbem unam, ſed orbem univerſum purgavit, redemit? Quis non admiretur ſervum Filii Dei ſanguine redemptum peccatorem juſtificatum, cæcum luce ſapientiæ ejus illuminatum, pauperem & nudum bonis ejus ditatum, ipſomet indutum & impletum? Talis eſt, filius Adam, quem Deus prædeſtinavit in adoptionem filiorum ſuorum per Jeſum Chriſtum, quem Chriſtus Jeſus membrum ſuum effecit. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, redemptionem peccatorum.* „ Nihil eſt æque magnum ac Dei ſanguinem „ pro nobis eſſe effuſum. Et filiorum adoptione, & „ aliis donis hoc eſt majus, quod ne Filio quidem „ ſuo pepercerit. Magna res eſt remiſſa eſſe pecca„ ta, ſed majus eſt quod per ſanguinem domini„ cum. Hæc gratiæ illius in nos ſuperabundantia. *Secundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis, in omni ſapientia & prudentia:* Sapientia ſcilicet qua illuminamur in cognitione myſteriorum fidei, & omnium quæ ad Religionem & ſalutem pertinent; & prudentia Spiritus, qua dirigimur in agendis, ut mala vitemus, & quæ bona ſunt agamus, quando, ubi, & quomodo oportet, Dei dona ſunt ex theſauro inexhauſto gratiæ ejus in nos abundanter profuſa.

Omnium hominum redemptio per ſanguinem Chriſti.

S. Hieronym.

S. Greg. l. 16. Moral. locum.

Quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia. Gratia in Apoſtolis præſertim abundavit, quos ſicut ad ſingularem dignitatem vocavit, ita ſingularis gratiæ privilegio donavit: quibus proinde aliquem ceterorum Sanctorum comparare, temerarium eſt. In illis, inquam, ſuperabundavit gratia Dei in omni ſapientia primis Eccleſiæ Paſtoribus neceſſaria, de quibus ſcriptum eſt: *Dabo vobis Paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Duo nempe ſpectant ad Paſtores. 1. Sublimior cognitio rerum divinarum, ut doceantur ſubditi. 2. Induſtria in rebus agendis, ut in exterioribus optime gubernentur. Illud ſapientia præſtat, iſtud prudentia. Unde Chriſtus utramque dotem Apoſtolis abundantius contulit. *Dabo vobis os & ſapientiam*, inquit, *cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Et, *Eſtote prudentes*, &c.

Sapientia & prudentia Paſtoribus neceſſariæ.

S. Thomas, Lect. 3.

Jerem. 3.

Luc. 21.

Matth. 10.

9. 10. *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.* Verbum Incarnatum, veritas eſt veterum omnium figurarum, quas Deus ſub Lege naturæ & ſub Lege ſcripta hominibus delineavit, ut illos ad tanti myſterii fidem diſponeret: complementum eſt omnium prophetiarum quibus prænunciatum eſt: executio eſt æterni conſilii, liberrimique & maxime gratuiti beneplaciti voluntatis Dei de generis humani reparatione: promiſſionum ejus Patriarchis antiquis factarum exhibitio; finis Legis; reconciliatio peccatorum, inſtauratio naturæ; reſtitutio gratiæ; Angelorum & hominum vinculum, & conſolatio, & pax, creaturarum omnium recapitulatio. Pro Angelis quidem Chriſtus non eſt mortuus: *Sed ideo etiam pro Angelis fuit, quicquid hominum per ejus mortem redimitur & liberatur a malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam, poſt inimicitias quas inter homines & ſanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipſa hominum redemptione angelicæ ruinæ reparantur. Et utique noverunt Angeli ſancti docti de Deo, cujus veritatis æterna contemplatione beati ſunt, quanti numeri ſupplementum de genere humano integritas illius civitas exſpectet.* Propter hoc ait Apoſtolus, „ Inſtau„ rari omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in „ terra ſunt, in ipſo. *Inſtaurantur quippe ea quæ in cælis ſunt, cum id quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur: inſtaurantur autem quæ in terris ſunt, cum ipſi homines qui prædeſtinati ſunt ad æternam vitam, a corruptionis vetuſtate renovantur. A. ſic per illud ſingulare ſacrificium, in quo Mediator eſt immolatus, quod unum multæ in Lege victimæ figurabant, pacificantur cæleſtia cum terreſtribus, & terreſtria cum cæleſtibus.* Ad hoc Myſterium cognoſcendum enitamur, ejus intelligentiam a Patre luminum poſtulemus, divinæ imaginis inſtaurationem in nobis cum gratia Chriſti adimpleamus, ad ipſam imaginem primigeniam Chriſtum Jeſum attendentes. Hic enim Incarnationis Filii Dei finis, „ Quomodo enim rationales ſunt homines, ſi „ non cognoſcant Patris Rationem ſeu Verbum, „ cujus opera creati ſunt? Aut cur ita Deus eos „ condidiſſet, ſi ab iis cognoſci non optabat? Qua„ mobrem ut hoc fieret, cum bonus ſit, ſuam ima„ ginem in creatione illis impertitus eſt, ut agno„ ſcentes imaginem Patris, etiam ad Patris intelli„ gentiam contenderent, quo ita cognito ſuo Creato„ re, vere beatam viverent vitam. Verum ſtulti „ ex negligentia tantæ ipſis impertitæ gratiæ, miris „ modis ſeſe a Deo averterunt, menteſque ſuas quaſi „ luto contaminaverunt. Quid igitur Deo conveni„ bat ut faceret, aut quid par erat ut fieret, *Niſi ut exemplar imaginis renovaret, ut per ſe denuo ipſum homines cognoſcere poſſent? Id autem quomodo conſici potuit, niſi ipſa imago Dei Salvator noſter Chriſtus ſupervenirer? Ut enim forma aliqua in tabulis depicta, ſordibuſque aliunde oblitterata inſtaurari nequit, niſi ejus præſentia adhibeatur, ad cujus ſpeciem primitus tabula depicta fuit; eodem modo bonus Patris Filius, imago & character Patris, ad regiones noſtras profectus eſt, ut hominem ad ſui ſimilitudinem factum denuo reficeret, & perditum condonatione peccatorum recuperaret.*

Incarnati Verbi Myſterium inſtauratio eſt omnium quæ in cælis, & quæ in terris ſunt per Chriſtum Jeſum.

S. Aug. Enchiridii c. 62.

S. Athanaſ. l. De Incarnat. Verbi.

11. 12. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: Ut ſimus in laudem gloriæ ejus*, &c. Prædeſtinationis Myſterium æternæ ſapientiæ ac voluntatis conſilio a Deo diſpoſitum, adorare par eſt, non curioſe ſcrutari. Beatam illam ſortem, omnino gratuitam, & independenter a meritis humanis præparatam, ſatagere debemus ut per bona opera certam faciamus. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Quamvis enim quod Deus efficaciſſimo & abſolutiſſimo ſuæ voluntatis propoſito ſtatuit, nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, & bene operandi, *Cum implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per inſtantium ſupplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum; & qui bona geſſerint, non ſolum ſecundum propoſitum Dei, ſed etiam ſecundum ſua merita coronentur. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humana cognitione ſecreto præfinitio hujus electionis abſcondita eſt. Et de nullo ante ipſius finem pronuntiari poteſt, quod in electorum gloria ſit futurus, ut perſeverantem humilitatem utilis*

Prædeſtinationis gratuitæ Myſterium.

2. Petri 10.

Auctor antiquus libri De Vocat. omnium Gentium ſub nomine S. Proſperi, lib. 1. cap. 20.

metur

metus ſervet, & qui ſtat, videat ne cadat. Nihil ergo de noſtris viribus aut meritis præſumendum, ſed omnis ſpes noſtra in Chriſto collocanda, gratiæ Deo agendæ per ipſum pro beneficiis toti electorum corpori collatis & conferendis; orandum ſine intermiſſione ut ex felici illo numero ſimus; in obſervantia mandatorum ejus perſeverandum eſt, *Ut ſimus in laudem gloriæ ejus*. Electos omnes Chriſto dedit Pater æternus, & nemo ex illis peribit. Solus Chriſtus condignas pro illorum electione, vocatione, juſtificatione, & glorificatione gratias & laudem agere & referre poteſt. Deum adorat & laudat in nobis & pro nobis; in nobis, ut caput noſtrum, pro nobis, ut Sacerdos noſter; qui tamen cum Patre & Spiritu ſancto adoratur & laudatur a nobis, ut Deus noſter. Agnoſcamus voces noſtras in eo: demus operam ut agnoſcat voces ſuas in nobis.

Spiritus ſanctus ſigillum eſt divinæ adoptionis, ſeu arrha æternæ hereditatis.

13. 14. *In quo & vos, cum audiſſetis verbum veritatis Evangelium ſalutis veſtræ, in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius*. Non Judæi ſolum, ſed & Gentiles, olim ſine Deo in hoc mundo, per gratiam & fidem Chriſti Jeſu vocati ſunt in adoptionem filiorum, & cœleſtem hereditatem, quæ eſt ipſe Deus: & Spiritum ſanctum pariter receperunt ut ſigillum divinæ adoptionis, & arrham æternæ hereditatis. Per Spiritum ſanctum Deus hominem poſſidet in hac vita: per eumdem Spiritum homo Deum poſſidebit in futura. Hic imaginem qua Patri cœleſti ſimiles ſunt electi in illis delineat; in gloria perficiet. Hic illorum redemptionem ab amore creaturarum inchoat per caritatem, quam in cœlis conſummabit, penitus deſtructa cupiditate. Igitur Spiritus ſanctus pignus eſt hereditatis noſtræ. *Si autem arrabo tantus, quantaterit ipſa poſſeſſio?* ..... Artha portio eſt totius.

6. Hieronym.

7. Chryſoſt. Hom. 21.

„ *Emit Chriſtus noſtram ſalutem, & interim nobis*
„ *dedit arrham. Cur ergo non ſtatim totum dedit?*
„ *Quoniam neque nos totum fecimus. Credidimus.*
„ *Hoc eſt principium. Ipſe quoque dedit arrham:*
„ *quando fidem per opera oſtenderimus, tunc addet*
„ *totum. Immo vero aliud quoque dedit pretium, pro-*
„ *prium ſanguinem, & rurſum aliud quoque pollicitus. Perinde ac ſi gentibus bellum eſſet adverſus gentes, dant obſides: ita Deus dedit Filium ſuum, pignus pacis & fœderum, & Spiritum ſanctum, qui eſt ex ipſo. Nam qui vere ſunt Spiritus participes, ſciunt eum eſſe arrham hereditatis*. Si Spiritus ſancti vere participes eſſemus, ut eſſe nos oporteret, gemeremus in hoc mundo, perfectam adoptionem & redemptionem expectantes, noſtraque converſatio in cœlis eſſet. Spiritus ſanctus *pignus eſt hereditatis noſtræ*. Qui datam arrham non repræſentat quando res promiſſa accipienda eſt, excidit a jure accipiendi. Igitur niſi Spiritum ſanctum pro arrabone acceptum uſque in finem ſervaverimus, in juſtitia & caritate perſeverantes, ab hereditate promiſſa excidemus.

Apocal. 2. 10.

Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Oratio & gratiarum actio, clariſſima gratiæ teſtificatio.

15. 16. *Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes ſanctos, Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis*. Caritas & bona opera ſunt ſigna & teſtimonia certiſſima fidei, quæ ſine caritate & operibus otioſa eſt, languens, mortua. Qui credit in Dominum Jeſum, & non diligit, nomen habet quod vivat, & mortuus eſt. Sicut vitam corporis ex pulſu & motu cognoſcimus, ita vitam fidei ex bonis operibus comprobamus. Fides autem & caritas dona ſunt gratiæ, ſi enim in nobis eſſent ex nobis, non Deo donante & operante, fruſtra pro illis gratiæ Deo agerentur, & oraretur. *Oratio enim eſt clariſſima gratiæ teſtificatio*. Nam *Quid ſtultius, quam orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Si quis homini gratias ageret pro eo quod eum vel putaret non præſtitiſſe, vel nolle, adulatio vel irriſio verius quam gratiarum actio diceretur. Nonne *Irriſoria petitio eſt, cum id a Deo petitur, quod ſcitur non ipſum dare, ſed ipſa non dante eſſe in hominis poteſtate; ſicut irriſoria eſt etiam illa actio gratiarum, ſi ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit?* Gratias autem Deo agere, & orare debemus, non ſolum pro nobis, ſed pro omnibus corporis Chriſti membris, & Apoſtoli caritatem hujus officii perfunctione imitari.

8. Aug. paſſim contra Pelag.

Gratiæ virtus & operatio in nobis.

17. 18. 19. 20. 21. *Ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus*. Quam potens, quam efficax, quam victrix gratia Chriſti Jeſu in cordibus noſtris! Ut Chriſtum & ejus myſteria cognoſcamus, & in eorum cognitione proficiamus, ſpiritu ſapientiæ & revelationis opus eſt, qui a ſolo Deo datur. *Eſt Deus in cœlis revelans Myſteria* (inquit Propheta) *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu*

Daniel. 2.

dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de Altiſſimis? (ait Sapiens.) Hæc abſcondit Deus a ſapientibus & prudentibus ſæculi, & revelat ea parvulis, quia ita ipſi placet. Lumen igitur neceſſarium ad cognoſcendum ea quæ ad religionem & pietatem pertinent, ad cognoſcendum Deum, ſicut oportet, ut eum amando colamus, & quem miſit Jeſum Chriſtum, humili & ferventi oratione a Deo poſtulemus: ſiquidem *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt: & Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt*.

Sapient. 9. Matth. 11.

2. Cor. 3. 1. Cor. 2. 14.

„ Si Deum didicerimus, ut ſcire oportet: ſi Deum
„ didicerimus, a quo diſcere oportet, nempe ab ipſo
„ Spiritu, non amplius de ulla re dubitamus. 2.

S. Chryſoſt. Hom. 3.

Gratiæ Chriſti virtus & operatio ſimilis eſt virtuti & operationi, qua Deus gloriam in Sanctis operatur. Ad hanc cognoſcendam illuminatis oculis cordis opus eſt. *Illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis*. Ad hæc cæcutiunt amatores mundi, acuti ad vana, hebetes ad æterna; perſpicaces in temporalibus negotiis, cæcutientes in cognitione vocationis ſuæ, officiorum ſuorum, divinæ legis, cœleſtis hereditatis, ad quam vocati ſunt, in negotio ſalutis ſuæ unice neceſſario. Quotuſquiſque eſt qui recogitet Deum ſolum eſſe hereditatem credentium & ſanctorum, quam deſideret; ad quam tendere, propter quam nullum non ſubire laborem, quam rebus omnibus præponere debent Chriſtiani? *Dominus pars hereditatis meæ: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. 3. Gratiæ Chriſti virtus & efficacia non vulgaris eſt, neque cauſarum naturalium efficaciæ comparanda, ſed magna, ſupereminens, omnipotens, incomprehenſa. *Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis ejus*. Quam eminens gratiæ virtus, quæ facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes! 4. Virtus & efficacia gratiæ Chriſti quodam modo par eſt & ſimilis virtuti omnipotentiſſimæ qua Deus Chriſtum a mortuis ſuſcitavit, & ad dexteram ſuam in cœleſtibus collocavit. *Quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ..... Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus*. Deus enim per gratiam ſuam homines a morte peccati ſuſcitat ut Deo vivant, & eorum converſatio ſit in cœlis, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, ut quæ ſurſum ſunt ſapiant, non quæ ſuper terram: & cupiditates, mundum, dæmones illis ſubjicit per gratiam victricem & charitatem, qua fiunt ſuperiores & fortiores Principatibus & poteſtatibus, mundi rectoribus tenebrarum harum, Spiritibus nequam per aerem diffuſis. *Non ergo parvi ſtudii eſt ut ſciamus ſpem vocationis. & divitias hereditatis Dei in ſanctis. Ea quippe indigemus ad hæc cognoſcenda virtute, qua etiam in Filio ſuo Deus uſus eſt ſuſcitando, quem ſuſcitavit non ſemel, ſed ſemper a mortuis. Quotidie enim Chriſtus reſurgit e mortuis, quotidie in Pœnitentibus ſuſcitatur.*

S. Hieron. in hunc locum.

22. 23. *Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*. „ Revereamur noſtrum

S. Chryſoſt. Hom. 3.

„ Caput, cogitemus cujus capitis ſumus corpus, cui
„ omnia ſunt ſubjecta. Hoc exemplo nos Angelis
„ oportet eſſe meliores, ut qui iis ſimus honore
„ præpoſiti. Non enim *Angelos apprehendit, ſed*
„ *ſemen Abrahæ* ...... Revereamur propinquitatem
„ cognationis. Timeamus ne quis abſcindatur ab
„ hoc corpore, ne quis inveniatur indignus. Si quis
„ diadema noſtro impoſuerit capiti, ſi coronam au-
„ ream, nonne omnia faciemus ne indigni videa-
„ mur inanimis lapidibus? Nunc autem non tan-
„ tum capiti noſtro impoſitum eſt terrenum & fra-
„ gile diadema, ſed caput noſtrum factus eſt Chri-
„ ſtus. Et Angeli quidem ipſum reverentur, ipſiſ-
„ que obediunt: nos autem eum ſimus corpus ejus,
„ illum inhonoramus, ab ipſo disjungi pro nihilo
„ ducimus. Quænam eſt ſpes noſtræ ſalutis? Cogi-
„ ta thronum regium, cogita ſummum honorem.
„ Hoc nos magis terrere debet quam gehenna.
„ Nam ſi non eſſet gehenna, tanto affectos honore
„ inventos eſſe indignos & malos, quam non ha-
„ beret pœnam, quod non ſupplicium? Cogita pro-
„ pe quem ſedeat tuum Caput, ad cujus ſedeat dex-
„ teram in cœlis; ſuper omnem Principatum &
„ Poteſtatem, & Virtutem: ejus autem corpus,
„ templum, a dæmonibus permittis conculcari. Sed
„ abſit: Hoc non fuerit amplius corpus. Si quis
„ pedes regis canibus objiciat, & in compedes in-
„ jiciat, nonne obnoxius erit extremo ſupplicio?
„ Tu Chriſti corpus objicis feris inhumanibus, cupi-
„ ditatibus, vitiis, diabolo tradis, & non horres?
„ Sed quoniam agitur de corpore Domini, age il-

Hebr. 2.

Chriſtus caput noſtrum. Qui fructus ex hac veritate colligendi?

,, lius etiam meminerimus, quod in crucem actum ſit, quod clavis confixum, & quod ſacrificatur. Si es Chriſti corpus, fer crucem, nam ille tulit. Fer ſpinas, fer colaphos, fer clavos. Tale erat illud corpus. Corpus illud non fecit peccatum, nec eſt inventus dolus in ore ejus. Manus ejus omnia agebant ad benefaciendum iis qui egebant. Os ejus nihil emiſit quod non deceret. Audivit, Habes dæmonium, & nihil dicebat .... Quicumque Corporis ſumus participes quicumque Sanguinem guſtamus, cogitemus nos illius Sanguinem guſtare, qui ſupra ſedet, qui adoratur ab angelis, qui prope accedit ad illam Virtutem in quam non cadit interitus. Quam multæ viæ nobis patent ad ſalutem? Nos corpus ſuum fecit, ſuo Corpore nos impertit: & nihil ex his nos avertit a malis. O tenebras! o abyſſum! o ſtuporem & ſenſus egeſtatem! Non videtis quod in noſtro corpore abſcinduntur quæ ſupervacanea ſunt & inutilia: & nullum lucrum attulerit id corpori quando fuerit mutilatum, mortuum, putrefactum. Ne ergo nobis blandiamur quod fuerimus Chriſti corpus, ſi morte peccati moriamur, ſi pravo habitu & mala conſuetudine corrumpamur & putreſcamus, ſi alios pravis exemplis & ſcandalis corrumpamus.

Quomodo Chriſtus in omnibus adimpletur? *S. Hieron. in hunc locum.*

Quæ eſt corpus ipſius & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. ,, Plenitudo Chriſti, Eccleſia. Plenitudo enim capitis eſt corpus, plenitudo corporis eſt caput. Sicut ergo adimpletur Imperator, ſi quotidie ejus augeatur exercitus, & fiant novæ Provinciæ, & multitudo populorum increſcat: ita & Dominus noſter Jeſus Chriſtus in eo quod ſibi credunt omnia, & per dies ſingulos ad fidem ejus veniunt, ipſe adimpletur in omnibus. Verum tunc perfecte adimplebitur in membris ſuis, cum erit Deus omnia in omnibus. Nunc enim quaſi per partes in ſingulis eſt: in alio juſtitia, in alio caſtitas, in alio temperantia, in alio ſapientia, in alio fortitudo: & difficile eſt etiam in ſanctis viris atque perfectis omnes pariter eſſe virtutes. Cum autem in fine mundi ei fuerint univerſa ſubjecta, adimplebitur omnia in omnibus: ut juxta id quod Deus eſt cunctis virtutibus plenus, omnia in omnibus adimpleatur, & ſint univerſi habentes omnia, quæ ante ſingula ſinguli poſſidebant.

Theophylact.

Qui omnia in omnibus adimpletur. Adimpletur Chriſtus ac veluti plene conſummatur per omnia membra in omnibus fidelibus: veluti quoad manum adimpletur in homine miſericorde, & qui infirmis ſuccurrit: quoad pedem, in eo qui verbi Dei amore peregrinatur, & quoad aliud membrum in alio fideli. Sic fit ut quoad omnia membra in omnibus fidelibus adimpleatur, alio aliud miniſterium & officium virtutis obeunte. Tum denique impletur caput noſtrum Chriſtus, hoc eſt, perfectum corpus recipit, quando ſimul omnes fuerimus conjuncti & conglutinati.

C A P U T II.

Senſus Litteralis.

Longum hyperbaton ad hæc uſque verba Verſus 5. *convivificavit nos in Chriſto.* *Delictum*, deſertio boni, ſeu omiſſio Officiorum. *Peccatum* vero perpetratio mali. Sive, *delictum* illud eſt quod imprudenter: *peccatum* vero quod a ſciente committitur, ut obſervat S. Aug. Quæſt. 20. in Levit. &c.

℣. 1. 2. E*T vos, cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aeris hujus, ſpiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Ipſe Deus qui ſuſcitavit Chriſtum a mortuis & ad dexteram ſuam in cœlis conſtituit ſupereminente virtutis ſuæ operatione, vos etiam per delicta & peccata mortuos ſuſcitavit & vivificavit vita gratiæ. Quibus in peccatis vixiſtis ſecundum mores ſæculi hujus ac mundi corrupti, in quo carnales homines pro nihilo ducunt in omne genus peccatorum ruere; ſuadente principe poteſtatum, qui in hoc aere caliginoſo ad ſeducendos homines verſantur, id eſt dæmonum, qui Deo permittente ad punitionem malorum & exercitationem bonorum in aeris infima parte diſcurrunt, qui ſpiritus immundi nunc ſuggeſtionibus, tentationibus, maliſque artibus ſuis in quævis crimina impellunt homines incredulos & Fidem Evangelicam contumaciter repellentes.

3. *In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, ſicut & ceteri.* In quibus delictis & peccatis nos etiam Judæi viximus antequam in Chriſtum crederemus, carnalibus concupiſcentiis indulgentes & obedientes, conſenſu & opere; nec-non appetitionibus inordinatis quæ a mente ortum habent, quales ſunt ſuperbia, ambitio, invidia, &c. Et eramus iræ & vindictæ divinæ obnoxii ex conditione naturæ per peccatum primi hominis corruptæ, quam naſcendo accepimus. Peccatores, inquam, nati eramus, ſicut & Gentiles, ac proinde æternæ damnationi devovendi, niſi Deus noſtri miſertus fuiſſet. Pelagiani legi volebant, *& eramus prorſus filii iræ, ſicut & ceteri*. Sed illos ex omnium Codicum Latinorum fide convincit S. Auguſtinus lib. 6. contra Julianum, cap. 20. *Non fere invenitur Latinus Codex, ſi non a vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, ubi non natura ſit ſcriptum. Quod utique cavere debuit Interpretum antiquitas, niſi etiam fidei hæc eſſet antiquitas, cui veſtra cœpit reſiſtere novitas ... Oſtendit igitur Apoſtolus omnes iræ filios eſſe natura, niſi quoſdam eorum a maſſa perditionis gratia divina diſcernat* (inquit idem Auguſtinus lib. 4. Operis imperfecti contra Julianum, cap. 123.) *Nam quomodo natura filii iræ, niſi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit?* (inquit idem S. Doctor) Tractat. 44. in Joannem.

Peccatum originale. *Filii iræ* ſunt qui pœnam meruere, ſicut *filii mortis*, qui mortem, *filii perditionis*, qui perditione digni ſunt.

Natura hic idem ſignificat ac *revera*, Theophylactus & Oecumenius volunt. Grotius hæc verba Apoſtoli de originaria labe intelligi perperam negat. Confer cum *Rom.* 5. 12.

4. 5. 6. *Deus * autem qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratia eſtis ſalvati) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Deus cujus miſericordiæ & bonitatis inexhauſtus eſt theſaurus, propter immenſam caritatem ſuam qua nos dilexit, etiam cum eſſemus mortui morte peccati, tum quod origine contraxeramus, tum quod propria voluntate addideramus, nos participes fecit vitæ Chriſti per regenerationem ſpiritualem & juſtificationem, quam ejus gratia operata eſt (noſtra enim ſalus ejus gratiæ accepta referri debet) Et nos una cum Chriſto reſuſcitavit ad vitam immortalem, data ſpe & pignore futuræ noſtræ reſurrectionis ad gloriam & vitam æternam: & una cum Chriſto ſedere nos fecit in cœlis, data nobis arrha cœleſtis hereditatis. Quo enim præceſſit Caput, ſequetur & corpus. Utitur autem Apoſtolus verbis præteriti temporis *convivificavit, & conſedere fecit*, ad ſignificandum id quod futurum eſt, quia mos iſte eſt Scripturarum, ut quod juxta præſcientiam Dei certo futurum eſt, quaſi jam factum enuncietur: verbi gratia, de cruce & paſſione Domini: *Foderunt manus meas & pedes meos .... Quaſi ovis ad victimam ductus eſt .... Livore ejus ſanati ſumus.* Hoc autem ideo fit, ne, quia futura ſemper incerta ſunt hominum, ſpes fluctuet & vacillet, ea quæ Deus futura cognovit (apud quem nihil ambiguum eſt) quaſi jam facta memorantur: ut quia præterita ſecundum Philoſophos quoque fieri infecta non poſſunt: qui audierunt, quaſi jam facta habeant quæ futura ſunt.

* Conjunctionem, *autem*, in Scripturis additam, & mendum inolevitſe paulatim, cenſet S. Hieronymus. *S. Hieron. in hunc locum.*

7. *Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.* Tanta porro beneficia nobis contulit Deus, ut his extremis ac venturis temporibus ſuperabundantes gratiæ ſuæ divitias demonſtraret, quam effuſione bonitatis ſuæ in nos, & beneficiis per Chriſtum Jeſum nobis collatis comprobavit. Vel; Ut oſtenderet in futuro ſæculo, &c. ,, Nunc enim bonorum quæ ſperantur magnitudo eſt quidem omnino ignota infidelibus, fideles autem vident tamquam in ſpeculo & ænigmate: per fidem enim ambulant, non per ſpeciem: tunc autem videbunt facie ad faciem. Tunc fideles & infideles videbunt naturam ex nobis ſumptam ab omni creatura adoratam, & Sanctos una regnantes.

Theodoret.

7. 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Tota enim ſalutis veſtræ œconomia ab initio ad finem uſque ex gratia Dei eſt, qua vocati, qua juſtificati eſtis virtute fidei qua in Chriſtum credidiſtis; quæ quidem fides ſalutis initium & fundamentum eſt. Et hæc ipſa fides in Chriſtum Jeſum, non ex naturæ aut liberi arbitrii viribus eſt, non ex meritis operum illam præcedentium, quæ nulla fuerunt: Dei enim donum eſt & opus ut credatis in eum quem ille miſit. Tota (inquam) ſalus noſtra uni gratiæ Dei, non operibus accepta refertur: ne quis in ſe ipſo glorietur, ſed gloriam omnem Deo tribuat, cui ſoli debita eſt.

Tota ſalutis noſtræ œconomia uni gratiæ Dei accepta referenda eſt.

10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Ipſius enim Dei creatura ſumus, non ſolum in ordine naturæ, quatenus homines; ſed & in ordine gratiæ, quatenus Chriſtiani, per baptiſmum regenerati, non ſolum ad opera bona, ſed in bonis operibus creati per merita Chriſti Jeſu. Hæc enim opera Deus in nobis operatur gratiæ ſuæ virtute efficaciſſima, quæ prædeſtinatione ſua præparavit ut illa libere exerceamus, & in illis proficiamus.

Opera noſtra bona, ſunt a Deo præparata, & per ejus gratiam effecta, nobis libere cooperantibus.

11. 12.

11. 12. *Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta: quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati a converſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis* * *ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo*. Ut autem collati vobis a Deo beneficii magnitudinem melius intelligatis, memores eſtote quod vos aliquando Gentiles eratis carnali origine, ex illorum numero qui a Judæis per contemptum vocantur incircumciſi, ut ab illis diſcernantur qui circumciſi ſecundum carnem vocantur, ea circumciſione quæ fit manibus hominum. Memineritis, inquam, quod tunc temporis eratis ſine Chriſti cognitione, fide, Evangelio, gratia, religione: omnino ſeparati & abalienati a ſocietate, ac vitæ ratione & inſtituto Iſraelitici populi, alieni a fœdere & pactis quæ Deus cum illo populo pepigit; nullam ſpem habentes bonorum quæ Deus illi populo promiſit, & ſine Deo in hoc mundo, utpote qui unum verum Deum non cognoſcebatis, neque colebatis, ſed falſa numina & muta ſimulacra. Pluralitas enim Deorum, nullitas Deorum eſt.

* Promiſſio pro re promiſſa hic & paſſim in Scriptura ſacra ſumitur.

13. *Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti*. Nunc autem vos olim tam remoti a vera Dei cognitione & a ſpe vitæ æternæ, per Chriſtum Jeſum propinqui & familiares facti eſtis Deo, ad illius notitiam adducti, ut populo ejus in unum Eccleſiæ corpus conjuncti per virtutem ſanguinis Chriſti, & meritum paſſionis & mortis ejus.

14. 15. 16. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens*, * *inimicitias in carne ſua*. Ipſe enim pacis conciliator eſt, qui ex duobus populis, Gentibus ſcilicet ac Judæis Evangelio ſuo credentibus, unum Eccleſiæ corpus, unumque populum Chriſtianum fecit; per paſſionem & mortem, quam in carne ſua ſuſtinuit, diruens intercedentem velut parietem ſeu murum quo Gentiles a Judæis dividebantur, ſolvens ſcilicet inimicitias quæ inter utrumque populum intercedebant. *Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem*. Cauſam (inquam) inimicitiarum ſuſtulit, Legem Moſaicam innumeris mandatis gravem abrogans, & Circumciſionem ceteraſque ceremonias abolens Evangelicis dogmatis & præceptis; ut ex duobus illis populis unum novum hominem formaret in ſemetipſo, novum corpus, novum populum, nova lege utentem, concordia inter illos conſtituta. Evangelicam Doctrinam *Decreta* appellari Theodoretus obſervat, quod in animi electione ſita ſit perfectionis recta executio. *Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo*. Et ut ambos in unum corpus conjunctos Deo Patri ſuo reconciliaret per meritum paſſionis ſuæ, extinctis in carne ſua, in qua paſſus eſt & crucifixus pro nobis, inimicitiis, quas peccatum Deum inter & homines excitaverat. Confer cum Ezechielis 37. 22. *Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Iſrael, & rex unus erit omnibus imperans: & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna... Et ſervus meus David rex ſuper eos, & Paſtor unus erit omnium eorum*.

* Alludere videtur Apoſtolus ad parietem illum lapideum qui Atrium Gentium ab Atrio Judæorum diſtinguebat in Templo Hieroſolymitano, ne Gentiles in interiorem illam partem Domus Dei ingrederentur, in quam ſolis Judæis, & quidem mundis, patebat aditus. Vide Ezechiel. 44. 7. 1. Machab. 9. 54. Act. 21. 28. Joſeph. ant. l. 12. Ant. quit. c. 3. & l. 15. c. 14. alibi.

17. 18. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis qui prope*. Et cum veniſſet in hunc mundum, annunciavit pacem, quam ipſe daturus erat, vobis Gentibus, qui longe eratis a Deo, & iis qui proximi erant Deo per ejus notitiam, legem, cultum, fœdus, & promiſſiones, nempe Judæis. *Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem*. Per ipſum namque ut Mediatorem noſtrum utrique aditum habemus ad Patrem, uno Spiritu ſancto duce, qui non ſolum concordiæ & pacis Spiritus eſt, qua inter nos conjuncti ſumus, ſed etiam Spiritus adoptionis filiorum, qua Deum ut Patrem noſtrum cum fiducia interpellamus.

Confer cum Iſaiæ 57. 19. *Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe eſt, & qui prope, dicit Dominus*. Multos ab Oriente & occidente venturos, & cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cœlorum recubituros Chriſtus prædixit, & Evangelium ſuum omnibus Gentibus prædicatum iri; & poſt exaltationem a terra ſuam per mortem crucis, omnia ſe tracturum ad ſe ipſum: & alias oves, quæ de ſuo non erant ovili, ſe adducturum, ut fiat unum ovile, & unus Paſtor. Hæc annunciatio & promulgatio pacis.

19. 20. *Ergo jam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei: Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu*. Igitur jam non eſtis extranei reſpectu populi Dei, neque ut advenæ & hoſpites reſpectu civitatis & domus Dei, ſed eſtis cives ſanctorum, tum qui in cœlis cum Deo regnant, tum qui in terris adhuc militant, & Deo ſerviunt, ad cujus familiam & vos pertinetis. Super Apoſtolos & Prophetas ædificati, qui ſunt Eccleſiæ fundamentum ratione doctrinæ quam tradiderunt: ita tamen ut ſummus & præcipuus lapis angularis & fundamentum, & toti ædificio præſtans firmitatem, ſit Chriſtus Jeſus. *Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum* Sanctus Paulus dicit, non fundamenta, ut conſenſum & concordiam doctrinæ Apoſtolicæ cum Prophetica ſignificet. Chriſtum vero, quem alibi Eccleſiæ fundamentum vocat, primarium ſcilicet, quatenus per ejus fidem ſuſtentatur univerſum Eccleſiæ ædificium, hic ſummum angularem lapidem appellat: quia ſicut lapis in extremo anguli fundamento poſitus duos parietes committit; ita Chriſtus duos in ſe populos, Judæorum & Gentium connectit, continet, ſuſtentat; ut in unum Eccleſiæ conſurgant ædificium. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*. Et Iſaiæ 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem, pretioſum, in fundamento fundatum*.

Confer cum Pſal. 117. 22. Matth. 21. 42. & 1. Petri 2. 7.

21. 22. *In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino*. In quo lapide angulari Chriſto totum ædificium certa proportione & ſymmetria compaginatum ſurgit & creſcit quotidie Judæis & Gentibus ad Eccleſiam accedentibus, ut ſit Templum Domino conſecratum, & ſanctitate inhabitantis dignum. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*. In quo lapide angulari Chriſto & vos Gentiles una cum Judæis ædificamini, ut Deus in vobis per Spiritum ſanctum inhabitet, qui caritate in cordibus veſtris diffuſa vos omnes connectit & conglutinat.

CAPUT II.

Senſus Litteralis.

1. 2. 3. *ET vos, cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aeris hujus, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, ſicut & ceteri*. Qui hominis peccantis ſtatum conſiderans, non exhorreat? 1. Coram Deo mortuus eſt, quamvis hominibus vivere videatur. *Nomen habes quod vivas, & mortuus es*. 2. Spiritu hujus mundi regitur & agitur: *In quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi hujus*: Non ſpiritu Dei. Dæmonis tyrannidi ſubjicitur, & pravis ejus perſuaſionibus cedit, captivuſque ducitur ad illius voluntatem. *Secundum Principem poteſtatis aeris hujus*: „ Cui, heu! totum „ fere hominum genus ſe ipſum dedit, & omnes „ ſibi ſponte ei ſerviunt, & ex libero animi inſtituto „ to & arbitrio: & Chriſto quidem bona promittenti „ ti innumerabilia ne animum quidem adhibet quiſ„ piam: illi autem nihil tale pollicenti, ſed ad ge„ hennam tranſmittenti cedunt omnes. Sed princi„ patus eſt in hoc ſæculo, & is plures habet ſervos „ quam Deus, & ei magis credentes quam Deo; id„ que propter noſtram ſocordiam, & quia ſumus *fi„ lii diffidentiæ*, id eſt, quia fructum paſſionis Chriſti a nobis repellimus: & quia ex malitia peccamus. In his enim qui ex malitia peccant, diabolus operatur ad nutum. & quamvis de illis deſperandum non ſit habita ratione virtutis & miſericordiæ divinæ; ſpectata tamen eorum malitia & in profundum peccati per pravos habitus & inveteratam conſuetudinem immerſione, de illis plurimum diffidendum eſt, ſecundum illud Pſalmi 68. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*. 3. Peccator Fidei lumini claudens oculos, Dei legi ac verbo aures obturans, nullam ſequitur regulam niſi cupiditates ſuas, & corruptam voluntatem. *Facientes voluntatem carnis & cogitationum*. 4. Dignus eſt qui a Deo irato penitus deſeratur, & dæmoni tradatur. *Et eramus natura filii iræ*. Hoc eramus omnes per peccatum originis, a quo nos liberavit Chriſtus Jeſus Mediator noſter per baptiſmum & gratiam regenerationis. Gratias illi agamus immortales, qui nos a morte peccati ſacrificio ſingulari mortis ſuæ liberavit; illique unice vivamus. *In hac ira cum eſſent homines per originale peccatum, tanto gravius & perniocioſius, quanto majora vel plura inſuper addiderunt, neceſſarius erat Mediator, hoc eſt Reconciliator, qui hanc iram Sacrificii ſingularis, cujus erant umbræ omnia ſacrificia Legis & Prophetarum, oblatione placaret*.

Miſerrimus hominis peccatoris ſtatus. Apocal. 3. 1.

S. Chryſoſt. hom. 4.

S. Thomas, Lect. 1.

S. Aug. Enchirid. c. 33.

4. 5. 6. 7. *Deus autem qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos. Et cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratia eſtis ſalvati) & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Deus in miſericordia dives, nos miſeri & egeni. *Mendici Dei ſumus.* Abyſſus abyſſum invocet, abyſſus miſeriæ abyſſum miſericordiæ ..... *Ego vero egenus & pauper ſum, Deus, adjuva me.* Miſericordiæ ſuæ theſauros aperuit indignis: propter immenſam caritatem qua dilexit nos, cum eſſemus mortui morte peccati, nos convivificavit in Chriſto, gratiam quam in primo Adam amiſeramus, per ſecundum Adam admirabilius & abundantius reparavit. Prima enim gratia quæ data eſt primo Adam, fecit ut haberet homo juſtitiam, ſi vellet. „ Sed hæc „ potentior eſt in ſecundo Adam, quia etiam fit ut „ *homo* velit, & tantum velit, tantopere ardore „ diligat, ut carnis voluntatem contraria concupi„ ſcentem voluntate ſpiritus vincat .... Primo ho„ mini datum eſt adjutorium, non quo fieret ut „ perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium „ perſeverare non poſſet. Nunc vero ſanctis in re„ gnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tale „ adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis „ perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto „ dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam „ ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. Gratiam tantæ virtutis per Chriſtum nobis contulit miſericordiarum Pater, ut per eam *cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus.* Gratia Adamo collata lætior: gratia nobis per Chriſtum data uberior & potentior. Hæc præveniente, operante, adjuvante, liberamur a peccato, juſtificamur, Dei mandata implemus, tentationes vincimus, in bono perſeveramus, æternamque ſalutem conſequimur. *Cujus gratia eſtis ſalvati:* gratia magis quam operibus. Nihil enim poſſumus Domino retribuere pro omnibus quæ retribuit nobis. Gratia Chriſtiana ex Chriſti Jeſu Myſteriis derivatur, vitæ ipſius & ſanctitatis in nos transfuſio: mortis ejus, reſurrectionis & aſcenſionis applicatio eſt & appropriatio, quarum virtus operatur in nobis ut peccato & ejus concupiſcentiis moriamur, novam vitam agamus, in carne non ſecundum carnem viventes; & habentes converſationem in cœlis; ut ubi theſaurus noſter eſt, ibi ſit & cor noſtrum. *Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu:* Ut divitias gratiæ ſuæ, cujus theſaurus nunc in nobis occultus eſt, quia ipſum habemus in vaſis fictilibus, conſummet & compleat in nobis in futuro ſæculo, in regno ſuo, de quo dictum eſt: *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum.* Ibi ſine fine laudabimus Dei bonitatem ſupra nos, id eſt, ſupra noſtrum deſiderium, ſupra noſtrum intellectum, ſupra capacitatem noſtram. Et hoc per Chriſtum Jeſum: ſicut enim gratia nobis per ipſum confertur, ita & gloria conſummata. Per ipſum enim beatificamur, per quem & juſtificamur. *Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.*

S. Auguſt.

Gratia per Chriſtum data uberior & potentior eſt gratia quæ primo homini data eſt.

S. Auguſt. lib. De Corrept. & Gratia, c. 11.

S. Thomas, Lect. 2.

Pſalm. 144.

Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu. „ In Salvatore omnes reſurreximus, „ omnes revixımus, omnes ad cœleſtia tranſmigra„ vimus. Eſt enim in illo uniuſcujuſque noſtrum „ carnis & ſanguinis portio. Ubi ergo portio mea „ regnat, regnare me credo: ubi dominatur ſanguis „ meus, me ſentio dominari: ubi glorificatur caro „ mea, me glorioſum eſſe cognoſco. Quamvis enim „ peccator, de hac communione gratiæ non diffidat: „ quia etſi peccata nos prohibent, ſubſtantia nos re„ quirit: & ſi delicta propria nos excludunt, com„ munio non repellit. *Nam propter bonitatem divinitatis peculiarem nobis Salvator debet affectum; quia ſicut Deus noſter in ſe ipſo eſt, ita & ſanguis noſter in illo eſt* ..... Non tam immitis eſt Dominus ut non diligat carnem ſuam, membra ſua, viſcera ſua. „ Ait ſanctus Apoſtolus, *Nemo unquam carnem ſuam* „ *odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut Chri*„ *ſtus Eccleſiam.* Nihil ergo de venia deſperemus, „ nihil de odio timeamus. „ Habemus prærogativam „ ſanguinis noſtri, in Chriſto enim caro noſtra nos „ diligit ..... Hic ſequeſter Dei atque hominum „ appellatus, ex utriuſque partis depoſito commiſſo „ ſibi, carnis quoque depoſitum ſervat in ſemetipſo, „ arrabonem ſummæ totius. Quemadmodum enim „ nobis arrabonem Spiritus reliquit, ita & a nobis „ arrabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, „ pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. „ Securæ eſtote caro & ſanguis, uſurpaſtis & cœ„ lum & regnum Dei in Chriſto.

S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus. Hom. 6. de ſeſto Paſcha.

Chriſti reſurrectio nos facit de reſurrectione noſtra ſecuros.

Tertull. lib. De Reſurrectione carnis.

8. 9. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Fides a Deo datur ante omne meritum, ut ipſa ſit omnis meriti principium. Verbo fidei libere credimus & adhæremus: inſpirationi boni libere conſentimus & obedimus? ſed fides, adhæſio, conſenſus, obedientia, gratiæ Chriſti effectus, Dei nos miſericorditer prævenientis & in nobis potenter operantis dona ſunt. *Fides prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivitur.* Deus qui neminem bonum invenit, neminem ſalvat quem non prævenit. Cum ergo pias cogitationes & inſpirationes boni in nobis ſentimus, cum nos eis conſentire experimur; cum ſecundum illas operamur, nihil horum attribuamus aut noſtræ voluntati quæ infirma eſt; aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt; ſed ſoli gratiæ qua plenus eſt. „ *Ipſa excitat liberum arbitrium, cum ſeminat cogitatum; ſanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; ſervat, ne ſentiat defectum* .... *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa.* Gratia eſtis ſalvati. *Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſalvetur. Tolle gratiam, non erit unde ſalvetur.* „ Si bona opera in nobis eſſent ante gratiam, quidni „ de ipſis gloriari poſſemus? Ne forte dicas, Prome„ rui, & ideo accepi, dictum eſt, *Non ex operibus.* „ Non putes te promerendo accepiſſe, qui non pro„ mereteris, niſi accepiſſes. Gratia præceſſit meritum „ tuum; non gratia ex merito, ſed meritum ex gra„ tia.

Nullum in nobis meritum ſine gratia. Nos Deus gratis ſalvat.

S. Auguſt. lib. De Prædeſtin. Sanctor. cap. 7.

S. Bernardus lib. De Gratia & Libero Arbitrio, c. 14.

Idem cap. 1.

S. Auguſt. Ser. 169. alias 15. De verbis Apoſtoli, c. 2.

Pſalm. 53. 8.

„ Nam ſi gratia ex meritis, emiſti, non gratis accepiſti. Pro nihilo ſalvos facies eos. *Nihil in eis invenis unde ſalves, & tamen ſalvas. Gratis das, gratis ſalvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua conſequantur merita mea. Prorſus gratis das, gratis ſolvas, qui nihil invenis unde ſalves, & multum invenis unde damnes.*

10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Creatum eſſe in Chriſto Jeſu quid eſt, niſi nullum eſſe ſupernaturale, nullam vitam ſpiritualem, nullum motum ad bonum, nullam operationem ſanctam habere, niſi ex ejus virtute & meritis, per ejus Spiritum & gratiam? Quid ſupponit creatio? Nihilum, & impotentiam ad bonum, ex qua ſolus Deus nos educere poteſt, ex qua ut educamur, promereri non valemus.... *Noli ergo putare te aliquid operari, niſi in quantum malus es. Averte ab opere tuo te, ad opus illius qui fecit te; ipſe format; & ipſe quod formaverat, & tu exterminaſti, reformet. Ut enim ſis, ipſe operatus eſt: ut bonus ſis, ſi bonus es, ipſe operatur.* Vive & operare in nobis, Domine Jeſu, ut vivamus & operemur in te. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis .... Expandi manus meas ad te: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* „ Compelle me ad fa„ ciendum fructum bonum. Dominus enim dabit „ ſuavitatem, ut terra noſtra det fructum ſuum. A„ nima mea velut terra ſine aqua, non mihi, ſed „ tibi. Sitire tibi poſſum, me irrigare non poſſum. „ Exigis a me opera bona, Da quod jubes. Operare quæ præparaſti & prædeſtinaſti. Ea enim prædeſtinaſti, quæ fueras ipſe facturus. Fac ut in illis ambulem, & proficiam, & perſeverem. Creatus es in Chriſto Jeſu, frater mi Chriſtiane, non ut otieris, verum ut opereris, & in bonis operibus ambules, hoc eſt, omnem ætatis tuæ curſum in hiſce perficias. *Ut in illis ambulemus.* „ Non in uno opere, ſed in omnibus. „ Nam ſi unum deſit, mutilata eſt virtus.

Gratia Chriſti bona opera creata in nobis.

S. Auguſt. in Pſal. 142. n. 19.

Pſal. 84. 13

Theophylact.

11. 12. 13. *Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos Gentes in carne ..... Quia eratis in illo tempore ſine Chriſto, alienati a converſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti.* Veteris vitæ ac ſtatus meminiſſe juvat, non cum delectatione, quæ gratiam deſtruit; non cum diffidentia & anxietate, quæ profectum in gratia impediunt: ſed cum dolore amoris pœnitentis comite, & cum gratiarum actione Liberatori noſtro, quæ gratiam augent. Ideo Apoſtolus ait: *Propter quod memores eſtote,* &c. „ Solemus enim „ omnes quando ab humili admodum & abjecta con„ ditione ad contrarium & ei ex adverſo reſponden„ tem ſtatum, aut etiam majorem evecti fuerimus „ honorem, ne priorum quidem meminiſſe, ut qui „ illa nutriamur gloria. Propterea dicit, *Propter* „ *quod memores eſtote.* Ideo memores, quia creati „ ſumus in Chriſto Jeſu in operibus bonis. Hoc „ enim ſufficit ad perſuadendum nobis ut geramus „ curam virtutis. Sufficit enim illa recordatio ad „ grati animi ſenſum excitandum erga Benefactorem „ & Liberatorem noſtrum. Quot Gentes a veri Dei cognitione, fide, Evangelio, promiſſionibus, a Chri-

Quo modo veteris noſtræ vitæ ac ſtatus memores eſſe debemus?

S. Chryſoſt. Homil. 5.

ſto

Digitized by Google

ſto Salvatore & ſalute per ipſum parta alienatæ ſunt, & in regione umbræ mortis verſantur? Deo gratias, quod ex parentibus Chriſtianis nati, quod in vera Religione educati ſumus. *Non fecit taliter omni nationi*. Verum cavendum eſt ſumma ſolicitudine & vigilantia ne a Deo & Chriſto ſeparemur, creaturas præ illo diligentes; ne a divinis promiſſionibus & cœleſti hereditate excidamus. Heu! quot nomine Chriſtiani hoc etiam tempore ſine Chriſto ſunt, quem, ut par eſt, non cognoſcunt, cujus Religionem & Evangelium ignorant, cujus legem violare pro nihilo ducunt, cujus ſanguinem conculcant; alienati a converſatione ſanctorum, ſecundum carnem & corruptos ſæculi mores viventes, promiſſionum Dei immemores, Deum in ſpiritu & veritate non adorantes, ſed propriarum cupiditatum idola, quibus ſerviunt, litant, & ſalutis ſuæ hoſtiam immolant! Dum tempus habent, ad Deum revertantur, a quo longe ſunt, pœnitentiam agant, ut per Chriſti ſanguinem, cujus virtus in Sacramentis operatur, illi proximi fiant. Diu noctuque lacrymas fundant, nec laborioſis parcant operibus ut Chriſti ſatisfactionem ſibi applicari impetrent, qui pro noſtra redemptione & reconciliatione ſanguinem fudit. *In Chriſto Jeſu vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti*. Alioqui ſine Chriſto in perpetuum erunt, ab ejus corpore in æternum ſeparati, ab adoptione divina & cœleſti hæreditate excluſi, a ſanctorum beata ſocietate alienati, nullam promiſſionis ſpem amplius habentes, æternis ſuppliciis damnati, ſine Dei viſione, amore, fruitione, quem ſuis peccatis amiſerunt dum in hoc mundo viverent. *Et ſine Deo in hoc mundo*.

Chriſtus pax noſtra. Qui ſine pace eſt, Chriſtum non habet.

14. 15. 16. *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua: Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo*. Chriſtus pax noſtra eſt, quia victimam ſeipſum obtulit Patri pro peccatis noſtris. „ Ipſe fuit „ pacis conciliator. Ipſe effecit ut qui ex Judæis & „ Gentibus credebant, in unum corpus redigeren„ tur: & fecit ut Lex ceſſaret, quæ inſtar cujuſdam „ muri illos invicem dirimebat. *Prius autem inimicitias quæ cum Deo intercedebant ſuſtulit, carnem ſuam pro nobis donans pretium redemptionis. Interfecit inimicitias in cruce, hoſtiam offerens immaculatam. Reconciliavit autem utroſque, nempe eos qui erant ex Gentibus, & eos qui ex Judæis, in uno corpore quod pro omnibus oblatum eſt, ut ipſi eſſent unum corpus. Omnes autem credentes vocavit unum hominem: quoniam omnium unum eſt caput Chriſtus Dominus; corporis autem locum obtinent qui ſalute digni ſunt habiti*. Salutem noſtram cum timore & tremore, ſed abſque perturbatione operemur, fiduciam in Chriſto, qui ſolus pax noſtra & mediator eſt, habentes, & ad ejus implenda mandata ſemper parati, ut dicere vere poſſimus: *Paratus ſum, & non ſum turbatus*. Solvamus & finiamus prorſus inimicitias, quæ nos a Deo dividunt, parietem illum maceriæ, peccata, quæ nos a Deo ſejungunt. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret*. Mortificatione carnis noſtræ delicta noſtra expiemus, ſicut Chriſtus inimicitias *in carne ſua* interfecit. Crucem feramus reliquo tempore vitæ noſtræ, ut reconciliati Deo per crucem. Novi homines ſimus, digna Chriſti membra, Eccleſiæ diligamus unitatem, pacem cum omnibus proximis noſtris, quantum fieri poteſt, habeamus. *Si Chriſtus credentium pax eſt, quicumque ſine pace eſt, conſequenter non habet Chriſtum*.

Theodoretus in hunc locum.

Pſal. 118. 60

Iſai. 59. 2.

S. Hieronym. in hunc loc.

17. 18. *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuiſtis; & pacem iis, qui prope. Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem*. Chriſtus Jeſus Deus eſt pacis per naturam divinam, Rex pacis per Incarnationem ſuam, Mediator pacis per ſanguinem & ſacrificium ſuum, vinculum pacis per Spiritum ſuum, Apoſtolus & Evangeliſta pacis per verbum ſuum. *Et veniens evangelizavit pacem vobis &c.* „ Non per alium miſit, ne„ que per aliquem alium hæc ſignificavit, ſed ipſo „ per ſe. Non miſit Angelum, quandoquidem tam „ multa mala corrigere nullius erat alterius, ſed „ ejus præſentiæ, & annunciare ea quæ facta ſunt. „ Miniſtri ac propemodum famuli locum ſuſcepit „ Dominus, & venit, & pacem evangelizavit, id „ eſt, pacis bonum & fauſtum nuncium annuncia„ vit. Quod per ipſum habemus acceſſum ambo in „ uno ſpiritu ad Patrem. Ipſe enim dicit. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis .... Confidite, ego vici mundum*; &, *Quæcumque petieritis in nomine meo, accipietis ..... Quoniam Pater vos diligit*. Hæc ſunt ſigna pacis. „ Nos Patri reconciliavit per „ paſſionem & mortem ſuam: nos adduxit ad Pa„ trem per Spiritum ſuum. Pacem amemus, ſerve„ mus & inter proximos diſſidentes procuremus. *Hanc nobis hereditatem Chriſtus dedit: dona omnia ſuæ pollicitationis & præmia in pacis conſervatione promiſit. Si heredes Chriſti ſumus, in Chriſti pace maneamus. Si filii Dei ſumus, pacifici eſſe debemus*. „ Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Pacificos eſſe oportet Dei filios, corde mites, ſermone ſimplices, affectione concordes, fideliter ſibi unanimitatis nexibus cohærentes. Hæc unanimitas ſub Apoſtolis olim fuit; ſic novus credentium populus Domini mandata cuſtodiens caritatem ſuam tenuit*. „ Multi„ tudinis credentium erat cor unum & anima una, „ &c. . . . . „ In nobis vero unanimitas ſic dimi„ nuta eſt, ut & largitas operationis infracta eſt. „ Domos tunc & fundos venundabant, & theſauros „ ſibi in cœlo deponentes, diſtribuenda in uſus in„ digentium pretia Apoſtolis offerebant. At tunc de „ patrimonio nec decimas damus, & cum vendere „ jubeat Dominus, emimus potius & augemus. Sic „ in nobis emarcuit vigor fidei, ſic credentium ro„ bur elanguit.

S. Chryſoſtom. Hom. 6.

Pacis amor.

S. Cyprian. lib. De Unitate Eccleſiæ Catholicæ.

Act. 4. 5.

19. *Ergo jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei*. A domo & civitate Dei extranei ſunt, quicumque ſæculum diligunt. *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei, cœleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui. Illa in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam: hæc autem Deus conſcientiæ teſtis magna eſt gloria. Illa in gloria ſua exaltat caput ſuum: hæc dicit Deo ſuo*, „ Gloria mea & exaltans „ caput meum. *Illi in principibus ejus, vel in eis quas ſubjugat nationibus, dominandi libido dominatur: in hac ſerviunt invicem in caritate, & Præpoſiti conſulendo, & ſubditi obtemperando. Illa in ſuis Potentibus diligit virtutem ſuam: hæc dicit Deo ſuo*, „ Diligam te, Domine, virtus mea. *Ideoque in illa Sapientes ejus ſecundum hominem viventes, aut corporis, aut animi ſui bona, aut utriuſque ſectati ſunt ... In hac autem nulla eſt hominis ſapientia niſi pietas, qua recte colitur verus Deus, id expectans præmium in ſocietate ſanctorum, non ſolum hominum, verum etiam Angelorum, ut ſit Deus omnia in omnibus*. Hinc agnoſcat quiſque an civis ſit Babylonis, an civis Sanctorum: an ſit in Eccleſia ut hoſpes & advena, an ut domeſticus & filius adoptivus Dei.

S. Aug. lib. 14. De Civitate Dei, cap. 28.

Terrenæ & cæleſtis civitatis diſcrimen.

Pſalm. 3. 4.

Pſalm. 17. 2.

20. 21. 22. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu. In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum Domino. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*. Magna opera Domini, mirabilia, exquiſita: ſed omnium, poſt hominem Deum, & ejus Myſteria, admirabilius & excellentius, Eccleſia. Chriſti corpus eſt; quid divinius? Chriſti ſponſa, quid amabilius? Templum & domus Dei; quid auguſtius? *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis &c.* Quid venerabilius? Super Apoſtolorum & Prophetarum doctrina, eorumque prædicatione, miniſterio, laboribus ædificata eſt; quid antiquius? Chriſto Jeſu ut fundamento ſuperſtructa eſt, quid ſolidius & magis indeficiens? Ipſomet Chriſto angulari lapide compaginata: quid ſublimius? Quid indiſſolubilius? *Si ſacramenta cogites, Chriſtus Sanctus ſanctorum; ſi gregem ſubditum cogites, Chriſtus Paſtor Paſtorum: ſi fabricam cogites, Chriſtus fundamentum fundamentorum, Fundamentum & lapis angularis ipſe eſt, ab imo ſurgens; ſi tamen ab imo. Etenim origo fundamenti hujus ſummitatem tenet: & quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo eſt, ſic fundamentum ſpiritalis fabricæ in ſummo eſt. Si ad terram ædificaremus, in imo nobis ponendum erat fundamentum: quia cœleſtis fabrica eſt, ad cœlos præceſſit fundamentum noſtrum. Ipſe ergo angularis lapis, monteſque Apoſtoli, Prophetæ magni, portantes fabricam civitatis, faciunt vivum quoddam ædificium*. Architectus eſt Spiritus ſanctus; quid magis commenſuratum & proportionatum, quid melius diſpoſitum? Ex lapidibus electis omnis generis componitur, Judæis & Gentilibus, omnis ſexus, ætatis, conditionis; quid ea varietate ſpecioſius? Templum eſt conſecratum Domino; quid ſanctius & inviolabilius? *Erigeris in hanc fabricam affectu pio, religione ſincera, fide, ſpe, caritate: & ipſum ædificari ambulare eſt. In iſtis civitatibus alia eſt fabrica ædificiorum, alii ſunt cives inhabitantes in fabrica: illa civitas civibus ſuis ædificatur, ipſi ſunt lapides qui ſunt cives, lapides enim vivi ſunt*. Unde Apoſtolorum Princeps ait: *Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis*. Et Apoſtolus noſter: *In quo & vos coædificamini in habitaculum Deo in Spiritu*. Creſcimus in templum ſanctum Domino, quando creſcemus in gra-

Eccleſiæ dignitas.

Apocal. 21.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 86 n. 3.

1. Petri 2.

S. Thomas Lect. 6.

ſumus, in caritate & bonis operibus. A principio quidem juſtificationis noſtræ templum Dei ſumus: ſed quanto magis proficimus, tanto magis Deus habeat in nobis. *Sanctum eſt templum tuum, Domine, mirabile in æquitate,* ait Rex Propheta. *Ipſum templum nolite præter vos cogitare. Amate juſtitiam, & eſtis templum Dei.*

Tract. 64. S. Auguſt.

CAPUT III.

Senſus Litteralis.

1. HUjus rei gratia ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu pro vobis Gentibus. * Hujus rei gratia, ut ſcilicet compleatur & perficiatur ex vobis templum ſanctum Dei per Spiritum ejus, utique digni ſitis in quibus Deus inhabitet, ego Paulus, celeber ille captivus pro nomine Jeſu Chriſti, eo quod ejus Evangelium vobis Gentibus prædicaverim, oro & obſecro Deum ut vos in fide confirmet, & hinc oriundam ſalutem præbeat.

2. 3. 4. *Si tamen audiſtis † diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis.* Audiſtis enim procul dubio quomodo Deus gratia ſua munus Apoſtolicum mihi contulerit, ut illud in ſalutem Gentium obirem. *Quoniam ſecundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in brevi.* Quod nempe Deus per revelationem notum mihi fecit Myſterium redemptionis & juſtificationis hominum per Chriſtum, & vocationis Gentium, ſicut paucis verbis ad vos ſcripſi in hac ipſa Epiſtola. *Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in Myſterio Chriſti.* Ex quorum lectione cognoſcere poteſtis quantam mihi Myſterii hujus intelligentiam Deus dederit. * *Vere enim ſi quis ſuperiora hujus Epiſtolæ contempletur, videbit Paulo revelata Myſteria, quorum partem quamdam modicam ſuo ſermone perſtrinxit, non tam totum quod noverat proferens, quam oſtendens ex modico quid taceret.*

5. *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in Spiritu.* Quod quidem Myſterium aliis retro ſæculis hominibus notum non fuit ita clare, plene & perfecte, quoad particulares & determinatas circumſtantias, ſicut hoc tempore revelatum eſt a Deo ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis novi Teſtamenti. „ Notum quidem fuit antiquis Prophetis, ſed non ſicut nunc. „ Non enim „ res videbant, ſed de rebus ante ſcribebant. Ita e- „ tiam dixit Dominus in Evangelio: *Multi Prophe-* „ *tæ & Reges & juſti cupierunt videre quæ vos* „ *videtis, & non viderunt.* Nunc autem per Spiri- „ tum ſanctum primis revelavit Apoſtolis, ex pro- „ miſſo Chriſti, deinde Prophetis. Multi enim tem- „ pore Apoſtolorum Propheticam gratiam accepe- „ runt.

6. 7. *Gentes eſſe cohæredes, concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium.* Illud autem eſt Myſterium: Quod Gentiles pariter & Judæi vocati ſint ad cœleſtem hereditatem ut filii Dei adoptivi; quod ſint ejuſdem corporis membra ſub uno capite Chriſto, & participes benedictionis a Deo factæ Abrahamo, quæ omnia bona Novi Teſtamenti complectitur; five Spiritus ſancti Eccleſiæ promiſſi; idque per Chriſti Jeſu meritum, & per Evangelii prædicationem: *Cujus factus ſum Miniſter, ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis ejus.* * Cujus Evangelii Miniſterium & Apoſtolicum Munus mihi concreditum eſt, non meis meritis, ſed gratuito Dei dono, quod mihi collatum eſt per efficacem divinæ virtutis ejus operationem.

8. 9. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, Et illuminare † omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſæculis in Deo, qui omnia creavit.* Mihi ſcilicet omnium Chriſtianorum longe minimo, & olim Eccleſiæ Dei perſecutori, data eſt a Deo gratia hæc Apoſtolatus, ut Gentibus annuntiarem incomprehenſibiles divitias Chriſti, id eſt, immenſitatem beneficiorum quæ per Chriſti meritum abundantiſſime, velut ex infinito theſauro, in homines effunduntur: & ut miniſterio meo, doctrina, prædicatione, omnes illuminarem, ipſis patefaciendo admirabilem œconomiam & executionem Myſterii per tot ſæcula ſoli Deo noti, & in ejus mente, conſilio, & prædeſtinatione abſconditi, qui omnia creavit, tum prima creatione in ordine naturæ, tum ſecunda in ordine gratiæ *per Jeſum Chriſtum*, ut habent plurimi Codices Græci. Quamvis hæc additio in vetuſto Codice MS. Alexandrino, in Syriaca Verſione, & in Arabica Erpenii non legatur, hanc agnoſcunt S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. His verbis, *Qui omnia creavit*, refelluntur tum Simoniani Hæretici, qui mundum per angelos creatum dicebant; tum Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi, qui alterum mundi, id eſt viſibilium, & alterum aſſerebant inviſibilium Conditorem: hunc nullum eſſe dicentes, illum neſcio quem ſemper ignotum, tantum bonum, qui Pater Chriſti ſit. Ecce Deus, in quo Myſterium Chriſti ab omnibus retro ſæculis abſconditum fuit, creator omnium ab Apoſtolo prædicatur. Ex quo oſtenditur eumdem eſſe Deum novi & veteris Teſtamenti.

10. 11. 12. *Ut innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus, per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* Unde fit, ex prædicatione ſcilicet & manifeſtatione Myſterii a ſæculis abſconditi in Deo, & ex aggregatione ac inſitione Gentium pariter ac Judæorum in unum Chriſti corpus, ut ſapientia Dei in operum ſuorum varietate admirabilis plenius ac perfectius innoteſcat (quoad ſingulares nimirum circumſtantias) non ſolum Angelis inferiorum Ordinum, ſed ſuperiorum, qui Deo in cœlis adſiſtunt: dum arcanum illud Myſterium, & tanta tamque multiplicia divinæ ſapientiæ opera ad illud pertinentia, in Eccleſia impleri conſpiciunt. Quemadmodum illi quibus architectus conſilium ſuum de regiæ domus ædificatione aperuit, plenius ac perfectius operis magnificentiam cognoſcunt, cum Regiam iſtam ædificari vident, quæ prius in mente & idæa ſapientis & periti architecti latebat: & tunc ejus ſapientiam & peritiam cognoſcunt magis & ſuſpiciunt. *Secundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Hæc autem, ſecundum quod æterno ſuo conſilio propoſuit ac decrevit Deus, implevit præfinito tempore per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus.* In quem, ſcilicet Chriſtum Jeſum, credentes, per fidem ejus liberum & intrepidum acceſſum habemus ad Deum, fiduciamque illum propitiandi per Filium ejus, Mediatorem nobis ab illo datum.

13. *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ eſt gloria veſtra.* Quapropter vos rogo ne animos deſpondeatis propter afflictiones meas, & vincula quæ patior in functione Miniſterii mei propter ſalutem veſtram. Gloria enim veſtra eſt, quod ad confirmationem fidei, quam vobis prædico, tanta mala fortiter perferam. Quod Latinus Interpres vertit, *ne deficiatis*, poteſt juxta Græci ſermonis ambiguitatem ita reddi, *ne deficiam*, μὴ ἐκκακεῖν *non deficere*. Ut ſit ſenſus: *Propter quod peto ne deficiam in tribulationibus meis pro vobis.* Hoc eſt ergo quod Apoſtolus rogat, & a Domino magnopere deprecatur, ne deficiat in preſſuris ſuis. Ad doctrinam ipſius deſerebantur idola, & cultoribus templa deſerta, ſqualore & ſordibus replebantur, ob quam cauſam omnis exercitus dæmonum, omnis turba inimicarum fortitudinum, contra ipſum facto cuneo dimicabat, ut per tribulationes & anguſtias Evangelium Chriſti deſineret prædicare, & laſſus aliquando requieſceret. Hoc eſt itaque quod ait: *Peto ne deficiam in tribulationibus meis pro vobis.* Totum enim quod patior, veſtræ ſalutis eſt cauſa, dum vobis Evangelium annuntiare deſidero. Quæ tribulationes meæ, veſtra eſt gloria.

14. 15. 16. 17. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti,* § *Ex quo omnis paternitas † in cælis & in terra nominatur.* Id ut impetrem, flecto genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis illa familia tam numeroſa Angelorum in cœlis, & hominum in terris, ceu a principio & capite originem ducit. *Ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum ejus, in interiorem hominem.* Ut pro abundantia bonitatis ac miſericordiæ ſuæ vos in homine interiori, mente ſcilicet ac voluntate per Spiritum ſuum corroboret adverſus omnes tentationes. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in caritate radicati & fundati:* Det vobis ut Chriſtus per fidem perpetuo habitet in cordibus veſtris, utque caritas veſtra firma ſit & conſtans. Conſtantiam & firmitatem duabus ſimilitudinibus recte exprimit, arboris in altum radices agentis, & ædificii bene fundati. Confer cum *Matth. 7. 24. & cap. 13. 6. 21. Luc. 6. 48. Coloſſ. 2. 7.*

18. 19. *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* * Ut cognitione aſſequi valeatis & digne æſtimare quam longe lateque pateat virtus Myſterii Hominis Dei, & charitatis ejus erga electos ſuos, quam ſublime ſit, quam incomprehenſibile. Longitudo ejus eſt, quod ante ſæcula definitum fuerit. Latitudo vero, quod ad univerſos ejus beneficentia extendatur: ad eos qui fuerunt ante legem, in

Margin notes:

* Orationem eſſe ſuſpenſam ergo hyperbato uſque ad illa verba v. 8. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc*, [illegible] cum Chryſoſtomo nonnulli Interpretes.

† Illa, ſi petitionem, [illegible] illa uſque verba duntaxat *ſecundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum*, S. Hieronymus agnoſcit: Alii protrahunt ad Verſum uſque 13. [illegible] & in Theodoreto.

§ Quod vetus Latinus Interpres, *ſi tamen audiſtis*, Græce habetur, εἴγε ἠκούσατε, *ſiquidem audiſtis*.

S. Hieron.

* *Chryſoſt. Homil. 6.*

S. Hieronym. Theodoret.

Luc. 10. 24. Joan. 16. 15.

§ Virtus Dei in Apoſtolo efficax ad Gentium converſionem & editionem miraculorum pro confirmatione fidei. *Confer cum 1. Cor. 15. 8.*

§ Chriſtus omnes homines illuminat interius & principaliter: Apoſtoli, Paſtores, Doctores, externe & miniſterialiter. Unde Apoſtolos *lucem mundi* Chriſtus ipſe vocat.

S. Hieronym.

S. Gregorius Nyſſen. apud Theophylact. S. Thomas. Lect. 3.

S. Hieronym. Theodoret. in hunc locum.

§ Hæc verba, *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, a Latino quodam interprete addita, conſtat ex S. Hieronymo, qui illa non agnoſcit, nec Græci Commentatores in ſuis Exemplaribus legiſſent. Τὸν πατέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

§ Ex his verbis, *Ex quo omnis paternitas in cælo & in terra &c.* Valentinus Æonum ſuorum ridiculas conjugationes aſſeruit.

a Hæc dimenſionum nomina in ſenſu

metaphorico uſurpantur.
Longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum, ſignificant magnitudinem, quoniam ſunt argumenta magnitudinis, ait Theodoretus.
Oecumenius in hunc locum. S. Greg. Nyſſ. Oration. 1. in Chriſti Reſurrectione. Theophylact.
Eccle. 1. 10. Pſal. 101. 13. Pſal. 112. 4. Eccleſiaſt. 12. 25.
S. Thom. Lect. 5. ex S. Dionyſio lib. De Nominibus divinis cap. 5.
Alludere videtur Apoſtolus ad hæc verba Job 11. 8. 9. *Excelſior cœlo eſt, profundior inferno, longior terra menſura ejus & latior mari.*
Κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν.

in lege, & poſt legem, ad vivos & mortuos, ad Judæos, Græcos, & Barbaros, ad omnes gentes, ad cœleſtia ac terrena: pacem namque inter ipſos operatus eſt Chriſtus, cum diſſiderent inter ſe mutuo Angeli & homines. Profunditas, quod ad inferni penetralia ineſſabilem ſuam potentiam & beneficentiam exhibuit, illo quidem captivitati ſubjugato, captivis autem redemptis, ac libertati reſtitutis. Sublimitas, quoniam is qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit: quoniam ſuper cœlos evexit Primitias noſtras, ſuper omnem Principatum ac Poteſtatem, & Virtutem ac Dominationem. S. Gregorius Nyſſenus per longitudinem, latitudinem, profunditatem & ſublimitatem, crucem ſignificari cenſet, atque adeo Apoſtolum Epheſiis comprecari, ut poſſint comprehendere crucis Myſterium. Aliter explicat S. Thomas. Per latitudinem ſcilicet, deſignari cenſet extenſionem virtutis & ſapientiæ divinæ ſuper omnia: *Effudit illam ſuper omnia opera ſua*. Per longitudinem, æternam ejus durationem: *Tu autem, Domine, in æternum permanes*. Per ſublimitatem, perfectionem & nobilitatem naturæ ejus, quæ in infinitum excedit creaturam: *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus*. Per profundum, incomprehenſibilitatem ſapientiæ ejus: *Alta profunditas, quis inveniet eam?* Hanc cognitionem, quæ finis eſt fidei & caritatis noſtræ S. Paulus Epheſiis adprecatur, *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*. Precor tandem ut animo complecti, & pro dignitate æſtimare poſſitis charitatem qua nos dilexit Chriſtus, majorem certe quam ut penitus a nobis intelligi poſſit: ut & caritate, omnibuſque virtutibus ad æternam beatitudinem conſequendam neceſſariis abundetis.

20. 21. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis: Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu, in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen*. Ei, nempe Deo, qui per virtutem, quæ operatur in nobis, vel ut Græca verba ſonant, * *Per virtutem quam operatur in nobis*, poteſt nobis abundantius & cumulatius benefacere quam petere aut cogitare audeamus, ſit gloria in Eccleſia, ſive pro Eccleſia, quam inſtituit: & regit per Jeſum Chriſtum, quem nobis dedit, in omnes omnium ſæculorum ætates, & in æternum. *Amen*. Virtus quam Deus operatur in nobis, eſt gratia, caritas, virtutes, dona Spiritus ſancti, chariſmata collata Apoſtolis ad confirmationem fidei, & ipſa imprimis gratia evangeliaandi Gentibus incomprehenſibiles divitias Chriſti, & illuminandi omnes, manifeſtando ipſis Myſterium abſconditum a ſæculis in Deo.

CAPUT III.

Senſus Moralis.

Pati pro Chriſto, glorioſum.
S. Auguſt.

1. *HUjus rei gratia, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu pro vobis Gentibus*. Carcerem, vincula, & quævis alia mala pati pro Chriſto & ejus Eccleſia, pro fidei veritate, vel pro quacumque alia virtute, longe glorioſius eſt quarumlibet ſplendore dignitatum. Verum *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa*. Pœna ſimilis eſt bonis & malis: cauſa, ſcilicet pati pro Chriſti nomine, aut pro Eccleſiæ utilitate, propria eſt bonis. Unde Propheta non ait: Judica, Domine, pœnam meam, ſed, *Judica cauſam meam*. Ad omne afflictionum genus pro Chriſto & ejus Eccleſia perferendum fideles ejus Miniſtri & Eccleſiæ Paſtores parati ſint, Pauli Apoſtoli exemplo. *Ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu pro vobis Gentibus*. „ Si enim „ Dominus meus propter vos eſt actus in crucem, „ multo magis ego vincula pro ejus Evangelio & veſtra ſalute perpeti debeo. Non ſolum ipſe vinctus „ fuit, ſed etiam Apoſtolos ſuos vinciri permittit „ pro vobis Gentibus; & ego tantam adeptus ſum „ gratiam. Hæc vincula mihi non ſunt oneri, ſed „ honori; non tormento, ſed ornamento.

Pſal. 54. 1.
S. Chryſoſt. Homil. 6.

Eccleſiaſtici Miniſterii dignitas. Miniſtrorum officium.

2. 3. 4. *Si autem audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis: quoniam ſecundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum*, &c. Paſtores & Sacerdotes ſunt diſpenſatores gratiæ Dei: quis non contremiſcat ad ſacri Miniſterii functiones accedens? Eccleſiaſticum Miniſterium ad diſpenſationem Sacramentorum; ad Evangelii prædicationem, ad Eccleſiæ regimen & utilitatem, ad Animarum ſalutem a Chriſto inſtitutum, gratia Dei eſt: ad illud accedere quis audeat ſine ejus vocatione? Miniſterium illud Angelis ipſis reverendum a Deo datur hominibus ut exemplo Chriſti, cujus ſacerdotii ſunt participes, laborent pro Dei gloria, pro Eccleſiæ ædificatione, pro converſione peccatorum, pro perfectione juſtorum. Quis ad illud aſpiret ut in otio vivat? Sacerdotes & Paſtores Eccleſiæ noſſe debent divina Myſteria pleniore & perfectiore cognitione quam populus quem inſtituere & docere ipſis incumbit, omnia fidei Catholicæ dogmata, omnia Chriſtianæ vitæ officia, omnes Miniſterii ſui functiones intelligere, non ex hominum opinione, quæ errori obnoxia eſt; non ex privata revelatione, quæ expectanda non eſt; ſed ex revelatione communi & publica, quam Apoſtoli a Chriſto, Eccleſia ab Apoſtolis accepit in Scriptura ſacra & Traditione conſignatam. Hoc ſcrutentur depoſitum, hæc monumenta evolvant, legant, meditentur, vitamque ſuam, doctrinam, prædicationem, regimen & adminiſtrationem ad divinas illas regulas exigant & componant: ut prudentiam eorum in Myſterio Chriſti Chriſtiana plebs intelligat.

Ad quæ bona vocati ſumus per Evangelium?

5. 6. *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in Spiritu, Gentes eſſe coheredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium*. Quod ſanctis Apoſtolis & Prophetis per Spiritum ſanctum revelatum eſt, ad Chriſtianos omnes pertinet, qui filii Dei ſunt per gratiam adoptionis, non filii hominum. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*. O nos felices, quibus lux magna Evangeli per Dei gratiam illuxit! Quis digne Deo gratias agit pro tanto beneficio? Concorporales Chriſti facti ſumus, ejuſdem corporis membra, *Unus Chriſtus*. Nobis igitur invicem ſuccurramus, condoleamus, collætemur. Etſi diverſa ſint officia noſtra in corpore myſtico Jeſu Chriſti, uno tamen Spiritu animemur, una charitate connectamur, Chriſti coheredes ſumus: non quod aliqua inter nos poſſeſſio dividatur, ſed quod ipſe Deus ſit hereditas noſtra atque poſſeſſio. Caveamus ne a divina illa hereditate per peccatum excidamus. Comparticipes ſumus promiſſionis bonorum ſpiritualium & æternorum; terrenis & temporalibus ne inhæreamus. Indiviſſe adhæreamus Chriſto Jeſu per fidem, ſpem, & charitatem: ſiquidem per ipſum Deus Pater *Magna & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamur divinæ conſortes naturæ; fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*. Per Evangelium ad tanta bona vocati ſumus: ſecundum Evangelium vivamus, ut illa conſequi mereamur.

Pſalm. 81.
2. Petri 1. 4.

Humilitas & ſancta libertas in Miniſterio Eccleſiaſtico.

7. *Cujus factus ſum Miniſter, ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis ejus*. Paſtores & Miniſtri Evangelii humilitatem ſervent in Miniſterio, quod gratiæ Dei donum eſt, quo proinde ſe indignos exiſtimare debent. Illud tamen obeant & impleant cum fiducia & ſancta libertate, ut qui agant in Dei nomine, ejuſque auctoritate & potentiſſima virtute, qui in ſuis Miniſtris, & per illos operatur. Utrumque admirabiliter ſplendeſcit in Apoſtolo Paulo. *Cujus*, inquit, *factus ſum miniſter, ſecundum donum gratiæ Dei, ſecundum operationem virtutis ejus*. Sed non ſuffeciſſet donum niſi illi indidiſſet virtutem ac poteſtatem. Nec enim, humana ſufficiebat diligentia & induſtria.

Tres dotes Miniſtrorum Eccleſiæ.
S. Chryſoſtom. Homil. 6.
2. Cor. 6.
1. Theſſal. 2.
2. Cor. 13.

Tres porro dotes eximias ad prædicationem ſanctus Apoſtolus attulit. 1. Ferventem & intrepidam animi alacritatem, & ad quodvis ſuſtinendum pro Chriſto & Eccleſia paratam animam. 2. Intelligentiam & ſapientiam. 3. Vitæ irreprehenſibilis puritatem. Quæ tria virtus Spiritus ſancti in eo operata eſt. Audi eum ſcribentem: *Ut non vituperetur miniſterium noſtrum*. Et rurſus: *Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo .... Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis; neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt*. Et rurſus: *Providentes bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Tres illas dotes habere debent Eccleſiæ Miniſtri. 1. Intelligentiam Myſteriorum & ſcientiam divinæ legis, officiorumque ſuorum: 2. Magnanimitatem & in victam animi fortitudinem ad quævis pericula pro Dei gloria & Eccleſiæ utilitate, animarumque ſalute ſubeunda: 3. Mores integerrimos & vitam irreprehenſibilem. Nam ſi alterum ab altero fuerit ſeparatum, reliquum fit inutile. Quid enim juvat eſſe propenſum ad adeunda pericula, ſi vita ſit obnoxia reprehenſioni? *Si enim lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Quid autem juvat ejus eſſe vitæ in quam non cadat reprehenſio, eſſe autem hebetem, pigrum, & ſomnolentum? *Si quis enim non tollat crucem ſuam, & ſequatur me, non eſt me dignus*, &, *Niſi quis animam poſuerit pro ovibus*. Quid autem prodeſt hæc duo habere, & non eſſe aptum ad diſpenſandum, ad docendum, ad regendum animas? Hæc omnia habens Paulus, totum acceptum referebat gratiæ. Hoc eſt grati ſamuli, & beneficiorum memoris. Proh! quantum diſſimiles

Matt. 6. 23.
Matt. 10. 38. Joan. 10.

Paulo

Digitized by Google

Paulo Eccleſiæ Miniſtri, qui voluptates & delicias conſectantur, qui divitias quærunt & gloriam ſæcularem, qui otium & quietem amant, & vel minimis periculis ſe exponere pro Dei gloria & ovium ſalute refugiunt; a ſapientia autem tantum abſunt, quantum cœlum a terra! Propterea & qui illorum ſubditi ſunt regimini, plurimum diſtant ab iis qui, tunc erant, Chriſtianis; quandoquidem ii, qui tunc erant, diſcipuli, ii qui nunc ſunt Magiſtri erant præſtantiores ac meliores.

S. Pauli humilitas Paſtoribus & Prædicatoribus imitanda.

Eccli. 3. 20.

8. 9. *Mihi autem omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti.* Quo majoribus beneficiis aliquis a Deo augetur, quo ad ſublimiorem dignitatem, præſtantiuſque munus aſſumitur, eo magis ſe demittere & humiliare debet exemplo ſancti Apoſtoli Pauli. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, Doctor Gentium, ſublimiorum intelligentia myſteriorum a Deo illuſtratus, ad tertium cœlum raptus, in Lege doctiſſimus, mundi, dæmoniſque victor, idololatriæ expugnator & triumphator, magnarum fundator & rector Eccleſiarum, operis Chriſti vicarius, laboribus pro Chriſto exanthlatis, & afflictionibus pro ejus nomine toleratis, præ omnibus Apoſtolis celeber, miraculorum dono illuſtris, ſe omnium Chriſtianorum longe minimum profitetur: *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc.* Non ſolum ſe dicit Apoſtolorum minimum, ut olim ad Corinthios ſcribens, ſed omnium ſanctorum, hoc eſt, Chriſtianorum infimum. Sic proficiebat in humilitate. Hanc Apoſtoli ſancti virtutem Eccleſiæ Paſtores, & Evangelii Prædicatores imitentur, ut aſſequi valeant Myſteriorum Chriſti, & Eccleſiæ ejus notitiam, ad plebes ipſis commiſſas, aut ex eorum ore verbum ſalutis audientes, illuminandas neceſſariam. Myſteria enim ſua Deus parvulis & humilibus revelat, ſuperbis vero ſæcularis ſapientiæ opinione tumentibus abſcondit. In id incumbant, ut Chriſtum, ejuſque Myſteria, Evangelium, Eccleſiam, populis nota faciant, non perfunctorie, non ſteriliter, ſed diligenter, efficaciter: ut qui ipſos audiunt, non modo illuminentur, ſed ad Dei amorem accendantur, Chriſti divitiis ac donis repleantur, & Myſteriorum ejus fructum percipiant. *Et illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſæculis in Deo, qui omnia creavit.*

1 Cor. 15.

10. 11. *Ut innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Incarnati Verbi Myſterium, generis humani redemptionem per paſſionem & mortem ejus, illius in Eccleſia ſua formanda admirabilem ſapientiam & œconomiam aſſidue meditentur Paſtores animarum, Prædicatores verbi Dei, omneſque Eccleſiaſtici Viri: & quæ ſanctis meditationibus a Deo didicerint, populum fidelem doceant. Hæc vera Sacerdotum, omniumque Chriſtianorum ſcientia, quæ magnitudinem, virtutem, & ſapientiam Dei, effectuum varietate admirabilem, illis qui ad eam animam pio cum affectu applicant notas facit. Cur ſcientiam illam negligimus, quam ſancti Angeli deſiderarunt & exquiſierunt; cum tamen propter nos, non propter ipſos hæc Myſteria ab æterno prædeſtinata ſint, & per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum impleta? Admirabilem illam Dei ſapientiam & œconomiam Scriptura ſacra Veteris Novique Teſtamenti nobis poſuit ob oculos. Adamo & Eva conditis legem facilem dedit Deus. Labi permiſit ad coercendam humanam ſuperbiam de ſuis viribus nimium confidentem: ſivit vitia creſcere ante diluvium, quo terram univerſam ſubmerſit, ſolo Noe cum ejus uxore, tribus filiis, & tribus eorum uxoribus admirabiliter a communi exitio in arca ſervatis. Rurſus poſt diluvium auctis vitiis, & vitiorum maximo idololatria, Abrahamum excitavit, per quem veri Dei cultus inſtauraretur; cum illo fœdus pepigit, promiſitque naſciturum ex illius ſtirpe Chriſtum, in quo Gentes omnes benedicerentur. Ejus poſteros experiri voluit quantum eſſet diſcriminis inter inſtituta Abrahami & aliarum Gentium, etiam earum quæ ſapientiſſimæ habebantur. Iſraelitis in Ægyptum ob ſeptennem famem profectis, Religionem & Eccleſiam in familia Jacob ſervavit, ex eaque auctum populum elegit, ſuumque eſſe voluit; ab Ægyptiis duræ ſervituti ſubjectum, & afflictum ex Ægypto eduxit per Mare Rubrum Moyſe duce, & per annos quadraginta in locis ſolitariis peregrinos aluit, protexit, detenuit, miraculis in eorum gratiam editis, Lege data, ceremoniis inſtitutis, quibus in vera Religione, Deique unius cultu continerentur: morbis etiam, & mortibus contumaces, ſeditioſos, idololatras, fornicatores, murmuratores punivit, ut eorum exemplo alii terrerentur, & officii tenaces eſſent. Deinde Regibus & populis terræ Canaan auxilio ſuo profligatis, dedit eis terram feraciſſimam, Duceſque & Judices Dei Spiritu donatos, ut probarent quanta res eſſet a Deo, viriſque ab eo delectis regi. Volentibus ceterarum Gentium exemplo, permiſit habere Reges, & pleroſque malos. Sub Regibus tamen fines bene tutati ſunt & protulere: ſed Dei beneficiis abuſi, & Regum exempla ſecuti, prolapſi ſunt in idololatriam, & ad omnia vitia quæ ex illo principali generis humani crimine ſequi ſolent. Deus per gradus eos admonuit, caſtigavit, ſciſſo primum Regno, deinde parte utraque multum vexata per Principes externos, poſtea decem tribuum primum parte exigua a Theglathphalaſar Aſſyriorum Rege, deinde quod reliquum erat a Salmanaſar in Aſſyriam deportatis. Cum ne hac quidem Dei admonitione & animadverſione recte uſæ eſſent Tribus quæ reſtabant in Regno Juda, eas quoque obſeſſis a Nabuchodonoſor Hieroſolymis in Babylonem abduci fecit, & longa duraque ſeptuaginta annorum captivitate probavit, purgavit, emendavit. Populum carnalem, protervum, contumacem, ingratum non penitus abjecit Deus Optimus: ſed & ante captivitatem, & in ipſa captivitate, per Prophetas ad utrumque Regnum Iſrael & Juda miſſus erudivit, corripuit, ad pœnitentiam hortatus eſt. Prophetæ Spiritus ſancti afflatu tum mala illis imminentia, tum ab illis liberationem, Chriſti adventum, Myſteria, regnum, Gentium ac Judæorum per illum ſalvandorum in unam Eccleſiam toto orbe diffundendam congregationem, & adunationem, variis figuris ac vaticiniis prædixerunt: Deumque ſic impleturum promiſſiones Abrahamo & Davidi factas. Probatos in exilio Babylonico Judæos Deus per Cyrum Perſarum Regem, Zorobabele duce, in patriam reſtituit, non tamen cum plena libertate, ut paulatim contemptui rerum terrenarum, & ſpei cœleſtium, quas plene revelaturus erat Chriſtus, aſſueſcerent. Dario & Artaxerxe Regibus Perſarum faventibus, Eſdras & Nehemias Templum inſtaurant, Urbem reædificant & muniunt, Dei cultum reſtituunt. His temporibus Aggæum & Zachariam Prophetas Deus ſuſcitavit, qui populum ad pœnitentiam hortarentur, ad pietatem erudirent, præclaraque de Criſto & Eccleſia vaticinia ederent. Tempus omne quod captivitatem Babylonicam ſecutum eſt, uſque ad Chriſti Domini adventum, veſtibulum (ut ita loquar) fuit Evangelii. Nam & multi ex Gentibus ad veri Dei cognitionem & cultum traducti ſunt Judæorum exemplo. At cum rurſus idem populus ad vitia plurima prolapſus eſſet, per Macedonas primum, deinde per Romanos eorum ferociam repreſſit Deus, ac pleriſque ad meliorem frugem minime redeuntibus, miſit Joannem Baptiſtam Spiritu & virtute Eliæ donatum, qui Pœnitentiæ prædicatione populum ad Chriſtum recipiendum & audiendum præpararet, quemadmodum a Malachia Propheta prædictum fuerat. Tandem Meſſiam promiſſum miſit Deus, Filium ſuum unigenitum, Deum hominem propter homines factum: quem illis Redemptorem, Salvatorem, Mediatorem, Legiſlatorem, Magiſtrum ac Dominum dedit. Is doctrina ſua, ſanctitate, miraculis, Prophetas omnes, ipſumque Moyſen tantum ſuperans, quantum ſervos Dominus, omnia fecit quæ fieri poterant ad Judæos ſcientia ſalutis imbuendos, & ad meliorem frugem revocandos. Frugem collegit aliquam, ſed in tanta multitudine exiguam. A Judæis contemptus, male habitus, crucifixus, Morte & Reſurrectione ſua, glorioſaque in cœlos Aſcenſione, œconomiam ſuam & humanæ reparationis opus complevit. Miſſo, quem promiſerat, in Apoſtolos ac Diſcipulos ſuos Spiritu ſancto Patris ac ſuo, Legem illam ritualem per manus Moyſis datam, ut illis ceremoniis onerata plebs ceremoniarum amans ab idololatricis ſuperſtitionibus avocaretur; utque res majores illis figuris adumbratas intelligeret, antiquavit: conditaque Eccleſia, & nova Lege promulgata, Gentes in ſe credentes, & præceptis ſuis obedientes, ſe non minoris facere quam Judæos, oſtendit. Innumera hominum multitudo per Apoſtolos, & maxime per S. Paulum, ad Chriſti fidem perducta, in unum Eccleſiæ corpus ſub eodem capite Chriſto inſerta eſt. Exinde Eccleſia perſecutionibus creſcens, martyriis coronata, per totum orbem diffuſa, inconcuſſa tot naſcentibus hæreſibus fide, incolumi tot ſchiſmaticis ipſam ſcindere fruſtra conantibus unitate, inviolata inter tot malorum Chriſtianorum vitia ſanctitate ſua, ſtetit, floruit, ſtabitque ſemper ac florebit, ſupra Petrum voce Domini fundata, portis inferi numquam adverſus illam prævalituris. Qui tandem illam in conſummatione ſæculi, omnibus membris ſuis completam & perfectam Patri ſuo glorioſam exhibebit ſine macula, ut ſit Deus omnia in

Summa Hiſtoriæ ſacræ Veteris Novique Teſtamenti, divinæ ſapientiæ admirabilem œconomiam in Eccleſiæ formatione demonſtrans.

omni-

Digitized by Google

omnibus, & ab omnibus electis ſuis per eumdem Chriſtum, Jeſum Filium ſuum in æternum glorificetur. Hoc opus dexteræ Excelſi. Hæc œconomia admirabilis multiformis ſapientiæ Dei, ad Chriſtum Jeſum ordinata, in ipſo & per ipſum; ſecundum præfinitionem æternam, adimpleta & adimplenda. Hoc *omnium ſæculorum negotium.*

Nihil a Deo ſperare, aut impetrare poſſumus, niſi per Jeſum Chriſtum.

12. 13. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.* Si quis coram Deo ſe ſiſtere aliter præſumat quam per Chriſtum Jeſum, ut membrum ipſius, & in fide nominis illius, ut inimicus repelletur, & maledictionem pœnaſque referet, non gratiam & beneficia. Toto animi affectu, ſemper, & ubique conjuncti ſimus Chriſto Jeſu Domino noſtro, ſine quo nec Deum ut par eſt orare, nec aliter quam per ipſum aliquid a Deo ſperare aut impetrare poſſumus. Hunc animi affectum identidem in nobis renovemus. Hæc veræ devotionis praxis. Si liberum acceſſum ad Regem, cum fiducia obtinendi ab ejus Majeſtate res temporales, haberemus, quis noſtrum opportunitatem negligeret? Libertatem habemus accedendi ad Deum quotidie, quoties volumus, cum fiducia obtinendi liberationem ab omnibus malis, gratias omnes, æternam gloriam & fœlicitatem, Jeſu Chriſto Domino noſtro Mediatore: & id negligimus. Ne nos de ſalute noſtra veriſque bonis parum ſolicitos? *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Ab illo petamus patientiam & longanimitatem in tribulationibus, & ut fiduciam gloriamque noſtram in Chriſti cruce collocemus. *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.* Hic ſanctorum Eccleſiæ Paſtorum ac Miniſtrorum, bonorumque Chriſtianorum character, in afflictionibus animo non deficere, in cruce gloriari. Homines etiam fideles hac vel maxime quæſtione tentantur, quare ſanctis viris & Deo ſervientibus multa adverſa eveniant, iniqui vero floreant, vigeant, ſint divites & potentes. Quorum verba ſub perſona ſua David exprimens, ait: *Quam bonus Iſrael Deus rectis corde! Mei autem pene moti ſunt pedes, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns .... Et dixi: Ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die.* Ad hanc tentationem ſuperandam & verba & exemplum Apoſtoli plurimum valent: magis autem verba & exemplum Chriſti. Sed gratiæ illius auxilium implorandum eſt, ne in noſtris, vel piorum afflictionibus deficiamus. *Quæ quidem preſſuræ apud incredulos pœnæ ſunt, apud fideles gloria atque victoria: quia viciſſe, eſt adverſariis in anguſtiis non ceſſiſſe.*

Hebr. 4. 16.
Non deficiendum in tribulationibus.
Pſalm. 72.
S. Hieronym. in Comment. hujus Capitis.

14. 15. 16. 17. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. Ut det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem.* Genuflexio corporalis humilitatem ſignificat orantis. Verumtamen de interioris hominis genuflexione hic intelligendus eſt Apoſtolus, quemadmodum cum ait: *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Subjectionem igitur mentis, & inclinationem animæ, cordiſque obſequium genuflexionis nomine hic ſignificat. „ Quomodo autem „ quicumque ſubjectus eſt Salvatori, flectere ei ge„ nu dicitur: ſic qui peccati ſervus eſt, & habet „ ſpiritum ſervitutis iterum in timore, genu fle„ xiſſe ſcribitur peccato. „ *Dereliqui mihi* (ait Dominus) *ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*, idolo ſcilicet atque peccato. „ Qui „ fornicator eſt, & per lupanaria ſcortaque diſcur„ rit, libidini flectit genu ſuum. Qui furioſus, fle„ xo adorat iram genu. Qui Mammonam ſuſpicit, „ & Deus ejus eſt venter, flectit genua avaritiæ at„ que luxoriæ. *Toties diabolo flectimus genua, quo„ ties peccamus.* Hæc autem ſpiritualiter exponen„ tes, orandi conſuetudinem fixo in terram poplite „ non tollimus. Legimus enim & Paulum in littore „ ſic oraſſe, & geniculationes in oratione præceptas. „ Sed ſicut illud ædificat ſimplices, ſic verum eſſe „ docemus in animo: quia multi corporale flectentes „ genu, animæ nequaquam poplitem curvaverunt; „ & contra, alii erecto Deum corpore deprecantes, „ magis ſe animo curvaverunt. Orandus igitur eſt Deus ſumma animi ſubjectione & humilitate, ut nos in tentationibus & rebus adverſis corroboret per Spiritum ſanctum, ne deficiamus. *Nulla enim vera fortitudo abſque Spiritu ſancto eſt.* Fortes fuere Gentiles Philoſophi, Duceſque nonnulli in profanis Hiſtoriis celebres, ſed exterioris hominis, non interioris fortitudine. Quia in ſpeciem fortior Calano Indorum Gymnoſophiſta, qui ad Alexandrum Macedo„ num Imperatorem his verbis ſcribit: Maximus „ ignis viventibus corporibus dolorem inurit, & gi„ gnit corruptionem: ſuper hunc nos ſumus; vi„ ventes enim exurimur. Non eſt Rex, neque Prin„ ceps, qui extorqueat nobis facere quod non pro„ poſuimus. Nec ſimiles ſumus Græciæ Philoſopho„ rum, qui verba pro rebus meditati ſunt ad opinio„ nis celebritatem: nobis res ſociæ verbis, & ver„ ba rebus: res celeres, & ſermones breves: in „ virtute nobis libertas beata eſt. Quæ S. Ambroſius „ commemorans: Præclara verba, inquit, ſed ver„ ba: præclara conſtantia, ſed viri: præclara Epi„ ſtola, ſed Philoſophi. Apud nos autem & puel„ læ de mortis appetentia ſublimes, aſque ad cœ„ lum erexere virtutum gradus, per Spiritum ſan„ ctum corroboratæ. „ Nos ergo non corporis vires, ſed animæ quærimus; nec exteriorem hominem cupimus roborari, ſed interiorem; cujus ratio & lumen, fides eſt; cujus cor & vita, charitas; cujus anima & fortitudo, Spiritus ſanctus; cujus ſubſiſtentia, Chriſtus Jeſus; cujus pater Deus, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur; cujus hereditas, gloria & divitiæ ſpirituales, incorruptibiles, æternæ in domo Dei. Corroboramur autem per Spiritum ſanctum in interiori homine, ut Chriſtus habitet per fidem in ipſius interiora hominis principali, & in eo non ad tempus, ſed perpetuo inhabitet. Hæc enim verbi Græci * emphaſis. *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Habitatio autem iſta, quæ per exordium fidei fabricatur, radices & fundamentum in charitate habet, ut quoniam Dei agricultura ſumus, Dei ædificatio, omnia in charitate ſuccreſcant atque ædificentur. *In charitate radicati atque fundati.* Sed niſi amore proprio, ſæculique affectibus vacuum ſit cor noſtrum, in eo non manet Chriſtus per charitatem. Ubi enim regnat carnalis cupiditas, ibi non eſt Dei charitas: &, *Quanto magis regnum cupiditatis deſtruitur, tanto charitatis augetur.* Charitas radix eſt arboris bonæ, quæ bonos fructus facit: ſi radix deſit, areſcet arbor, & in ignem mittetur. Charitas fundamentum eſt ſpiritualis ædificii. Si poſitum non fuerit, aut firmum non ſit fundamentum, totum ædificium ſubvertetur. *Caritas in quantum adeſt, exerceatur bene vivendo: in quantum autem minus eſt, impetretur petendo.* Ab illo enim datur, a quo jubetur.

S. Ambroſ. Epiſt. 37. ad Simplicianum.
* Κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν.
S. Aug. lib. 3. De Doctrina Chriſt. cap. 10.
S. Auguſt. Serm. 109. alias De Diverſis 73.

18. 19. *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Caritatis Chriſti erga nos magnitudinem, crucis ejus dimenſiones, hæc verba ſignificant. Latitudinem crucis comprehendit, qui Eccleſiam toto orbe diffuſam ex latere Chriſti morientis proceſſiſſe cogitat, & virtutem crucis ad mille mundos extendi poſſe; ejus meritum per omnia ſæcula diffundi. Comprehendit longitudinem crucis, qui Chriſti crucifixi divinam longanimitatem conſiderat, paratumque animum ad paſſionem crucis per multa ſæcula pro noſtra redemptione perferendam, ſi Pater æternus ita decreviſſet. Comprehendit ſublimitatem crucis, qui conſiderat quanta ſit gloriæ cœleſtis excellentia, ad quam nos crucis humilitas provehit. Crucis profundum comprehendit, qui novit Dominum pro ſervis, Filium Dei pro inimicis crucifixum. Chriſti pro nobis crucifixi charitatem his dimenſionibus adumbratam imitemur. Latitudo crucis eſt in ligno tranſverſo, cui manus Redemptoris noſtri affixæ ſunt, quia charitas noſtra & affectu & opere dilatari debet ad inimicos etiam noſtros. *Eduxit me in latitudinem Dominus.* Longitudo cernitur in ligno erecto, cui totum corpus innititur: quia charitas, quæ ſuſtinet & ſalvat hominem, debet eſſe perſeverans. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Sublimitas conſpicitur in ligno ſuperiori, cui caput incumbit, quia ſpe ad æterna & divina aſſurgere debemus, omnia propter Dei gloriam agentes, & in Chriſtum ut exemplar noſtrum reſpicientes. *Caput viri Chriſtus .... Omnia propter Dei gloriam facite.* Profundum crucis non videtur: ſed latet ſub terra, & ſuſtinet crucem: quia profundum amoris divini ſuſtinet nos, nec tamen videtur: & prædeſtinationis arcanum humanam mentem excedit. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* „ Felices nos, ſi comprehen„ dere poſſimus *quæ ſit latitudo* in bonis operibus, „ quibus benevolentia porrigitur uſque ad diligen„ dos inimicos; & *longitudo*, ut longanimiter, pro „ hac latitudine, moleſtiæ tolerentur: & *altitudo*, ut „ pro his æternum, quod in ſupernis eſt præmium, „ non vanum aliquid temporale ſperetur: & *pro„ fundum*, unde gratuita gratia Dei ſecundum ſecre„ tum & abditum voluntatis ejus exſiſtit. Ibi enim „ radicati, ibi ſumus fundati: radicati, propter „ agriculturam; fundati, propter ædificationem; quæ „ quoniam non eſt ab homine, dicit alio loco idem „ Apoſtolus: *Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio „ eſtis*, „

Dimenſiones crucis Chriſti ſpirituali ſenſu explicatæ.
S. Thomas. Lect. 5.
Pſalm. 17.
Matth. 10.
1. *Cor.* 11.
1. *Cor.* 10.
Rom. 11.
S. Auguſt. Epiſt. 140. alias 120. Cap. 26. & 36.
1. *Cor.* 3. 9.

Genuflexio interioris hominis in oratione.
Philipp. 2.
S. Hieron. in hunc locum.
Act. 20.

„ *eſtis* .... Intelligentes igitur peregrinationem noſtram in hac vita, mundo crucifigamur, extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate uſque in finem perſeverantes, atque habentes cor ſurſum, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, totumque hoc non nobis, ſed illius miſericordiæ tribuentes, cujus profunda judicia omnem ſcrutatorem fatigant. Hæc eſt enim non inaniter fabuloſa, ſed utiliter verax latitudo, longitudo, altitudo, profundum, unde perveniamus etiam ad ſupereminentem ſcientiam caritatis Chriſti, & impleamur in omnem plenitudinem Dei. “ Hujus plenitudinis capacem animam quicquid Deo minus eſt non implebit. *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Noſſe, pro humano captu, quantum Chriſtus dilexerit nos, vera eſt ſpiritualium hominum ſcientia, omnibus ſcientiis naturalibus, omnibus eruditorum hominum ſpeculationibus anteponenda. Melior ſcientia afficiens ſcientia mere ſpeculatrice. Salutaris cognitio, ex qua magis accenditur amor. *Cognoſcam te cognitor meus, cognoſcam te, ſicut & cognitus ſum. Virtus animæ meæ, intra in eam, & coapta tibi, ut poſſideas ſine macula & ruga .... O amor, qui ſemper ardes, & numquam extingueris! Caritas, Deus meus, accende me.* Fac ut nihil amem pluſquam te, nihil niſi in te, & propter te. *Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat; quod non propter te amat.*

Vera ſpiritualium hominum ſcientia.

S. Thomas:

S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. 1.

Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti, &c. „ Grandem & immenſam ſcientiæ caritatem habet Chriſtus, id eſt, eorum qui ſe ſcire deſiderant, qui in lege ejus meditantur nocte ac die, qui verba vertunt in opera, & quod ore meditantur, conſummant manu. Qui autem talis eſt ut dignus ſit per ſcientiam ſuam habere Chriſti ſupereminentem caritatem, ille nihil debet aliud præter ſcientiam cogitare. Atque ita implebitur in omni plenitudine Dei non ſolum in præſenti ſæculo, ſed etiam in futuro; ut qui nunc plenus eſſe cœpit in ſtudio per ſectionem, poſtea perfectius impleatur, Deo, qui eſt plenitudo omnium, ſe complente. “

S. Hieron. in hunc locum.

20. 21. *Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis: ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu.* Infinitam Dei potentiam, & immenſam beneficentiam demonſtrant ea quæ propter nos & in nobis operatus eſt. Nec enim mens humana intelligere potuiſſet, nec affectus petere auſus eſſet a Deo ut fieret homo, & homo fieret Deus, & conſors divinæ naturæ. *Quis ſufficiet enarrare opera illius? Quis inveſtigabit magnalia illius? Virtutem autem magnitudinis quis annunciabit?* Quis enarrabit mirabilia quæ quotidie in animis hominum per gratiæ ſuæ omnipotentiſſimam efficaciam operatur, etiam rebelles ad ſe compellendo & convertendo voluntates? Quis miſericordiæ divinæ ſuperabundantiam intelligere, aut digne explicare valeat, nobis plura donantis quam petamus, & ſpes noſtras effectibus vincentis? „ Nam quod oportet orare, neſcimus, & ſæpe contra nos petimus, æſtimantes eſſe pro nobis. Quanto enim melius erat fornicatori ægrotare & debilitate torqueri, quam Chriſti templum facere membra meretricis? Potens eſt ergo Deus non ſolum ſupra id quod petimus, ſed etiam ſupra id quod intelligimus, tribuere. Evenit interdum ut ſenſum noſtrum non exprimamus in vocem, & mentem verba non expleant, tacitoque cogitatu gemitibus inenarrabilibus, ut ipſe Apoſtolus ait, neſcio quid, quod dicere non poſſumus, deprecemur. Præſtabit igitur ſuper quam petimus aut intelligimus, ſecundum eam virtutem quæ operatur in nobis; ut quomodo nunc non juxta meritum noſtrum, ſed ſupra vota dat nobis aliqua, quæ nec petere auſi fuimus, nec ſi petiiſſemus æſtimavimus nos mereri: ita & cetera tribuat, quæ nec mens poteſt cogitare, nec lingua proferre. Ipſi itaque Deo ſit gloria, primum in Eccleſia, quæ eſt pura, non habens maculam, neque rugam, & quæ propterea gloriam Dei recipere poteſt, quia corpus Chriſti eſt. Deinde in Chriſto Jeſu, quia in corpore aſſumpti hominis cujus ſunt univerſa membra credentium, omnis divinitas inhabitat corporaliter. Illi gratias agamus in tempore hujus vitæ, ut in gratiarum actione & laude gratiæ ejus permaneamus in æternitate. Amen. Fiat.

Infinita Dei potentia, & immenſa in nos beneficentia.

S. Thomas; Lect. 5.

Eccli. 18. 3. 4.

S. Hieron.

Rom. 8.

CAPUT IV.

Senſus Litteralis.

1. 2. 3. *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis.* Vos hortor & obſecro, ego captivus propter Chriſtum Dominum & ejus Evangelium, ut eo modo vivatis, qui conveniat ſtatui ad quem vocati eſtis; ut vita ſancta ſit, & inculpata converſatio, ſicut & Chriſtiana Religio quam profitemini, & ad quam per Dei miſericordiam vocati eſtis. *Cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate.* In omnibus humilitatem habete & manſuetudinem ſeu animi lenitatem, cum patientia ſuſtinentes & tolerantes alii aliorum infirmitates & defectus, ex charitate, quæ patiens eſt. *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Studioſe & ſollicite operam detis, ut ſervetur inter vos animorum conjunctio, pace velut vinculo animos veſtros connectente.

4. 5. 6. *Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Unum corpus myſticum effecti eſtis, *per Spiritum ſanctum*, qui Eccleſiam vivificat, movet, ac regit, una ſpes vobis data eſt bonorum æternorum, reſurrectionis, & regni cœleſtis. Ad hæc vocati eſtis. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Unus omnium fidelium Dominus Chriſtus Jeſus. Una regula fidei invariabilis & irreformabilis, quam omnes ſequimur: Unum fidei objectum, quod & nos credimus, & juſti veteris Teſtamenti crediderunt. Tempora variata ſunt, non fides. Unum baptiſma, quo regeneramur, & fidem profitemur. *Unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Unus Deus eſt, qui & pater eſt omnium hominum, maxime fidelium, qui eſt ſuper omnes, ſupremo dominio; & per omnia, generali providentia; & in omnibus Eccleſiæ membris, inhabitatione. Alii τὸ *ſuper omnes*, retulerunt ad Patrem, qui omnium auctor, primumque principium dicitur per appropriationem, quamvis id ſit tribus adorandæ Trinitatis Perſonis commune: *Per omnia*, ad Filium, per quem omnia facta ſunt: *In omnibus*, ad Spiritum ſanctum, cujus templum ſumus, in quo Pater & Filius & ipſe Spiritus ſanctus habitant.

Theodoret.

7. *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia* * *ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Unicuique noſtrum gratiam aliquam habenti data illa gratia a Deo eſt, non una & par, ſed huic major, illi minor, non pro dignitate aut meritis recipientium, ſed prout Chriſto placuit. Mare immenſum eſt, & capacitas ejus ſoli Deo nota: ex hoc tamen ſi quis velit multis hominibus, ſecundum id quod geſtare queunt, tradere: neceſſe eſt ut ad menſuram unicuique tribuat, & partes ejus menſuratam recipiant, quod ſecundum ſe totum immenſurabile eſt. Ita Spiritus ſanctus immenſus quidem eſt, & magnificentiæ ejus non eſt finis: tamen unicuique dona ejus tribuuntur ſecundum quod expedire videtur Chriſto ad Eccleſiæ utilitatem.

* De gratia gratis data hic loquitur Apoſtolus.

S. Hieron. in hunc locum.

8. *Propter quod dixit: Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Propter quod dixit Propheta: Cum aſcenderet Chriſtus ſuper omnes cœlos, duxit triumphans multitudinem ingentem captivorum, ſcilicet antiquos Juſtos, qui in inferioribus partibus terræ captivi detinebantur, donec cœlum primi hominis peccato humano generi clauſum ab ipſo hominum Redemptore & Mediatore Chriſto reſeratum eſſet: illoſque ſecum in cœlum introduxit. Vel, Captivum cepit diabolum, & mortem, & maledictionem, & peccatum, noſque diabolo ſubjectos, & peccato, morti, maledictioni obnoxios. Dedit dona hominibus, ſcilicet Spiritum ſanctum, & varia ejus chariſmata. Habetur in Pſalmo, † *Accepiſti dona in hominibus:* nec tamen Apoſtolus dicens, *Dedit dona hominibus*, a Prophetæ ſenſu recedit. Nam *accipere* interdum ſumitur in ſcriptura pro *dare*, ut *Geneſ.* 34. 8. *Exod.* 31. 10. *Judic.* 14. 9. Unde S. Paulus intelligens *Accepiſti* poſitum in Pſalmo pro *dediſti*, Prophetæ ſenſum expreſſit his verbis, *Dedit dona hominibus*. Accepit nempe ut homo & Mediator dona a Patre, ut daret hominibus. Unde Chaldaica Paraphraſis Pſalmi laudati habet: *Dediſti dona filiis hominum*. Verſio Syriaca: *Et largitus es dona hominibus*. Æthiopica: *Dediſti dona tua hominibus*. Arabica: *Et dedit hominibus dona*. Pſalterium etiam Romanum, & quod S. Hilarius commentatur, habent: *Dedit dona in hominibus:* quamvis ita expoſitione conſtanter legatur: *Accepit dona in hominibus*, Gentes ſcilicet in hereditatem, ut idem ſanctus Epiſcopus explicat, S. Juſtinus Martyr in Dia-

Pſal. 67. 8.

Theophylact.

† Quamvis Pſalmum 67. ad ſalutem Judæis allatam Sennacherib Regis Aſſyriorum tempore pertinere cenſeant eruditi Interpretes ſecundum ſenſum tamen litteralem & Propheticum, quem Spiritus ſanctus intendit, non ſecundum ſolam accommodationem Chriſtum ſpectare certiſſimum eſt. Vi-

logo

de, *Theodor.* in Commentario ejuſdem Pſalmi.

Confer cum Eccli. 24. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes & illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

logo cum Tryphone Judæo: „ Poſt Chriſti, inquit, „ in cœlum reditum, vaticinio prænunciatum eſt, „ captivos ipſum nos ducturum ab errore, & da„ turum nobis dona. Sunt autem hæc ipſa verba: „ *Aſcendit in altum, captivam duxit captivitatem,* „ *dedit dona hominibus*. Itaque nos donis ab eo qui „ in altum aſcendit, Chriſto acceptis, vos qui in „ vobis ipſis ſapitis, ex ſermonibus Propheticis o„ ſtendimus inſipientes eſſe. In eamdem ſententiam verbum Pſalmiſtæ ab Aben-eſra accipitur. S. Hieronymus ait, Apoſtolum hic eleganter poſuiſſe, *Dedit dona hominibus* cum in Pſalterio ſcriptum ſit, *Accepiſti dona in hominibus*: Verum ibi quia necdum factum erat, ſed futurum promittebatur, propterea dicitur accepiſſe. Hic vero cum Apoſtolus ſcribit, quia jam dederat, & in univerſo orbe Eccleſiæ fundatæ erant, idcirco non accepiſſe ſcribitur, ſed dediſſe. Uno verbo, Chriſtus accepit dona in homines eroganda. Confer cum S. Petri verbis Act. 2. 33. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis.*

9. 10. *Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Cæterum quod dictum eſt, *Aſcendit*, quid ſignificat, niſi illum deſcendiſſe primum in terram, quæ mundi pars infima eſt, per Incarnationem; tum in ſepulchrum poſt mortem; tum denique ad inferos ſecundum animam, ut ſanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cœlos victor abduceret. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia.* * Idem plane qui deſcendit Filius Dei, merito humilitatis ſuæ ad ſummum cœlum, ſupremamque ejus partem, & digniorem locum aſcendit, & ſuper omnes cœleſtes Virtutes, velut accepta poſſeſſione regni ac dominii quod ſecundum naturam aſſumptam habet ſuper omnes creaturas. Id autem factum eſt, ut potentia dominationis ſuæ omnia loca repleret, terram, inferos, cœlos, quos penetravit, ſummum cœlum in quo ſedes ejus eſt ad dexteram Patris. Vel, *ut impleret omnia*, quæ de ipſo ſcripta erant, inter quæ & admirabilis in cœlos Aſcenſio continetur. Deſcendit ergo, & aſcendit, ut non tantum Legem Prophetaſque compleret, ſed & alias quaſdam occultas diſpenſationes, quas ipſe ſolus novit cum Patre. *Neque enim ſcire poſſumus quomodo & Angelis, & his qui in inferno erant veteribus Juſtis, Chriſti ſanguis profuerit: & tamen quia profuerit, neſcire non poſſumus* (inquit S. Hieronymus.) Vel, *ut impleret omnia*, quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria erant. Vel, ut impleret omnia Eccleſiæ membra. Vel, ut impleret omnia dominatione & operatione ſua, idque ut homo Deus, quandoquidem ut Deus antea cuncta replebat.

* Contra Ebionitas, & Photinianos, qui dixerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, nec-non contra Neſtorium, qui duos filios, ſeu duas in Chriſto perſonas confinxit, pugnat hic locus Apoſtoli. Non enim alius deſcendit, & alius aſcendit ſed aliter deſcendit & aliter aſcendit. Deſcendit enim incorporeus, ut carnem aſſumeret, aſcendit cum corpore, ut naturam aſſumptam in ſede magnitudinis in cœlis collocaret.

11. 12. 13. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* Ipſe Chriſtus dona ſua hominibus liberaliter diſtribuens, quoſdam Eccleſiæ ſuæ dedit Apoſtolos, quibus poteſtatem dedit fundandi Eccleſias per orbem univerſum, ordinandi Epiſcopos, conſtituendi omnia quæ regimen Eccleſiæ ſpectarent, prædicandi ubique Evangelium, & libros ſacros ſcribendi Spiritu ſancto afflante, cum id e bono Religionis eſſe judicarent. Tales duodecim, quibus Paulus decimus-tertius acceſſit. Quos Chriſtus a ſe electos, gratiis & donis ad munus Apoſtolicum digne obeundum neceſſariis miſſo de cœlis Spiritu ſancto cumulavit. Quoſdam autem Prophetas, qui veterum Prophetarum vaticinia de Chriſto & Eccleſia, & quævis arcana myſteria explicarent, infideles arguerent ac dijudicarent, quidam etiam futura prædicerent, ut Agabus, & alii. Alios vero Evangeliſtas, qui ad Evangelium prædicandum ab Apoſtolis in varia loca mitterentur, ut illorum coadjutores, quorum etiam aliqui ad ſcribendum Evangelium impulſi ſunt & adhibiti a Spiritu ſancto. In hujuſmodi Evangeliſtarum numero fuere Stephanus & Philippus Diaconi, Apollo, Timothæus, Titus, aliique Apoſtolorum diſcipuli, Lucas & Marcus Evangelii non modo Prædicatores, ſed Scriptores. Alios autem Paſtores & Doctores, quorum munus eſt regere & docere populum Dei. Quo in ordine primum locum tenent Epiſcopi, ſecundum locum Presbyteri Parochiarum ſub Epiſcopis Rectores. Non ait Apoſtolus, Alios Paſtores, alios Doctores; ſed, Paſtores & Doctores: quia Paſtoribus omnibus munus docendi Chriſtianorum populum illorum regimini commiſſum incumbit. Hæc dona vel iiſdem perſonis plura, vel quibuſdam unicum, Chriſtus pro beneplacito ſuo, ut Pater-familias talenta ſervis ſuis, diſtribuit.

Confer cum 1. *Corinth.* 12. 28. ubi Deus poſuiſſe dicitur in Eccleſia Apoſtolos, Prophetas, Doctores, &c. hic autem Chriſtus eos dediſſe dicitur. Ex hoc loco manifeſtiſſime comprobatur Patris & Filii una divinitas, & æqualis poteſtas.

Hierarchiæ divina inſtitutio.

12. *Ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Hæc autem dona contulit Chriſtus a ſe delectis hominibus, ut quiſque eorum, in opus miniſterii ſui diligenter incumbat, ad perfectionem inſtructionemque fidelium; ut Eccleſia, quæ Chriſti corpus myſticum eſt, ædificetur, omnibuſque membris ſuis ac partibus compleatur.

13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum,* a *in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Tamdiu porro durabit miniſterium ſacrum a Chriſto inſtitutum, variiſque donis ornatum, tamdiu Miniſtrorum labor exercendus eſt, donec perveniamus omnes, ſeu donec perveniant omnes electi, ad ejuſdem fidei & agnitionis Filii Dei unitatem, & ita proficiamus in fide per dilectionem operante, ut virile robur & conſtantiam in ea aſſequamur, tamquam menſuram perfectæ plenæque ætatis Chriſti in corpore ſuo myſtico. *Vir perfectus Caput & corpus, quod conſtat omnibus membris, quæ ſuo tempore complebuntur. Quotidie tamen eidem corpori accedunt, dum ædificatur Eccleſia.*

a Ex hoc loco omnes homines in ætate perfecta reſurrecturos, in qua & Chriſtus reſurrexit, Theologi poſt SS. Auguſtinum & Thomam probant.

S. Auguſt. lib. 22. De Civit. Dei, cap. 18.

14. *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Eccleſiæ ſuæ Apoſtolos, Evangeliſtas, Prophetas, Paſtores & Doctores dedit Chriſtus, qui nos ad fidem & cognitionem illius adducerent, ac in ea perficerent, ut non amplius pueri ſimus intelligentia, & in judicio inconſtantes; ne inſtar navis in mari procelloſo poſitæ, & huc illuc a ventis impulſæ, in diverſas opinionum partes jactemur & circumagamur, veram doctrinam a falſa per nos ipſos diſcernere non valentes, & nequitia ac fallacia, maliſque artibus ſeductorum, ſeu Philoſophorum Gentilium, ſeu Judæorum, ſeu Hæreticorum, ſeu Magorum, circumveniamur, & in errorem abducamur.

15. 16. *Veritatem autem facientes in caritate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Sed ut veritatem fidei ſectantes, & ſecundum veritatem doctrinæ in qua ſumus inſtituti, vitam noſtram componentes per caritatem, quæ vita eſt fidei, bonorumque operum radix, in omni virtute creſcamus & proficiamus in Chriſto, & meritis & influxu Chriſti capitis noſtri. *Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſura uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate.* Ex quo Capite totum Eccleſiæ corpus, cujus partes tam mirabili proportione connexæ ſunt, per omnes commiſſuras, per quas ſubminiſtratur & quaſi trajicitur ſpiritus & vita, accipit incrementum quod illi divinum Caput tribuit per efficacem virtutis ſuæ operationem & influxum, ſecundum menſuram unicuique membro convenientem: ut ſic formetur & ædificetur per caritatem. „ Sicut eſt ergo menſura uniuſ„ cujuſque partis; ita totius corporis, quod omni„ bus ſuis partibus conſtat, eſt menſura plenitudi„ nis *de qua dictum eſt*, In menſuram ætatis pleni„ tudinis Chriſti.

S. Aug. ibid.

17. 18. 19. *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui.* Vos hortor, & per Dominum obteſtor, ne deinceps vivatis ut Gentiles nondum ad Chriſtum converſi vivunt & converſantur, cogitationum ſuarum vanitatem, ſeu pravum & erroneum corruptæ mentis judicium ſecuti, & toti in rebus vanis occupati. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis* * *ipſorum.* Tenebris erroris & ignorantiæ obnubilatam & obſcuratam mentem habentes, alienati a vita quæ ſecundum Deum eſt, & quam lex ejus ſancta & immaculata præſcribit, propter ignorantiam veritatis; quæ illis ab Adami peccato ingenita, & pravis affectibus confirmata eſt; & propter cæcitatem ac indurationem cordis ipſorum, ex pertinacia in peccatis ortam. *Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.* Qui indolentes, & præ ſtupore omni conſcientiæ ſtimulo, omni ſenſu mali carentes, (id enim Græca vox ἀπηλγηκότες, † ſignificat) ſemetipſos tradiderunt effreni libidini, ad perpetrandam omnis generis immunditiam & turpitudinem, ardenti & inſatiabili cupiditate. *Avaritiam* enim *pro immoderatione* poſuit Apoſtolus, Theodoreto interprete.

* Vox Græca πώρωσις, callum ſignificat. Induſtria ſcilicet vitia callum veluti obducunt cordi.

Extremum ſtuporem, quo bona monita non perſentiſcunt Theodoretus intelligit.

20. 21. 22. *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum.* Vos autem hæc in Schola Chriſti non didiciſtis. *Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis ſicut eſt veritas in Jeſu.* Siquidem illius Evangelium vobis annunciatum audiviſtis & ſuſcepiſtis; & edocti eſtis ſecundum veritatem quam Jeſus verbo & exemplo tradidit, *Deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum*

† Veriſimile eſt interpretem Latinum pro ἀπηλγηκότες, legiſſe ἀπηλπικότες quod ſignificat *deſperantes.*

dum deſideria erroris. Scilicet, exuere vos debere veterem hominem, ſecundum quem vixiſtis antequam in Chriſtum crederetis. Qui quidem vetus homo fit deterior, & magis ac magis corrumpitur, fallacium cupiditatum illuſione deceptus ac ſeductus. Veterem hominem appellat Apoſtolus, non naturam, ſed peccati operationem. Novum autem hominem vocavit eum qui ex lege Evangelica vitam inſtituit.

Theodoret.

23. 24. *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ*. Didiciſtis etiam renovari vos oportere ſecundum mentem, ſecundum interiorem hominem. *Et induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*. Et induere vos debere novi hominis mentem, affectus, vitam, operationes: qui ſecundum imaginem Dei quâ divinæ conſortes naturæ efficimur, ſecundum ejus voluntatem, ejuſque legem, conditus eſt a Deo, nullis præcedentibus meritis, ſed ex mera gratia, in vera juſtitia & ſanctitate. Vel: Induite vos Dominum Jeſum Chriſtum. „ Iſte quippe eſt „ novus homo, quo univerſi credentes debemus „ indui. Quid enim in homine qui a Salvatore no„ ſtro aſſumptus eſt, non novum fuit? Conceptus, „ nativitas, partus, infantia, doctrina, vita, vir„ tutes, & ad extremum crux & paſſio, exſpo„ liantis in ea Principatus, & contrarias fortitudi„ nes oſtentui habentis, reſurrectio quoque & aſcen„ ſus in cœlum. Hic ergo vere creatus eſt in juſti„ tia & ſanctitate veritatis, quia Deus verus, Dei „ veri Filius fuit, & tota in illo religio atque ju„ ſtitia Dei veritate completa eſt. Quod autem dicitur *ſecundum Deum creatus*, ſicut de ſapientia Salomon ait, *Dominus creavit me initium viarum ſuarum*: ſcrupulum movere non debet. Creationis enim & conditionis voces numquam niſi in magnis rebus uſurpantur, ut S. Hieronymus obſervat. Verbi gratia, mundum creatum, urbem conditam dicimus: domum vero, quamvis magna ſit, ædificatam potius dicimus, quam conditam vel creatam. Cum igitur iſte novus homo, qui ſecundum Deum in Chriſto formatus eſt, ſit maximum Dei opus, recte creatus dicitur.

Rom. 13. S. Hieron. in hunc locum.

Proverb. 8.

25. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra*. Propterea longe a mendacio recedite, & unuſquiſque cum proximo ſuo aperte & ſincere loquatur quod verum eſt. Hoc officium juſtitiæ, quam omnis homo debet alteri: & potiori jure Chriſtianus Chriſtiano: quoniam alter alterius membra ſumus ſub uno capite Chriſto Jeſu. Unum autem membrum alterum non decipit, non cædit, ſed adjuvat.

Confer cum *Zachar. 8. 16.*

Pſal. 4. Verſ. 4. Παροργισμὸς non ſimpliciter iræ commotionem ſed exacerbationem ſignificat.

26. 27. *Iraſcimini, & nolite peccare: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram* * Si vos iraſci contingat, cavete ne peccetis. Ne ſinatis iræ motum ad injuriam uſque progredi, in odium verti, in vindictam prorumpere. Iram ſtatim comprimite & ſedate. *Nolite locum dare diabolo*. Neque locum detis diabolo vos tentandi, & ad plura & graviora peccata impellendi, ſcilicet ad jurgia, rixas, vindictam, odium, homicidium, quæ ex ira frequenter ſequuntur.

28. *Qui furabatur, † jam non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*. Qui furabatur, non amplius furetur: ſed potius laboret diligenter, artem honeſtam exercens, & operans quod bonum ſit & utile, ut non tantum habeat ipſe unde vivat, ſed inſuper aliquid quo egentes adjuvet.

† Furti nomine hic intelligitur fraus quælibet injuſta, atque ablatio vel detentio rei alienæ.

2. *Omnis ſermo * malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*. Nullus ſermo malus, ſive putridus, fœdus, turpis, maledictum, calumnia, blaſphemia, mendacium ex ore veſtro procedat, ſed boni dumtaxat, & opportuni ad nutriendam fidem, & ad pietatem audientibus inſpirandam ſermones proferantur: vel, qui grati ſint auditoribus, illiſque ſint utiles ad ſpiritualem profectum.

* Λόγος σαπρὸς, *ſermo putridus*. πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, *ad ædificationem opportunitatis*, ſive *opportunitatis ad ædificationem*. Interpreterem Latinum propter euphoniam vertiſſe, *ad ædificationem fidei*. S. Hieronymus obſervat. Veleſius legit in ſuo Codice Mſ. πίστεως, *fidei*. Sic etiam legitur in

30. *Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis in diem redemptionis*. Nolite Spiritum ſanctum offendere, & efficere ut a vobis recedat, & ab iis qui pravos & fœdos ſermones ex ore veſtro audiunt, eiſque delectantur, vel ad malum quovis modo pertrahuntur. Quo Spiritu obſignati eſtis velut impreſſo ſigillo; uſque in diem perfectæ redemptionis, id eſt reſurrectionis, ſervando, quo ad Chriſti ovile pertinere agnoſcamini. *Nam Spiritus ſanctus ſignavit nos, atque e Chriſti grege eſſe oſtendit: is non permiſit nos ſtatui cum obnoxiis iræ Dei, ſed obſignavit nos & ſegregavit, ut ab eadem redempti ſimus* (inquit Theophylactus) Triſtitia porro Spiritus ſancti metaphorice intelligenda eſt, quomodo ira Dei, & ceteræ in ſimilitudinem hominum paſſiones. Non quo contriſtetur Spiritus ſanctus, & ullam perturbationem divinitas ſentiat, ſed quo ex verbis noſtris Dei diſcamus affectus (ait S. Hieronymus) vel; ſecundum eum locutionis modum, quo dictum eſt, *Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quia poſtulare nos facit, dixit idem Apoſtolus: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum* „ *Dei*: hoc eſt, Nolite nos contriſtare, qui ſecun„ dum Spiritum Dei contriſtamur ex vobis. Caritate „ quippe contriſtabantur, quam diffundebat Spiritus „ ſanctus in cordibus eorum, & per hoc eos de ma„ lis fratrum triſtes ipſe faciebat.

Mſſ. San-Germanenſi & Collegii Claromontani S. J. Parir.

Rom. 8. 26.

S. Auguſt. lib. Contra Sermonem Arianorum cap. 35.

31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur a vobis, cum omni malitia*. Omnis offenſi & exacerbati animi ſenſus, qui ex averſione a proximo naſcitur, & furor, & ira, & indignatio (ut vertit S. Hieronymus) & clamor inordinatus, in quem erumpunt homines irati, & blaſphemia in Deum ac maledicentia convitiumque in proximum, longe ſit a vobis, cum omni malignitate & nequitia quæ juſtitiæ & caritati erga proximum repugnat. „ Furor incipiens ira eſt, & „ fervefcens in animo indignatio. Ira, cujus amari„ tudo & furor ſpecies ſunt, eſt quæ furore ſeu pri„ mo excandeſcentis animi impetu reſtincto deſide„ rat ultionem, & eum, quem nocuiſſe putat, vult „ lædere. “ Confer cum Pſal. 36. 8. 9. *Deſine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris. Quoniam qui malignantur exterminabuntur*.

S. Hieronym.

32. *Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis*. Eſtote invicem comes & ſuaves, quod iræ opponitur: miſericordes, ſeu (quæ vis eſt Græcæ vocis, *bonorum viſcerum*) boni affectus, malis alienis compatientes, quod opponitur amarulentiæ; vobis invicem condonantes injurias, ſicut & Deus per Chriſti Jeſu meritum vobis peccata condonavit.

C A P U T IV.

Senſus Moralis.

1. O*Bſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis*. Si ad ſtatus noſtri, id eſt Chriſtianiſmi ſanctitatem, ad filiorum Dei adoptionem, ad bona nobis a Deo promiſſa & per Chriſtum parta ſerio attenderemus, vitam certe ſanctam, & noſtra vocatione dignam ageremus. „ Sed heu! præter paucos quoſdam qui „ mala fugiunt, quid eſt aliud pene omnis cœtus „ Chriſtianorum, quam ſentina vitiorum? In hanc „ morum probroſitatem prope omnis Eccleſiaſtica „ plebs redacta eſt, ut in cuncto populo Chriſtiano „ genus quodammodo ſanctitatis ſit minus eſſe vitio„ ſum. Digne vocatione ſua ambulare, eſt Dei man„ data, ſicut in baptiſmo promiſimus, religioſe ſer„ vare. Quam pauci porro Dei mandata cuſtodiunt? „ Jubet Deus ut nobis invicem chari ſimus, omnes „ autem nos mutua infeſtatione laceramus. Jubet „ Deus ut cuncti egentibus ſua tribuant; cuncti ad„ modum aliena pervadunt. Jubet Deus ut omnis „ qui Chriſtianus eſt etiam oculus caſtus habeat: „ Quotuſquiſque eſt qui non ſe luto fornicationis „ involvat? Quid aliud eſt cunctorum negotiantium „ vita quam fraus atque perjurium? Quid aliud curialium, quam iniquitas? Quid aliud omnium mi„ litantium, quam rapina? Quis eſt vel dives om„ nino vel nobilis, aut innocentiam ſervans, aut a „ cunctis ſceleribus manus abſtinens? . . . . Atrocius „ ſub ſancti nominis profeſſione peccamus. Ubi ſub„ limior eſt prærogativa, major eſt culpa. Ipſa enim „ errores noſtros Religio, quam profitemur, accu„ ſat. Criminoſior eſt ejus impudicitia, qui promi„ ſerit caſtitatem. Fœdius inebriatur ſobrietatem „ fronte prætendens, Nihil eſt Philoſopho turpius „ vitia obſcœna ſectante, quia præter eam deformi„ tatem quam vitia in ſe habent, ſapientiæ nomine „ plus notatur. Et nos igitur in omni humano ge„ nere Philoſophiam Chriſtianam profeſſi ſumus: „ ac per hoc deteriores nos cunctis gentibus credi „ atque haberi neceſſe eſt, quia ſub tam magnæ „ profeſſionis nomine vivimus, & poſiti in Religio„ ne peccamus. Numquid de nobis dicere non poſſent infideles; „ Ubi eſt Lex Catholica quam credunt? „ Ubi pietatis & caſtitatis præcepta quæ diſcunt? „ Evangelia legunt, & impudici ſunt: Apoſtolos „ audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſequuntur, & „ rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem „ habere ſe dicunt . . . . In nobis Chriſtus patitur opprobrium, in nobis patitur lex Chriſtiana maledictum . . . . . Digne vocatione ſua ambulat, qui

Pauci Chriſtiani digne vocatione ſua ambulant. Salvianus lib. *De Gubernatione Dei.*

Idem lib. 4.

Joan. 14.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtum ſequitur, qui ait, *Ego ſum via*, non declinans ad dexteram neque ad ſiniſtram, & avertens pedem ſuum ab omni via mala, in quo denique

Pſal. 36. 23.

illud completur: *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.*

2. 3. *Cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate.*

Vera humilitas.
S. Hieronym.

Humilitas, caritas, manſuetudo, patientia, dignæ ſunt Chriſtiana vocatione virtutes. Veram humilitatem non habet, niſi qui in omnibus humilis eſt. *Cum omni humilitate.* „ Omnis autem humilitas non tam „ in ſermone, quam in mente eſt: ut humiles nos „ eſſe conſcientia noverit, & numquam nos vel ſcire, vel intelligere, vel eſſe aliquid æſtimemus; „ ut nos non ſolum infra ſuperiores, non ſolum infra æquales, ſed etiam infra inferiores noſtros toto mentis affectu demittamus, ut vere dicere poſſimus: *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* Humiliatio noſtra in medio noſtri. Qui enim terram & cinerem ſe eſſe novit, & poſt paululum in pulverem diſſolvendum, numquam ſuperbia elevabitur. Et qui Dei æternitate perſpecta, breve & pene ad puncti inſtar humanæ vitæ ſpatium cogitarit, ante oculos ſuos mortem ſemper habens, in omnibus erit humilis, ſibi ipſi dicens: *Quid ſuperbis, terra & cinis?* Qui ſe cogitat peccatorem, æterna damnatione dignum, nullius boni non ſolum faciendi, ſed ne quidem cogitandi

Proximorum defectus ſuſtinendi ſunt ex caritate.

ex ſe ipſo capacem, ſe in omnibus humiliabit. Vera autem & ſincera humilitas manſuetudinem & patientiam parit, non ſolum erga magnos & potentes, ſed etiam erga pauperes & infimæ ſortis homines; non ſolum erga amicos, ſed etiam erga inimicos. Non eſt denique vera humilitas, vera manſuetudo, vera patientia, niſi quæ comitem habet caritatem. *Supportantes invicem in caritate.* Sunt qui aliorum defectus ſuſtineant ex animi indolentia, alii ex nativa quadam indolis lenitate, nonnulli ex ſeculari urbanitate vel humana complacentia, alii commodi temporalis intuitu, alii ex Phariſaica hypocriſi, quæ ſimia eſt caritatis. Qui vero aliorum ignorantiam, mores incommodos, moroſos, inſuaves, aſperos, vitioſos ex caritate ſuſtineant; qui ob illorum infirmitates aut injurias illos non deſinant amare, & illis

S. Chryſoſtom. Homil. 9.

benefacere, pauci ſunt admodum. *Supportantes invicem in caritate.* „ Si proximum non ſuſtines, „ quomodo te ſuſtinebit Deus? Si ipſe non fers conſervum, quomodo te feret Deus? Ubi eſt caritas, ferri poſſunt omnia. Nec tamen vitia proximi omnino diſſimulari caritas jubet, aut patitur; ſed opportuno loco & tempore corripi ad ejus ſalutem, non ſtatim ex iræ impetu, & cum acerbius malum ex intempeſtiva reprehenſione & punitione evaſurum veriſimile eſt. Pax autem, fructus eſt caritatis & humilitatis. Qui pro tanti boni conſervatione non eſt

Pacis ſtudium.
S. Chryſoſt. Homil. 9.

ſolicitus, pretium ejus non novit. Theſaurus eſt cœleſtis, non utcumque, ſed cum ſolicitudine ſervandus. *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Quam pulcrum hoc vinculum! „ Hoc & nos „ invicem, & cum Deo vincamus & conjungamus.

Proverb. 18.

„ Non affligit nec comprimit colligatas manus hoc „ vinculum, ſed relaxat, & efficit ut qui ſunt „ victi ſint lætiores & animo magis tranquillo. Fortis etiam cum debili ligatus, & illum portat, & „ non ſinit perire; & ſi cum ſegni & ignavo fuerit „ alligatus, ipſum magis excitat. *Frater, enim qui „ adjuvatur a fratre, quaſi civitas firma.* Hoc vin„ culum non poteſt prohibere viarum ſpatium, non „ cœlum, non terra, non mors, nec aliud quid„ quam, ſed eſt omnibus potentius ac validius. Quid „ ergo vinculum pacis abrumpit ac diſcindit? Amor „ pecuniæ, imperii, honorum gloriæque cupiditas, „ ac rivalitas quævis. Hic diſſidiorum fomes. Pax inveniri non poteſt niſi cum juſtitia & virtute. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt.* Denique non eſt vera pax, quæ de radice caritatis non conſurgit.

4. 5. 6. *Unum corpus, & unus Spiritus; ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.*

Quæ rationes nos ad pacem ſervandam excitare debent?

Ad pacem & unitatem in Eccleſia ſervandam multa nos excitare debent ac movere. 1. Unitas corporis Chriſti, cujus membra ſumus. 2. Unitas Spiritus ſancti, quo velut vinculo in Chriſti corpore connexi ſumus, vivimus, operamur, & movemur. *Unum corpus & unus Spiritus.* 3. Unitas divinæ hereditatis ad quam vocati ſumus: unitas eſſentiæ divinæ, quam videndo & amando in unum conſummabimur, Deo ſimiles effecti. *Sicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* 4. Unitas Domini a quo redempti ſumus, unitas Sacrificii quo ſeipſum pro noſtra redemptione & ſalute immolavit idem Sacerdos & victima. *Unus Dominus.* 5. Unitas fidei quam profitemur, unitas Evangelii cui credimus, & cui mores noſtros conformare tenemur. *Una fides.* 6. Unitas baptiſmi quo omnes in Chriſto regenerati ſumus, & filii Dei effecti. *Unum baptiſma.* 7. Unitas Creatoris a quo conditi ſumus, & ex eadem maſſa perditionis miſericorditer diſcreti. *Unus Deus.* 8. Unus Pater cœleſtis, qui nos in familiam ſuam cooptavit, qui nos eodem auctoritate regit, implet præſentia, caritate complectitur, ſibique conjungit. *Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Deus in operibus ſuis omnia ad unitatem revocat, præſertim vero in opere omnium excellentiſſimo quod eſt Eccleſia. Unus Chriſtus, caput & membra, ſponſus & ſponſa, duo in carne una. Qui Eccleſiæ dividit unitatem, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt, Chriſti caritatem non habet, contra Dei diſpoſitionem, contra Chriſti miſſionem pugnat, *hoſtis altaris, adverſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, in-*

S. Cyprianus lib. De Unitate Eccleſiæ.

obſequens ſervus, filius impius, frater inimicus. Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, adverſus Chriſtum facit. Habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus; *& quiſquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, ſacramentis cœleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatum collidentium divortio ſeparari? Hanc unitatem qui non tenet; Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filii fidem, vitam non tenet & ſalutem.*

„ *Unum corpus, & unus Spiritus.* Si membrum „ præcidatur de corpore; numquid ſequitur ſpiri„ tus? Et tamen membrum agnoſcitur quid eſt;

S. Aug. Serm. 268. alias 20. ex editis a Sirmondo.

„ digitus eſt, manus eſt, brachium eſt: *Pater corpus habet formam, ſed non habet vitam.* Sic & „ homo ab Eccleſia ſeparatus. Quæris ab illo Sacra„ mentum, invenis: Quæris baptiſmum, invenis: „ Quæris ſymbolum, invenis. Forma eſt: *Niſi intus Spiritu vegeteris, fruſtra foris de forma gloriaris.*

„ *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma,* una

Idem lib. 1. contra Creſconium, cap. 29.

„ incorrupta Catholica Eccleſia; non in qua ſola u„ nus Deus colitur, ſed in qua ſola unus Deus pie „ colitur; nec in qua ſola una fides tenetur, ſed in „ qua ſola una fides cum caritate retinetur; nec in „ qua ſola unus baptiſmus habetur, ſed in qua ſo„ la unus baptiſmus ſalubriter habetur.

7. *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.*

Donorum Spiritus ſancti varietas.
Joan. 1.
Quod habet unus, habent omnes per unitatem & caritatem.

Donorum varietas unitatem Spiritus inter fideles commendat. Nullus eſt noſtrum, qui non ſit divinæ gratiæ particeps. *De plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia:* At illa gratia non eſt data omnibus uniformiter ſeu æqualiter, ſed prout eam ſingulis admenſus eſt Chriſtus. Ille ſolus Spiritum ſine menſura accepit: unicuique autem membrorum ſuorum ad menſuram diſtribuit, non ſecundum dignitatem & merita, ſed ſecundum voluntatem Patris, conſilium que ſuum, quantum neceſſe eſt ad officia & functiones, ad quas illum in corpore ſuo myſtico deſtinavit. Suam igitur menſuram unuſquiſque cum humilitate & gratiarum actione recipiat, & ſine invidia communicet. Qui plus accepit, adverſus alterum non efferatur: qui minus accepit, alteri ne invideat. Quod enim habet unus, habent omnes & ſinguli per unitatem & caritatem. „ Si amas unitatem, etiam

S. Auguſt. Tract. 32. in Joan.

„ tibi habet quiſquis in illa habet aliquid. Tolle in„ vidiam, & tuum eſt quod habeo: tollam invi„ diam, & meum eſt quod habes. Livor ſeparat, „ caritas jungit. Oculus ſolus videt in corpore: ſed „ numquid ſibi ſoli oculus videt? Et manui videt, „ & pedi videt, & ceteris membris videt . . . . . „ Sola manus operatur in corpore: ſed numquid ſi„ bi ſoli operatur . . . . . Habemus Spiritum ſan„ ctum ſi amamus Eccleſiam: amamus autem, ſi in „ ejus compage & caritate conſiſtimus. Nam ipſe „ Apoſtolus cum dixiſſet diverſa dona dari diverſis „ hominibus, tamquam officia quorumque membro„ rum: *Adhuc*, inquit, *ſupereminentiorem viam vo„ bis demonſtro:* & cœpit loqui de caritate . . . . .

1. Cor. 12.

„ Ipſum habeto, & cuncta habebis.

8. *Propter quod dixit: Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.*

Glorioſa Chriſti Aſcenſio in cœlum.
Iſai. 49. 24. 25.

Glorioſa Chriſti in cœlos Aſcenſio, & miſſionis ejus, & reparationis noſtræ felix conſummatio fuit. Aſcendit ante nos pandens iter: aſcendit Sanctis, quos in limbo captivos poſt mortem ad inferos deſcendens liberaverat, comitatus triumphator. Tunc impletum eſt Iſaiæ vaticinium: „ Numquid tolletur a forti præ„ da, aut quod captum fuerit, robuſto, ſalvum eſſe „ poterit? Quia hæc dicit Dominus: Equidem, & „ captivitas a forti tolletur: & quod ablatum fuerit „ a robuſto, ſalvabitur. Neque vero mortuos ſolum, verum etiam viventes qui ſub peccato captivi tenebantur, ab ejus ſervitute liberavit, & ſervos fecit juſtitiæ, ſuique ſubjecit obſequiis: ſicque captivos duxit, non ad perniciem, ſed ad ſalutem. Cor noſtrum,

Digitized by Google

ſtrum, Domine Jeſu, ſit tui captivum, ſolve illud a vinculis cupiditatis & vanitatis, trahe illud poſt te vinculis caritatis; a terra tolle, duc in cœlum, & tibi ſubjice in æternum. Gratiæ tuæ donis imple in præſenti, dono gloriæ tuæ poſt hanc vitam. *Aſcendens in altum, dedit dona hominibus.* Alia ſunt dona ad animæ ſanctificationem, alia ad Eccleſiæ illuſtrationem & regimen a Chriſto collata. Utraque ſunt fructus triumphi Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, & conſummationis Myſteriorum ejus. Illorum diſtributio ſolius eſt Dei magnificentiæ & miſericordiæ: illorum dignus uſus & divinæ miſerationis atque virtutis eſt, & voluntatis cooperationiſque noſtræ. Dona accepimus a Chriſto, dona illi rependamus, illi offeramus hoſtiam ſanctam, placentem, de ejus donis ac datis. Nam & a nobis dona accipere dignatur, majora daturus. *Aſcendiſti in altum, cœpiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus.* Dedit ut unus cum Patre Deus, accepit in Eccleſia ſua, in membris ſuis, in ſanctis & fidelibus ſuis, quibus dicitur: *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra.* Et cum ipſe dicat, *Quando uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis:* quid dubitamus eum accipere in membris ſuis, quæ dona membra ejus accipiunt?

Dona Chriſto hominibus collata.

Pſalm. 67.

1. Cor. 12. 27.
Matt. 25. 40.
S. Auguſt. in Pſal. 67. n. 25.

10. *Qui deſcendit: ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia.* Horrendum in omni genere humano vacuum fuit a primi hominis peccato uſque ad Domini noſtri Jeſu Chriſti adventum. Venit Chriſtus unigenitus Patris, plenus gratiæ & veritatis, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, ut mentium noſtrarum, & cordium inane repleret: inane mentium veritate & ſapientia ſua, inane cordium gratia & caritate ſua. Verum neceſſe eſt nos eſſe vacuos mundo, ut impleamur Deo; vacuos eſſe cupiditate, ut impleamur caritate; vacuos eſſe terrenis deſideriis, ut impleamur cœleſtibus bonis. Omnes animæ noſtræ facultates Chriſto impleantur; intellectus, ejus fide & cognitione; voluntas, ejus deſiderio & amore; memoria beneficiorum ejus recordatione; omnes ſenſus noſtri in illo ſint defixi, eoque repleti; oculis noſtris ſemper obverſetur Jeſus; aures noſtræ verbis Chriſti Jeſu; os noſtrum ejus laude, manus noſtræ bonis operibus ejus gratiæ & Spiritus virtute editis; totum corpus ejus mortificatione repleatur. Humilitate deſcendamus, ut de peccato, de diabolo, ac tandem de morte triumphare Chriſto donante mereamur, & repleri bonis domus ejus, ſicut ſcriptum eſt: *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ.*

Toti Chriſto Jeſu debemus impleri.

Pſal. 64. 5.

11. 12. 13. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* Ex vera intelligentia, ſana interpretatione, & bona diſpenſatione verbi Dei maxime pendet Eccleſiæ ſtatus, & ſalus animarum. Prophetæ a Chriſto dati ſunt ut Scripturarum ſenſus reconditiores aperiant, Evangeliſtæ, ut Evangelium infidelibus prædicent, Paſtores & Doctores, ut illud fideliter diſpenſent domeſticis fidei. Deum laudemus, qui Eccleſiaſticam Hierarchiam tot graduum, miniſteriorum, & donorum varietate diſtinctam per Chriſtum inſtituit. Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, Paſtores omnes & Rectores animarum, verbi Dei Prædicatores ab Epiſcopis miſſos revereamur, illis ſecundum Deum pareamus; omnium donis edocti, illuminati, & directi in viam ſalutis, cum gratiarum actione proficiamus: ſi quidem non pro ſe ipſis, ſed propter nos, propter noſtram utilitatem ſpiritualem & ſalutem, dona illa & talenta a Chriſto acceperunt. Meminerint Paſtores Doctorum officio ſe fungi debere, in id ſe poſitos in Eccleſia, ut populum Chriſtianum ſalutari doctrina paſcant, ut non ſolum rudes catechizent, ſed etiam ſpirituales illuminent, parvulis lac, adultis ſolidum cibum præbeant. Attendant lectioni, exhortationi & doctrinæ: ad diſcendum quotidie in ſacrorum librorum lectione illos invitet *ſuavitas veritatis*: ad docendum illos compellat *neceſſitas caritatis*. Paſtorale munus non otii & deliciarum, ſed operis & laboris opus eſt; non imperioſæ dominationis, ſed humillimæ ſervitutis; non in deſtructionem; ſed in ædificationem; non in proprium commodum; ſed in commune Eccleſiæ bonum inſtitutum, ſuſcipiendum, & obeundum; non ad adulandum, ſed ad ſanctificandum homines, ad parandum Domino plebem perfectam; non ad gloriam Paſtorum qui meri miniſtri ſunt, ſed ad gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſupremi Paſtoris animarum noſtrarum. *Ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Divina Hierarchiæ inſtitutio, & finis.

S. Auguſt.

14. *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Eccleſiæ fides in finem uſque mundi expoſita erit hæſitationibus, erroribus, verſutiis & malis artibus, cavillationibus, impugnationibus, circumventionibus hæreticorum & falſorum Doctorum. Sana doctrina ſive fidei, ſive morum, ſuos ſemper habebit adverſarios, homines nequam & corruptæ mentis, adulatores, opinionum ſuarum probabilitatem & benignitatem venditantes, circumvenientes animas in negotio ſalutis, & in errorem inducentes. Quamobrem orandum, vigilandum, pugnandum eſt, adhærendum verbo Dei & Eccleſiæ regulis, ac Decretis, non vanis opinionibus hominum, ſecuritatem ſpondentium, ſed præſtare non valentium. Hæreticorum, Libertinorum, falſorum Doctorum, Sapientum ſæculi diſputationes & ratiunculæ contra Religionis dogmata aut ſaniorem Morum diſciplinam nequaquam audiendæ ſunt, ne parvulorum inſtar fluctuantes, circumferamur omni vento doctrinæ, & in gurgitem infidelitatis mergamur. „ Nam huſuſmodi hominum diverſæ compugnanteſque rationes naufragium audientibus aut inferunt aut minantur: dum alii abſque voluntate fallaciæ, ea tamen, quæ falſa ſunt, prædicant: alii vero omni calliditate erroris laqueos componentes, nos decipere & vincere feſtinant. Ab illis caveamus, nec hæſitemus in fide & ſana morum doctrina. Nihil enim in negotio ſalutis perículoſius, hæſitatione. *Qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur.* „ Nihil de veritate propter hominum opiniones detrahendum. Quiſquis „ enim rei cujuſpiam gratia virtuti ſtudet, is profecto neutiquam firmas in virtute radices egit. „ Simul enim atque ea res effluxerit, recti quoque „ ſtudium deponet: quemadmodum qui quæſtus cauſa „ navigat, niſi lucrum præſto ſit, navigare deſiſtet. „ At qui bonum ipſum propter ſe colit & amplectitur, quoniam rem fixam & ſtabilem amat, certam quoque & conſtantem circa illud animi alacritatem habet: adeo ut divinum aliquid ſentiens, „ his quoque Dei verbis uti poſſit: *Ego idem ſum, & non mutor.* Quamobrem nec ab animo ſuo „ migrabit, nec immutabitur atque a ſe deficiſcet, „ nec cum temporibus ac rebus collabetur, alias „ alios mores induens, ac novos ſubinde colores aſſumens, non ſecus ac polypi, petrarum ad quas „ acceſſerint, colores referunt: verum idem ſemper „ ſuique ſimilis permanebit, fixus in rebus minime „ fixis, immotus incertis & fluctuantibus, non aliter „ ac rupes quædam ventorum fluctuumque impetu „ non modo non concutitur, ſed etiam incurſantes „ undas circa ſe frangit atque abſumit.

Cautio in conſervanda & tuenda Fidei veritate, & Moralis Chriſtianæ puritate.

S. Hieronym. in hunc locum.

Jacob. 1. 6.
S. Gregor. Nazianz. Oratione 27.

Malach. 3.

15. 16. *Veritatem autem facientes in caritate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus: Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, &c.* Scientia veritatis, ſi caritate & bonis operibus deſtituta ſit, non creſcimus niſi in nobis, & in vanitate ſenſus noſtri, in ſuperbia & inani gloria. Sola caritas incrementum in Chriſto Jeſu nobis dare poteſt. Veritatem ſpeculari non ſufficit, ſed facere oportet, ſeu ad praxim reducere per opera bona, non ex hypocriſi, neque ex timore, ſed ex caritate edita, ſine qua nihil proſunt cetera, & per quam proſunt omnia. Et quia in via Dei non progredi, regredi eſt, creſcere debemus & augeri per omnia, in omni virtute & dono ſpirituali, operante Chriſto, qui nos myſtici corporis membra fecit, cujus ipſe caput eſt. Cujus commiſſuræ membra capiti, & inter ſe invicem connectentes, ſunt fides, ſpes & caritas; cujus veluti venæ, per quas ſpiritus vitales a capite in membra ſingula vehuntur & fluunt, ſunt Sacramenta; cujus alimentum, Corpus & Sanguis Chriſti, Deique verbum eſt: in quo diverſa miniſteria, variæ ſunt membrorum functiones. Sua unicuique ſufficiat, non uſurpet alienam, munia ſua fideliter obeat in ſuo ordine: virtutem operandi a Chriſto capite cum fiducia exſpectet, cum humilitate recipiat. Chriſtus enim per gratiam ſuam vires agendi efficaciſſimas membris ſingulis ſubminiſtrat, & *Omnia in omnibus operatur.* „ Unde Theodoretus: *Quemadmodum*, inquit, *caput omnibus membris corporis ſuppeditat operationem ſenſus: ſentiendi enim facultatis fons eſt cerebrum: ita etiam Chriſtus Dominus obtinens locum capitis, diſpertit dona Spiritus, in unam compagem connectens membra corporis.*

Creſcere debemus in omni virtute per Chriſtum Jeſum.

S. Thomas, Lect. 5.

1. Cor. 12.
Theodor. in hunc locum.

17. 18. 19. *Hoc igitur, dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui.* Si fidei lumen in nobis extinguatur, ſi directionem illius ſequi refugiamus, & Eccleſiæ no-

Plurima in

ſen-

Digitized by Google

[margin: mine & ſpecie Chriſtiani, animo & vita Paganus.]

ſenſus noſtri vanitatem, corruptæque mentis judicium ſequi malimus, quam Dei legem & regulam ſanctiſſimam Evangelii, vita noſtra nihil diſtabit a vita Paganorum. Heu! quot ſunt in Eccleſia nomine & externa ſpecie Chriſtiani, animo & vita Pagani? Cogitationum ſuarum illuſionibus, cupiditatum ſuarum fumo excæcantur, mundi vita vivere malunt quam vita Dei; tenebras ſuas & ignorantiam amant, luci veritatis divinæque legis claudentes oculos, ad duritiam cordis, & inſenſibilitatem perveniunt, quod ſummum eſt hominis peccatoris hac in vita malum, graviſſimum peccatum, præcedentium peccatorum pœna, & omnium ſubſequentium cauſa, donec malitiæ menſura compleatur. *Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.* Conſuetudine peccandi callum (ut ita loquar) conſcientiæ obduxerunt, nullos ejus ſtimulos ſentiunt, nullo divini judicii metu tanguntur, nullo pudore a peccatis turpiſſimis deterrentur, nulla ſpe bonorum æternorum moventur, in omne libidinis genus, etiam contra naturam, effuſi, nullum modum ponunt fœdiſſimis voluptatibus; ſed quo magis illas explent, eo magis illas ſitiunt, non ſecus ac avari quo majores divitias congregant, eo deſiderant

[margin: S. Hieronym.]

ampliores. *Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* „ Hi ſunt qui poſtquam peccaverint, non dolent; qui nequaquam ſentientes ruinam ſuam, feruntur in pronum, & tamquam beſtiæ ferrum videntes, in mortem ruunt. Pone duos

[margin: Proverb. 2. 14.]

in uno vitio deprehenſos; alterum qui intelligat plangatque quod fecit, alterum qui delectetur in ſcelere, & non ſolum non doleat, verum etiam glorietur, & putet ſe quamdam turpitudinum palmam & victoriam conſecutum: nonne tibi videtur ille dolere, & hic penitus non dolere?" Hi ſunt qui *relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas; qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis: quorum viæ perverſæ ſunt, & infames greſſus eorum.*

[margin: Chriſtum Jeſum diſcere, unum neceſſarium Chriſtiani ſtudium.]

[margin: S. Auguſt. lib. De Magiſtro cap. 11. n. 38.]

[margin: S. Hieron. in hunc locum.]

20. 21. 22. 23. 24. *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Jeſu.* Chriſtum Jeſum diſcere, unum neceſſarium Chriſtiani ſtudium, ſola vera ſcientia eſt. Hujus ſtudii ſchola viſibilis, Eccleſia; præceptores exterius docentes, Paſtores, Doctores, Prædicatores Evangelii; ſchola inviſibilis, cor noſtrum; Magiſter interior Deus; liber ſcriptus intus & foris, Chriſtus Jeſus. Audiamus Chriſtum ad cor noſtrum loquentem. „ Si omnes qui Chriſtum in Eccleſiam per Paſtores & Concionatores loquentem audire videntur, illum revera audirent, numquam ad Epheſios, & certe illos, quibus Sacramenta Chriſti revelaverat, Apoſtolus diceret; *Si tamen illum audiſtis.* Ad hanc ſcientiam pervenitur Dei amore, & Chriſti Jeſu imitatione. Si quis Chriſtum audivit, & didicit, non ambulabit in vanitate ſenſus ſui, nec obſcuraturus mente gradietur; neque erit abalienatus a vita Dei: habebit ſcientiam ignoratione diſcuſſa & immiſſo tenebris lumine, omnis de oculis cordis ejus cæcitas auferetur. Quod cum habuerit, non ſe tradet impudicitiæ, neque conceſſos fines prætergredietur nuptiarum. Si autem aliquando contigerit ut aliqua paſſione ſuperetur, dolebit ſuper vulnere ſuo, & conſcientiæ tormenta patietur; quod puritatem

[margin: 2. Cor. 13.]

immaculatæ mentis amiſerit. Diſcamus igitur Chriſtum, & audiamus illum: ſi quis eſt qui poſſit dicere, *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* Curramus ad eum, ad os ejus & ad eloquium pendeamus: Chriſtus nobis loquitur, Spiritus ſancti ſunt verba quæ promit Statuit enim Deus in Eccleſia Apoſtolos, Paſtores & Doctores. Sed nec illud eſt deſperandum, quod aliquando ipſe in mentibus noſtris Chriſtus loquatur, & per ſemetipſum nos doceat, & organum oris non quærat alieni." Tantum non ſimus ſubditi

[margin: Veterem hominem exuere, & novum induere debet omnis Chriſtianus.]

peccato, nec cor noſtrum delicta poſſideant, & ingredietur in illud Sapientia, inruique docebit veritatem doctrinæ Chriſti Jeſu, ut illam diligamus, & ſecundum illam vivamus. Hujus autem doctrinæ ſumma eſt, ut veterem hominem exuamus, id eſt, nos ipſos, ut pravis cupiditatibus, corruptiſque deſideriis perpetuo repugnemus, illaque vincamus; ut Chriſtum induamus, ejuſque imaginem in nobis exprimamus. Hic eſt novus homo. *Deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ. Et induite no-*

[margin: S. Hieronym.]

vum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis. „ Qui Chriſti Jeſu converſationem imitatur, & univerſas illius exprimit in ſe virtutes, ut ſit manſuetus, ſicut ille fuit manſuetus & humilis corde; & ponat animam ſuam pro amicis, ſicut ille poſuit pro ovibus ſuis, verberatus non reſpondeat, maledictus non remaledicat, ſed vincat in humilitate ſuperbiam, iſte indutus eſt novum hominem, nihil in eo videtur veteris hominis. Hoc eſt omnium Chriſtianorum officium." *Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.*

[margin: Joan. 2. 6.]

[margin: S. Joan. Chryſoſt. Hom. 13. in hanc Epiſtolam.]

Deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, &c. „ Hoc eſt ergo Chriſtum didiciſſe, recte vivere. Qui enim improbe vivit, Deum ignorat, & ab eo ignoratur. *Non ita edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Chriſto Jeſu.* Hoc eſt, non his conditionibus pactum conventum in baptiſmate feciſtis; Nam *Quæ ſunt apud nos, non ſunt vanitas, ſed veritas. Sicut dogmata ſunt vera, ita & vita, Peccatum enim eſt vanitas, mendacium & falſitas. Vita autem recta eſt veritas. Induite novum hominem*, &c. Cur virtutem appellat hominem, & cur hominem vitium? „ Quoniam hominem oſtendit operatio, ſive bonum, ſive malum. Quomodo autem facile eſt erui, ita etiam licet videre in virtute & vitio. Juvenis ſeu novus homo fortia eſt, ergo nos quoque ſimus fortes ad bona opera. Juvenis non habet rugam; nec nos habeamus. Juvenis ut plurimum ſanus eſt corpore; ſani ſimus mente & corde. *Induite novum hominem.* Noſtræ ſunt partes ne exuamur veſtimento juſtitiæ, quod Propheta vocat *veſtimentum ſalutaris*, ut Deo ſimus ſimiles. Ipſe enim indutus eſt juſtitiam. Hoc veſtimento induamur. Indui autem nihil aliud ſignificat, quam numquam deponere. Audi Prophetam dicentem: *Induet maledictionem ſicut veſtimentum, & veniet ei.* Et rurſus, *Qui induitur lumine ſicut veſtimento.* „ Vult itaque nos non unum, aut duos, aut tres dies, ſed perpetuo eſſe in gratia & virtute, & hanc veſtem numquam exuere. Hominem enim non adeo dedecet eſſe nudum corpore, atque nudum virtute. Hic conſervi eum aſpiciunt indecore ſe gerentem; illic autem Dominus & Angeli. Non ignoſcimus mendicis, qui aleis ludentes, ſuas perdiderunt veſtes: Quomodo ergo nobis ignoſcet Deus, qui juſtitiæ & ſanctitatis indumentum perdiderimus? Quando diabolus quempiam viderit nudum virtute, ſtatim faciem ejus obſcurat, ſauciat. Simus nudi pecuniis, ne nudemur juſtitia. Pecuniarum amictus hanc perdit veſtem; eſt amictus ſpinarum. Impudicitia nudat hac veſte, eſt enim ignis hanc veſtem conſumens. Hæc ergo deponamus, ut ſimus juſti, ut novum hominem induamus. Virtus non eſt difficilis, non eſt laborioſa. Nihil difficile Deum amanti. Jugum ejus ſuave, & onus leve eſt.

[margin: Pſalm. 108.]

[margin: Pſalm. 103.]

[margin: S. Aug. Serm. 9. De decem Chordis, alias 96. De Tempore, cap. 7.]

Deponere vos veterem hominem .... & induite novum. „ Mutate mores, ſæculum diligebatis, Deum diligite; Nugatoria iniquitatis, temporales voluptates diligebatis; proximum diligite. Si dilectione facitis, canticum novum cantatis: ſi timore facitis, facitis tamen; portatis quidem pſalterium, ſed nondum cantatis: ſi autem nec hoc facitis, projicitis ipſum pſalterium. Melius eſt vel portare, quam projicere: ſed rurſus melius eſt cum voluptate cantare, quam cum onere portare. Nec pervenit ad canticum novum, niſi jam eum voluptate cantans. Nam qui portat cum timore, adhuc in vetuſtate eſt .... Non concordavit cum adverſario ſuo, qui cum timore adhuc facit: timet enim ne veniat Deus, & damnet illum. Nondum delectat caſtitas, nondum delectat juſtitia, ſed judicium Dei formidans, a factis temperat: non concupiſcentiam ipſam damnans, quæ ſævit in eo. Nondum illum delectat quod bonum eſt: nondum ibi habet ſuavitatem ut cantet canticum novum, ſed de vetuſtate pœnas timet.

[margin: Nemo decipiendus a Chriſtiano.]

[margin: S. Chryſoſt. Homil. 13.]

[margin: Theodoret. in hunc locum.]

25. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra.* Qui proximum ſuum ut membrum ejuſdem corporis Chriſti ſpectabit, numquam illum mendacio, aut quavis fraude vel dolo decipiet. Longe abſurdiſſimum eſt ut qui membra invicem ſumus, nos invicem fallamus. Hoc enim non eſt membrum proprium. „ Oculi enim præcipitia foſſaſque cernentes, ea pedibus ſignificant ut declinent, & non totum corpus damno afficiant, & aures ſonorum ſenſum excipientes, eos oculis ſignificant." Nec mentiuntur ſibi invicem ſenſus: commune ſiquidem damnum eſt mendacii.... *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* „ Si homo vis eſſe, mendax eris. „ Noli velle eſſe homo, & non eris mendax. *Indue Chriſtum, & eris verax:*

[margin: S. Aug. Serm. 166. alias De Diverſis 21. cap. 3.]

„ *ut quæ locutus fueris, non tua ſiat quaſi propria, & abs te inſtituta, ſed illuſtrantis te & illuminantis Veritatis. Nam ſi ſpoliaberis lumine, remanebis*

in

in tenebris tuis, & non poteris niſi mendacia loqui. Ait enim ipſe Dominus, Qui mendacium loquitur, de ſuo loquitur: quia Omnis homo mendax. *Qui ergo loquitur veritatem, non de ſuo loquitur, ſed de Dei. Non quidem ita, ut eum dicamus loqui aliena: ſunt enim ſua, cum amat quod accipit, & gratias agit illi qui dedit. Nam ſi ablata fuerit homini illuſtratio veritatis, remanebit tamquam nudus indumento luminis, & non poteris niſi mendacia loqui. Hoc enim in illo remanebit, quod in Pſalmo ſcriptum eſt,* Omnis homo mendax.

Joan. 8. 44.

Pſal. 115.

Ira reprimenda.

26. 27. *Iraſcimini, & nolite peccare: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo.* Chriſtiani hominis ira ad deſtructionem peccati tendere debet, ne fiat ipſa peccatum. Non debet eſſe diuturna, ne in odium hominis degeneret, ac in ultionem incendatur. Cavendum eſt ne tentationi amaritudinis conviciorum & rixarum, maledicentiæ, calumniæ, &c. aditus detur. *Etiam ſi ſurgat motus animi, qui jam propter pœnam peccati non eſt in poteſtate, ſaltem non conſentiat ei ratio & mens, quæ intus regenerata eſt ſecundum Deum, ut mente ſerviamus legi Dei, ſi adhuc carne ſervimus legi peccati..... Ejice iram de corde, antequam occidat lux iſta viſibilis, ne te deſerat Lux illa inviſibilis.* „Si Chriſtus in mente tua per fidem, in corde per caritatem habitet, non tantum in te valeat iracundia quæ in te naſcitur, ut Sol juſtitiæ occidat ſuper iracundiam tuam, ut deſerat Chriſtus mentem tuam, quia non vult habitare cum iracundia tua. Videtur enim a te occidere, cum tu ab ipſo occidas: quia ira cum inveteraverit, odium fit; cum factum fuerit odium, jam homicida es. *Omnis enim qui odit fratrem ſuum, homicida eſt . . . . Omnis qui odit fratrem ſuum, in tenebris manet.* Et non mirum ſi ille in tenebris manet, a quo occidit Sol. Ne detur aditus tentatori. Deus tentat ad probationem, diabolus ad everſionem. Deus tentat ut doceat, diabolus ut decipiat. „Cui tamen niſi ille qui tentatur dederit locum, inanis tentatio & irridenda repellitur. Ideo Apoſtolus ait: *Nolite locum dare diabolo.* Dant autem locum homines diabolo ex concupiſcentiis ſuis. “ Non enim vident homines diabolum cum quo pugnant, ſed facile habent remedium. *Seipſos interius vincant, & de illo foris triumphant.*

S. Auguſt. in Pſal. 6. Enarrat. 2. in Pſal. 25.

1. Joan. 3. 15.
1. Joan. 2. 9.

S. Auguſt. Serm. 2. alias De Tempore 72. n. 3.

Quo fine laborare debeant Chriſtiani

28. *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.* Rem alienam injuſte non auferre aut retinere, fraudem non facere in negotiatione, cum injuria & damno proximi lucrum non facere, virtus eſt Paganis non ignota: ſed manibus ſuis operari, non ſolum ad vitandam otioſitatem, quæ mater eſt vitiorum, noverca virtutum, peſtis animæ, laborare non ſolum ad victum ſibi comparandum, non ſolum ad conterendum & mortificandum corpus, & ad eluenda peccata ex otio & torpore nata; non ſolum ad reſtituendam rem alienam, ſed ad ſublevandam pauperum inopiam, propria Chriſtiani hominis virtus eſt. Sed quis eſt hic? & laudabimus eum? Non ſolum nobilium ac divitum, ex fundorum ſuorum fructibus aut certis reditibus viventium, hoc officium eſt; ſed etiam negotiatorum, & operariorum, ſeponere aliquid ex lucro vel mercede ſua, quod tribuant neceſſitatem patientibus. In arcam Eccleſiæ ad recipiendas eleemoſynas deſtinatam, primis Eccleſiæ ſæculis *Unuſquiſque modicam ſtipem menſtrua die, vel cum volebat, & poterat, conferebat. Hæc quaſi depoſita pietatis, egenis alendis, humandiſque, & pueris ac puellis re & parentibus deſtitutis, ſenibus, ac naufragis juvandis diſpenſanda. Magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt &c.* „Non ſatis eſt a peccato quieſcere, ſed contraria via eſt adeunda, diverſum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum; jam nunc operetur bonum, ac impertiat etiam aliis. O vim Evangelii admirabilem, eos efficientia Angelos, qui pene dæmones fuerant?

Tertull. Apolog. c. 39.

Theophylact.

Qualis Chriſtianorum ſermo?

29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Sermones & colloquia cordis affectum produnt. Cœli civis, Deique filius adoptivus, de cœlo loquitur, quaſi ſermones Dei. Sermones turpes & obſcæni, maledici, otioſi, ex corde putrido prodeunt. „Loquere ergo quod ædificet proximum nihil autem ſupervacaneum. Propterea enim tibi os & linguam dedit Deus, ut ipſi gratias agas, ut proximum ædifices. Quod ſi ædificium ſpirituale ſermonibus tuis deſtruas, melius eſt ſilere, & numquam loqui. Os eſt cauſa omnium malorum; imo vero non os, ſed qui eo male utuntur. Hinc contumeliæ, maledicta, blaſphemiæ, voluptatum fomites, & incendia, cædes, adulteria naſcuntur. Quomodo cædes? A contumelia ad iram, ab ira ad verbera, a verberibus ad cædes devenitur. Quomodo adulterium? Hæc vel illa, inquit, te amat, boni quidpiam de te eſt locuta: hoc ſermone animi tui robur emollitur & relaxatur, accenditur cupiditas. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Fratri in peccatum lapſo ſi inſultes, nihil proderis, ſed ſi ei ſuadeas quæ ſunt agenda, magnam ei das gratiam: ſi erudias ut os habeat quod bona verba eloquatur, ſi docueris ut neminem maledicto appetat, maxime eum erudis, & ei das gratiam. Si loquaris de compunctione, de pietate, de caſtitate, de temperantia & ſobrietate, hæc omnia ejus molliunt animum, & ad virtutem ædificant. Pro his omnibus fatebitur ſe tibi habere gratiam. Sed ſi riſum moveris, ſi turpe locutus fueris, accendis; ſi laudaveris nequitiam, dejicis & perdis. *Sed ſi quis ſermo bonus ad ædificationem, ut det gratiam audientibus.* Quomodo enim unguentum dat gratiam iis qui ſunt ejus participes, ita etiam ſermo bonus.

S. Chryſoſt. Homil. 14.

Apertis ſermonibus temperandum.

30. *Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem Redemptionis.* Anima Chriſtiana Dei poſſeſſio eſt, quam ſignaculo ſuo, ſcilicet Spiritu ſancto obſignat & munit, ut eam ſibi ſervet, ejuſque aditum diabolo obſtruat. Sermo caritati aut caſtitati contrarius Spiritum ſanctum contriſtat & in proferente, & in audientibus. Quicumque Dei Spiritum habet, non poteſt non affligi, cum peſtem peccati ſermonibus malis afflari ac diffundi conſpicit. Qui ſignaculum illud divinum in die judicii non repræſentaveris, redemptionis fructum, beatitudinem æternam non conſequetur, Dei poſſeſſio non erit, ſed diaboli. „Hoc ſignaculum ſit in ore, ne ſigilla ſuſtuleris. Os ſpirituale nihil tale loquitur. Ne dicas, Nihil eſt ſi turpe verbum dixero, ſi hunc aut illum contumelia affecero. Propterea magnum eſt malum, quoniam nihil eſſe videtur. Nam quæ nihil eſſe videntur, facile contemnuntur. Quæ autem contemnuntur, etiam augentur. Quæ autem augentur, ſunt incurabilia. Os habes ſpirituale? Cogita quod verbum dixeris primum quando es locutus, quanta ſit dignitas oris. Patrem vocas Deum, & fratrem ſtatim injuria afficis? Cogita undenam Deum vocas Patrem. A natura? Sed non potueris. A virtute? minime. Unde ergo? A ſola benignitate & clementia, & multa miſericordia. Quando ergo Deum vocas Patrem, non ſolum hoc cogita, quod facis indigna illa generis nobilitate, contumelia afficiens; ſed quod etiam a benignitate & clementia habes nobilitatem generis. Ne eam ergo dedecore afficias, crudelitate & ſævitia uſus adverſus fratres. Deum vocas Patrem, & eum contumelia afficis? Quodnam eſt opus Filii Dei? Inimicis remittere, pro crucifigentibus orare, pro iis qui oderunt ſanguinem effundere. Hæc ſunt digna Filio Dei, inimicos, ingratos, inſidiatores, fratres facere & heredes; non autem qui facti ſunt fratres, eos tamquam mancipia afficere contumelia. Cogita quænam verba locutum eſt os tuum, qua Menſa ſit dignatum, quænam tangat, quænam guſtet, quo fruatur alimento. Te fratri nihil grave facere exiſtimas de eo maledicens? Quomodo ergo vocas fratrem? Et ſi non eſt frater, quomodo dicis, *Pater noſter?* Patrem habes in cœlis, nihil agas, nihil dicas terrenum. Cogita cum quibus ſtes tempore tremendorum Myſteriorum, cum Cherubim & Seraphim, quorum os unum implet munus, nempe Deum laudandi & glorificandi. Quomodo cum illis poteris dicere, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* qui ore uſus es ad contumeliam? Non vides hæc ſancta vaſa? Numquid non ad unum ſemper ea eſt opus? Num audet quiſpiam eis uti ad aliud? Tu his vaſis multo ſanctior. Cur ergo te ipſum polluis & inquinas? Stas in cœlis, cum Angelis verſaris, Dominico oſculo dignatus es, & contumelia afficis? Noli, quæſo. Tam grave malum, & tantorum cauſſa malorum procul ſit ab animo Chriſtiano.

S. Chryſoſt. Homil. 14.

Varii gradus iracundiæ.

31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor & blaſphemia tollatur a vobis, cum omni malitia.* Varii illi gradus iracundiæ & inimicitiarum horrendam in anima ſtragem edunt, niſi radicitus evellantur. „Quomodo in vas & veſtimentum immundum numquam ſe demittunt apes (Propterea enim & ſuffitibus, & unguentis, boniſque odoribus locum aſpergunt qui apum habent examina, viniſque ſuave olentibus illinunt calathiſcos, in quibus ſunt ingreſſuræ exeuntes ex alveis, ne gravis odor eas abigat) idem in Spiritu ſancto cogita. Vas quoddam eſt anima noſtra ad excipien-

S. Chryſoſt. Hom. 15.

„da

„ da examina gratiarum & donorum ſpiritualium: „ ſed ſi ſit intus amaritudo, & ira, & indignatio, „ & clamor, & blaſphemia, & callida malignitas, „ quam avari & triſtes ſæpe tacite machinantur, „ mordentes ſine latratu, *ut* canum peſſimi, effugit „ Spiritus ſanctus, avolant examina.

Virtutum oppoſitarum praxis.

32. *Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis*. In locum vitiorum veteris hominis, inſerantur novi hominis virtutes. Non enim ſatis eſt a malis abſtinere ut regnum cœlorum conſequamur, niſi bonum operemur. Eſtote igitur benigni, quod opponitur iræ; miſericordes, quod opponitur amaritudini; condonantes invicem, id eſt, ad veniam propenſi, & peccantibus in vos dimittentes injurias; quod opponitur malitiæ & blaſphemiæ. Sicut & Deus donavit vobis cum periculo & mactatione Filii ſui unigeniti. Et tu quidem fortaſſe extra periculum donas; ille vero non ſic: tu fratri tuo; Deus vero tibi, cum hoſtis eſſes, remiſit ac donavit. Aliis vero condonans ac remittens injurias, tibimetipſi gratiam impendis. Condonando fratri, reddere quodammodo potes Deo miſericordiam ab illo acceptam. Injuriarum oblivione, & miſericordia erga proximum, debita, quibus Deo teneris obſtrictus, exſolvere quadam ex parte potes, & tantum bonum negligis? Ne te Dei indignatione, odio, & damnatione dignum, ſi Chriſtianum fratrem oderis, & adverſus illum vindictam mediteris! *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus; nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra*. „ Qui condonat injurias, & ſuam juvat animam, & illius „ cui veniam donat. Hoc enim modo non ſolum ſe „ ipſum, ſed illum quoque facit mitiorem & modeſtiorem redundantia quadam benignitatis & miſericordiæ.

Theophylact.

Condonatio injuriarum.

Matth. 6. 14.

S. Chryſoſt. Hom. 16.

CAPUT V.

Senſus Litteralis.

1. 2. E*Stote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi: Et ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Adoptionem accepiſtis, Deum Patrem appellatis, illum igitur imitamini, ut filios dilectos decet, vitæ ſanctimonia, & beneficentia in illos etiam a quibus injuria affecti eſtis. Et totam vitam in caritatis affectu, & officiis, in quibus non poſtremum locum habet injuriarum condonatio, exercete exemplo Chriſti, qui prior dilexit nos omnes, Judæos & Gentes, & ſemetipſum tradidit in mortem pro nobis ut victimam propitiatoriam Deo gratiſſimam.

3. 4. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio*. Omnis ſexuum commixtio extra legitimum matrimonium, quæ & adulteria, & ſcortationes, & ſtupra, & inceſtus complectitur: & omne libidinis genus, quæ contra finem generationis exercetur, nec apud vos nominetur (nam ſenſus afficiunt & commovent, quæ ſæpe nominantur) nec inſatiabilis omnia laſciviæ genera deguſtandi & experiundi appetitus. Vel, immodica rem augendi per fas & nefas cupido, quæ in urbibus mercatricibus, qualis erat Epheſus, maxime regnat. Hæc enim vitia inter Chriſtianos ad ſanctitatem vocatos ne audiri quidem debent. Aut turpitudo tactuum, oſculorum, geſtuum obſcœnitas, & inverecundia verborum; aut joculiritas & facetiæ ad riſum excitandum compoſitæ, quarum plurimæ in turpitudine aliqua ingenioſa & ſcurrili poſitæ ſunt: Quæ quidem ſcurrilitas & ſtultiloquia, verborumque obſcœnitas, Chriſtianæ profeſſioni non conveniunt: ſed magis gratiarum actio Deo pro univerſis ejus beneficiis reddita, ex ore veſtro procedat & audiatur. Vel, Sed potius gratia ſermonis, ſive ſermo gratioſus & honeſto ſale conditus.

Cap. Superiori verſ. 19.

S. Hieron. in Commentario hujus loci.

S. Hieron. & Sedul.

5. *Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*. Scitote quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, qui idololatræ ſimilis eſt, quia ſicut Paganus in idolo, ſic ille in ido i materia argento & auro fiduciam ſuam collocat, ejuſque gratia omnia facit, non habet jus ad hereditatem regni Chriſti & Dei Patris. Vel, regni Chriſti, qui Deus eſt. Vel, regni Dei & Chriſti hominis, ut regis a Patre conſtituti, per quem unum ut Mediatorem electis aditus patet ad regnum æternum. Hanc denunciationem

Non ſcribit Apoſtolus, τοῦ Θεοῦ, ſed unico articulo τοῦ ſubjicit nomina Χριστοῦ & Θεοῦ, pro relativo pronomine qui, interdum in Scriptura ponitur, ut

exclusionis a regno Dei, ad turpitudinem, ſtultiloquium & ſcurrilitatem non extendi S. Hieronymus cenſet; contrarium docet S. Thomas; quia alia utrique fuit horum peccatorum notio. „ Nam S. Hieronymus exiſtimat turpitudinem hic ſignificare „ abſconditam cogitationem, cum inflammatur ſenſus noſter ad libidinem, & carnis titillationibus „ anima ignita ſuccenditur, & nihilominus Dei timore & mentis judicio refrænatur. “ Scurrilitatem autem & ſtultiloquium ad fatuas & ineptas fabulas refert, ſeu ad facetias quæ riſum movent audientibus. „ Hæc autem ex genere ſuo non ſunt „ peccata mortalia. Unde ait: Si enim ita ſtultiloquus & ſcurra alieni eſſent a regno Dei, quomodo „ tres quos ſpecialiter ſeparavit, videretur ſententia „ eſſe crudelis non ignoſcere imbecillitati fragilitatis „ humanæ, cum etiam per jocum nos dicta damnarent. Qui enim in ſermone non labitur, perfectus eſt. Neque vero (inquit) iſta dicentes, locum „ ſtultiloquio & ſcurrilitati damus, dum non excluduntur a regno, ſed quomodo apud Patrem diverſæ „ ſunt manſiones, & ſtella a ſtella differt in gloria, „ ſic & reſurrectio mortuorum. Quamvis aliquis a „ fornicatione, immunditia, atque laſcivia alienus „ ſit, tamen ſi ſtultiloquus & ſcurra fuerit, non „ tenebit eum locum, quem poſſeſſurus erat, ſi hæc „ vitia non haberet. Sanctus Thomas vero turpitudinis nomine ſignificari cenſet turpes tactus & amplexus, oſculaque libidinoſa; ſtultiloquii vero & ſcurrilitatis nomine verba provocantia ad mortale peccatum, ſeu animo libidinoſo prolata, aut ad mortale peccatum ordinata.

Pſal. 117. 27. Deus Dominus & illuxit nobis, id eſt, qui illuxit nobis.

S. Thom. Lect. 2.

6. 7. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum*. Ne vos vanis & fallacibus ſeductorum verbis decipi ſinatis, qui carnalia peccata ſupra dicta, & avaritiam, ac fraudes, & ulures ab ea imperatas non excludere Chriſtianos a regno Dei aſſerunt: propter hæc enim pœna æterna a Deo irato quaſi præceps ruet in caput hominum contumacium, qui his in criminibus, & ſimilibus perſeverant. Cavete ergo ne efficiamini comparticipes ſeu conſortes eorum in peccatis ſupra dictis, ne ira Dei vos pariter contrat.

S. Hieronymus obſervat nomen Græcum ἀπειθείας *inſuaſibilitatem*, magis quam *diffidentiam* ſignificare. Filii porro *inſuaſibilitatis*, Hebræa phraſi vocantur homines impersuaſibiles, increduli, inobedientes, contumaces, & rebelles veritati.

8. 9. 10. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate*. Olim in tenebris infidelitatis & ignorantiæ Dei, rerumque agendarum verſabamini, in peccatis ambulabatis ut cæci; nunc autem fidei ac juſtitiæ luce per Chriſti gratiam illuſtrati eſtis. Vitam ergo ducite veſtræ vocationi congruentem, & internam fidei lucem in mente veſtra fulgentem bona opera exterius prodant. (*Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate*.) Fructus autem quem lux fidei profert, in omni genere virtutum & bonorum operum conſiſtit, ſive ad beneficentiam proximis exhibendam, ſive ad juſtitiam illis reddendam pertineant, non ſimulate, ſed recto ſinceroque affectu. *Probantes quid ſit beneplacitum Deo*. Solicite explorantes quæ ſint opera divinæ legi ac voluntati conſentanea, & Deo grata, ut ea ſola faciatis. Sic autem ordinandus eſt horum trium Verſuum contextus, S. Hieronymo interprete; *Nolite ergo fieri comparticipes eorum, probantes quid ſit beneplacitum Deo. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux eſtis in Domino, quaſi filii lucis ambulate, fructus luminis oſtendentes in omni bonitate, & juſtitia, & veritate*.

11. *Et nolite communicare operibus infructiferis tenebrarum, magis autem redarguite*. Et ne conſortes ſitis operum tenebrarum, quæ nullum fructum pariunt niſi mortem: immo potius ea redarguite docendo & faciendo opera lucis, opera bona, juſta, ſancta, quæ illorum turpitudinem manifeſtent & palam convincant. Tenebrarum opera vocat, quia tenebras captant & lucem fugiunt, qui his ſe polluunt peccatis; quia ex Dei ignorantia & cordis cæcitate plerumque procedunt; quia eorum ſuaſor eſt princeps tenebrarum.

*Contra Simonis Magi diſcipulos, & Gnoſticos infandarum libidinum magiſtros hæc etiam dicta non immerito videntur.

12. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere*. * Quæ enim ſecreto fiunt ab ipſis, nocte pudorem adimente, turpe eſt & dicere, quanto magis illis communicare? Ad Gentiles in tenebris ignorantiæ & infidelitatis viventes, ſive ad filios diffidentiæ, de quibus ſupra locutus eſt, hæc referuntur, hyperbato longiore, quod Apoſtolo familiare eſt, ut S. Hieronymus cenſet.

Vox Græca φανερούμενον, active accipi poteſt. Unde Syrus Interpres vertit: *Omne quod revelat lux eſt*.

14. *Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt*. Omnia quæ redarguenda ſunt, opera tenebroſa, & lucem fugientia, produntur & manifeſtantur a filiis lucis, a probis Chriſtianis, qui ſanctæ vitæ luce & honorum integritate eorum turpitudinem manifeſtam faciunt, ut flagitioſi homines pudefacti, ſuarumque

* Id nullibi in Scriptura ſacra legitur iiſdem verbis: Senſum Iſaiæ cap. 60. verſ. 1. & 2. ab Apoſtolo expreſſum, & per accommodationem illum.

pium ad exhortationem peccatoru, cenſet S. Thomas Lect. 5.

turpitudinum cognitione donati, convertentur ad Dominum & filii lucis pariter fiant. Omne enim quod res in tenebris poſitas & occultas manifeſtat, lumen eſt.

14. *Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* * Ut excitet vos ad opera lucis agenda, Deus per me Apoſtolum ſuum, ſicut olim per Prophetas loquens, dicit: Expergiſcere, qui gravi & mortifero criminum ſomno opprimeris, & exſurge a morte peccati; & Chriſtus lux vera te illuminabit. „ Apoſtolum proſopopeiam Spiritus ſancti ad exhortationem „ Pœnitentiæ hic figuraſſe, dici poteſt, quod S. „ Hieronymus non improbat. Vel, Quomodo olim „ Prophetæ in concione populi loquebantur, *Hæc dicit Dominus*, &, *Quoniam Dominus locutus eſt*: ita „ & Apoſtolum Spiritu ſancto plenum, repente in „ verba, quæ in ſe Chriſtus loquebatur, erupiſſe, „ atque dixiſſe: *Hæc dicit Dominus*. Dixerit quiſpiam, In reconditis eum Prophetis, & his quæ „ vocantur apocrypha, hæc lecta in medium protuliſſe (ſicut in aliis quoque locis eum feciſſe manifeſtum eſt.) Non quod apocrypha comprobaret, ſed quod & Arati, & Epimenidis, & Menandri verſibus ſit abuſus ad ea quæ voluerat in tempore comprobanda. Nec tamen Arati, & Epimenidis, & Menandri, tota quæ ſcripſere ſunt ſancta, quia eos vere aliquid dixiſſe teſtatus eſt.

15. 16. 17. *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes: redimentes tempus,* * *quoniam dies mali ſunt.* Vos qui ad Evangelii lucem vocati eſtis, utimini lumine fidei veſtræ, & circumſpecte vos gerite, vitamque accurate inſtruite ad legis divinæ mandata: non quaſi inſipientes, qui in errores aut peccata incaute & imprudenter impingunt; ſed ut ſapientes, qui maxima circumſpectione ambulant in via periculis plena. Quovis pretio, rerumque veſtrarum ac voluptatum diſpendio, præſentis vitæ tempus, ad æternam ſalutem vobis procurandam opportunum, in bonis operibus impendite: quoniam tempora plena ſunt periculis & laqueis tentationum. *Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.* Ne ſitis igitur imprudentes & incauti, ne ullam detis offenſionem Ethnicis, & Judæis, ſeu quibuſvis pravis hominibus, aut occaſionem ullam excitandæ in Eccleſiam gravioris perſecutionis: ſed date operam ut intelligatis & attendatis ſemper quid Deus a vobis fieri velit.

* Metaphora eſt a mercatoribus ſumpta, qui ſtudioſe ac diligenter occaſiones emendi & vendendi obſervant & captant, nec opportunum tempus ad lucrum ſibi elabi patiuntur.

18. 19. 20. *Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria:* † *ſed implemini Spiritu ſancto.* Ne inebriemini vino, quod immodice epotum provocat ad luxuriam, omniſque diſſolutionis occaſio eſt: ſed implemini gratia & lætitia ſpirituali, boniſque operibus, quæ dona ſunt Spiritus ſancti. *Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Pſalmos, hymnos, & cantica ſpiritualia, non ſolum in Eccleſiæ conventu, ſed & in privatis colloquiis recitantes & canentes, non lingua tantum, ſed devoti cordis affectu, ad laudem & gloriam Chriſti Domini, ac mutuam ædificationem. * *Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.* Gratias agentes Deo Patri, ut fonti & principio bonorum omnium, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cujus nomine, reſpectu, ac merito omnia bona ſpiritualia nobis proveniunt, omni tempore, & pro omnibus beneficiis ab eo acceptis.

† Ex Proverb. 23. Verſ. 5. & 21. ſecundum Verſionem LXX. Interpretum ſumptum eſt.

* Plinius Junior Chriſtianos *Carmen Chriſto ut Deo dicere* ſolitos teſtatur. Tertull. in Apologet. *Ut quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.*

21. *Subjecti invicem in timore Chriſti.* Subjecti eſtote inferiores Superioribus ſecundum ordinem naturalem, civilem, Eccleſiaſticum, ex animo, propter Deum qui hoc jubet; ob Chriſti Domini, qui ſubjici propter nos dignatus eſt, reverentiam.

22. 23. 24. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino.* Mulieres viris ſuis ſponte & ſincere ſubditæ ſint, Chriſtum Dominum, qui caput eſt & ſponſus Eccleſiæ in iis conſiderantes. *Quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut* * *Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: Ipſe Salvator corporis ejus.* Vir uxorem regere debet ad bonum ejus & totius familiæ, ſicut Chriſtus Eccleſiam regit & gubernat ad ipſius Eccleſiæ utilitatem. Ipſe Salvator ejus eſt, tamquam corporis ſui, influendo & ſubminiſtrando jugiter Spiritum, dirigendo, ſuſtentando, protegendo; ad ſalutem æternam perducendo. Sic & vir uxorem ſuſtentat, protegit, ſublevat ut proprium corpus. *Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.* Quemadmodum ergo Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ut corpus capiti, ita & mulieres ſubjectæ ſint viris ſuis, in omnibus quæ ad domeſticam gubernationem pertinent, & quæ Dei legi contraria non ſunt.

* Το Sicut ſimilitudinem ſignificat, non æqualitatem, alio enim præſtantiorique modo Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, quam maritus uxoris.

25. 26. 27. *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea.* Et vos, mariti, uxores veſtras diligite ad eum modum quo Chriſtus Eccleſiam ſuam dilexit. Ejus amorem erga Eccleſiam imitemini, qui tantus fuit, ut ſe ipſum pro ea morti traderet, quo nullum amoris teſtimonium majus. *Ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ut illam ſanctam efficeret dato Spiritu ſancto velut conjugali dono, cum illam mundavit Baptiſmo aquæ, & verbo vitæ, quo conſecratur Baptiſmus: Vel, baptiſmo, & verbo evangelicæ doctrinæ, verbo fidei, verbo veritatis. *Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi: ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Ut ſiſteret & adjungeret eam ſibi in conſummatione ſæculi & beata reſurrectione, decore & gloria fulgentem, non habentem maculam peccati, aut rugam ullam vetuſtatis, ullamve deformitatis aut fœditatis notam: ſed ut ſit ſancta & irreprehenſibilis.

Joan. 15. 3. 1. Petri 1. 23. & cap. 3. 21. & Jacob. 1. 18. S. Auguſtin. Tract. 80. in Joannem.

S. Auguſt. lib. De Perfect. Juſtit. c. 15. n. 29. & lib. 1. Retractat. c. 7. n. 3.

28. *Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua,* ut unam carnem, exemplo Chriſti, qui Eccleſiam ut corpus ſuum dilexit. *Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit.* Caput enim & corpus unum quid conſtituunt. Conjuges unum ſunt per individuam vitæ ſocietatem. *Non ſunt duo, ſed una caro.* Matt. 19. 6.

29. 30. *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Nemo ſanæ mentis carnem ſuam odit, ſed nutrit eam, omniaque illi ſubminiſtrat ad conſervationem & ſalutem neceſſaria: ita & viros uxorum ſuarum curam gerere oportet, ſicut Chriſtus Eccleſiæ, nutriens eam & fovens, & ſuum ei dans Corpus & Sanguinem. *Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus.* Eccleſiæ, quæ Chriſti corpus eſt, membra ſumus: per Corporis & Sanguinis ejus, pretium redemptionis, illi inſerti, & regenerati, formata de latere morientis Eccleſia, ſicut Eva de Adami dormientis latere formata eſt. Eodemque Corpore & Sanguine pretioſo in Euchariſtia nutrimur & potamur. *Quoniam membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus, ut beatus Apoſtolus ait, non de ſpirituali aliquo & inviſibili homine dicens hæc (Spiritus enim neque oſſa, neque carnes habet) ſed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum verum hominem, quæ ex carnibus, & nervis, & oſſibus conſiſtit, quæ de calice qui eſt Sanguis ejus nutritur; & de pane qui eſt Corpus ejus, augetur.* Eodem pene modo hunc locum interpretatur Theodoretus: *Sicut enim*, inquit, *Eva ex Adam formata eſt, ita nos ex Chriſto Domino. Cum eo enim in baptiſmo conſepelimur, & una cum eo reſurgimus, & Corpus ejus comedimus, & Sanguinem bibimus.*

Theodoret. S. Irenæus lib. 5. cap. 2. Theodoret. in Comment. Geneſ. 2. 24.

31. *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Ad conjunctionem illam arctiſſimam Chriſti cum Eccleſia ſignificandam ſcriptum eſt: Relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, quoad cohabitationem & converſationem domeſticam, & adhærebit; ſive (quæ vis eſt Græci verbi) *agglutinabitur*, id eſt, firmiſſimo & indiſſolubili vinculo conjungetur uxori ſuæ, & erunt duo velut una caro, ſeu unum corpus.

Secundum Hebraicum Textum Geneſ. & Græcum: *Et erunt in carnem unam.*

32. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Arctiſſima illa conjunctio viri & mulieris, de qua ſcriptum eſt: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* magnæ, ſacræ, & arcanæ rei ſignum eſt: ego autem myſterium illud intelligendum doceo de Chriſto & Eccleſia. Chriſtus enim deſcendit e ſinu Patris, & Synagogam matrem reliquit, ut unum cum Eccleſia corpus fieret, illique indiſſolubili amoris vinculo conjungeretur. Secundum Græcum: *Ego autem dico in Chriſtum & in Eccleſiam*: Id eſt, id eſſe referendum ad ſpirituales Chriſti cum Eccleſia nuptias. Ajunt Hebræi, *Mulierem de latere viri eductam ad ſignificandum conjugium Viri ſupremi benedicti.*

Matrimonium Sacramentum eſſe monet hic Apoſtoli locus, ex Concil. Trid. Seſſ. 24.

33. *Veruntamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſe ipſum diligat: uxor autem timeat virum ſuum.* Itaque & unuſquiſque veſtrum ad ſe ſingulatim pertinere noverit, quod de Chriſto ſecundum myſterium dictum eſt: & uxorem ſuam, ſive pulchram, ſive deformem; ſive divitem, ſive pauperem; ſive morigeram, ſive immorigeram, diligat tanquam ſeipſum. Uxor autem non ſolum diligat virum ſuum; ſed etiam timeat, non metu ſervili, ſed liberali, ex amore & reverentia profecto, ut ſuperiorem & caput ſuum, ſecundum Dei verbum: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Geneſ. 3. 17.

CA-

C A P U T V.

Senſus Moralis.

Dei imitatio.

S. Hieronym.

1. **E***Stote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi.* Nihil dignius filiis, quam patris perfectiones & virtutes imitari. Ad id enim omnibus ſtudiis debent, maxime ſi videant a patre ſe amari, illique ſe magis amabiles reddere velint. Adoptione filii Dei ſumus: nos ita dilexit, ut pro nobis Filium ſuum unigenitum daret: illum imitando majorem ipſius in nos amorem nobis conciliaburus. „ Patrem ergo „ noſtrum cœleſtem imitemur in ſanctitate, carita- „ te, miſericordia, beneficentia: & quomodo ille cle- „ mens eſt, & pluit ſuper bonos & malos, ſic e- „ tiam nos bonitatem noſtram ſuper omnes homi- „ nes effundamus. Quod cum fecerimus, erimus „ filii dilecti Dei. Quid ad hæc reſpondebimus, vel „ quam excuſationem habere poterimus? Si tibi ali- „ quis dicat ut virtutes quas fecit Dominus debeas „ imitari, juſta poteſt eſſe excuſatio tua: quia vir- „ tutes & mirabilia facere non omnibus datum eſt: „ juſte & caſte vivere, & caritatem cum omnibus „ cuſtodire, cum Dei adjutorio promptum eſt. Non ait Dominus, Diſcite mortuos ſuſcitare, ſuper aquas ſiccis pedibus ambulare: ſed, *Diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde*: &, *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, &c.

S. Cæſarius Serm. 50. in Append. Sermon. S. Aug. 225. alias 47. De Sanctis.

2. *Et ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Chriſtus per caritatem ad nos venit: per caritatem ad illum tendere debemus. Illius erga nos dilectio in ejus Sacrificio maxime elucet; in quo non victimas extraneas, ſed ſemetipſum offert; non partem ſui; ſed ſe totum immolat; non ut oblationem inanimem, ſed hoſtiam viventem, paſſioni & morti ſe tradit: nec ab alio ſe immolari patitur, ſed ipſe ſemetipſum immolat, idem Sacerdos & victima: non ex neceſſitate, ſed ex caritate; non diis alienis, ſed Deo vero, Patri ſuo, non pro amicis, ſed pro inimicis; non pro ſanctis, ſed pro impiis; non ut victimam execrationis, ſed ut hoſtiam puram, ſanctam, immaculatam; Deo dignam. Nos cum ipſo, & per ipſum Deo in ſacrificium offeramus, ut holocauſtum in ara crucis ejus, igne fervidæ caritatis conſumendum. Caritatem ipſius non uno aut altero actu, ſed perpetuo vitæ tenore imitemur, progredientes ſemper & proficientes in ea. *Et ambulate in dilectione.* „ Qui pro aliorum ſalute uſque ad ſanguinem contra „ peccatum dimicat, ita ut & animam ſuam tradat „ pro eis, iſte ambulat in caritate imitans Chri- „ ſtum, qui nos in tantum dilexit, ut crucem pro „ ſalute omnium ſuſtineret. Quomodo enim ille ſe „ tradidit pro nobis, ſic & iſte, pro quibus poteſt „ libenter occumbens, Imitabitur eum, qui oblatio- „ nem & hoſtiam in odorem ſuavitatis ſe Patri tra- „ didit: & fiet etiam ipſe oblatio & hoſtia Dei in „ odorem ſuavitatis.

Chriſti caritas a nobis imitanda.

S. Hieron. in Comment.

3. 4. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Corpus fornicatione, & quavis impudicitia contaminatum; & cor bonorum terrenorum cupiditate corruptum, indigna ſunt quæ cum ſacroſancto corpore & corde Jeſu Chriſti, velut una victima, Deo in ſacrificium offerantur; qui tamen finis eſt baptiſmatis, ut Chriſto incorporati, & membra ejus effecti, una cum ipſo immolemur Deo. Profeſſione ſancti ſumus, a peccatis igitur abhorreamus, præſertim a carnalibus, idque non ſolum animo & corpore, verum etiam ſermone. *Nec nominetur in vobis.* „ Toti „ puri ſitis. Verba enim ad opera viam præbent. „ Itaque ſi ſancti eſtis, & lingua veſtra ſancta ſit: „ oculos, aures, os, ſenſus omnes vigilantiſſima ca- „ ſtitas ab omni inquinamento ſervet. " Vaſa Deo ſacra polluere & ad profanos uſus adhibere, ut Rex Baltaſar, ſacrilegium eſt a Deo graviſſimis pœnis puniendum: quanto gravius crimen eſt os & aures longe ſanctiore modo Deo conſecratas, ſermonibus impudicis, carminibus & canticis amatoriis, verbis obſcœnis comœdorum & hiſtrionum amorem profanum & libidinem excitantium, dum fingunt, maculare? *Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio.* Turpiloquium & facetiæ ſunt fornicationis velamentum. Chriſtianus ad ſanctitatem vocatus, nec loqui, nec audire debet quæ non conveniunt ad ſanctificationem. Quid Pœnitentiæ cum facetiis? Quid certamini cum jocis & ſcurrilitate? Quid gratiarum actioni cum fabulis, nugis, & ſermonibus ridiculis? „ Non „ riſus, facetiarumque præſens tempus eſt, ſed fle- „ ctus & certaminis. Hoſtis circuit dentibus ſtri- „ dens adverſus te, & tu ludis, & ad riſum alios „ provocas? Difficile eſt te illum vincere, etiamſi „ acriter certes, quanto magis ſi ludis? Chriſtianos damnabunt Ethnici Philoſophi, qui turpes ſermones e Republica eliminandos docuerunt. *Legislatorem* (inquit Ariſtoteles) *oportet omnino ſermonem turpitudinem e civitate evellere. Nam facile turpia loquendo efficitur ut homines his proxima faciant.* Chriſtianus nulli rei niſi Pœnitentiæ, orationi, gratiarum actioni natus, ad fatuas & ineptas fabulas, ad turpes aut facetos ſermones os Chriſti Corpore conſecratum, aures verbo Dei ſanctificatas aperire non debet. „ Hæc a ſanctis viris, quales omnes Chri- „ ſtiani eſſe debent, propellenda, quibus magis con- „ venit flere atque lugere, ut in Hebraico quoque „ Evangelio legimus Dominum ad Diſcipulos lo- „ quentem: *Et nunquam, inquit, læti ſitis, niſi* „ *cum videritis fratrem veſtrum in caritate.* Stulti- „ loquium & ſcurrilitas non decet eſſe Chriſtianum. „ Decet autem ſermonem ejus ſale conditum, ut „ gratiam apud audientes habeat.

Theophylact.

Daniel. 5.

S. Chryſoſtom. Homil. 17.

Theophylact.

Ariſto. lib. 7. Politic. c. 17.

S. Hieronymus in Comment.

5. *Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Solis Dei filiis, ſolis Chriſti membris regni cœleſtis hereditas promiſſa, & Chriſti ſanguine parta eſt: ab illa excluduntur, qui tollentes membra Chriſti, faciunt membra meretricis, & per illicitas voluptates templum Dei in ſe violant & corrumpunt. Hinc impudicos quoſdam olim Eccleſiæ a Communione in perpetuum removebant, ſi poſt actam Pœnitentiam in eadem impudicitiæ peccata relaberentur. *Si poſt pœnitentiam fuerint mœchati*, (inquit Synodus Illiberitana) *placuit ulterius eis non eſſe dandam Communionem, ne luſiſſe de Dominica Communione videantur.* Chriſtus animarum noſtrarum ſponſus, impudicos execratur & repudiat. Lugendum quod Chriſtiani his verbis ab impudicitia non deterreantur: *Omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* An vero ad cœleſtem illam hereditatem admittentur avari idololatris affines? *Aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus.* Avarus & idololatra unam eamdemque rem colunt, aurum & argentum, alter in ſimulacris, alter in nummis. Spem ſuam omnem in pecunia collocat avarus, ab ea omne auxilium exſpectat: omnes totius vitæ labores & cogitationes ad divitias cumulandas refert, ſummum in iis bonum, ultimumque finem conſtituit: nummos quaſi rem ſacram & divinam diligenter aſſervat, reverenter habet, eorum forma delectatur, ubi conſpicere non audet: pecuniæ ſervit, illamque colit: *Hæc enim colitur, quæ diligitur*.... „ *Colis*, avare, nummos tuos, *non ſurtim* „ *vaſiſſimi odoris aliuſjus, & tuo ſepe ....* „ *pecudis impenſa, ſed e anima tua. Illis ingenium* „ *tuum immolas, illis ſervorem tuum libas ....* „ *dentiam tuam accendis. Eis .... Sacer-* „ *dos. Diligentia tua nomen .... eſt. Eis ....* „ *natorem, auratorum, & majorem .... cælis,* „ *ſalutem tuam*..... Nemo poteſt duobus Dominis „ ſervire. Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ. „ Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœ- „ lorum. Igitur avari non habent hereditatem in „ regno Chriſti & Dei.

Concil. Illiberitan. can. 3. & 7.

Avaritia affinis idololatriæ.

S. Auguſt. Tertull. De Idolol.

Matth. 6.

Matth. 5.

6. 7. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum.* Sed et amat decipi qui libenter audit hæreticos, impios, falſos doctores, & Moralis Chriſtianæ corruptores, qui per blandos ſermones ſeducunt corda innocentium. „ Qui „ dicunt malum bonum, & bonum malum, ponen- „ tes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes „ amarum dulce, & dulce in amarum. Et in Magiſtros, & in eos qui ipſos libenter audiunt ſuis cupiditatibus blandientes, qui a falſis Prophetis non cavent, ſecundum Chriſti præceptum, in illos, (inquam) ruit ira Dei: quia regnum veritatis oderunt, mendacii & erroris diligunt, & quantum in ipſis eſt ſtatuunt & firmant. Verba ſeductorum inania ſunt, vacua, fraudulenta. *Quæ videntur florem quemdam habere ſermonum, & blandiri peccatoribus: ſed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad æterna ſupplicia: quia de nulla re ſic iraſcitur Deus, quo modo ſi peccator ſuperbiat, & erectus ac rigidus non flectatur in fletum, nec miſericordiam poſtulet pro delictis.*

Amat decipi qui ſeſe ſeductoribus audit. Iſai. 5. 20.

S. Hieron. in Commentar.

8. 9. 10. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.* Cogitate quid eratis, & quid facti eſtis, quod e tenebris lumen facti ſitis. Olim & in dogmatibus, & in vitæ converſatione tenebræ teipſa eratis: nunc vero lumen eſtis, utpote & Deum cognoſcentes per fidem, & lucis opera facientes per charitatem. Hoc autem contigit vobis non a veſtra virtute, ſed in Domino, hoc eſt per divinam gratiam. *In voluntate enim cujuſque eſt, utrum tenebræ ſit, an lux: ſed cum tene-*

Bona opera fructus lucis ſive fidei.

Theophylact.

S. Auguſt. l. 6. Annot. in Job. cap. 39.

ſæ. in ſe ipſo, hoc eſt, peccatis quæ ipſius ſunt propria: cum autem lux, non in ſe ipſo, ſed in Domino, a quo illuminatur, ut quemadmodum dicit Iſaias, tenebræ ejus ſint velut meridies. Unde & in Pſalmis dicitur: *Deus meus, illumina tenebras meas.* Verum non ſatis eſt illuminatum eſſe luce fidei, niſi illa utamur ad ambulandum & progrediendum in via ſalutis. *Ut filii lucis ambulate.* Alioqui ſimiles erimus viatoribus, qui per diem ſomno indulgent, & nocte præoccupati pervenire non poſſunt ad metam itineris, aut a via aberrant, & in præcipitia ruunt, vel in latrones incidunt, a quibus ſpoliantur, vulnerantur, occiduntur. Sola luce viator non pervenit ad patriam, ſed uſu lucis. Sola fide Chriſtianus homo non pervenit ad regnum cœlorum, ſed fructibus fidei, operibus bonis ſecundum ſubſtantiam & genus ſuum: *Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate:* & ſecundum intentionem facientis, ex animo ſcilicet placendi ſoli Deo, illumque promerendi: *Probantes quid ſit beneplacitum Deo.* Homo recte ſe habeat ad ſe ipſum per bonitatem; ad proximum per juſtitiam, ad Deum per cognitionem, confeſſionem, & defenſionem veritatis. *Fructus lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate.* Fructus lucis in corde fit per bonitatem, in ore per veritatem, in opere per juſtitiam. Bonitas, amarulentiæ & iræ: juſtitia, avaritiæ & furentis ejus, rapinæ, fraudi, uſuræ: veritas, falſæ voluptati impuritatis opponitur. *Probantes quid ſit beneplacitum Deo.* Probantes (inquam) non in ſtateris probabilium opinionum, ſed in ſtatera verbi Dei; ad lucem fidei, non philoſophicarum ratiuncularum, examinantes quid Deo placeat, quid ejus legi conforme ſit, *in morem prudentiſſimi trapezitæ, qui ſculptum nummiſma non ſolum oculo, ſed & pondere & tinnitu probat.* Omnia facienda cum conſilio. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* „ Probare perfectorum eſt, qui judicare poſſunt. Imperfectæ itaque & pravæ mentis eſt non eligere neque velle quæ Deo placeant. „ In conſcientiæ rebus conſilium quære a viro erudito ſapiente, ſancto. *Cor boni conſilii ſtatue tecum, non eſt enim tibi aliud pluris illo .... Et in his omnibus deprecare Altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam.*

S. Thomas, Lect. 4. — Qu modo ſit examinandum quid ſit beneplacitum Deo. — *Theophylact.* — *S. Hieronym.* — *Eccl. 37. 20.* — *Theophylact.* — *Eccl. 37.*

11. *Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Fruſtra ſe in bonis operibus exercet, qui alienorum fit particeps peccatorum, conniventia, approbatione, conſilio, conſenſu, adulatione, auxilio, patrocinio: nec animam ſuam coram Deo liberant pater, dominus, præceptor, Magiſtratus, Paſtor, conſcientiæ Moderator, amicus, & quicumque auctoritate præſtans, quia malum non approbat: ſed peccantes admoneat, doceat, redarguat, vituperet, damnet, ac puniat, reſpective, ſervatiſque ſervandis, neceſſe eſt. „ A malis corde ſemper disjungimini, ad tempus caute corpore copulamini. Nec tamen negligentes ſitis in corrigendis veſtris, ad curam ſcilicet veſtram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortando, terrendo. Quibuſcumque modis poteſtis, agite. Nec enim invenitis in Scripturis & in exemplis Sanctorum, ſive qui ante, ſive qui poſt Domini adventum in hac vita fuerunt, quod mali bonos in unitate non maculant, efficiamini pigri ad corrigendos malos. Duobus modis non te maculat malus: ſi non conſentias, & ſi redarguas: hoc eſt non communicare, non conſentire. Communicatur quippe, quando facto ejus conſortium voluntatis vel approbationis, adjungitur. Hoc ergo nos admonens Apoſtolus ait, Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum. *Et quia parum erat non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ:* Magis autem, *inquit*, redarguite. *Videte quemadmodum utrumque complexus eſt*, Nolite communicare, magis autem redarguite. *Quid eſt, Nolite communicare? Nolite conſentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid eſt,* Magis autem redarguite? *Reprehendite, corripite, coercete.*

Cavere debet quiſque ne ſit alienorum peccatorum particeps. — *S. Aug. Serm. 88. alias 18. De verbis Domini, c. 18.*

12. 13. 14. *Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur lumen eſt.* Corripiendi cum charitate, prudentia, & manſuetudine, qui turpia loquuntur aut faciunt, ne audeant clam etiam turpiora. Non ſtant enim iſta ubi incipiunt, & mox pudorem adimit. In his reprehendendis maxima circumſpectio adhibenda eſt, ne turpia dicere videantur ipſi qui reprehendunt. Cedendum neceſſitati objurgationis, parcendum pudori & eorum qui ab his ſpurcitiis mundi ſunt & inſontes: parcendum & noſtro. Pudore tamen ſalutari ſuffundendi ſunt impudici, aliique peccatores, ut emendentur. Agendum ut fidei lumine manifeſta illis fiat peccati fœditas & deformitas: & caſtæ vitæ exemplis turpitudo illorum redarguenda eſt .... Nulla exhortatio efficacior, nulla correptio ſuavior & modeſtior vitæ exemplaris luce. *Omnia quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur.* „ Vos eſtis lumen: lux autem manifeſtat quæ in tenebris ſunt. Si igitur vos virtutibus conſpicui ſitis, non poterunt latere ſceleſti. Ut enim lucerna lucente fur non ingreditur: ſic lumine virtutis veſtræ lucente, illi capientur, a vobis præſertim ſermonibus erudiendi vim habentibus redarguti. *Omne enim quod manifeſtatur lumen eſt.* Quemadmodum vulnus, ſi contegatur, nullam curam recipit; ſic & peccatum. Cum autem manifeſtatum fuerit, diſpelluntur tenebræ, & peccator ſalutaribus correptionibus, & bonis exemplis ad pœnitentiam adductus, fit lux in Domino. Verum divinæ lucis & gratiæ proprium eſt quærere eos, qui ſedent in tenebris & umbra mortis, qui oculos avertunt, ne illam videant; excitare a ſomno oblivionis Dei ſalutiſque ſuæ peccatores torpentes, boni operis expertes, ſomniis & phantaſmatibus inanibus deluſos. Gratiæ proprium eſt ſuſcitare peccatores a morte peccati, dare illis vitam, & operationem ſpiritualem. *Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus:* Diſcrimen autem inter dormientem & mortuum aſſignat Theophylactus, quod ad morum informationem attinet. *Plerique enim qui malum quidem patrant, patratum autem non comprobant, dormientes dici poſſunt, qui & celeriter excitantur: ad quos pertinet quod dicit Apoſtolus,* Surge qui dormis. *Nonnulli autem & faciunt malum, & patrocinantur ei, qui mortui dici queant, ut qui difficilius ad bonum revocari poſſint.* Attamen & his Spiritus ſanctus inclamat, *Exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Non enim de mutabili natura deſperandum eſt.

Correptio prudens & ſalutaris peccantium. — *Theophylact.*

15. 16. *Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Prudentia Evangelica & circumſpectio Chriſtiana maxime neceſſaria eſt tot inter hoſtes veritatis, ſalutis, & Eccleſiæ. Cavet ne quem offendat, curat ut omnes ædificet. Zelum illuminat, ne cæcus ſit, imprudens, acerbus; patientiam parit, qua omnia incommoda, contradictiones omnes & perſecutiones ſuſtinentur potius quam veritas deſeratur, aut caritas amittatur: redimit denique dies ſalutis, nos ab iis omnibus ſeparans & avellens, quæ ſaluti contraria ſunt; nos omnia deſerere docens, ſi opus fuerit, ut animam noſtram ſalvemus. „ Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur! Aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua? Quando in bono opere tempus conſumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autem vitæ hujus immodica ſolicitudine quærens neceſſaria, & divitiis congregandis ſtudens, & honorum gloriæque ſæcularis ambitioſa cupiditate flagrans, & carnalium ſectator voluptatum, poteſt ſibi tempus redimere. *Redimentes autem tempus, quod in diebus malis eſt, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præſentis ſæculi, ſed futuri.* Redimere tempus, eſt ſemper adhærere & obedire veritati; non habere fidem temporum, ſed Evangeliorum; unum eumdemque ſanctæ vitæ tenorem ſervare; non cum varietate temporum commutari, ſed diverſitatem temporum unum ſibi tempus efficere; non in morem ſtulti quaſi luna mutari, ſed in adverſis rebus pariter ac in proſperis, in perſecutione, pariter ut in favore hominum, conſtantes eſſe in defenſione veritatis, & in obſervatione pietatis. „ Sic Joſeph Patriarcha unum habebat propoſitum: placere Deo. Hoc nulla varietate temporis immutatum eſt; nec fratrum invidia, nec conditione ſervitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ promiſſis, nec ſqualore carceris, nec poſtea tumore Ægyptiæ poteſtatis; ſed ſemper unus fuit, & varietatem temporum ſibi redimens, malos dies vertit in bonos. Sic vir ſanctus Job per varia tentamenta vexatus, nec divitiis, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec ſolitudine, nec poſtea bonorum omnium reſtitutione mutatus eſt. Redemerat enim ſibi tempus, & dies malos fecerat bonos.

Prudentiæ Chriſtianæ effectus. — *S. Hieron. in Comment.* — Redimere tempus quid ſit?

„ *Redimentes tempus.* Non eſt tempus veſtrum. Nunc eſtis inquilini & peregrini, hoſpites & alieni. Ne quæratis honorem, gloriam, potentiam, ultionem. Omnia ferte, & hoc tempus redimite. Cogita quempiam qui domum habeat ſplendidam, deinde ingredi aliquos ut eum perimant, & illum multa dare ut ſe eripiat, tunc dicimus

S. Chryſoſt. Hom. 18.

„ cum

„ eum ſe redemiſſe. Ita tu domum habes magnam, „ fidem veram, pietatem ſinceram. veniunt ho„ ſtes ut omnia deprædentur quæ poſſides: ad quod„ cumque pervenerint, ſerva caput, fidem ſcilicet ac „ pietatem Chriſtianam.

Prudentia Chriſtiana. *S. Hieronym.*

17. *Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei*. Prudentia Chriſtiani poſita eſt in inquiſitione & ſtudio voluntatis Dei; ſcientia Chriſtiana in ejus cognitione; vera virtus in ejus executione. *In omni ergo opere primum conſiderandum quid velit Deus, & habito judicio id ipſum faciendum, quod illi placere fuerit comprobatum.*

Ebrietatis malum. *Tertullian. lib. De Jejuniis, cap. 6.*

18. 19. 20. *Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu ſancto.* Ebrietas & luxuria comites ſunt pene individuæ. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* „ Intel„ lige, inquit Tertullianus Scripturæ ſanctæ vere„ cundiam: *ludum niſi impudicum non denotaſſet. Ce„ terum quotuſquiſque meminerit religionis, occupatis „ memoriæ locis, impeditis ſapientiæ membris? Ne„ mo ita ut decet, ita ut par eſt, ita ut utile eſt, „ recordabitur Dei eo tempore, quo ipſum ſibi homi„ nem excidere ſolemne eſt.* Quo modo non poſſu„ mus duobus dominis ſervire, Deo, & Mammonæ: „ ſic non poſſumus Spiritu impleri pariter & vino.

S. Hieron.

„ Qui enim Spiritu impletur, habet prudentiam, „ manſuetudinem, verecundiam, caſtitatem. Qui „ vino, habet inſipientiam, furorem, procacitatem, „ libidinem. Duplicem ebrietatem Apoſtolus indigitat, ebrietatem corporis ex immodica vini potatione, & animi ebrietatem ex Spiritus ſancti plenitudine. *Implemini Spiritu ſancto.*

Spiritualis ebrietas.

Prima corpori tribuit vires perniciosas, ardorem impurum, gaudium carnale, Dei oblivionem parit, rationem obnubilat. Altera gaudium ſanctum, animum humilem, robur ſalutare, oblivionem mundi & carnalium voluptatum ingenerat. Sancta hac ebrietate ab uſu rationis corruptæ excedimus, ut ſupremam rationem, quæ Dei lex eſt, ſemper & in omnibus ſequamur.

Pia Cantica.

Damnoſa ebrietate rejecta: in ejus locum ſpiritualem repoſuit: Hoc enim eſt quod dixit; *Implemini Spiritu ſancto:* Deum ſcilicet perpetuo laudantes, & pro cantilenis profanis, ineptis, amatoriis, impudicis, quibus ſe oblectant homines ebrioſi & diſſoluti, cantantes pſalmos, hymnos, & cantica ſpiritualia. *Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus.* Non voce tantum, ſed intimo cordis affectu canentes, non ad modulos ſæculares, theatrales, effœminatos, inflexa voce; non ad voluptatem, ſed ad gloriam Dei, & audientium ædificationem. *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris*

S. Hieron.

Domino. „ Sic cantet ſervus Chriſti, ut non vox ca„ nentis, ſed verba placeant, ut ſpiritus malus qui „ erat in Saule, ejiciatur ab his qui ſimiliter ab eo „ poſſidentur, & non introducatur in eos qui de „ Dei domo ſcenam fecere populorum. Sacrificium laudis & gratiarum actionis offeramus Deo, non ſolum temporibus & locis ejus Majeſtati conſecratis, ſed ſemper, & ubique, pro omnibus bonis quæ ab illo accipimus, quæ per illum operamur, & quæ pro„ pter illum poſſidemus: non tantum pro his quæ „ bona putamus, ſed etiam pro his quæ nos coar„ ctant, & contra noſtram eveniunt voluntatem, „ in Dei præconium mens læta prorumpat, & di„ camus: *Nudus exivi de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Sicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum.* „ Hæc gratia„ rum actio apud prudentes viros & generaliter & „ ſpecialiter obſervatur. Generaliter, ut gratias aga„ mus Deo, quod nobis ſol oritur, dies currit, nox „ mutatur in requiem, ſplendore lunæ tenebræ tem„ perantur, & ortu occaſuque ſtellarum tempora mu„ tantur & redeunt; quod nobis ſerviunt pluviæ, „ terra parturit, elementa famulantur; quod tantæ „ animalium varietates, vel ab vehendum, vel ad „ operandum, vel ad veſcendum, vel ad tegmen, „ vel ad exemplum, vel ad miraculum datæ ſunt; „ & ad extremum, quod nati ſumus, quod ſubſiſti„ mus, quod in mundo quaſi in quadam domo po„ tentiſſimi Patris familias procurationem gerimus, „ & totum quicquid in mundo eſt noſtri cauſa intel„ ligimus procreatum. Specialiter vero, quando in „ Dei beneficiis, quæ nobis accidunt, gratulamur. „ Sed hoc & Gentilis facit, & Judæus, & Publica„ nus. *Chriſtianorum propria virtus eſt etiam in his, quæ adverſa putamur, referre gratias Creatori.* „ Si „ domus corruerit, ſi amantiſſima uxor & filii vel ca„ ptivitate, vel veneno, vel naufragio intercepti „ ſint; ſi divitias proſcriptione perdidimus; ſi ſani„ tatem innumerabiles morbi, & ſemper expectan„ da miſeris podagræ debilitas fregerit. *Gratias agentes ſemper, pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.* „ Qui ſibi ſanctiores vi„ dentur, ſolent Deo referre gratias, quod de peri„ culis, vel de miſeriis liberati ſunt. Sed juxta „ Apoſtolum hæc virtus eſt maxima, ut in ipſis pe„ riculis atque miſeriis Deo gratiæ referantur, & „ ſemper dicamus: Benedictus Deus: minora me „ ſcio ſuſtinere quam merear: hæc ad mea peccata „ parva ſunt: nihil mihi dignum redditur. Hic ani„ mus Chriſtiani eſt; hic crucem ſuam tollens, ſe„ quitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna „ debilitant. Hic gratias agit Deo, illumque laudat in unitate eſſentiæ, perfectionumque divinarum, in Trinitate Perſonarum, in ſanctitate operationum intra illum manentium, & exterius prodeuntium, in creatione, conſervatione, gubernatione creaturarum, in redemptione omnium hominum, in vocatione, juſtificatione, & glorificatione electorum. Deo gratias agit ut *Patri* in Trinitate, in Incarnatione Filii ejus unigeniti, in Chriſtiana adoptione filiorum. Gratias denique agamus *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, in ejus perſona ut laudes & gratiarum actiones ab ipſo oblatas Patri tempore vitæ ſuæ mortalis, offerre in terris pergamus ut ejus membra; per ejus merita, per ejus Spiritum, in ejus diſpoſitionibus, illi conjuncti, qui vera & ſubſiſtens laus eſt Dei Patris, ſola illo digna.

Gratiarum actio in omnibus, etiam in adverſis.

S. Hieron.

S. Chryſoſt. Homil. 19. *Etſi rationem neſcias eorum quæ tibi accidunt, age gratias. In rebus ſecundis nihil dicas ante hoc verbum. Gratias tibi ago, Domine. Pro afflictionibus age gratias. Pro ipſa gehenna, pro pœnis & ſuppliciis quæ illic ſunt, gratias age. Metus enim gehennæ frenum eſt, nos a peccato cohibens.*

Mutua Chriſtianorum ſubjectio per caritatem.

21. *Subjecti invicem in timore Chriſti.* Ille Deum in nomine Jeſu Chriſti non laudat, cujus mores cum lingua non concordant. Optima laus Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt humilitatis ejus imitatio. Quicumque apud Chriſtianos aliis præfecti ſunt, intelligant ſubjectis ſuis ſe eſſe ſubjectos: per caritatem ſerviant invicem, ſicut Salvator formam ſervi accepit ut ſerviret Diſcipulis, & pedes eorum lavit. *Hoc intereſt inter Gentium Principes, & Chriſtianorum: quod illi dominantur ſubditis, nos ſervimus: & in eo majores ſumus, ſi minimi omnium fuerimus ....* Mutua ſit, quamvis diverſi generis ſubjectio. *Subjecti invicem, &c.* „ Non ſolum uxor viro, & filii parenti„ bus, & ſervi dominis: ſed etiam viri mulieribus, „ juxta officium quod præceptum eſt; & patres fi„ liis, ne illos ad iracundiam provocent; & domi„ ni ſervis, ut remittant minas, & præbeant his ne„ ceſſaria, invicem ſint ſubjecti, & hoc ex Chriſti „ reverentia faciant: ut quo modo ſervis ſuis fuit „ ille ſubjectus, ſic & hi qui majores videntur, ſub„ jiciantur minoribus ſuis, reddendo officia quæ ju„ bentur.

S. Hieron.

Uxorum erga viros officia.

22. 23. 24. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: Ipſe ſalvator corporis ejus.* Matrimonium prima generis humani ſocietas, ſancta eſſe debet, ſiquidem imago eſt ſacroſanctæ conjunctionis & ſocietatis Verbi divini cum natura humana, & ipſius Chriſti Jeſu cum Eccleſia. Auctoritas mariti in uxorem ſancta eſt, utpote participatio auctoritatis Chriſti in Eccleſiam; ea igitur auctoritate abuti maritus non debet, ſed Eccleſiam in ſponſa ſua revereri. Illi ergo ſubjici debet uxor, & Chriſtum Jeſum in marito ſuo venerari & amare. Adhæſionem & fidem inviolatam illi debet ut ſponſo: ſubjectionem & obedientiam in omnibus (Dei honore & lege ſalvis) ut capiti, ſuperiori, domino. Sic mulieres ſanctæ ſubditæ fuerunt viris ſuis. Sic Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Illi denique debet fiduciam & amorem ut ſervatori, protectori, ſuſtentatori. *Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.* Mulieris ſubjectio naturalis; vir enim ad imperium, mulier ad obedientiam condita eſt. Per peccatum ſubjectio mulieris pœnalis evaſit. *Sub viri poteſtate eris*, ait Deus, *& ipſe dominabitur tui.* Per gratiam Evangelii, jugum illud ſubjectionis ſuave redditum eſt propter imaginem Chriſti & Eccleſiæ in Chriſtiano matrimonio expreſſam. *Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.* In rebus honeſtis, & quæ Domino placent, non in peccatis, non in uſu Matrimonii contra naturam, non in occaſionibus peccandi adeundis, non in iis, quæ pietati, caritati, juſtitiæ, caſtitati conjugali contraria ſunt. non in iis quæ ſanctificationi ſuæ, aut corporis incolumitati, aut ſuo vel filiorum ſpirituali, vel temporali bono adverſantur. Mulieres viris ſuis pareant *in omnibus*, ſed *intra limites diſciplinæ*, ut loquitur Tertullianus.

Virorum erga uxores officia.

25. 26. 27. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Mariti conjuges ſuas non modo regere debent ut capita, ſed amare, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, amore ſincero, magno, conſtanti, ſancto & caſto, non ut ſcorta, ſed ut vitæ ſocias, ut matres filiorum,

Digitized by Google

1. Petri 3. 7.

rum, ut *Coheredes gratiæ vitæ*. Exemplat amoris illorum in uxores ſit amor Chriſti erga Eccleſiam: menſura, vitæ ſanguiniſque profuſio, ſi opus fuerit pro ſalute & tuitione uxorum. *Sicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea*. Finis proximus, ſponſarum ſanctificatio in hac vita. *Ut illam ſanctificaret*. Finis ultimus, ut uxorem ſuam Chriſto Jeſu ſponſam ſanctam, immaculatam, illoque dignam exhibeat, illi in gloria cœleſti conjungendam. *Sed ut ſit ſancta & immaculata*. Multi viri ſolent inhumitates uxorum ſuarum duritiæ & inhumanitati ſuæ prætexere. Hinc jubet Apoſtolus illos contemplari qualem ſponſam nactus ſit Chriſtus, & quanta caritate & patientia ſordes ejus omnes non modo non ſit dedignatus, ſed ſuo etiam ſanguine abluerit, omnem ejus deformitatem abſtulerit, illamque gratiarum & virtutum omnium decore ornaverit. „ Quamcumque

S. Chryſoſt. Hom. 20.

„ acceperis uxorem, non talem accipies ſponſam, „ qualem Chriſtus Eccleſiam, nec quæ a te tantum „ abſit, quantum Eccleſia a Chriſto. Sed tamen non „ eſt eam abominatus, nec odio habuit propter immanem deformitatem. Immo pro ea ſeipſum tradidit „ tanquam pro ſpecioſa & amabili.

28. 29. 30. *Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*. Triplex conjunctio, triplex amoris conjugalis ſtimulus. 1. Conjunctio corporum. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. 2. Conjunctio animorum. *Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit*. 3. Conjunctio myſtica & Sacramentalis ſponſi & ſponſæ in Chriſto Jeſu. *Sicut & Chriſtus Eccleſiam .... Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Uxor ſubjectionem ſuam ſanctificare, fidem ſuam commendare, ſuam reverentiam, amoremque erga virum teſtari ſtudeat. Maritus uxori

S. Chryſoſt. Hom. 20. *Mulier eſt ſecundus Principatus. Neque ipſa exigat æqualitatem honoris, eſt enim ſub capite: neque ille eam deſpiciat tamquam ſubjectam, eſt enim corpus.*

ſuæ neceſſaria in victu, veſtitu, & ornatu ſubminiſtret, luxum ejus & ambitionem non foveat: illam dirigat, non contriſtet: ſubditam teneat, non cogat ut ancillam. Mulier de capite viri formata non eſt, ne imperium ſibi arrogaret; non de pedibus, ne ancillæ in modum tractaretur: ſed de latere ut eam maritus diligere tamquam ſociam doceretur, ſine zelotypiæ perturbatione: illi complacere, ſine adulatione; illi honorem tribuere, ſine ejus elatione; illi ex caritate ſervire, ſine auctoritatis ſuæ imminutione. Alter alterius ſanctificationem Chriſtianæ vitæ exemplo promovere ſatagat. „ Tale jugum fidelium

Tertullian. lib. 2. Ad Uxorem, cap. ult.

„ duorum unius ſpei, unius voti, unius diſciplinæ, „ ejuſdem ſervitutis, ambo fratres, ambo conſervi, „ nulla ſpiritus carniſve diſcretio: vere duo in car„ ne una. *Ubi caro una, unus & ſpiritus. Simul orant, ſimul jejunia tranſigunt, alterutro docentes, alterutro ſuſtinentes. In Eccleſia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in anguſtiis, in perſecutionibus, in refrigeriis. Neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis eſt. Libere æger viſitatur, indigens ſuſtentatur, eleemoſynæ ſine tormento, ſacrificia ſine ſcrupulo, quotidiana diligentia ſine impedimento. Sonant inter duos Pſalmi & hymni, & mutuo provocant quis melius Deo ſuo cantet. Talia Chriſtus videns & audiens gaudet, his pacem ſuam mittit. Ubi duo, ibi & ipſe: ubi & ipſe, ibi & Malus non eſt.*

29. *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*.

Carnem non odit, qui macerat.

Qui carnem frigore, jejuniis, humicubationibus & vigiliis, cilicio & flagellis macerat, qui martyrio propter Chriſtum exponit, non odit eam, ſed diligit, quia hæc in bonum ejus cedunt, ut mortificata ſpiritui ſubjiciatur, & cum eo cohæreat Deo, ut Spiritus ſancti organum fiat, inſtrumentum virtutum, particeps meritorum, beatitudinis æternæque gloriæ ſocia. *Non poſſunt ſeparari in mercede quas opera conjungit. Nam & ſacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, & ſeras & aridas eſcas, & appendices hujus officii ſordes, caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat. Virginitas quoque & viduitas, & modeſta in occulta matrimonii diſſimulatio, & una notitia ejus, de bonis carnis adolentur. Age, quid de ea ſentis, cum pro Nominis fide in medium extracta, & odio publico expoſita decertat? Cum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuria mundi, ſqualore, pædore, contumelia victus: ne ſomno quidem libera: quippe ipſis etiam cubilibus vincta, ipſiſque ſtramentis laniata: cum jam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur: cum denique ſuppliciis erogatur: eniſa reddere Chriſto vicem moriendo pro ipſo, & quidem per eamdem crucem ſæpe, nedum per atrociora quoque ingenia pœnarum ... Ita caro dum miniſtra & famula animæ deputatur, conſors & coheres invenitur, ſi temporalium, cur non & æternorum?*

Tertullian. lib. De Reſurrect. Carnis, c. 8.

32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Sanctitas & unitas Matrimonii Chriſtiani, ex conjunctione Chriſti Jeſu cum Eccleſia promanarunt. Hinc gratiam haurit, & myſticam illam conjunctionem quodammodo perficit & conſummat, Eccleſiæ filios, membra Chriſto Jeſu parturiens, ejus Spiritu regeneranda. Quo pudore, qua reverentia, qua caſtitate, qua religione converſari debent Chriſtiani conjuges, ne tam ſanctum Sacramentum inhonorent & polluant? Triplex Matrimonii bonum, quo par eſt in pretio habeatur, „ Fides, „ proles, Sacramentum. In fide attenditur ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero „ concumbatur. In prole, ut amanter ſuſcipiatur, „ benigne nutriatur, religioſe educetur. In Sacramento, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus „ aut dimiſſa nec cauſa prolis alteri conjungatur. „ Hæc eſt tamquam regula Nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ re„ gitur pravitas.

Chriſtiani Matrimonii ſanctitas.

Matrimonii triplex bonum.

S. Aug. lib. 9. de Geneſi ad litteram, c. 7.

33. *Veramtamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: uxor autem timeat virum ſuum*. Unitas & fides matrimonii mutua dilectione ſervantur. Hoc officium gratuitum non eſt, ſed debitum. Fidem & caſtitatem conjugalem, quam ab uxore maritus exigit, ipſe debet uxori. „ Tu „ exigis hoc ab uxore, & non vis hoc reddere „ uxori: & cum debeas in virtute præcedere uxo„ rem, quoniam caſtitas virtus eſt, tu ſub uno impetu libidinis cadis, & vis uxorem tuam victricem „ eſſe, tu victus jacens: & cum tu caput ſis uxo„ ris tuæ, præcedit te ad Deum, cujus caput es. „ Vis domum tuam capite deorſum pendere? Caput „ enim mulieris eſt vir: ubi autem melius vivit „ mulier quam vir, capite deorſum pendet domus. „ Si caput eſt vir, melius debet vivere vir, & „ præcedere in omnibus bonis factis uxorem ſuam, „ ut illa imitetur virum, & ſequatur caput ſuum. „ Quomodo caput Eccleſiæ Chriſtus eſt, & jubetur „ Eccleſiæ ut ſequatur Caput ſuum, & ut per veſtigia ambulet Capitis ſui: ſic unuſcujuſque domus „ habet caput virum, & tamquam corpus feminam. „ Quo caput ducit, illuc debet corpus ſequi. Quare „ ergo vult caput ire, quo non vult ut corpus ſe„ quatur? Quare vult ire vir, quo non vult ut uxor „ ſequatur?

S. Aug. Serm. 9. De decem Chordis, al. 96. de Tempore, cap. 3.

CAPUT VI.

Senſus Litteralis.

1. F*Ilii, obedite * parentibus veſtris in Domino: hoc enim juſtum eſt*. Obedite parentibus veſtris, propter Dominum qui id juſſit, modo legis ejus illorum mandata non repugnent. Juſtum eſt enim, ut illis obedientiam reddas, a quibus vitam acceperis.

Filiorum erga Parentes, & parentum erga filios officia.

* Secundum vim Græci verbi, *Abſolute*, id eſt, cum omni reverentia parentum mandata audite, prompteque implete.

2. 3. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione*. ⁂ Legis naturalis præceptum eſt in Decalogo conſcriptum, non Judæos tantum, ſed Chriſtianos etiam ſpectans. Honor omne officiorum genus, ſed præſertim liberalem rerum neceſſariarum ſubminiſtrationem hic ſignificat. Confer cum *Matth.* 15. 4. & 5. & *Marci* 7. 10. 11. Quod mandatum primum eſt cui ſit adjuncta ſpecialis & expreſſa promiſſio. Id unum præceptum eſt jubens in ſecunda tabula, cetera vetantia. Præceptis vetantibus minas addi; promiſſa jubentibus, Hebræi obſervant. Hæc ſunt autem verba promiſſionis: *Ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram*; id eſt, ut feliciter, diuque vivas. Hæc promiſſio impletur vel ſimpliciter & ſecundum litteram, vel hujus beneficii commutatione in aliud majus & excellentius, ſcilicet in vitam & felicitatem æternam. „ Tem„ poralia enim (ait S. Thomas) non ſunt bona ho„ mini, niſi quatenus per ea juvatur ad ſpiritualia: „ nec fortuna bona dicenda eſt, ſi impediat a vir„ tute. Itaque diuturnitas vitæ eatenus bona eſt, „ quatenus ad ſervitium Dei eſt ordinata. Unde „ quandoque ſubtrahitur ne vitæ æternæ conſecutio„ nem impediat. *Raptus eſt*, (inquit Sapiens) *ne malitia mutaret intellectum ejus*.

Exod. 20. & *Deuteron.* 5. *ſecundum Verſ. LXX. Interpretum.*

S. Thomas, Lect. 1.

Sap. 4. 11.

4. *Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini*. Et vos patres, ne filiorum animos nimia ſeveritate, duris imperiis, verbis contumelioſis exacerberis: ſed educate illos adhibita inſtitutione & correptione benigna & ſalutari, ſecundum legem & doctrinam Chriſti.

Officia ſervorum erga dominos, & dominorum erga ſervos.

5. 6. 7. 8. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto*. Obedite dominis veſtris ſecundum carnem,

ſen

ſeu dominis temporalibus, cum magna ſolicitudine & reverentia, recto, ſincero, & ſimplici corde, Chriſti auctoritatem & perſonam in illis conſiderantes: *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo.* Non ſolum præſentibus & inſpicientibus dominis in officio veſtro ſeduli, illis autem abſentibus vel non attendentibus, res eorum & negotia parum curantes, & ſtudentes ſolum hominibus placere, qui ab oculis ſuis remota non vident: ſed ut decet ſervos Chriſti, non coacte, ſed libenter, & propenſa erga dominos veſtros voluntate eis ſervite, præcepto Dei, qui vos dominis veſtris parere jubet, obedientes. *Cum bona voluntate ſervientes Domino, & non hominibus.* Affectu benevolo illis ſervite cum fidelitate, non illorum intuitu duntaxat, ſed ob Chriſti Domini reverentiam. *Scientes quoniam unuſquiſque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber.* Siquidem fidei lumine noviſtis & certum habetis, unumquemque ſive liberum, ſive ſervum, omnis boni quod fecerit: præmium a Domino recepturum. Conditionum enim diſcrimina Chriſtus non reſpicit; nec in judicio reſpiciet. „ Oſtendit igitur Apoſtolus, dominium & ſervitutem præſenti vita circumſcribi: poſtquam vero ab hac peregrinatione exceſſerimus, non amplius ſervitutis & dominii, ſed virtutis & vitii futuram differentiam.

Chriſtum eſſe Deum, non merum hominem, Apoſtolus his verbis ſignificat.

Bonorum operum merita & merces. *Theodoret.*

9. *Et vos domini, eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* * Et vos domini, viciſſim in ſervos veſtros benevolentiam oſtendite, illos dure & acerbe non tractantes, quin potius remittentes pœnas, quas comminati eſtis, cum officio forte ſuo defuerint: ſcientes quod & vos & illi communem Dominum ac Judicem in cœlis habetis Chriſtum Jeſum, qui perſonas non reſpicit, ſed merita; nec vos abſolvet, quia domini eſtis; nec illos puniet, quia ſervi.

* Deuteron. 10. 17. & 2. Paralip. 19. 7.

10. 11. *De cetero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.* Tandem, fratres, corroboramini per Chriſtum Jeſum & per auxilium potentiſſimum & efficaciſſimum gratiæ ejus, adverſus hoſtes ſalutis veſtræ. *Induite vos armaturam * Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Induite vos omnia arma Dei ut diabolo reſiſtere poſſitis, & ſtare firmi ac imperteriti adverſus ejus inſultus, & inſidias ſeu verſutias.

* Græce πανοπλίαν. *univerſam armaturam.*

Pugna adverſus dæmones

12. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, * adverſus mundi rectores tenebrarum harum: contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Non eſt nobis pugna adverſus homines imbecillos ex carne ſcilicet ac ſanguine compoſitos, ſed adverſus angelos apoſtatas. Quibus poteſtas in hoc aere caliginoſo a Deo permiſſa eſt in pœnam vel exercitationem hominum; contra ſpiritus malos, qui in aere verſantur: „ Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt, „ inquit S. Hieronymus, quod aer iſte, qui cœlum „ & terram medius dividens inane appellatur, ple- „ nus ſit hujuſmodi ſpiritibus malis. Unuſquiſque „ autem, juxta perverſam ſuam voluntatem diverſa „ miniſteria ad tentandum homines, eiſque nocendum „ ſortita eſt. Quomodo enim in urbibus eos qui „ aliquid commiſere flagitii, videmus vel beſtias ale- „ re, vel ſecare marmora, vel mundare ſpurcitias „ cloacarum, vel præire gladiatoribus, & funden- „ do reorum ſanguini deſtinari; ita & dæmones ex „ proprii arbitrii libertate, inſidiarum, fraudium, ſce- „ lerum, atque perjurii, & reliquam vitiorum pro- „ vinciam eſſe ſortitos, ut ſint rectores tenebrarum, „ quia lucis principes eſſe noluerunt.

* Principes & Poteſtates vocat ob varietatem Ordinum e quibus ceciderunt. *S. Hieronym.*

13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* † Quæ cum ita ſint, accipite arma omnia vobis a Deo subminiſtrata, ut reſiſtere poſſitis tempore periculoſo & difficili, cum tentationes ingruunt ab hoſtibus nostri, tyrannis, hæreticis, hypocritis, diabolo malorum omnium inſtigatore; & poſtquam perfecta omnia quæ boni militis ſunt; vel, cum perfecte inſtructi & armati fueritis ad pugnam, ſtetis in prælio, ne loco cedere cogamini, aut victoria vobis e manibus effluat. „ Diem malum, diem judicii „ poſſe quoque intelligi S. Hieronymus cenſet, quan- „ do diabolus inimicus & vindex in ſua nos cupiet „ parte retinere. De qua liberabitur, qui intelligit „ ſuper egenum & pauperem. *In die enim mala liberabit eum Dominus*, (ut Pſalm. 40. ſcriptum eſt.)

† S. Hieronymus vertit. *Et univerſa operati ſtare.* S. Cyprianus Epiſt. 57. *Induite tota arma Dei, ut poſſitis reſiſtere in die nequiſſimo, ut cum omnia perfeceritis, ſtetis.*

14. 15. 16. 17. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, * & induti loricam juſtitiæ.* State ergo in prælio circumcincti lumbos veſtros ſpirituales amore veritatis quaſi baltheo, ut ad reſiſtendum erroribus parati ſitis. Mendaciorum & errorum magna laxitas eſt: veritas & bona fides hominem adſtringunt. Juſtitia ſit nobis pro thorace militari ſeu lorica pectus muniente. Juſtitiam generalem intelligit, quæ virtutes omnes complectitur. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Spiritualibus calceis, fervore ſcilicet ac zelo actiones veſtræ muniantur, ad Evangelium libere & intrepide confitendum, &, ſi ad hoc vocati fueritis, infidelibus prædicandum; utque ad Chriſtianæ vitæ iter ſine offenſione peragendum parati & expediti ſitis. *Evangelium pacis* appellatur, quia pacem & reconciliationem hominum cum Deo annunciat & affert. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela Nequiſſimi ignea extinguere.* Super omnia fide ut ſcuto firmiſſimo utamini, quo diaboli tentationes inſtar ignitorum jaculorum cor penetrantes, inflammantes & vulnerantes, retundere & extinguere valeatis. Et fiduciam in Chriſto Jeſu, ſpemque ſalutis æternæ per ipſum partam habete inſtar galeæ qua caput protegatis. *Et galeam ſalutis aſſumite; & gladium Spiritus quod eſt verbum Dei.* Et gladium ſpiritualem, ſive a Spiritu ſancto ſubminiſtratum, & per illum efficax, accipite & manu tenete. Hoc autem eſt verbum Dei, quo diabolum profligamus & in fugam vertimus. Confer eum *Pſal.* 149. 6. & *Iſai.* 49. 2.

* Iſai. 11. *Et fides cinctorium renum ejus.* Sive, ſecundum LXX. Verſionem, *Veritas cinctorium renum ejus.* Cingulum Domini, fides credentium (ait S. Hieronym.)

18. 19. 20. *Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in Spiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis.* Ut autem fortitudinem & felicem pugnæ exitum atque victoriam obtineatis, aſſiduis orationibus Deo ſupplicate, non ſolum voce, ſed fervente cordis affectu: magna ſedulitate vigilantes & perſeverantes in precibus pro omni fidelium cœtu. *Et pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Evangelii.* Pro me etiam orate, ut Deus os meum aperiens, det mihi ſermonem & gratiam annuntiandi confidenter, libere, * intrepide myſterium Evangelii. *Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam prout oportet me loqui.* Cujus propagandi gratia legatione Chriſti fungor etiam in vinculis: Deum (inquam) orate ut in exercendo legationis hujus Apoſtolicæ munere, ea libertate iiſque verbis utar, quæ Evangelii dignitati conveniant.

* Hanc Epiſtolam Romæ e carcere ſcriptam ab Apoſtolo probat hic locus.

21. 22. *Ut autem & vos ſciatis quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater & fidelis Miniſter in Domino.* Quod ſtatum meum attinet, quid agam in carcere conſtitutus, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater noſter & fidelis Miniſter Domini. *Quem miſi ad vos in hoc ipſum, ut cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra.* Quem ad vos miſi, ut ab eo diſcatis quo ſtatu ſint res noſtræ, utque vos conſoletur, ne animo deficiatis ob tribulationes quas patior Evangelii cauſa, utque vos exhortetur ad perſeverandum in fide & pietate Chriſtiana. S. Tychicus diſcipulus fuit S. Pauli, cujus meminit S. Lucas *Act.* 20. In Catalogo Hyppoliti Martyris, in Menologio Imperatoris Baſilii Porphyrogeniti, & in Sinaxario Collegii Pariſienſis Societatis Jeſu, dicitur Epiſcopus Colophonis in Aſia. Diaconum duntaxat, non Epiſcopum appellat Uſuardus in Martyrologio. Apoſtolorum diſcipulum abſque alio titulo vocant Ado & Notkerus. In Synopſi Pſeudepigrafa Dorothei dicitur Epiſcopus Chalcedonis in Bithynia: in Vita S. Auxilii Epiſcopi Solineum in Cypro, dicitur Epiſcopus Neapoleos in eadem Inſula. In Martyrologio Romano dicitur tantum diſcipulus B. Pauli Apoſtoli, ejuſque memoria apud Paphum in Cypro celebrari die 29. Aprilis.

Vide Bolland. Continuatores ad diem 29. Aprilis.

23. *Pax fratribus, & charitas cum fide, a Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.* Pacem fratribus noſtris, & caritatem fidei formam, paciſque radicem, adprecor a Deo Patre ut auctore & largitore, & Domino Jeſu Chriſto ut Mediatore, qui morte ſua hæc bona nobis promeritus eſt.

Caritatem & pacem non minus præſtat Filius quam Pater. Gratiæ nomine omne genus beneficentiæ divinæ ad ſalutem vitæ æternæ pertinentis Apoſtolus hic ſignificat.

24. *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in incorruptione. Amen.* Gratiam adprecor omnibus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum diligentibus amore caſto & incorrupto. Fiat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Senſus Moralis.

Filiorum erga parentes officia.

1. *Filii obedire parentibus veſtris in Domino: hoc enim juſtum eſt.* Pietas filialis reverentiam, obedientiam, & ſuſtentationem, omneque officii genus erga parentes imperat. Iſtud non meræ honeſtatis & urbanitatis officium, ſed ſtrictæ juſtitiæ debitum eſt. Enimvero ſi illis nos parere æquum eſt, quibus leges humanæ, ſors armorum, nativitas, aut electio propria nos ſubjiciunt: quid juſtius, quam ut illis obtemperemus, quibus jure divino, jure naturæ, & jure Gentium ſubditi ſumus? Quid juſtius quam ut eis obedientiam reddas, per quos in rerum naturam introductus es, quibus parem gratiam numquam reddere poſſis? Tria habemus a parentibus, eſſe, vivere, & diſciplinam. Ipſis ergo debemus reverentiam, ut majoribus; obedientiam, ut Magiſtris; ſuſtentationem, ut altoribus, & educatoribus. „ Ipſi „ poſt Deum fuerunt nobis auctores vitæ (inquit S. „ Chryſoſt.) quare juſtum eſt ut primi bonorum noſtrorum fructum percipiant, deinde omnes alii homines. Nam ſi quis hoc non habeat, numquam erit „ bonus & æquus in extraneos. Veruntamen ſi parentes aliquid contra Dei legem jubeant, ſi nos a meliore bono & via perfectionis avocent, ipſis minime parendum eſt. Magis obedire oportet Deo, quam hominibus. Magis obediendum primo illorum & noſtro omniumque hominum Patri, qui dat nobis vitam, & inſpirationem, & omnia. *Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?*

S. Thomas, Lect. 1. S. Chryſoſt. Hom. 21.

„ Tam pater nemo, tam pius nemo, (ait Tertullia- „ nus) Recordare tyrocinii tui diem, quo Chriſto in „ Baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba jura- „ ſti, pro nomine ejus non te patri parciturum eſſe, „ non matri. Ecce adverſarius in pectore tuo Chri- „ ſtum conatur occidere; ecce donativum, quod mi- „ litaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant. Li- „ cet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus, ubera, quibus „ te nutrierat, mater oſtendat: licet in limine pa- „ ter jaceat: *Per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Aries iſte pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus eſt muro. Mater mea & fratres mei hi ſunt, quicumque faciunt voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt; ſi credunt in Chriſtum, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo; ſi non credunt, mortui ſepeliant mortuos ſuos.*

Tertull. S. Hieronym. Epiſt. ad Heliodorum.

2. 3. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.* Religionis eſt legi Dei obedire; grati animi eſt, bene uti beneficiis acceptis; prudentiæ eſt, felicem prolixamque vitam ſibi comparare, illos honorando per quos vitam accepimus: ſed majora & excellentiora promiſſa illis qui parentes honoraverint, a Deo facta intelligimus, ſi ex fide vivimus, ſpiritualium ſcilicet æternorumque bonorum. Multos ſuiſſe certum eſt, qui & parentibus obſequentes cito mortui ſint, & in parentes impii uſque ad extremam venerint ſenectutem. Temporalis ergo longæ vitæ Judæis ut pueris & carnalibus promiſſa eſt: *Ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus tuus dabit tibi.* Sed hoc promiſſum typicum fuit, alterius ſcilicet figura, de vitæ æternæ fruitione in cæleſti Jeruſalem. „ Quærenda eſt ergo terra, quam „ Dominus repromittit & tribuit his qui ſpiritualem „ Ægyptum reliquerint, & cum omni patientia, „ magna & terribilia vitæ iſtius deſerta tranſierint, „ & vicerint reges magnos, quos percutit Dominus, „ & tranſierint in Judæam quæ lacte & melle fluit: „ & ſub Jeſu duce Jericho corruente, atque vaſtata „ Hai, quam interpretamur *abruptum*, Jeruſalem noverint, & ædificetur eis templum ſub Salomone pa- „ cifico, & poſſideant terram quæ manſuetis eſt præ- „ parata. *Beati quippe mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*; quæ vere eſt *terra viventium*. Hu- „ jus vitæ longitudinem & ſapientia habet in manu „ dextera, in ſiniſtra tenens divitias & gloriam. Honor parentibus debitus conſiſtit in reverentia & obedientia, in rerum neceſſariarum ſubminiſtratione (ut diximus) in omni officiorum genere, in ſermone de eis honorifico, in tolerandis illorum morbis, moroſitatibus, & aliis incommodis, in procuranda illorum ſalute; in ſuprema eorum voluntate exequenda, in precibus ſpeciatim pro illis fundendis, & quamdiu in hac mortali vita ſunt ſuperſtites, & poſt illorum obitum, ut Deo fruantur, eoſque in æternæ claritatis gaudio, illo donante videamus. Quemadmodum autem iis qui grati ſunt in parentes, eoſque debita reverentia & obſervantia proſequuntur, illiſque obedientiam exhibent, promiſſio facta eſt vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ; ſic ingratis impiiſque filiis graviſſimas pœnas Deus paſſim in Scripturis laceris comminatur. Chami, qui patrem ſuum Noe ebrium ac nudatum irriſit, nota maledictio in filio Chanaan. Injuriarum patri Davidi illatarum debitas pœnas dedit Abſalon, quem ob ejus ſcelus e quercu ſuſpenſum, & tribus lanceis confixum miſera morte perire voluit Deus juſtus judex. Pietatem Iſaac erga patrem Abraham, Joſeph erga Jacob, Rechabitarum erga patrem Jonadab, junioris Tobiæ erga ſenem patrem, Chriſti Jeſu erga parentes, filii ſibi proponant imitandam. In parentibus, Præceptoribus, Principibus & eorum Miniſtris, ac Magiſtratibus, revereantur & honorent auctoritatem Dei Patris, qui nos illorum miniſterio regit; ſapientiam Filii, qui illorum opera nos inſtituit & erudit; & charitatem Spiritus ſancti, qui per illos nos adjuvat & ad officium compellit.

S. Hieron.

Pſalm. 36. Proverb. 3. 16.

Exod. 21. 17. Prov. 19. 26. Prov. 20. 50. Prov. 30. 17. Ezech. 22. 7. 10.

Geneſ. 9. 2. Reg. 14.

Jerem. 35.

4. *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini.* Chriſtiana liberorum educatio, præcipuum parentum, officium eſt. Caveant ne illos intempeſtivis clamoribus & moroſitate, verbis contumelioſis, duris imperiis, iniquis præceptis, minis, ſævitia & injuſtis vel nimiis verberibus exacerbent. Eos ad omnem honeſtatem & virtutem informent: in doctrina Chriſtiana & Dei lege inſtituant: peccati horrorem illis inſpirent. Naſcentes illorum cupiditates refrænent, coerceant, & comprimere doceant; corripiant illos & emendent, ſimul atque aliquam liciti & illiciti cognitionem haurire poſſunt; non ex iræ impetu, non ex conſuetudine, ſed moderamine rationis ac prudentiæ, & caritatis impulſu illos puniant, cum neceſſe fuerit. Hoc eſt illos educare, inſtituere & corripere ſecundum Dominum. Sint liberis ſuis parentes tales, qualis Tobias extitit: dent utilia & ſalutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: tales ſint qualis Anna Samueli. Illis præluceant omnium virtutum Chriſtianarum exemplo. Pro illis orent Deum ut mandata ejus exquirant, & opere impleant; ut Deus potius illos ex hoc mundo eripiat, quam lethali peccato a ſuo amore & obſequio permittat averti. Sanctum Job imitentur ſacrificia pro filiis ſuis Domino offerentem. Caveant ne diſſoluta indulgentia & nimia lenitate ac facilitate filios perdant. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam. Si enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus ab inferno liberabis.* Negligentiam paternæ in filios diſciplinæ graviſſimo ſupplicio ultus eſt Deus in Heli ſummo Sacerdote, qui de ſella cadens retrorſum, fractis cervicibus mortuus eſt, duo filii ejus occiſi, Iſraelitæ a Philiſtæis proſtrati, Arca Domini capta, tranſlatum ab ejus familia ſummum Sacerdotium, multæque calamitates poſteris ejus illatæ, ut Dominus per Samuelem prænunciaverat. „ Curent parentes ut filii ab ineunte ætate aſſueſcant lectioni Scripturarum & piorum librorum. Doceant illos deſpicere divitias, & gloriam. Hæ maximæ divitiæ. „ Hæc per divina eloquia diſcuntur. Non quærant „ ut longam in terris vivant vitam, ſed æternam in „ cælis. Curent magis ut optimi Chriſtiani ſint, „ quam ut inſignes Oratores, Poetæ, aut Philoſo- „ phi. Ad ſalutem opus eſt moribus, non dicendi „ facultate; vitæ modeſtia, non orationis vehemen- „ tia; factis, non verbis. Hæc regnum cæleſte „ conciliant, hæc donant quæ vere ſunt bona. Ne „ exiſtimes quod ſolis Monachis opus eſt his documentis quæ ex Scripturis ſacris ſumuntur. Maxime „ enim illis opus eſt pueris qui ſeculari vitæ deſtinantur. Quomodo navis inſtructione, & gubernatore, & nautarum juſto numero non æque indiget „ in portu ac in alto mari. Educate filios in diſci- „ plina & timore Domini, & magna vobis merces „ apud Deum reponetur. Nam ſi homines qui re- „ gum faciunt ſimulacra & pingunt imagines, commendantur; nos qui Regis regum ornamus imaginem (Dei enim imago eſt homo) bonis non fruemur innumeris, divinam ſimilitudinem in filiorum „ animis & moribus exprimentes? Quando filios erudierimus ut ſint boni, ut non ſint ad iram prompti, ut non ſint injuriæ memores, ut ſint benigni, benefici, ut nihili ducant terrena & temporalia bona: hi ſunt divinæ ſimilitudinis proprii „ caracteres. Hæc ſit parentum cura. Alioqui qua „ fiducia ſtabunt ante tribunal Chriſti? Nam ſi indignus eſt Epiſcopatu, qui filios habet non recte „ inſtitutos, quanto magis regno cælorum indignus „ eſt?

Parentum erga filios officia.

Tobiæ 4.

1. Reg. 1.

Job. 1. 5.

Proverb. 23. 13. 14. Vide & Eccli. 30. 1. 5. 9. 10. 11. 12. 13. 1. Reg. 3. 3. & 4.

S. Chryſoſt. Hom. 21. in hanc Epiſtolam.

1. Tim. 3.

5. 6. 7. 8. *Servi, obedite dominis carnalibus.* Servi reverentiam & obedientiam dominis ſuis debent, reverentiam non exteriorem ſolum ſed interiorem & ſinceram, non timore objurgationis & pœnæ, ſed offenſæ: *cum timore & tremore.* Ex animi propen-

Servorum erga dominos officia.

Digitized by Google

ſione dominis ſuis ſervire, eorum utilitatibus intendere; illis obſequi ſine contradictione, ſine murmuratione, bona & ſimplici voluntate: *In ſimplicitate cordis veſtri*. Ex affectu benevolentiæ, ut amicis, non ut extraneis, aut inimicis. In illis gratiam vel fidem, auctoritatem & perſonam Chriſti Domini revereri: *Sicut Chriſto*. Officio ſuo fungi non ſolum ut hominibus placeant ſub quorum ſunt oculis, ſed Deo qui corda intuetur. Chriſti Domini gloriam, magis quam domini temporalis ſervitium intueri; ſe gerere in omnibus ut Chriſti Jeſu ſervos; heris non ſervire ad peccatum, & in iis rebus quæ legi divinæ quovis modo repugnant. *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti*. Conditionem ſuam, quamvis humilem, diligere, quia hæc eſt voluntas Dei, hic providentiæ ejus ordo, ut ſervi ſint: *Facientes voluntatem Dei ex animo*. Se Chriſti ſervos cogitare, quos pretioſo ſanguine ſuo redemit, ac proinde jus habet in eo ordine conſtituendi, & ad ea officia deſtinandi in corpore ſuo myſtico, quæ voluerit. Cum animi diſpoſitione digna Jeſu Chriſto, cui ſerviunt, laborare, & heris ſuis famulari. *Cum bona voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus*. Moleſtias & labores ſervitutis ferre cum gaudio, ſpectatores non mercedem & remunerationem temporariam a dominis carnalibus retribuendam, ſed vitæ æternæ præmium, ſervis æque ac dominis a Deo paratum ac rependendum, ſi Chriſtiane vixerint, & ſuæ conditionis officiis bene perfuncti fuerint. *Scientes quoniam unuſquiſque, quodcumque fecerit bonum hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber*. Servi igitur *ſuam ſervitutem quodammodo liberam faciant, non timore ſubdolo, ſed fideli dilectione ſerviendo .... Non vult te ſuperbum facere Chriſtus, non ideo Chriſtianus effectus es, ut dedigneris ſervire. Cum enim Chriſto jubente ſervis homini, non illi ſervis, ſed illi qui juſſit*. Non dixit Chriſtus, Indignum eſt ut juſtus ſerviat iniquo, ſed ut corroboraret ſervum. ait: *Exempla meo ſervi, prior ſervivi iniquis. Si Dominus cœli & terræ, per quem facta ſunt omnia, ſervivit indignis, rogavit pro ſævientibus, & furentibus, & tamquam Medicum ſe exhibuit adveniens (Nam & Medici & arte & ſanitate meliores ſerviunt ægrotis;) quanto magis non debet dedignari homo ex toto animo, & ex tota bona voluntate, cum tota dilectione ſervire Domino etiam malo?*

S. Aug. lib. 19. De Civit. Dei, cap. 15. & Enarrat. in Pſal. 124.

9. *Et vos domini, eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis: & perſonarum acceptio non eſt apud Deum*. Chriſtianus dominus ſpectare ſe ac gerere debet ut ſervum domeſticorum ſuorum ſecundum Deum, ut eorum in Chriſto fratrem, ut ejuſdem corporis membrum, ut ejuſdem ſupremi Domini ſervum. *Quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis*. Dominorum erga ſervos officia ſunt benevolentia ſincera & charitas, cura illorum, cum in neceſſitatibus animæ, tum corporis; diſciplina & correctio manſuetudine temperata. *Remittentes minas*. Qui in ſervos ſuos durus & immiſericors eſt, qua ratione miſericordiam a Deo expectare poteſt? Si in Lege veteri ſervi benigne tractati fuere, quia Deus ſibi eos acquiſiverat educendo ex Ægypto: quanto nunc magis, cum idem Dominus & dominos & ſervos a ſervitute multo duriore liberaverit? *Tametſi corporum ſit diverſa conditio, nobis tamen ſervi non ſunt; ſed eos & habemus & dicimus ſpiritu fratres, religione conſervos*. Præclara ſancti Auguſtini ſententia: *In domo juſti viventis ex fide, & adhuc ab illa cœleſti Civitate peregrinantis, etiam qui imperant, ſerviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi; nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia. Hoc naturalis ordo præſcribit, ita Deus hominem condidit*. Dominetur, *inquit*, piſcium maris, & volatilium cœli &c. *Rationalem factum ad imaginem ſuam noluit niſi irrationalibus dominari: non hominem homini, ſed hominem pecori. Inde primi juſti paſtores pecorum magis quam reges hominum conſtituti ſunt: ut etiam ſic inſinuaret Deus, quid poſtulet ordo creaturarum: quid exigat meritum peccatorum .. Conditio quippe ſervitutis jure intelligitur impoſita peccatori. Proinde nuſquam Scripturarum legimus ſervum, antequam hoc vocabulo Noe juſtus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura ... Hominibus autem illa pacis ordine quo aliis alii ſubjecti ſunt, ſicut prodeſt humilitas ſervientibus, ita nocet ſuperbia dominantibus*. Chriſtianos dominos, quorum ſuperbia & immitis eſt in ſervos dominatio & Philoſophus Ethnicus damnabit. *Servi ſunt*, inquit, *imo homines, imo contubernales, imo humiles amici, imo conſervi. Arrogantiæ Proverbium eſt, Totidem eſſe hoſtes, quot ſervos. Non habemus illos hoſtes, ſed facimus. Sic tu cum inferiore vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem velles vivere*.

Dominorum erga ſervos officia.

Levit. 25. 42.

Lactantius.

S. Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 14. & cap. 15.

Geneſ. 9. 25.

Seneca Epiſt. 47.

11. 12. 13. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli*. Chriſto Jeſu ex omni parte induti & armati eſſe debemus, ut ſalutis noſtræ inimico reſiſtamus. Omnes virtutes Chriſtianæ nobis neceſſariæ ſunt adverſus diabolum pugnaturis. Si vel ex una parte nudi & inermes ſimus, mortifera vulnera excipiemus. Terrenas opes, tranſitorios honores, vitam ipſam corporis exponere non dubitemus, ut vitam animæ, ut gratiam & caritatem, qua in Deo & de Deo vivimus, tueamur adverſus dæmonum inſidias, quorum ſpiritualis natura, numerus maximus, terribilis poteſtas, regnum longe lateque diffuſum, mille nocendi artes, nequitia conſummata; qui nos in omni loco, omni tempore, omnibus modis obſident, infeſtant, impugnant. *Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus*. „ Rectores mundi dixit, quia ipſi regunt dilectores mundi. Talem mundum illi regunt, qui non cognoſcit Chriſtum. Contra hos habemus inimicitias perpetuas. Quaslibet habeas inimicitias adverſus hominem, cogitas finire, ſive illius ſatisfactione, ſi ipſe te læſit, ſive tua, ſi ipſe læſiſti; ſive alterutrius, ſi invicem læſiſtis; laboras ſatisfacere & concordare: cum diabolo autem & angelis ejus nulla concordia eſt. Ipſi nobis invident regnum cœlorum. Miteſcere omnino non poſſunt. Plus illi vigilaverunt ad decipiendum, quam ego ad cuſtodiendum me. Ubique ſcandala, ubique muſcipulas poſuerunt ..... Ob quam cauſam fortius laborandum eſt, ut qui audivimus: *Ego elegi vos de mundo*, & jam *de mundo non eſtis; ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret*: Non redeamus ad mundum, nec ſubjiciamur ei: ſed crucifigatur nobis mundus, & nos ei, ut rector lucis Jeſus proprio mundo nos copulet, & ſub Patris faciat eſſe ditione, erutos de ſpiritualis nequitiæ poteſtate. Niſi Dominus nos omnibus armis ſuis induat & protegat; niſi gratia ſua nos muniat, nec pugnare, nec reſiſtere diabolo poſſumus in die malo, in hac mortali vita, quæ dies mala eſt, quia militia eſt & tentatio continua, ex qua felix vel infelix æternitas pendet. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die mala, & in omnibus perfecti ſtare*. Si tam difficile bellum eſt, ſi tales ſunt acies, ſi mundi rectores, ſi ſpiritualia nequitiæ, quomodo in deliciis indulges, quomodo laxus es & diſſolutus? Quomodo inermes ſuperare poterimus? Hæc unuſquiſque ſibi dicat quotidie, quando ei dominatur ira, libido, avaritia, ambitio: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem ſed adverſus principes & poteſtates &c*. Hoc bellum eſt ſenſibili gravius, pugna vehementior. Attende qua ratione pugnes, qua ratione vincas. Quomodo luctabimur cum tenebris? Si lux facti fuerimus. Quomodo cum ſpiritualibus nequitiæ? Si boni facti fuerimus. Quod ſi ipſi quoque ſimus tenebræ, omnino capiemur & ſuperabimur. Quomodo ergo ipſos ſuperabimus? Si quod illi ſunt a natura, effecti fuerimus ex virtute, neque extra carnem & ſanguinem. Nullam hoſti demus anſam qua nos apprehendat. Divitiæ dant ei anſam, ambitio, voluptates, ſæpe eum erigunt. Conculcemus diaboli potentiam, omnibus animi perturbationibus ac vitiis conculcatis, ut gratia Dei operante conteratur Satanas ſub pedibus noſtris.

Difficile perpetuumque bellum contra dæmonem Chriſtianis gerendum.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſal. 76. n. 7.

S. Hieron. in hunc locum Joan. 15. 19

S. Chryſoſt. Hom. 22.

14. 15. 16. 17. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate*. Stare debet ad prælium ſemper paratus, qui ab hoſte non vult intercipi & proſterni. Lumbos veritate ſuccingat, ut illuſionibus diſſipatis, & libidine carniſque voluptatibus devictis, vera ſtabiliaque bona, & caſtas virtutis delicias conſectetur. Juſtitiæ amore velut lorica protectus & undique contectus, nihil cogitet, nihil expetat, niſi quod juſtum eſt. Et bonæ conſcientiæ fiducia illum in omnibus tentationibus intrepidum ſecurumque præſtabit. *Induti loricam juſtitiæ*. Ne affectu moveatur unquam ad peccatum, ſed ferventi ſtudio Chriſtianæ perfectionis tendat ad Deum per vias duras Evangelii, paratus ſemper ad currendum quocumque illum Dei voluntas vocaverit, caritas impulerit, ad colendum Deum, ad benefaciendum proximo, ad pacem hominum cum Deo, & inter ſe invicem conciliandam, qui finis eſt Evangelii. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*. Fidem habe e loco clypei, quo multiplices variaſque tentationes rerum proſperarum & adverſarum, illecebrarum & malorum hujus vitæ, cupiditatis & timoris repellas. Fides enim Deum præſtat auxiliatorem, belli præmia referat, victorum præconia, & coronas eorum qui fortiter ſe geſſerunt. *In omnibus ſumentes ſcutum fi-*

Theodoret. in Comment.

Armatura Chriſtiana.

Præparatio Evangelii vita optima, inquit S. Chryſoſt. Homil. 24.

dei, in quo poſſitis omnia tela Nequiſſimi ignea exſtinguere. Se Chriſtum caput & Salvatorem habere certus, & attendens ad omnia quæ pro ſalute noſtra & geſſit mira, & dixit magna, & pertulit dura, in ſpem erigatur; & tentationes omnes diffidentiæ ac deſperationis repellat. *Et galeam ſalutis aſſumite.* Verbo Dei tamquam gladio ſpirituali contra humani ingenii illuſiones, mundi errores, & dæmonis ſuggeſtiones utatur: & diabolum in fugam convertet. *Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Nam *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Et qui, hujus ſpiritualis enſis donum habet, & quæ Dei ſunt loquitur, Spiritus malos expugnat, eorumque inſultus facile repellit.

Hebr. 4. 12.

Orationis vigilantia.

18. *Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis.* Arma ſpiritualia quæ ad hoſtes ſalutis noſtræ vincendos gratia Dei ſubminiſtrat, humilis, fervens, aſſidua, & perſeverans obtinet oratio. Vigilare debet cor noſtrum, ne in ipſa oratione tentationes ſubrepant, quæ nos avocent a Deo & ad terrenas curas & negotia mentem deprimant, ne muſcæ morientes perdant ſuavitatem unguenti: *Quando ſtamus ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet quod precatur. Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſincera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt alienari & capi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris; quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te a Deo audiri poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cum rogas; quando tu ipſe memor tui non ſis? Hoc eſt ab hoſte in totum non cavere, majeſtatem Dei negligentia orationis offendere: hoc eſt vigilare oculis & corde dormire; cum debeat Chriſtianus & cum dormit oculis, corde vigilare. Unde ſcriptum eſt:* „Ego dormio, & cor meum vigilat.“ *Quapropter ſolicite & caute Apoſtolus admonet dicens:* Inſtate orationi vigilantes in ea; *docens ſcilicet & oſtendens, eos impetrare quod poſtulant de Deo poſſe, quos Deus videat in oratione vigilare.* Orandum in ſanctorum communione pro univerſali Eccleſia & omnibus ejus membris, Deo ſupplicandum eſt pro omnibus ejus neceſſitatibus, ut eam regere, conſervare, propagare, defendere, perficere, & conſummare dignetur. *In omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis.* „Ante omnia pacis Doctor atque unitatis Magiſter „ſingillatim noluit & privatim precem fieri, ut „quis cum precatur, pro ſe tantum precetur.“ *Publica eſt nobis & communis oratio: & quando oramus, non pro uno, ſed pro toto populo oramus; quia totus populus unum ſumus. Deus pacis & concordiæ Magiſter qui docuit unitatem, ſic orare unum pro omnibus voluit, quo modo & in uno omnes ipſe portavit.*

S. Cyprian. De Orat. Dom.

Pro omnibus Chriſti membris orandum.

S. Cyprian. ibidem.

19. 20. *Et pro me, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere Myſterium Evangelii: pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam prout oportet me loqui.* Pro Paſtoribus, Prædicatoribus, & Miſſionariis Apoſtolicis, omnibuſque Operariis Evangelicis præſertim orandum eſt, ut illis Deus os aperiat, non vanitas & auræ popularis captandæ ſtudium, non Dignitatum Eccleſiaſticarum & Beneficiorum ambitio, non cupiditas bonorum temporalium & pinguis honorarii. Ut Deus de illis linguam eruditam, ſermonem aptum & efficacem ad opus ſuum perficiendum, ſapientiam & argumenta quibus reſiſtere non poſſint adverſarii fidei: ut oratione, & ſtudio Scripturarum ſacrarum, lectione ſanctorum Patrum diſcant quod populo Chriſtiano prædicent, *diſcant* (inquam) *cor Dei, in verbis Dei.* Ut verba ipſa, dicendique modum convenientem Evangelii dignitati det illis Spiritus ſanctus: ſermonem Apoſtolicum, non Academicum. Quid enim Athenis commune cum Hieroſolymis? Quid Academiæ cum Eccleſia? Sermonem ad perſuadendum, ad movendum, ad flectendum auditorum animos, ad peccatores ad Deum convertendos idoneum. *Ut detur mihi ſermo in apertione oris mei.* Ut palam, cum ſancta libertate, nihil ab hominibus ſperantes, nihil timentes, Fidei, Moraliſque Chriſtianæ puritatem doceant ac prædicent. *Cum fiducia.* Religionis Myſteria, doctrinamque Evangelicam, ſine ulla interpolatione, aut rerum profanarum admixtione auditoribus tradant & prædicent: non proprios ſenſus, propriaque cogitata venditantes & oſtentantes, ſed ſenſus a Spiritu ſancto ſanctis hominibus Dei inſpiratos, & Eccleſiæ traditos fideliter reddentes & aperientes. *Notum facere Myſterium Evangelii.* Ut denique tamquam Dei legati in omnibus ſe gerant, & loquantur, ſecundum lumen & prudentiam Spiritus, non ſecundum prudentiam ſæculi, nulliſque tribulationibus a ſui Miniſterii functionibus deterreantur. Sunt enim hæc Miniſtrorum Chriſti Jeſu ſtipendia. *Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipſo audeam, prout oportet me loqui.*

Pro Paſtoribus & omnibus Operariis Evangelicis orandum.

S. Gregor. M.

23. 24. *Pax fratribus, & charitas cum fide, a Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.* Pacis & charitatis inæſtimabile bonum hereditas noſtra eſt, adoptione Dei Patris, redemptione Chriſti Jeſu, inhabitatione Spiritus ſancti donatum Chriſtianis, qui fratres merentur vocari. Nullum bonum hoc excellentius Paſtores ovibus ſuis hoc in ſæculo poſſunt adprecari. Pacem & caritatem in illis conſervare & augere pro viribus laborent, extinguere diſſidia, ſedare inimicitias, lites componere & unire. Fidem ſine charitate erga Deum, erga proximos, erga ipſos inimicos, nihil ad ſalutem prodeſſe, illis inculcent & perſuadeant. *Pax fratribus, & charitas cum fide.* Pax fructus eſt caritatis: utriuſque radix gratia, ſine qua Deum diligere non poſſumus. Caritas in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum diffuſa, frequentibus dilectionis actibus & ſanctis operibus meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. Bona omnia ad ſalutem æternam pertinentia expectare licet a Chriſto Jeſu iis qui illum amore caſto, incorrupto, & conſtanti diligunt; non diligentibus vero malorum omnium cumulus, æterna ſcilicet damnatio timenda. *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in incorruptione.* Quis diligit Dominum Jeſum Chriſtum in incorruptione? Qui ea ſola amat & proſequitur, quæ diligit Chriſtus; qui ea ſola odio habet & refugit, quæ Chriſtus averſatur: Qui non amat divitias, gloriam mundi, voluptates, ſed paupertatem, humilitatem, caſtitatem, crucem ac mortificationem, bona incorruptibilia. Qui odio habet ac refugit peccatum, quæ eſt animæ corruptio. Sicut enim virginem corrumpi dicimus, ita & animam. Propterea & Paulus alibi ait, *Ne corrumpantur ſenſus veſtri:* &, *Corrupti mente.* Dilectionem igitur erga Chriſtum oſtendamus tum per vitæ puritatem, tum per hoc quod incorruptibilia bona inquiramus: per vitam denique omni virtute conſpicuam, quæ incorruptam ſervat animam in Chriſto incorruptibili Sponſo Virginum & incorruptarum animarum: Cui laus, honor & gloria in ſæcula. Amen.

Pacis & caritatis inæſtimabile bonum.

Theophylact.

2. Cor. 11. 3.

2. Tim. 3. 8.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM
S. PAULI APOSTOLI
AD PHILIPPENSES,
COMMENTARIUS
LITTERALIS ET MORALIS,

PRÆFATIO.

HÆC Epiſtola eodem anno ſcripta quo ſuperior, & ex eodem carcere quo Romæ detinebatur Apoſtolus propter Evangelium Jeſu Chriſti. Philippi, Macedoniæ primaria civitas, a Philippo Rege Macedoniæ condita, & ex ejus nomine appellata. Philippenſes a S. Paulo Apoſtolo, cum primum in Macedoniam cœleſti monito ingreſſus eſt, converſi, ſingulare in illum ſtudium demonſtrarunt ac opere comprobarunt, illi Romæ vincto ſubſidium mittentes, quo ſe in carcere ſuſtentaret, quod & antea fecerant Theſſalonicæ degenti. Act. 16. Detulerat ſubſidium illud Epaphroditus, qui cum ex gravi morbo convaluiſſet, ab Apoſtolo remiſſus eſt ad ſuos cum hac Epiſtola, qua ipſis conſtantiam in fide & caritate gratulatur. Suum cum illis gaudium communicat de fructu Evangelico vinculorum ſuorum, quæ facta eſſe celebria ſcribit in toto Prætorio, nonnullis ex Cæſaris etiam Domo ad Chriſti Jeſu fidem converſis. Hortatur ipſos ad mutuam dilectionem, concordiam, & humilitatem, exemplo Chriſti, qui ſemetipſum humiliavit, & in præmium humilitatis ſuæ nomen accepit a Patre omni nomine auguſtius & ſublimius. Monet ipſos ne Pſeudo-apoſtolis Ceremonias Legis Moſaicæ cum Evangelio conjungendas eſſe ſuadentibus fidem adhibeant. Illos denique ad perſeverantiam, ſpiritale gaudium, orationem & pacem hortatur, & pro miſſo ſubſidio gratias agit, illorum caritatem commendans.

C A P U T I.

Senſus Litteralis.

Timothei nomen ſuo adjungit in ſalutatione, quod in utroque Philippos itinere Paulum eſſet comitatus, notus ob id charuſque Philippenſibus.

1. 2. P*Aulus & Timotheus, ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus.* Paulus & Timotheus in Miniſterio Evangelii Jeſu Chriſto ſervientes, omnibus Chriſtianis ad ſanctam Philipporum Eccleſiam pertinentibus, nec non Epiſcopis & Diaconis totius regionis, cujus Metropolis eſt Philippi, *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* * Gratiam & pacem a Deo Patre noſtro, & a Domino Jeſu Chriſto vobis adprecamur. Epiſcoporum nomine ſignificantur & Presbyteri, ſiquidem Presbyteratus in Epiſcopatu ut ſuperiori Ordine, primoque Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradu continetur. Vel, Epiſcopi nomen Apoſtolicis temporibus Presbyteris etiam commune fuit, ut ex *Act.* 20. 17. & 28. & *Ad Titum* 1. 5. colligunt Græci Commentatores.

* Patris & Filii una gratia, una pax. *S. Chryſoſt. Hom.* 1. *Theodoret. Theophylact. Oecumen.*

3. 4. 5. *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communicatione veſtra in Evangelio Chriſti a prima die uſque nunc.* Semper veſtri memor cum gaudio in omnibus orationibus meis, gratias ago Deo meo, quod Evangelii prædicationem receperitis, & in fide Chriſti ad hanc uſque diem inconcuſſi permanſeritis. Vel: Gratias ago, quod ſubſidium contuleritis ad Evangelium Chriſti prædicandum & propagandum, Miniſtris ejus, & mihi imprimis ſubminiſtrando neceſſaria a prima die converſionis veſtræ ad præſens uſque tempus.

Subventionem Apoſtolus paſſim *communicationem* vocat, *Rom.* 12. 13. 2. *Cor.* 8. & 9. *Galat.* 6. 6. *Philipp.* 4. 14. 15. *Hebr.* 13. 16.

6. *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Perſuaſus ſum enim & firmam habeo fiduciam, quod Deus qui cœpit in vobis bonum opus per gratiam ſuam, illud perficiet, donans vobis perſeverantiam in fide, charitate, & ſancta converſatione, uſque ad adventum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.

Secundum Græcum, *Socios gratiæ meæ vos eſſe.* Τῆς Χάριτος Gratiam ſuſtinendi perpeſſionis ſuas vocat: Pro Chriſto enim pati, magna gratia eſt.

7. *Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & in confirmatione Evangelii, ſocios gaudii mei omnes vos eſſe.* Et juſtum eſt ut ita ſentiam & confidam de omnibus vobis, & ſollicite pro vobis orem ac gratias agam Deo, eo quod intimo cordis affectu vos complectar, ut vinculis meis compatientes, ut ſocios & participes gaudii mei in defenſione & confirmatione Evangelii, quam captivitas & tribulationes non impediunt, ſed juvant, quia verbum Dei non eſt alligatum.

Viſcera ſignificant intimum affectum amoris aut miſericordiæ, ſecundum loquendi modum Scripturæ ſacræ.

8. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.* Deum cordium ſcrutatorem teſtem appello, quod vos tenere diligam, non illo communi, humano & carnali amore, quo ſe homines diligere ſolent, ſed amore Chriſtiano, quatenus membra Chriſti eſtis, cujus dilectione, & miſericordiæ donis vos dignos effici vehementer deſidero.

9. 10. 11. *Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu.* Et hoc a Deo poſtulo, ut caritas veſtra creſcat in dies, ac ſcientia ſalutis, prudentiaque & diſcretione in agendis magis ac magis illuſtretur, dirigatur, perficiatur: *Ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti.* Ut quid rectum ſit intelligatis, & in quibuſvis rerum circumſtantiis, quæ meliora ſunt, & ſaluti convenientia eligatis: ut dignoſcatis quænam ſit vera doctrina, quæ falſa & erronea, nec a Pſeudo-apoſtolis decipiamini. Ut fides, intentioque veſtra, puræ ſint & incorruptæ, integræ, nulla permixtione errorum, nulla hypocryſi depravatæ. Ut inoffenſo curſu pergatis in via mandatorum Dei, & in bonis operibus uſque in diem adventus Chriſti, id eſt, ad finem uſque perſeveretis. *Repleti fructu juſtitiæ * per Jeſum Chriſtum, in laudem & gloriam Dei.* Ut bonis operibus, quæ ſunt juſtitiæ fructus, per gratiam & merita Jeſu Chriſti abundetis, non ad veſtram gloriam, ſed ad laudem & gloriam Dei, cujus dona ſunt.

* Secundum Textum Græcum, *Repleti fructibus juſtitiæ.*

12. 13. 14. *Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelii.* † Vos certiores facio, quod ea quæ mihi acciderunt adverſa, perſecutio, captivitas & vincula mea, tantum abeſt ut Evangelii curſum & profectum impediverint, ut eum magis promoverint. *Ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Prætorio, * & in cæteris omnibus.* Ita ut in Aula Imperatoris, & omnibus Romanis civibus notum eſſet, me ſolius Chriſti cauſa vinctum eſſe, & præberetur illis occaſio inquirendi quale eſſet Evangelium propter quod hæc patior. *Et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui.* Et plures Chriſtiani, ſumpta ex vinculis meis fiducia, videntesque me læto animo ærumnas ſuſtinere, Evangelium intrepide prædicarunt.

† *Profectum Evangelii* vocat multitudinem credentium.

* Aula Imperatoris, *Prætorium* dicebatur.

Chriſtianos vocat *fratres in Domino*, ut a Judæis diſtinguat, quos fratres ſecundum carnem ſolebat appellare.

15. 16. 17. *Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant.* Sed non idem eſt omnium ſcopus, nec eodem omnes affectu moventur ad Evangelium prædicandum. Quoſdam enim ad id impellit invidia & contentioſa indoles. Gloriæ enim noſtræ ex conſtantia prædicationis in ipſis vinculis, & ex tanto Evangelii profectu in urbe Imperii principe, promananti invident, & Evangelii Romam invecti laudem ad ſe transferre, ſeque in ejus prædicatione præ nobis excellere contendunt: Quidam autem bono animo id faciunt, propter Chriſti glo-

tiam, hominumque ſalutem. *Quidam ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Evangelii poſitus ſum.* Quidam charitatis impulſu Chriſtum annuntiant, mihi in Evangelii propagatione cooperari ſtudentes, & vinculorum meorum impedimentum ſupplere, cum certo noverint me propter Evangelii defenſionem in carcere detineri, & ad illud prædicandum a Deo vocatum eſſe. *Quidam * autem ex contentione Chriſtum annuntiant, non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Quidam vero Chriſtum annuntiant contentionis & æmulationis ſtudio, ut gloriam aucupentur, meque deprimant, non recta & pura intentione: ſeque novam afflictionem mihi vincto inferre exiſtimant. Sed oppido falluntur.

* Quidam, non hæretici, non Gentiles, aut Judæi, ſed falſi fratres, ut ex Verſibus 14. & 18. compertum eſt.

18. *Quid enim? Dum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur; & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Quid enim intereſt, dum Chriſtus annuntietur, ſive per ſpeciem pietatis, bonique zeli, & rectæ intentionis, cum re vera gloriæ humanæ & lucri cauſa, Evangelium prædicent, utque vincula mea novi (ut exiſtimant) mœroris acceſſu reddant graviora; ſive ſincere & recta intentione id agant; gaudeo de bono illo quod Deus per ipſos operatur, ſcilicet, quod Chriſtus annuntietur infidelibus, & quod Evangelium propagetur, & ea de re perpetuo gaudebo. Amore gloriæ corrupti erant, quos hic Apoſtolus notat, quod per invidiam & contentionem, non caſte Chriſtum annuntiarent; quibus tamen prædicantibus gaudet, *ſciens fieri poſſe ut dum illi ſectantur humanæ gloriæ cupiditatem, tamen his auditis fideles naſcerentur, non ex eorum invida cupiditate, qua ſe volebant vel æquari vel anteponi Apoſtolicæ gloriæ, ſed per Evangelium, quod etiamſi non caſte, tamen annuntiabant, ut de malo illorum Deus operaretur bonum: ſicut fieri poteſt ut homo ad concubitum non ingrediatur voluntate generandi, ſed luxuriandi libidine rapiatur, & tamen naſcatur homo, bonum Dei opus de fœcunditate ſeminum, non de turpitudine vitiorum.*

S. Auguſt. lib. 2. Contra Fauſtum, cap. 40.

19. 20. *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutem per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritus Jeſu Chriſti.* Perſuaſum enim habeo & confido, invidiam & contentionem, quæ illos ad prædicandum Evangelium impellit, ut gloriam meam obſcurent, mihique moleſtiam creent, mihi profuturam ad ſalutem, dum fervorem conſtantiamque majorem in Miniſterio Apoſtolico inter preſſuras & afflictiones donabit mihi Deus precibus veſtris exoratus, ſuumque & Jeſu Chriſti Spiritum, cujus virtute corroborer & perſeverem, mihi ſubminiſtrabit. *Secundum expectationem & ſpem meam, quia in nullo confundar, ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.* Firmiter ſpero id ita futurum, nec expectationem meam fruſtratum iri: libere & intrepide me prædicaturum & defenſurum Evangelium, ut ante hac feci per gratiam Dei. Et nunc me vinculis alligato, ſicut ſemper ab initio Apoſtolatus mei, glorificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive me ex hoc periculo evadere, & vivere contingat, ſive mori. Si enim vixero, corpus meum impendam & conſecrabo laboribus Evangelicis in honorem Chriſti: ſi moriendum ſit, corpus meum Chriſto devovebo & immolabo ut hoſtiam illi gratam, & Evangelium ſanguine meo obſignabo. Utrumque autem in ſalutem meam cedet, gloriamque mihi apud Deum & homines pariet immortalem.

21. *Mihi enim vivere Chriſtus eſt, * & mori lucrum.* Vita enim mea Chriſtus eſt, propter Chriſtum vivo, ejus obſequiis totum quod ſum, quod vivo, quod moveor & ago, conſecratum eſt: & mors mihi lucrum eſt vitæ melioris & beatæ, maxime ſi pro Chriſto moriar.

* Id quo moventur homines ad operandum, dicunt vitam ſuam, ut venatores venationem, & amici amicum. Cum ergo Chriſtus ſit principium vitæ noſtræ & operationis, merito ait Apoſtolus: *Mihi vivere Chriſtus eſt.*

22. 23. 24. *Quod ſi vivere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro.* Quod ſi in hac vita mortali ſim adhuc permanſurus, hæc erit occaſio fructum majorem afferendi Eccleſiæ miniſterio meo, plurimos ad Chriſti fidem adducendo. Quod ſi res ita ſe habeat, adeo bonum meum ſaluti proximorum non præpono, ut etiam dubitem utrum e duobus eligam, vivere, an mori. Et vitæ me tenet deſiderium, ut vobis proſim: & mortis, ut cum Chriſto verſer. Difficilis ergo mihi eſt optio, quanto & vitæ novi lucrum, & dilectius ex hoc mundo ineffabilem voluptatem. *Coarctor autem e duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto * multo magis melius: Permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.* Diſtineor ac trahor in diverſa, hinc deſiderio Chriſti, illinc amore fratrum. Deſidero quidem vehementer ſolutionem animæ meæ a corpore, ut ſim cum Chriſto, & Deo fruar: quod mihi longe melius: In hac autem vita aliquandiu adhuc permanere, & evangelicis inſiſtere laboribus, neceſſarium eſſe video propter veſtram aliorumque fidelium ſalutem. „ O admirabilem Apoſtoli caritatem! Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

* Animæ juſtorum ex hac vita ſine purgatorio migrantium, ſtatim beatâ Dei viſione fruuntur.

S. Auguſt. Tract. 9. in Epiſt. 1. S. Joannis.

Iſtam Epiſtolam ex primis vinculis e quibus ereptus eſt Apoſtolus ſcriptam eſſe, ex hoc loco perſpicuum eſt. Quod S. Chryſoſt. Theodor. & Oecumen. confirmant.

25. 26. *Et hoc confidens ſcio quia manebo & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei.* Et hac fiducia fretus, ſcio me adhuc manſurum in vita, & apud vos juſto tempore ad profectum veſtrum & utilitatem ſpiritualem, & gaudium fidelium, qui me ex vinculis liberari & adhuc ſervari in bonum fidei vehementer deſiderant. *Ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto Jeſu in me, per meum adventum iterum ad vos.* Ut cum vobis fuero reſtitutus, gratulari vobis poſſitis, & in Chriſto Jeſu gloriari, ſive gratias illi agere. Vel, Ut glorier amplius in Chriſto Jeſu de fidei pietatiſque veſtræ incrementis.

27. *Tantum digne Evangelio Chriſti converſamini: ut ſive cum venero & videro vos, ſive abſens audiam de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii.* Interim vos hortor ut vitam veſtram ad Evangelii doctrinam componatis, ut ſive præſens vobis fuero, ſive abſens a vobis, audiam cum gaudio veſtram in divinis rebus conſenſionem, & in mutua dilectione perſeverantiam, in pietate conſtantiam, communeque veſtrum omnium ſtudium, concertationem, labores pro fide Evangelii.

28. *Et in nullo terreamini ab adverſariis: quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc a Deo.* Audiam etiam cum incredibili animi voluptate, vos ab hoſtibus Evangelii, ſive Chriſtianum nomen aperte perſequentibus, ſive doctrinam Evangelii fraudulenter corrumpere conantibus, nullatenus terreri, ſed ſtare intrepidos: quæ perſecutio & oppugnatio Evangelii illis cauſa perditionis eſt, vobis autem occaſio ſalutis, Deo fidem veſtram, patientiam, fortitudinem, & perſeverantiam, quæ ſunt ejus dona, coronante.

29. 30. *Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* Vobis enim ex gratuita Dei miſericordia donatum eſt per Chriſti merita, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo adverſa quæque patiamini. *Idem certamen habentes quale & vidiſtis in me: & nunc audiſtis de me.* In ſimili certamine conſtituti, & iiſdem expoſiti perſecutionibus & periculis, quibus & olim me impeti vidiſtis in urbe veſtra, & nunc me premi Romæ auditis. *Utrumque ergo ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium, quia utrumque dixit Apoſtolus eſſe donatum.*

Ipſum fidei initium eſt Dei donum, contra Semipelagianos.

Act. 16.

S. Auguſt. lib. De Gratia & Libero Arbitrio, cap. 14.

CAPUT I.

Senſus Moralis.

1. P*Aulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis,* &c. Quam honorifica, quam ſuavis Chriſti Jeſu ſervitus! De illa gloriabantur Apoſtoli, cum vel ipſum ejus nomen probro & dedecori eſſet apud Judæos & Gentes: & nos modo pudebit Chriſti ſervos appellari? At ſin minus de nomine, de operibus & officiis tam glorioſæ ſervitutis erubeſcemus? Servus eſt peccati, ſervus mundi, ſervus cupiditatum ſuarum, ſervus diaboli, quicumque refugit ſervum eſſe Jeſu Chriſti. *Quam multos dominos habet, Qui unum refugerit! Sed nos non refugiamus. Quis refugiat eum, quem ſequuntur alligati vinculis, ſed non illis voluntariis, quæ ſolvunt, non alligant, quibus vincti vinculis gloriantur dicentes:* „ Paulus vinctus Jeſu Chriſti, & „ Timotheus. " *Glorioſius ab hoc ſtringimur, quam aliis abſolvimur & relaxamur. Quis igitur fugiat patrem? Quis fugiat ſalutem? Quis fugiat miſericordiam? Quis fugiat redemptionem?* Nulla major dignitas, nulla ſuavior voluptas, quam ſervire Chriſto Jeſu. Felix ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed caritas ſervit!

Chriſto Jeſu ſervire, glorioſum & ſuave eſt.

S. Ambroſ. Epiſt. 63. nova Edit. a. 96.

2. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Gratia in terris, pax in cœlis, patrimonium eſt filiorum Dei, a Patre promiſſum, a Filio ejus Jeſu Chriſto redemptum. Hoc a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto certa cum fiducia expectemus. Gratia & pax inchoantur & creſcunt in terris, conſummantur in cœlis. Patris & Filii una eſt gratia, una eſt pax: ſed hæc gratia & pax fructus eſt Spiritus. *Et bona pax & neceſſaria, ut nemo diſputationum turbetur incertis, neque paſſionum corporalium tempeſtate quatiatur: ſed ſimplicitate fidei, & tranquillitate mentis quietus circa Dei cultum perſeveret affectus.* Gratia & pax fructus eſt Evangelii, non Legis. Hinc Moſes typus Legis

Gratia & pax; patrimonium filiorum Dei.

S. Ambroſ. lib. 1. De Spiritu ſancto, c. 12.

in

Digitized by Google

in terram promiſſam non intravit; quia iſta Evangelio gratia debebatur. *Lex pacem non poterat dare; ideo Moyſes quoad vixit, ſemper præliatus eſt: ſemper Legis populus in acciptis bellorum eſt: Jeſus autem Nave plebis animos profunda pace compoſuit, quoniam qui ſub Lege eſt, agitatur incertis: qui ſub Evangelio audit dicentem:* „ Pacem relinquo vobis, pacem „ meam do vobis. “ *Ideoque diligentibus non eſt ſcandalum.*

Idem Serm. 21. in Pſal. 118. n. 20.

3. 4. 5. *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri: ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communicatione veſtra in Evangelio Chriſti.* Gratiarum actio unum eſt ex præcipuis Chriſtianæ Religionis officiis. Illud qui negligunt, divina beneficia parvifaciunt, Deum ſummum benefactorem non honorant. Pro omnibus beneficiis quotidianæ gratiarum actiones ſunt agendæ, maxime in Sacrificio pretii noſtri, in quo Sacerdos ita præfatur: *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Quid enim Domino retribuere poſſumus pro omnibus quæ retribuit nobis, niſi ſacrificium laudis & gratiarum actionis holocauſſum in ara cordis, igne ferventis caritatis? Non ſolum autem pro nobis, ſed pro omnibus fidelibus gratias nos agere Deo noſtro dignum & juſtum eſt: quia ejuſdem corporis membra ſumus, & gratiæ dona ſingulis collata quaſi nobis privatim data eſſent reputare debemus, ac de illis in Domino collætari. Cum ergo infideles ad Chriſti fidem adductos, cum peccatores ad pœnitentiam, cum juſtos in gratia & virtute proficere; cum in Eccleſia bonum aliquod inſigne geri ad Dei gloriam cernimus vel audimus, ex intimo cordis affectu Deo gratias agamus. Id prætertim agant Paſtores pro ovibus ſuis. Felices Præpoſiti & Rectores animarum, ſi nihil viderent in ovibus ſuis vel ſubditis regimini ſuo, quod non eſſet dignum gratiarum actione, ut Paulus in Philippenſibus. *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri.* In cunctis orationibus, privatis, publicis, vocalibus, mentalibus, Deo ferventer ſupplicant, ut dona ſua in illis cuſtodiat, & in dies augeat; ut illorum inopiæ ſpirituali ſubveniat; ut illos vitam agere donet Evangelio dignam, ſanctam, qualis erat vita primorum Chriſtianorum. Dent viciſſim operam fideles ut converſatione ſua, morum probitate, fideique ac pietatis conſtantia ſpiritale gaudium Paſtoribus & Præpoſitis ſuis pariant. *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, ſuper communicatione veſtra in Evangelio Chriſti.* Ille tantum Deo, ut par eſt, gratias agit, cujus Dominus Deus ejus: qui vere Deum diligit, & dicere poteſt cum Sponſa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille mihi, *quia benignus & miſericors eſt*: ego illi, quia non ſum ingrata. *Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia: ille meæ liberationi, ego illius honori: ille ſaluti meæ, ego illius voluntati: ille mihi & non alteri, quoniam una ſum columba ejus: ego illi & non alteri, non enim audio vocem alienorum. Putamus ne in nobis quempiam eſſe, cui aptari queat quod dicitur?*

Gratiarum actio unum ex præcipuis Chriſtianæ Religionis officiis.

Cantic. 2. 16. S. Bernard. Serm. 68. in Cantica.

6. *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Initium & progreſſus, perfectio & perſeverantia ſanctorum, dona ſunt Dei in cordibus illorum operantis, non humanæ voluntatis ſecundum vires ſuas ſpectatæ fructus. *Quis enim etſi parvam dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur ut perficiens.* Orationibus ſuis Dei gratiam ſe promeritum nemo præſumat, quia gratiam orationis non eſt promeritus. *Oratio humilis divinum promeretur auxilium, compunctio cordis vulnera ſua reſpicit, oratio medelam ſanitatis expoſcit. Et ad hæc quis idoneus? Quis enim vel orare competenter valeat, niſi Medicus ipſe nobis initium deſiderii ſpiritualis infundat? Aut quis perſeverare in oratione queat, niſi Deus in nobis hoc quod cœpit, augeat; quod ſeminavit, enutriat; & quod miſericordia præcedente gratis donavit indignis, ad effectum perfectionis miſericordia ſubſequente perducat?* Nemo præſumat de perſeverantia, quæ ſingulare Dei donum eſt: in Dei tamen auxilio firmiſſimam ſpem collocet ac reponat unuſquiſque fidelium. *Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficit, operans velle & perficere. Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus & vigiliis, in eleemoſynis & orationibus.* Quiſquis ergo bene operari incœpit, dicat cum Propheta: *Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelſi*: & Deum ſine intermiſſione humiliter ac ferventer oret, ut miſericordiæ ſuæ opus in eo perficiat.

Gratiæ dona prorſus gratuita.

S. Aug. lib. de Gratia & Libero Arb. cap. 17.

S. Fulgentio epiſt. ad Probam, de Oratione.

Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 13.

7. 8. *Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione & confirmatione Evangelii ſocios gaudii mei vos eſſe.* Qui erga proximos ex charitate bene eſt affectus, bene de ipſis ſentit: Prout enim quiſque affectus eſt, ſic judicat. Juſtum eſt ut de illis bene ſentiamus, & illos in bono perſeveraturos confidamus, quos ad omne opus bonum promptos, in omni virtute exercitatos videmus. Paſtores, Præpoſiti, Moderatores conſcientiarum, oves ſuas, ſubditos ſuos, filios ſuos ſpirituales intima ſinceraque dilectione proſequi debent, ſed amore ſpirituali, non carnali, amore ex Chriſti viſceribus derivato, ex ejus caritate profecto, amore ſimili ei quo nos dilexit Chriſtus: illos habere in corde, ut Chriſti viſceribus illos inſerant, ut ad illum ducant: *Ad illum enim debemus & quos diligimus ducere, & a quibus diligimur duci.* Omnem dare operam ut Chriſto adhæreant & conjungantur, non ſecus ac filii qui matris utero geſtantur & confoventur. Illos diligere non propter ſua commoda, vel ob officia ſibi ab illis impenſa, non ob humanas rationes, ſed hoc in illis amare quod Chriſtiani ſunt, quod pii ſunt, quod in caritate & bonis operibus proficiunt. Non aliquibus tantum, ſed omnibus, non divitibus dumtaxat, ſed pauperibus; non nobilibus ſolum, ſed plebeiis, paternum amorem oſtendere, curam æqualem impendere in iis quæ ſunt æternæ ſalutis. *Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.* Non cupiditate, ſed judicio & caritate alios aliis præponere, ut Paulus Philippenſes. *Quantæ illud eſt laudis Pauli corde continere, qui non temere, ſed recto judicio, quos dignos exiſtimaſſet, more proſequebatur?* „ Ea ſola dilectio „ dicenda eſt, quæ vera eſt, alioqui cupiditas eſt. *Hæc eſt vera dilectio, ut inhærentes veritati juſte vivamus.. Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo. Propter aliud ſi nos diligimus, odimus potius quam diligimus.* Charitas ovium erga Paſtores efficere debet ut eorum bonis operibus, afflictionibuſque communicent, Tribulationum participatio, gaudii & gratiæ ſocietas eſt: Unde *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Et Apoſtolus alter: *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Ex tribulationum ſuarum participatione de Philippenſium perſeverantia & ſalute felix omen ſumit Apoſtolus. „ Nam qui vos (inquit) fueram „ expertus, optimeque omnium vos & veſtra bene„ facta noveram, qui vel tanto a nobis intervallo „ ſejuncti, omnem contentionem adhibetis ne cala„ mitatibus a nobis ſejungamini, ſed periculorum, „ quæ pro Evangelio ſubeunda ſunt, participes ſitis, „ & procul poſiti nihil minus me ipſo habeatis qui „ in certamina ipſa deſcendi, æquum plane eſt ut „ hæc relinquam teſtata... Hæc igitur initia ſidem „ mihi faciunt, vos uſque ad finem tales fore. Vix „ enim fieri poteſt ut principium adeo ſplendidum „ extinguatur atque evaneſcat; ſed magnos quoque „ ac præclaros exitus præſtat. Quoniam igitur alia „ quadam ratione licet eſſe participem gratiæ & periculorum & calamitatum, ſimus nos quoque par„ ticipes. Licet, ſi vultis, facile illud aſſequi. Quo„ modo? Si iis qui Apoſtolico Miniſterio funguntur, „ qui pro Chriſto male excipiuntur, ſubſidium ala„ criter feratis: Vides periclitari fratrem, manum „ porrige. Vides Paſtorem & Doctorem perſecutio„ nem pati propter defenſionem veritatis aut pieta„ tis, ſuccurre. Nemo quidem eſt Paſtorum & Mi„ niſtrorum Evangelii cum Paulo comparandus, ſed „ idem eſt Evangelium quod & hodie prædicatur, „ eadem veritas quæ ſuos etiamnum impugnatores „ & defenſores habet. Qui autem Evangelii cauſa perſecutionem, calumnias, exilia, carceres patiuntur, Evangelicam veritatem perpeſſionibus ſuis & patientia confirmat. Tribulationes *Evangelii confirmationem* jure merito appellavit Apoſtolus. „ Qui „ enim decipere aggrediuntur, pro temporibus mu„ tantur, nec falſum defendere ad mortem uſque „ ſuſtinent. Qui autem pro prædicatione innumera„ bilia pericula ſuſcipit, & in eiſdem perſiſtit, aper„ te oſtendit ſe vera docere, & doctrinam confirmat „ perpeſſionibus. Perſecutiones pro veritate toleratæ, *æternæ gloriæ pignora ſunt. Bonorum mens*, ait S. Gregorius, *quo duriora pro veritate tolerat, eo æternitatis præmia certius ſperat: tanto namque in Deum ſpes ſolidior ſurgit, quanto pro illa quiſque graviora pertulerit, quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione ſeminatur.*

Paſtorum erga oves ipſis concreditas ſanctus amor.

S. Auguſt.

Theophylact.

S. Auguſt. lib. 8. De Trinit. cap. 7. Idem Serm. 336. alias De Tempore 256. c. 2.

Act. 5. 41.

Jacobi 1. 2.

S. Chryſoſt. Hom. 1. in hanc Epiſtolam.

Ovium erga Paſtores, & Evangelicos Operarios caritas.

Theodoret. in Comment.

S. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 12.

9. 10. 11. *Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu.* Qui vult

ani-

Scientiæ cum caritate conjunctio.

animabus dominati, cæcam ab illis obedientiam exigit: qui ſervit illis propter Deum, dat operam ut ambulent in viis ejus cum ſcientia & prudentia. Scientia quæ in charitate non creſcit, præſtringit mentis oculos, non illuminat: charitas quæ ſcientiam & prudentiam adjunctam non habet, facile impingit & cadit. Populum e captivitate Ægyptiaca eductum fuiſſe in *manu Moyſi & Aaron* Propheta teſtatur.

Pſalm. 76. 21.

„ Ad exeundum de Ægypto non ſufficit una manus Moyſi, quæritur & manus Aaron. Moyſes indicat ſcientiam Legis, Aaron ſacrificandi Deo & immolandi peritiam. Opus eſt ergo ut exeuntes de Ægypto non ſolum ſcientiam legis & fidei, ſed operum quibus Deo placetur fructum habeamus. Etenim ſi exiens de Ægypto, & converſus ad Deum abjiciam ſuperbiam, per manus Aaron taurum ſacrificavi. Si petulantiam laſciviamque peremero, hircum Domino jugulaſſe me Aaron manibus credam. Si libidinem vicero, vitulum; ſi ſtultitiam, ovem immolaſſe videbor. Hæc ergo cum animæ vitia purgantur, manus Aaron operatur in nobis: & Manus Moyſi nobiſcum eſt, cum ad hæc ipſa intelligenda illuminamur ex lege. Et ideo utraque manus neceſſaria eſt de Ægypto exeuntibus, ut inveniatur in eis non ſolum fidei & ſcientiæ: ſed & actuum operumque perfectio. Ideo Seraphim Iſaiæ viſa *duabus alis volabant*. Alæ illæ *agnitio & devotio*, quibus in eum, qui ſupra ipſos eſt, Seraphim rapiuntur.

Origenes Hom. 27. in Numeros.

Iſai. 7. 22.

Levat quippe cognitionis ala, ſed ſola non ſufficit. Ruet citius qui una tantum ala volare contendit: & quo magis attollitur, pejus colliditur ... Ubi vero intelligentiam caritas, agnitionem devotio comitatur, volet ſecure quiſquis ejuſmodi eſt, volet ſine fine, quia volat in æternitatem. Satagite igitur ut creſcatis in cognitione & amore officiorum veſtrorum, *Ut probetis potiora*, ut non humanarum opinionum figmenta & illuſiones, quæ veſtris cupiditatibus blandiuntur, ſed legis divinæ ſtrictos apices ſequamini in rebus ſalutis; & in dubiis arctiori & tutiori viæ, quæ ducit ad vitam inſiſtatis: *Ut ſitis ſinceri*, mente, corde, intentione, verbis, operibus, Chriſto ut ſponſæ caſtiſſimæ placere ſtudentes, non ſolum graviora peccata, vitiorum monſtra ſollicite

S. Bernardus Serm. 4. De Verbis Iſaiæ.

S. Paulinus Epiſt. Ad Celantiam inter Epiſtolas S. Hieronymi.

Sapientia 6. 19. 20.

„ fugientes & caventes, ſed vel minimas Dilecti offenſas; non tam conſiderantes quod juſſum ſit, quantum quis juſſerit, nec quantitatem imperii, ſed imperantis cogitantes dignitatem, *Cura enim diſciplinæ, dilectio; & dilectio cuſtodia legum illius eſt, cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt: incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.* Ideo Apoſtolus noſter addit: *Ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa.* His ſtudiis impetrabimus perſeverantiam, quam mereri non poſſumus. Vigilandum, orandum, bonis operibus jugiter inſiſtendum eſt. *Uſque in diem Chriſti*, uſque ad finem vitæ inoffenſo pede in via piccatis pergendum: ut Chriſto plenos juſtitiæ fructus, quos a nobis expoſcit, offeramus; non flores, ſed fructus; non aliquarum duntaxat, ſed omnium Chriſtianarum virtutum: non aliquot dierum, menſium, vel annorum, ſed totius vitæ; non immaturos, ſed perfecta caritate quæ plena & perfecta juſtitia eſt, ad maturitatem perductos. *Repleti fructu juſtitiæ*,

Studere debemus ut fructibus juſtitiæ pleni ſimus in adventu Chriſti.

Quod repletum eſt, nihil præter id ex quo repletum eſt recipit. Ut igitur repleti fructibus juſtitiæ Chriſto Domino ſiſtamur, demus operam ut nihil ſit in nobis præter fructus juſtitiæ, bona ſcilicet opera, non pecuniæ æſtus, non voluptatum ſtimulus, non ambitionis ardor, non odiorum malignitas, non invidiæ aculeus, non conviciorum furor, non ſuperbiæ amentia, non cetera quæ diaboli ſemina ſunt, & malarum arborum germina. Ut autem pleni juſtitiæ fructibus in die Chriſti ſimus, ei ſemper adhærendum eſt amore caſto, quia vacui & ſine fructu inveniemur, niſi Sol juſtitiæ Chriſtus bona opera in nobis produxerit. *Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Id verbis illis ſancti Patriarchæ ſignificatur: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Niſi enim Dominus animæ noſtræ benedixerit, eamque gratiæ ſuæ rore irrigaverit ac fœcundaverit, juſtitiæ fructus non dabit. Hinc Sponſa pulcherrimos & ſuaviſſimos horti ſui fructus cœleſti Sponſo acceptos refert: *Veniat*, inquit, *dilectus meus in hortum ſuum, ut comedat fructus pomorum ſuorum.* Sed cavendum ne juſtitiæ fructus inanis gloriæ verme corroſi putreſcant. Unam igitur Dei gloriam in bonis operibus proponere nobis debemus, hanc ſolam exquirere & deſiderare. *In gloriam & laudem Dei.*

Geneſ. 27. 27.

Cantic. 5. 1.

12. 13. 14. *Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Prætorio.* Opera Dei, Miniſtrorum ejus tribulationibus promoventur & firmantur. Quæ ab hominibus opponuntur impedimenta, media ſunt quibus utitur Deus ad æterni conſilii ſui executionem. *Eccleſia perſecutionibus crevit, Martyriis coronata eſt.*

Opera Dei tribulationibus Miniſtrorum ejus ſæpe promoventur & firmantur.

Tertullian.

Auctor librorum De Vocatione omnium Gentium lib. 2. cap. 15.

„ Fremebant gentes, iraſcebantur populi, ſæviebant Reges, & Poteſtates contradicebant, ſuperſtitiones, & totius mundi reluctabantur errores, ſed de reſiſtentibus, furentibus, perſequentibus, populum ſuum Chriſtus augebat, & per vincula ac ſupplicia morteſque Sanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque univerſum mundum Dominicæ ſegetis multiplicabatur ubertas: Tanta enim deſuper præbebatur conſtantia fidei, fiducia ſpei, fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus ſanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus poſſet extingui; cum & qui cruciabantur vehementius ardeſcerent, & qui ſæviebant, eamdem quam perſequebantur, flammam ſæpe conciperent ... Hæc charitas diffuſa per Spiritum ſanctum, fecit ut mundus fidelium mundum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorumque poſt eos Principum rabiem, glorioſo innumerabilium Martyrum ſine confudit, donante Chriſto imitatoribus ſuis, de perſecutionibus Regum æternarum ſtemmata coronarum. Paulus vinculis ſuis in Aula Neronis & tota Urbe celeber evaſit, Apoſtolica libertate & invicta fortitudine Chriſtianæ fidei cauſam agens. Nero non credidit, ſed in ipſa Neronis Aula trophæum de idololatria in quibuſdam ejus domeſticis devicta Paulus erexit. Aulæ ingenium cum Chriſti Spiritu, mores aulicorum cum Evangelio non conveniunt. Fœdæ cupiditates, turpiſſima vitia in penetralibus Regum pullulant plerumque, & inficiunt aulicos. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum.* Si Chriſtiana fides ea pateretur vitia quæ in aula ut plurimum regnant, Chriſto & Apoſtolis Reges credidiſſent. *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii, aut ſi Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.* Magnanimitas, ſancta libertas, invictaque fortitudo Pauli non ſolum filios plurimos Jeſu Chriſto Romæ peperit, ſed impeterritos fidei Confeſſores & Evangelii Prædicatores effecit. *Et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui.* Paſtorum, Prædicatorum, & Doctorum patientia in tolerandis pro Catholicæ Veritatis defenſione tribulationibus & ærumnis ferenda eſt. Unde hæc Prophetæ verba illis jure accommodantur: *Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi, & bene patientes erunt ut annuntient.* Quem locum tractans S. Gregorius ait: *Bene patientes ſunt ut annuntiens, quia cœleſtia prædicantes, tanto robuſtius adverſa tolerant, quanto & per tolerantiam ſuam animarum commoda lucri ſui reportant.* Paſtores, Doctores, Prædicatores veritates Fidei Moraliſque Chriſtianæ, ubi a Novatoribus impugnantur, etſi in ſæculo potentibus, immo terribilibus, ſine timore loquantur & defendant Apoſtoli Pauli exemplo & vinculis animati. Chriſti comminatione magis terreantur: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua.*

Pſalm. 104. 30.

Tertullian. Apologet. cap. 21.

Pſalm. 91. 16.

S. Gregor. M. lib. 35. Moral. cap. 10.

Luc. 9. 26.

S. Fulgentius lib. 1. Ad Traſimundum.

„ Nec immerito talis ſervus & abjicitur & punitur, quoniam uno eodemque ſilentio firmat errorem, qui terrore ſeu torpore poſſeſſus, ſilentio non adſtruit veritatem. Dominicam quoque gloriam qui non firmarit, evacuat, & divinam contumeliam qui non refutarit, accumulat. Plerumque miles ignavus regia caſtra, ſomnolento torpore depreſſus, oppugnantibus tradit, dum competentibus excubiis non defendit .... *Cum de Deo res agitur, non levis reatus eſt, ſi quod ad ſalutem pertinet, taceatur.* Ita namque nos oportet credere ad juſtitiam, ut oris confeſſio fiat pariter ad ſalutem: quoniam verbum Dei non eſt vinctum. Huc accedit, quod illud divinæ præceptionis oraculum omnis Eccleſiaſtici Prædicatoris perſonam, non tantum fidei, ſed etiam ſervitii quadam communione perſtringit: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.*

Iſai. 58.

Quinam Concionatores ſincere Chriſtum annuntiant.

15. 16. 17. 18. Ad verbi divini Miniſterium variis ſtudiis & affectibus Concionatores impelli, maximum eſt an [illegible] lacrymis deflendum. Quoſdam excitat invidia famæ alienæ & æmulatio gloriæ præſtantiſſimorum & celeberrimorum Evangelii Præconum; nonnullos ſtudium contentionis; quoſdam occulta malitia, ut aliis ad Miniſterium Evangelicum vocatis moleſtiam creant; quoſdam ambitio & popularis applauſus ſtudium, deſiderium ad Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica perveniendi: alios cupiditas & amor lucri temporalis: paucos admodum caritas de corde puro & conſcientia bona. Illi ſoli ſincere prædicant Evangelium, qui unum Dei regnum, unam animarum ſalutem concionibus ſuis quærunt; qui Hierarchicum ordinem colunt, & ſub Epiſcopis unanimu-

nimiter in doctrina ſana & pietate promovenda collaborant; qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti; qui ab adulatione procul remoti ſunt; qui nihil ſperant præter Deum partem unicam hereditatis ſuæ; nihil timent, quam illi diſplicere; quibus tota gloria, tota utilitas, unum gaudium eſt, Chriſtum annuntiare, & regnum ejus propagare. *Quidam quidem & propter invidiam . . . Quidam & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant, non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* „ Quod annuntiant rectum eſt, ſed qui annuntiant, non ſunt recti. Quare non eſt rectus? Quia aliud quærit in Eccleſia, non Deum quærit. Si Deum quæreret, caſtus eſſet; quia legitimum maritum anima Deum habet. *Quiſquis a Deo præter Deum aliquid quærit, non caſte Deum quærit.* Videte, fratres, ſi uxor amat maritum quia dives eſt, non eſt caſta. Non enim maritum amat, ſed aurum mariti. Si autem maritum amat, & nudum amat, & pauperem amat. Si enim propterea amat, quia dives eſt; quid ſi proſcribatur, & ſubito egens remaneat? Renuntiat illi forte, quia quod amabat, non maritus erat, ſed res ejus. Si autem vere maritum amat, etiam pauperem plus amat quia cum miſericordia amat... Qui ergo annuntiant Deum, amantes Deum, paſcunt oves, & non ſunt mercenarii. Ipſam caſtitatem exigebat ab anima Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quando dicebat Petro, *Petre amas me?* Quid eſt, *Amas me?* Caſtus es? Non eſt cor tuum adulterum? Num tua quæris in Eccleſia, ſed mea? Si ergo talis es; & amas me, *Paſce oves meas.* Non enim eris mercenarius, ſed Paſtor. *Quid enim? Dum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur; & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* „ Veritas eſt Chriſtus; veritas a mercenariis occaſione annuntietur, veritas a filiis veritate annuntietur: filii æternam hæreditatem Patris patienter exſpectant, mercenarii temporalem mercedem conducentis feſtinanter exoptant: mihi humana gloria, cui mercenarios invidere video, minuatur; & tamen per linguas & mercenariorum & filiorum divina Chriſti gloria diffametur, cum ſive occaſione, ſive veritate Chriſtus annuntietur.

S. Auguſtin. Serm. 137. alias 49. De Verbis Domini, cap. 8.

S. Auguſt. Tract. 40. in Joann. num. 6.

19. *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutem, per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritus Jeſu Chriſti.* Per Spiritum Jeſu Chriſti & adverſis & proſperis rebus bene utimur, omnia nobis proveniunt ad ſalutem, inimicorum noſtrorum invidia, contentiones, odia, calumniæ, perſecutiones. Invocandus eſt humiliter, ferventer, perſeveranter. Deſideriis, gemitibus, & orationibus Eccleſiæ ſubminiſtratur; qui in illa deſiderat, gemit & orat. Meritum & præmium mercenariorum transferetur ad veros Paſtores, & caſtos Evangelii Miniſtros. Ipſa illorum invidia ſinceris verbi divini Præconibus ſalutaris eſt; illorum impedimenta, Deo in bonum conatus improbos convertente, adjumenta fiunt veritatis. *Vel inviti veritatis hoſtes veritatem adjuvant.*

Theodoret.

20. 21. *Secundum exſpectationem & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſive per vitam, ſive per mortem.* Bono Paſtori & Evangelii Miniſtro nihil antiquius eſt, quam Miniſterium implere ſuum. Nulli eventus, nullæ res adverſæ libertatem ejus, pacem, ſpem atque fiduciam convellere vel labefactare poſſunt, cum operi Dei ſe inſiſtere certus eſt. Quid nobis contingat, divitiæ an paupertas; libertas, an ſervitus; gloria, vel ignominia; hominum favor & benevolentia, an odia, maledicta, calumniæ, ſanitas, an morbi; mors, an vita, nihil intereſt, modo Chriſtus in nobis & a nobis glorificetur, ut in Apoſtolo, & ab Apoſtolo Paulo. Non eſt in arbitrio victimæ eligere quomodo Deum honoret. Gloria ejus eſt ad Dei gloriam immolari & conſumi. Faciat quod voluerit de hoſtia ſua. Gaude hoſtia rationabilis & exſulta, quia ubique ſecura es, & ubique illæſa. „ Si tentaris, proficis; ſi humiliaris, erigeris; ſi pugnas, vincis; ſi occideris, coronaris; in ſervitute libera; in periculo tuta; in cuſtodia læta; in morte vivens. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.* „ Si enim pericula ſuperavero, omnes admirabuntur eum, qui me ex talibus & tantis laqueis eripuerit: ſin autem interemptus fuero, admirabuntur omnes virtutem prædicationis, quæ efficit ut Prædicatores vel mortem ipſam contemnant. " *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat.* Alia lectio habet: *Sapientia jugulavit filios ſuos.* „ Sapienter utique jugulavit, dum in vitam, & rationaliter, dum in gloriam. O parricidii ingenium! o ſceleris artificium! o argumentum crudelitatis, quæ idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit! o bonam matrem! Opto & ipſe in filios ejus redigi, ut ab ea occidar. Opto occidi, ut filius fiam. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Chriſti Miniſtri, & Chriſtiani omnes ſe ut victimam Chriſto devovere debent.

Teodoret.

Eccli. 4. 12.

Tertullian. Scorpiac. cap. 7.

Mors lucrum eſt homini, qui cum nonniſi pro Chriſto Jeſu vixerit, vitam ſuam in illo moriendo invenit. „ Non negat Apoſtolus naturalem ſe vitam vivere, ſed eam quæ peccatorum eſt, quam omnes homines vivunt. Nam qui præſentis vitæ cupidus non eſt, quomodo hanc vivit? Qui ad alteram feſtinat, quomodo hanc vivit? Qui mortem contemnit, qui nihil ex iis quæ in hoc mundo ſunt amat, quomodo hanc vivit? Qui nihil eorum quæ ad hanc vitam faciunt, curat: iis nec vivit. Nos hanc vitam vivimus, qui pro illa omnia facimus. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum:* Quoniam major mihi illius notitia erit, & familiarius cum ipſo verſabor. Nihil in me durius facient, qui interfecerint, ad meam me emittentes vitam, & ab hac quæ mihi apta non eſt, liberantes. „

S. Chryſoſt. Hom. 3.

Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. „ Aliud ad neceſſitatem vitæ, aliud ad mortis utilitatem refert. Chriſtus enim nobis vivere eſt, cui ſervimus, cui oportet ut a ſanctis ſuis in Evangelii prædicatione deferatur obſequium. Denique & Simeon qui ait: *Nunc dimittis ſervum tuum,* propter Chriſtum exſpectabat. Chriſtus enim Rex noſter eſt; & ideo quod Rex jubet, deſerere non poſſumus & contemnere. Quantos Imperator terræ hujus in peregrinis locis aut honoris ſpecie, aut muneris alicujus cauſa jubet degere? Numquid hi inconſulto Imperatore diſcedunt? Et quanto amplius eſt divinis parere, quam humanis? Vivere ergo Sancto Chriſtus eſt, & mori lucrum. Unde Apoſtolus quaſi ſervus non refugit vitæ obſequium, & quaſi ſapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum eſt enim evaſiſſe incrementa peccati, lucrum fugiſſe deteriora, & ad meliora tranſiſſe. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Quid eſt Chriſtus, niſi mors corporis, Spiritus vitæ? Et ideo commoriamur cum eo, ut vivamus cum eo. Sit quidam quotidianus uſus in nobis affectuſque moriendi, ut per ſegregationem a corporeis cupiditatibus anima noſtra ſe diſcat extrahere, & tamquam in ſublimi locata, quo terrenæ adire libidines, & eam ſibi glutinare non poſſint, ſuſcipiat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat. Repugnat enim lex carnis legi mentis, & eam legi erroris addicit. Omnes impugnamur, omnes ſentimus, ſed non omnes liberamur. Et ideo infelix ego homo, niſi remedium quæram. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Habemus Medicum, ſequamur remedium. Remedium noſtrum Chriſti gratia eſt, & corpus mortis corpus eſt noſtrum. Ergo peregrinemur a corpore, ne peregrinemur a Chriſto: etſi in corpore ſumus, tamen quæ ſunt corporis non ſequamur.

S. Ambroſ. lib. De Bono Mortis, c. 2.

Quotidianus uſus moriendi.

S. Ambroſ. lib. de Fide Reſurrectionis, num. 40.

Rom. 7. 24. 25.

Mortis bonum.

„ *Mori lucrum.* Non ergo formidabilis mors, nec amara egentibus, nec gravior divitibus, nec injuſta ſenioribus, nec ignava fortibus, nec perpetua fidelibus, nec improviſa ſapientibus. Quam multi enim vitam ſolo mortis titulo conſecrarunt, quantos vivere puduit, mori profuit! Morte unius plerumque accepimus maximos populos liberatos: morte Imperatoris fugatos exercitus hoſtium, quos vivus vincere nequiviſſet. Morte Martyrum Religio defenſa, cumulata fides, Eccleſia roborata eſt: Vicerunt mortui, victi perſecutores ſunt. Itaque quorum vitam neſcimus, horum mortem celebramus . . . . . . Quid plura? Unius morte mundus redemptus eſt. Potuit enim Chriſtus non ſi mori, voluiſſet: ſed neque refugiendam mortem quaſi ignavam putavit, neque melius nos quam moriendo ſervaſſet. Itaque mors ejus vita eſt omnium.

Idem Ambr. ibid. n. 44. & ſeq.

„ *Mori lucrum.* Prævaricatione damnata in labore diuturno, gemituque intolerando vita hominum cœpit eſſe miſerabilis: debuitque dari finis malorum, ut mors reſtitueret quod vita amiſerat. *Immortalitas enim oneri potius quam uſui eſt, niſi aſpiret gratia* . . . . . Non naturæ mors iſta eſt, ſed malitiæ; manet enim natura, malitia moritur. Reſurget quod fuit: atque utinam ut jam peccandi liberum, ita vacuum culpæ prioris! Plane mors timeatur, ſed ab illis qui dicere non poſſunt, *Mihi vivere Chriſtus eſt:* non ab illis qui nihil magis timent quam Deum offendere; nihil magis dolent, quam peccandi periculis ſemper expoſitos eſſe. *Non eſt timendum, quod nos liberat ab omni timendo.*

22. 23. 24. *Quod ſi vivere in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro.* Felix qui vitam parvipendit, niſi Chriſto fructuoſa ſit. Felices Paſto-

Tertull. lib. De Teſtim. Animæ.

Vita parvipendenda, niſi Chriſto fructuoſa ſit.

Paſtores, Concionatores, Doctores, omneſque Eccleſiæ Miniſtri ac Viri Religioſi, qui vitam ſuam inutilem arbitrantur, niſi Chriſto & Eccleſiæ ſerviant, non in otio, ſed in laboribus continuis pro illuſtratione, defenſione, & confirmatione veritatis, pro incremento pietatis, pro animarum ſalute. Felices, quibus ita dominatur charitas, ut hinc deſiderio ad Chriſtum migrandi, & cum illo in æternum vivendi, illinc ardore ſerviendi Eccleſiæ & animarum ſaluti, illecti, accenſi, abrepti hæreant in ancipiti quid eligant, & totum divinæ voluntati committunt, a qua unice pendere ſummo ducunt honori & felicitati. *Coarctor autem e duobus, deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.*

S. Gregorius, Hom. 15. in Ezechielem.

„ Eorum, qui ſic affecti ſunt, anima per amorem Sponſo inviſibili jungitur, ut ejus deſiderio ardeat, nulla jam quæ in mundo ſunt concupiſcat, præſentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire feſtinet, & amoris amplexu in cœleſtis Sponſi viſione requieſcere. Mens itaque quæ jam talis eſt, nullam præſentis vitæ conſolationem recipit, ſed ad illum quem diligit medullitus ſuſpirat, fervet, anhelat, anxiatur, Vilis fit ei ipſa ſalus corporis, quia tranſfixa eſt vulnere amoris: unde & in Canticis dicit, *Vulnerata caritate ego ſum*. Cum vero jam anhelare in cœleſte deſiderium, & ſentire vulnus amoris cœperit, fit anima ſalubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex ſalute. Menti autem Sponſum ſuum fortiter amanti, de mora vitæ præſentis una ſolet eſſe conſolatio, ſi per hoc quod ipſa ab ejus viſione differtur, aliarum animæ ejus verbo proficiant, & ad cœleſtem Sponſum amoris ſtudiis inardeſcant. Mœret, quia differri ſe conſpicit: triſte eſt ei omne quod aſpicit, quia illum adhuc non videt, quem videre concupiſcit. Sed eſt non parva conſolatio, ſi cum fervens anima differtur, per eam multæ colliguntur, ut tarde eam cum multis videat, quem ſola videre citius volebat. Unde rurſus in Canticis Sponſa dicit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Quid namque ſunt flores, niſi animæ bonum jam opus inchoantes, & deſiderium cœleſte redolentes? Quid mala de floribus, niſi perfectæ jam bonorum mentes, quæ ad fructum perveniunt boni operis de initio ſanctæ propoſitionis? Quæ ergo amore languet, fulciri quærit floribus, ſtipari malis: quia ſi illum quem deſiderat, videre adhuc non permittitur, magna eſt ei conſolatio ſi de aliorum profectibus lætetur. Anima ergo ſancta amore languida, floribus maliſque fulcitur, ut requieſcat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei.

25. *Et hoc confidens ſcio quia manebo & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei*. Diſſolutionem corporis deſiderare ut ad Deum migremus, Chriſtiana perfectio eſt, beatitudinis ſuæ dilationi conſentire ad animarum ſalutem procurandam, zeli Apoſtolici culmen eſt. „ Sunt homines qui cum patientia moriuntur: ſunt autem quidam perfecti qui cum patientia vivunt. Qui adhuc deſiderat iſtam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: luctatur adverſum ſe, ut ſequatur voluntatem Dei; & hoc potius agit animo quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana (& ex deſiderio vitæ præſentis fit lucta cum morte; & adhibet patientiam & fortitudinem ut æquo animo moriatur: iſte patienter moritur. Qui autem deſiderat diſſolvi & eſſe cum Chriſto, non patienter moritur; ſed patienter vivit, delectabiliter moritur. „ Huic tamen delectationi mortalis hujus vitæ labores & ærumnas præponit S. Apoſtolus, ut fidelium profectum & ſalutem promoveat. *Et permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei*.

Perfectus Chriſtianus patienter vivit, delectabiliter moritur.

S. Auguſtin. Tract. 9. in Epiſt. 1. ſancti Joannis, n. 2.

27. 28. *Tantum digne Evangelio Chriſti converſamini: ut ſive cum venero, & videro vos, ſive abſens audiam de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii*. Chriſtianæ vitæ regula Evangelium Chriſti eſt. Qui vitam ſuam Evangelio non conformat, Chriſtiano indignus eſt nomine. Sincera unanimitas, concordia, & mutua dilectio, quæ nos Deo & Chriſto Jeſu conformes efficit, honor eſt & triumphus Evangelii, diſcipulorum Chriſti character. Stare debent ut athletæ ad pugnam ſemper parati, ſuo quiſque modo collaborantes fidei, & conjunctis viribus decertantes, Paſtores & Doctores prædicationis, litteris, libris, Principes & Magnates auctoritate, legibus, patrocinio; populus precibus; omnes confeſſione fidei aperta & conſtante, & patientia in quibuslibet tribulationibus pro fide ac pietate tolerandis. *Et in nullo terreamini ab adverſariis*. Spectaculum Deo dignum Chriſtianus contra Mundum, ac diabolum pugnans, ac de omnibus eorum tentationibus, terroribus, inſidiis, perſecutionibus victor per fidem, ſpem, caritatem, & patientiam. „ Et hoc a Deo. *Anima juſti, framea Dei*. Erue ab impiis, Deus, animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ, *ait Propheta Rex*. Apprehendis enim animam meam, & debellas inimicos meos. Et quid eſt anima noſtra quamvis ſplendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce ſapientiæ & coruſcatione vibrata, niſi Deus illam teneat, & pugnet de illa? Nam quælibet optime facta framea, niſi habeat bellatorem, jacet.

Pſalm. 21.

S. Auguſtin. Serm. 1. in Pſalm. 34. n. 2.

29. *Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini*. Credere in Chriſtum Jeſum, & pro illo pati, ſumma vitæ Chriſtianæ eſt. Utrumque gratiæ divinæ opus eſt in nobis. „ Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen eſt Dei donum: quia utrumque dictum eſt eſſe donatum. Quod enim eſt initium verius Chriſtiano, quam credere in Chriſtum? Quis finis melior, quam pati pro Chriſto? Gratia patiendi pro Chriſto longe excellentior dono ipſo fidei. Illa quippe principium iſtius eſt. Fides in Chriſtum Jeſum, Chriſtianum initiat; paſſio & mors pro Chriſto, Martyrem conſummat & conſecrat. *Chariſma & donum longe admirabilius, quam mortuum ad vitam revocare, ac cetera miracula facere. Nam ibi quidem ego ſum debitor: hic vero debitorem habeo Chriſtum* (ait S. Chryſoſtomus) Si nunc deſint occaſiones moriendi pro Chriſto, non deſunt patiendi propter Chriſtum. Habet Eccleſia & in pace Martyres ſuos. Nunquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi nunquam deſit obſervantia pietatis. Perſeverantiam a Deo ſupplices poſtulemus, quia ejus donum eſt: gratiis illius fideliter reſpondeamus, quia in eo quod accepimus & tenemus, perſeverabimus, ſi velimus. „ Utroque enim opus eſt, nempe & noſtra animi promptitudine, & divino auxilio. Neque enim iis qui animi alacritatem non habent, ſufficit gratia Spiritus: nec rurſus animi prompta voluntas, ſi ſit gratia deſtituta, poteſt virtutis divitias colligere.

Credere in Chriſtum & pro Chriſto pati, ſumma vitæ Chriſtianæ.

S. Aug. lib. De Dono Perſeverantiæ, cap. 2.

S. Chryſoſt. Homil. 4.

Theodoret. in hunc locum.

C A P U T II.

Senſus Litteralis.

1. 2. SI * *qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi quæ ſocietas ſpiritus, ſi quæ viſcera miſerationis; implete gaudium meum, ut idem ſapiatis eamdem, caritatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes*. Si quid mihi ſolatii in Chriſto a vobis expectandum eſt; ſi quid conſolationis a veſtra caritate ſperare licet, ſi quæ eſt inter nos in rebus ſpiritualibus per Chriſtum, cujus membra ſumus, communio; ſi quis erga me Apoſtolum veſtrum in vinculis Chriſti cauſa conſtrictum miſerationis ſenſus; gaudium quod ex præclaris veſtris initiis concepi, implete & cumulate veſtra conſenſione & concordia, mutua caritate, ſententiis ſtudiiſque conjuncti.

Oratio blanda compatiens & pathetica.

* Si, hic vim habet affirmandi, ut cum dicitur, ſi quid bene unquam de te merui, hoc tacito.

3. 4. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*. Nihil agatis contentionis ingenio, aut inanis gloriæ ſtudio, ſed ſinceræ humilitatis affectu alios vobis præſtantiores exiſtimate, quod ſpectat gratiæ virtutumque dona. *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum*. Nemo veſtrum privata ſua commoda utilitati & ſaluti proximorum anteponat, Græce, καὶ τὰ τῶν ἑτέρων: *Sed & quæ aliorum ſunt*.

5. 6. 7. *Hoc enim ſentite in vobis, quod in Chriſto Jeſu*. Ita ſitis affecti erga vos invicem, ſicut affectus fuit erga nos omnes Chriſtus Jeſus. *Qui cum in forma * Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*. Qui cum natura Deus eſſet, non exiſtimavit rei alienæ uſurpationem eſſe quod Deo æqualis eſſet, ut propterea ſe humiliaverit, quaſi deponere volens quod uſurpaverit: *Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Sed ſponte ſe ad humillimum ſtatum dejecit, ſervilem formam, ſcilicet naturam humanam aſſumens; factus homo aliis hominibus in natura ſimilis, & ex omnibus quæ oculis mortalium in ipſo obverſabantur, corpore ſcilicet, actionibus, infirmitatibus, perpeſſionibus, ab omnibus agnitus eſt ut verus homo. „ Non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, quia non alienum arbitratus eſt eſſe quod natus eſt: ſed tamen quærens noſtra, non ſua, ſemetipſum exinanivit, non formam Dei amittens, ſed formam ſervi accipiens. Non enim eſt mutabilis illa natu-

Chriſtus natura Deus.

* Temere Eraſmus formam hoc loco pro externa ſpecie, ſive pro externis operibus in quibus fulgebat divinitas, ab Apoſtolo poſitam commentatur, repugnantibus S. Athanaſio Orat. 4. contra Arianos, S. Chryſoſt. Comment. in hunc locum, S. Hilario lib. 8. De Trinit.

„ ra,

Digitized by Google

p. 55. &c.
Par Grotii temeritas, cujus in hunc locum Commentarius Socinianiſmum ſapit.
S. Aug. lib. 2. Contra Maximum Arianum, cap. 5.
Chriſtus ſibi, nobiſque meruit.
Hebr. 1.
Theodoret.
Chriſtus verus Deus & verus homo.

„ ra, ut ſe exinaniret perdendo quod erat, ſed accipiendo quod non erat: nec conſumendo quæ ſua „ ſunt, ſed aſſumendo quæ noſtra ſunt.

8. 9. 10. 11. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Non ab aliis humiliatus eſt, & coactus, ſed ultro ſeipſum humiliavit Chriſtus Filius Dei, factus obediens decreto Patris de morte ſubeunda ob humani generis redemptionem, in cruce, quod mortis genus eſt atrociſſimum & ignominioſiſſimum. Τὸ *uſque*, totum tempus vitæ & mortis complectitur. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen:* ob cujus humilitatis, obedientiæ, paſſionis & mortis meritum Deus illum ad ſummum gloriæ apicem extulit, exaltavit illum ut hominem ſupra omnes cœlos, illique poteſtatem omnem & imperium dedit in cœlo & in terra, in omnes Angelos & homines: & dedit illi ut, quod erat ab æterno, verus Dei Filius ubique & ab omnibus agnoſceretur. Illud nomen de quo alibi Apoſtolus noſter: „ Sedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis, tanto „ melior Angelis factus, quanto differentius præ illis „ nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando An„ gelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? „ *Et* rurſum, Ego ero illi in Patrem, & ille erit „ mihi in Filium. Cum igitur ſe ipſum humiliavit, non ſolum non perdidit quod habebat ut Deus, ſed hoc etiam accepit ut homo. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Ita ut omnes quicumque uſquam ſunt, ſive in cælis, ſive in terris, ſive in inferis, cognoſcant Jeſum eſſe verum Deum, & Dei Filium, ſeſe illi ſubmittant, illumque adorent, vel ſponte, ut Angeli ſancti, piique homines; vel coacte, ut dæmones, hominesque reprobi. *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris*. Et omnes confiteantur Dominum Jeſum Chriſtum eamdem habere gloriam cum Patre. Vel, Omnes agnoſcant & confiteantur Chriſtum eſſe univerſorum Dominum: quæ confeſſio fit ad gloriam Dei Patris.

Hæreſes ab Apoſtolo hoc loco confutatæ.

„ Plurimas hæreſes ab Apoſtolo his & ſuperiori„ bus Verſibus expugnari Theodoretus obſervat: „ tum eos qui Unigeniti divinitatem blaſphemant, „ & qui ejus humanitatem negant, tum eos qui per„ ſonas confundunt. Et Sabellium quidem, & Pho„ tinum, & Paulum Samoſatenum, impios eſſe con„ vincit, duas oſtendens Perſonas. Dixit enim: *Qui* „ *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt* „ *eſſe ſe æqualem Deo*. Nemo autem dicitur eſſe ſibi „ ipſi æqualis. Arium vero & Eunomium blaſphe„ mare iiſdem verbis oſtendit. Non enim dixit, „ Qui cum in forma Dei factus eſſet, ſed, *Qui cum* „ *in forma Dei eſſet*: & ſubjunxit, *Non rapinam arbi*„ *tratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*. Eſt enim proprium „ eorum qui aliena rapiunt, de iis quæ habent ji„ ctare ſe, & efferri. Deus autem Verbum natura eſt „ Deus, In Dei enim forma erat, & non rapinam „ arbitratus eſt quod eſſet Deo æqualis: Natura enim „ hanc habuit æqualitatem. Quod ſi Dei formam „ dicunt non eſſe Dei ſubſtantiam, interrogentur „ quid intelligant per ſervi formam. Neque enim ut „ Valentinus, & Marcion, & Manes, negant carnis „ aſſumptionem. Si ergo ſervi forma ſervi eſt ſub„ ſtantia, Dei quoque forma eſt. Ita etiam eos inter„ rogemus qui phantaſiam ſeu apparitionem intro„ ducunt, Forma Dei eſt Dei ſubſtantia? Omnino „ fatebuntur: non enim negant Deum eſſe Chriſtum „ Dominum. Ergo ratiocinemur: Si forma Dei eſt „ Dei ſubſtantia, ſervi utique ſubſtantia eſt forma ſer„ vi, & invenientur qui contraria ſentiunt, per ea „ quæ confitebuntur, ea confirmate, quæ nolunt „ confiteri. Præterea docens humilitatem divinus „ Apoſtolus attulit Chriſti exemplum. Si autem æ„ qualis non erat, ſed minor Patre Filius, non per „ humilitatem obedit, ſed ſuo officio functus eſt.

Hunc Theodoreti Commentarium Eraſmi & Grotii novellis & temerariis commentis oppone.

12. *Itaque chariſſimi mei (ſicut ſemper obediſtis,) non ut in præſentia mei tantum, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. Itaque, fratres chariſſimi, ſicut ſemper obediſtis Evangelio & præceptis Chriſti, ita obedire pergite, non ſolum cum præſens ſum apud vos, ſed multo magis nunc me abſente: opera ſalutem veſtram promoventia & ſtabilientia cum magna ſolicitudine & timore filiali exercere ſatagite, unum Deum promereri, non nobis placere ſtudentes.

Hoc loco refellitur inanis certitudo & ſecuritas æternæ ſalutis, de qua ſibi blandiuntur Hæretici.
Confer cum Pſalm. 2. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

13. *Deus eſt enim, qui operatur * in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate*. Timet (inquam) quia bonum ſalutare velle & operari non eſt poſitum in naturæ lapſæ & liberi arbitrii viribus: ſed Deus eſt qui voluntatem boni operis ad ſalutem conducentis in nobis operatur efficaciam gratiæ ſuæ, & eadem gratiæ ſuæ potentiſſima virtute ac energia facit ut quod volumus bonum, opere impleamus & perficiamus. Id autem operatur non meritorum noſtrorum intuitu; alioqui gratia non eſſet gratia, ſed ex mero voluntatis ſuæ beneplacito. *Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc eſt pium, hoc eſt verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo*. Operari in nobis velle & perficere, eſt operari in nobis vires efficaciſſimas ad bonam voluntatem, id eſt ad dilectionem boni, & ad ejus operationem neceſſarias. Dicunt nonnulli, Deum in nobis operari velle & perficere, ſi velimus: Sed Semipelagianum & ineptum iſtud commentum eſt. Ridicule enim aliquid exigas ut conditionem ſui ipſius, velut ſi dixeris: Deus me facit vivere, ſi vivam. Nec dicit Apoſtolus, Deum in nobis operari ut poſſimus velle & perficere ſi velimus, ſed etiam ut reipſa velimus & faciamus. Operatio enim gratiæ Dei ab humanæ voluntatis aſſenſu non pendet, ſed & aſſenſum, & executionem in nobis operatur ut incipiens, qui volentibus cooperatur ut perficiens. Nec ſuadendo ſolum, & præmia pollicendo, ut commentatur Pelagius (quod ad legem atque doctrinam pertinet) nam poteſt eſſe in docendo & exhortando etiam hominis operatio. At gratia Chriſti non ſolum ſuadetur omne quod bonum eſt, verum etiam perſuadetur ut ad eum veniant, quia trahuntur a Patre: non ſolum futuræ gloriæ magnitudo promittitur, ſed etiam creditur & ſperatur, nec ſolum revelatur ſapientia, verum & amatur. Hanc gratiam confiteantur neceſſe eſt, quicumque volunt eſſe Chriſtiani. Veteres & novi Semipelagiani dicunt, Deum operari, quantum in ipſo eſt, ut velimus, cum nobis nota fiunt ejus eloquia: ſed ſi eis adquieſcere nolumus, nos ut operatio ejus nihil nobis proſit efficimus. Sed hæc qui dicunt, profecto Eccleſiæ orationibus contradicunt. „ Exſere „ (*inquit S. Auguſtinus*) contra orationes Eccleſiæ „ diſputationes tuas, & quando audis Sacerdotem „ Dei ad Altare exhortantem populum Dei, orare „ pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, „ & pro Catechumenis, ut eis deſiderium regenera„ tionis inſpiret, & pro fidelibus, ut in eo quod „ eſſe cœperunt ejus munere perſeverent, ſubſanna „ pias voces, & dic te non facere quod hortatur, „ id eſt, Deum pro infidelibus ut eos fideles faciat, „ non rogare, eo quod non ſint iſta divinæ mi„ ſerationis beneficia, ſed humanæ officia volunta„ tis.

* Gratiæ divinæ efficacia.
ὁ ἐνεργῶν efficaciter agens.
S. Aug. lib. De Perſeverantia Dono. cap. 13.
S. Auguſt. lib. De Gratia Chriſti, c. 10.
S. Auguſt. Epiſt. 217. alias 117. Ad Vitalem.

14. 15. 16. *Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus*. Omnibus Chriſtianæ vitæ, & ſtatus veſtri officiis fungimini prompto & alacri animo, nec adverſus difficultates & labores, aut contradictiones hominum murmuretis, multominus adverſus Superiores veſtros, nec diſceptetis aut hæſitetis an obediendum ſit, cum ea vobis præcipiuntur quæ ſunt officii veſtri. *Ut ſitis ſine querela, & ſimplices, filii Dei ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo*. Ut ſitis irreprehenſibiles, ſinceri, & (ſicut filios Dei decet) immaculati in medio nationis pravæ & corruptæ: in qua, velut in tenebris, luceatis ſplendore fidei ac bonorum operum, ſicut ſidera in mundo. *Verbum vitæ continentes*, Evangelicæ doctrinæ lumen in vobis conſervantes, & aliis præſendentes, *ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi*. Ut de ſalute veſtra, quæ gloria mea eſt, gaudere poſſim in die judicii, quod prædicatio, laboreſque apud vos mei ſine fructu non fuerint.

Græce διαλογισμῶν, diſceptationibus.

17. 18. *Sed etſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis*. Sed etſi ſanguis meus totus effundatur ac libetur ſuper victima & ſacrificio fidei veſtræ, quam Deo quotidie offero, voſque ipſos, & omnes fideles; attamen triſtitia non afficiar tamquam moriturus, verum lætor & congaudeo omnibus vobis. Lætor quidem, quod immoler Deo, & ſanguine meo teſtimonium reddam fidei veritati: congaudeo autem quod fidem veſtram veluti hoſtiam Chriſto acceptam offeram illi ut ejus Miniſter. *Idipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi*. Gaudere ob fidei veſtræ bonum, congaudete & congratulamini mihi ob immolationem martyriumque meum.

19. 20. 21. *Spero autem in Domino Jeſu, Timotheum me cito mittere ad vos: ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt*. Spero me, Chriſto favente & adjuvante, miſſurum ad vos Timotheum, idque brevi: ut ego lætus de rerum veſtrarum ſtatu per ipſum acceptis nunciis, bono ſim animo & alacri in laboribus, tribulationibuſque quas patior Evangelii cauſa. *Neminem enim habeo tam unanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſolicitus ſit*. Neminem enim habeo animo & ſtudiis ita mihi conjunctum in negotio Chriſti, & qui ſinceriore affectu majorique ſolicitu-

dire ſit in bonum veſtrum ac profectum ſpiritualem propenius. Vel, qui genuine, hoc eſt, paterne res veſtras curaturus ſit. *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti.* Plurimi enim privata ſua commoda gloriæ Jeſu Chriſti, & Evangelii promovendi negotio præponunt.

22. 23. *Experimentum autem ejus cognoſcite, quia ſicut patri filius mecum ſervivit in Evangelio.* Cognoſcite probatas mihi eſſe diuturno convictu & ſocietate præclaras ejus dotes, & ſincerum in vos affectum: quia mecum Chriſto ſervivit in Evangelii prædicatione, ſicut filius patri, honorem & obedientiam mihi præſtans, eademque docens, eodem ſpiritu, eodemque fine gloriæ Dei & ſalutis animarum. *Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me ſunt.* Hunc igitur ſpero me ad vos miſſurum, mox ut videro quem exitum habituræ ſint res meæ, ſeu vincula mea: ſeu, ſtatim atque rebus meis proſpexero. *Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos cito.* A Domini bonitate mihi polliceor, quod & ipſe cito ad vos veniam.

Hanc Apoſtoli ſpem vacuam non fuiſſe, nec iterum promiſſionem longe probabilius eſt.

25. 26. 27. 28. *Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos.* Opere pretium eſſe duxi ad vos interim remittere Epaphroditum fratrem noſtrum in Chriſto, collegam adjutoremque meum in Evangelii prædicatione, participem etiam certaminum & periculorum meorum, veſtrum autem Epiſcopum, vel legatum, qui ſubſidia mihi a vobis deſtinata ad me pertulit, mihique in carcere neceſſaria veſtro nomine miniſtravit. *Quoniam quidem omnes vos deſiderabat: & mæſtus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum.* Quia vos omnes reviſere vehementer optabat, & mœſtus erat & anxius animi, quod nuntium de graviſſimo ejus morbo ad vos perveniſſe noſſet, indeque vos magno dolore affectos, a quo ejus reditus vos recrearet. *Nam & infirmatus eſt uſque ad mortem: ſed Deus miſertus eſt ejus; non ſolum autem ejus, verum etiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.* Et certe lethali ægritudine laboravit, ſed Deus miſertus eſt ejus, eripiens eum periculo, & ſanitati reſtituens. Nec vero ipſi ſoli, ſed & mihi hanc miſericordiam præſtitit Deus, ne dolorem quem patiebar ex ejus infirmitate, novus dolor, iſque acerbior ex ejus morte exciperet. Vel, ne ad afflictionem vinculorum meorum, nova afflictio ex jactura tanti viri, Eccleſiæque veſtræ tam utilis, mihi vero amiciſſimi adderetur. *Feſtinantius ergo miſi illum, ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim.* Sine mora igitur illum ad vos remiſi, ut eum ſalvum & incolumen videntes gaudeatis; & ego minus doleam, cum eum ad vos proſpere perveniſſe cognovero.

S. Epaphroditum Philippenſium Epiſcopum fuiſſe cenſet *Theodoretus* in Commentar. cap. 1. hujus Epiſtolæ. Ejus memoria in Romano Martyrologio celebratur die 22. Martii. Epiſcopum a S. Petro ordinatum ſcripſit Hippolytus, Serm. in Natali Apoſtolorum. Menologia Græcorum ejus memoriam recolunt & Andriacæ ſeu Andriacæ perhibent Epiſcopum. Adrianæ ſeu Adriæ, Senogallia nomine Dorothei Martyris falſo prætereus, Adriam ſeu Adrianam in Syria collocat Baronius. Adrianam urbem Thraciæ potius intelligi debere, Bolland. Continuatores exiſtimant. Sed hæc prorſus incerta. Theodoreti veriſimilior opinio.

29. 30. *Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejuſmodi cum honore habetote.* Excipite igitur illum in Domino cum gaudio communi ac perfecto, & ejuſmodi viros de Eccleſia tam bene meritos debito honore proſequimini. *Quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium.* Nam ex nimiis laboribus propter Chriſtum ſuſceptis, ex prolixo itinere, ex miniſterio in carcere mihi aſſidue impenſo, ex diligentia in rebus meis extra carcerem gerendis, gravem morbum incurrit, vitam ſuam negligens ut Evangelii negotium promoveret, utque ſuppleret officia, quæ mihi abſentes & tanto locorum intervallo diſſiti, impendere non poteratis.

C A P U T II.

Senſus Moralis.

Totius Chriſtianæ diſciplinæ ſumma in caritate, concordia & pace poſita eſt.

1. 2. S*I qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas Spiritus, ſi quæ viſcera miſerationis: Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes.* Quibus unum caput eſt Chriſtus Jeſus; eadem vita, ſcilicet charitas; eadem anima, ſcilicet Spiritus Sanctus; eadem viſcera, nempe miſerationis: una illorum ſententia eſt, finis idem, cor unum. Totius Chriſtianæ diſciplinæ ſumma in charitate, concordia & pace poſita eſt. *Omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia unum præceptum ſunt, quia quicquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur.* „ Quamvis magnum ſit habere rectam fi„dem, ſanamque doctrinam, & multa tandem digna „ ſit circumciſio gulæ, lenitas manſuetudinis, puri„tas caſtitatis, *nudæ ſunt tamen omnes ſine charitate* „ *virtutes: nec poteſt dici in qualibet morum excellentia fructuoſum, quod non dilectionis partus edi-* „ *derit. Unde in Joannis Evangelio Dominus dicit:* „ In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, „ ſi dilectionem habueritis ad invicem. *Et in ejuſ-* „ *dem Apoſtoli Epiſtola legitur:* Chariſſimi, diligamus „ invicem, quoniam charitas ex Deo eſt, & omnis „ qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum: „ & qui non diligit, non novit Deum, quoniam „ Deus charitas eſt: *Diſcutiant ergo ſe fidelium mentes, & intimos ſui cordis affectus vero examinatione dijudicent: at ſi repoſitum aliquid in conſcientiis ſuis de fructibus charitatis invenerint. Deum ſibi ineſſe non dubitent: & ut magis magiſque tanti hoſpitis ſint capaces, fiant perſeverantius miſericordiæ operibus ampliores. Si enim dilectio Deus eſt, nullum habere debet terminum charitas, quia nullo poteſt claudi fine divinitas.* Charitas afflictos conſolatur, non humanis rationibus, ſed Chriſti verbis & exemplis: *Si qua conſolatio in Chriſto.* Charitas ſocietatem init, non cum hominibus carnalibus, & impiis, quos mundi nomine Salvator noſter indigitat, ſed cum hominibus ſpiritualibus, id eſt ſecundum Spiritum, ſecundum Evangelii legem viventibus. *Si quæ ſocietas Spiritus.* Charitas malis proximorum intimo affectu condolet: *Si quæ viſcera miſerationis.* Gaudium interius, conſenſus & concordia conſiliorum, voluntatum, ſtudiorum, fructus ſunt charitatis. Dilectio ejuſdem Dei, ejuſdem Chriſti, ejuſdem Evangelii, ejuſdem Eccleſiæ, eorumdem Paſtorum & Prædicatorum, conſenſum, concordiam, unanimitatem parit. Contra, diverſis amoribus homines in diverſa conſilia & ſtudia diſtrahuntur. *Eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes.* Concordia gregis, gaudium eſt Paſtoris. *Implete gaudium meum.* Generoſo animo cedit omni ſolatio & auxilio quod ab ovibus jure expectare poteſt, modo ſe mutuo diligant. Concordiam illorum beneficii loco ducit, & perinde accipit ac ſi miſericordiam ab illis eſſet conſecutus. *Si quæ viſcera miſerationis, eadem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes.*

S. Gregor. Hom. 27. in Evang.

S. Leo Serm. 47. in Quadr. 10. Cap. 3.

Joan. 13. 35.

1. Joan. 4. 7.

S. Chryſoſtom Homil. 5. Theophylact.

3. 4. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Quatuor ſunt diſſenſionum, diſſidiorum & contentionum fontes. 1. Nimius privatarum opinionum amor, & deſiderium prævalendi. 2. Gloriæ humanæ cupiditas. 3. Dominationis & Prælationis appetitus. 4. Privatorum commodorum ſtudium. Ut igitur pax & concordia conſervetur, quam Chriſtus Jeſus Incarnatione ſua conciliare voluit, Chriſtianus quiſque. 1. Proprio ſenſui diffidat, proprias opiniones nimium ne diligat, ne ſingularibus ſententiis delectetur, in rebus præſertim Religionis, nec eſſe ſtudeat de ſingularitate famoſus. Hinc enim ad contentiones & nova dogmata prolapſio. *Nihil per contentionem.* Circa quæſtiones & pugnas verborum languere, pueri eſt animi. *Honor eſt homini qui ſeparat ſe a contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.* In concertationibus quæ fidem aut mores hinc inde meliores non ſpectant, *cedamus, ut ſuperemus, ſunt athletæ, qui ex eo plerumque quod humi ſe deprimunt, adverſariis ſuperne incumbentibus victoriam extorquent.* 2. Chriſtianus pacis amator inanem gloriam fugiat, celebritatem nominis, laudes & applauſus hominum non quærat, non deſideret. Inanis enim gloriæ cupiditas contentionum mater eſt. „ Hinc pugnæ & lites, hinc invidia & „ vincendi ſtudium, hinc charitatis refrigeratio. Cum „ hominum gloriam amamus, cum honori qui a mul„tis exhibetur ſervimus; tunc omnia hæc acci„dunt. Minime enim fas eſt gloriæ ſervientem, Dei „ etiam genuinum eſſe ſervum. *Neque per inanem* „ *gloriam.* Tanto quiſque eſt Deo ſimilior, quanto „ eſt ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita „ etſi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam „ bene proficientes animos tentare non ceſſat; *ſaltem cupiditas gloriæ ſuperetur dilectione juſtitiæ; ut ſi alicubi jacent, quæ apud quoſque improbantur, ſi bona, ſi recta ſunt, etiam ipſe amor humanæ laudis erubeſcat, & cedat amori veritatis. Tam enim eſt hoc vitium inimicum piæ fidei, ſi major ſit in corde cupiditas gloriæ quam Dei timor vel amor, ut Dominus diceret: Quomodo poteſtis credere, gloriam ab invicem expectantes, & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt non quærentes? Item de quibuſdam qui in eum crediderunt, & verebantur palam confiteri, ait Evangeliſta; Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei.* 3. Verus Chriſtianus ſubjectionem amare debet, nulli ſe præponere aut præponi velle. *Sed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* De præſtantia graduum, honorum, talentorum naturalium non agitur, ſed probitatis & virtutum, (ut diximus) Nec ſimulate, ſed vere & ex animo, ſic de aliis ſentire debet, quantumcumque in virtutibus profeciſſe videatur. Qui alium dono virginitatis antecellit, cogitet illum forſan patientia, manſuetudine & humilitate,

Diſſenſionum & contentionum fontes.

Proverb. 20. 3.

S. Gregor. Nazianz. Orat. 3. De Pace.

S. Chryſoſt. Hom. 5.

S. Aug. lib. 5. De Civ. Dei, cap. 14.

Joan. 5. 44.

Joan. 12. 43.

S. Aug. lib. Quæſtion. 83. Quæſt. 71. & lib. De ſancta Virginitate, cap. 43. & 44.

litate, pietate, charitate ſe ſuperiorem eſſe. Etſi alios in externis actionibus videat ſe eſſe pejores; tamen aliquid occultum in illis eſſe poſſe exiſtimet ſecundum quod ipſo ſuperiores ſint. Eſt enim inſcrutabile cor hominis, & quis cognoſcet illud? Denique etſi forte melior, ſecundum præſentem juſtitiam, exiſtimare debes alterum, qui pejor exterius videtur, re forte meliorem eſſe ſecundum prædeſtinationem æternam. Hæc ſi cogitetis, non eritis apud vos magni. „ Magis enim cogitare debetis quid vobis deſit, quam quid vobis adſit. Quod habes, cave ne perdas: quod nondum habes, ſupplica ut habeas. In quantia ſis minor, tibi cogitandum eſt, non in quantis ſis major. Si enim cogitas quantum præceſſiſti alterum, time tumorem. Si vero cogitas quantum tibi adhuc deeſt, ingemiſcis; & cum ingemiſcis, curaris, humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non inflaberis. “ Denique verus Chriſtianus ad pacem conſervandam commoda ſua & propria emolumenta aliorum commodis & emolumentis, ſemper autem bono publico, poſtponere debet. *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* „ Cum enim ego quod tibi prodeſt, tu vero quod mihi confert, quæris, neque vanæ gloriæ locus relinquitur, neque contentioni, neque cuipiam malorum, ſed vita hic eſt angelica & divina, Qui ſic affecti ſunt, non ſolum Deo placent, ſed & hominibus. „ Non eſt *enim* majus vinculum hominibus placendi, quam ut nemo ſui cauſa velit iis placere quibus placeat: quia quod in profectum propriæ utilitatis efficitur, non poteſt non aliquam interdum offenſionem ex cauſis accidentibus excitare: cum quod alii utile eſt, alteri ſæpe fiat incommodum. At vero qui nihil ſui cauſa velit, & omnia in profectum alienæ utilitatis exerceat, neceſſe eſt ut cauſam ſibi inoffenſæ placabilitatis acquirat; quia & ex alienis utilitatibus placeat, nec offendat ex propriis. Et hanc ſibi eſſe cauſam probabilem placendi cunctis Apoſtolus docuit, quia utilitatis ſuæ negligens, utilitati ſe dediſſet alienæ.

Idem Serm. 354. alias 53. De Verbis Domini, cap. 5.

Theophylact.

S. Hilarius Tract. in 52. Pſalm. n. 15.

5. 6. 7. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Nihil juſtius exigitur a ſervis, quam ut omnium Dominum imitentur; nihil æquius poſtulatur a membris, quam ut eoſdem affectus habeant, quos in ſuo capite fuiſſe cognoſcunt: nihil rationabilius a Chriſtianis, quam ut humilitatem & obedientiam Chriſti Jeſu in ſeipſis exprimant. Divinitatem ſuam non prætexuit unigenitus Dei Filius, Patrique per omnia æqualis, ut infinitam humiliationem ac abjectionem declinaret, *ſed ſemetipſum exinanivit:* in omnibus (excepto peccato) hominibus ſimilis effectus eſt; & natura ſervus, ut homines, ſervos contumaces ac rebelles a peccati diabolique ſervitute liberaret ac ad filiorum adoptionem proveheret formam ſervi accipiens. Gloriæ ſui corporis, omnibuſque illius juribus renuntiavit, eamque toto vitæ ſuæ mortalis decurſu ſuſpenſam eſſe voluit, ut pro nobis pati & mori poſſet, noſque ad unitatem ſuam revocaret. *Et habitu inventus ut homo.* Quam grave humanæ ſuperbiæ vulnus, quod ſola Dei exinanitione curari potuit! *Propter hoc vitium, propter hoc magnum ſuperbiæ peccatum, Deus humilis venit. Iſte ingens morbus animarum, omnipotentem Medicum de cælo deduxit, uſque ad formam ſervi humiliavit, contumeliis egit, ligno ſuſpendit: ut per ſalutem tantæ medicinæ curaretur hic tumor. Jam tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus, propter quem factus eſt humilis Deus.*

Superbiæ tumor ſola Dei humiliatione curari potuit.

S. Auguſt. in Pſalm. 18. Enarrat. 2. num. 15.

Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu; cujus „ humilitas nulli aſpernanda divitum, nulli eſt erubeſcenda nobilium. Nec enim in tantum provehi poteſt quælibet felicitas humana faſtigium, ut æſtimet ſibi pudendum, quod manens in forma Dei Deus, non eſt arbitratus indignum. Imitamini quod operatus eſt; diligite quod dilexit, & invenietis in vobis Dei gratiam. Veſtram in illo redamate naturam, quoniam ſicut ille paupertate divitias non amiſit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit; ita & vos eiſdem gradibus, eiſdem veſtigiis, ut cœleſtia apprehendatis, terrena deſpicite.

S. Leo, Serm. 70. De Reſurrect. Dom. 2.

8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* „ In Paradiſo defecit humilitas, & ideo venit e cœlo. In Paradiſo orta eſt inobedientia, & ideo obedientia cum Salvatore deſcendit. Inflabat caro, unde ſubjectio manſuetudinis inveniri non poterat in terris: veniens Dominus Jeſus primum ſe exinanivit, ut humilitatem in terris reſtauraret. Quoniam ergo a vanitate ſuperbiæ prius ad humilitatem deponendi ſumus, ut inde ſurgentes ſolidam celſitudinem teneamus, non potuit hoc nobis tanto magnificentius, quanto blandius inſpirari, ut noſtra ferocitas non vi, ſed perſuaſione ſedaretur, niſi Verbum illud per quod Angelis ſe indicat Deus Pater, quod Virtus & Sapientia ejus eſt, quod corde humano viſibilium rerum cupiditate cæcatu videri non poterat, Perſonam ſuam in homine agere atque oſtendere dignaretur, *Ut magis homo timeret extolli faſtu hominis, quam humiliari exemplo Dei.* Filius Dei homo factus eſt, ut humilitas conſecraretur, ut deificaretur; ut cum Deo humiliari, quam cum homine ſuperbire glorioſius eſſet; ut ambitio nihil poſſet illuſtrius, quam cum Deo abjici, & in imis jacere. *Itaque non Chriſtus regno terreno decoratus, nec terrenis opibus dives, nec ulla terrena felicitate præfulgens, ſed Chriſtus crucifixus, per totum terrarum orbem prædicatur. Quod riſerunt prius populi ſuperborum, & adhuc rident reliquiæ, crediderunt autem prius pauci, nunc populi; quia tunc ad fidem paucorum, & contra irriſionem populorum, cum Chriſtus crucifixus prædicaretur, claudi ambulabant, muti loquebantur, ſurdi audiebant, cæci videbant, mortui reſurgebant. Sic tandem animadvertit terrena ſuperbia, nihil in ipſis terrenis eſſe potentius humilitate divina, ut etiam ſaluberrima humilitas humana contra inſultantem ſibi ſuperbiam divinæ imitationis patrocinio ſe tueretur.* Exaltavit ſe homo, & cecidit; humiliavit ſe Deus & erexit. Nec tantum ſe humiliavit, ut humanæ ſuperbiæ vulnus ſanaret, verum etiam obediens factus eſt, aſſumpta forma ſervi, ut hominis inobedientiam expiaret, Dei hominumque Mediator. „ Factus eſt obediens uſque ad mortem, quia primus homo factus eſt inobediens uſque ad mortem. Ubi enim magna eſt inobedientiæ pœna propoſita, & res a Creatore facilis imperata, quinam ſatis explicet quantum malum ſit, non obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrentis ſupplicio? Denique, in illius peccati pœna, quid inobedientiæ niſi inobedientia retributa eſt? Nam quæ hominis eſt alia miſeria, niſi adverſus eum ipſum inobedientia ejus ipſius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non poteſt velit? Inobedientiæ tam gravis reatum Chriſtus obedientia ſua diluit, *factus obediens uſque ad mortem.* Quouſque factus eſt obediens? Uſque ad Incarnationem Verbi, uſque ad participationem mortalitatis humanæ, uſque ad trinam diaboli tentationem, uſque ad irriſionem populi Judæorum, uſque ad ſputa & vincula, uſque ad alapas & flagella. Si parum eſt, *uſque ad mortem.* Et ſi adhuc aliquid de genere mortis addendum eſt, *Mortem autem crucis.* Habemus tale humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum. Quid Deo pro nobis exinanito, Deo pro nobis obedienti, Deo pro nobis morienti, Deo pro nobis crucifixo debemus niſi humilitatem, obedientiam, mortificationem & crucifixionem carnis noſtræ per pœnitentiam, mortem cupiditatum, vitiorumque noſtrorum, vitam noſtram, ſanguinem noſtrum?

Chriſti humiliatio & obedientia.

S. Ambroſ. in Pſal. 118. Ser. 18. n. 32.

S. Aug. epiſt. 232. alias 42.

S. Aug. lib. 14. de Civit. Dei, cap. 15

Idem Serm. in feſto S. Laurentii, cujus verba a Venerabili Beda, ſeu a Floro, in hunc locum referuntur.

9. 10. 11. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genuflectatur &c.* Gloria Chriſti Jeſu humiliationibus ejus, obedientiæ, laboribus, perpeſſionibus, mortis ignominiæ & crucifixioni reſpondet. Quantis digni ſunt ſuppliciis qui illum ad dexteram Patris ſedentem, gloriaque & honore coronatum, ſuperbia ſua, aliiſque criminibus humiliant, quantum in ipſis eſt, & inhonorant; tantum abeſt ut glorificent? „ Credamus ad ipſius gloriam, & vivamus ad ipſius gloriam: alterius enim ſine alteru nulla eſt utilitas. Nam cum illum verbis glorificamus, ſed non recte vivimus, tunc maxime in ipſum contumelioſi ſumus, quippe qui illum Dominum ac Magiſtrum inſcriptione ipſa præ nobis ferentes, nihilominus eum contemnimus, nec terribile illud tribunal pertimeſcimus. Gentiles quidem impure vivere, neque mirandum eſt, neque tanto dignum ſupplicio. At Chriſtianos tantorum Myſteriorum participes, tantæque gloriæ compotes, adeo impuram vitam vivere, hoc ſuperat omnem improbitatem. Chriſtus uſque ad ultima obedientiæ officia deſcendit: propterea ad excelſum illum honoris gradum pervenit; ſervus factus eſt, propterea omnium factus eſt Dominus, & Angelorum, & ceterorum omnium. Quamobrem nos etiam minime de ſtatu dignitatis noſtræ dejici exiſtimemus, cum nos ipſos humiliaverimus. Tunc enim potius vere in ſublime ferimur, tunc maxime digni ſumus qui ſuſpiciamur.... Gloriæ conſequendæ alia ratio non eſt, quam gloriam fugere. Si vis in gloria eſſe, gloriam ne concupiſcas: ſi vis celſus eſſe, ne te ipſe in ſublime efferas. “ Ad magna tendimus, parva capiamus, & magni erimus. Vis ca-

Humilitas gradus ad gloriam.

S. Chryſoſt. Hom. 7. in hanc epiſt.

S. Auguſtin. Serm. 117. alias 38. De Verbis Dom.

pere celſitudinem Dei? Cape prius humilitatem Dei. Cum ceperis humilitatem ejus, ſurgis cum illo, non quaſi & ipſe ſurgat ſecundum quod Verbum eſt, ſed tu potius, ut magis magiſque a te capiatur.... Arborem attendite, petit ima prius, ut ſurſum excreſcat. Figit radicem in humili, ut verticem tendat in cælum. Numquid nititur niſi ab humilitate? Tu autem ſine charitate, ſine humilitate vis excelſa comprehendere, ſine radice auras petis? Ruina eſt illa, non incrementum."

Vera adoratio & laus Domini Jeſu.

10. 11. *Ut in nomine Jeſu omne genuflectatur* &c. Jeſum Chriſtum ut par eſt non adorat, qui illum non amat. Fruſtra illi genu flectit, qui ſervili timore coactus illum reveretur, ut dæmones, qui credunt eſſe Filium Dei, & contremiſcunt. Vere illum colit, & genua cordis illi flectit, qui amore caſto & religioſo illi ſe ſubmittit ut cœleſtes Spiritus. Vera adoratio eſt ſubmiſſio voluntatis noſtræ voluntati Dei, & legi Chriſti Jeſu. Opera, lingua cordis Jeſum confitetur & laudat, qui imitatur. Laus digna ejus celſitudine, eſt vita animata ejus charitate. *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*

12. 13. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Salutis noſtræ negotium & Dei eſt, qui velle & perficere per gratiam ſuam in nobis operatur, nullis in nobis præcedentibus meritis: & noſtrum eſt, qui liberrime cooperamur, & tanto liberius, quanto nos ad bonum movet efficacius. Cauſa metus & tremoris, eſt Dei operatio in nobis: ne forte gratiam nobis auferat indignis. *Si Deus operatur in te, gratia Dei bene operaris, non viribus tuis. Ergo ſi gaudes, & time: ne forte quod datum eſt humili auferatur ſuperbo. Hæc* (inquam) *ſanctis cuique eſt tremendi atque metuendi, ne ipſis pietatis operibus elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.*

S. Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 65. S. Leo, Serm. 37. de Epiphania 8. Pſalm. 2. 11.

„Hæc eſt ſumma eruditionis: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Exulta ei, non tibi, ei a quo es quod es, & quod homo es, & quod juſtus es, ſi tamen jam juſtus es. Si autem putaveris quod ab illo quidem homo es, a te autem juſtus es, non ſervis Domino in timore, nec exultas ei in tremore, ſed tibi in præſumptione. Et quid tibi fiet, niſi quod ſequitur? *Ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta.* Non ait, Ne quando iraſcatur Dominus, & non intretis in viam juſtam, ſed, *ne pereatis de via juſta.* Jam enim videris tibi juſtus non rapiendo alienum, non adulterando, non homicidium faciendo, non falſum teſtimonium adverſus proximum dicendo, patrem & matrem honorando; unum Deum colendo, idolis & dæmoniis non ſerviendo: de hac via peribis, ſi tibi iſta præſumpſeris, ſi tibi iſta a teipſo eſſe putaveris. Infideles enim non intrant in viam juſtam, ſuperbi pereunt de via juſta. Quid ergo faciendum eſt ne pereatis de via juſta? *Beati omnes qui confidunt in eo.* Si beati qui confidunt in eum miſeri qui confidunt in ſe. Maledictus enim omnis homo qui ſpem ſuam ponit in homine. Ergo nec in te, quia & tu homo es. Si enim ſpem tuam poſueris in alio homine, inordinate humilis eris: ſi ſpem tuam poſueris in te, periculoſe ſuperbis. Utrumque perniciofum. Inordinate humilis non levatur: periculoſe ſuperbus præcipitatur.

S. Auguſtin. Serm. 13. alias De Tempore 94. cap. 2. & 3.

„*Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere.* Si ita eſt, cur dictum eſt, Veſtram ſalutem operamini? Quia ſic in nobis operatur, ut & nos operemur. *Adjutor meus eſto.* Deſignat & ſe operatorem, qui invocat adjutorem. Sed voluntas (inquit) bona mea eſt. Fateor, tua. Sed & ipſa a quo data & a quo excitata? *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Quid eſt ergo quod tibi arrogabas? Redi ad cor tuum, inveni te malum; & ut ſis bonus, invoca Bonum. *Non enim in te placet Deo, niſi quod habes ex Deo; quod autem habes ex te, diſplicet Deo.*"

Pſalm. 26. 9. S. Cyprian. Epiſt. 1. Sic tantum timor innocentiæ cuſtos, ne incauta ſecuritas indulgentiam pariat, & vetus hoſtis denuo obrepat. Salus noſtra cum timore operanda eſt.

Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. Timendum ne gratiam Dei in vanum recipiamus, ne otioſi ſimus vel negligentes in rebus ſalutis. Timendum inter tot, quæ nos undique circumſtant, lapſuum pericula; viribus noſtris diffidendum, ad Deum confugiendum, eique firmiter adhærendum eſt: quomodo qui matris ulnis geſtatur infans in præcipiti loco, tanto arctius matrem amplectitur & ſtringit, quanto caſus magis eſt metuendus: itaque ſibi diffiſus, matri fidit, certus ſe caſurum, niſi adhæreſcat. *Et ego* inquit Deus, *quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: & neſcierunt quod curarem eos.* In pericula ne nos ipſi conjiciamus, ne in peccandi occaſionibus hæreamus. Qui enim amat periculum, in illo peribit, Deumque ſibi adfuturum inaniter confidit ut ex eo emergat, niſi faciat quod in ſe eſt.

Oſee 11. 3.

„Hinc S. Iſidorus Peluſiota Zoſimum quemdam voluptarium his verbis perſtringit: Riſu profecto dignus es, quando precaris. *Confige timore tuo carnes meas.* Eorum enim hæc eſt precatio, qui quod in ſe eſt conferunt, & jejunant, & ſua ſorte contenti, parvoque beati vivunt, eaque ratione carnis exultantem laſciviam caſtigant & compeſcunt, quique cœleſtes opem & auxilium ſuæ exercitationi mitti poſtulant. At illis minime convenit, qui, quemadmodum tu facis, crapula immodica corpus ſaginant, & vanis immodiciſque deliciis ejus petulantiam tantum abeſt ut reprimant, ut potius excitent, & bene curata cuticula ipſos etiam athletas vincunt. Perinde namque facere videris, ac ſi in meretriciis hærens amplexibus, & ſcorti amori dans operam, interea pudicitiæ compos fieri optes. Eorum enim eſt iſtud votum, qui meretricis artibus altius evolant, non eorum, qui ipſius compedibus ultro ſeipſos induunt. Vel perinde, quaſi ex navi te ipſum in immenſum pelagus projiciens, pro ſalute & conſervatione tui ſupplicares. Et quo pacto, quæſo, talem hominem, ipſa, ſi velis, ſalus ſervare poſſit? Nam iis, qui omnia, quæ in ſe ſunt, implent, quique artem ſuam in auxilium vocant, ne a tempeſtate ſubmergantur, ejuſmodi convenit precatio: nequaquam vero iis, qui etiam antequam orta in mari fuerit tempeſtas, ſe ipſos in pelagus præcipitant. Deſine igitur indulgere deliciis."

S. Iſidorus Peluſiota lib. 4. Epiſt.

14. 15. 16. *Omnia autem facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus: ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ, & perverſæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes,* &c. Hi ſunt veri perfectique Chriſtiani characteres, 1. Ut Dei legem officiaque ſua, omni ex parte impleat, nullum tranſgrediens mandatum, nihil uſquam negligens. Nullum enim mandatum Dei nobis negligendum videri poteſt, ſi imperantis ſæpe cogitemus majeſtatem, poteſtatem, bonitatem, propoſitam obedientibus remunerationem, pœnas vero in tranſgreſſores decretas. *Omnia facite.* 2. Ut obediat Superioribus vice Chriſti ipſum regentibus, ſine murmurationibus & hæſitationibus, ſine diſceptationibus, non ut ſervi formidine pœnæ compulſi & coacti, ſed ut filii, ex dilectione & delectatione juſtitiæ.

Veri perfectique Chriſtiani characteres.

„Aliud eſt enim voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum ſic voluntate inclinari, ut etiam faceret, ſi hoc poſſet impune permitti. Nam ſic profecto in ipſa intus voluntate peccat, qui non voluntate, ſed timore non peccat. Nec difficultates, nec labores, nec pericula murmurationes excuſant. *Prompto & alacri animo ferte labores qui pro virtute ſuſcipiuntur, quæ pro Evangelio adeuntur pericula, & moleſtias quæ occurrunt, iniquo animo non ferentes, nec diverſis quidem cogitationibus & rationibus utentes. Vobis enim ipſis divitias congregatis. Nemo autem maxima lucra cum colligit, triſtatur & murmurat* ..... „Eſt iniqui ac ſtupidi ſervi obmurmurare. Quis enim filius eſt, qui in bonis paternis, ac ſibi ipſi laborans obmurmuret? Illorum vero proprium eſt murmurare qui aliis laborant, aliis ſudant: qui autem ſibi ipſi colligit, cur obmurmurat? Qui ſponte, nulla impoſita neceſſitate facit, cur obmurmurat? Satius eſt nihil agere, quam murmurando agere. Nam & hoc ipſum quod fit, perit. An non vides in ipſiſmet domibus noſtris hoc nobis ſemper in ore eſſe: Satius eſt hæc minime fieri, quam murmurando fieri? Ac ſæpe malumus miniſterio, quod nobis exhibetur, carere, quam ſerte murmurantem. Gravis res murmuratio, ac prope ad blaſphemiam accedit; alioqui cur tantum de hujus delicti reis ſumptum eſſet ſupplicium? Vitium illud crimen ingrati animi eſt. Qui murmurat, ingratus eſt erga Deum, qui vero erga Deum ingratus eſt, profacto blaſphemus eſt. Ac vero Apoſtolicis temporibus continua Chriſtianis pericula imminebant, continuæ perſecutiones, nunc vero ſumma pax & tranquillitas. Cur igitur murmuras? Quod pauper es? Job cogita. Morbo laboras? Quid faceres, ſi tantorum tibi bonorum ac recte factorum conſcius ac ſanctus ille vir, in morbum æque gravem incidiſſes, ab omnibus derelictus? At filius tibi obiit? Quid ſi omnes amiſiſſes, & acerba quidem morte, ut ille?" 3. Veri perfectique Chriſtiani character eſt, irreprehenſibilem eſſe, in via mandatorum Dei ſine querela ambulare, id eſt occaſionem dare nemini de ipſo conquerendi, nemini male velle; quibus poteſt, fideliter conſulere, & benefacere, nec contra cujuſque injurias tenere libidinem vindicandi. *Ut ſitis ſine querela* ...... 4. Veri Chriſtiani character eſt.

S. Auguſt. lib. 1. Ad Bonifacium, cap. 9.

Theodoret. in Comment.

Murmurationes vitandæ.

S. Chryſoſt. Hom. 8. in hanc Epiſt.

Numer. 11. & 1. Corinth. 10.

Primaſius in hunc locum. S. Thomas. Lect. 4. Jacobi 1. 8. Matth. 10. 16.

eſt, ut ſimplicitate cordis ac ſinceritate, fictionem prorſus omnem ac duplicitatem excludere, ſe filium Dei genuinum ac legitimum demonſtret, non degenerem. Filius enim eſt ſimilis patri: Deus autem ſimplex eſt. Unde *ſimplices ſumus ſicut filii Dei*, cum intentio noſtra ad unum gloriæ Dei finem recta dirigitur. Nam *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis*. Et Salvator noſter Diſcipulis ſuis jubet ut ſint *ſimplices ſicut columbæ*. Duplex eſt, qui & Deo placere cupit & mundo. Qui divitiarum amorem, gloriæ ſæcularis cupiditatem, voluptatum fruitionem, cum Chriſtiana profeſſione conjungit. Sed vos qui filii Dei eſſe cœpiſtis, in ſimplicitate cordis quærite illum, eique uni placere ſtudete.

S. Auguſtin. Tract. 23. in Joan.

Quomodo autem eris ſimplex? (inquit S. Auguſtinus) *Si te non mundo implicaveris, ſed ex mundo explicaveris: explicando enim te, ſimplex eris*. Simplicitas in mente noſtra, per veritatem; in corde, per caritatem; in ore per ſermonis ingenuitatem; in opere, per veram minimeque fucatam juſtitiam eluceat. *Et ſimplices filii Dei*. 5. Veri Chriſtiani character eſt, immaculatum eſſe vel inter infideles & improbos, ſine offenſione vivere, ſine crimine, ut dicere poſſit; *Innocentiam a Deo edocti, & perfecte eam novimus, ut a perfecto Magiſtro revelatam; & fideliter cuſtodimus, ut ab incontemptibili diſpectore mandatam*.

Tertullian. Apolog. cap. 45.

Quid eſt Chriſtianus? Vir ſimplex, filius Dei, ſanctus & immaculatus, irreprehenſibilis. *Sine reprehenſione in media nationis pravæ & perverſæ*. 6. Verus Chriſtianus inſtar ſyderis fulgere debet in Eccleſia morum ſanctimonia & exemplorum luce: & quemadmodum ſydera nuſquam ſplendeſcunt magis quam nocte; ita veri Chriſtiani nuſquam Deo magis fideles ſunt, quam tenebroſis afflictionum & perſecutionum temporibus. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo*. Stellæ in cœlo fixæ terram illuminant: bonorum Chriſtianorum converſatio in cœlis eſt. Stellæ curſus ſuos eodem tenore peragunt: boni Chriſtiani conſtantes ſunt in via mandatorum Dei, nec a curſu pietatis deviant.

S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 93. n. 5.

Stellas nox non extinguit; mentes fidelium adhærentes firmamento Scripturæ ſacræ, & cœleſtibus deſideriis, non extinguit mundana iniquitas. Quanta de cæleſtibus luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt? Sic juſti patienter ferre debent omnes de ſe falſas criminationes. Cum dicitur, Hæc ſtella Saturni eſt, illa Mercurii, illa Jovis, convicia fiunt ſtellis. Numquid propterea non moventur, aut non conficiunt curſus ſuos? Ita boni Chriſtiani lucentes in medio nationis pravæ & perverſæ ſicut luminaria in mundo, injuriis, conviciis, calumniis iniquorum non moventur, & curſum ſuum ſecundum legem Chriſti conficiunt.

S. Auguſt. in Pſalm. 146. num. 9.

Numerat Deus multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat: Numerat pariter omnes ſecum regnaturos, omnes aggregandos corpori Unigeniti ſui. Animadvertat quiſque utrum luceat in tenebris, utrum iniquitate ſæculi tenebroſa non ſeducatur: Si non fuerit ſeductus, nec victus, tamquam ſtella erit, quam jam numerat Deus. 7. Boni denique Chriſtiani doctrinam Evangelicam fide conceptam, ſpe nutritam, caritate & bonis operibus in corde ſuo conſervant & continent. *Verbum vitæ continentes*. Quin etiam dare debent operam ut peccatores ſecundum animam mortuos verbo & exemplo vivificent.

Theophylact. in Comment.

Quemadmodum luminaria & lucent, & refocillatione corpora vivificant; ſic & vos conamini eſſe vitalis aliis hominibus potentia (inquit Theophylactus.)

17. *Sed etſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis*.

Paſtores exemplo Chriſti Sacerdotes eſſe debent & victimæ.

Paſtores, Concionatores, Moderatores conſcientiarum, exemplo Chriſti Sacerdotes eſſe debent & victimæ; Sacerdotes, qui oves ſuas, auditores ſuos, filios ſuos ſpirituales Deo quotidie offerant in ſacrificium, vitia & pravas cupiditates in illis mactantes; omnia bona opera, quæ Deo per ipſos exhortante, & in illis operante ab illis fiunt, eidem bonorum omnium auctori, & ſupremo Domino, ut holocauſta ſuaviſſima immolantes.

S. Auguſt.

Doceant illos totam Chriſtiani hominis vitam, ſi ſecundum Evangelium vivat, crucem eſſe ac martyrium. Habere & Eccleſiæ pacem Martyres ſuos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, juſtitiam cuſtodire, avaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, magnam eſſe martyrii partem. Id quidem Martyrium eſſe horrore minus, ſed diuturnitate moleſtius. Sed & ſeipſos ut victimas devovere debent quicumque vocati ſunt ad Eccleſiæ regimen, ad ſacrum miniſterium, ad Evangelii prædicationem, ad directionem conſcientiarum, ſtudia ſua, vigilias, labores ſanctificare & conſecrare Deo debent, parati vitam ipſam, ſi opus fuerit, cum ſanguine profundere vel ad unius animæ ſalutem, quam Filius Dei Jeſus Chriſtus pretio ſanguinis ſui redimere dignatus eſt.

19. 20. 21. 22. *Spero autem in Domino Jeſu, Timotheum me cito mittere ad vos: ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt*.

Paſtorum officia.

Paſtores & Miniſtri Evangelii, Viri Apoſtolici in prædicatione Evangelii, in regimine aut fundatione Eccleſiarum, in converſione infidelium & peccatorum, humanis mediis niti non debent, ſed uni Deo fidere, in eo ſpes omnes collocare, nullum niſi per Chriſtum Jeſum fructum exſpectare. *Spero in Domino Jeſu Timotheum me cito mittere ad vos*. 2. Charitatem ovibus ſuis, diſcipulis ſuis tenerrimam; & magnam de ipſorum ſalute ſollicitudinem demonſtrare: per ſeipſos, aut per alios de illorum ſtatu, converſatione, profectu inquirere; ſpiritalibus ipſorum incrementis animum ſuſtentare ſuum ac recreare. *Ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt*. 3. Summi Paſtores, ſcilicet Epiſcopi, ſecundi ordinis Sacerdotes ſub ipſorum regimine curam animarum gerentes fidelibus populis commendare debent, magnam de illis exiſtimationem, debitam reverentiam, filialem fiduciam illis erga Rectores ſuos, Præpoſitos, & Evangelii ac Sacramentorum Miniſtros inſpirare. Hi vero & inter ſe, & cum Epiſcopis ſuis, unanimes eſſe debent in doctrina, ſive quæ Fidem, ſive quæ Moralis Chriſtianæ regulas, Sacramentorum adminiſtratione, hierarchici ordinis conſervationem, ſpectat, ac (ut duobus verbis omnia complectar) in dogmatibus & diſciplina. Nullis vero curam animarum credant aut verbi miniſterium vel animarum Directionem committant, qui non ſint in doctrina & diſciplina concordes, ſimilique affectione ac zelo ad animarum ſalutem promovendam propenſi. *Neminem habeo tam unanimem, qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit*. 4. Paſtores, Concionatores, Doctores, Moderatores conſcientiarum, omnes univerſim Eccleſiæ Miniſtri, unam Dei gloriam, animarum ſalutem, Eccleſiæ utilitatem ob oculos habere debent, non privata commoda.

Theophylact.

Sed, heu! *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti*. Quaſi Miniſter ſibi ipſi, non Domino laborare debeat. Pleriqne propriam quietem quærunt, & ut ſint in tuto. Qui autem propriam quietem quærit in Sacerdotio, in Clero, vel in Vita Religioſa, Chriſtum non quærit. Proh dolor! quanto a Chriſto, & ab ejus Apoſtolis diſtamus intervallo!

S. Auguſt. Tract. 40. in Joan. n. 5.

„ Quanti ſunt in Eccleſia Præpoſiti & Miniſtri ſua quærentes, non Chriſtum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda conſectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes? Hæc quando amantur a Præpoſito, & propter hæc ſervitur Deo, quiſquis eſt talis, mercenarius eſt, inter filios ſe non computet. De his & Dominus dicit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*.

Matth. 6. 5.

Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ animum cœleſtibus rebus, Chriſti negotiis conſecratum, terrenis rebus implicare non debent.

S. Bernard. lib. 4. De Conſideratione ad Eugenium, cap. 6.

Vacuum a ſollicitudine rerum minorum & vilium oportet eſſe animum tam magnis & tam multis intentum rebus. Oportet liberum, quem nulla ſibi vindicet violenta occupatio. Oportet ingenuum, quem nulla deorſum trahat indigna affectio. Oportet rectum, quem nulla ſeorſum avertat ſiniſtra intentio. Oportet cautum, quem nulla ſubeat furtiva ſuſpicio. Oportet vigilem, quem nulla a ſeſe abducat peregrina & curioſa cogitatio. Oportet firmum; quem nulla concutiat repentina turbatio. Oportet invictum, quem nulla fatiget vel continua tribulatio. Oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amiſſio. His te non dubites & bonis privandum, & feriendum malis, ſi animam dividens, & Dei rebus, & tuis pariter reculis volueris impartiri.

25. 26. 30. *Neceſſarium autem exiſtimavi Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos*. Epiſcopus frater eſt Apoſtolorum in fide, cooperator in miniſterio, commilito in præliis adverſus errores & vitia, adverſus mundum & diabolum, propriæ Diœceſis Apoſtolus, ſeu Apoſtolorum ſucceſſor, pater, procurator, & miniſter pauperum. Paſtorem inter & oves tam ſtricta debet eſſe conjunctio, ut illæ Paſtoris præſentiam deſiderent, hic abſentiam a grege ſuam, tametſi juſtam, & pro tempore neceſſariam moleſte ferat, reſidentiam amet, ac ſancta ad illas redeundi impatientia teneatur. *Quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mæſtus erat*, etc. Vitam denique ſuam, nedum vitæ commoda, & fortunæ bona exponere debet bonus Paſtor propter opus Chriſti, charitate urgente, quæ morte fortior eſt. *Quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam*.

CAPUT III.

Senſus Litteralis.

1. **D**E *cetero, fratres, gaudete in Domino. Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* * Quod ſupereſt, fratres mei, vos depulſo mœrore, quem ex vinculis meis, & ex chariſſimi noſtri Epaphroditi periculoſo morbo concepiſtis, gaudete velim ſpirituali gaudio, quale Chriſtianos decet. Eadem vobis ſcribere & inculcare, mihi quidem minime grave ac moleſtum eſt, vobis autem neceſſarium, ut a periculis tutiores ſitis.

* Græce ἀσφαλὲς. *Vobis autem tutum.*

Judæi Gentiles olim canes vocabant: *Non eſt bonum accipere panem filiorum, & dare canibus*, ait Chriſtus. Sed cum rebus tranſlata ſunt nomina: & Gentes quidem ad Chriſtum converſæ vocantur filii, Judæi autem canes.

2. *Videte canes, † videte malos operarios, videte conciſionem.* Cavete a falſis Doctoribus, Judaizantibus, qui canum inſtar impudentes, Apoſtolos mordent & lacerant calumniis & conviciis, eorumque doctrinæ paſſim oblatrant, Cavete malos operarios, qui in Evangelio Chriſti bona fide non verſantur, nec ædificant, ſed ædificium ſpirituale diruere conantur, Chriſtianiſmum Judaiſmo miſcentes & corrumpentes. Cavete eos, qui circumciſionis neceſſitatem obtrudentes, naſcentem Eccleſiam in partes ſcindere conantur, & ſe ipſos a Chriſti corpore abſcindunt.

3. *Nos enim ſumus circumciſio, qui Spiritu ſervimus Deo * & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes.* Nos enim ſumus vere circumciſi circumciſione ſpirituali, circumciſione cordis, qui ſpirituali ac interiori cultu Deo ſervimus, & in Chriſto Jeſu tamquam ſalutis noſtræ auctore gloriamur, non in Moyſe; omne bonum ad ſalutem æternam pertinens, & ad eam conducens, ipſius Chriſti meritis acceptum referentes; non in Ritibus externis legis Moſaicæ, vel in rebus carnalibus, quales ſunt eſſe Iſraelitam, eſſe circumciſum, eſſe Phariſæum, &c. fiduciam collocantes.

* Alia lectio habet. *Qui Spiritu Dei, ſervimus* quam *S. Ambroſius* lib. 2. *De Spiritu ſancto*, cap. 5. & 8. *Auguſt.* lib. 1. *De Trinit.* c. 6. ſequuntur, ut omnium pene Græcis Codicibus, & pluribus Latinis conſonam. Sic enim in Græcis ſcriptum, οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες: & ex eo loco probant Spiritum ſanctum eſſe Deum, ſiquidem non creaturæ, ſed Creatori ſerviendum ait. *Theodoret. in hunc locum.*

4. 5. 6. *Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.* Sic autem loquor, non quod mihi detur argumentum gloriandi & confidendi in carnalibus illis rebus, nempe circumciſione, origine ex Iſraele, &c. Si quiſquam alius ex his rebus gloriam ſibi captare poſſe videatur: Ego multo magis de his gloriari poſſem. *Circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus.* Quippe qui ſum circumciſus octavo die, ut Iſaac & ejus poſteri, non adulta ætate, aut quovis alio tempore, ut proſelyti. Ex genere Iſrael oriundus ſum, non ex Iſmaelitis, Idumæis, aut Ethnicis. Ex tribu Benjamin, quæ primum Iſraelitis regem dedit, & quæ tribui Juda conjunctiſſima ſemper fuit religione & republica. Hæbræus ex parentibus qui gentis characterem ſervarunt, linguam incorruptam & Scripturas retinentes, non ex Judæis inter Gentes diſperſis: ſecundum Legis inſtitutionem, ex Phariſæorum ſecta, apud Judæos probatiſſima. *Secundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei.* Quod zelum ſtudiumque religionis attinet, tam vehemens in me fuit, ut Chriſtianos tamquam Legis adverſarios perſecutus ſim. *Secundum juſtitiam quæ in Lege eſt, converſatus ſine querela.* Quod ſpectat denique juſtitiam in externa legis obſervatione poſitam, irreprehenſibilis, ita ut nemo gravem tranſgreſſionem legis mihi objicere poſſit, ac de me juſte conqueri.

7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* Sed quæ tunc mihi videbantur glorioſa, & utilia ad juſtitiam & ſalutem æternam conſequendam, ea comparatione Chriſti, & juſtitiæ per ipſum partæ, detrimenti loco duxi, poſtquam in Jeſum Chriſtum credidi: utpote quæ non ſolum inutilia ſint ad ſalutem, ſed etiam impedimenta ſint cognoſcendæ veritatis, & juſtitiæ per Chriſtum obtinendæ. „ Comparatione potiorum damnum vocavit ea quæ ſunt deteriora. Supervacanea eſt enim lucerna, ſi Sol apparuerit: ſupervacaneus pædagogus his qui perfectam acceperunt ſapientiam: Inutile lac nutricis iis qui ſolido cibo veſcuntur.

8. 9. 10. 11. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora a, ut Chriſtum lucrifaciam.* Quin etiam exiſtimo non ſolum legalem juſtitiam, non ſolum generis claritatem, ſectæ dignitatem, legis peritiam, ſed & omnia temporalia, quæ ab hominibus hujus ſæculi magnifiunt, damnum ac detrimentum eſſe comparatione eminentis cognitionis Jeſu Chriſti Domini mei, & Myſteriorum ac beneficiorum ejus, ac fructuum qui ex illa cognitione percipiuntur: propter quem Dominum meum ac Salvatorem Jeſum Chriſtum omnia abjeci ut quiſquilias & ſtercora, ut Chriſtum poſſideam, ac bonorum ejus particeps efficiar. *Et inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.* Et ut Chriſto inſertus & incorporatus, ut palmes viti, ut membrum corpori, non habeam juſtitiam legalem, quam meam reputem, & quæ vera juſtitia non eſt; ſed veram illam juſtitiam, quæ ex fide in Chriſtum Jeſum oritur, in eaque fundatur: juſtitiam, inquam, fidei per dilectionem operantis, quæ a Deo auctore eſt, non ex naturæ viribus, & ſola commonitione legis. *Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius: configuratus morti ejus.* Ut cognoſcam Chriſtum Jeſum, Perſonam ejus, officium, & beneficia in genus humanum, & efficaciam reſurrectionis ejus, quæ reſurrectionis noſtræ cauſa & pignus eſt, utque perpeſſionum ejus ſim particeps, & morti ejus conformis fiam, pro nomine ejus quotidianis mortis periculis expoſitus. *Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.* Sic enitor ut ad beatam reſurrectionem, quæ juſtorum expectatio eſt, perveniam.

a Græce σκύβαλα duriorem & craſſiorem paleam, quæ fert frumentum eoque collecto abjicitur, Theodoretus interpretatur.

12. b *Non quod jam acceperim; aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.* Hæc autem dixi, non quod jam ad Chriſtianæ juſtitiæ & perfectionis apicem pervenerim, aut bravium beatæ reſurrectionis jam contingam, aut de illa ſim omnino certus ac ſecurus: ſed curſum meum perſequor, & omnibus ſtudiis ac viribus enitor & contendo ut apprehendam perfectionem ad quam Chriſtus me vocavit ac deſtinavit, me extra viam errantem per gratiam ſuam praeveniens, ac velut injecta manu apprehendens, in viam ſalutis reduceret.

b Certitudinem & ſecuritatem conſequendæ ſalutis hic locus excludit, reliqua eſſe arduam probat ad cœleſtem beatitudinem pervenire. De qua noſter Apoſtolus confidebat quidem, ſed omnino ſecurus non erat.

13. 14. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium c ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Ego jam tot annos Apoſtolus, tot pro Chriſto perfunctus laboribus & periculis, me nondum perveniſſe arbitror ad perfectionem ad quam tendo. Unum autem ago, ea ſcilicet quæ a tergo ſunt negligens, ut ii qui in ſtadio currunt, præteritorum laborum prædicationis, & omnium quæ pro Chriſto egi vel pertuli, obliviſcor, ad ea quæ ante me ſunt, ad ulteriores ac magis arduos perfectionis gradus, ad plura & majora pro Chriſti gloria & Eccleſiæ propagatione peragenda totis viribus enitor & contendo; ad ſcopum, quem præ oculis ſemper habeo, continuo curſu propero, ut referam præmium ſupernæ felicitatis, ad quam nos vocavit Deus per fidem in Chriſtum Jeſum, & per ejus merita.

§ Theophylacti Interpres vertit, *Quatenus*, ſive, *quoniam & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.* Interpres vero Oecumenii: *Si etiam apprehendam in his ob quæ & apprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.* Verſio Syriaca: *Curro, ſi forte aſſequar id, propter quod me aſſecutus Chriſtus Jeſus.* Theodoret.

c Similitudo ſumpta a curſoribus. Bravium ſive præmium ſuſpendebatur ſuper metam; Agonothetes vero ſedebat in ſublimi loco, ex quo per præconem vocabat curſores ſingulos, & ei qui prior ad metam pervenerat, præmium conferebat. *S. Chryſoſt. Hom. 12.*

15. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Quicumque ergo ſpirituales & in rebus divinis exercitati, noſtra vel aliorum opinione, ſumus; quicumque in Religione Chriſtiana magis profecimus, & aliorum infirmorum adhuc & parvulorum in Chriſto comparatione perfecti ſumus, hoc ſentiamus, ea quæ retro ſunt, oblivioni tradenda eſſe: In bonis operis quæ hucuſque egimus, non eſſe acquieſcendum, ſed proficiendum ſemper, donec ad metam curſus noſtri perveniemus: Quia *perfecti hominis eſt non ſe exiſtimare perfectum.* Et ſi quid aliter ſentitis ea de re, ſi vos jam perfectionis metam attigiſſe putatis ex ignorantia magis quam ex improbitate, Deus vobis oſtendet vos eſſe deceptos.

16. *Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Verumtamen quod ſpectat rerum divinarum cognitionem, quam aſſecuti jam ſumus, in eadem ſententia & regula fidei ac morum nobis a Chriſto revelata & tradita permaneamus unanimes. Regula enim neque additionem, neque detractionem ſuſcipit. Eos igitur ne toleretis, qui legis Moſaicæ ritus Evangelio admiſcendos docent ac prædicant.

17. 18. 19. *Imitatores mei eſtote, fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Pari ſtudio imitatores mei eſtote, & eos diligenter conſiderate, eorumque inſiſtite veſtigiis, qui vitam ſuam & converſationem inſtituunt ad exemplar quod ipſis præbuimus. *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti.* Multi enim inter vos converſantur, de quibus ſæpe vos commonui, nunc autem cum lachrymis ex ſummo in vos affectu manantibus iterum commoneo, ut vobis ab illis caveatis: Quos merito dixerim inimicos crucis Chriſti, tum ratione doctrinæ, quia virtutem crucis evacuant, legalium ceremoniarum obſervantiam ad ſalutem eſſe neceſſariam aſſerentes. (*Si autem ex lege juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt*) tum ratione vitæ corruptæ, mollis & voluptariæ. *Quorum finis interitus,*

tus: quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Quos æterna manet damnatio, qui ventrem pro Deo habent, finem ſuum in deliciis cibi & potus conſtituentes: qui gloriantur in iis quorum illos pudere oporteret: ea dumtaxat cogitantes, diligentes, curantes, quæ ad vitam animalem pertinent: curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes.

Galat. 2.

20. 21. *Noſtra autem converſatio* * *in cœlis eſt: unde etiam Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Nos autem animo jam in cœlis ſumus, & vivimus ut cœli cives; & inde venturum Salvatorem noſtrum ac Dominum Jeſum Chriſtum exſpectamus; qui in ſecundo ſuo adventu ſalutis noſtræ complebit opus, corpora noſtra beata immortalitate donans. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia*. §. Qui corpus noſtrum, quamvis humile & abjectum, miſeriiſque & corruptioni obnoxium transformabit, ut illud conforme reddat corpori ſuo glorioſo & immortali, operatione illa efficaci, qua ſibi etiam ſubjicere creaturas omnes poteſt. Poteſtatem habet ſibi omnia ſubjiciendi, ergo & interitum & mortem: potius autem ex eadem poteſtate hoc etiam facit (ait S. Chryſoſtomus.

* Secundum Græcum: *Municipatus noſter in cœlis eſt*. Hanc Verſionem S. Hieron. variis in locis, & Caſſianus Collat. 3. c. 7. ſimpleciſſent. Syriaca Verſio: *Noſtrum exercitium in cœlis eſt*.

§. Pater ſibi ſubjecit omnia, 1. Cor. 15. 28. & Heb. 2. 8. Filius ſibi pariter ſubjecit omnia. Una eſt igitur Patris & Filii poteſtas: una igitur divinitas.

CAPUT III.

Senſus Moralis.

Gaudium Chriſtiano dignum.

1. **D**E *cetero, fratres, gaudete in Domino*. Nullum gaudium Chriſtiano dignum, niſi quod ſecundum Deum eſt, niſi gaudium bonæ conſcientiæ, niſi gaudium quod ex caritate oritur, gaudium de veritate, de pietate, de Dei honore, de Chriſti gloria, de Eccleſiæ profectibus & incrementis, de peccatorum converſione, de juſtorum progreſſu & perſeverantia, de animarum ſalute; gaudium de quo Chriſtus Dominus: *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur*. „ Perfectum & ſuaviſſimum gaudium eſt, quod „ in Deo eſt, & propter Deum, & de bonis operi- „ bus, propter ſpem firmam & inconcuſſam, & „ omnia de iis quibus par eſt non ſolum nos, ſed & „ totum Jeſum lætari contigit: imperfectum vero „ gaudium mundi aſſerimus, cum propter levitatem „ & inconſtantiam, tum quod ob ea quæ minus de- „ cent oriatur, id eſt ob res mundanas, quæ phan- „ taſmatum & umbræ inſtar avolant.

Joan. 15. 11. S. Cyrill. Alexandr. lib. 10. in Joan. p. 886.

Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Bono Paſtori numquam moleſtum aut tædioſum eſt Evangelicas veritates & Chriſtianæ vitæ officia ſeu viva voce e ſacro ſuggeſtu, ſive per litteras ovibus ſuis inculcare & exponere. Nuſquam tædere debet populum fidelem monita ſalutis a Paſtore ſuo audire. In iis tradendis, non eorum guſtui, ſed neceſſitati conſulat divinæ animarum Medicinæ peritus & pius Miniſter. „ Quemad- „ modum enim feris ulceribus non uno medica- „ mento opus eſt, ſed multiplici remedio, eoque „ jugi & continuo tandem expugnantur: ſic animo „ contumaci & præfracto crebra & continua a Ma- „ giſtris remedia adhibenda ſunt. Nec enim una tan- „ tum admonitio deliniet, ſed identidem, licet iiſ- „ dem verbis repetita. Unde Salvator eumdem ſer- „ monem Judæis inculcans varie proponebat, modo „ ænigmate & obſcuritate involutum, modo nudum „ & apertum, ut niſi crederent, condemnationem „ non effugerent. Sic primorum Eccleſiæ ſæculorum „ Paſtores ſalutis monita Chriſtiano populo inculca- „ bant, Tertulliano teſte. "*Coimus (inquit) ad litterarum divinarum commemorationem, ſi quid præſentis temporis qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus*. Sic antiqui Chriſtiani Paſtorum ſuorum ſalutaria monita ſæpius repetita, avide & cum gaudio audiebant. Non mirum ergo quod mores illorum tam ſancte erant compoſiti. Nam *Difficilius errat ovis, quæ voces deſiderat audire Paſtoris; nec facile efficitur vitioſus, cui admonitor inſiſtit aſſiduus*.

Salutis monita Chriſtiano populo a Paſtoribus inculcanda.

S. Cyrill. Alexandr. lib. 4. in Joan. p. 352. ad Verſ. 51. c.

Tertull. Apolog. cap. 39.

Caſſiodorus lib. 11. Variar. Epiſt. 2.

2. *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem*. Nulli magis nocent Eccleſiæ, quam apoſtatæ a fide vel pietate, quam mali Paſtores, Concionatores, & conſcientiarum Moderatores, primi, canum inſtar, contra veritatem oblatrant, illi pertinaciſſime reſiſtunt, illamque quantum in ipſis eſt, perimere, ſi fieri poſſit, conantur (ut loquitur S. Auguſtinus.) Hi Prædicatores & Doctores Catholicos mordent, lacerant, proſcindunt calumniis, libellis famoſis. *Videte canes*. Sunt & intra Eccleſiam canes, qui blandis caudæ motibus, dulcibus ſermonibus, Prælatis & Magnatibus adulantur; viroſque integerrimæ fidei, pietate etiam & doctrina conſpicuos, ex ſævitia cordis, non ex ratione, ſed ex nocendi conſuetudine, & prava æmulatione, velut hæreticos teterrimos traducunt. Sunt qui damnata jam a Sede Apoſtolica & ab Epiſcopis dogmata, ſeu Fidem, ſeu Moralem Chriſtianam ſpectantia, ſuſcitare moliuntur; Summorum Pontificum Conſtitutiones evanidis diſtinctionibus eludere; illis ingenio impudente, audace, contumace obſtrepere; debitam illis ſinceram & interiorem reverentiam & obedientiam (quod ſpectat Auctorum & librorum damnationem) negare, ſtudiis partium Eccleſiam concidere, illos Scriptis maledicis laceſſere, qui eorum adverſantur factioni & erroribus. Quid neceſſarium magis quam illos obſervare, & ab illis ſolicite cavere? *Videte canes, videte conciſionem*. Cavendi qui in vinea Domini non fideliter laborant, ſed ſuper frumentum ſeminant zizania errorum: quod opus otio longe deterius eſt. Tales ſunt qui humanarum ac novellarum opinionum vanitatem in rebus Moralibus, etiam in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento, Scripturæ ſacræ, Traditioni, Canonibus ac Decretis ſummorum Pontificum Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia conſecratis, Eccleſiæque ſanctiſſimæ Diſciplinæ ac moribus præponere non dubitant; ſicque avellunt, diſſipant, diruunt, quæ bene ſunt plantata, ædificata & conſtituta. Non ædificant ſuper fundamentum Chriſtum Jeſum, ſed ſuper figmenta ſua, & aliena; ſuper arenam, non ſuper firmam petram; ſæculi corrupti conſuetudini, non veritati; privatis commodis, non animarum ſaluti ſervientes: prophetantes de corde ſuo, *conſuentes pulvillos ſub omni cubito manus, & facientes cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*. De Concionatoribus quid dicam, qui verbum Dei cauponantur (ut ita loquar) adulterant, & inanis eloquentiæ lenociniis enervant ad gratiam auditorum captandam? *Videte malos operarios*. De his præclare S. Baſilius: *Vinum, inquit, exhilarat cor hominis; mentem exhilarant documenta Scripturarum, per ſanctos Apoſtolos & Prophetas vinum id fundente nobis Spiritu ſancto ad percipiendam jucunditatem æternam. Quæ quidem documenta plerique adulterant & cauponantur, Scripturam ipſam in aquam convertunt, permiſcentes quæ ſuo intellectu excogitarunt, in extremam perniciem auditorum. Dum enim per blandiloqua & ſuaves ſermones ipſorum gratiam ſtudent demereri, alunt illorum vitia, enervantes auſteritatem & vigorem Scripturarum vitioſos aliter perſtringentem; ad auditorum ſubverſionem enarrantes maliti… dam erga homines benignitatem plane ineruditam condonationes item peccatorum nullo diſcretionis ſale conditas, & talia quædam ad captandam multorum gratiam, quibus aſſeminant animas*. „ Mali certe ope- „ rarii, qui fidei noſtræ pietatem, quæ prius ſimplex „ atque artis expers erat, artificioſam reddiderunt, ac *Novum quoddam Politicæ genus a foro ad Sancta translatæ, & a theatris ad Sacrarium, vulgi oculis minime inſpectandum: ita ut (ſi audacter hoc dicere oporteat) duæ jam ſcenæ ſint, inter quas hoc dumtaxat interſit, quod illa omnibus pateat, hæc quibuſdam; illa rideatur, hæc in honore ſit; illa theatrica, hæc ſpiritualis nominetur*.

…ntum Eccleſiæ nocent … operarii?

…ug. lib. … Sermone … in … c. 20.

Ezech. 13. 17.

S. Baſil. in Iſaiam, p. 855.

S. Gregor. Nazian. Orat. 17.

3. *Nos enim ſumus circumciſio, qui Spiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes*. Vera & ſincera pietas non in exteriori tantum luxus, lautiorum epularum, ludorum, ſpectaculorum, circumciſione poſita eſt; ſed in circumciſione cordis præſertim, & pravorum affectuum atque cupiditatum, in interno ſinceroque Dei cultu & ſervitute. Spiritu Deo ſerviunt, qui illum amore caſto diligunt, ejus mandata non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ obſervantes, propter unam ejus gloriam, non ob aliam ab ipſo mercedem: qui illi obſequuntur non ut ſervi, non ut mercenarii, ſed ut filii. „ *Si ſervus es, plagas me-* „ *tue: ſi mercenarius, mercedem duntaxat exſpecta;* „ *ſin autem ſuper hos aſſurgis ac filius es, Patrem ve-* „ *rere, ac bonis operibus ſtude; quia bonum eſt Patri* „ *obtemperare: etiamſi ex ea re nihil quæſtus ad te* „ *rediturum ſit, hoc ipſum merces eſt, Patri obſequi*." Spiritu Deo ſerviunt, qui illum adorant per Jeſum Chriſtum, omnem fiduciam ſuam in Domino Jeſu collocant, nullam juſtitiam, nullum meritum, nullum præmium, nullam ſalutem, niſi ab ejus meritis exſpectant, nullam legem ac regulam præter ejus Evangelium, ac Eccleſiæ Decreta & præcepta agnoſcentes, nullas vires niſi ab ejus gratia collatas. *Qui Spiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu*. Serviunt denique Deo in Spiritu, qui externis exercitiis ad pietatem promovendam conducentibus utuntur

Vera & ſincera pietas in quo conſiſtit.

S. Bernard.

tur

Digitized by Google

tur ſine ſuperſtitione, ſine oſtentatione, non in iis tanquam in fine conquieſcentes, non in illis fiduciam ſalutis conſtituentes. Abſtinentia, jejunia, vigiliæ, cilicia, carnis macerationes, Roſaria, Scapularia, ſimileſque Confraternitates, adminicula ſunt pietatis; ſed qui in illis confidunt, ac interiorem Dei cultum, qui in caritate conſiſtit, & mandatorum ejus in Spiritu caritatis obſervantiam negligunt, fiduciam in carne, Judæorum inſtar habent. *Et non in carne fiduciam habentes.*

S. Chryſoſt. Homil. 10.

7. *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* Longe perſpicaciores oculi fidei, oculis carnis. Longe fideliores; quippe qui mundum talem eſſe renuntiant, qualis in ſe eſt, promiſſorum ejus falſitatem, voluptatum amaritudinem, bonorum ejus vanitatem & nihilum demonſtrant... „Paulus vitæ rationem tam exquiſitam, & ab ineunte ætate ſuſceptam, tantam nobilitatem, tanta ſtudia, tantos conatus, labores, pericula parviſecit ac damna putavit (cum antea lucra viderentur) ut Chriſtum lucrifaceret: Nos vero neque pecuniam contemnimus ut Chriſtum lucremur; ſed malumus futuræ vitæ jacturam facere; quam præſentium rerum, quamquam hæ nihil aliud ſint quam damnum. Cur de rebus inſtabilibus pendemus? cur infirmis alligamur? Quouſque non perſequemur ſtabiles, permanentes, æternas? Uni Chriſto adhæreamus, quem nobis invitis nulla creatura eripiet. *Nemo tibi Chriſtum poteſt auferre, niſi te illi ipſe auferas.*

S. Ambroſ. l. 5. in Lucam, n. 20.

Mundi & omnium ejus bonorum contemptus.

8. *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Quiſquis Chriſtum recte novit, & guſtavit, omnia mundi bona, ut illum acquirat & poſſideat, facile contemnit ut vilia, & homine ad imaginem Dei, & ad ejus fruitionem condito indigna: illa rejicit ut noxia; *propter quem omnia detrimentum feci.* Quin etiam ab illis abhorret ut a rebus fœdis, quibus ſi adhæreat anima, inficitur, maculatur, obſcuratur, bono Chriſti odore privatur: *& arbitror ut ſtercora.* Quo magis divitias, honores & gloriam hujus ſæculi, terrenaſque voluptates faſtidimus, eo magis Chriſtum Jeſum, ejus Myſteria religionem ac legem cognoſcimus, eorumque fructum percipimus: *Propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei.* Jactura non eſt, ſed negotiatio, tenebras amittere ut lucem acquiras; quiſquilias abjicere ut aurum optimum poſſideas; ſpernere vanitatem, ut fruaris veritate; deſpicere modica, tranſitoria, terrena, ut aſſequaris maxima, æterna, cœleſtia. Quicquid pro Chriſto dimittitur, longe excellentius, magnificentius, cumulatius in illo invenitur. *Si aliqua amiſeris vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere ut majora lucreris.*

Tertullian. Ad Martyres.

Fructus contemptionis rerum terrenarum. Chriſtiani hominis juſtitia.

9. 10. 11. *Et inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu: quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.* Contemptionis rerum terrenarum primus fructus eſt intima cum Chriſto Jeſu conjunctio, ut membrorum cum capite. *Et inveniar in illo.* Fructus alter eſt ndes. „*Non habens juſtitiam meam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu.* Juſtitia ex lege non ſanctificat hominem. Lege enim Dei propoſita quiſquis ti uerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & fecerit quod lex jubet, non amando juſtitiam, ſed timendo pœnam; ut quidem ſecundum juſtitiam quæ ex lege eſt homo ſine querela, non furatur, non adulterat, non dicit falſum teſtimonium, non facit homicidium, non concupiſcit rem proximi ſui, poteſt hoc, poteſt fortaſſis; unde? Timore pœnæ. Quamquam qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit. Terrore ingenti armorum atque telorum, & circumdantis fortaſſe multitudinis vel obviam euntis, etiam leo revocatur a præda; & tamen leo venit, leo redit; prædam non tetigit, non malitiam poſuit. Si talis es, adhuc juſtitia eſt, qua juſtitia tibi conſulis ne torquearis. Quid magnum eſt pœnam timere? Quis eam non timet? Quis latro, quis ſceleratus, quis nequius? Sed hoc intereſt inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia ſperat ſe fallere leges hominum: tu autem leges ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam non amor tollit, ſed timor premit. Ad ovile venit lupus; latratu canum & clamore paſtorum ab ovili reverſus eſt lupus: ipſe tamen ſemper eſt lupus. In ovem vertatur. Facit enim & hoc Dominus: ſed ipſa eſt juſtitia ejus, non tua. Nam quamdiu habes tuam, potes timere pœnam, non amare juſtitiam.... Noli ergo velle habere juſtitiam tuam.... Juſtitia ſit, ſed ex gratia ſit, a Deo tibi ſit, non tua ſit. “ Geme, plora, crede, ut impetres. Eſt enim *ex fide Chriſti Jeſu*..... Tertius fructus contemptionis bonorum hujus ſæculi, eſt cognitio Chriſti, non ſpeculatrix ſolum, ſed practica; non per fidem tantum, ſed per ſuaviſſimam experientiam & guſtum ſpiritualem. *Ad cognoſcendum illum.*

S. Auguſt. Serm. 169. alias 15. De Verbis Apoſtoli, cap. 6.

Eminens cognitio Chriſti Jeſu a Chriſtianis acquirenda quid completatur?

Quatuor autem complectitur eminens hæc ſcientia. 1. Cognitionem Jeſu Chriſti a mortuis redivivi, jurium ejus, poteſtatis ejus ac dominii quod in nos habet ut Caput noſtrum, ut Sacerdos noſter, ut Rex noſter, ut Deus noſter: cognitionem virtutis qua Pater nos ad illum trahit, nos illi conjungit, nos in ipſo & per ipſum ſanctificat, animas noſtras nunc a morte peccati ſuſcitans, corpora etiam noſtra mortalia vivificaturus in die generalis retributionis. *Et virtutem reſurrectionis ejus.* 2. Eminens illa Chriſti cognitio, quæ ejus gratiæ donum eſt, habet etiam pro objecto diſpenſationem Myſteriorum ejus, unitatem & ſocietatem capitis & membrorum, qua fit ut una ſint victima, cum Chriſtus paſſiones ſuas illis communicet, quibus juſtitiæ Dei pro peccatis illorum ſatisfit accuratius & plenius, quam ſi pro peccatis ipſi ſuis mortem acerbiſſimam pertuliſſent. *Et ſocietatem paſſionum illius.* 3. Intelligunt Chriſtiani excellenti illa Chriſti cognitione imbuti, paſſionis & ſatisfactionis Chriſti merita ſibi per Baptiſmum, aliaque Sacramenta applicari, ſe per Baptiſmum conformes fieri cœpiſſe Chriſto Jeſu: ſeque inde obligationem contraxiſſe totius vitæ tempore laborandi, cooperando gratiæ Dei, ut imago Chriſti crucifixi perficiatur in nobis per vitioſorum affectuum, & exterioris etiam hominis mortificationem, crucisque tolerantiam, pro Dei gloria, pro expiatione peccatorum noſtrorum, pro Eccleſia, pro ſalute fratrum, ſi opportunitas adfuerit. *Configuratus morti ejus.* „Quamobrem vexationes, incommoda, anguſtiæ, cruces tantum abeſt ut nos perturbare debeant, ut potius inde lætandum ſit, quod per hæc conformes reddimur morti ejus: quod & alibi Apoſtolus expreſſit his verbis: *Mortificationem Domini Jeſu in corpore circumferentes.* Et id vero ex magna fide fit. Non enim ſolum reſurrexiſſe credimus, ſed etiam poſt reſurrectionem habere magnam potentiam. Propterea eadem via iter facimus, qua ille: id eſt, hac etiam ex parte fratres illius efficimur: perinde ac ſi diceret, *Ex hac re efficimur Chriſti quidam.* 4. Intelligunt, nulli parcendum eſſe labori, nihil non agendum, patiendumque, ut ad beatam reſurrectionem perveniamus, quæ Chriſtum Jeſum, ejuſque Myſteria conſummabit in nobis, & cœleſtis hominis imaginem perficiet, numquam deinceps delendam vel obſcurandam. *Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.* Morere, ut vivas: ſepelire, ut reſurgas. Cum enim ſepultus fueris, & reſurrexeris; tunc verum erit, *Surſum cor*... *Tanto affectu eſt in tribulatione gaudendum, quanto conatu eſt per ſpem, & operis perfectionem, in filiorum hereditatem nitendum.*

S. Chryſoſt. Hom. 11. in hanc Epiſtol. 2. Cor. 4.

S. Auguſt. S. Anſelm. Epiſt. 44. lib. 1.

12. 13. 14. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim, ſequor autem, ſi qua modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.* Quis ſibi de perfectione Chriſtianæ juſtitiæ blandiatur, cum Apoſtolus tantis pro Chriſto perfunctus laboribus, tantis meritis inſignis, tantis virtutibus doniſque Spiritus ſancti dives, ſe nondum perfectionis metam attigiſſe exiſtimet? Semper igitur in ſtudio virtutis & perfectionis procedendum, & totis viribus ad metam currendum eſt; oblivioni tradendum ſi quid boni huc uſque geſſimus, conſiderandum quid nobis deſit, totis viribus repellenda & frangenda ſunt impedimenta curſus noſtri, nuſquam retrocedendum in via Dei; ad id quod ſupereſt conficiendum extendendi ſunt affectus noſtri, conatus noſtri, opera noſtra. *Unum autem quæ quidem retro ſunt oblivíſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens me ipſum.* Unum nobis curæ ſit, animæ noſtræ ſalus: ad unum ſcopum contendamus & collimemus, ad cœlum ſcilicet ac beatam æternitatem; ad quam pervenire non poſſumus niſi voluntatem Dei faciamus, & noſtræ vocationis officia accurate & ferventer impleamus. *Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* „Quiſquis putat ſe modo poſſe implere juſtitiam, cum vixerit bene atque innocenter ſecundum probabilitatem exiſtimationis humanæ, in via remanſit, non deſiderat melius, quia impleſſe ſe putat, maximeque ſibi tribuens, erit ſuperbus. *Et melior eſt peccator humilis, quam juſtus ſuperbus*.... Proficite, Fratres mei, diſcutite vos ſemper ſine dolo, ſine adulatione. Non enim aliquis eſt tecum, cui erubeſcas, & jactes te. Eſt ibi, ſed cui placet humilitas, Ipſe te probet. Proba

In ſtudio virtutis & perfectionis Chriſtianæ ſemper progrediendum eſt.

S. Auguſtin. Serm. 170. alias De Tempore 49. & Serm. 169. alias 15. De Verbis Apoſt. cap. 15.

„ & te

„ ſe te ipſum tu ipſe. Semper tibi diſpliceat quod „ es, ſi vis pervenire ad id quod nondum es. Nam „ ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris, „ ſufficit; & periiſti. Semper adde, ſemper ambula, „ ſemper proſice: noli in via remanere, noli retro „ redire, noli deviare. Remanet qui non proficit, „ retro redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abſceſſerat: *Conſideat ſeipſum, ut ſciat quid deſit ſibi. Nam cui non deſit?* Omnia illi deſunt, qui „ nil ſibi deeſſe putat. Infimum te noris eſſe, ſi „ ſummum putas. Quis ſummus cui addi non poſſit? „ Graviter erras, ſi te illum eſſe exiſtimas. Abſit... „ Nisi te ad ſummum velim, non putare ſummum, „ aut putari velle antequam ſis. Nam quomodo proficis, ſi jam ſufficit tibi? Non ſit proinde tibi aut „ pigrum veſtigare quid deſit, aut fateri quod deſit „ verecundum.

S. Bernard. Epiſt. 2. De Conſiderat. cap. 7.

15. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Deſipit profecto qui aliter ſapit. Virtus enim quæ eſt in homine juſto, perfecta hactenus nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipſius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confeſſio. „ Tunc enim eſt ſecundum hanc infirmitatem „ pro ſuo modulo perfecta parva iſta juſtitia, quan„ do etiam quid ſibi deſit intelligit. Ideoque Apoſto„ lus & imperfectum & perfectum ſe dicit: imper„ fectum ſcilicet, cogitando quantum illi ad juſti„ tiam deſit, cujus plenitudinem adhuc eſurit & ſi„ tit; perfectum autem, quod & ſuam imperfectio„ nem confiteri non erubeſcit, & ut perveniat bene „ procedit. Sicut poſſumus dicere perfectum eſſe via„ torem, cujus bene promovetur acceſſio, quamvis „ non perficiatur intentio, niſi fuerit facta perven„ tio. “ *In ea ergo quæ perficienda eſt juſtitia multum in hac vita ille profecit, qui quam longe ſit a perfectione juſtitiæ proficiendo cognovit.*

Ille tantum profectus eſt Chriſtianus, qui ſe cognoſcit & confitetur imperfectum.

S. Auguſtin. lib. 3. Contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 7. Idem lib. De Spiritu & Littera, cap. 36.

16. *Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula.* Infirmi in fide confirmandi ſunt a Paſtoribus & Doctoribus, illiſque inculcandum ut regulæ fidei, ſcilicet verbo Dei ſcripto & tradito immobiliter adhæreant. Siquidem *Regula fidei una omnino eſt ſola immobilis & irreformabilis.* Tam mutari non poteſt hæc regula quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto acceperunt, quam non poteſt mutari æterna Veritas, quæ Deus eſt. Sed nec præcepta & regulæ morum a Deo & Chriſto traditæ, nec via ſalutis quam ut nobis monſtraret, in eaque greſſus noſtros dirigeret, Filius Dei factus eſt homo, ullam ſubire mutationem poſſunt. Ideo Apoſtolus ait: *Ad quod pervenimus, in eadem permaneamus regula.* „ Regulam in„ telligit curſus ſecundum Deum, quæ ante tradita „ eſt, ſcilicet oblivisci præteritorum bonorum ope„ rum, florere vero & extendi uſque in priora, ut „ quaſi modo bona inchoantes opera, quotidie intel„ ligentes illud *Hodie*, & dicentes ſibi ad extremum „ uſque vitæ ſpiritum. Oportet enim ad id uſque „ tempus currere curſum Dei & cum adverſariis pu„ gnare.

Regula fidei & Morum ac via ſalutis, immutabiles.

Tertullian. lib. De Virginibus velandis, c. 1.

Eulogius Alexandrinus l. contra Novatianos, in Bibliotheca Photii, p. 1614.

18. 19. *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: Quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt; & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Deflenda certe cæcitas Judæorum carnalium, qui ſpem ſalutis ſuæ in carne animalium Deo immolatorum, qua ventrem implebant ſuum, reponebant, non in ſacrificio Dei viventis; qui gloriam ſuam in pudenda corporis plaga & circumciſione carnali, non in circumciſione cordis conſtituebant; qui in promiſſis temporalium bonorum hærebant, illaque dumtaxat deſiderabant, nec ad cœleſtem & æternam hæreditatem ſuſpirabant & tendebant: ſed longe magis deflendi ſunt Chriſtiani, qui cum Jeſu Chriſti, membra ſint, ventrem ſibi Deum faciunt ingluvie, crapula, ebrietate, cibi potuſque voluptatibus: Quorum *Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet. His Deus venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos cocus, & ſanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus Prophetia:* famem, ſitim, abſtinentiam, jejunia, ſeu ab Eccleſia præſcripta, ſeu ſponte ſuſcepta, ceteraſque carnis mortificationes ad communicandum paſſioni Chriſti, tolerare non noverunt. *Inimicos crucis Chriſti*... „ Duo ſunt opera carnalia, quibus con„ ſtat genus humanum, in quæ duo opera prudentes „ & ſancti ex officio deſcendunt; imprudentes autem „ in ea per cupiditatem ruunt. Primum eſt, quod „ pertinet ad ſumenda alimenta (quæ utique non „ poſſunt ſine aliqua per carnem delectatione ſumi,) „ manducare & bibere, ſi non feceris, morieris. Sed „ per hoc ſuſtentaculum ſuſtentantur homines quod „ ad ſeipſos attinet; ſucceſſioni autem non conſulunt „ manducando & bibendo, ſed uxores ducendo...

Intemperantiæ & incontinentiæ vitium.

Ad alimenta ſumenda, & ad opus nuptiarum prudentes & ſancti officio deſcendunt, imprudentes & mali per cupiditatem & libidinem ruunt.

Tertullian. lib. De Jejuniis.

S. Auguſt. Serm. alias De Diverſis 63.

„ Ad utrumque ſapiens & prudens & fidelis officio „ deſcendit, non libidine cadit. Ad manducandum „ & bibendum quam multi voraciter irruunt, illi po„ nentes totam vitam quaſi ipſam cauſam vivendi? „ Nam cum ideo manducent ut vivant; ideo ſe pu„ tant vivere ut manducent. Illos omnis ſapiens re„ prehendit, & maxime divina Scriptura, edaces, „ ebrioſos, helluones, *quorum Deus venter eſt.* Illos „ ad menſam non ducit niſi concupiſcentia carnis, „ non indigentia refectionis. Itaque iſti cadunt in „ eſcam & potum. Illi autem qui deſcendunt ex „ officio vivendi, non ideo vivunt ut comedant; „ ſed ideo comedunt, ut vivant. Itaque iſtis pruden„ tibus & temperantibus ſi offerretur ut ſine cibo „ & potu viverent; quanto gaudio amplecterentur „ hoc beneficium, ut quo cadere non conſueverunt, „ nec deſcendere cogerentur, ſed ſemper ſuſpende„ rentur in Domino, non deponeret eorum inten„ tionem neceſſitas ſuſtentandarum corporis ruina„ rum! .... Sic & in illo officio conjugali, libidinoſi „ homines uxores non propter aliud quærant, & „ ideo vix tandem ipſis uxoribus contenti ſunt.... Sed matrimonii cancellos egreſſi, libidinem quoquo modo ſatiant. Hinc fornicationes, ſtupra, adulteria, & his pejora, non tam crimina, quam monſtra. De impudicis amoribus tantum abeſt ut erubeſcant, ut etiam eos feſtivæ & urbanæ indolis eſſe velint, ac de illis quaſi bellatores de victoriis glorientur. *Et gloria in confuſione ipſorum.* Pudet illos non eſſe impudentes; *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis* .... *Venite* (inquiunt) *fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequam marceſcant; nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra, ubique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ.* De cœleſti beatitudine, de æternitate non magis cogitant, non magis curant, quam ſi animæ illorum ſimul cum corporibus interirent.... „ Nihil ſapiunt niſi terram, bonaque & „ mala ſolius corporis ſenſu & voluptate perpen„ dunt. Hujus arbitrio ut religionem ponderant, ſic „ totius vitæ ſuæ acta diſponunt. Et quoniam ſe „ ſemel a cœli contemplatione averterunt, ſenſuſ„ que illum cœleſtem corpori mancipaverunt, libi„ dinibus frena permittunt, tanquam ſecum abituri „ voluptatem, quam momentis omnibus capere feſ„ tinant; cum animus miniſterio corporis, non cor„ pus miniſterio animi uti debeat. *Qui terrena ſapiunt.* Et quis tandem illorum exitus? Æterna damnatio. *Quorum finis interitus.* Ad hos pertinet propherica illa maledictio. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis. de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.* Reproborum enim hominum genus hoc ordine in pœnam ruit. „ Primum, ignem accendit, poſtea vires igni„ bus præbet; poſtremo flammam ingreditur, quam „ paravit. Quando ſibi primum homo reprobus ac„ cendit ignem? Cum primum peccare incipit. „ Quando vires ignibus præbet? Cum peccata pecca„ tis cumulavit. Quando ignem æternum introibit? „ Quando irremediabilem jam malorum omnium ſum„ mam creſcentium delictorum iniquitate comple„ verit.

Proverb. 2. 14.

Sapient. 2. 6.

Lactant. lib. 6. Divin. Inſtitut. c. 4.

Iſaiæ 50. 11.

Salvian. lib. 4. De Providentia.

„ *Inimicos crucis Chriſti.* Nihil æque alienum eſt „ a Chriſtiano, ac requiem, & otium quærere. Ni„ hil ita a profeſſione noſtra, ac militia, cui nomen „ dedimus, alienum, ac præſentis vitæ delicium eſſe. „ Dominus tuus in crucem actus eſt: & tu requiem „ quæris? Dominus tuus clavis confixus eſt, & tu „ delicias? Hæccine Militis generoſi? Crux propria „ animæ eſt in acie ſtantis, more cupientis. nullam „ ſibi oblectationem poſtulantis. Imitare Dominum „ tuum. Ipſe te crucifige, etiamſi nemo te figat: „ prout dicebat Paulus: *Mihi mundus crucifixus eſt, „ & ego mundo.* Si Dominum tuum amas, morte „ illius morere. Cum diabolo ſi bellum geras, tunc „ geſtas crucem, non tantum accepto ſignaculo, ſed „ etiam quæ crucis propria ſunt ſubiens ac patiens, „ conſuevit enim Chriſtus paſſiones nomine crucis „ appellare, ut cum ait: *Niſi quis tollat crucem ſuam, „ & ſequatur me, &c. Quiſquis vitæ & corporis, quiſ„ quis deliciarum & mundanæ tranquillitatis amator „ eſt, inimicus eſt crucis.*

S. Chryſoſt. Hom. 13.

Quis inimicus crucis Chriſti?

20. 21. *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Quo ferri debent Chriſtiani hominis deſideria? Quo tendere debet omnis cordis ejus affectus, niſi ad Patrem ſuum, ad patriam ſuam, ad hæreditatem ſuam, ad cœleſtem Jeruſalem, Dei ſui ſedem, ad capitis ſui Chriſti Jeſu conſortium, ad æternam felicitatem? Chriſtiani in cœlis converſatio, quædam eſt æternæ beatitudinis anticipatio. „ Quid enim illi deeſt? In „ quo ſtatu non potentiſſimus? In qua paupertate

Converſatio Chriſtiani in cœlis eſſe debet.

S. Ambroſ. lib. 1. De Jacob.

& Vita beata c. 8. n. 39. „ non dives? In qua generis ignobilitate non clarus? In quo otio non laborioſus? In qua debilitate non vegetus? In qua infirmitate non fortis? In qua ſomni quiete ſatiatus, quem etiam quieſcentem virtus propria non relinquit? In qua ſolitudine non ſtipatus, quem vita beata circumdat, quem veſtit gratia, quem gloriæ amictus illuſtrat? . . . . Quando autem feriatus videri poteſt, cujus mens ſemper operatur? Quando autem ſolus, qui cum illo ſemper bono eſt, de quo ait Propheta: *Replebimur in bonis domus tuæ*? Quando abjectus, cujus converſatio eſt in cœlo? Quando non decorus, qui ad illius decoris & ſolius boni ſe conformat ſimilitudinem: qui etiamſi membris ſolutus ſit, tamen mente ſe erigat? Et tamquam ille qui cithara canere ſolitus, ſi eam diſſipatam reſolutis nervis, & confractam viderit, & uſum ejus interruptum, abjiciat eam, atque ejus numeros non requirat, ſed voce ipſe ſe mulceat: ita & iſte citharam corporis ſui otiolam jacere patietur, corde ſe oblectabit, bonæ conſcientiæ recordatione mulcebit, divinis Oraculis & Scriptis Propheticis alleviabit, ſuave illud & jucundum animo tenens, mente complectens, cui nihil triſte poſſit accidere, cum ſemper ei divinæ præſentiæ aſpiret gratia, & ipſe ſibi adſit ſumma animi tranquillitate perfuſus.

Pſal. 64.

Illuc totam mentis aciem intendamus, ibi cor defixum habeamus, *Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. „ Ipſe Dominus Sabaoth, Dominus virtutum & Rex gloriæ, ipſe deſcendet ad reformanda corpora noſtra, & configuranda corpori claritatis ſuæ. Quanta erit gloria, quam ineffabilis exſultatio, quando Creator univerſitatis, qui pro animabus juſtificandis humilis ante venerat & occultus, pro te glorificanda, o miſera caro, ſublimis veniet & manifeſtus: non jam in infirmitate, ſed in gloria & majeſtate ſua? Quis cogitabit diem adventus illius, quando deſcendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, & rapientibus illud obviam Chriſto in aera? Quouſque igitur caro miſera, inſipiens, cæca, demens & prorſus inſana caro tranſitorias & caducas quæris conſolationes, imo deſolationes, ſi forte contingat repelli, & indignam judicari hac gloria, magis autem nihilominus ineffabili in æternum excruciari pœna? . . . . Quid adhuc murmuras, caro miſera, quid adhuc recalcitras, & adverſus ſpiritum concupiſcis? Si te humiliat, ſi caſtigat, ſi redigit in ſervitutem, id profecto in tuo genere non minus tua intereſt quam ipſius? Quid eis invides, qui de operibus vermium, & murinis pellibus inglorium plane gloriam mendicare non erubeſcunt, cultu indigno viris, interdicto & mulieribus, ſemetipſos dehoneſtantes potius quam ornantes? Reforment ipſi, aut certe magis deforment corpora ſua; te (ſi fueris corpus humilitatis) reformabit idem Artifex qui formavit. Illam (ſi non deſipis) præſtolabere manum, ut quod fecit, ipſa reficiat.

Corporis noſtri reformatio a Chriſto ſpectanda.

S. Bern. Serm. 6. in Adventu Domini, cap. 5. & 6.

Idem, Serm. 2. De Verbis Iſaiæ, c. 2.

Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. „ Hoc humile & corruptibile corpus conforme fiet illi quod adoratur ab Angelis, cui aſſiſtunt incorporeæ Poteſtates, quod eſt ſupra omnem Principatum & Poteſtatem & Virtutem. Ergo ſi univerſus orbis fuſis lachrymis eos qui de hac ſpe deciderunt fleat, nonne merito flebit; quod hoc promiſſo nobis propoſito, fore ut corpus noſtrum Chriſti corpori conforme fiat, cum dæmonibus tamen abeant? Jam mitto gehennam. Tantum mihi malum videtur de tanta gloria decidiſſe, ut gehennam pro nihilo habeam præ hoc damno ac ruina.

S. Chryſoſt. Hom. 13. in hanc Epiſt.

CAPUT IV.

Senſus Litteralis.

1. *ITaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi gaudium meum & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Cum igitur tam magnifica præmia nobis promiſſa ſint, fratres mei, quos amore teneriſſimo proſequor, & quos videre vehementer deſidero, qui cauſa & objectum gaudii mei ac gloriæ eſtis, ob veſtrum in Chriſtiana fide ac pietate profectum; ſtate ac perſeverate in fide Domini Jeſu Chriſti per ejus gratiam.

Sanctæ Syntiches memoria in Martyrolo- 2. *Evodiam roga, & Syntichem deprecor, idipſum ſapere in Domino.* Evodia & Syntiche ſpectabiles erant pietate feminæ, quas inter nonnihil diſſidii & contentionis ortum fuerat. Illas religioſa urbanitate Apoſtolus obteſtatur, ut ſummam inter ſe concordiam ſervent, qualem Chriſtus imperat, & charitatis leges, bonumque Eccleſiæ, exigunt. gii Uſuardi, Adonis, aliiſque celebratur die 22. Julii.

3. *Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris Adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Te quoque rogo, vere & ſincere Collega mi & Coadjutor in Evangelico Miniſterio, adjuva conſilio tuo & auctoritate feminas illas, & fac ut ad concordiam redeant & unanimes ſint. Dignæ ſunt enim quibus hoc officium charitatis impendas; utpote quæ propter Evangelii negotium promovendum labores & pericula ſubierunt, inſtituendo privatim feminas in fide, & ſuo modo me juverunt, ut Clemens Romanus, ceterique Cooperarii mei in miniſterio Apoſtolatus, quos a Deo electos eſſe ad vitam æternam confido. *Comparem nonnulli ſtulte exiſtimarunt eſſe uxorem Apoſtoli*, inquit Theodoretus, *non attendentes ea quæ ſcripta erant in Epiſtola ad Corinthios: quod ſcilicet ſe retulerit in numerum cælibum*, (1. Cor. 7. 8.) „ Dico enim iis qui matrimonio juncti non ſunt, & viduis, Bonum eſt eis ſi maneant ſicut ego. *Et clarum quidem eſt, quod ſive conjugii penitus expers erat, ſive viduus, uxorem non habebat: uxorem autem eum nunquam duxiſſe, verius eſt:* Comparem *ergo ſeu conjugem illum vocat, qui jugum idem pietatis ſecum trahat.* Idem commentum de uxore Pauli rejicit ante Theodoretum S. Joannes Chryſoſtomus: *Quidam dicunt* (ait ille) *Paulum his verbis, germane compar, uxorem ſuam rogare, quod minime verum eſt.* Eumdem errorem rejicit Theophylactus. Quis ergo germanus ille compar? Vir aliquis admirandus (ait ille) qui aut frater fuit alterius ipſarum, aut maritus. Alii unum, fuiſſe cenſent ex Epiſcopis vel Diaconis, quos initio Epiſtolæ ſalutat. Alii aliquem S. Pauli in Miniſterio Evangelico ſocium, quem Philippenſes his verbis ſignificari noverant; ſive fuerit Epaphroditus Philippis præſens futurus cum legeretur hæc Epiſtola, ſive quis alius. Quis autem ille Pauli *germanus compar*, incertum eſt.

Eraſmus, Catharinus, Cajetanus, vertendum eſſe cenſet, *Germana conjux*, ſeu *Germana & compar*, indeque colligunt S. Paulum fuiſſe conjugatum, ipſo Paulo, & antiquis Patribus repugnantibus (ſi unum excipias Clementem Alexandr.) Sane ſi Apoſtolus uxorem ſuam intelligi voluiſſet, potius dixiſſet, *Γνησία σύζυγε*. Plura vide apud *Eſtium*.

4. 5. *Gaudete in Domino ſemper; iterum dico, gaudete.* Gaudio ſpirituali, non carnali & ſæculari, ſine intermiſſione gaudete, mediis in afflictionibus, continuiſque periculis. *Modeſtia veſtra * nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt.* Animi veſtri moderatio, candor, æquitas, manſuetudo, quæ uno modeſtiæ nomine ſignificantur, notæ ſint omnibus hominibus, etiam infidelibus, inter quos converſamini, ad Chriſtiani nominis honorem, & illorum ædificationem. Vel, æquo animo ſuſtinete inſultus adverſariorum. Afflictiones hujus vitæ brevi durabunt. Dominus Jeſus juſtus Judex cito veniet, qui veros labores, patientiam, ac moderationem remunerabit.

* Interpret Chryſoſt. vertit, *Æquitas veſtra nota ſit omnibus hominibus.*

6. *Nihil ſoliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant * apud Deum.* Nulla de re quæ vobis deſit aut contingat, anxie ſoliciti ſitis, quaſi paternæ Dei providentiæ diffidentes: ſed in omni re ſeu negotio, in rebus dubiis & adverſis, ad Deum confugite, eique preces veſtras offerte, & gratias agite pro quocumque eventu. Obſecrationem S. Thomas interpretatur ſacram conteſtationem per Dei gratiam & ejus ſanctitatem, per divina Myſteria, per paſſionem & crucem &c. *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

* *Innoteſcant* id eſt approbentur a Deo quaſi dignæ & ſanctæ. Aliis expoſitiones minus litterales vide apud S. Auguſt. Epiſtol. 130. alias 121. *Ad Probam, cap. 9.*

7. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras, in Chriſto Jeſu.* Et tranquillitas animi, ſeu pax interior ex reconciliatione cum Deo & mandatorum ejus obſervantia nata, quæ Dei donum eſt omnem intellectum ſuperans, inſtar valli cujuſdam aut præſidii veſtræ voluntatis affectus cuſtodiat & muniat, ne irrepat peccatum; & mentes veſtras, ne erroribus pateant; ſed ut maneatis in fide & dilectione Chriſti Jeſu. Pacem, qua cœleſtia cum terreſtribus, id eſt Angeli cum hominibus per Chriſtum mediatorem reconciliantur, S. Auguſtinus exponit. * Quæ pax, inquit, „ præcellit omnem intellectum, ſed utique noſtrum, non eorum qui ſemper vident faciem Patris. Nos autem, quantulcumque ſit in nobis intellectus humanus, ex parte ſcimus, & videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: cum vero æquales Angelis Dei fuerimus, tunc quemadmodum & ipſi videbimus facie ad faciem; tantamque pacem habebimus erga eos, quantam & ipſi erga nos, quia tantum eos diligturi ſumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia & noſtra talis ac tanta erit, nec præcellet tunc intellectum noſtrum: Dei vero pax quæ illic eſt erga eos, & noſtrum & illorum intellectum ſine dubitatione præcellet. De ipſo quippe beata eſt rationalis creatura non ipſe de illa.

S. Auguſt. in Enchiridio, cap. 63.

* Hæc expoſitio minus convenire videtur litteræ præſentis loci qua pax illa ſignificatur, quam in hac vita aſſequi homo per Jeſu Chriſti gratiam poteſt, & quæ corda & intelligentias noſtras per illud cuſtodit.

8. De

(a) Habetur in Græco ὅσα ἁγνά *quæcumque caſta*, Legiſſe videtur Latinus Interpres. ἅγια, quod vertit, *ſancta*.

8. *De cætero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque* (a) *ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Tandem, fratres, cogitate quæcumque vera ſunt & ſincera, quæcumque honeſta, gravia & pudica, quæcumque juſta, ut ad reddendum unicuique quod ſuum eſt ſemper parati ſitis, quæcumque pura ſive caſta, ut a carnalibus peccatis abhorreatis, ne illos imitemini, quorum Deus venter eſt: quæcumque vos hominibus amabiles & gratos facere poſſunt: quæcumque bonam famam vobis & Chriſtiano nomini pariunt; quicquid denique ad omne virtutis Chriſtianæ genus, quicquid ad laudabilem morum diſciplinam, quam nobis Evangelium præſcribit, pertinet, hæc animo ſtudioſe recolite, ut in actionem producatis.

9. *Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum.* Agite quæ vos docui, & vobis agenda tradidi: imitamini quæ de me abſente audiviſtis, vel in me præſente vidiſtis: & Deus pacis auctor & amator vobis opitulabitur.

* Metaphora ſumpta ab arboribus, quæ hyeme exaruiſſe videntur, quia vis earum intus contracta latet, nec ſa tunc exerit, ſed vere novo revireſcunt & refloreſcunt.

10. 11. *Gavisus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis * pro me ſentire: ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis.* Vehementi gaudio, & ſpirituali quidem perfuſus ſum, quod affectum in me veſtrum tandem renovaveritis, mittendo ad me ſubſidium neceſſitatis per Epaphroditum: quod non dico, quaſi priſtinum erga me ſtudium, & propenſam ad ſuccurrendum mihi voluntatem remiſeritis; ſed non habuiſtis opportunitatem, quia nemo erat idoneus & paratus ſuſcipiendo itineri, quem ad me mitteretis. Cauſa gaudii Apoſtolo erat Philippenſium ſpiritualis profectus & meritum, non temporale ſubſidium quod ab illis receperat. *Non quaſi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.* Hæc non dico quaſi reſpiciens ad penuriam quam patiebar, & quam veſtræ charitatis ſubſidio levaſtis: ego enim ipſo rerum uſu didici per Chriſti gratiam, iis quæ habeo, (quantumvis anguſta & exigua ſint) contentum eſſe.

* Græce μεμύημαι, unde Myſterii vox derivata quaſi, *ſacris initiatus*, ſeu ad Sacrificium Chriſtianæ mortificationis ubique & in omni ſtatu Deo offerendum conſecratus.

12. *Scio & humiliari, ſcio & abundare (ubique & in omnibus * inſtitutus ſum) & ſaturari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* Inopiam & copiam rerum ad uſum vitæ neceſſariarum moderate ferre novi. In omni loco & tempore, & in omni ſtatu ac rerum eventu ut contentus vivam, docente ac probante Deo ſum inſtitutus, & quaſi myſteriis ſacris initiatus; ut ſi res abundet, ſumam quantum naturæ ſatis eſt; ſi deſint, famem patienter ſuſtineam; & abundantia modeſte utar, & egeſtatem æquo animo feram.

13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Abſit ut hæc viribus meis tribuam, quæ ad bonum tam arduum nimia infirmæ ſunt; ſed omnia poſſum per Chriſtum Jeſum, qui vires mihi interius ſubminiſtrat, & per gratiæ ſuæ virtutem efficaciſſimam omne bonum in me & mecum operatur.

14. *Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ.* Bonum opus nihilominus feciſtis, ſenſu calamitatis meæ vos affici demonſtrantes, mihique ſubvenientes. *Hoc lucrum veſtrum eſt*, in tribulationis meæ ſocietatem veniſſe.

* Metaphora ſumpta a mercatoribus qui rationes datorum & acceptorum in Codicillis conſcribunt.

15. 16. 17. *Scitis autem & vos, Philippenſes, quod in principio Evangelii, quando profectus ſum a Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit * in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli.* Meminiſſe poteſtis quod eum primum apud vos Evangelium prædicare cœpi, cum e Macedonia diſceſſi, nulla Eccleſia ex iis quibus verbi miniſterium impendi, ſubſidium temporale mihi tribuit, niſi vos ſoli. *Quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis.* Nam & cum eſſem Theſſalonicæ, ſemel & iterum ad me miſiſtis quæ in uſus meos erant neceſſaria. *Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra.* Hæc vero non commemoro quod dona veſtra quæram. Sed quod gaudeam de fructu, qui ex liberalitate & charitate veſtra ad vos rediturus eſt, Deo vobis præmium abundantius & magnificentius retribuente.

18. *Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum acceptis ab Epaphrodito quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.* Accepi omnia, quæ miſiſtis per Epaphroditum, & abunde mihi ſuppetunt neceſſaria. Bonis veſtris repletus ſum, quæ recepi ut oblationem ſuaviſſimi odoris, quaſi hoſtiam Deo gratam & acceptam.

19. *Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum; ſecundum divitias ſuas in gloria in Chriſto Jeſu.* Precor Deum quem colo, & cujus ſum Apoſtolus, ut ſecundum divitias bonitatis ſuæ omne deſiderium veſtrum impleat, vobiſque retribuat omne id quod vobis eſt opus, maxime vero gloriam æternam per Jeſum Chriſtum.

Theodoret. in Comment.

20. *Deo autem & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.* De his autem bonis, quæ feciſtis, & quæ ſperatis, Deo Patri noſtro gloria & laus in omnem æternitatem referatur. „ Hic quidem „ laudavit ſolum Patrem, alibi autem laudat ſolum „ Filium. *Ex quibus*, inquit, *Chriſtus ſecundum car-* „ *nem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcu-* „ *la ſæculorum.* Sed neque illic Patrem ſeparat a „ Filio, neque hic Filium a Patre: ſed divinæ na- „ turæ communem præbet laudem.

21. 22. *Salutate omnem ſanctum in Chriſto Jeſu.* Salutate nomine meo omnes qui apud vos ſunt fideles, qui per Chriſtum ſanctificati ſunt. *Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres.* Eccleſiæ Romanæ Chriſtiani, ſeu qui mihi conſtanter adſiſtunt in vinculis; *maxime autem qui de Cæſaris domo, ſunt.* Qui de Neronis Aula, vel familia, converſi ſunt ad Chriſtum.

Conſueta Apoſtoli benedictio, qua ſuas Epiſtolas concludit.

23. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.* Gratia Jeſu Chriſti Domini noſtri in vobis augeatur, ſemperque permaneat.

CAPUT IV.

Senſus Moralis.

Stare in Domino quid ſit?

1. ITaque, *fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea; ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Sanctus Paſtor fideles quos regit diligere debet ut fratres, eiſque charitatem ſuam, & ferventiſſimum pro illorum ſalute ſtudium verbis amantiſſimis ſignificare, ut illis ſtimulos addat ad pœnitentiam aut perfectionem Chriſtianam. Laudem adhortationibus interdum intermiſceat, ad conciliandam auditorum fiduciam, ac deliniendos animos, ut admonitiones & reprehenſiones placidius & lubentius audiant & ſuſcipiant. Apoſtolum imitemur, zeloque ſuo & laboribus in promovenda creditarum ſibi animarum ſalute, gaudium æternum ſibi pariat; & coronam immarceſſibilem ſibi contexat. *Gaudium meum, & corona mea.* Immo curet ut ſuis & illorum virtutibus Dominus coronetur & glorificetur.

S. Hieron. l. 2. in Zachariam ad c. 6.

Nobis enim proficientibus & reverſis ad meliora, per ſingulas virtutes noſtras Dominus coronatur: immo nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Salvator in ſingulis coronam accipit. Ut vero ſimus corona Domini, & viciſſim corona noſtra ſit Dominus, conſtanter in ejus fide & dilectione ſtandum & perſeverandum eſt. Nullis cedendum hoſtium incurſibus & tentationibus, nos ab ordine dimovere conantium. *Sic ſtate in Domino, chariſſimi.* Nemo autem ſtat, niſi qui in Eccleſiæ Catholicæ fide & unitate permanet, & ſecundum ejus ſpiritum, qui Chriſti Spiritus eſt, ac ſecundum ejus regulas, quæ ſunt Evangelium & Apoſtolorum literæ, vitam inſtituit. „ State igitur in corde veſtro, ne „ quis vos ſubruat, ne quis poſſit ſubvertere. Do- „ cuit nos Apoſtolus quid ſit ſtare, hoc eſt, quod „ Moyſi dictum eſt: *Locus enim in quo ſtas, terra* „ *ſancta eſt.* Nemo enim ſtat, niſi qui fide ſtat, niſi „ qui fixus ſtat ſui cordis ſententia. Alibi quoque „ legimus: *Tu autem hic ſta mecum*; hoc eſt, me- „ cum ſtas, ſi ſtes in Eccleſia. Ipſe enim locus eſt „ ſanctus, ipſa terra fœcunda ſanctitatis, & opima „ virtutum meſſibus. Sta ergo in Eccleſia, ſta ubi „ tibi apparui, ibi ego tecum ſum. Ubi eſt Eccle- „ ſia, ibi firmiſſima ſtatio tuæ mentis eſt, ibi fun- „ damentum animi tui ... Stantes ergo in corde „ veſtro lupos fugate ab Eccleſia quærentes prædam „ tollere. Non ſit in vobis diſidia, non ſit pravum „ os, lingua amarior. Nolite in concilio vanitatis „ ſedere. Nolite audire detrahentes de proximis, „ ne dum auditis alios, provocemini ut & ipſi de- „ rogetis proximis, & dicatur unicuique veſtrum: „ *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris.* Sedentes „ detrahunt, ſtantes autem Dominum benedicunt, „ quibus dicitur: *Ecce nunc benedicite Dominum, om-* „ *nes ſervi Domini, qui ſtatis in domo Domini.* Qui „ ſedet, quaſi otioſo reſolvitur corpore, atque inten- „ tionem mentis relaxat. Stat autem ſpeculator pro- „ vidus, explorator impiger, pervigil cuſtos, qui „ prætendit in caſtris. Bellator quoque ſtrenuus ante „ exſpectatum ſtat in agmine, qui vult adverſarii „ conſilia prævenire.

S. Ambroſ. Epiſt. 6. nova Edit. nu. 41. & ſeq.

Exod. 3. 5.

Deuter. 5. 31.

Pſalm. 49. 20.

Pſalm. 133. 1.

Mulieres viris in ſtadio pietatis & virtutis decurrendo non impares.

2. 3. *Evodiam rogo, & Syntichen deprecor idipſum ſapere in Domino. Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente & ceteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* „ Æqua profecto „ viris & mulieribus eſt pietatis ratio, & par vir- „ tutis conſectandæ ſtadium alteri cum altero aper-

S. Baſil. Seleuc. Orat. 2.

 „ tum

Digitized by Google

„ tum eſt. Nec enim generis diſcrimine fides utitur. „ Scit in fidei certamine fœmineum genus viriliter „ agere, ſcit in pietatis certamine coronam rapere; quorum enim parem molitus eſt Deus formationem, ii ſe in curſu relinqui turpe ducunt. „ Vide Paulum terræ habitabilia ſtadia percurrentem, „ & curſu pro fide ſuſcepto mundi anguſtias demonſtrantem, mulieres adhortantem, & earum curſum ſuſcipientem. *Evodiam rogo, & Syntichen deprecor, & te germane compar, adjuva illas: quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* Vides „ fœmineum ſexum tangi Paulini curſus æmulatione? Vides Apoſtolicos ſudores in mundi ſtadio imitatione exprimere? Piæ fœminæ ad rem Chriſtianam promovendam a primis Eccleſiæ ſæculis primum contulerunt, Apoſtolos, & Viros Apoſtolicos facultatibus ſuis juvantes, pauperes Chriſtianos eleemoſynis ſuis ſuſtentantes, neophytas mulieres privatim in fide & pietate inſtituentes, Eccleſiæ in Diaconiſſarum Miniſterio, in viduarum & puellarum orphanarum cura ſervientes, Confeſſoribus perſecutionum tempore in carceres detruſis, exilio damnatis, proſcriptis ſubvenientes, Martyres ſepelientes, & ipſæ ad martyrium paratiſſimæ, quo pleræque viris fortitudine non impares glorioſæ perfunctæ ſunt. Cum ſanctis Paſtoribus, cum viris Apoſtolicis laborare ſuo modo poſſunt in Evangelio, ut Thecla, ut Maria Romana, ut Phœbe, ut Tryphena, Tryphoſa, Perſis, & Olympias, ut Priſcilla, Evodia, Syntiche, &c. Mereri poſſunt ut laborum Apoſtolicorum ſociæ appellentur, & Paſtorum ac Operariorum Evangelicorum in fidei & pietatis propagatione adjutrices. Quod pro Eccleſia in terris agunt, in cœlo ſcribitur; oblivione deleri poterit apud homines, ſed Deus juſtus remunerator earum nomina in libro vitæ adſcripta retinebit. *Quorum nomina ſunt in libro vitæ.*

Piæ mulieres qua prudentia dirigendæ?

2. Piæ mulieres ſumma prudentia dirigendæ, & earum infirmitas ſumma caritate toleranda & curanda eſt. *Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* Precibus & urbanitate magis quam imperioſa auctoritate cum illis agendum eſt: adhortatio charitatis opportunior eſt ad inſpirandam caritatem, quam auſtera & minax auctoritas. *Evodiam rogo, & Syntichen deprecor.* Sic temperanda eſt earum admonitio, ut magis virtutes ſuggerat & inſpiret, quam vitia & defectus increpet. 3. Ut muliebris ſexus ad æmulationem, ad diſſidia, & contentiones maxime pronus eſt, in id maxime incumbat prudens Director ut caritatem, concordiam, unanimitatem religioſas inter mulieres conſervet ac foveat. *Idipſum ſapere in Domino.* Curet ne ſe quæſtionibus doctrinæ immiſceant, ut ſimpliciter & firmiter adhæreant doctrinæ Apoſtolicæ, quæ in Eccleſia prædicatur & docetur; ut ſtudiis partium ſe abripi non ſinant, ſed unam Domini gloriam ſibi proponant & in omnibus quærant, atque ad unum illum ſcopum colliment. *Idipſum ſapere in Domino.*

S. Chryſoſt. Hom. 13. in hanc Epiſt.

Theophylact.

4. Paſtores honore afficiant & commendent cum viros, tum mulieres pietate inſignes, qui ipſos adjuvant, eiſque collaborant in Evangelio, & ad pietatem promovendam. Hac enim ratione & ceteri ad parem zelum excitabuntur, & illi ipſi alacriores atque ardentiores fient, & major in Eccleſiam utilitas redundabit. Non parum felicibus illis temporibus Eccleſiæ conjungebantur, alterum altero honorante & adjuvante. „ Verum hodie quis noſter, proh dolor! ſtatus eſt? „ Alter alterum dejicimus: hinc etiam fit ut plane „ ſimus diverſi ab iis qui tum vixere.

Gaudium Chriſtianum

4. *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete.* Gaudete, non ut filii hujus ſæculi, ſed ut diſcipuli Chriſti; non de divitiis, honoribus, & voluptatibus tranſitoriis, ſed de veſtra ab illis alienatione; & quod in paupertate, humilitate, mortificatione & triſtitia Chriſtiana pignus habeatis bonorum æternorum, gloriæ divinæ, delectationum cœleſtium numquam finiendarum. „ Cum Chriſtus dicat, *Beati qui „ lugent*, & *Væ ridentibus*, quid ſignificat Paulus „ his verbis, *Gaudete in Domino ſemper?* Non ſane „ adverſatur Chriſto, abſit. Væ enim dixit Chriſtus „ ridentibus riſu mundi hujus, qui ex rebus præſentibus oritur: & lugentes beatos prædicavit, non „ quovis modo lugentes ex familiarum & rerum ſuarum amiſſione; ſed eos qui compunguntur, qui ſua „ lugent mala, qui peccata ſua expendunt, aut etiam aliena. Non eſt autem ejuſmodi luctui contrarium hoc gaudium, quinimo a luctu illo hoc „ gaudium procreatur. Nam qui luget ſua mala & „ conficitur, is gaudebit. Præterea licet lugere propter peccata ſua, gaudere autem Chriſti cauſa. „ *In Domino gaudete*; id eſt, talem vitæ rationem „ oſtendite ut gaudendum ſit . . . . Veri gaudii conditiones quatuor. 1. Ut ſit rectum, quod eſſe non poteſt, niſi ſit de proprio bono hominis, nempe de Deo. *Gaudete in Domino* . . . . 2. Ut ſit continuum, quod fit cum non interrumpitur peccato, vel triſtitia temporali. *Gaudete in domino ſemper.* 3. Ut ſit multiplicatum, ſi enim gaudes de Deo, gaudebis de ejus Myſteriis & beneficiis, gaudebis de bono proprio, de bono aliorum, de contemplatione, de actione, de omnibus operibus bonis, quæ a te vel a proximis fiunt, gaudebis in præſenti, & in futuro. *Iterum dico, gaudete.* 4. Ut ſit moderatum, ne in diſſolutionem vertatur. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.*

Match. 5.

Luc. 6.

S. Chryſoſt. Hom. 14.

S. Thomas, Lect. 1.

Gaudete in Domino ſemper. Gaudere nos Apoſto„ lus præcipit, ſed in Domino, non in ſæculo. „ Quicumque enim voluerit amicus eſſe hujus mun„ di, inimicus Dei reputabitur. Sicut autem non „ poteſt homo duobus dominis ſervire: ſic nemo „ poteſt gaudere & in ſæculo, & in Domino: quan„ do gaudetur in Domino, non gaudetur in ſæculo. „ Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gau„ dium in ſæculo. *Gaudium in Domino ſemper augea„ tur, gaudium in ſæculo ſemper minuatur, donec „ finiatur.* Non ideo iſta dicuntur, quoniam in hoc „ ſæculo cum ſumus, gaudere non debemus: ſed ut „ etiam in hoc ſæculo conſtituti, jam in Domino „ gaudeamus. *Gaudete in Domino ſemper.* In ſæculo „ gaudium quod eſt? Gaudere de iniquitate, gaudere „ de turpitudine, gaudere de dedecore, de deformi„ tate. De his omnibus gaudet ſæculum . . . . *Sæculi lætitia, eſt impunita nequitia.* Luxurientur homines, fornicentur, in ſpectaculis nugentur, ebrioſitate ingurgitentur, turpitudine fœdentur, nihil mali patiantur, & videte ſæculi gaudium. Iſta mala quæ commemoravi non caſtiget fames, non aliquis timor, non morbus, non aliquæ adverſitates; ſed ſint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, in ſecuritate malæ mentis: ecce videte ſæculi gaudium. Sed non cogitat Deus ſicut homo. „ Magna miſericordia eſt, „ nequitiam impunitam non relinquere. Et ne co„ gatur in extremo gehenna damnare, modo flagello „ dignatur caſtigare. Ergo, fratres, Gaudete in Do„ mino, non in ſæculo; id eſt, gaudete in veritate, „ non in iniquitate: gaudete in ſpe æternitatis, „ non in flore vanitatis.

S. Auguſtin. Serm. 171. alias 37. De Verbis Domini.

Chriſtiana moderatio.

5. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt.* Moderatio, æquitas, manſuetudo, modeſtia Chriſtiania commendantur: Modeſtia in actione, ut qui Chriſtum & ejus Spiritum in nobis portemus; moderatio in rebus adverſis, in tribulationibus & perſecutionibus, ut qui coronam a Chriſto mox venturo expectemus: *Dominus prope eſt:* Moderatio in uſu rerum præſentium, ut brevi reddituris rationem de illarum abuſu & ſuperfluo illi qui nobis nihil permittit præter neceſſaria: moderatio erga proximos, ut qui ſub communis Domini oculis vivamus & converſemur: moderatio erga inimicos, ut qui diſcipuli Chriſti ſimus, qui hanc verbo & exemplo edocuit. „ Dignum eſt enim ut mo„ deſtia noſtra nota ſit, ſicut Domini Dei noſtri mo„ deſtia cunctis innotuit. Quid enim magis incon„ gruum, quam ut immoderate agat homo conſcius „ propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter „ homines modeſtus Dominus Majeſtatis? *Diſcite*, „ inquit, *a me quia mitis ſum & humilis corde*, ut poſſit etiam modeſtia veſtra innoteſcere ceteris . . . *Quid modeſtia noſtra, niſi manſuetudo & patientia eſt? Gaudeamus ego de his quæ expectamus, quoniam Dominus prope eſt. Iterum gaudeamus de his quæ ſuſtinemus, ut modeſtia noſtra omnibus nota ſit.* Nimirum *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.*

S. Bernard. Serm. 4. in Vigilia Nativit. Dom.

Matth. 11. 29.

Idem, Serm. 18. De Diverſis, n. 2.

Dominus prope eſt. Hæc gaudii Chriſtiani cauſa. Quis enim de amici propinquitate non gaudeat? Dominus prope eſt 1. Præſentia majeſtatis. *Non longe eſt ab unoquoque noſtrum: In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* 2. Prope eſt propinquitate carnis, per Incarnationem, & Euchariſtiam. Per incarnationem enim *In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Per Euchariſtiam ſe nobis commiſcet, & ſuum nos efficit corpus, nec eſt alia natio tam grandis, *quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* 3. Dominus prope eſt per inhabitantem gratiam. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* 4. Dominus prope eſt per exauditionis clementiam. *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum.* 5. Prope eſt Dominus ad remunerandum opera bona. *Prope eſt ut veniat tempus ejus & dies non elongabuntur.* Omnes igitur cogitationes noſtras, omnia conſilia, verba omnia, opera univerſa, tamquam Deo præſente concipiamus, proferamus, agamus, ut vivamus in ſanctitate & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Quot modis Dominus prope eſt?

S. Thomas, Lect. 1.

Act. 17.

Jacobi 4.

Pſal. 144.

Iſai. 14.

6. *Nihil ſoliciti ſitis: ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Diligentiam in rebus ſuis cu-

S. Thomas.

tan-

Digitized by Google

randis fiducia in Deum non excludit, ſed anxietatem animi cum defectu ſpei. Fidelis non eſt anxie ſolicitus, etiamſi paupertas, aut quævis alia gravis calamitas urgeat; ſed promiſſa Dei præ oculis habens, & in ejus bonitate confidens, ad illum confugit per

1. Petr. 5. 7.

aſſiduam & ferventem orationem. *Omnem ſolicitudinem projicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis*. Qui nihil deſiderat, niſi ut Dei voluntas impleatur, quomodo de rebus temporalibus ſolicitus eſſe poteſt? Solicitudinis loco fundatur oratio cum impetrandi fiducia. Humilitati enim orationis, & pii cordis gemitibus concedit Deus, quod donare pro ſua bonitate decrevit.

Oratio præcipua religionis officia complectitur.

Oratio præcipua religionis officia complectitur, fidem, adorationem, Dei amorem, bonitatis ejus & omnipotentiæ agnitionem; humilem indignitatis noſtræ confeſſionem, qua fit ut Deum per infinitam ejus miſericordiam, aut per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum obteſtemur & obſecremus; gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; (nihil enim ad nova dona impetranda adeo juvat, quam ob jam accepta gratos nos exhibere.) *Cum gratiarum actione*. Complectitur tandem oratio expoſitionem miſeriæ noſtræ, infirmitatis noſtræ, mendicitatis noſtræ ſpiritualis coram Deo. *Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*. Aſſidua ſit oratio, continuus

Tertull. lib. De Orat.

precationis affectus. *Quam temerarium eſt diem ſine oratione tranſigere?* Mille obnoxii periculis, abſtruſis inſidiis intercluſi, diris animæ hoſtibus obſeſſi, nudi & inermes omni hora, omni momento incedimus; ac proinde, niſi divinæ gratiæ auxilium adſit, peribimus, de ſalute noſtra actum eſt. Suppliciter igitur invocandum eſt quotidianum gratiæ Salvatoris auxilium, ne intremus in tentationem. Numquam deeſt orandi neceſſitas, ubi numquam eſt vera ſecuritas. *In omni oratione, & obſecratione*. „ Omne ſpiritualis vitæ momentum ab oratione pendet. *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare*. Preces autem noſtras non nudam petitionem eſſe vult Apoſtolus, ſed conjunctam cum gratiarum actione pro beneficiis quæ accepimus; Quomodo enim petet quis futura, qui pro præteritis gratiam non habet? Quamobrem de omnibus gratiæ habendæ ſunt, etiam de iis quæ videntur moleſta. Id enim vere grati hominis eſt. Illud enim ipſa rerum natura poſtulat: hoc vero ab animo grato, valdeque erga Deum affecto, atque ex illo penitus pendente proficiſcitur. Has preces agnoſcit & approbat Deus, alias vero ne noſſe quidem vult. Hujuſmodi igitur res precemini, quæ agnoſcantur. Omnia enim ad noſtram utilitatem adminiſtrat, etiamſi nos id non percipiamus. *Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*.

Antiquus Auctor Sermonis 55. in Appendice Auguſt. editi, alias 4. ex homil. 50.

S. Chryſoſt. hom. 14. in hanc Epiſt.

Spiritus ſanctus, non cupiditas, in nobis oret.

Deus orationes non admittit, non approbat, non exaudit, niſi a Spiritu ſuo profectas. *Spiritus enim poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: Quoniam ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis*. Non mirum quod plerumque non exaudiamur ad temporalia bona vel retinenda, vel adipiſcenda, quia hujuſmodi orationem concupiſcentia noſtra & non Spiritus ejus, ut plurimum ſuggerit. *Clamabo per diem*,

S. Auguſt. Epiſt. 140. alias 120.

inquit Propheta, *& non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi*. „ Non me exaudies clamantem per diem, id eſt, in rebus proſperis, ut eas non amittam; & nocte, id eſt in rebus adverſis, ut proſpera quæ amiſſa ſunt, redeant: verum hoc mihi non ad inſipientiam facies, ſed potius ut ſapiam quid jam per Novi Teſtamenti gratiam a te exſpectare, quid deſiderare, quid poſcere debeam. Clamo quippe ego ut mihi bona temporalia non auferantur. *Tu autem in ſancto habitas, laus Iſrael*. Nolo ut derelinquas concupiſcentiam meam, qua carnalem felicitatem requiro. Verum hæc eſt in ſordibus vetuſtatis, tu autem quæris munditiam novitatis, non exaudiendo illam cupiditatem relinquis, quia caritatem in qua habites, requiris.

Vera pax.

7. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu*. Adhæſio ſoli Deo, fiducia in ipſum, conſcientiæ puritas, voluntatis noſtræ cum divina conformitas, pacem afferunt longe diſſimilem paci ſæculi, pacem veram, interiorem, divinam, perpetuam, ſenſibus hominis carnalis ſuperiorem, ipſi etiam menti humanæ incomprehenſam. Mens hac pace munita non perturbatur tentationibus, ſeu internis ſeu externis fidem ejus impugnantibus, non ſeducitur erroribus, non decipitur illuſionibus. Cor hac pace vallatum & roboratum nullis perſecutionibus concutitur, nullis adverſitatibus inquietatur. Pax illa, quæ beatitudinis æternæ prægustatio quædam eſt, donum eſt Dei per Chriſtum Jeſum, per cujus caritatem affectus noſter conſervatur a malo, & per cujus fidem intellectus perſeverat in vero. „ Pax hæc perfecta & conſummata non erit niſi in cœleſti

...mas; ...ment.

„ Jeruſalem, ubi Deus ſumma Veritas videtur a beatis ut in ſe eſt, & perfecte diligitur. Verumtamen quanto quiſque ſanctior eſt in hac vita, tanto minus mentis perturbationes patitur, tanto magis Dei pace fruitur, quæ exuperat omnem ſenſum. Hujus pacis ſuavitate anima tanto magis impletur, quanto rerum terrenarum deſideriis magis vacuatur. Deum enim nihil eſt quod foris appetit, tota per amorem in Deo requieſcit.

8. *De cetero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate*. Non unam, ſed omnes virtutes vita Chriſtiana complectitur. Veritatem inprimis diligere debet Chriſtianus, eique per fidem immobiliter adhærere. Veritatis amator vitium odit, mundi gloriam contemnit, ſæculi carniſque voluptates averſatur, divitias parvipendit. Hæc enim nihil aliud ſunt quam vanitas & mendacium.

Omnes virtutes Chriſtiana vita complectitur.

Chriſtianus hypocriſim & ſimulationem neſcit; talis eſt, qualis videtur; animo ſincerus, ſermone verax, a mendacio abhorret, reſtrictionum mentalium & æquivocationum artem non novit, non exercet; cultorem veritatis, ſimplicitatis profeſſorem, fraudis inimicum ſe omnibus demonſtrat. Quod veteris legis Pontifex in Pectorali ſcriptum gerebat, VERITAS, hic in corde ſcriptum habet ab ipſa, quam colit, Veritate. *Quæcumque vera*. „ Ex morum honeſtate, gravitate, pudicitia, Chriſtianus agnoſcitur; & quemadmodum pudica mulier, caſtitatis notas in facie geſtans, eorum qui impudicos in eam oculos conjiciunt, exſpectationes reprimit: eodem modo pudica anima virtutis teſſeras in ſenſibus ferens, eorum qui ipſius pulcritudinem corrumpere cupiunt, ſpes exſcindit. Quinam enim hujuſmodi oculum ſuavitate & jucunditate temperatum conſpiciens, propius accedere audeat? Quinam linguam quæ honeſtatis & gravitatis delubrum ſit, intuens, non ſibi aditum omnem ad corruptionem pudicitiæ interclusum arbitretur? Quinam denique reliquos ſenſus virtutum inſtrumenta eſſe animadvertens, præpoſterum conſilium dare minime pertimeſcat? *Quæcumque pudica*.

Boni Chriſtiani charactere.

S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 287.

Chriſtianus in ſanctitate & juſtitia Deo ſervit omnibus diebus vitæ ſuæ, proximis æquus eſt, jus cuique ſuum tribuit, reddit omnibus debita, nemini infert injuriam, neminem circumvenit in commercio & contractibus. *Quæcumque juſta*. Chriſtianus in id maxime incumbit ut ſanctus ſit corpore & ſpiritu, ut quicquid ad caſtitatem pertinet, quicquid ad eam ſervandam conducit, eligat, amplectatur, ſtudioſe exequatur; quidquid ei poteſt officere, fugiat, reformidet. Unde quia paſcitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ſpectaculis excitatur, mollitie veſtium fovetur, alterius ſexus nimia familiaritate inflammatur: hæc omnia fugit ſervus Chriſti, cautiſſimaque circumſpectione, temperantia, ſobrietate, jejuniis, piorum lectione librorum, diligenti ſenſuum cuſtodia, verecunda & gravi cum alterius ſexus perſonis converſatione, adverſus peſtiferam auram ſæculi, qua caſtitas nimis ſecura facile corrumpitur, ſe munit & tuetur. *Quæcumque ſancta*. Bonus Chriſtianus nihil habet in moribus aſperum, quod offendat alios, ſed charitate, beneficentia, benignitate, affabilitate, omnes propter Deum promereri ſtudet, dilectus Deo & hominibus. *Quæcumque amabilia*. Probus Chriſtianus boni nominis curam habet, ſeduloque cavet ne mala fama ſibi, aliiſque noceat. Lilii candorem habet conſcientiæ puritate; odorem, famæ integritate. „ Cauta ejus converſatio debet eſſe, ne forte cum mala vita non ſit per laſciviam, mala ſit fama per negligentiam. Nec audiendi ſunt, ſive viri ſancti, ſive feminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit ut in malam veniant ſuſpicionem, unde vitam ſuam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpis quæ caſta eſt diſplicet vita ſanctorum, ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem. *Quæcumque bonæ famæ*. Probus denique Chriſtianus de Chriſtianæ vitæ, ſuique ſtatus officiis ſerio & aſſidue cogitat, illa meditatur, illa amat, ſeque in iis exercet, conſiderans quic-

S. Auguſt. lib. De Bono Viduitatis, cap. 22.

quid

Pravæ cogitationes repellendæ.

quid virtutis Lex Dei præcipit, quicquid laude dignum ex diſciplinæ Chriſtianæ præſcripto in aliis elucet, ut illud imitetur & opere exhibeat. *Si qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Ad hanc ab Apoſtolo vivis coloribus expreſſam Chriſtiani hominis imaginem ſi attendamus, heu! quantum nos abeſſe ab ea, quam in Baptiſmo ſummus profeſſi, ſanctimonia agnoſcemus! *Hæc cogitate.* Omnem pravam cogitationem ex animis noſtris ejiciamus. „ Ex cogitationibus enim pravi ſermones, pravæ etiam actiones exiſtunt. Sunt nonnullæ cogitationes penitus otioſæ, & ad rem non pertinentes, quas tam facile abjicere, quam facile recipere poſſit anima, dummodo ſit ſecum habitans in corde ſuo, & aſſiſtens Dominatori univerſæ terræ. Sunt & aliæ cogitationes violentæ magis & fortius adhærentes, quæ videlicet ad neceſſitates naturæ pertinent, & quaſi ex eodem aſſumptæ limo, de quo & nos facti ſumus; ſi paululum inſederint, avelli nequeunt ſine læſione & difficultate. Sæpe enim ſic afficit nos cogitatio carnalis de cibo, de potu, ſive veſtimento, ut vix eradicari queat de cordibus noſtris: quod non aliunde eſt niſi quod & ipſa limoſa & viſcoſa quodammodo, limoſam nihilominus & glutinoſam invenit terram, ſcilicet corpus de limo plaſmatum. Quid ergo agendum cum limoſa illa cogitatio mentem ſubierit? Plane exclamandum nobis eſt cum ſancto Jacob: *Ruben primogenitus meus non creſcas: aſcendiſti enim cubile patris tui.* Ruben enim & carnalis atque ſanguinea hujuſmodi concupiſcentia eſt: quæ tunc cubile noſtrum aſcendit, cum non ſolum memoriam tangit cogitatione, ſed & ipſum voluntatis ſtratum ingreditur & polluit prava delectatione. Bene autem primogenitus noſter dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipſo initio vitæ noſtræ in nobis pullulat, cum cetera vitia proceſſu temporis ex malitia mundi hujus variiſque occaſionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non poſſumus appetitum, ut creſcere eum nullatenus patiamur, ſed ſub nobis ſit, quemadmodum dicit Scriptura: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Tertium cogitationis genus immundum nimis ac fœtidum eſt, quod nec admittere quidem ulla ratione debemus, ſed a longe præſentire fœtorem, & tota virtute repellere, toto animo propulſare, & converſi ſtatim ad gemitus lacrymis atque ſuſpiriis invocare Spiritum qui adjuvat infirmitatem noſtram. Dico autem cogitationes illas immundas & fœtidas, quæ ad luxuriam, ad invidiam, & vanam gloriam pertinent, ceteraque vitia deteſtanda. Oportet enim, ſi mundas conſervare volumus animas noſtras, adhuc longe agentibus cogitationibus hujuſcemodi multa cum indignatione occurrere, & exſufflare a nobis, ut nullus eis detur acceſſus. Id autem facilius fiet, ſi cogitemus *Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ.*

S. Chryſoſt. Hom. 14.
S. Bernard. Serm. 31. De Diverſis.
Geneſ. 49.
Geneſ. 4.

9. *Quæ didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum.* Verbum Dei ab Apoſtolis ſcriptum aut prædicatum, Traditio ab illis accepta & in Eccleſia conſervata, ſancta denique illorum exempla, regulæ ſunt fidei morumque Chriſtianorum. Has qui ſequuntur, inhabitantem in ſe Deum pacis habent. „ Firmamentum eſt Dominus omnibus timentibus eum. Neminem timet, qui nullius criminis ſibi conſcius eſt. Nemini fidit, qui cum improbitate vivit, ſed famulos etiam metuit, eoſque cum ſuſpicione intuetur. Et quid dico famulos? Conſcientiæ ipſius tribunal ferre non poteſt. *Non eſt pax impiis*, dicit Dominus. Nihil æque hoſtiliter adverſatur animæ ac vitium. Nihil æque in tuto illam collocat ac virtus & pax. Quamobrem incipiamus noſtra præſtare, tuncque Deum ad nos alliciemus. Deus non eſt belli, ſed pacis. *Non in commotione Dominus.* Depone igitur bellum & inimicitias, cum erga Deum, tum erga proximum: pacificus eſto erga omnes. Cogita qualis cum eſſes, ſalutem tibi Deus dedit. *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* Qui tales ſunt, perpetuo Filium Dei imitantur. Eumdem tu quoque imitare, pacem ſerva, ut Deus pacis tecum ſit. Audi Prophetam dicentem: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Nihil æque Deum lætificat, ac injuriarum immemorem eſſe. Si terrena contemnere diſcamus, pacem ſervabimus. Nam vel ab alieni cupiditate, vel ab invidia, vel ab inanis gloriæ ſtudio, initium ſumit omnis contentio. Eripuit aliquis pecunias, ſed nihil læſit, dummodo ſupernas divitias non eripiat. Impedivit gloriam tuam, ſed non eam quæ apud Deum eſt, verum levem hanc & nullius ponderis. Eripuit tibi honorem: imo non tibi, ſed ſibi ipſi.

Pax ſervanda, ut Deus pacis nobiſcum ſit.
S. Chryſoſt. Hom. 14.
Matth. 5.
Pſal. 119.

10. *Gavisus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis.* Charitas quam cum gaudio recipit fructus alienæ caritatis. De illis gaudet, non ob propria commoda, ſed quia dantibus ſunt apud Deum utilia ad meritorum incrementum, ad præmium vitæ æternæ conſequendum. *Eleemoſyna non accipientium, ſed dantium cauſa introducta eſt. Nam illi ſunt qui magnum quæſtum faciunt.* Ne igitur in ſuperbiam extollantur, qui benefaciunt, ſed ad beneficentiam alacriores fiant, quippe qui ſe ipſos magis juvent: & qui accipiunt, non avide procurrant ad accipiendum, nec ideo ſe fœlices exiſtiment quia ipſis ſubvenitur: quia *Beatius eſt* Act. 20. *dare, quam accipere.* Verum beatos ſe exiſtiment tam dantes quam accipientes, quod caritatem habeant (ſi tamen habent: quis enim novit cor ſuum?) In quibus eſt arefacta charitas, revireſcat & refloreſcat uberes eleemoſynas profundendo, ut gaudium vehemens de ſuo profectu Eccleſiæ pariant. *Tandem aliquando refloruiſtis.* Utinam dicere liceat Paſtoribus: *Jam hyems tranſiit, flores apparuerunt in terra noſtra!* Quibus vero non celeriter, nec abunde ſubvenitur indigentibus, illos excuſent qui nihil ipſis erogant, non murmurent, non improperent, non conquerantur. *Occupati autem eratis.*

Eleemoſyna dantibus quam accipientibus utilior.
S. Chryſoſt. Hom. 15.

11. 12. *Non quaſi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.* Miniſter Eccleſiæ pauper ſpiritu eſſe debet, ut Apoſtolus, nihil in ſacri Miniſterii functionibus de ſua penuria dicere, de neceſſitatibus ſuis ac rerum anguſtia non conqueri, ne munera & eleemoſynas aucupari videatur. *Non quaſi propter penuriam dico.* 2. Eccleſiæ Miniſtri, & quilibet Chriſtiani, cum regnum cœlorum conſequi non poſſint niſi ſint pauperes ſpiritu, contenti eſſe debent eo rerum ſtatu in quo illos Dei Providentia conſtituit; quantumvis modicum habeant, ſufficiens exiſtimare, eoque cum gratiarum actione uti; nihil deſiderare præter id quod ſuæ ſuorumque neceſſitati ſufficit. Neceſſitati, dico, non cupiditati, quæ dicit ſemper, *Affer, affer*, numquam vero, *Sufficit*. Chriſtianus, cujus portio Deus eſt, dives eſt. *Semper dives eſt Chriſtiana paupertas, quia plus eſt quod habet, quam quod non habet. Nec pavet in iſta mundo indigentia laborare, cui donatum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere.* Hæc virtus in Schola Chriſti diſcitur, non in ſchola mundi; nec diſcitur ſine labore; diſciplinæ res eſt & exercitationis. *Ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.* Tales præ ceteris eſſe debent Paſtores & Moderatores conſcientiarum, exemplo Apoſtoli. *Satis mihi eſt*, inquit, *quod habeo, ſive parum, ſive plurimum habeam, mihi plurimum eſt. Sufficit mihi*, inquit, *in quo ſum; id eſt, nec deeſt, nec ſuperfluit. Non deeſt, quia nihil quæro amplius: non ſuperfluit, quia non ſolum mihi habeo, ſed pluribus. Hoc de pecunia. Ceterum de omnibus dici poteſt quia ſufficiebant illi præſentia, hoc eſt, non honorem majorem, non obſequium uberiorem deſiderabat, non gloriæ immodicæ cupidus, aut gratiam indebite quærebat: ſed debiti finem certaminis, patiens laboris, ſecurus meriti præſtolabatur.* 3. Bonus Chriſtianus paupertatem humili tranquilloque animo ferre debet, gaudere de humiliatione ſua; ſe felicem exiſtimare qui divitias non poſſideat, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus pauper natus ſit, pauper vixerit, pauper mortuus ſit, pauperes beatos prædicaverit, divites prædamnaverit, qui ſuis opibus efferuntur & ſuperbiunt. 4. Bonus Chriſtianus ſcit recte & moderate uti proſperitate & abundantia, ubique, & in omnibus, in omni loco, negotio, ſtatu, conditione, Dei legi, non ſæculi corrupti conſuetudini ſe conformans. *Scio & humiliari, ſcio & abundare (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati.* Hunc S. Pauli textum præclare S. Ambroſius edidicit. *Non ergo*, inquit, *indocta humilitas, ſed quæ habeat ſui modeſtiam & ſcientiam, laudi datur. Eſt enim humilitas formidinis, eſt imperitiæ atque ignorantiæ, & ideo Scriptura ait:* Et humiles ſpiritu ſalvabit. *Præclare ergo dixit*, Scio & humiliari, *id eſt, quo in loco, qua moderatione, qua fine, in quo officio, in quo munere. Neſcivit Phariſæus humiliari, ideo dejectus eſt; ſcivit Publicanus, ideo juſtificatus eſt. Sciebat & abundare Paulus, quia animum habebat divitem; etſi theſaurum divitis non habebat. Sciebat abundare, qui non quærebat datum in pecunia, ſed requirebat fructum in gratia. In omnibus erat imbutus, & ſaturari & eſurire. Beatus qui ſciebat ſaturari in Chriſto. Non ergo illa corporalis, ſed ſpiritualis eſt ſatietas, quam operatur ſcientia. Et merito ſcientia opus eſt, quia,* „ Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei. *Ergo qui ſic ſciebat ſatu-*

Paupertas ſpiritus ab Eccleſiæ Miniſtris, & Chriſtianis omnibus ſervanda.
S. Leo Serm. 41. De Quadrageſ. 4.
S. Ambroſ. Lib. 1. De Officiis Miniſtrorum c. 19.
Deuter. 8. 3.

Digitized by Google

Match. 5. 6. *2. Cor. 6. 10.*

ſaturari & ſic eſurire, ſciebat ut ſemper novum quæreret, eſuriret Deum, ſitiret in Dominum. Sciebat eſurire, qui ſciebat quia eſurientes manducabunt: ſciebat & poterat abundare, qui nihil habebat, & poſſidebat omnia. Multi abundant in ſæculo, ſed pauci abundare ſciunt. Hæc ſcientia, quod praxim ſpectat, admodum difficilis, maximi tamen momenti ad ſalutem eſt. Quamobrem timenda magis eſt Chriſtiano proſperitas, quam adverſitas. „ Multi facilius abſtinent ut bonis terrenis non utantur, quam temperent ut bene utantur: nemo tamen eis poteſt ſapienter uti, niſi qui poteſt & continenter non uti. Penuriam pati, quotcumcumque hominum eſt; ſed ſcire penuriam pati, magnorum eſt. Sic & abundare quis non poteſt. Scire autem & abundare, nonniſi eorum eſt quos abundantia non corrumpit.

S. Auguſtin. lib. De Bono Conjug. c. 21.

13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Qui in propriis viribus confidit, nihil ſe poſſe ſine gratia Dei, qui velle & perficere pro bona ſua voluntate operatur in nobis, triſti experimento probabit. Qui gratiæ Jeſu Chriſti innititur, virtutem ejus omnipotentem experietur. *Quidni omnia poſſibilia ſunt innitenti ſuper eum qui omnia poteſt? Quantæ fiduciæ vox*, Omnia poſſum in eo qui me confortat! „ Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti. An non omnipotens, cui omnia poſſibilia ſunt? Ita animus, ſi non præſumat de ſe, ſed ſi confortetur a Verbo, poterit utique dominari ſui, ut non dominetur ei omnis injuſtitia. Ita, inquam, Verbo innixum, & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel ſtantem dejicere, vel ſubjicere dominantem. Vis non timere impulſorem? Non veniat tibi pes ſuperbiæ. Ibi diabolus & angeli ejus corruerunt, qui licet non impulſi extrinſecus, expulſi ſunt tamen, nec potuerunt ſtare. Denique in veritate non ſtetit, qui non innixus eſt Verbo, qui in ſua virtute confiſus eſt. Ergo qui ſtat, ſi non vult cadere, non fidat ſibi, ſed nitatur Verbo. Verbum loquitur: *Sine me nihil poteſtis facere*. Ita eſt, nec ſurgere ad bonum, nec ſtare in bono poſſumus ſine Verbo. Tu ergo qui ſtas, da gloriam Deo, & dic: *Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos*. Cujus manu erigeris, ipſius neceſſe eſt virtute tenearis.

In Dei miſericordia, non in viribus noſtris confidendum.

S. Bernard. Serm. 85. in Cantica, n. 5. & 6.

Joann. 15. 2.

Pſalm. 39. 20.

Subſidia Evangelicis Operariis eroganda.

14. 15. 16. 17. 18. Quamvis pauperibus omnibus benefaciendum ſit, Chriſti tamen Miniſtris pro Evangelii propagatione & animarum pretioſo illius ſanguine redemptarum ſalute laborantibus ſubvenire, cum neceſſitatem patiuntur, opus eſt laudabilius. In communionem enim laborum & meritorum ipſorum veniunt, qui illos juvant. *Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ*. 2. Chriſtiani eleemoſynas ad Evangelii propagationem, ad Operariorum Evangelicorum & pauperum ſuſtentationem erogantes, grati animi ſignificatione, laudibuſque, non aſſentationis ingenio, ſed charitatis ſpiritu profuſis proſequi oportet, ut ad bona opera alacriores reddantur. *Bene feciſtis communicantes*, &c. 3. Fidelibus implendum omne creaturæ ſuæ deſiderium. *Deus* populis ſuadendum eſt largitionem eleemoſynarum ſacrum eſſe commercium; illos erogando carnalia, accipere ſpiritualia; dare nummum ut accipiant cœlum; dare temporalia, ut accipiant æterna. *Nulla Eccleſia communicavit mihi in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli*. „ Quemadmodum vendentes & ementes inter ſe communicant, alter ab altero viciſſim accipiens & dans (hoc enim eſt communicatio) ita & hac in re. Nihil hac negotiatione quæſtuoſius: nam fit quidem in terra, perficitur autem in cœlo. Emptores quidem in terra ſunt. Emunt vero & paciſcuntur ea quæ in cœlis, terreno depoſito pretio. 4. Eccleſiæ Miniſtri, & pauperes Evangelici fructum ſpiritualem fidelium unice deſiderare & quærere debent, non pecunias, & munera, *Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra*. Noverint fideles fructum ſibi apud Deum ex eleemoſynis acquiri, non qualemcumque, ſed *abundantem*, Deum in rationes ſuas tranſcribere velut acceptum, & eum uſuris a te reddendum, quod pauperibus datur. „ Ego, *inquit Deus*, prohibebam te a fœnore: Jubeo tibi fœnus, me fœnera. Pauca vis date & plura accipere; relinque hominem qui plangit quando exigis; me inveni, qui gaudeo quando reddo. Ecce adſum, da & ſume, tempore redditionis reddam tibi. Et quid reddam? Pauca dediſti, plura ſume: terrena dediſti, cœleſtia ſume: temporalia dediſti, æterna ſume: mea dediſti, me ipſum ſume. Quid enim dediſti, niſi ex eo quod à me accepiſti? Quod dederis non reddo, qui unde dares, dedi; qui tibi Chriſtus, cui dares, dedi, qui tibi diceret, *Quando uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti*. Ecce cui das, paſcit & eſurit propter te: donat & eget. Quando donat, vis accipere; quando eget, non vis dare. Eget Chriſtus, quando eget pauper. Qui omnibus ſuis vitam æternam paratus eſt dare, in unoquoque paupere temporaliter dignatus eſt accipere. „ Non præſentibus ſolum pauperibus & importune rogantibus, ſuæque miſeriæ demonſtratione commiſerationem excitantibus, ſed abſentibus, iis maxime qui pro Eccleſia & ſalute animarum laborant, ſubveniendum eſt, non ſemel, ſed frequenter: in eorum manibus, quæ ſunt gazophylacium Chriſti, deponendæ pecuniæ, & in cœlum per ejuſmodi latores præmittendæ. *Quia Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis*. „ 5. Sacrificium Chriſtiani eſt eleemoſyna in pauperem. Hinc enim fit Deus peccatis propitius. Niſi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanet, niſi reus? Hoc ſacrificium ſola caritas offerre poteſt in ara cordis religioſi & humilis. „ Deo enim ingratæ ſunt eleemoſynæ, & dantibus nihil profuturæ, quæ fiunt a triſtibus & murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viſcera indigentis. Dignas eleemoſynas pro peccatis non faciunt, qui nequiter vivunt, & affectum peccati non deponunt, „ Dignas eleemoſynas non faciunt Publicani, & alii, qui in auferendis rebus alienis longe plura diripiunt, ex quibus ſe exigua pauperibus largiendo, Chriſtum ſe ad hoc paſcere exiſtimant, ut licentiam malefactorum ab illo ſe emiſſe, vel quotidie potius emere crederent, ſecuri damnabilia tanta committant. Qui ſi pro uno ſcelere omnia ſua diſtribuerent indigentibus membris Chriſti, niſi deſiſterent a talibus factis, habendo charitatem, quæ non agit perperam, aliquid eis prodeſſe non poſſet. *Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo*. 6. Pauperes, quibus eleemoſyna erogatur, Deum fidejuſſorem habent, qui divitias omnes ſuas oppignerat, ſeque obſtringit non ſolum ad reddendum æquale, non ſolum ad compenſandum ſuperabundanter, ſed ad *autem meus impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundum divitias ſuas, in gloria, in Chriſto Jeſu*.

Eleemoſyna ſacrum commercium.

S. Chryſ. Hom. 15. in hanc Epiſt.

S. Auguſtin. Serm. 8. alias de Tempore 226.

Eleemoſyna ſacrificium Chriſtianorum.

S. Auguſtin. Serm. 42. alias 29. ex Homiliis 50. Idem in Pſ. 42 num. 8. Idem lib. 21. de Civit. Dei, c. 27.

IN

IN EPISTOLAM
S. PAULI APOSTOLI
AD COLOSSENSES,
COMMENTARIUS
LITTERALIS ET MORALIS,
PRÆFATIO.

Coloſſa Phrygiæ civitas, Hierapoli & Laodiceæ vicina.

COLOSSENSES non a S. Paulo, quem nec ex facie quidem cognoverant, ut colligitur ex Verſ. 1. capitis 2. diſſentiat licet Theodoretus; ſed ab Epaphra Apoſtolorum Diſcipulo in fide fuerant inſtituti, ut conſtat ex Verſ. 7. capitis 1. Verumtamen, cum ab Epaphra didiciſſet S. Paulus quoſdam ſeductores ſeu ſæcularis Philoſophiæ figmentis, ſeu Moſaicæ Legis obſervantiis ac Judaicis ſuperſtitionibus fidem illorum corrumpere conatos eſſe, illiſque perſuadere acceſſum ad Deum quærendum non eſſe per Filium, ſed per Angelos; Filium autem Dei eſſe majorem, quam ut eo Mediatore ac deprecatore uti nobis liceat; ſibi ut Gentium omnium Apoſtolo curam illorum ſuſcipiendam duxit, & hanc ad illos ſcripſit Epiſtolam ut eos in Fide ac Doctrina Evangelii confirmaret. Illos igitur docet imprimis, nonniſi per Chriſtum Dei Filium, qui eſt imago Dei inviſibilis, qui eſt caput corporis Eccleſiæ, principium, primogenitus ex mortuis, nos inſtaurari & reconciliari Deo. Proinde monet ne ſe in religione Angelorum ſeduci patiantur. Ipſos etiam hortatur ne ullis perſuaſionibus ſeu Philoſophorum, ſeu Judaizantium Pſeudoapoſtolorum ſinant ſe a Chriſti fide abduci, per quem a peccatis, & a diaboli poteſtate liberati ſunt, nec non a legalium obſervantiarum jugo. Illos denique ad omnem virtutem informat, maxime ad charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis. Romæ ſcripta eſt hæc Epiſtola, eodem anno quo ſuperior ad Philippenſes, & miſſa per Tychicum, & Oneſimum Coloſſenſem, ut non ſolum in Coloſſenſi, verum etiam in Laodicenſi Eccleſia legeretur, ut conſtat ex cap. ultimo,

---

CAPUT I

Senſus Litteralis.

1. 2. 3. PAulus *Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei*, ejuſque gratia & vocatione, non propria auctoritate & electione (Munus enim illud non uſurpavi, neque illius functionibus ultro me ingeſſi) *& Timotheus frater*, vobis probe notus. *Iis qui ſunt Coloſſis, ſanctis & fidelibus fratribus in Chriſto Jeſu.* Chriſtianis Coloſſarum incolis per Chriſtum Jeſum in Baptiſmo ſanctificatis, & in ejus fide permanentibus. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Gratiam, ſeu omne beneficiorum genus ad ſalutem vitæ æternæ ſpectantium, & tranquillam atque perpetuam eorum poſſeſſionem vobis deprecor a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, ejuſdem poteſtatis conſorte, & bonorum omnium pariter auctore. *Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes.* Gratias agimus Deo, qui Pater eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti, de veſtræ vocationis & ſanctificationis gratia, aſſidue pro vobis orantes.

4. 5. 6. *Audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes.* Ex quo audivimus vos credere in Chriſtum Jeſum, & charitatem quam in omnes fideles exercetis. *Propter ſpem, quæ repoſita * eſt vobis in cælis: quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii.* Propter ſalutem & gloriam æternam, quam ſperatis, & quæ vobis in regno cælorum ſervatur. Cujus quidem ſalutis promiſſa jam ante audiviſtis in Evangelii prædicatione; in quo loquitur ipſa Veritas, quæ Chriſtus eſt & cui nihil ſubeſſe poteſt falſi, cum ſit Verbum Dei. *Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex ea die qua audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.* Quod Evangelium ad vos uſque prædicatione pervenit, ſicut & in univerſo mundo, ſeu illuſtrioribus mundi partibus diffuſum eſt, in quibus fructum ſpiritualem profert, fidem, charitatem, ſanctitatem; & feliciter propagatur, creſcente in dies multitudine fidelium: ſicut in vobis fructificat & creſcit, vobis quotidie in fide & pietate proficientibus, & alios verbo & exemplo ad Chriſti fidem adducentibus, ex ea die qua illius prædicationem audiviſtis, & intellexiſtis, ſecundum veritatem & gratiam Dei, qua homines per Filium ſuum, ejuſque myſteria, præcepta, & exempla, necnon per interiorem Spiritus ſui Sancti ſubminiſtrationem ſalvare decrevit.

* Alludit ad patres, qui theſauros reponunt liberis ſuis in hereditatem.

7. 8. *Sicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis Miniſter Chriſti Jeſu.* Quam veritatem edocti eſtis ab Epaphra chariſſimo cooperario noſtro nobiſcum Deo ſerviente, & in Miniſterio Evangelii Jeſu Chriſti fideliter laborante ad ſalutem animarum veſtrarum. *Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu.* Qui nos certiores fecit de ſpirituali dilectione, qua nos & omnes fideles proſequimini.

Paulus quidem in Phrygia fuerat, ſed non poterat adire omnes Phrygiæ urbes. Itaque Epaphram eo miſerat, qui Coloſſis Evangelium prædicavit. Ita Coloſſenſis, & a Coloſſenſibus juvandum S. Paulum miſſus Romam, in carcerem pariter conjectus fuit. Hujus ceu Epiſcopi & Martyris memoria celebratur die 19. Julii in Martyrologiis Uſuardi, Adonis, & Romano.

9. *Ideo & nos ex qua die audivimus* tanta de vobis bona, *non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia & intellectu ſpirituali.* Aſſiduis precibus a Deo petimus, ut impleat & perficiat in vobis, quod per gratiam ſuam cœpit, cognitionem ſcilicet voluntatis ejus, quoad credenda, & agenda, per ſapientiam & intelligentiam ſeu prudentiam, quæ ſunt dona Spiritus ſancti. Sapientia eſt infuſa myſteriorum cognitio, cum affectu pio ad praxim inclinante. Intelligentia ſeu prudentia ſpiritualis eſt cognitio infuſa rerum agendarum, qua fidei veritates ad opus applicamus.

10. 11. *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei.* Ut vitam agatis Deo dignam, ejuſque cultoribus convenientem, in omnibus illi placere ſtudentes: fructum omnis generis bonorum operum proferentes, & in divinorum Myſteriorum cognitione magis magiſque proficientes. *In omni virtute confortati ſecundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio.* Precor etiam ut viribus ſpiritualibus perfecte vos corroboret Deus, ſecundum glorioſam ſuam potentiam, ut gratiæ ejus auxilio confirmati ſtabiles maneatis, & inimicorum fidei perſecutiones, & adverſa quæque conſtantes & æquanimiter, cum manſuetudine perſeverante, cum gaudio denique toleretis. Adverſus externorum adverſariorum inſultus & perſecutiones patientiam; erga domeſticos fidei longanimitatem vobis apprecor.

S. Chryſoſt. Homil. 2. Theophylact.

12. 13. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.* Qui nos Evangelii ſui ac fidei luce illuminans, dignos fecit ſorte & hereditate cœleſti, ſanctis promiſſa ac repoſita. Sortis nomine gratuitam prorſus electionem ad gloriam ſignificat, nullis noſtris meritis, ſed uni Dei beneplacito ac miſericordiæ adſcribendam. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, * & tranſtulit* (a) *in regnum Filii dilectionis ſuæ.* Qui nos eripuit a dominatu diaboli, & tranſtulit in regnum dilecti Filii ſui, ſcilicet in Eccleſiam, nobiſque jus ad regnum cœlorum dedit. In verbo *eripuit* major emphaſis eſt quam in verbo, *liberavit*. Liberantur enim etiam qui volunt & cupiunt & merentur liberari; ſed eripiuntur ſæpe quodammodo inviti, ut Loth e Sodomis. Gratiæ igitur & omnipotentiæ Dei vis efficaciſſima hoc verbo ſignificatur. Obſerva, idem eſſe regnum Patris, & Filii, unamque & individuam ejus poteſtatem, & maje-

* Diabolus tenebrarum nomine ſignificatur quia princeps eſt tenebrarum, quia tenebris gaudet, & in eas trahit homines, ſcilicet in infidelitatem, & alia peccata, &

Digitized by Google

mortem æternam.

(a) In verbo *tranſtulit*, metaphora eſt ab iis ſumpta, qui Colonias in novam regionem deducunt.

Geneſ. 22.

Theodoret.

majeſtatem, poteſtatem & gloriam: ſed Pater neminem ad regnum ſuum transfert & admittit, niſi per merita Filii ſui dilecti Domini noſtri Jeſu Chriſti. Filium autem *dilectionis* Chriſtum Dominum vocavit Apoſtolus, docens eum amari, non ut creaturam & ſervum, ſed ut filium. „ Eſt enim filius dilectionis, ſeu dilectus filius, hoc eſt verus & legitimus. „ Sic enim & Iſaac nominatus eſt. *Accipe*, inquit, „ *filium tuum dilectum*, pro eo quod eſt, verum ac „ proprium, qui eſt tibi aliis pretioſior.

Beneficium redemptionis ab excellentia perſonæ redimentis commendat Apoſtolus.

14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum*. Qui nos a ſervitute peccati, a morte æterna, & diaboli tyrannide redemit pretio ſanguinis ſui Patri oblato, cujus effectus eſt remiſſio peccatorum in Baptiſmo nobis data, & in Pœnitentiæ Sacramento, quoad ea quæ poſt Baptiſmum committuntur, tribuenda.

Chriſtus vere Deus.

S. Chryſoſt. Homil. 7.

Theodoret.

Theophylact.

Chriſti divinitas & æternitas.

15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Qui eſt imago viva, perfecta & abſoluta Dei inviſibilis, ante omnem creaturam genitus. Inanimatæ quidem imagines non habent ſubſtantiam eorum quorum ſunt imagines: viva autem imago eamdem habet cum exemplari naturam. Obſerva Chriſtum ab Apoſtolo primogenitum omnis creaturæ appellari, non primo creatum. Non ergo ita vocatus, quod frater ſit creaturarum, qui omnium eſt opifex; ſed quia primus eſt naturæ ſuæ divinæ infinita dignitate. Ita etiam & *primogenitus ex mortuis*, quia primus reſurrexit. Ita & Eccleſiam primogenitorum ſanctorum cœtum appellavit Apoſtolus, ad eorum excellentiam hoc nomine deſignandam, quia major quidam honor primogenitis Lege tribuebatur.

Simoniacos hæreticos, & Pſeudo-apoſtolos Judaizantes, qui nimium Angelis tribuebant, ſimul & Arianos Filium in creaturarum ordinem redigentes, hic locus Apoſtoli refellit.

Confer cum Joan. 1. 3. Theodoret. 1. Cor. 15.

Non ait Apoſtolus, Factus eſt ante omnia, ſed Ipſe eſt ante omnia, cum dignitate, [illegible]

16. 17. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo condita ſunt*. Per ipſum creata ſunt univerſa, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terra ſunt, corporea & incorporea, omnes cœleſtium Spirituum Ordines: omnia, (inquam) ab ipſo ut principio, & *in ipſum*, ſeu ad *ipſum*, (quæ vis eſt Græci Textus) id eſt, propter ipſum ut finem creata ſunt. Ad ſecundam creationem ſive reparationem mundi per Chriſtum hæc verba perperam reſtringunt Grotius & alii: enim hic Angelos ſtudioſius commemoret Apoſtolus, & per Chriſtum ac in Chriſto conditos inculcet, qui tamen per Chriſtum non ſunt reparati 2. Loci Paralleli *Joan.* 1. 3. & *Hebr.* 7. 10. de prima creatione dubio procul ſunt intelligendi. 3. Creandi vox hic ſimpliciter & indefinite ponitur, cum de nova creatione numquam uſurpetur, niſi reſtrictione aliqua addita, ut *Iſai.* 65. 17. & *Epheſ.* 2. 15. Hæc igitur verba, *Omnia per ipſum condita ſunt*, primam indicant creationem: hæc autem verba, *in ipſo*, ad ſecundam creationem ſeu inſtaurationem, & reparationem hominis per Incarnationem non incongrue referuntur, dicente Apoſtolo: *Si qua enim in Chriſto nova creatura*. Sic Theodoretus interpretatur. *Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant*. Et ipſe eſt ante omnia, (quæ vis eſt Greci Textus.) Et omnia per ipſum conſiſtunt. Non ſolum enim eſt omnium opifex, ſed etiam curam gerit eorum quæ fecit, & gubernat creaturam, quæ ſtat per ejus ſapientiam & potentiam.

18. *Et ipſe*, quatenus homo Deus, *eſt caput corporis Eccleſiæ*, eſt caput Eccleſiæ, quæ corpus ipſius myſticum eſt; *Qui eſt principium primogenitus ex mortuis*: quem primitias reſurgentium & primogenitum ex mortuis, jure dixerim, cum primus ſurrexerit ad vitam immortalem, ejuſque reſurrectio cauſa ſit reſurrectionis noſtræ; *Ut ſit in omnibus ipſe, primatum tenens*. Ita ut in omnibus primas teneat. Etenim ut Deus ante omnes eſt, & coæternus Patri; ut homo autem, primogenitus ex mortuis, & caput Eccleſiæ.

19. 20. *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Quia complacuit Patri ut in ipſo plenitudo divinitatis, & omnium gratiarum ac donorum Mediatori & capiti Eccleſiæ convenientium permanenter & inſeparabiliter reſideret. Gratiæ plenitudinem nullis ſuis meritis, ſed ſolo Patris beneplacito habuit homo Chriſtus; ſicut per ipſum & in ipſo gratiæ portionem ſolo Dei beneplacito, non ſuis ullis meritis recipit homo ut fiat per lavacrum regenerationis, id eſt, per baptiſmum, Chriſtianus. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt*. Et placuit Patri per eum, ſcilicet Chriſtum Mediatorem, non per Angelos, ſibi reconciliare omnis generis homines, eos in ipſo ceu communi capite recolligendo, & conjungendo: pace inter Angelos & homines compoſita per ſanguinem ejus in cruce effuſum, quo peccatum expiatum & abſterſum eſt, quod homines ab Angelis dirimebat, impediebatque ne illi ad iſtorum ſocietatem pervenirent. Eodem ſenſu

ſcribit alibi Apoſtolus noſter: *Inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, in ipſo*. „ Inſtaurantur quippe quæ in cœlis ſunt, cum „ id quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur; inſtaurantur autem quæ in terris „ ſunt, cum ipſi homines qui prædeſtinati ſunt ad „ vitam æternam, a corruptionis vetuſtate renovan- „ tur. Ac ſi per illud unum ſingulare Sacrificium, „ in quo Mediator eſt immolatus, quod unum multæ „ in Lege victimæ figurabant, pacificantur cœleſtia „ cum terreſtribus, & terreſtria cum cœleſtibus... „ Quomodo enim pacificantur cœleſtia, niſi nobis id „ eſt, concordando nobiſcum? Nam ibi ſemper eſt „ pax, & inter ſe univerſis intellectualibus creatu- „ ris, & cum ſuo Creatore.... Concordant autem „ nobiſcum Angeli etiam nunc, cum remittuntur „ noſtra peccata.... Non ergo hæc quæ in ſanctis „ Angelis & Virtutibus Dei eſt Eccleſia, per Chri- „ ſtum reconciliata eſt Deo, ſed quæ peregrinatur „ in terris. Hæc ſanguine Mediatoris nullum haben- „ tis peccatum, ab omni redempta eſt peccato..., *Non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus. Sed ideo etiam pro Angelis fit quicquid hominum per ejus mortem redimitur & liberatur a malo, quoniam cum eis quodam modo redit in gratiam, poſt inimicitias quas inter homines & ſanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipſa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ detrimenta reparantur*.

(a) S. Auguſtin. in Enchiridio, cap. 21. 62. & 63.

Convenit cum S. Auguſtino Theodoretus in commentario hujus loci.

21. 22. *Et vos cum eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos ſanctos & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo*. * Et vos, Coloſſenſes, olim a Deo alienatos, ejuſque cognitionis expertes, illi exoſos, & mente atque affectu inimicos, quam inimicitiam opera mala demonſtrabant, Chriſtus reconciliavit Deo Patri ſuo per mortem in carne ſua toleratam, ut vos illi exhiberet ſanctos, immaculatos, & irreprehenſibiles, non ſolum coram hominibus, ſed coram ipſo. Id enim conſecuti eſtis, non Lege hoc vobis donum conferente, ſed Chriſto Domino debitum veſtrum exſolvente, & corpus ſuum, noſtris conſubſtantiale corporibus, morti tradente. Cujus reconciliationis efficacia, mortiſque meritum, vobis per Baptiſmum applicatum eſt.

* Non juſtitia Chriſti extrinſecus imputata, ſed interior & inhærens animabus noſtris, nos vere ſanctos & immaculatos coram Deo conſtituit.

23. *Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles (a) & immobiles a ſpe Evangelii, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in univerſa terra quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ſum ego Paulus Miniſter*. Quod vobis proderit ad ſalutem, ſi perſeveretis bene fundati, & firmi in fide quam accepiſtis; nec vos dimoveri patiamini a ſpe bonorum æternorum, quæ promittit Evangelium, quod audiſtis, quod longe lateque omni hominum generi prædicatum eſt; non ſolis Judæis, ſed & Gentibus. Cujus Evangelii prædicandi munus ac Miniſterium mihi Paulo Chriſtus Jeſus demandavit.

(a) Fidem & juſtitiam inamiſſibilem non eſſe probat hic locus contra Calviniſtas.

Idem Evangelium a Paulo & ab Epaphra prædicatum.

24. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*. Qui nunc gaudeo in vinculis & afflictionibus meis, quas veſtræ ſalutis procurandæ cauſa ſuſtineo, ut ſcilicet ædificem & confirmem fidem Gentium, quarum a Chriſto vocatus ſum Apoſtolus, adeoque & veſtram. Et adimpleo in carne mea quod reliquum eſt paſſionum a Chriſto in membris ſuis tolerandarum. Vel, adimpleo menſuram afflictionum, quæ mihi tolerandæ ſuperſunt ex Chriſti voluntate, pro corpore ejus myſtico, quod eſt Eccleſia, ut congregetur, ædificetur, confirmetur, perficiatur, doctrina, prædicatione, exemplisque patientiæ noſtræ.

S. Auguſt. in Pſal. 61. n. 4. S. Leo, Serm. 68. De Paſſ. Dom. 19. c. 5.

25. 26. *Cujus factus ſum ego Miniſter, ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos, ut impleam verbum Dei*. Cujus Eccleſiæ ego ſum conſtitutus Miniſter, ſecundum munus mihi a Deo concreditum, & erga vos, id eſt, erga Gentes, ex ejus ordinatione ac mandato exercendum, ut plene ac perfecte perfungar miniſterio verbi Dei. *Myſterium, quod abſconditum fuit a ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtum eſt ſanctis ejus*. Prædicans Myſterium Incarnationis Filii Dei Chriſti Jeſu, & redemptionis mundi per ipſum, vocationiſque omnium Gentium, quod omnium ſæculorum & ætatum hominibus abſconditum fuit in arcano æternoque Dei propoſito, necnon ſub velamine cæremoniarum legalium; nunc autem patefactum eſt Apoſtolis ejus, & per eos illis quos in Chriſto ſanctificandos & ſibi per fidem & baptiſmum conſecrandos elegit.

27. 28. *Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ*. Quibus Deus pro ſuo beneplacito voluit notum facere quæ ſint divitiæ, quæ gloria hujus Myſterii: nempe quod Gentes,

quæ ſedebant in tenebris, divinæ cognitionis lumen acceperunt, & erunt gloriæ Chriſti participes. Quod Myſterium nihil aliud eſt quam Chriſtus a vobis per fidem ſuſceptus, & in vobis inhabitans, per quem gloriam æternam ſperiti. *Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.* Quem, ſcilicet Chriſtum, unum Dei & hominum Mediatorem prædicamus, admonentes omnes homines ſine ullo diſcrimine gentium, vel ſtatuum & conditionum, & propter peccata corripientes, & inſtituentes in perfecta cognitione Dei & Myſteriorum Chriſti Jeſu, ſinceraque pietate, quæ vera ſapientia eſt, & Chriſtiani hominis perfectio.

29. *In quo & laboro, certando ſecundum operationem ejus, quam operatur in me virtute.* Hunc laborum meorum finem mihi propono, athletarum inſtar decertans, nec difficultatibus & periculis deterritus; ſecundum efficacem ejus virtutem, qua in me potenter operatur.

C A P U T I.

Senſus Moralis.

Vocatio Dei ad Miniſterium Eccleſiaſticum neceſſaria.

1. P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei.* Nemo ad Miniſterium Eccleſiaſticum, ad regimen animarum, ad prædicationem Evangelii admittendus eſt, niſi Dei voluntate & Chriſti Jeſu miſſione vocatus & probatus. Qui voluntate carnis, deſtinatione parentum, favore & patrocinio Magnatum ad Eccleſiæ Dignitates & ſacrum Miniſterium perveniunt; qui verbi Dei Miniſterium ad oſtentationem eloquentiæ, ad gloriam hominum aucupandam, ad obtinenda Beneficia, vel nummos corrogandos exercent, non ſunt a Chriſto miſſi, non ſunt a Deo probati. Gloriam mundi faſtidiunt, temporalia bona non quærunt, qui ſe legatos eſſe meminerunt Chriſti Jeſu, pauperis propter nos effecti, gloriam ſuam non quærentis, ſed Patris a quo miſſus eſt. Quid cum mundi gloria Miniſtro & Prædicatori ejus, quem odio habuit, perſecutus eſt, & crucifixit mundus? vocationem ſuam, intentionem, conſilia, affectus coram Deo expendant Eccleſiæ Miniſtri: Sæpe enim ſibi de ſe ipſa mens humana mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, & de mundi gloria, fortunæque bonis non amare quod amat. Homines fallere poſſunt, non Deum, cui patent etiam intimi & penitus abditi animi noſtri receſſus. Orandus Deus ut det Eccleſiæ ſuæ Paſtores & Miniſtros *juxta cor ſuum*, & non *in furore ſuo*, ne hypocrytas & mercenarios in Eccleſiæ miniſterium irrepere permittat.

Jerem. 3. 15. Oſee 13. 11.

2. 3. *Eis qui ſunt Coloſſis, ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Jeſu Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Chriſtianus profeſſione ſanctus eſt, Deoque conſecratus per Baptiſmum. Procul ergo ab ejus animo, ab ejus ore, & opere, quicquid immundum aut profanum eſt. Deo ſit conjunctus fide viva, a terrenis rebus ſegregatus ſpe firma cœleſtium bonorum; charitate propenſus ad benefaciendum omnibus ut fratribus in Chriſto Jeſu: gratiam & pacem bonorum omnium loco ducens. Hæc enim filiorum Dei hereditas, quam Chriſtus Jeſus membris ſuis acquiſivit. Gratia omnis boni principium eſt; pax omnium finis deſideriorum.
„ Quia filii ſumus, hereditatem habebimus. Et quid
„ vocabitur ipſa hereditas, niſi pax? Exheredati ſunt,
„ qui non amant pacem. Non amant pacem, qui
„ dividunt unitatem. Pax poſſeſſio piorum eſt, poſ-
„ ſeſſio heredum. Et qui ſunt heredes? Filii. Audite
„ Evangelium: Beati pacifici, quoniam filii Dei
„ vocabuntur.

S. Thomas, Lect. 1. S. Auguſt. in Pſal. 125. n. 10. Matth. 5. 9.

3. 4. 5. *Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes.* Oratio & gratiarum actio, clariſſima gratiæ teſtificatio. Deo ſemper agendæ ſunt gratiæ, pro beneficiis ab eo nobis collatis, quorum numquam eſſe debemus immemores. Id juſtitia poſtulat. Unde Eccleſia in ſacrorum celebratione Myſteriorum ſic præfatur: *Gratias agamus Domino Deo noſtro. Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere*, &c. Semper orandum; urget neceſſitas, quia ſemper indigemus. Et licet actu ſemper orare non poſſumus: tamen ſemper ex habitu caritatis orandum eſt: omniaque opera noſtra in ſpiritu orationis peragenda, & Deo ad ejus laudem & gloriam offerenda. Gratiæ Deo agendæ ſunt immortales de fide, ſpe, & caritate, nobis, & omnibus Chriſti membris collata, pro nobis ſingulariter, pro omnibus communiter. Unus eſt enim Deus Pater, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, unus utriuſque Spiritus, qui fidem, ſpem, & caritatem, omneque bonum in nobis operantur: quæ ſi in nobis ex nobis eſſent, non ex Deo, illuſoria eſſet, non ſincera gratiarum actio. *Audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cœlis, quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii.* Næ nos infelices, inertes, ſtupidos, ſi tam magnificis promiſſis, tam certis, in verbo veritatis Evangelii fundatis, non moveamur, non alliciamur, non incitemur ad omne opus bonum! Qui bonum operatur intuitu mercedis temporalis, mercenarius eſt: qui propter ſpem in cœlis repoſitam, ſeu propter cœleſtem hereditatem, quæ Deus eſt, cœli civis, Dei Filius adoptivus eſt. „ Clamemus ergo
„ ſpiritu charitatis donec veniamus ad hereditatem,
„ in qua ſemper maneamus: liberali amore filius,
„ non ſervili timore patientes. Clamemus, quam diu
„ pauperes ſumus, donec illa hereditate ditemur.
„ Magna quippe inde pignora accepimus, quod ad
„ nos ditandos pauper factus eſt Chriſtus, quo in
„ ſupernas divitias exaltato, miſſus eſt qui ſancta
„ deſideria noſtris cordibus inſpiraret Spiritus ſan-
„ ctus. Horum pauperum adhuc credentium, non-
„ dum contemplantium; adhuc ſperantium, nondum
„ tenentium; adhuc deſiderio ſuſpirantium, nondum
„ felicitate regnantium; adhuc eſurientium & ſitien-
„ tium, nondum ſatiatorum: horum ergo pauperum
„ patientia non peribit in æternum.

Oratio, & gratiarum actio aſſidua & perſeverans.

S. Thomas, ibid.

S. Auguſt.

Promiſſa Dei ad omne opus bonum incitamenta nobis eſſe debent.

S. Aug. lib. De Patientia, cap. 29.

6. *Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit: ſicut in vobis, ex ea die qua audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.* Magnas & ſempiternas Deo gratias agamus, quod ad nos Evangelium pervenerit, quod in Chriſtiana Catholica fide inſtituti, quod gratiam Dei in veritate cognoverimus: ſed expendamus coram Deo an ex ea die qua Chriſtum ad cor noſtrum loquentem audivimus, a die converſionis noſtræ, gratia Dei fructus uberiores bonorum operum pepererit in nobis, an altiores radices in nobis egerint virtutes Chriſtianæ, an majora quotidie ceperint incrementa. Timeamus ne a nobis auferatur talentum ex quo nihil lucrati ſumus, ne a nobis regnum Dei tollatur, qui fructum ejus non reddimus, ne areſcat arbor infructuoſa maledicta, & ſuccidatur, & in ignem mittatur. Veritatem Evangelii amemus, acceptam gratiam fideliter ei cooperando conſervemus, bonis operibus aſſidue incumbendo demus operam ut in nobis fructificet & creſcat, ſicut in univerſo mundo fructificat & creſcit in electis & ſanctis. Qui enim in juſtitia Chriſtiana non proficit, deficit.

Gratiæ Chriſti cooperandum eſt.

7. 8. *Sicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis Miniſter Chriſti Jeſu, qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu.* Eccleſiaſticum Miniſterium, ſancta ſervitus eſt. Paſtores, Doctores, Prædicatores in Eccleſia conſtituti ſunt, ut ſerviant animarum ſaluti, pro quibus ſe morti devovit & tradidit Chriſtus Jeſus, cujus Miniſtri ſunt in illarum ſalute procuranda. Quanta ergo humilitate, quam ferventi charitate, quam integra fide, quam ſedula diligentia, quam ſollicita vigilantia, omnes ſacri Miniſterii partes implere debent? Præcipua autem illorum cura ſit in fidei puritate conſervanda, quæ ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris tradita eſt, *ſicut didiciſtis* &c. tum in dilectione ſpirituali ſeu charitate nutrienda & fovenda. *Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu.* „ Hæc eſt admirabilis, firmaque & ſtabilis dile-
„ ctio: Nihil terreſtre & carnale eam parit, ſicut
„ ceteras neceſſitudines & amicitias: non conſuetu-
„ do, non beneficium, non natura, non aurum,
„ non convivia, aut peregrinationis ſocietas, ſed e
„ cœlo deſcendit. Et quid miraris ſi beneficio non
„ eget ut conſiſtat, cum ne ſi mali quidem quidquam
„ accipiat, evertatur?... Nihil eſt æque validum ac
„ vinculum Spiritus. Qui enim propterea quod ſit
„ beneficio affectus, evaſit amicus, ſi hoc non fiat
„ perpetuo, erit inimicus. Qui ex conſuetudine, ea
„ interrupta amicitiam extingui ſinit. Uxor orta lite
„ ac diſſenſione dimittit maritum & ſolvit deſide-
„ rium. Filius ſi diu viventem viderit patrem, æ-
„ gre fert. Dilectio autem ſpiritualis nullo horum
„ ſolvitur, quia non carnali, terreno, humano, po-
„ litico, ſed ſpirituali vinculo adſtringitur, quod eſt
„ Spiritus ſanctus. Neque tempus, neque vitæ lon-
„ gitudo, non ira, non contumelia, non injuria eam
„ diſſolvere poteſt .... Chriſtianorum dilectio ſpiri-
„ tualis omnino eſſe debet. Nec ſic quidem ab ho-
„ mine homo diligendus eſt, ut diliguntur carnales
„ fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cogna-
„ ti, vel affines, aut cives. Nam & dilectio iſta tem-
„ poralis eſt: Non enim ullas tales neceſſitudines ha-
„ beremus, quæ naſcendo & moriendo contingunt, ſi
„ natura noſtra in præceptis & imagine Dei manens,

„ in

Eccleſiaſtici Miniſterii ſancta ſervitus & cura præcipua.

S. Chryſoſt. Hom. 1. in hanc Epiſtol.

Spiritualis tantum dilectio inter Chriſtianos vigere debet.

S. Aug. lib. De vera Religione, cap. 46. n. 88. & 89.

„ in iſtam corruptionem non relegaretur. Itaque ad pristinam perfectamque naturam nos ipſa Veritas vocans, præcipit ut carnali conſuetudini reſiſtamus, docens neminem aptum eſſe regno Dei, qui non iſtas carnales neceſſitudines oderit. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. Magis eſt enim inhumanum, non amare in homine quod homo eſt, ſed amare quod filius eſt: hoc eſt enim non in eo amare illud quod ad Deum pertinet, ſed amare illud quod ad te pertinet. Quid ergo mirum, ſi ad regnum non pervenit, qui non communem, ſed privatam rem diligit? Immo utrumque, ait quiſpiam, immo illud unum, dicit Deus. Dicit enim veriſſime Veritas: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire*. Nemo enim poteſt perfecte diligere quo vocamur, niſi oderit unde revocamur. Vocamur autem ad perfectam naturam humanam, qualem ante peccatum noſtrum Deus fecit: revocamur autem ab ejus dilectione, quam peccando amiſimus. Quare oderimus oportet, unde ut liberemur optamus. Oderimus ergo temporales neceſſitudines, ſi æternitatis caritate flagramus. Diligat homo proximum tamquam ſeipſum. Certe enim ſibi ipſi nemo eſt pater, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum homo. Qui ergo diligit aliquem tamquam ſeipſum, hoc in eo debet diligere, quod ſibi ipſe eſt. Corpora vero non ſunt quod nos ſumus. Non ergo in homine corpus eſt expetendum aut deſiderandum. Ipſa igitur natura humana ſine carnali conditione diligenda eſt, ſive ſit perficienda, ſive perfecta. Omnes ſub uno Deo Patre cognati ſunt, qui eum diligunt, & faciunt voluntatem ipſius. Et invicem ſibi ſunt, & patres eum ſibi conſulunt, & filii eum ſibi obtemperant, & fratres maxime, quia eos unus Pater teſtamento ſuo ad unam hæreditatem vocat.

Luc. 9. 60. 62. & 14. 26.

Matth. 6. 24.

S. Auguſt. lib. 4. De Muſica, cap. 3.

Quid erit homo
Qui amat hominem,
Si amet in eo
Fragile quod eſt?
Amet igitur
Animam hominis,
Et erit homo
Aliquid amans.

Hæc dilectio quam divinus Apoſtolus his verbis commendat. *Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in Spiritu.*

Paſtores & Directores Deum orare debent pro animabus quas regunt, vel dirigunt. Quæ pro illis poſtulanda?

9. 10. 11. *Ideo & nos ex qua die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali.* Bonus Paſtor & conſcientiarum Moderator quo majori fervore proficere videt animas in Christiana pietate, eo ferventius pro illis orare debet. Non ſufficit ut paſcat gregem doctrinæ verbo, & virtutum exemplo, ſed neceſſe eſt ut paſcat etiam orationis ſuffragiis. *Abſit autem a me hoc peccatum in Dominum* (ait Samuel ad populum Iſrael) *ut ceſſem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.* Multiplicem autem gratiam pro animabus curæ ſuæ commiſſis poſtulare debent Paſtores & Directores. 1. Ut voluntatem Dei plene cognoſcant, & veram viam, qua illas ſanctificare, & ad ſe pervenire vult Deus. *Ut impleamini agnitione voluntatis ejus.* 2. Ut ſapientiæ donis augeantur & illuſtrentur, ut divina cognoſcant, & quæ agenda ſunt intelligant & eligant ſine errore & illuſione. *In omni ſapientia & intellectu ſpirituali.* Ut enim Dei voluntatem perfecte diſcamus, erraticum humanæ ſapientiæ & prudentiæ lumen non ſufficit, ſed ſpirituali ſapientia & prudentia opus eſt; non ſufficit lectio librorum, ſed neceſſaria eſt unctio intus nos docens de omnibus. 3. Cum Dei voluntatem cognoſcere, & non facere, gravioris cauſa ſit damnationis, non juvamen ſalutis, dicente Chriſto, *Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea:* &, *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non ſe præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis:* ſed cognitio divinæ voluntatis eo referenda ſit ut eam impleamus, illique obtemperemus: tam Paſtores, quam oves; tam Directores, quam qui diriguntur, gratiam a Deo poſtulare debent vitam inſtituendi ex legis ejus præſcripto, illum colendi in ſpiritu & veritate, omnia ejus mandata implendi, omnia opera ſua faciendi ex illius dilectione, quæ vera religio eſt. *Ut ambuletis digne Deo.* 4. Ut quæ ad Dei gloriam magis conducunt, quæ Patri noſtro cœleſti magis placere intellexerint, ut filii optimi propenſo animo facere ſtudeant, non aliquoties, ſed ſemper, ubique, & in omnibus. *Per omnia placentes.* 5. Ut non ſolum deſideria ſterilia & infructuoſa concipiant, ſed fructus bonorum operum omnis generis parturiant uberrimos & ſuaviſſimos. *In omni opere bono fructificantes.* 6. Ut verbo Dei ſemper refecti, in cognitione Dei & ſcientia ſalutis creſcant, & ſupremæ Veritatis amore magis ac magis exardeſcant. *Et creſcentes in ſcientia Dei.* In rebus enim ſalutis ſcientia cum actione, charitas & ſancta operatio cum cognitione conjungenda eſt. 7. Poſtulandum eſt a Deo ut non in noſtræ naturæ, aut infirmæ voluntatis viribus confidamus, ſed in ſolius Dei omnipotenti virtute, cujus non alia menſura eſt quam gloriæ ejus infinitudo. *In omni virtute confortati, ſecundum potentiam claritatis ejus.* 8. Ut adverſa quæque propter Deum cum gaudio toleremus, nec difficultatibus a via virtutis & perfectionis Chriſtianæ deterreamur, ſed immobiliter operemur bonum: nec præmii dilatione fatigemur & deſpondeamus animum, quaſi laboribus pertæſi. *In omni patientia & longanimitate, cum gaudio.* Ut in Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum intendamus oculos, qui nos deſuper ſpectans, *Volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipſe præſtitit, & honorans quod ipſe perfecit. Ipſius enim eſt quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam ſubacto adverſario pervenimus.*

1. Reg. 12. 23.

Joan. 13. 17. Luc. 12. 47.

S. Cypr. ad. Epiſt. 77.

Prædeſtinatio gratuita, quamvis ſalus per bona opera obtineatur.

12. 13. 14. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.* Quid Domino retribuemus pro immenſis quæ nobis contulit beneficiis? Filium ſuum Unigenitum nobis dedit in Incarnatione, ejus fide in Baptiſmo nos illuminavit, ad gloriæ illius ſocietatem nos in ipſo vocavit, nullis noſtris meritis, ſed ſolo bene facito voluntatis ſuæ. *In partem ſortis ſanctorum.* „ Sortis nomine appellat gratiam Dei, quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, Ille facit, iſte non facit, merita conſiderantur, & ubi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra invenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, non quia digni fuimus. Hæc eſt ſors. Merito tunica illa Domini deſuper texta, quæ ſignificat caritatis æternitatem, cum dividi a perſecutoribus non potuit, ſors ſuper eam miſſa eſt: ad quos pervenit, eos ſignificavit qui videntur ad ſortem pervenire ſanctorum. Terram promiſſam Iſraelitis ſorte dividi Deus conſtituit: regni cœleſtis hereditatem ſola gratia ſua ſanctis ab æterno præparavit. Ad illam nemo pervenict niſi dignus fuerit, nemo admittetur niſi meruerit, ſed ſola Dei miſericordia, ſola gratia nos dignos facit, & creat in nobis merita quæ coronet. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine.* „ Nullus per ſeipſum talem oſtendit vitæ ſuæ inſtitutionem, ut dignus habeatur regno, ſed totum eſt ejus doni, & in præſenti, & in futuro. Propterea dicit; *Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus; quæ debuimus facere, fecimus.* Veruntamen ſi vitam & gloriam æternam aſſequi optamus, ſancte vivendum eſt, Dei mandata accurate ſervanda ſunt, frænandæ cupiditates, renuntiandum omnibus quæ nobis impedimento ſunt re ſancti ſimus: quia regnum cœlorum hereditas ſanctorum eſt. *In partem ſortis Sanctorum.* Ut hereditate Sanctorum nos per Chriſtum Jeſum dignos faceret Deus, nos a tyrannide diaboli, ab errore & peccati ſervitute potenti virtute eripuit, libertate filiorum Dei donatos, in regnum Unigeniti ſui nos tranſtulit, in Eccleſiæ ſuæ ſinu per Baptiſmum nos conſtituit. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ.* „ Magnum quidem eſt quod nos regno donaverit, ſed longe majus quod nos qui tales prius eramus; non enim perinde eſt dignis aliquid dare, & indignis. *Vix enim pro juſto quis moritur.* Magna res eſt, a tenebris nos liberare; at in regnum etiam nos introducere, longe majus: nec ſimpliciter, ſed ut ſimul regnemus cum Filio dilecto, ut ejus membra, ut fratres, ut coheredes, nos qui hoſtes eramus ac tenebris immerſi. *Tranſtulit in regnum Filii dilectionis ſuæ.* Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, non potentia ſola, ſed juſtitia. Nam cum diabolus vitio perverſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & deſertor oppugnatorque juſtitiæ; (ſic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta vel etiam perosa juſtitia potentiæ ſtudent, ejuſque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate,) placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli poteſtate, non potentia diabolus, ſed juſtitia vinceretur: atque ita & homines imitantes Chriſtum, juſtitia quærerent diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quaſi mali aliquid fugienda ſit, ſed ordo ſervandus eſt, quo prior eſt juſtitia. Nam quanta potentia poteſt eſſe mortalium? *Teneant ergo mortales juſtitiam, potentia immortalibus dabitur,* cum nos Deus in regnum cœleſte tranſtulerit, ſeu tranſlationem noſtram conſummaverit. Eruit nos a diabolo ſervitute exigendo pretium ſanguinis dilecti Fi-

S. Auguſtin. Enarrat. 3. in Pſ. 30. n. 13.

Joan. 19. 24.

S. Chryſoſt. Hom. 2.

Luc. 17.

Theophylact.

Rom. 5. 7.

S. Auguſt. lib. 13. De Trinit. cap. 13.

hi ſui Jeſu Chriſti, quem ille patiendo & moriendo in cruce pro nobis obtulerit Deo Patri, ut ad juris apices ſatisfaceret pro nobis, noſque copioſa redemptione ex omnibus iniquitatibus noſtris redimeret, quibus ſub diaboli poteſtate captivi tenebamur. Næ nos cæcos & ſuperbos, ſi tam pudendam, tam miſeram, tam duram ſervitutem iterum incurrere non timeamus, ſub peccato nos venundantes! Næ nos infelices, ſi ob momentaneam voluptatem nos iterum diaboli ſervituti addicamus, & a regni cœleſtis jure, quod nobis Chriſtus paſſione & morte ſua peperit, excidamus! Ne parcamus rebus noſtris temporalibus, ipſique, ſi neceſſe ſit, corpori, propter Dei gloriam & ſalutem noſtram, ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis noſtris, illumque promerendum: ſiquidem Filio ſuo dilecto Deus non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: nec ſibi ipſi pepercit Chriſtus Jeſus, ſed ſanguinem ſuum dedit in pretium ſimul & lavacrum, ut redempti a miſerabili ſervitute, a peccatis omnibus mundaremur. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.*

15. 16. 17. Chriſtianæ Religionis ignarus eſt, qui Chriſtum non novit, non colit, non diligit, non imitatur. Hæc ſumma beatitudinis, Deum & Jeſum Chriſtum noſſe. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Poteſt autem ſub triplici reſpectu cognoſci Jeſu Chriſti magnitudo, 1. reſpectu Patris æterni, 2. reſpectu creaturarum, 3. reſpectu Eccleſiæ. Secundum primum reſpectum, eſt imago Dei, ejus Verbum, ſplendor gloriæ, figura ſubſtantiæ, totum in ſe exprimens & ferens Patrem, Filius conſubſtantialis & coæternus, in quo Pater ſeipſum ut in ſpeculo ſine macula cognoſcit, per quem & in quo factus eſt hominibus viſibilis. *Qui videt me*, (inquit) *videt & Patrem meum.* In illum igitur fidei, oculis ſemper intendamus, *Qui eſt imago Dei inviſibilis*, ut divinæ imaginis, ad quam ſumus conditi, lineamenta per peccatum in nobis obſcurata, ad primævam imaginem, quæ Filius Dei eſt, reformentur. Secundum alterum reſpectum, per comparationem ſcilicet ad creaturas, Chriſtus Jeſus a Patre genitus eſt ante omnia tempora, a diebus æternitatis, ante omnes creaturas, ut æterna & perfecta illarum idæa. *Primogenitus omnis creaturæ.* Omnia ſine exceptione, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt, cujuſcumque excellentiæ & dignitatis cenſeantur, ab eo creata ſunt, *& per illum* ſubſiſtunt & conſervantur, quatenus eſt Dei Patris Virtus & Sapientia: *ad ipſum*, ut Verbum, rationem, artem, & idæam Patris: *propter ipſum*, utpote ordinata ad formationem corporis ejus Myſtici, ad uſum, perfectionem, & tuitionem membrorum ipſius; & ad gloriam Dei in æterna ſocietate electorum, tam Angelorum, quam hominum, per ipſum & in ipſo exhibendam. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis & in terra .... Omnia per ipſum, & in ipſo condita ſunt: Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Ei amore caſto adhæreamus, a quo, ad quem, & propter quem conditi ſumus. Sit ille primogenitus cordis noſtri, quemadmodum primogenitus eſt omnis creaturæ; ante omnes affectus ejus amor concipiatur & parturiatur in nobis; omnes cogitationes noſtræ, conſilia, opera in ipſo conſiſtant, & ad illum dirigantur ac referantur.

Joan. 17. 3.

Jeſu Chriſti magnitudo ſub triplici reſpectu conſideranda.

Joan. 14. 9.

S. Thomas, in Commen.

18. 19. 20. Secundum tertium reſpectum, Chriſtus Jeſus caput eſt Eccleſiæ, ſummus ejus Sacerdos & Pontifex æternorum bonorum, divinitatis ipſius unctione conſecratus in Incarnatione, primatum in omnibus tenens dignitatis, poteſtatis, imperii, regiminis, influxus. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ .... Ut ſit ipſe in omnibus primatum tenens.* Agnoſcamus cujus capitis, & cujus corporis membra ſumus. Arctiſſimis nexibus Chriſto capiti, & myſtico corpori conjungamur; membra ſimus apta, pulchra, viventia Deo de Deo; non putrida, quæ reſecari mereantur; non diſtorta, de quibus erubeſcatur; non primatum affectantia per ambitionem, ſuperbiam, vanam gloriam, quia capiti, non membris primatus convenit in corpore. *Ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* 2. Chriſtus Mediator eſt & reconciliator Eccleſiæ, virtute Sacerdotii ſui. *Et per eum reconciliare omnia in ipſum.* Ad illum confugiamus cum fiducia, per quem unum acceſſum habemus ad Deum. 3. Chriſtus Jeſus eſt Eccleſiæ victima, ejuſdemque principium per ſanguinem ſuum ac mortem ſuam; illam enim ex latere ſuo, obſtetricante lancea, novus Adam peperit in cruce novam Evam. *Qui eſt principium.* Nos illi offeramus ut victimam viventem: cupiditatis noſtras interioris & exterioris hominis mortificatione Deo per ipſum & cum ipſo ſacrificemus. 4. Chriſtus Jeſus auctor eſt, cauſa meritoria, & exemplar vitæ immortalis & glorioſæ quam ſperat & expectat Eccleſia, ut *primogenitus ex mortuis* per reſurrectionem ſuam. Ad beatam illam æternamque vitam aſpiremus, ſuſpiremus, tendamus; vivamus ut felicis æternitatis candidati, vivamus ut *filii reſurrectionis*, corda noſtra & affectus abſtrahentes a rebus omnibus terrenis & temporalibus, quæ ſunt *retinacula ſpei noſtræ*; & quarum amor *viſcum eſt ſpiritualium pennarum*. Chriſtus Jeſus theſaurus eſt, plenitudo, & diſpenſator gratiarum omnium & donorum, quæ Deus Eccleſiæ ſuæ deſtinavit, contulit, confert, & conferet, donec in cœlis conſummetur. *Quoniam in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Ex hoc fonte Salvatoris nunquam deficiente hauriamus cum gaudio aquas in vitam æternam ſalientes, per fidem, per ſancta deſideria & orationem. Deſideremus, quia implendi ſumus. 6. Chriſtus Jeſus pax eſt Eccleſiæ militantis, & corona triumphantis. „ Per illud enim ſingulare ſacrificium, „ in quo Mediator eſt immolatus, quod unum multæ „ in Lege victimæ figurabant, pacificantur cœleſtia „ cum terreſtribus, & terreſtria cum cœleſtibus, „ *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in* „ *terris, ſive quæ in cœlis ſunt.* Pacem inter cœle„ ſtia & terreſtria conciliare & facere magnum eſt; „ at per ſe ipſum, majus: maximum vero per ſan„ guinem, per crucem, per mortem ignominioſam. „ Non enim legati inſtar perorando reconciliavit, ſed „ ſeipſum tradendo. Hominibus porro triplicem pa„ cem per ſanguinem ſuum Chriſtus procuravit, reſ„ pectu Dei, reſpectu Angelorum, quibus cum diſſi„ debant ob peccata in eorum Creatorem & Domi„ num commiſſa, & reſpectu ſui ipſorum: Angelis „ vero ſimplicem pacem cum hominibus. Nobiſcum „ enim deinceps fœdus percuſſerunt, lætanturque de „ tam multorum ſalute. Omnibus religionis officiis & grati animi ſignificatione Chriſtum Jeſum proſequamur, qui eſt ſanctificatio noſtra & pax noſtra; &, ſi fideliter illi ſerviamus omnibus diebus vitæ noſtræ, erit in perpetuum corona noſtra. Pacem Chriſti ſanguine partam ne evacuemus, ne turbemus peccatis noſtris, ut in cœleſti Jeruſalem, quæ eſt viſio pacis, cum Angelis Deum ut in ſe eſt videntes, amantes & ſine fine laudantes collætemur.

Tertullian. S. Auguſt.

S. Auguſtin. S. Chryſoſt. Hom. 3. Theophylactus in hunc locum.

21. 22. *Et vos cum eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos ſanctos & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo.* Quid ſumus per peccatum? Alienati a Deo, non ſolum cogitatione & corruptæ ac depravatæ mentis affectu, ſed etiam operibus malis Dei inimici, ſordibus, quæ a nemine Angelorum vel hominum abſtergi poterant, contaminati & fœdati, iræ & judicio Dei, æternæque damnationi obnoxii. Quid adhuc eſſemus ex nobis, ſine Chriſti Mediatoris gratia? Cæci, fœdi, ad omne bonum impotentes, mortui, perditi. Quid tandem ſumus per miſericordiam Dei, & gratiam Jeſu Chriſti? Filii Dei adoptivi, ipſius Chriſti Jeſu fratres & coheredes, ſancti & immaculati, & irreprehenſibiles coram ipſo. Nos magis amavit corpore ſuo mortali, & vita ſua divinus Mediator noſter; ſiquidem corpus ſuum morti tradere, ſanguinem ſuum pretioſum ad extremam uſque guttam fundere, vitam ſuam inæſtimabilem immolare non dubitavit ut nos Deo reconciliaret, ipſique immaculatos & inculpatos exhiberet: & nos miſeri & tantis beneficiis ingrati peccatores, corpora noſtra corruptibilia, carnem noſtram, quod dictu horrendum eſt, præ Chriſto Jeſu diligimus, quem noſtris cupiditatibus & carnalibus voluptatibus immolare non veremur, illum iterum crucifigentes. Ne vos ita geratis, chariſſimi, ſed veſtræ per Chriſtum Jeſum redemptionis & reconciliationis memores, & bona ab illo promiſſa expectantes, *Satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.*

Quid eramus ex nobis? Quid eſſemus adhuc ſine Chriſto? Quid ſumus per Chriſtum?

2. Petri 3. 14.

23. *Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles, & immobiles a ſpe Evangelii, quod audiſtis*, &c. Quicquid pro nobis egit & pertulit Chriſtus, quicquid & nos per ejus gratiam boni egimus, inutile reddimus ad ſalutem noſtram, niſi in bono perſeveremus. Hujus perſeverantiæ ſingulare & omnino gratuitum donum aſſiduis & ferventibus precibus a Deo flagitandum eſt, ut in fide, non qualicumque, ſed per dilectionem operante, confirmemur, Chriſto Jeſu, qui totius ædificii ſpiritualis fundamentum eſt, firmiter innixi, & ſpe futurorum bonorum ita in bono ſtabiliti, ut ab eo nullis tentationibus, nullis terroribus, nullis mundi blandientis illecebris ac promiſſis dimoveamur. Ad quod etſi conducat & juvet plurimum Evangelii lectio, auditio, meditatio, hæc tamen non ſufficiunt, niſi per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti accedat perſeverantiſſima in præceptis Evangelicis exercitatio. „ Non enim auditores legis juſti ſunt apud „ Deum, ſed factores legis juſtificabuntur .... Quamobrem Eſtote factores verbi, & non auditores tan„ tum,

Perſeverantiæ donum aſſiduis precibus a Deo poſtulandum.

Rom. 2. Jacobi 1. 22. 23. 24. 25.

„ tum, fallentes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt „ verbi & non factor, hic comparabitur viro conſi„ deranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſi„ deravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qua„ lis fuerit. Qui autem perſpexerit in legem perfe„ ctam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor „ obliviolus factus, ſed factor operis; hic beatus in „ facto ſuo erit.

Chriſti Myſteria in corpore ejus Myſtico renovantur quodam modo & adimplentur.

S. Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 61. n. 4.

24. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*. Chriſti Myſteria in corpore ejus Myſtico quodam modo renovantur & adimplentur. *Unus enim homo cum capite & corpore ſuo Jeſus Chriſtus, Salvator corporis & membra corporis, duo in carne una, & in voce una, & in paſſione una; & cum tranſierit iniquitas, in requie una. Paſſiones itaque Chriſti non in ſolo Chriſto, immo paſſiones Chriſti nonniſi in Chriſto. Si enim Chriſtum intelligas caput & corpus; paſſiones Chriſti nonniſi in Chriſto: ſi autem Chriſtum intelligas ſolum caput, paſſiones Chriſti non in ſolo Chriſto.* „ Adimpleo ea quæ deſunt paſ„ ſionum Chriſti, in carne mea. *Si ergo in membris Chriſti es, quicquid pateris ab iis qui non ſunt in membris Chriſti, deerat paſſionibus Chriſti. Ideo additur, quia deerat; menſuram imples, non ſuperfundis: tantum pateris, quantum ex paſſionibus tuis inferendum erat univerſæ paſſioni Chriſti, qui paſſus eſt in capite noſtro, & patitur in membris ſuis, id eſt in nobis ipſis. Ad communem hanc quaſi rempublicam noſtram quiſque pro modulo noſtro exſolvimus quod debemus, & pro poſſeſſione virium noſtrarum quaſi canonem paſſionum. Pariatoria plenaria paſſionum omnium non erit, niſi cum ſæculum finitum fuerit.* Gaudeant in tribulationibus Paſtores & Miniſtri veritatis, ad ædificationem fidelium, maxime vero ſi pro Eccleſia illos pati Deus dederit. Nihil enim glorioſius, nihil ſuavius. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis*. Vicarium eſſe charitatis Chriſti in ſalute animarum procuranda, non ſolum docendo & prædicando, ſed etiam patiendo, prout nobis reliquit exemplum, honor, gaudium, & conſolatio eſt diſcipulorum & Miniſtrorum ejus.

Paſtorum officia.

25. 26. 27. 28. 29. Qui ad ſacrum Miniſterium, ad regimen animarum, ad Evangelii prædicationem a Deo vocati ſunt, officia ſua S. Pauli verbis deſcripta, ejuſque exemplis ad vivum expreſſa conſiderent. 1. Partes omnes miniſterii ſui diligenter & fideliter implere debent, maxime prædicando verbum Dei, adminiſtrando Sacramenta, viſitando infirmos, diſſidentes ad concordiam revocando, ſublevando pauperes, afflictos conſolando, nec tamen ullam privatorum officiorum partem negligere. *Cujus factus ſum Miniſter, ut impleam verbum Dei*. 2. Prædicare Chriſtum Jeſum, ejus Myſteria, vitam, præcepta, notam facere Chriſtianis gratiam vocationis & adoptionis eorum in ipſo: quæ qui ignorat, ignorabitur. *Myſterium quod abſconditum fuit a ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ.* Divitias Myſteriorum Chriſti, proh pudor! Chriſtianorum maxima pars ignorat, vel non curat, qui nullis parcunt laboribus ut terrenas divitias acquirant: ſpes ſuas in rebus temporalibus collocant, in hominibus confidunt, quibus fortunæ bona & gloriam fallacem, tranſitoriam, inanem expectant; Chriſtum negligunt, offendunt, gloriam æternam ab eo promiſſam parvipendunt. 3. Paſtores & Rectores animarum admonere & corripere debent omnem peccatorem ſine ignavia & acceptione perſonarum, ſervatis tamen Chriſtianæ prudentiæ, caritatis & manſuetudinis legibus. *Quem annuntiamus, corripientes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni ſapientia.* Procul canes muti, non valentes latrare. Procul qui doctrinæ talentum abſcondunt. Procul qui parvulis petentibus panem ſpiritualem non frangunt, qui rudes catechizare, pauperibus evangelizare, ovium ſibi commiſſarum æqualem curam gerere dedignantur, quaſi eorum animæ coram Deo minus pretioſæ eſſent, viliorique pretio redemptæ. *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.* Cunctis viam aperire debent ad perfectionem, cujus ipſos capaces eſſe intellexerint ſecundum eorum ſtatum, & conditionem, & ſecundum vocationem donumque Dei. *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu.* 4. Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ laborem amare debent, otium, voluptatemque fugere; Agricolis laborantibus, bobus arantibus propterea comparari. *In quo & laboro*. 5. Difficultatibus, periculis, rebus adverſis deterreri non debent a labore, ſed athletarum inſtar certi in ſacro miniſterio, nec zelum ſuum, curas, vigilias, labores remittere, donec errores, peccata, pravas conſuetudines deſtruxerint, evulſerint, eradicaverint, virtutes inſeruerint, Chriſtianæ perfectionis ædificium exexerint. *Certando*. 6. Confidere in talentis ſuis naturalibus non debent, ſed in virtute omnipotentiſſima & in operatione efficaciſſima Dei, & ad eum gloriam omnem laboris, certaminis, ædificii ſpiritualis referre. *Secundum operationem ejus, quam operatur in me virtute*. Porro ſi Paſtores tam ſolicite, tam indefeſſe laborare debent pro ſalute ovium illis commiſſarum: quanto magis oves pro ſalute propria, quæ niſi ipſis laborantibus, cooperantibus, certantibus conſummari non poteſt?

S. Chryſoſt. Hom. 5. in hanc Epiſt.

CAPUT II.

Senſus Litteralis.

1. 2. 3. V*Olo enim vos ſcire qualem ſolicitudinem * habeam pro vobis, & pro iis qui ſunt* Laodiceæ, *& quicumque non viderunt faciem meam in carne*. Vos ſcire velim quo ſim in vos affectu, quam ſolicitam curam habeam de ſalute veſtra, & Laodicenſium vicinorum veſtrorum, & omnium fidelium, qui me ex facie non noverunt, & quibus corporalem præſentiam non exhibui, & quibus Evangelium non prædicavi. *Ut conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis * intellectus, in agnitionem Myſterii Dei Patris & Chriſti Jeſu*. Ut corda ipſorum conſolationem accipiant; & cum ſint compuncti, ſibique cohæreant per caritatem, ut ejuſdem corporis membra ſive ut ejuſdem ſpiritualis ædificii partes, impleantur omnibus divitiis intelligentiæ, quæ a Spiritu ſancto profecta, certam firmamque perſuaſionem importat, ad cognoſcendum Myſterium Dei Patris, & Chriſti Jeſu; id eſt præcipua Religionis Chriſtianæ myſteria, quæ de Deo, divinisque Perſonis, aut de Filii Dei Jeſu Chriſti incarnatione, noſtræque redemptionis œconomia nobis per fidem revelantur. In quo, ſcilicet Chriſto Filio Dei, omnes theſauri ſapientiæ, ſive cognitionis rerum divinarum, & ſcientiæ ſive cognitionis rerum creatarum, ſunt reconditi. Dicendo *theſauros*, copiam oſtendit; dicendo *omnes*, nihil ipſum latere ſignificat; dicendo *abſconditi*; quod ſolus ipſe noverit. Sunt abſconditi, etiam Angelis, non vobis ſolis.

* Græce, ἀγῶνα, quale certamen.

Laodicea Phrygiæ Metropolis.

* Græce, πληροφορίας, certitudinis, ſeu certæ & plenæ perſuaſionis intellectus.

4. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate * ſermonum*. Quæ autem dico de excellentia ſapientiæ & ſcientiæ Chriſti Jeſu, propterea dico ne vos decipi & circumveniri ſinatis ſermonibus ſubtilibus, & ſublimis eloquentiæ, ac rationum humanarum fuco & veriſimilitudine ad perſuadendum adornatis.

* Græce ἐν πιθανολογίᾳ, in probabilitate ſeu perſuaſibilitate ſermonis.

5. *Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens & videns ordinem (a) veſtrum, & firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ*. Quamvis longa locorum intercapedine ſim a vobis ſejunctus, animo tamen, affectu, cura vobis adſum, cum gaudio videns rectum ordinem Chriſtianæ Diſciplinæ apud vos inſtitutum, optimeque ſervatum, & ſoliditatem atque conſtantiam veſtræ in Chriſtum fidei, quæ huc uſque inconcuſſa permanſit.

(a) Græce τάξιν quæ vox ſignificat ordinem cohortis militaris bene inſtructæ & conglobatæ.

6. 7. *Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate*. Fidem igitur qua Jeſum Chriſtum ut Dominum, Caput, ac Mediatorem veſtrum agnoviſtis & ſuſcepiſtis, conſtanter retinete, & ſecundum eam vitam converſationemque veſtram inſtituite; ne ad Angelos relicto Chriſto vos abduci ſinatis ab impoſtoribus. *Radicati & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut & didiciſtis, abundantes in ipſo in gratiarum actione*. Ipſi firmiter adhærentes ut radici veſtræ, ex qua vitam trahitis, & ſuper ipſum ut fundamentum veſtrum immobiliter ædificati, fidem in illum puram, firmamque tenentes, ſicut ab Epaphra inſtitutore veſtro didiciſtis, proficientes magis ac magis in doctrina Evangelii, & pro ea tanquam ſummo beneficio Deo gratias agentes.

Metaphora duplex, prima ab arboribus, ſecunda ab ædificiis.

8. *Videte ne quis vos decipiat * per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum*. Cavete ne quis vos circumveniat, & velut prædam vos abducat a Deo per Philoſophiam ſæcularem, & inanes fallaceſque humanorum ſophiſmatum argutias. Quæ Philoſophia doctrinam ab hominibus in errores innumeros lapſis, & corruptis traditam continet, ac principiis mundanis innixam, ſive de rebus mundanis tractantem, non qualis eſt illa Chriſti e cœlo delata. Sunt qui hæc verba, *ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi*, ad Judaicas & Phariſaicas traditiones de dierum obſervatione ſuperſtitioſa referant, ſcilicet S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus. Confer cum *Galat.* 4. 3. 9.

* Secundum Græcum, ὁ συλαγωγῶν, ne quis ſit qui vos deprædetur ut legerunt S. Cyprian. lib. *De Bono Patientiæ*, S. Hieron. in cap. 4. Epiſt. ad Galat. & S. Ambroſ. lib. 1. *De Fide*, cap. 5.

S. Chryſoſt. Hom. 6.

9. 10. *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis*

S. Auguſt.

Digitized by Google

Epiſt. 187. Ad Dardanum, alias 57. cap. 13. Theodoret. in Commentar. quemadmodum ab Hebræis anima pro perſona uſurpantur; ſic interdum apud Græcos σωμα, perſonam ſignificat, & σωματικως, perſonaliter. Theodoret.

tatis corporaliter. Nec gentili Philoſophia, nec Judaicis traditionibus & ceremoniis vobis opus eſt ad ſalutem, ſed unus vobis ſufficit Chriſtus, quia in ipſo vera, tota, plenaque divinitas, vere & realiter, non per umbram aut figuram, ut in Arca, in Tabernaculo, & in Templo, non per efficaciam ſolum, aſſiſtentiam, & gratiam excellentem ut in Moyſe, Prophetis, aliiſque juſtis, ſed hypoſtatice & perſonaliter reſidet, ita ut corpus Chriſti hominis permanenter & perpetuo ſit conjunctum perſonæ Filii Dei, ſitque proprium ipſius corpus. *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis Principatus & Poteſtatis*. Et per illum repleti eſtis fide, ſapientia, ſcientia, gratia, caritate, omnibuſque donis ſpiritualibus, ſecundum menſuram veſtram, & quantum ipſis vobis ſufficit ad ſalutem; Qui & Angelorum omnium caput eſt, non quidem conſubſtantiale, ut hominibus, ſed quatenus Dominus & Rex illorum ſecundum divinam naturam, & etiam ut homo Deus. Caput enim ibi ponitur pro principatu. Id autem adjicit Apoſtolus contra Simonianos, qui Angelos Mediatores obtrudebant ad Chriſti dignitatem deprimendam.

11. *In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti*. Per quem Chriſtum etiam circumciſi eſtis, non externa illa & carnali circumciſione, ſed ſpirituali; neque manufacta, ſed divina; nec exiguæ pelliculæ ablatione, ſed *corporis peccatorum carnis*, ſeu veteris hominis exſpoliatione. Corpus autem peccati dicitur corpus carnis, quia peccatum originis carnali generatione contrahitur: ad actualia vero concupiſcentia inſtigat. Circumciſionem autem Chriſti Baptiſmum appellat Apoſtolus, quia ejus figura fuit circumciſio Abrahamo a Deo imperata, & ab illo primum uſurpata. Vide S. *Chryſoſt. Hom.* 6. in hanc Epiſtolam, Theodoretum, Theophylactum, &c.

Secundum textum Græcum, ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, *in exſpoliatione corporis peccatorum carnis*. Syriaca Verſio: *Cum exuiſtis carnem peccatorum per circumciſionem Chriſti*. Lectionem ex Græco ad verbum expreſſam probat S. *Aug.* Epiſt. 149. alias 59. n. 20.

12. *Conſepulti ei in baptiſmo* (a) *in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum a mortuis*. Simul cum eo, ſcilicet Chriſto, ſepulti per baptiſmum, qui ſepulturam Chriſti repræſentat, & veteris hominis mortem & ſepulturam, cujus Chriſti ſepultura typus erat, operatur in nobis. Per quem etiam Baptiſmum cum Chriſto ad novam vitam reſurrexiſtis per fidem qua credidiſtis Deum efficaciſſima omnipotentiæ ſuæ operatione illum ſuſcitaſſe a mortuis.

(a) Immerſio, ſepulturæ: emerſio ex aqua reſurrectionis ſignum eſt.

13. *Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio * carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta*. Et vos, cum ſpiritualiter mortui eſſetis per peccata veſtra, & incircumciſionem veſtram, ſeu Gentilem vivendi modum, quo concupiſcentiæ & carnalibus deſideriis obediebatis: Deus in Chriſto vivificavit, vobis gratuito condonans omnia peccata.

* Præputium quod circumciſione tollebatur, ſignum erat peccatorum. Hic itaque per metonymiam ſignum pro re ſignificata uſurpatur ab Apoſtolo.

14. *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, * quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*. Chriſtus delevit chirographum quo divinæ juſtitiæ debitores tenebamur, debita noſtra exſolvens univerſa, decretum condemnationis noſtræ abolevit, & ipſum chirographum velut e manibus accuſatoris diaboli avulſum, cruci affixit, atque diruptit. Vel, Chirographum, quo nos Judæi adſtricti eramus ad Legis veteris obſervationem, & rei tenebamur ob prævaricationem Legis, quæ ſubintraverat ut abundaret delictum, Chriſtus delevit, Legem implens & abrogans decretis Evangelicis, quorum obſervatione ſalutem nobis pollicitus eſt. Confer cum *Epheſ.* 2. 15. *Legem mandatorum decretis evacuans*.

* Secundum Græcum τοῖς δόγμασι, decretis. Favet Syriaca Verſio. S. Aug. Epiſt. 149. & Ambroſiaſter legunt, *In decretis*.

15. *Et exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo*. Et exarmans principatus & poteſtates inimicas ſalutis noſtræ, ſcilicet dæmones, palam in triumphum duxit & oſtentavit ignominiæ cauſa, cum eos propria virtute in cruce devieiſſet. Duplex metaphora in his Apoſtoli verbis micat. Prima eſt a Ducibus bello victoribus, quibus mos erat victos armis ſpoliare, eaque pro tropæo illic erigere ubi hoſtes fuerant debellati. Secunda ſumitur a Romanis triumphatoribus, qui hoſtes currui ſuo triumphali alligatos circumducebant, & civibus oſtendebant.

16. 17. *Nemo ergo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum; quæ ſunt umbræ futurorum: corpus autem Chriſti*. Nemo vos damnet propter cibum tanquam immundum, aut propter potum ex vaſe operculo carente, aut aliās immundo hauſtum, aut propter aliquam partem diei feſti non obſervatam, aut Novilunii, quod ſingulis menſibus; aut Sabbati, quod hebdomadibus ſingulis celebrandum Lex vetus præſcribebat; aut ob aliarum ceremoniarum legalium prætermiſſionem: quæ ſunt umbræ & figuræ Myſteriorum in Chriſto & per Chriſtum complendorum, vel beneficiorum per illum exhibendorum: Veritas autem & complementum illarum figurarum Chriſtus eſt, vel a Chriſto adimpletur aut exhibetur. Itaque Evangelicæ vitæ ratio locum obtinet corporis, Lex vero umbræ. „ Umbra „ autem præcedit corpus oriente luce; ita ut ſit „ umbra quidem Lex, corpus vero Gratia, Lux au„tem Chriſtus Dominus. Hic locus Apoſtoli de obſervationibus Legis ceremonialis, de ciborum diſcretione Moſaica Lege, aut Traditionibus Phariſaicis imperata, & de Feſtis Synagogæ, ceteriſque Ritibus a Chriſto abrogatis intelligendus, contra Chriſtianam abſtinentiam, Jejunia, & Feſta ab Eccleſia inſtituta, ab Hæreticis perperam, imperite, & maligne detorquetur.

Theodoret.

18. *Nemo vos ſeducat * volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, (a) fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*. Nemo vos ſeducat & ſupplantet, nemo vos præmio defraudet vitæ æternæ, curſum veſtrum in ſtadio Chriſtianæ Religionis impediens, voſque a ſcopo avocans, qui Chriſtus eſt, affectata humilitate & religione angelorum, cum faſtu & ſupercilio de iis quæ non vidit diſſerens, & propriis cogitatis inhærens, falſæ ſcientiæ præſumptione & carnalis imaginationis figmentis temere inflatus. Hunc locum Apoſtoli contra ſanctorum Angelorum cultum religioſum imperite detorquent Heretici poſtremorum temporum. Apoſtolus enim ſuperſtitioſum dumtaxat cultum angelis delatum damnat, qualem ipſis impendebant Philoſophi, maxime Platonici, qui angelos, ſeu genios ut deos minores, vel mediatores unicos & primarios apud Deum aſſerebant, eoque nomine ipſos venerabantur. Quo ex fonte ſua de angelorum in mundi creatione opera, deque eorum cultu deliria, primi Hæretici, nempe Simon Magus, Menander, Cerinthus, Valentinus hauſerunt. Illos (inquam) impugnat Apoſtolus, qui angelos invocabant relicto Chriſto, quem non agnoſcebant Mediatorem; qui illos adorabant, qui illos ut primarios & unicos Mediatores adibant. Vide S. Chryſoſtomum Homilia 7. in hanc Epiſtolam, Theodoretum, Theophylactum, Oecumenium. S. Hieronymus malorum dumtaxat angelorum cultum ab Apoſtolo prohiberi cenſet, de quibus paulo ante dixit, *Exſpolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*. Atque ita Apoſtolum *religionem angelorum* nuncupaſſe religionem Judaicam, quæ poſt Chriſti mortem & Evangelii promulgationem Dei cultus eſſe deſiit, & dæmonum potius cultura facta eſt. Vide S. Hieronymi Epiſtolam 151. *Ad Algaſiam*, Quæſt. 10. ubi data opera hunc locum Apoſtoli exponit. Legi poteſt Diſſertatio noſtra 25. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi V. ubi illud argumentum tractatur uberius.

* Græce καταβραβευέτω. Theodoreti interpres vertit: *Nemo vos fraudet præmio*. Ipſe vero Theodoretus vim illius verbi ſic exponit. *Brabeutas appellans judices eorum qui decertant in certaminibus. Hi enim vincentibus dant calculum victoriæ. Catabrabeuin autem eſt injuſte adjudicare victoriam. Quoniam ergo qui legis obſervationes admiſcebant Evangeliis, a præſtantioribus eos traducebant ad deteriora, jure dixit*, Nemo vos defraudet præmio.

(a) Græce ἐμβατεύων, *pedem immittens, ſeſe ingerens in ea quæ non vidit, nec novit*.

19. *Et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei*. Et non inhærens capiti, quod eſt Chriſtus, a quo per ſuperſtitioſum angelorum cultum alienatus eſt: ex quo capite Chriſto totum Corpus, quod eſt Eccleſia, per nexus & commiſſuras membrorum conſtitutum, compactum, & influxum accipiens, creſcit augmento quod illi ſubminiſtrat, & in eo operatur Deus. „ Totum hunc „ locum Apoſtoli metaphorice intelligendum Theo„doretus obſervat. Quemadmodum enim in corpore „ cerebrum eſt radix nervorum, per nervos autem „ ſenſus habet corpus: ita etiam a Chriſto Domino „ & Doctrinæ fontes, & ſalutis cauſas accipit cor„pus Eccleſiæ. Quod autem ſunt in corpore liga„menta, hoc ſunt Apoſtoli, Prophetæ, & Docto„res in Conventu Eccleſiæ.

Confer cum Epheſ. 4. 11, & 12.

20. *Si ergo mortui eſtis in Chriſto ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis?* * Si ergo commortui eſtis Chriſto per baptiſmum, ita ut ſicut ille ſecundum carnem mortuus eſt, ſic & vos non ſolum peccatis mortui ſitis, verum etiam quibuſcumque mundanis & carnalibus Judaicarum & Gentilium ceremoniarum inſtitutionibus & obſervationibus: quid adhuc vobis ſinitis imponi Decretorum ſeu præceptorum ceremonialium jugum, quaſi adhuc ſecundum carnem viventis, & carnalibus illis rudimentis eſſetis obnoxii, non ſecundum Chriſti Doctrinam vitam inſtituentes, qui vos a jugo legis liberavit? Quid auditis vobis inſuſurrantes?

Theodoret.

* Græce δογματίζεσθε, *dogmatizamini*, inſtar puerorum, qui nuper diſcere cœperunt, ſcederis docendi & inſtituendi carnalibus illis rudimentis & obſervationibus.

21. 22. *Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis*. Ne attineatis & ſumatis hunc vel illum cibum, verbi gratia carnem ſuillam, leporinam, &c. Ne quidem ex eo guſtetis, etiamſi in ſtomachum non trajiciatis, ne contrectetis emendo aut vendendo, ſeu quavis alia occaſione. *Quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum*. Qui cibi pereunt & corrumpuntur eo ipſo quod illis utimini, ſequentes præcepta & doctrinas hominum. Vel, quæ ceremoniæ & obſervationes nunc

ſunt

ſunt mortiferæ & ad interitum ſempiternum durant, promulgato Evangelio. In illis ergo obſervationibus, quæ jam ex ſolis hominum præceptis & doctrinis, non Dei imperio & auctoritate imponuntur, ſita non eſt religio: ſed hæc omnia in ſuperſtitionum numero habenda ſunt. Seniorum traditiones legi admixtas, & intempeſtivam Pſeudo-apoſtolorum inſtitutionem, non legem ipſam, doctrinas & mandata hominum appellari, Theodoretus & Theophylactus commentantur, S. Chryſoſtomo duce.

23. *Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ, in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo * ad ſaturitatem carnis.* Quæ quidem obſervationes verbo tenus ſpeciem habent ſapientiæ in voluntario cultu, qui religionem præfert, cum ſit revera ſuperſtitio; in humilitate affectata & ſimulata, qua ſe coram angelis humiliare videntur, & ſe jugo ceremoniarum ſubjicere; in auſteritate qua corpori ſuo non parcunt, & debitam carnis curam non gerunt, illi juſtam refectionem ſubtrahentes, ac omnino neceſſariam ut corpus ſerviat ſpiritui, ſuaſque ſine impedimento exerceat actiones. Hæc (inquam) ſpeciem habent ſapientiæ & religionis, non veritatem. Hoc loco Apoſtoli Hæretici pari imperitia ac mala fide abutuntur contra Eccleſiaſticas abſtinentias & jejunia, & præſertim contra Religioſorum & Piorum aſceſes & ſponte ſuſceptas corporis macerationes: cum Judaizantium dumtaxat jejunia, abſtinentias, macerationes, cum ſuperſtitione conjunctas, immoderatas, & ad oſtentationem aſſumptas; non vero moderatas, ex religione, pœnitentia, & vera humilitate ad placandum Deum, ad carnem edomandam, ad ſpiritum in Deum evehendum ſuſceptas Apoſtolus impugnet; qui corpori ſuo ipſe non pepercit, ſed jejuniis aliiſque macerationibus caſtigans conſecravit. Hunc locum ita ferme Theodoretus commentatur. „ Quaſi dicat *Apoſtolus:* „ Proprium dogma introducunt, non legis ſcopum „ ſequuntur, & verbis ſpecioſis decipiunt, humilitatemque vocant legis obſervationem, dicentes non „ oportere tranſgredi quod a Deo datum eſt, & corpori non parci dicunt, quod non libere utantur „ omnibus. Hoc autem eſt aperta ſervitus, & dati „ honoris ablatio. Oportet enim ſua ſponte abſtinere, non tanquam ab abominandis, ſed tanquam „ a ſuaviſſimis. *Sic Religioſi & Pii abſtinent.*

* Suſtentatio corpori debita vocatur honor ab Apoſtolo, ſicut ſuſtentatio parentibus, Presbyteris, viduiſque impendenda.

C A P U T II.

Senſus Moralis.

Caritas Paſtoralis.

1. 2. 3. *Volo enim vos ſcire qualem ſolicitudinem habeam pro vobis,* &c. Bonus Paſtor diligere debet, zelo ſalutis oves ſuas non ſolum illarum vehementi flagrare, pro illarum ſtatu ſolicitum eſſe: verum etiam hanc illius dilectionem, zelum, ſolicitudinem aperta ſignificatione teſtari. *Volo vos ſcire qualem ſolicitudinem habeam pro vobis.* 2. Ejus dilectio, zelus, ſolicitudo, ad eos quos ex facie novit, & quibuſcum major & familiarior conſuetudo illi eſt, reſtringi non debet, ſed ad eos etiam quos ſingulariter non novit, & quos tamen ejus curæ ac regimini committit Deus, extendenda eſt: *Et quicumque non viderunt faciem meam in carne.* Parum refert illos corporis oculis videre, qui nonniſi in Chriſto, & per ejus Spiritum diliguntur. Quo minus pendet a ſenſibus corporeis dilectio, eo dignior Deo eſt. Talis erat S. Pauli ſolicitudo de omnium Eccleſiarum ſtatu, de omnium Gentium ſalute: & quemadmodum *in veſte poderis Aaron totus erat orbis terrarum,* ita in corde Apoſtoli omnes erant Eccleſiæ, omniumque Eccleſiarum fideles. Unde alibi ait: *Præter ea quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* 3. Bonus Paſtor oves ſuas levare debet ac fovere ſpirituali ſolatio, quod in hujus vitæ miſeriis, tribulationibus, & difficultatibus maxime neceſſarium eſt, ne infirmi in via virtutis deficiant. *Ut conſolentur corda ipſorum.* Duo ſunt autem ſpiritualis conſolationis fontes, ſcilicet meditatio ſapientiæ, de qua ſcriptum eſt: *Erit allocutio cogitationis & tedii mei:* & oratio, de qua alter Apoſtolus: *Triſtatur aliquis veſtrum? Oret. Æquo animo eſt? Pſallat.* Ad meditationem ergo ſapientiæ & ad orationem fideles curæ ſuæ ſubditos bonus Paſtor adhortetur & perducere ſatagat, non verbo tantum, ſed exemplo. Quia vero Deus lumen ſuum, conſolationem, benedictioneſque ſuas non effundit niſi in animas quas diligit, & a quibus diligitur: excitandi ſunt ad Dei proximique dilectionem, quæ via excellentior eſt qua ad Deum pervenitur. *Inſtructi in charitate.* Caritate magiſtra ſublimiorum Religionis Myſteriorum intelligentiam aſſequentur. *Qui diligit me,* ait Chriſtus, *diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* „ Hanc ergo caritatem de ubertate fontis hauriamus, illam capiamus, in ea „ nutriamur. Cape per quod ſis capax. Caritas te ſignat, caritas nutriat, caritas perficiat, caritas roboret, ut Deum Patrem, & Jeſum Chriſtum cognoſcere valeas: Deum Patrem & principium ſine principio Filii ſui naturalis & unici, e ſinu ſuo, per æternam generationem procedentis, & in eo manentis, & nihilominus in Virginis utero incarnati & ex Virgine nati. Patrem & filiorum adoptivorum in ſinu Eccleſiæ per Baptiſmum & juſtificationem: principium Spiritus ſancti unum cum Filio in æternitate: principium ejuſdem Spiritus in Filio incarnato & membris ejus in tempore. In Myſteriorum iſtorum fide, certaque perſuaſione & intelligentia conſiſtunt omnes Chriſtianæ Religionis divitiæ, hæc vera fœlicitas. *Et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem Myſterii Dei Patris & Chriſti Jeſu.* „ Infelix homo, qui creata omnia ſcit, te autem neſcit, Deus meus: beatus „ autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui autem te & illa novit, non propter hæc beatior eſt, „ ſed propter te ſolum beatus. In Chriſto Jeſu vera ſapientia haurienda, de ejus plenitudine omnes accipiamus, quem nihil latet, qui nec fallere poteſt, nec falli. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Magnus liber Chriſtus Jeſus, liber ſcriptus intus & foris. Hunc librum aperiamus, legamus, in eo diſcamus, ab ejus ſtudio numquam recedamus. Illum aperit humilitas, fides legit, in eo charitas diſcit quicquid ad ſalutem neceſſarium eſt. Sicut ergo qui librum haberet ſcientiam omnem continentem, ejus unius lectioni incumberet, nec alios quæreret libros: ſic & nos non oportet amplius quærere niſi Chriſtum. Ab illo ſapientiam & ſcientiam diſcamus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi. Sapientiam inter & ſcientiam quid interſit, docet Spiritus ſanctus: *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere a malo intelligentia.* Vel, ſecundum Verſionem, LXX. Interpretum: *Ecce cultus Dei eſt ſapientia, abſtinere autem a malis eſt ſcientia.* „ Ad contemplationem „ ſapientia, ad actionem ſcientia pertinet. Et quid „ eſt in æternis excellentius quam Deus, cujus ſolius immutabilis eſt natura? Et quis cultus ejus, „ niſi amor ejus, quo nunc deſideramus eum videre, credimuſque & ſperamus nos eſſe viſuros, „ & quantum proficimus, videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem in manifeſtatione? ... Abſtinere autem a malis, quam Job ſcientiam dixit eſſe, rerum proculdubio temporalium „ eſt. Quoniam ſecundum tempus in malis ſumus, „ a quibus abſtinere debemus, ut ad illa bona æterna veniamus. Quamobrem quicquid prudenter, „ fortiter, temperanter, & juſte agimus, ad eam „ pertinet ſcientiam ſive diſciplinam, qua in evitandis malis boniſque appetendis actio noſtra verſatur. Sapientia igitur in æternorum contemplatione, ſcientia in bono uſu temporalium rerum conſiſtit: ut ſcilicet *quicquid in uſu temporalium rationabiliter facimus, æternorum adipiſcendorum contemplatione faciamus, per iſta tranſeuntes, illis inhærentes....* Gentium Philoſophi inane ſapientiæ & ſcientiæ nomen habuerunt. „ Licet enim inviſibilia Dei „ per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicere potuerint: tamen quia ſine Mediatore, id eſt ſine homine Chriſto philoſophati ſunt, quem nec venturum Prophetis, nec veniſſe Apoſtolis crediderunt, veritatem detinuerunt in iniquitate. Non „ potuerunt enim in his rerum infimis conſtituti, „ niſi quærere aliqua media, per quæ ad illa quæ „ intellexerunt ſublimia pervenirent: atque ita in „ deceptores dæmones inciderunt, per quos factum „ eſt ut immutarent gloriam incorruptibilis Dei in „ ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & „ volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. In „ talibus enim formis etiam idola inſtituerunt, ſive „ coluerunt. *Scientia ergo noſtra Chriſtus eſt, ſapientia quoque noſtra idem Chriſtus eſt. Ipſe nobis fidem de rebus temporalibus inſerit, ipſe de ſempiternis exhibet veritatem. Per ipſum pergimus ad ipſum, tendimus per ſcientiam ad ſapientiam: ab uno tamen eodemque Chriſto non recedimus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

Paſtoralis ſolicitudo.

4. 5. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.* Sermonis ſublimitatem, & humanarum ratiuncularum inanem probabilitatem affectant & oſtentant Novatores & corruptores Fidei vel Moralis Chriſtianæ. Contra illos bonus Paſtor gregem ſuum præmuniat. Omnis ratio falſa eſt, omnis ſermo fallax & ad decipiendum compoſitus, in materia religionis, niſi a Chriſto ſuprema Ratione, infalli-

Sap. 18. 22. S. Thomas, Lect. 1. 2. Cor. 11. Sap. 8. 9. Jacobi 5. 13.

In Chriſto Jeſu vera Sapientia haurienda. Joann. 14. 21.

S. Auguſt. Serm. 120. alias 32. ex Homiliis 50. c. 14. & 15.

S. Aug. lib. 1. Confeſſ. cap. 4.

S. Thomas, lect. 3. Job. 28.

S. Auguſt. lib. 12. De Trinit. c. 14.

S. Aug. lib. 13. De Trinit. cap. 19.

Digitized by Google

fallibili Veritate, æternoque Verbo deriventur. Hoc Verbum auditur in Evangelio, ab ore Eccleſiæ, in ſchola cordis. Humana ratiocinatio, ubi de Religione agitur ſive quoad Dogmata, ſive quoad Moralis Chriſtianæ regulas, niſi verbo Dei, SS. Patrum doctrina, Eccleſiæ oraculis, Canonibus Spiritu Dei conditis, ſummorumque Pontificum Conſtitutionibus ac Decretis nitatur, plerumque fidei, aut ſanioris morum diſciplinæ ſubverſio eſt. Ad illum imprimis, qui vocatus eſt in plenitudinem Apoſtolicæ poteſtatis, & ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores pertinet invigilare, ad illum in toto orbe Chriſtiano, ad illos in ſuis Diœceſibus, *Ut nemo fideles decipiat in ſublimitate ſive probabilitate ſermonis*. QUID *tum enim ſi dicit probabiliter?* „ *Nihil novit, ac revera* „ *deceptio eſt hoc totum, & inania ſophiſmata*. 2. Bonus Paſtor præſens ſit ſemper ſpiritu gregi ſuo, etiam cum illum abeſſe corpore compellit neceſſitas. Id præſtat Paſtoralis caritatis ſolicitudo. *Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum*. Quam multi Paſtores nec ſpiritu ſuis adſunt gregibus, etiam dum corporalem illis exhibent præſentiam? Paſtores & Idola! 3. Boni Paſtoris ſolicitudinem, caritatem, vigilantiam coronant, & cor ejus gaudio perfundunt incredibili, fidei integritas, ordo diſciplinæ, morum inſtitutio ſecundum Evangelium & Apoſtolicam Traditionem in ejus grege ſplendeſcentes & permanentes. *Gaudens & videns ordinem veſtrum, & firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt fidei veſtræ*. Scite dictum Quicquid peccatur, ordinis perturbatione peccari. Hierarchiæ & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ præclarus ordo Eccleſiam Chriſti ab Hæreticis conventiculis diſtinguit. „ Non omittam, *inquit Tertullianus*, ipſius etiam converſationis hæreticæ deſcriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana ſit, ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina; ut fidei ſuæ congruens . . . Simplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque cum omnibus miſcent. Nihil enim intereſt illis, licet diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur . . . . Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes. Nunc Neophytos collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur quam in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt . . . De verbi autem adminiſtratione quid dicam; cum hoc ſit negotium illis non Ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi? . . . . Schiſma eſt unitas ipſis. Mentior ſi non etiam a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit . . . Denique penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur. Pleríque nec Eccleſias habent, ſine matre, ſine ſede, orbi fide, extorres, ſine lare vagantur . . . . De genere converſationis qualitas fidei æſtimatur: doctrinæ judex diſciplina eſt. Negant Deum timendum. Itaque libera ſunt illis omnia & ſoluta. Ubi autem Deus non timetur, niſi ubi non eſt? Ubi Deus non eſt, nec veritas eſt. Ubi veritas nulla eſt, merito & talis diſciplina eſt. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui eſt initium ſapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honeſta, & diligentia attonita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubjectio religioſa, & apparitio devota, & proceſſio modeſta, & Eccleſia unita, & Dei omnia. Proinde hæc preſſioris apud nos teſtimonia diſciplinæ ad probationem veritatis accedunt.

S. Chryſoſt. Hom. 5. Theophylact.

Præclarus Ordo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ & Diſciplinæ.

Tertullian. lib. De Præſcript. Hæreticor. cap. 41.

6. 7. *Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate*. Evangelio credere quid prodeſt, niſi ſecundum Evangelium vivatur? In Chriſto ambulandum: *Iſte enim eſt via quæ ducit ad Patrem*. Nulla vita ſpiritualis, niſi quæ a Chriſto ut a radice derivatur: nullum ſolidum ædificium, niſi quod ſuper eo fundatur. Qui Chriſto Jeſu firmiter non adhæret per fidem & charitatem, ſimilis eſt arbori a radice excíſæ, domui fundamento deſtitutæ, areſcet, diruetur, peribit. Nihil firmum eſſe poteſt, niſi quod firmitate ſua Chriſtus Jeſus ſuſtentat. *Radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut & didiciſtis*. Radicati, hoc eſt, fixi & ſtabiles, non aliquando hac, aliquando vero illac divertentes: non aliquando peccato, aliquando juſtitiæ; modo ſæculo, ſubinde Deo ſervientes. *Quod enim radices egit, non poterit tranſmoveri*. Qui a gratia exciderunt, *ſecunda ſtructura* indigent ſupra Petram, quæ eſt Jeſus Chriſtus: *& ſuperædificati in ipſo*. „ Nam ſi quis in luto non ædificaverit, labaſcit; & ſi in luto, & non ſteterit, nutat, concutitur, diruitur: deſcendit pluvia, exundant flumina, flant venti, & irruunt in domum, & cadit. Quibus vero dedit Deus ut firmi ſint in Chriſto Jeſu, non ideo ſecuri ſint; *& ſi nihil aliud, ipſi ſe ipſos vereantur*. Ut autem firmi ſtemus, creſcendum in fide eſt, & in bonis operibus proficiendum, maxime in gratiarum actione, quæ fructus eſt humilitatis, cor terrenis ſenſibus & affectibus evacuantis, ut in illo ponatur fundamentum Chriſtus. *Abundantes in illo in gratiarum actione*. „ Inſtitutiones præjactas tranſgredi non oportet, verum in ipſis potius progredi, atque contendere ut eximium quoddam in fide demonſtremus, gratias agentes Deo; quod nos tali gratia dignatus eſt.

Chriſto Jeſu firmiter adhærendum.

S. Chryſoſt. Hom. 6.

Matth. 7. 24. 25.

Theophylact.

8. 9. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum*. Ratio humana in rebus Fidei & Moralis Chriſtianæ dux fallax & infidelis, errori, illuſioni, cupiditati nos tradens, in tenebras, in mortem, in abyſſum nos præcipites agens. Scriptura ſacra, & Traditio Apoſtolica, divina Philoſophia eſt, ſcientiis omnibus & traditionibus humanis ſuperior. *Adverſus has regulas nihil ſcire, omnia ſcire eſt*. Quid Academiæ & Eccleſiæ? *Hæreticorum Patriarchæ Philoſophi . . . . Omnes hæreſes a Philoſophia ſubornantur*. Philoſophia ſæcularis, *affectatrix & interpolatrix veritatis*. Cavendi homines qui liberioris ingenii gloriam affectant, quibus nulla eſt religio præter ſui ingenii inventa & phantaſmata, qui de rebus fidei Philoſophiæ principiis judicare volunt, qui divinam doctrinam humanis fundamentis ſuperſtruere; Chriſtum cenſuræ Philoſophorum ſubjicere, Dei omnipotentiam humana ratione metiri aggrediuntur, temerarii divinæ naturæ & diſpoſitionis interpretes, ſcrutatores Majeſtatis, a gloria opprimendi. Fures ſunt, clanculum ſubeunt, perfodient domum veſtram, niſi vigiletis: mentem veſtram deprædabuntur. *Videte igitur, cavete ne quis vos decipiat*, &c. Nobis *curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium*. Extra Chriſtum Jeſum doctrinam ſalutis & ſalutem ipſam quærere, ſumma ſtultitia eſt: *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*: Non figurate & umbratiliter, ut in arca fœderis, & in templo Judaico, ſed vere: non participatione, ſed plene: non tranſitorie, ſed permanenter: non gratiæ effuſione, ut in Sanctis, ſed ſubſtantiali & perſonali immeatione & unione: non ut in anima & corpore alienis, ſed ut in propriis. *Totum igitur corpus implet tota Divinitas, & ficut nihil deeſt illius Majeſtati, cujus habitatione repletur habitaculum: ſic nihil deeſt corpori, quod non ſuo habitatore ſit plenum*.

Ratio humana in rebus Fidei & Moralis Chriſtianæ dux fallax.

Tertullian. De Præſcript. Hæret. & alibi.

S. Leo, Serm. 29. in Nativit. Domini. 10.

10. *Et eſtis in illo repleti, qui eſt Caput omnis principatus & poteſtatis*. Per ſolum Chriſtum Deo poſſumus impleri, quia in illo ſolo plenitudo gratiæ, veritatis, & deitatis inhabitat. Replet nos ut membra ſua in Baptiſmo, ut Spiritus ſui templa in Confirmatione, ut alumnos ſuos in Euchariſtia, ut amicos ſuos, ſponſas ſuas, Miniſtros ſuos & organa ſua in ceteris Sacramentis: replebit nos denique omni bono, quod ipſe eſt, in æterna beatitudine. Plenitudinem divinitatis nobis a Chriſto communicatam, fideliter ſervemus; nobis in regno ejus communicandam ardenter deſideremus, demuſque operam ne ea ſimus indigni. Adhæreamus amore caſto ei, qui noſtrum & ſanctorum Angelorum Caput eſt, & omnium creaturarum Dominus. *Caput noſtrum Chriſtus eſt; corpus capitis illius nos ſumus. Numquid ſoli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſæculi fuerunt juſti, caput Chriſtum habent. Illum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe jam credimus; & in ejus fide & ipſi ſanati ſunt, in cujus & nos: ut eſſet & ipſe totius caput civitatis Jeruſalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio uſque in finem, adjunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum, ut fiat illa una Civitas ſub uno Rege, & una quædam Provincia ſub uno Imperatore, felix in perpetua pace ex ſalute, laudans Deum ſine fine, beata ſine fine*.

Per ſolum Chriſtum Deo poſſumus impleri.

S. Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 36. Serm. 3. n. 4.

11. 12. 13. 14. 15. *In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti*. Multiplicem Baptiſmi fructum & excellentiam divinus Apoſtolus commendat, & ad Chriſtum ſalutis auctorem refert. 1. Baptiſmus eſt ſpiritualis circumciſio, quæ Chriſti virtute omne peccatum in nobis reſecat, a veteri Adamo nos ſeparat, & Chriſto inſerit. Toto vitæ iſtius mortalis tempore ſatagere debet Chriſtianus ut ſpiritualis illa circumciſio in illo perficiatur, corruptos veteris hominis affectus gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, & Chriſti mortificatione reſcindendo, ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore ad obedien-

Multiplex Baptiſmi fructus & excellentia.

diendum deſideriis carnis. Perfecta autem erit in morte, quod ſpectat animam, in reſurrectione, quod ſpectat corpus: cum verus Joſue Iſraelem Dei ab omnibus peccati & corruptionis ſordibus liberatum, in Terram promiſſam omnibus debellatis hoſtibus introducet. *Futurorum typus eſt ſanctiſſimus Baptiſmus:* *Theodoret.* *In futura autem vita incorruptibile ac immortale corpus effectum, non poteſt amplius ſordes peccati ſuſcipere.* 2. Baptiſmus eſt ſepultura, quia per illum homo peccato moritur, & peccatum ita deſtruitur ut nihil ejus remaneat. *Conſepulti ei in baptiſmo.* Felices, *Theodoret.* *Theophylact.* qui ex myſtico illo ſepulchro non exeunt ut peccato reviviſcant! Beati, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo; qui inſtar hominis mortui & ſepulti, nihil habent cum mundo, ejuſque pompis, concupiſcentiis, & corruptis moribus commune! Hanc nobis obligationem Baptiſmus imponit, his nos officiis adſtringit. 3. Baptiſmus eſt reſurrectio a peccato ad gratiam, a vita veteris Adami, quæ vera mors eſt, ad vitam novam Jeſu Chriſti deinceps non morituri, ſed Deo viventis. Hæc reſurrectio fit per fidem qua credimus Deum ſuſcitaſſe Jeſum a mortuis. „ Sic enim ſurreximur & nos gemina ratione; tum „ quod reſurrectionem ſperantes, jam videmur hanc „ aſſecuti, etiamſi futura ſit; tum quod peccatis con„ donatis, in Chriſto vivere cœpimus. „ *In quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum a mortuis. Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta,* Chriſtianis certe animum vitæ præſentis amore teneri pudendum eſt, qui fide, ſpe, & exſpectatione vitæ cœleſtis, æternæque gloriæ, cujus pignus habet in Chriſto, perpetuo alitur. 4. Baptiſmus condonatio eſt & abolitio omnium debitorum, quibus obſtricti divinæ juſtitiæ tenebamur, cui Chriſtus paſſione & ſanguinis ſui effuſione ac morte copioſiſſime ſatisfecit. Quæ ſatiſfactio nobis per baptiſmum applicatur, quaſi nos ipſi totum debitum exſolviſſemus. *Donans vobis omnia delicta: delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Chriſtus Jeſus Sanguine ſuo debita noſtra expunxit: nos vero lachrymis parcimus. Chriſtus mortem in cruce pertulit: nos vero crucem noſtram portare, carnem noſtram mortificare dubitamus, ut divinæ juſtitiæ faciamus *Theodoret.* ſatis. Chirographum peccatorum in corpore noſtro iterum ſcribimus, omnis generis peccata per ſenſus noſtros committentes; per oculos quidem impudice aſpicientes; per linguam, ea quæ non decet loquentes; per aures, pernicioſam doctrinam, calumnias, detractiones, obſcœna verba excipientes; manibus, furtum, rapinam, & cædem admittentes. Solo Chriſti Sanguine deleri chirographum illud poteſt, ſed non jam baptiſmo, qui non repetitur, ſed Pœnitentiæ dolore, lacrymis, laboribus applicando. Affigenda cruci hæc ſchedula eſt, clavis timoris caſti & amoris pœnitentis illi configendum cor & corpus noſtrum eſt, ut peccata noſtra non ſolum deleantur, ſed omnis pœnæ reatus aboleatur, & ſyngrapha qua tenemur debitores omnino reſcindatur. 5. Baptiſmus victoria eſt & triumphus Chriſti Jeſu de diabolo. Illum exarmat deſtruendo peccatum, & quaſi Pharaonem & exercitum ejus in aquis ſubmergens. *Exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Infelix qui poſt Baptiſmum in nova peccata lapſus, Chriſti trophæum evertit, arma diabolo reſtituit, membra ſua exhibens ut ſerviant iniquitati: & cum Satanæ renuntiaverit in Baptiſmo, & hoc nomine illum Domino ſubjecerit, *Tertullian. lib. De Pœnitentia, cap. 5.* *rurſus eumdem regreſſu ſuo erigit, & exſultationem ejus ſeipſum facit, ut denuo Malus, recuperata præda ſua, adverſus Dominum, gaudeat. Nonne quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit; & judicato pronuntiaſſe, eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit.* *S. Auguſtin. lib. De Agone Chriſtiano, cap. 2.* Formam vincendi principatus & poteſtates nobis præbuit Chriſtus, & qui dedit exemplum, donat auxilium. *Ibi vincuntur inimicæ nobis inviſibiles poteſtates, ubi vincuntur inviſibiles cupiditates.*

16. 17. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti.* Sacramenta, Sacrificia, ceremoniæ, obſervationes Judaicæ, erant figuræ, prophetiæ, promiſſa Jeſu Chriſti & Eccleſiæ; umbræ futurorum obſcuræ, *S. Auguſt. lib. Contra Adimantum, c. 11.* frigidæ, infructuoſæ. *Illa itaque futura, quæ illis obſervationibus ſignificabantur, poſteaquam per Dominum Jeſum Chriſtum venerant, ablatæ ſunt ſerviles obſervationes: ſed earum interpretationes tenentur a liberis. Quicquid enim futuram Eccleſiam ſignificavit, Prophetia eſt . . . Legenda eſt ergo Scriptura divina,*

& Spiritus ſancti diſpenſatio cognoſcenda, & intuenda Prophetia, & rejicienda carnalis ſervitus, & liberalis intelligentia retinenda. *Plerique Chriſtianorum religione feſta & jejunia ab Eccleſia imperata obſervant, quam Judæi legales ceremonias.* Felices, qui ſub Evangelicæ veritatis lumine, non ſub veteribus illis umbris nati ſunt, aut certe in illis non hæſerunt, ſed Chriſto per fidem & caritatem conjuncti, in ejus corpore manſerunt, re, tametſi nondum nomine Chriſtiani! Miſeri, qui fulgente ubique Evangelii luce in tenebris ambulant, cognitione veritatum ad ſalutem neceſſariarum, fervore charitatis, bonorum operum fructu deſtituti, Judaice aut Ethnice in ipſo Eccleſiæ gremio viventes, Eccleſiæ Feſta & Jejunia minori religione obſervantes, quam Judæi ſolemnitates Synagogæ, legalemque ciborum vetitorum abſtinentiam obſervarent! Abſtinentiæ & Jejuniorum ſacram obſervationem ab illis nec Eccleſiæ matris auctoritas, nec divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi, & domandæ carnis neceſſitas, nec animæ purgandæ & ad Deum evehendæ charitas, impetrare poſſunt. Feſtos dies vix obſervant in re, quoad Miſſæ qualemcumque auditionem, & a ſervilibus operibus ceſſationem. Neque creationis, neque conſervationis, neque regenerationis per baptiſmum, nec præſentis in Deo quietis per caritatem, & futuræ quæ beatitudo æterna eſt Sanctis promiſſa; nec reſurrectionis in Chriſto perfectæ, & in ejus membris aliquando conſummandæ, beneficia recogitant. Feſta Chriſtiana quantacumque religione celebremus, ex parte tantum obſervamus, corporis neceſſitatibus, variiſque mundi ſolicitudinibus diſtracti. Totam & integram, æternamque ſolemnitatem in cœleſti Jeruſalem, Deo dante, celebrabimus, juge laudis & gratiarum actionis ſacrificium Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum offerentes, perpetuum holocauſtum, igne conſummatæ charitatis totum incenſum.

Seductorum caractores. *Tertullian. De Præſcript. Hæretic.*

18. 19. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Seductorum hi proprii characteres. 1. Fidem & cultum religioſum *pro arbitrio ſuo innovare*, non ex Scriptura ſacra, quam vel mutilant, vel corrumpunt, vel ad privatos ſenſus ſtudioſe detorquent; non ex Traditione, quam rejiciunt aut parvipendunt; ſed ex propria electione, unde hæreſis nomen, de Religionis rebus decernentes, commenta ſua velut oracula venditant. *Nemo vos ſeducat volens.* 2. Humilitatis, modeſtiæ, religionis ſpeciem affectant, virtutem autem abnegant. *In humilitate & religione.* 3. Jus ſibi arrogant aſſerendi & docendi in rebus Religionis, quod ab Eccleſia non didicerunt, quam Chriſtus & Spiritus ſanctus docuit omnem veritatem. *Quæ non vidit ambulans.* 4. Ingeniolo ſuo fidentes, quo ſe omnia intelligere & comprehendere poſſe præſumunt, temerarias cogitationes ſuas, & ſtulta inventa pro regulis Fidei, Moralis Chriſtianæ, aut religioſi cultus haberi volunt. *Fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Vera humilitas format diſcipulos veritatis, tumor & ſuperbia magiſtros facit erroris. 5. Rudium & ſimplicium in Chriſtianæ Catholicæ Religionis ſtadio curſum impediunt, eiſque a recta via & meta abductis præmium intervertunt. *Nemo vos ſeducat.* „ Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur. 6. Corporis unitatem ſcindentes, non ſunt conjuncti capiti Chriſto, qui per interiorem Spiritus ſui ſubminiſtrationem, & per externos nexus & commiſſuras verbi ſui, Sacramentorumque ſuorum, vitam gratiæ, ſenſum fidei, motum ſpei, vires charitatis in cordibus noſtris diffundit, auget, confirmat, perficit. *Qui cultus ſanctis Angelis exhibendus?* *Et non tenet Caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.* 7. Rudes & ſimplices Chriſtiani inſtruendi ſunt a Paſtoribus de cultu religioſo quem Angelis exhibere licet, de ſuperſtitioſo quem non licet. *S. Auguſt. lib. De vera Religione, cap. 55.* Docendi ſunt Angelos beatos a nobis honorandos eſſe *charitate, non ſervitute.* Sanctos illos & immortales Spiritus, qui Creatoris ſui participatione congaudent, *Cujus æternitate firmi, cujus veritate certi, cujus munere ſancti ſunt; quoniam nos mortales & miſeros, ut immortales beatique ſimus miſericorditer diligant, nolunt nos ſibi ſacrificare, ſed ei, cujus & ipſi nobiſcum ſacrificium ſe eſſe noverunt. Cum ipſis enim ſumus una civitas Dei, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur.* *S. Auguſtin. lib. 10. De Civit. Dei, cap. 7.* Angelos beatos Mediatores eſſe non poſſe hominibus ad beatitudinem perducendis. Ad hoc tamen bonum percipiendum illos nobis ſincera benignitate favere, neque ſibi arrogare quo eis ſubjiciamur; ſed eum annuntiare, ſub quo eis in pace ſociemur, unum Deum illorum & noſtrum, unum Caput & Dominum Jeſum Chriſtum. Angelos ſanctos interceſſores nos adhibere poſſe, ut preces noſtras Chriſti meritis innixas Deo offerant & commendent. *Idem cap. 25. ejuſd. libri, & cap. 30.* Colendos Angelos non eſſe cultu arbitrario, & ab Eccleſia Catholica non probato, & ſub ignotis ac

peregrinis nominibus. Nihil per eos poſtulandum eſſe, niſi quod ſalutem noſtram juvet, & ut ſimus nos quoque pro modulo noſtro Angeli Dei, id eſt, nuntii ejus, annuntiantes ejus voluntatem, & gloriam gratiamque laudantes. Nullum nobis cum angelis malis ſive dæmonibus, Dei inimicis, quibus in Baptiſmo renuntiavimus, commercium eſſe debere per magicas artes, aut quodvis ſuperſtitionis genus. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.*

Antitheſis Doctrinæ Chriſti, & Doctrinæ Mundi.

20. 21. 22. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?* &c. Si Baptiſmo, & fructibus mortis Chriſti, novæque illius vitæ renuntiare cenſendi ſunt, qui carnalibus & craſſis rudimentis Judaicæ Religionis, & obſervantiis Legis per ſe bonæ & a Deo pro tempore conditæ & per Angelos datæ, poſt Chriſti fidem ſuſceptam, adhærent; Quodnam judicium de Chriſtianis ferendum eſt, qui poſt Baptiſmum adhuc peccato ſerviunt, corruptiſque mundi legibus, moribus, & cupiditatibus obſequuntur? Quam inordinatus eſt hominis animus, qui ſuave & honorabile Dei jugum abjicit & excutit: jugum autem grave ſervitutis peccati, dæmonis, mundi, carniſque ſuæ non ſolum non refugit, ſed eo delectatur! Tametſi mundi inſtituta, corrupti mores, concupiſcentiæ, in damnationem & mortem æternam trahant eos qui mundo conformantur, carni indulgent, peccato ac diabolo ſerviunt. *Quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu.* Doctrina mundi vanitas, doctrina Chriſti veritas; doctrina mundi ultio, doctrina Chriſti dilectio: doctrina mundi, gloriam & honores ambire, doctrina Chriſti ſe humiliare. Doctrina mundi, divitias congregare; doctrina Chriſti divitias ſpernere, diſpergere, pauperibus erogare; doctrina mundi, nulla commoda deliciaſque carni negare; doctrina Chriſti, carnem mortificare, crucem ferre, non aliquandiu, ſed ſemper. Doctrina mundi, hominibus placere; doctrina Chriſti uni Deo placere, ejus unius gloriam quærere, odiis & perſecutionibus hominum non terreri, non a via pietatis dimoveri. Qua igitur ratione Chriſtianus, qui ſe Chriſti Jeſu diſcipulum profitetur, vitam inſtituere poteſt *ſecundum præcepta & doctrinas hominum?*

Species religionis & ſapientiæ non prodeſt, ſed veritas.

23. *Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.* Species ſapientiæ, religionis, & humilitatis nihil prodeſt ad ſalutem: ſola prodeſt veritas. Externa ſpecie decipi poſſunt homines, falli non poteſt Deus veritatis, immo Deus veritas, cordium inſpector & judex.

Jacob. 3. 15. 17.

Eſt falſi nominis *ſapientia, terrena, animalis, diabolica; quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis*, ſeu perſuaſu tractabilis, rationi cedens, *bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione.* Eſt falſi nominis religio, quæ mera ſuperſtitio eſt, qua vel falſi dii coluntur, vel non eo modo, quo vult & præcipit, colitur verus Deus.

Eccli. 19. 23.

Eſt falſi nominis humilitas: *Eſt qui nequiter ſe humiliat.* Abſtinentiæ, jejunia ſponte ſuſcepta, ceteræque mortificationes corporis, directrice & moderatrice Chriſtiana prudentia, inſpirante caritate, ad conformandum nos Chriſto crucifixo, ad eluenda peccata, ad cupiditates edomandas, ſunt opera Deo grata, ſunt ſacrificia quæ de bonis carnis adolentur; ut loquitur Tertullianus. Verumtamen hæc, & rerum exteriorum ex ſe non illicitarum uſus vel privatio, Deum per ſe non honorant, ſed voluntatis ejus, & legum ac præceptorum Eccleſiæ, cui nos parere jubet, executio. Abſtinentia, & jejunia, cæteræque corporis macerationes per ſe non ſanctificant hominem; ſed charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Habet diabolus virgines ſuas, martyres ſuos, aſcetas, abſtinentes, jejunanteſque ſuos, Dei æmulus. *Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ, in ſuperſtitione & humilitate*, non veritatem. Sed & ſervi Dei abſtinendo & jejunando, niſi modum ſervent a prudentia Chriſtiana præſcriptum, Deo ex omni parte non placent, quamvis leviora illorum

S. Gregor. M.

indiſcretionis delicta operiat charitas. *Et non ad parcendum corpori*, „ &c. Sic enim neceſſe eſt ut artem „ quiſque continentiæ teneat, quatenus non carnem, „ ſed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus „ juſto caro reſtringitur, etiam ab exercitatione boni „ operis enervatur; ut ad orationem quoque vel præ„ dicationem non ſufficiat, dum incentiva vitiorum „ in ſe funditus ſuffocare feſtinat. Adjutorem quippe „ habemus intentionis internæ, hunc hominem quem „ exterius geſtamus; & ipſi inſunt motus laſciviæ, „ ipſi effectus ſuppetunt operationis bonæ. *Sæpe vero* „ *dum in illo hoſtem inſequimur, etiam civem, quem* „ *diligimus, trucidamus; & ſæpe dum quaſi concivi* „ *parcimus, ad prælium hoſtem nutrimus. Eiſdem namque alimentis vitia ſuperbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt. Et cum virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. Cum vero immenſa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Unde neceſſe eſt ut interior homo noſter æquus quidam arbiter præſideat inter ſe, & eum quem exterius geſtat: quatenus ei homo ſuus exterior & ſemper ad debitum miniſterium ſervire ſufficiat, & numquam ſuperbe libera cervice contradicat: nec moveat ſi quid ſuggerendo ſubmurmurat, dummodo eum ſemper ſuperpoſita calce dominationis premat.*

CAPUT III.

Senſus Litteralis.

1. 2. I*Gitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Quandoquidem cum Chriſto, tamquam membra cum capite, in novam vitam per Baptiſmum ſurrexiſtis, idque & ſacramentaliter per myſterii ſignificationem, & efficaciter per Spiritus ſancti ſ operationem; res cœleſtes & divinas totis ſtudiis ac viribus quærite: & cogitationes omnes, affectus, deſideria conferte, ubi Chriſtus Mediator noſter ſedet, id eſt, ſumma & inenarrabili beatitudine fruitur, gloria & poteſtate, ſecundum humanam naturam, Patri proximus. *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Res, inquam, cœleſtes & divinas ita curate, ut eis dumtaxat inhæreatis, ut iis ſolis delectemini; res vero terrenas faſtidiatis.

3. 4. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Præſenti enim vitæ mortui eſtis, per baptiſmum Chriſto conſepulti, & vita ſpirituali ac cœleſti cum eo vivitis; licet vita veſtra apud Deum abſcondita ſit oculis & ſenſui hujus mundi, ſicut & vita glorioſa qua Chriſtus vivit & regnat in cœlis. *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra; tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Cum Chriſtus vitæ veſtræ cauſa efficiens, meritoria, exemplaris, ſecundo apparuerit in die judicii, tunc & vos cum ipſo manifeſtabimini magna cum gloria, vitam immortalem & beatam aſſecuti. In ſpe enim habemus bonorum promiſſiones: tunc manifeſta erunt quæ nunc ignorantur.

5. 6. 7. *Mortificate ergo membra veſtra,* * *quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Veteris ergo hominis, qui in vobis eſt, pravos affectus coercete, debilitate, quantum fieri poteſt, extinguite iis generoſe reſiſtendo, carnem domando, ne adverſus ſpiritum inſoleſcat & laſciviat. Mortificate (inquam) & perimite in vobis fornicationem, omne impudicitiæ genus, abominandas libidinum furias in ſexus ejuſdem perſonas, in propria corpora, motus libidinoſos, & avaritiam, quæ eſt genus quoddam idololatriæ. Dominus enim dicens: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.... Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ!* aperte declaravit eum qui ſervit vitio avaritiæ, tamquam Deum colere divitias. *Propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Propter quæ peccata in homines incredulos & contumaces gravis a Deo vindicta in die judicii, ſeu æterna damnatio ſuperventura eſt. *In quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viveretis in illis.* Quæ & vos olim perpetraſtis, cum pravis vitiorum illorum habitibus implicati in infidelitate viveretis. Confer cum *Epheſ.* 5. 5. 6.

* Sicut tota peccandi conſuetudo *corpus peccati* ab Apoſtolo dicitur *Rom.* 6. 6. ita ſinguli affectus vitioſi *ejus membra* vocantur quod vetus homo iis utitur ad operandum malum, ut corpus membris. Dicit autem *membra veſtra*, quia hi affectus, quatenus vincti ſunt, noſtri ſunt, non Dei.

8. *Nunc autem deponite, & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Nunc autem cum jam ad fidem Chriſti converſi, & gravioribus illis, quæ jam commemoravi, criminibus renuntiaveritis, deponite, & exuite penitus cetera omnia, quæ leviora videntur, ſed tamen Chriſti cultoribus indigna ſunt, ſcilicet iram, rancorem animi, mali machinationem ex ira ortam, maledicentiam & convitia; verborum obſcænitatem ex ore veſtro, quod Deo conſecratum eſt, eliminate. Confer cum *Epheſ.* 4. 29. 31.

9. 10. 11. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus qui creavit illum. Ubi non eſt Gentilis & Judæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha,* * *ſervus & liber: ſed omnia & in omnibus Chriſtus.* Mendaciis & fraudibus alii alios ne circumveniatis: utpote qui per Baptiſmum exueritis veteris hominis corruptionem, & priſtinæ converſationis mala opera depoſueritis, & indueritis novum hominem, qui mente renovatur, ad cognoſcendum Deum, ejuſque Myſteria: renovatur (inquam) ſecun-

* Schythæ nationum omnium maxime Barbari, ſemiferi homines.

cundum imaginem Dei Creatoris ſui: ut ſicut in prima creatione ad imaginem Dei conditus eſt, illi ſimilis intelligentia, libertate, imperio: ita nunc ad Dei imaginem per gratiam reformetur, Chriſtoque conformetur in ſanctitate & juſtitia. (Confer cum *Epheſ.* 4. 22. 23. 24. 25.) In quo ſpiritualis renovationis negotio, nullum eſt diſcrimen Gentilis & Judæi, circumciſi & incircumciſi, Barbari & Scythæ, ſervi & liberi: ſed Chriſtus ex omni hominum genere, natione & conditione vocatos corpori ſuo inſerit, ſanctificat, & in ſe renovat.

12. 13. *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.* Opera miſericordiæ intimo animi affectu exercete: eſtote alii erga alios benigni, comes, affabiles, ad benefaciendum propenſi, humiles, modeſti, patientes, animique moderatione inſignes, ſicut decet homines a Deo electos, ſanctos, & ab æterno dilectos. *Supportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.* Alii aliorum defectus, moroſitatem, infirmitates, injurias tolerantes; condonantes mutuo offenſas, ſi quis adverſus alterum juſtam habet querelæ cauſam, ſicut & Chriſtus vobis condonavit.

Confer cum *Epheſ.* 4. 32.

14. 15. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Super hæc omnia charitatem induite, quod perfectiſſimum vinculum eſt unitatis & fraternæ amicitiæ, quæ inter Chriſtianos vigere debet. *Et pax Chriſti exultet* * *in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.* Et pax quæ Chriſtum habet auctorem, regnet in cordibus veſtris, ad quam etiam vocati eſtis, utpote facti membra unius corporis myſtici, ſcilicet Eccleſiæ: & tanti beneficii vobis a Deo collati memores eſtote. Rebus ipſis Domino gratias agite.

* Græce βραβευέτω ut *arbitra certaminis, præſideat, dijudicet, præmium decernat, in cordibus veſtris.*

16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes, & commonentes vosmetipſos, in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.* Fides & doctrina Chriſti in vobis permanenter habitet, voſque omni ſapientia locupletes faciat, id eſt, plena tum credendorum, tum agendorum cognitione: ita ut vos invicem doceatis & commoneatis ſive exhortemini: canentes Pſalmos, hymnos, & cantica ſpiritualia ad laudem Dei, ex pio cordis affectu, per gratiam a Spiritu ſancto donatam; vel, cum ædificatione & ſpirituali delectatione auditorum. Confer cum *Epheſ.* 5. 19. 20.

17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Quicquid egeritis ſeu loquendo, ſeu operando, omnia ſecundum voluntatem Chriſti facite, & ad ejus gloriam referte, gratias per illum agentes Deo Patri. Non merum conſilium, ſed præceptum continet hæc Apoſtoli ſententia: præceptum (inquam) referendi omnia in Deum, non quidem actu (quod perfectius eſt) ſed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei & præcepta ejus, tranſgreſſor eſt hujus præcepti. Confer cum 1. *Corinth.* 10. 31. & *cap.* 6. 14. Omnia in nomine Jeſu fieri jubet, gratiaſque per ipſum referri Patri, non per Angelos, quod contra Pſeudo-apoſtolos dictum interpretatur Theodoretus, qui Angelos adorari & orari volebant ut mediatores, relicto Domino Jeſu Chriſto. Quod & Laodicena Synodus prohibuit, veteri illi morbo mederi volens.

S. Thomas, Lect. 3. Videri poteſt Theologia noſtra Dogmatica & Moralis lib. 3. c. 4. art. unico, Regula 17.

18. *Mulieres, ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino.* Uxores, ſubditæ eſtote viris propriis, ſicut convenit, ſecundum Chriſti doctrinam, ſecundum Dei legem, ſive in omnibus quæ Dei legi non repugnant. Quæ reſtrictio ab Apoſtolo addita eſt, quia uſu veniebat ut piæ mulieres viris infidelibus & impiis junctæ eſſent. Confer cum *Epheſ.* 5. 22. 23. 24.

Theodoret.

19. *Viri, diligite uxores, & nolite amari* * *eſſe ad illas.* Uxores veſtras dulci & ſincero charitatis affectu diligite, ut leve illis fiat ſubjectionis jugum, nec erga eas ſitis difficiles, moroſi, iracundi, duri, crudeles; ſed humani, manſueti, benigni. Confer cum *Epheſ.* 5. 25. & *ſeq.*

* Metaphora eſt ab amaris cibis, quibus guſtus offenditur.

20. *Filii, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in Domino.* Filii, obedite patri & matri, in omnibus ad quæ paternum jus ſe extendit, quæ ſcilicet ad domeſticam curam, & morum inſtitutionem ſpectant. Hoc enim Domino gratum eſt. Confer cum *Epheſ.* 6. 1.

21. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.* Patres, ne filios veſtros exacerbetis, durius cum illis agentes ſeu verbis, ſeu factis, ne animo concidant, timidique, inertes, ſtupidi, & inepti ad quævis opera laudabilia fiant. Confer cum *Epheſ.* 6. 4.

22. *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum.* Servi, obedite dominis veſtris temporalibus, in omnibus ad quæ jus herile ſe extendit: Anima enim libera eſt, ſolum corpus ſubjacet ſervituti. Illis, inquam, ſervite non ſolum cum ſub illorum oculis eſtis, quaſi qui ſtudeatis placere hominibus, ſed recto & ſimplici corde, ſine ſimulatione, cum timore Dei, qui videt abſcondita cordis, & qui vos ad ſervitutem vocavit.

23. 24. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus.* Quodcumque facitis in miniſterio veſtro, lubenti, prompto ac benevolo animo operamini, quaſi Chriſto Domino & non hominibus miniſtraretis. *Scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Chriſto ſervite.* Scientes quod non temporalem dumtaxat & exiguam mercedem, ſed cœleſtem & æternam hereditatem accipietis a Chriſto Domino veſtris obſequiis & laboribus illam retribuente. Cum enim veſtris dominis bene ſervitis, ipſi Chriſto ſervitis. Confer cum *Epheſ.* 6. 5. 6. 7. 8.

25. *Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique geſſit: & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Quocirca etſi injuſte vobiſcum agant domini veſtri ſecundum carnem, eſt Juſtus judex, qui ſine reſpectu perſonarum, ſervis æque ac dominis pro meritis retribuet.

In Græco non habetur, *apud Deum*, ſed ſubintelligitur.

C A P U T III.

Senſus Moralis.

1. 2. I*Gitur, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Rerum terrenarum ſpeculationi tempus & ſtudia ſua conſecrare, gentilis Philoſophi vanitas eſt. In illis religionem ſuam conſtituere, Judaica ſuperſtitio. Illis frui an delectari propter ſeipſas, carnalis hominis cupiditas. Cogitationes ſtudiaque ſua ad res dumtaxat ſupernas, cœleſtes ac divinas conferre, uni Deo vivere, in eo ſolo delectari, faſtidire ſæculi voluptates, guſtare quam ſuavis ſit Dominus, mente & affectu in cœlo verſari ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, character eſt veri Chriſtiani, qui ad novam vitam cum Chriſto ſurrexit. „ Ideo Chriſto fundamentum noſtrum poſt reſurrectionem ſuam „ ſedet ad dexteram Patris, ut ſurſum verſus ædificemur. Sicut enim terrenis molibus conſtruendis, „ quarum gravia corpora non utique niſi ad ima demergunt, in imo ponitur fundamentum: ſic nobis e contrario ſurſum eſt poſitus lapis ille fundamentalis, ut ſurſum nos rapiat etiam pondere charitatis. Sic ergo vivamus, ut cum Sacerdotem audimus in ſacri Myſterii & incruenti Sacrificii Præfatione dicentem, *Surſum corda:* vere reſpondere poſſimus, *Habemus ad Dominum.* „ Converſatio noſtra ſit in cœlis. Ubi theſaurus noſter eſt, ibi ſit & cor noſtrum. Ne in hujus mundi parte figamus animum noſtrum, quo univerſo nos debemus exuere. *Quæ ſurſum ſunt ſapite.*

Chriſtianus homo eſt mundo mortuus.

S. Auguſt. Serm. 337. *Edit. nova Pariſ.*

Matth. 6. *S. Auguſtin. lib. Quæſt.* 83. *Quæſt.* 29.

3. 4. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Verum Chriſtianum mundo mortuum eſſe neceſſe eſt, nec magis hujus mundi divitiis, honoribus, voluptatibus moveri, affici, delectari, quam homines mortuos. Inſtar cadaveris inutilis a mundo haberi velit, vitam abſconditam amet, latere magis diligat in Chriſto, quam fulgere in ſæculo. *Expectant mortem, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer cum invenerint ſepulcrum.* „ Sicut enim ſepulcrum locus eſt quo abſconditur corpus: ita divina contemplatio quoddam ſepulcrum eſt mentis, quo abſconditur anima. „ Quaſi enim huic adhuc mundo vivimus, cum mente in eum foris vagamur: ſed mortui in ſepulcro abſcondimur, cum mortificati exterius in ſecreto internæ contemplationis celamur. Sancti igitur viri ab importunitate deſideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perſtrepentium perturbationum, ſemetipſos ſacri verbi gladio mortificare non deſinunt, atque intus ante Dei faciem in ſinu mentis abſcondunt. Unde bene per Pſalmiſtam dicitur: *Abſcondes eos in abſcondito vultus tui a conturbatione hominum.* Quod quamvis perfecte poſtmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalium tumultibus delectatione in interiora rapiuntur: ut mens eorum dum in amore Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc eſt quod Paulus per contemplationem mortuos, & quaſi in ſepulcro abſconditos diſcipulos viderat, quibus dicebat:

Job. 3. 21. 22.

S. Gregor. M. lib. 5. *Moral. c.* 5.

Pſal. 30. 21.

Digitized by Google

„ Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Qui ergo mortem quærit, gaudet dum ſepulcrum invenit; quia qui mortificare ſe appetit, valde ad inveniam requiem contemplationis hilareſcit: ut extinctus mundo lateat, & a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra ſinum ſe intimi amoris abſcondat. *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Exſpectemus igitur glorioſam Chriſti apparitionem, ut ipſe vitam noſtram nunc in Deo cum ipſo abſconditam manifeſtet. Ne præbeamus aures vanitati nobis inſuſurranti: *Manifeſta teipſum mundo.* Si gloriam extra futurum ſæculum, & extra Deum quærimus, gloria noſtra nihil eſt. Noſtrum in hac vita patrimonium, crux Chriſti eſt: portio noſtra in terra viventium, gloria ejus eſt. „ Si ergo tunc apparebimus, ne doleamus nunc quando honorem non aſſequimur. Si hæc vita non eſt vita, ſed abſconſa; tamquam mortui debemus hanc vitam vivere. *Tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Non abs re dixit Apoſtolus, *in gloria*: Nam & margarita eſt abſconſa, quamdiu fuerit in oſtreo. Sive ergo contumelia & probro afficiamur, ne doleamus, ſive quodvis patiamur: Non eſt enim noſtra vita hæc vita. Hoſpites enim & peregrini ſumus. *Mortui enim eſtis.* Quis ita deſipit ut mortuo & ſepulto corpori aut ſervos emat, aut domos ædificet, aut pretioſas veſtes comparet? Nullus. Nec nos ergo. Sepultus eſt vetus homo noſter, non in terra, ſed in aqua: non morte ipſum diſſolvente, ſed eo qui mortem diſſolvit, ipſum ſepeliente: non lege naturæ, ſed juſſu fortiore quam ſit natura. Hac ſepultura nihil eſt beatius, qua lætantur & angeli, & homines, & Dominus Angelorum. Hæc ſepultura vitam gratiæ in præſenti operatur; vitam gloriæ in futuro pollicetur, ejus pignus eſt, ſpem illius certiſſimam facit. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* „ Ecce ubi eſt radix noſtra. Quando autem apparebit honor noſter tamquam in foliis & fructibus, ſequitur & dicit, *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.*

Joan. 7. 4.

S. Chryſoſt. Homil. 2. in hanc Epiſt.

S. Aug. Enarr. in Pſal. 48. Serm. 2. n. 3.

5. 6. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Quicumque in Chriſto baptizati ſumus, veteris hominis membra, pravas cupiditates, vitioſos affectus mortificare tenemur, & ad eos coercendos & comprimendos ſolemni ſacramento obſtricti ſumus. In Baptiſmate mortua ſunt peccata, ſed radix peccatorum manſit, concupiſcentia vivit, multiplicibus objectorum ſenſibilium illecebris fœcundatur, & cum conceperit, parit peccatum. Myſticam mortem in nobis conſummemus, ſi vivere in æternum velimus. Virtutes membra ſunt novæ creaturæ: vitia & cupiditates, membra ſunt veteris hominis. Tantum novi & interioris hominis membra in nobis formantur, quanto veteris hominis membra mortificantur. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* „ Quid vult ut mortificent, opere ſcilicet continentiæ, niſi motus ipſos adhuc in ſua quadam interpellatione, ſine noſtræ mentis conſenſione, ſine membrorum corporalium operatione viventes? Et quomodo iſti mortificantur opere continentiæ, niſi cum eis mente non conſentitur, nec exhibentur eis arma corporis membra; & quod eſt majus, atque vigilantia continentiæ majore curandum, ipſa etiam noſtra cogitatio, quamvis eorum quodam modo ſuggeſtione & quaſi ſuſurratione tangatur, tamen ab eis ne oblectetur, avertitur, & ad ſuperna delectabilius cogitanda convertitur; ob hoc ea nominans in ſermonibus, ne habitetur in eis, ſed fugiatur ab eis? Quod fit, ſi efficaciter audiamus, ipſo adjuvante qui hoc per Apoſtolum ſuum præcipit; *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Triplex eſt autem peccatorum radix, tria veteris hominis veluti capita, luxuria, ſuperbia & ambitio, & avaritia. Per luxuriam brutis animantibus, per ſuperbiam & ambitionem dæmonibus, per avaritiam idololatris aſſimilatur, omnia propter pecuniam faciens, quæ propter Deum facere debet; principes materias auri & argenti, dedicans illiſque cor ſuum devovens, & omnia ſtudia ſua conſecrans. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus.* Hoc mortificationis ſtudium tria complectitur. 1. Serium conſtanſque propoſitum reſiſtendi peccato, & alliſendi parvulos filios Babylonis ad petram, quæ eſt Chriſtus. 2. Fugam occaſionum quæ inducere ac movere ſolent ad peccandum. 3. Uſum aſſiduum omnium mediorum, quæ ad peccati corpus deſtruendum conducunt, ſcilicet orationis, jejunii, eleemoſynæ, honeſti laboris, frequentationis Sacramentorum, lectionis piorum librorum, ac præſertim Scripturæ ſacræ. His mediis vitia deſtruuntur, *propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Accenditur velut ignis ira Dei peccatis hominum. Sub juſto Deo nemo miſer, niſi reus. Tolle peccata, ceſſat ira Dei. Secundum fidem operare, non peccabis. Omnis virtus in fide fundatur & radicatur. Omne peccatum aliquid infidelitatis admixtum habet: Dei verbis & promiſſis diffidere videntur, rebelles ſunt & contumaces, quicumque Deum lethaliter offendunt. *Propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

Mortificanda veteris hominis membra.

S. Auguſt. lib. De Continentia, cap. 13.

8. 9. 10. *Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* Homini per Baptiſmum renovato ſatis non eſt graviſſimis peccatis renunciare, debet etiam minus gravia exuere, minus gravia (inquam) comparatione priorum, non aliqua, ſed *omnia*, iram, indignationem, malam voluntatem adverſus proximum, maledicentiam, ſive detractionem, convitia, verborum obſcœnitatem, fraudes, & mendacia; hæc exuite velut veteris hominis veſtes ſordidas ac detritas, Chriſtiano diem feſtum continuum Deo agente indignas, exuite, numquam illas deinceps reſumpturi: deponite, ut onus grave, quo anima ad ima trahitur. *Nolite mentiri invicem*, ſiquidem filii veritatis eſtis. Veterem hominem, ejuſque pravos affectus ſpecie ſanctitatis tegere nolite, ut hypocritæ, ſed exſpoliate penitus, ejus deſideriis, affectibus, ſenſibus, operibus renuntiantes, & novum hominem Chriſtum Jeſum induentes. Felicem illam renovationem cum Dei gratia promovere quotidie ſtudeamus ac enitamur, proficiendo in Dei cognitione & amore, & in imitatione Chriſti Jeſu, qui eſt imago Dei inviſibilis, ad quam conditi, & ſecundum quam renovati ſumus. *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus qui creavit illum.* „ Spoliationem priſtinæ noſtræ converſationis Apoſtolus manifeſtavit eam quæ veteraſcit & corrumpitur: & propter hoc intulit, *& induentes novum.* In eo ergo quod ait, *Qui renovatur in agnitionem*, demonſtrabat quoniam ipſe ille qui ignorans erat ante homo, id eſt, ignorans Deum, per eam quæ in eum eſt agnitionem renovatur. Agnitio enim Dei renovat hominem. Et in eo quod dicit, *ſecundum imaginem conditoris*, recapitulationem manifeſtavit ejus hominis, qui initio ſecundum imaginem factus eſt Dei. Renovatio illa in futura vita, in beata æternitate conſummabitur, cum Deum videndo ſicuti eſt, & perfecte ac immutabiliter amando, ſimiles erimus imagini Filii ejus, cum. *Omnia & in omnibus erit Chriſtus.* In illa (inquam) vita novum hominem perfecte induimus. In ea enim a corruptione liberamur, & incorruptionem induimus. In Baptiſmo autem illius vitæ figuram implemus. „ Sed poſt Baptiſmum ad perfectam illam renovationem ſemper tendendum eſt, in ſanctitate proficiendum, ut anima renovetur de die in diem. *Neque enim ipſa in ſanctitate non proficit, cum magis magiſque minuit eas quibus non conſentit carnales cupiditates.... Hoc agitur in templo Dei, quando adjuvante Deo agitur quod præcepit Deus: opera Spiritus eriguntur, opera carnis mortificantur.*

Chriſtianus omnia peccata debet exuere, etiam quæ minus gravia videntur.

Interioris hominis renovatio.

S. Irenæus lib. 5. cap. 12.

Theodoret. in hunc locum.

S. Auguſt. lib. 6. Contra Julianum, cap. 14.

12. *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.* Bona opera exteriora nihil proſunt, niſi ab interiori principio & radice oriantur, ſcilicet a caritate, quæ Chriſtiani hominis cor eſt & viſcera. Hypocrita opera miſericordiæ facit, viſcera miſericordiæ non habet. Picturam imitatur hypocriſis quæ in exteriori ſpecie ſiſtit, faciem, brachia, manus, pedes, veſtimenta, externa lineamenta effingit. *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ*: cor & viſcera, ceteraſque partes interiores non format, vitam non tribuit operi. Sincera vero pietas naturam imitatur, quæ ab interiorum partium formatione incipit. *Induite vos viſcera miſericordiæ.* Fruſtra vero hæc viſcera ſe habere gloriatur, qui miſericordiam, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam externis non exercet. Miſericordia benignitatem, benignitas humilitatem, humilitas manſuetudinem, manſuetudo patientiam & longanimitatem parit. *Supportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.* Chriſtiana patientia lapſus ac defectus fraternos ſuſtinet, non amarulenter explorat; non exaggerat, ſed excuſat, dignoſque putat diſſimulatione. Sed etſi graves injuriæ fuerint, etiamſi qui nos læſerunt a nobis devincti ſint beneficiis; etiamſi nos magni, ipſi vero infimæ ſortis fuerint; nos tamen omnia exem-

Hypocriſis & ſinceræ pietatis oppoſitio.

Eccli. 38.

Theophylact.

plo

pſo Chriſti dimittemus, niſi erga ipſum ingrati eſſe velimus, qui nobis omnia donavit, cum illum graviſſime offendiſſemus ſervi Dominum, viles creaturæ Creatorem, immenſis ab illo beneficiis affecti. Quin etiam parati eſſe debemus ad vitam pro his, qui nos offenderunt, profundendam, ſicut & Chriſtus pro nobis mortuus eſt. *Sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.* „ Maximæ id miſericordiæ ſacrificium. „ Multa ſunt genera eleemoſynarum, quæ cum faciemus, adjuvamur ut dimittantur noſtra peccata: „ ſed ea nihil eſt majus, quà ex corde dimittimus „ quod in nos quiſque peccavit. „ *Minus enim magnum eſt erga eum eſſe benevolum, ſive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit: illud multo grandius & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt facit, tu bonum ſemper velis, facíaſque cum poſſis, audiens dicentem Deum,* Diligite inimicos veſtros ... *Sed quoniam perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, quo quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, ſecumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur,* „ Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, „ *procul dubio verba ſponſionis hujus implentur, ſi homo qui non dum ita profecit, ut jam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam ſibi roganti vult utique dimitti, cum orat & dicit,* „ Sicut & nos dimittimus „ debitoribus noſtris. Id eſt, Sic dimitte debita noſtra rogantibus nobis, ſicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus noſtris. *Donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.*

S. Auguſt. Enchirid. cap. 73.

14. 15. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Chriſtiana opera ex hypocriſi, ex cupiditate, ex conſuetudine fieri poſſunt; ſed Chriſtiane fieri, conjungendo nos & conformando capiti noſtro Chriſto Jeſu, ut vera viventiaque membra, ſine charitate non poſſunt. Hæc radix eſt omnium bonorum: *Nec fructus eſt bonus, qui de caritatis radice non ſurgit.* „ Caritas ſola bene operatur, ſola bene utitur donis Dei. Quid ea „ pretioſius? Quid luminoſius? Quid firmius? Quid „ utilius? *Univerſa inutiliter habet, qui unum illud* „ *pro univerſis utatur, non habet.* Caritas ſi deſit, „ fruſtra habentur cetera; ſi adſit, recte habentur „ omnia. „ *Omnia bona opera, unum opus eſt caritatis.* Hoc perfectum vinculum eſt 1. reſpectu Chriſti capitis & membrorum: omnia enim Eccleſiæ membra inter ſe & cum Chriſto capite connectit. 2. reſpectu Eccleſiæ, quæ tamquam domus Dei, compage caritatis continetur. 3. reſpectu ceterarum virtutum, quæ ſine illa neque unitæ ſervantur, ſed diffluunt & collabuntur. *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* „ Diſſolvuntur enim omnia, niſi fiant cum caritate. „ Ipſa omnia illa conſtringit. Quodcumque bonum „ dixeris, ſi ea abſit, nihil eſt, ſed diffluit. Et „ quomodo in navi, etiamſi magna ſint inſtrumenta „ & non ſint quæ eam ſuccingant tabulata, nihil „ prodeſt: & in domo, niſi ſint contignationes: & „ in corpore etiamſi magna ſint oſſa, non ſint autem „ ligamenta, nihil juvat. Cujuſmodicumque enim „ quiſpiam habet bona opera, & recte facta, evaneſcunt omnia, niſi ſit caritas. Non dixit autem „ Apoſtolus, *faſtigium*, ſed quod eſt majus, *vinculum*: hoc enim eſt magis neceſſarium quam illud. „ Nam faſtigium quidem eſt intentio perfectionis: „ vinculum autem eſt complexus & comprehenſio „ eorum quæ perfectionem efficiunt, tamquam radix. Ex caritate pax naſcitur; non pax mundi, ſed pax Chriſti, omnium vitiorum, omnium cupiditatum, omnium terrorum hujus mundi victrix. *Pax Dei præmium diſtribuat in cordibus veſtris.* „ Si pugnent „ duæ cogitationes, ne permittas iram, violentiam, „ inſultationem tenere bravium & præmium, ſed „ pacem. Eſt quiſpiam injuſte affectus contumelia, „ ex qua natæ ſunt duæ cogitationes, una quidem „ jubens ulciſci, altera vero tolerare, & inter ſe „ luctantur. Si ſteterit pax Dei præmium diſtribuens, „ dat præmium ei qui jubet tolerare. Quomodo? „ Perſuadens Deum eſſe pacem, & pacem nobiſcum „ feciſſe. Ipſe Chriſtus eſt pax noſtra, pacem nobis „ attulit deſcendens e cœlis, ut nos Patri reconciliaret; pacem nobis reliquit, ad pacem nos vocavit. Propter pacem unum corpus ſumus, & propterea quod ſumus unum corpus, in pace agimus. Ingrati ſumus erga Chriſtum, qui nos Deo reconciliavit, & divino pacis munere nos donavit, ſi pacem cum fratribus noſtris non ſervamus. *Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.* Ideo enim per unum Mediatorem Deo reconciliati ſumus, ut *hæreamus uni, fruamur uno, permaneamus unum.*

Opera bona ſine caritate fieri Chriſtiane non poſſunt.

S. Aug. lib. De Spiritu & Littera, c. 14. Idem, Serm. 88. alias 18. De Verbis Domini, cap. 18. Idem, Enarrat. in Pſ. 90. Serm. 2.

S. Chryſoſt. Hom. 8.

Caritas vinculum perfectionis.

Ex ea pax naſcitur.

S. Chryſoſt. ibid.

S. Auguſt. lib. 4. De Trinit. cap. 7.

16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes & commonentes vosmetipſos, in Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.* Lex Moyſi ſcripta erat in tabulis lapideis, lex Chriſti per Spiritum ſanctum ſcripta eſt in tabulis cordis, in mente, in voluntate. Non leviter, obiter, perfunctorie recolenda eſt, ſed diu noctuque meditanda, & in corde conſervanda, ut ea nutriatur animus. *Comede volumen iſtud... Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo: Et comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Familiaris nobis ſit & notiſſima lex Dei, inſtar domeſtici, vel hoſpitis amiciſſimi in domum recepti: imo ut domina domus: ut quemadmodum Filius Dei, *Nobilis paterni ſinus inquilinus*, numquam ab eo recedit, ita lex Chriſti, ejuſque Evangelium, numquam e mentibus noſtris abeat, numquam e cordibus noſtris recedat. „ Aſſiduam „ divinorum eloquiorum meditationem præcipit etiam „ lex vetus. *Meditaberis, inquit, in ipſis, ſedens,* „ *& ſurgens, & cubans, & in via ingrediens.* Hoc „ præcipit & divinus Apoſtolus, ut nos Chriſti doctrinam in anima ſemper circumferamus. *Verbum* „ *Chriſti habitet in vobis.* 2. Legem, & verbum Dei, Evangelium Chriſti non ſolum audire, & guſtare tantiſper debemus, & ex parte ſuſcipere, ſed eis impleri, ſatiari, magiſque ac magis eſurire. *Abundanter.* „ Si enim opulenti fuerimus in cognitione Scripturarum, omnes calamitates æquo animo „ feremus, perinde ac dives in pecuniis jacturam „ ferre poteſt. 3. Lex Chriſti conſulenda eſt & audienda ut magiſtra & illuminatrix noſtra: Evangelio Chriſti nos conformare debemus ut regulæ vitæ converſationiſque noſtræ: ex eo velut ex fonte vera ſapientia haurienda eſt, *In omni ſapientia.* 4. Ex Evangelii & totius Scripturæ ſacræ lectione non ſolum documenta ad noſtram ſalutem neceſſaria & utilia, verum etiam admonitiones & exhortationes ad aliorum converſionem & ædificationem depromendæ ſunt. *Docentes & commonentes vosmetipſos.* 5. Ex divini verbi plenitudine laudes Deo proferendæ & offerendæ ſunt, ſive in privatis, ſive in publicis orationibus, quæ ab Apoſtolicis temporibus, ex Pſalmis, hymnis, & canticis erant ordinatæ. *In Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus.* 6. Laudes concinendæ ſunt Deo cum attentione mentis, & interiore cordis affectu in Deum, cum gravitate & modeſtia ad ædificationem proximi. *In gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.* Scripturam Sacram, Evangelium Chriſti aſſidue legant, meditentur, in corde conſervent Chriſtiani: in eo omnia invenient. „ Omnia nobis factum eſt Dei verbum .... In eo „ ſanus ſapientiam acquirit, captivus redemptorem, „ liber remuneratorem. Omnes ædificat Scriptura „ divina. In ea invenit unuſquiſque quo aut vulnera ſua curet, aut merita confirmet .... Legis meditatio facit ut tempora tribulationis, tempora quibus humiliamur aliquibus adverſis, ſuſtinere & tolerare poſſimus, ut neque humiliato nimis, neque dejecto frangamur affectu .... „ Habet verbum Dei epulas ſuas, alias fortiores, ut „ Lex & Evangelium, „ alias ſuaviores, ut ſunt Pſalmi, & Cantica Canticorum... Edamus igitur Scripturarum cœleſtium cibos, edamus quotidie, ut non „ eſuriamus ... Non perfunctorie tranſeamus quæ legimus, ſed etiam cum abeſt codex, tanquam animantia munda & ruminantia, de interioribus noſtris ruminandum nobis pabulum ſpirituale promamus. *Sic in nobis Apoſtolica illa ſententia impletitur:* Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, „ in omni ſapientia.

Aſſiduæ legis Dei meditatio.

Ezechiel. 3.

S. Zeno Veronenſis.

Deuteron. 6.

Theodoret.

S. Chryſoſt. Hom. 9.

Theophylact.

Lectionis & Meditationis Scripturæ ſacræ fructus.

S. Ambroſ. in Pſal. 45. 48. 118.

17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Omnia verba, omnia opera hominis Chriſtiani ſacrificium gratiarum actionis eſſe debent, Deo oblatum per Jeſum Chriſtum ut Sacerdotem & Mediatorem hominum; cum Jeſu Chriſto, ut vera victima Deo digna; in Chriſto Jeſu ut templo & altari, ſecundum Jeſum Chriſtum, ut exemplar & legem Chriſtianorum, ſub Jeſu Chriſto ut Magiſtro, Rege ac Domino: in Spiritu Jeſu Chriſti ut capitis noſtri, a quo omne operum noſtrorum meritum eſt, illum offerendo Patri, qui illum nobis dedit, & omnia cum ipſo & per ipſum. „ Id ſi faciamus, nihil erit ſceleſtum, nihil immundum, ubi Chriſtus invocatur. Si comedas, ſi bibas, ſi uxorem ducas, ſi peregre proficiſcaris, in nomine Dei facito omnia, hoc eſt, eum vocans adjutorem. In omnibus „ eum prius orans, res aggredere. Vis aliquid loqui? „ hoc præpone. Et ideo nos quoque in Epiſtolis nomen Domini præponimus. Ubi fuerit nomen Domini

Omnia opera noſtri Deo per Chriſtum, in Chriſto, & cum Chriſto offerenda.

S. Chryſoſt. Hom. 9. in hanc Epiſt.

Digitized by Google

„ ni omnia ſunt fauſta & felicia. Nam ſi Conſulum nomina efficiunt ut firmatæ & validæ ſint litteræ, multomagis nomen Chriſti . . . Secundum Deum omnia & dicite, & agite. Comedis? Deo age gratias, & itidem poſtea id facturus. Dormis? Age gratias, & itidem poſtea id facturus. Vadis ad forum? fac idem. Fac omnia in nomine Domini, & omnia recte ſuccedent. Ubicumque poſitum fuerit Dei nomen, omnia ſunt fauſta & felicia. Si dæmones expellit, ſi morbos propulſat, multomagis rebus affert facilitatem. Quid eſt facere verbo aut in opere? Vel exeuntem, vel quidvis facientem . . . Audi quomodo Abraham famulum ſuum in nomine Dei miſerit: David in nomine Dei Goliath interemerit. Admirabile eſt nomen ejus & magnum. Jacob filios ſuos mittens, dicit: *Deus meus det vobis gratiam coram homine*. Qui hoc facit, Deum habet adjutorem, ſine quo nihil auſus eſt facere. Invoca Filium, gratias age Patri. Hæc diſcimus non verbis tenus, ſed per facta implere . . . . Si dixeris, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, cum fide, hæc perfeciſti . . . . Per hoc nomen orbis terræ fuit converſus, fracta eſt tyrannis, conculcatus diabolus, aperti ſunt cœli. Per hoc nomen ſumus regenerati. Hoc & Martyres facit & Confeſſores. Omnia in nomine Domini facere, eſt omnia facere in caritate, omnia propter Dei gloriam.

S. Auguſt. Tract. 7. in 1. Epiſt. S. Joan.

Semel ergo breve præceptum tibi præcipitur, Dilige, & quod vis fac: ſive taceas, dilectione taceas; ſive clames, dilectione clames; ſive emendes, dilectione emendes; ſive parcas, dilectione parcas; radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere.

18. *Mulieres, ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino*. Subjectio expreſſius imperatur quam dilectio, quia difficilior eſt. Subjectionis iſtius regula, lex Dei; exemplar, ſubjectio Eccleſiæ Chriſto Jeſu ſponſo ſuo. Complectitur hæc ſubjectio. 1. Reverentiam erga virum ut ſuperiorem & caput ſuum. 2. Sincerum, tenerum, fidelem, caſtum, conſtantemque amorem, propter Chriſtum, cujus vir imago eſt, ſtudiumque conformandi mores & affectus ſuos ad mariti indolem in rebus licitis. 3. Obedientiam in officiis omnibus conjugalis ſocietatis mulieri incumbentibus: *Sicut oportet, in Domino*. Mulier virum ſuum ſancte diligat, officioſe curet, indiſſolubiliter illi adhæreat, illique in omni fortuna ſit adjumento & ſolatio.

Mutua conjugum officia. Geneſ. 3. 16. Proverb. 31. 1. Cor. 7. 34. & cap. 14. 34. Epheſ. 5. 21. 23. 24. Ad Titum 1. 2. 4. 1. Petr. 3. 6.

19. *Viri, diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas*. Mariti Chriſtiani dilectionem debent uxoribus ſuis, ut levius illis faciant ſubjectionis onus. Superior non eſt maritus ut imperioſe regat uxorem, ſed cum ſuavitate caritatis. *Diligite*, tum interno cordis affectu, tum effectis. *Diligite uxores veſtras*, non alienas. Dilectionis hujus tria ſunt argumenta. 1. Uxoris ſuæ præſentia & conſortio delectari, ne ex odio vel tædio lubentius alibi ſit quam cum ea; ne ab ea, niſi ob cauſas neceſſarias diu avellatur.

Prov. 5. 18. 19.

Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ . . . In amore ejus delectare jugiter. 2. Uxorem dirigere & erudire, tum in iis quæ ſpectant ad hanc vitam honeſte & probe tranſigendam, tum ad æternam felicitatem conſequendam.

1. Cor. 14. 35. 1. Petr. 3. 7.

Si quid volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Et, *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes veſtræ*. 3. Difficiles, moroſos, amaros erga uxores non eſſe. *Et nolite amari eſſe ad illas*. Quæ amarulentia in tribus ſe prodit. 1. In affectibus, ſi ob leves cauſas maritus uxorem aut odiſſe incipit, aut remiſſe diligere. 2. In verbis, ſi ſint aſpera, contumelioſa, minacia. 3. In factis, cum tyrannidem in uxorem exercet; ſive eam ab omni adminiſtrationis œconomicæ communione removendo; ſive ei negando quæ ſpectant ad ejus neceſſitatem, vel dignitatem, ſive in eam verberibus ſæviendo. „ Quod ab omni humanitate & honeſtate alienum eſt. Neque ergo tu vir, quoniam ſubjecta eſt mulier, ſis inſules: neque tu mulier, quoniam te vir diligit, intumeſce.

S. Cryſoſt. Hom. 10.

Neque viri amicitia extollat mulierem, neque mulieris ſubjectio inflet virum. Propterea eam tibi Deus ſubjecit, o vir, ut magis ametur. Propterea te juſſit amari, o mulier, ut facile feras quod ſis ſubjecta. Etenim qui amat eſſe ſubjectum, nullam habet difficultatem. Ne timeas amans; habes enim ipſam cedentem. Non alias ergo eſſet vinculum. Habes neceſſarium a natura imperium; habe etiam vinculum quod eſt ex charitate.

Filiorum erga parentes, & parentum erga filios officia.

20. *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino*. Filius qui in parentibus ſuis auctoritatem Patris noſtri, qui eſt in cœlis, reveretur, non alios præſtituit obedientiæ ſuæ limites, quam quos lex divina præſcribit. *Per omnia*. Nulla alia illi opus ratione eſt qua moveatur ad obediendum patri & matri, quam quia id Chriſto gratum & acceptum eſt. *Hoc enim placitum eſt in Domino*. Obedientia dilectiſſima fuit Chriſti virtus. Mariæ & Joſeph parentibus ſuis ſubditus fuit, Æterno Patri ad mortem uſque obedivit.

S. Ambroſ. lib. 2. in Luc. num. 67.

„ Diſce tuæ utilitatis præcepta, & exempla pietatis agnoſce. Diſce quid parentibus tuis debeas, cum legis a Patre Filium non voluntate, non opere, non tempore diſcrepare. Et utique nullum Pater ille cœleſtis laborem generationis expertus eſt: tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum, matri longa faſtidia, longa diſcrimina, cui miſeræ in ipſis votorum fructibus majus periculum eſt: & cum ediderit quod optavit, partu abſolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis uſibus cenſus, jactaque agricolæ ſemina poſterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obſequia ſaltem oportet rependi? Cur impio patris vita prolixior, & communitas patrimonii videtur anguſtior, cum Chriſtus non refugiat cohæredes?

21. *Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſilli animo fiant*. Patres in familia ſua Dei imagines, & Chriſti quodam modo vicarii ſunt. Igitur Dei Patris & Chriſti caritatem & manſuetudinem imitentur in filiorum regimine & inſtitutione. Illos ad indignationem ne provocent, ſive negando neceſſaria pro modo ſuarum facultatum, ſive illos iniquis mandatis onerando; & compellendo ad amplectendum ſtatum vitæ, ad quem a Deo non vocantur; ſive eos immerentes verbis contumelioſis proſcindendo, maledictis & imprecationibus impetendo; ſive injuſtis aut immodicis verberibus caſtigando & affligendo. Paternam auctoritatem ita temperent, ut magis a filiis amentur, quam timeantur, caveant ne moroſitate, continuis clamoribus, injuriis, minis, intempeſtivis & acerbioribus verberibus illos ad omnem fiduciam & amorem erga parentes deponendum compellant & in deſperatam quamdam contumaciam præcipites agant. *Ut non puſilli animo fiant*. Probitatis, caritatis, humilitatis, pietatis, temperantiæ, modeſtiæ, caſtitatis, omniumque virtutum exemplis illos informent & provocent ad ſerviendum Deo, illumque promerendum. Ne de filiis dicatur quod *Parentibus ſuis non magis in patrimonia quam in vitia ſuccedunt, nec magis facultates paternas ſumunt, quam pravitates; ac ſic tranſeuntes ſemper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam quam ſubſtantiam poſſidere. Bona enim parentum nonniſi mortuis eis poſſident; viventibus autem adhuc & videntibus, mores. Ac ſic prius quam in dominio ſuo habere incipiant res paternas, habent in animis ipſos patres: & antequam habeant illa quæ falſo dicuntur bona, habent illa quæ vere probantur mala.*

Salvianus l. 1. Ad Eccleſiam Catholicam.

22. 23. 24. 25. *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum*. Servorum Chriſtianorum characteres & officia deſcribit divinus Apoſtolus. 1. Propria illorum virtus, obedientia eſt. *Servi obedite*. 2. Accurata, perfecta, & univerſalis eſſe debet, & ad omnia extendi quæ legi Dei non repugnant. *Per omnia*. 3. Pietatis & ſpiritualium exercitiorum prætextu deeſſe non debent officiis & obſequiis, quæ dominis ſecundum ſæculi corruptos mores viventibus impendere tenentur. *Dominis carnalibus*. 4. Sincero & recto corde, ſine ſimulatione, ſine adulatione, non ex cupiditate lucri, non humano reſpectu, ſed ex timore & voluntate Dei ſervire, qui illos ad ſervilem conditionem vocavit, ut per humilitatem, obedientiam, & laborem illos ſanctificet. *Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum*. 5. In dominis temporalibus quibus ſerviunt, revereri debent auctoritatem Dei propter quem ſerviunt, diligere charitatem aut juſtitiam Dei, qua bene vel male utuntur, quem uſum bonum Deus in piis dominis operatur, malum vero uſum permittit & ordinat ad ſervorum Deum timentium ſanctificationem, profectum, exercitationem: ipſis proinde ſervire debent æquo animo, ſine murmuratione, cum gaudio, perinde ac ſi Chriſto Jeſu ſervirent, non hominibus; otio non indulgere, ſed operari ſemper ad utilitatem dominorum; pro illis orare, quando ab operibus vacant. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus*. 6. Servire debent ſpe cœleſtis hæreditatis & prout illa dignum eſt, non ſpe mercedis ſolius temporalis, quam a dominis temporalibus recipere poſſunt. *Scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis*. 7. Dominorum ſuorum defectus & vitia non ſpectare, ſed Chriſti Jeſu communis & ſupremi Domini per illos imperantis majeſtatem. *Domino Chriſto ſervite*. 8. Injuriarum quas iniqui domini illis faciunt, vindictam

Servorum erga dominos officia.

uni

Digitized by Google

uni Deo ſervare, non illam expetere. *Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique geſſit: & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.*

C A P U T IV.

Senſus Litteralis.

* Hunc Verſum ad finem ſuperioris Capitis refert S. Thomas.

1. * D*Omini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate: ſcientes quod & vos Dominum habetis in cœlo.* Vos Domini, ſervis exhibete quod jus & æquitas a vobis poſtulant, cum ipſis humane & benigne agite, ut qui noveritis unum eſſe veſtrum illorumque Dominum in cœlo Jeſum Chriſtum, qui vos in miſericordia redemit, in veritate judicabit.

2. 3. 4. *Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Aſſidue & perſeveranter orationi vacate; in ea vigilate, non die tantum, ſed nocte orantes: ſive, animo vigilate, ut ab iis caveatis, quæ fructum orationum veſtrarum impedire poſſunt. Orationem vero gratiarum actio pro beneficiis a Deo acceptis ſemper comitetur. *Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum Myſterium Chriſti (propter quod etiam vinctus ſum.)* Orate etiam pro me ac reliquis Evangelii Prædicatoribus, ut Deus det nobis opportunitatem & libertatem prædicandi, omniaque obſtacula removeat, ut Chriſti Myſterium cum efficacia & fructu annuntiem, propter quod etiam carcere detineor, & vinculis conſtrictus ſum. *Ut manifeſtem illud ita ut oportet me loqui.* Ut illud manifeſte & convenienter, ut ejus dignitas, & profunditas poſtulant, eloquar, & auditorum animos ad doctrinam ſalutis amplectendam, & ad credendum inflectam.

* Metaphora ſumpta a mercatoribus, qui nullam omittunt occaſionem, qua cum ſuis etiam incommodis rem ſuam agant.

5. *In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt, tempus redimentes.* * Prudentes vos gerite erga eos qui extra Eccleſiam ſunt, id eſt, erga Ethnicos, ne illis occaſionem detis prava converſatione aut inconſideratione veſtra calumniandi Chriſtianam Religionem & Eccleſiam perſequendi. Nullam damni occaſionem eis date: pro ipſorum ſalute omnia tentetis & patiamini, ut eos Chriſto lucrificiatis. Veſtrum non eſt tempus: eo ergo utimini ut oportet, & per bona opera veſtrum facite.

6. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.* Sermo veſter, præſertim cum infidelibus, ſemper ſit ſapientiæ ſale reſperſus, modeſtia jucunda ornatus, ſaluber & utilis ad audientium ædificationem: ut omnibus compertum ſit vos ſcire quid pro diverſis hominum ætatibus, conditionibus, moribus ac ſtudiis vos unicuique reſpondere conveniat. Aliter enim infideli, aliter fideli; aliter perfecto, aliter imperfecto; aliter infirmo, aliter ſano doctrina ſalutis tradenda eſt.

7. 8. 9. *Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis Miniſter, & conſervus in Domino.* Quæ ad me pertinent, omnia vobis renunciabit Tychicus, mihi dilectus in Chriſto mi frater, & fidelis probatuſque Miniſter Evangelii, conſervuſque meus, ſive ſocius in ſacro Miniſterio Chriſti Jeſu. *Quem miſi ad vos ad hoc ipſum ut cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra.* Quem miſi ad vos, tradens illi hanc Epiſtolam perferendam, ut rerum veſtrarum ſtatum cognoſcant, profectumque veſtrum in fide & caritate, & corda veſtra cum præſentia ſua, tum verbo conſoletur. *Cum Oneſimo chariſſimo & fideli fratre, qui ex vobis eſt.* Mitto & Oneſimum chariſſimum & fidelem fratrem, olim ſervum Philemonis fugitivum, nuper Chriſtianæ Religionis Myſteriis initiatum, conterraneum veſtrum, patria ſcilicet Coloſſenſem, *Omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis.* Hi omnia quæ hic aguntur, ad me, ceteroſque Evangelii Miniſtros, & Evangelii ſucceſſum pertinentia, vobis referent.

* Ariſtarchum Apoſtoli Pauli ſocium, Epiſcopum Theſſalonicenſem Ado & Martyrologium Romanum celebrant, & poſt multa certamina quieviſſe ſeferunt, non Martyrio coronatum, ut volunt Græci.

10. *Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata: ſi venerit ad vos, excipite illum.* Ariſtarchus Macedo, Theſſalonicenſis, Pauli comes, cujus meminit S. Lucas *Act.* 19. 20. *&* 27. & Apoſtolus noſter in Epiſtola ad Philemonem, ejuſdem Apoſtoli ſocius in Romano carcere. Joannes Marcus conſobrinus Barnabæ, alter ab Evangeliſta Marco; cum propter eum orta eſſet diſſenſio inter Barnabam & Paulum, de qua *Act.* 15. ad Paulum poſtea reverſus, illique fideliter adhærens, ab ipſo commendari meruit ut ei *utilis in miniſterium*. Illum Coloſſenſibus per litteras commendaverat Eccleſia Romana, commendat & Paulus, ut ſi ad illos venerit, illum honorifice & humaniter ut dignum Chriſti Jeſu Miniſtrum recipiant. Hic verborum illorum ſenſus: *De quo ac-*

2. *Ad Tim.* 4.

cepiſtis mandata: ſi venerit ad vos, excipite illum.

11. *Et Jeſus, qui dicitur Juſtus: qui ſunt ex circumciſione: hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio.* Vos ſalutat Jeſus cognomento Juſtus, qui genere Judæus eſt, ſicut Marcus & Ariſtarchus. Hi ſoli ex Judæis ad Evangelium promovendum mihi cooperantur, & fuere ſolatio in rebus adverſis & vinculis, mihi pro Chriſti nomine patienti compatientes & miniſtrantes.

* Græce Ἀγωνιζόμενος decertans pro vobis, quaſi luctans cum Deo, in orationibus quas pro vobis offert.

12. 13. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſollicitus * pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.* Salutem vobis dicit Epaphras ſeu Epaphroditus concivis & Antiſtes veſter, dignus Miniſter Chriſti Jeſu, de veſtro profectu ac ſalute ſollicitus, Deumque pro ſemper vobis ac ferventer orans, ut ſtetis perfecti in fide ac moribus nomine Chriſtiano dignis, & ut plene impleatis omnia quæ a vobis exigit voluntas Dei. *Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.* Vobis enim de ipſo teſtor quod multum zelum, ſeu ardens ſtudium ſpiritualis veſtri profectus habet, cum anxietate & labore conjunctum, & pro comprovincialibus veſtris ac vicinis Laodicenſibus, & Hierapolitanis.

Laodicea & Hierapolis Phrygiæ urbes, Coloſſis vicinæ.

14. *Salutat vos Lucas Medicus chariſſimus, & Demas.* Lucas Evangelii & Actorum Apoſtolicorum Scriptor, Pauli comes individuus, olim profeſſione Medicus. Demas S. Pauli diſcipulus & adjutor, poſtea ipſum reliquit, ſæculi amore captus, teſte ipſo Apoſtolo: *Demas enim me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam.* *

* 2. *Ad Tim.* 4. 9.

15. *Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, (a) & quæ in domo ejus eſt Eccleſiam.* Cum ad Chriſtianos Laodiciæ commorantes ſcribetis, vel nuntium illuc mittetis, illos nomine meo ſalutate, & Nympham, cujuſque familiam in Chriſtiana Religione tam ſancte inſtitutum, ac tam pie viventem, ut domum ejus Eccleſiam merito appellem. Hunc inter Fideles Laodicenos eximium fuiſſe, veriſimile eſt.

(a) *Nymphas* viri nomen, non mulieris, ut commentatus eſt Ambroſiaſter.

16. *Et cum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite ut in Laodicenſium Eccleſia legatur: & eam quæ Laodicenſium (b) eſt vos legatis.* Et cum vobis lecta fuerit hæc Epiſtola, quam ad vos ſcribo, curate ut in Eccleſia Laodicena pariter legatur. Et eam quæ a Laodicenſibus ad me, vel ad vos ſcripta eſt, auctor ſum ut legatis, ædificationi veſtræ plurimum profuturam. Quatuordecim duntaxat Epiſtolas S. Pauli agnoſcit Eccleſia, nullam ad Laodicenſes admittit, ut Septima Synodus Oecumenica declarat, S. Chryſoſtomo, S. Hieronymo, & Theodoreto præeuntibus.

(b) Græce τὴν ἐκ Λαοδικείας & *eam quæ eſt ex Laodicia*.

Vide Sæculi 1. Hiſtoriæ noſtræ Eccleſiaſticæ Synopſim Art. 6.

17. *Et dicite Archippo: Vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.* Archippo nomine meo dicite: Attende ad Miniſterium quod in Eccleſia Domini accepiſti, ut omnia illius officia impleas.

Archippus Eccleſiæ Coloſſenſis Doctor erat & Paſtor ſub Epaphra, abſentis vices gerens.

18. *Salutatio mea manu Pauli.* Ego Paulus hanc ſalutationem manu mea ſcripſi, ut hanc Epiſtolam meam eſſe agnoſcatis. *Memores eſtote vinculorum meorum*, ut pro me oretis, ac in fide, pro qua hæc patior, conſtanter perſeveretis, meoque exemplo ad mala quæque pro Chriſti nomine fortiter perferenda parati ſitis. *Gratia vobiſcum. Amen.* Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum permaneat.

C A P U T IV.

Senſus Moralis.

Dominorum erga ſervos officia.

1. D*Omini, quid juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate: ſcientes quod & vos Dominum habetis in cœlo.* Æquitas naturalis poſtulat, lex charitatis imperat, ut domini ſervis victum & veſtitum ſuppeditent. 2. Ut operas ab ipſis moderate exigant, non eos ultra modum laboribus graven & opprimant. 3. Ne ipſos durius tractent ſeu verbis, ſeu verberibus, in illoſque ſæviant. 4. Ut ægrotos amanter foveant & curent. 5. Ut illos omnia Chriſtianæ vitæ officia implere jubeant & faciant. 6. Ut delinquentes corripiant & emendent, non ex iræ impetu, ſed caritatis affectu. 7. Ne ipſos contemnant & vilipendant ob ſervilem conditionem, ignobilitatem & paupertatem, ſed æſtiment ac diligant ut ejuſdem naturæ & gratiæ participes, ut a Deo forte magis dilectos, ut ab eo ad majorem gloriæ gradum forſan prædeſtinatos. 8. Ne ſervos tractent inæqualiter, unum durius, alterum indulgentius, quod invidiæ, diſſenſionum & rixarum occaſionem præberet. 9. Ut illis auſcultent & cedant, cum ratio poſtulat, exemplo

Ad Philem. Verſ. 16.

ſancti

Digitized by Google

ſancti Job: *Si contempſi, (inquit) ſubire judicium cum ſervo meo & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me. Quid enim faciam cum ſurrexerit ad judicandum Deus, & cum quæſierit, quid reſpondebo illi?* 20. Ut ſervis bene meritis, ultra mercedem de qua cum ipſis convenerunt, præmia donent. Denique ſe gerant erga ſervos ut Patres, magis quam Domini.

S. Aug. lib. 19. De Civit. Dei, cap. 16.

„ Sic antiqui Patriarchæ, etiamſi habuerunt ſervos, ita adminiſtrabant domeſticam pacem, ut ſecundum hæc temporalia bona, filiorum ſortem a ſervorum conditione diſtinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona ſperanda ſunt, omnibus domus ſuæ membris pari dilectione conſulerent. Quod naturalis ordo ita præſcribit, ut nomen patrum-familias hinc exortum ſit, & tam late vulgatum, ut inique etiam dominantes hoc ſe gaudeant appellari. “ Qui autem veri Patres-familias ſunt, omnibus in familia ſua ad colendum & promerendum Deum conſulunt; deſiderantes atque operantes venire ad cœleſtem domum, ubi neceſſarium non ſit officium imperandi mortalibus, quia neceſſarium non erit officium conſulendi jam in illa immortalitate felicibus: quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quam ſervi tolerare quod ſerviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam domeſticæ paci adverſatur, corripitur ſeu verbo, ſeu verbere, ſeu quolibet alio genere pœnæ juſto atque licito quantum ſocietas humana concedit, pro ejus qui corripitur utilitate, ut paci unde diſſiluerat coaptetur. Sicut enim non eſt beneficentiæ adjuvando efficere ut bonum quod majus eſt amittatur; ita non eſt innocentiæ parcendo ſinere ut in malum gravius incidatur. “ Sed in correptione ſervanda eſt moderatio & manſuetudo Chriſtiana. Conſiderandum eſt ſervos ſub manu dominorum eſſe ad tempus quod brevi tranſit: dominos vero pariter ac ſervos in æternum eſſe ſub manu Dei, quem talem experturi ſunt, quales erga ſervos fuerint, vel patrem miſericordem, vel ſeverum, & inexorabilem judicem. *Scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.*

2. *Orationi inſtate vigilantes in ea gratiarum actione.* Mendici Dei ſumus in oratione ad januam miſericordiæ ipſius pulſantes, ipſaque orationis gratia eleemoſyna eſt quam ab illo accipimus. Oratio porro ut Dei miſerationem & beneficia impetret, debet eſſe aſſidua, fervens, humilis, perſeverans, attenta, vigilans, cum ſumma Dei reverentia, & religioſo timore conjuncta, *Orationi inſtate*. Diſplicet nobis importunitas mendicorum noſtrorum: placet Deo importunitas noſtra. Inanitatem noſtram Deus implebit, ſi illam humiliter coram ipſo confiteamur. Vigilandum adverſus tentationes dæmonis, tunc maxime nos impugnantis, cum oramus. Vigilandum, ne Dei lumina, gratiæ, miſericordiæ, viſitationeſque ſalutares, certis momentis, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, adſtrictæ, nobis elabantur deſidia & negligentia noſtra, *Vigilantes in ea*. Timeamus ne Chriſtus nobis exprobret: *Non potuiſtis una hora vigilare mecum*. Denique oratio cum gratiarum actione conjuncta eſſe debet. Gratiarum enim actio divinæ miſericordiæ manum aperit ut beneficia ſua liberaliter & largiter effundat, & cor pauperis creaturæ ut illa recipiat. *In gratiarum actione*. Virum quemdam ſanctum ſibi notum ſic orare conſueviſſe refert Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Gratias agimus pro omnibus beneficiis tuis, quæ a primo die uſque ad præſentem diem nobis indignis ſunt collata: pro iis quæ ſcimus, & neſcimus, pro manifeſtis, pro non manifeſtis, quæ opere facta ſunt, & quæ ſermone, quæ voluntarie facta ſunt & involuntarie, pro afflictionibus, pro recreationibus, pro ſupplicio, pro regno cælorum. Rogamus ut conſerves animam noſtram ſanctam, puram habentem conſcientiam, finem dignum tua clementia. Qui ſic dilexiſti nos ut unigenitum Filium dares, dignare nos eſſe dignos charitate. Da in ſermone tua ſapientiam, & in timore tuo; Unigenite Chriſte, tuam inſpira fortitudinem. Qui pro nobis dediſti Unigenitum, & ſanctum tuum miſiſti Spiritum in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſi quid volentes vel inviti peccavimus, condona, & ne reputes, Recordare omnium qui invocant nomen tuum in veritate. Recordare omnium qui bene & ſecus nobis volunt. Omnes enim ſumus homines*, &c.

*Ora*tio vigilans & cum gratiarum actione conjuncta.

Matth. 26. 40.

S. Aug. Serm. 13. alias 14. ex additis a Pariſienſibus.

S. Chryſoſt. hom. 10. in hanc Epiſtolam.

3. 4. *Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum Myſterium Chriſti (propter quod vinctus ſum.)* Mercenarius animum deſpondet in difficultatibus, perſecutionibus, & anguſtiis: Paſtor Apoſtolicus novo ſuccenditur ardore ac zelo prædicandi veritatis Evangelicas pro quibus patitur. Verbum enim Dei non eſt alligatum. Oſtium non quærit quo evadat ex vinculis quibus ejus corpus conſtringitur, ſed quo Chriſtum Jeſum in animas ſibi creditas introducat, qui ipſas a peccatorum vinculis abſolvat. Bonus Paſtor, Prædicator Apoſtolicus, Doctor veritatis, nihil ſe poſſe in negotio converſionis & ſalutis animarum agnoſcant & confiteatur, niſi linguam ejus Eccleſiæ preces & unctio ſancti Spiritus irrigent: niſi corda auditorum Dominus aperiat, & voluntates præparet. Ceterum non ſolum libere prædicare, docere, ac propugnare debet veritates ſalutis, ſed comparatus eſſe ad adverſa quælibet ex parte mundi, hujuſmodi veritatum inimici, ſuſtinenda. *Propter quod vinctus ſum*. Multi nunc in ſacris pulpitis Evangelium prædicant, ſed, heu! pauci prædicant ut oportet. Ars hominum longe differt ab arte Dei. Humanum ingenium ſermonem ornat ſæcularis eloquentiæ pigmentis, ut aures demulceat: Spiritus Dei ſermonem in modum gladii ancipitis acuit, in modum ignis accendit, ut corda vincat & inflammet, ut vitia reſecet atque conſumat. *Ut manifeſtem illud ita ut oportet me loqui*, Pro Paſtoribus ſuis, Prædicatoribus, & Doctoribus orationes ad Deum fundat populus Chriſtianus, quia eum cuſtodiunt & erudiunt, eorumque bonum commune eſt omnium. Oret ut Deus det illis gratiam digne proferendi verbum ſuum, ita ut nec ſpe bonorum temporalium, nec malorum timore a libera prædicatione & conſtanti defenſione veritatis deterreantur, ut ad captum auditorum Myſteria Religionis, & veritates ſalutis exponant & inculcent: ut denique cibum eſurientibus juſtitiam animabus convenienter diſpenſent. „ Non ſolum moderate ſapit ſanctus Apoſtolus, verum etiam vim fraternæ orationis oſtendit. Indigebat enim & ipſe cœleſti auxilio, quod fratrum oratio majus uberiuſque impetratura erat. Simul etiam eos ad orandum inducit. Si enim pro Apoſtolo ſuo intercedere debeant, quanto magis pro ſe ipſis?

Paſtoris & Concionatoris Apoſtolici zelus.

S. Thomas; Lect. 1.

Theophylact.

5. *In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt; tempus redimentes.* Sapientia & prudentia Paſtoribus in Eccleſiæ regimine, Concionatoribus in verbi miniſterio, Doctoribus in docendo & ſcribendo, dotes ſunt maxime neceſſariæ, periculoſis maxime & turbulentis temporibus. Non leve delictum eſt diſſidiis & tempeſtatibus in Eccleſia occaſionem dare. Nuſquam prodenda veritas eſt: ſed quæ Fidei ſummam, aut Moralis Chriſtianæ integritatem non ſpectat, aliquando tacenda eſt, ſi ex ea Eccleſiæ, vel Reipublicæ perturbatio, aut infirmorum offenſio ſive ſcandalum prævideantur oritura. Tempus redimendum, non in ſtultis & ſine diſciplina quæſtionibus, & pugnis verborum, quæ contentiones & lites generant, terendum eſt: redimendum (inquam) ut ad ſerviendum Deo & Eccleſiæ utilius impendatur. Sed in litibus, quæ rerum temporalium cauſa adverſum nos moventur ab hominibus carnalibus, aliquid potius de jure noſtro cedendum eſt, quam ut tempus in litibus, quæ plerumque ſalva charitate non ſuſcipiuntur, & quæ cordis ſabbatum turbant, & impediunt ne Deo libere ſerviamus, conſumatur. Nulli parcendum labori, nullum non ſubeundum incommodum eſt ut redimatur tempus, cujus ex bono uſu pendet felix æternitas. *Tempus redimentes*.

Prudentia Paſtoribus, Concionatoribus & Doctoribus maxime neceſſaria.

Tempus redimendum.

6. *Sermo veſter ſemper in gratia ſit ſale conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.* Sermones ſuos prudentiæ ſale condire debet Chriſtianus, ne quid corruptionis in eos ſpargat. Hinc Chriſtus Dominus ait: *Habete in vobis ſal.* Hinc in ore baptizandorum ſal a Sacerdote baptizante ponitur, hæc verba proferente, *Accipe ſalem ſapientiæ*, & In Chriſtiani verbis nulla obſcœnitas, nulla ſcurrilitas, nulla blaſphemia, nulla calumnia, nulla maledicentia, nullum convitium, nullum ludibrium, nullum ſit mendacium. Has enim corruptelas ſal ſapientiæ avertat neceſſe eſt. Paſtoribus vero & Doctoribus prudentia Spiritus maxime neceſſaria eſt, ut ſciant quomodo oporteat unicuique reſpondere. „ Non enim una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis proſunt. Quia & plerumque herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt... Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit: & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo Doctorum, ut & ad ſua ſingulis congruat, & tamen a communis ædificationis arte numquam recedat. Quid enim ſunt intentæ mentes auditorum, niſi (ut ita dixerim) quædam in cythara tenſiones ſtratæ chordarum? Quas tangendi artifex, ut non ſibimetipſi diſſimile canticum faciant, diſſimiliter pulſat. Et idcirco chordæ conſonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, ſed non uno impulſu feriuntur. Unde & Doctor quiſque ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet. Aliter enim „ admo-

Prudentia & innocentia in verbis ſervanda.

Marci 9. 49.

S. Greg. 3. P. Paſtor. in Prol. & cap. 1.

Paſtores, Concionatores, Directores adhortationes ſuas ſic attemperare debent audientibus, ut iis congruant.

„ admonendi ſunt viri, aliter feminæ. Aliter juve-
„ nes, aliter ſenes. Aliter inopes, aliter locupletes.
„ Aliter læti, aliter triſtes. Aliter ſubditi, aliter
„ Prælati. Aliter ſervi, aliter domini. Aliter hujus
„ mundi ſapientes, aliter hebetes. Aliter impuden-
„ tes, aliter verecundi. Aliter protervi, aliter pu-
„ ſillanimes. Aliter impatientes, aliter patientes.
„ Aliter benevoli, aliter invidi. Aliter ſimplices,
„ aliter impuri. Aliter incolumes, aliter ægri. Ali-
„ ter qui flagella metuunt, & propterea innocenter
„ vivunt, aliter qui ſic in iniquitate duruerunt, ut
„ neque per flagella corrigantur. Aliter nimis taci-
„ ti, aliter multiloquio vacantes. Aliter pigri,
„ aliter præcipites. Aliter manſueti, aliter iracun-
„ di. Aliter humiles, aliter elati. Aliter pertinaces,
„ aliter inconſtantes. Aliter gulæ dediti, aliter ab-
„ ſtinentes. Aliter qui ſua miſericorditer tribuunt,
„ aliter qui aliena rapere contendunt. Aliter qui
„ nec aliena appetunt, nec ſua largiuntur, aliter
„ qui & ea quæ habent tribuunt, & tamen aliena
„ rapere non deſiſtunt. Aliter diſcordes, aliter pa-
„ cati. Aliter ſeminantes jurgia, aliter pacifici. A-
„ liter qui ſacræ Legis verba non intelligunt recte,
„ aliter qui recte quidem intelligunt, ſed hæc hu-
„ militer non loquuntur. Aliter qui cum digne
„ prædicare valeant, præ nimia humilitate formi-
„ dant; aliter quos a prædicatione imperfectio vel
„ ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit.
„ Aliter qui in hoc quod temporaliter appetunt
„ proſperantur; aliter qui ea quidem, quæ mundi
„ ſunt, concupiſcunt, ſed tamen adverſitatis labore
„ franguntur. Aliter conjugiis obligati, aliter a
„ conjugii nexibus liberi. Aliter peccatorum carnis
„ conſcii, aliter ignari. Aliter qui peccata deplo-
„ rant operum, aliter qui cogitationum. Aliter qui
„ admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt; aliter qui
„ deſerunt nec tamen plangunt. Aliter qui illicita
„ quæ faciunt, etiam laudant; aliter qui accuſant
„ prava, nec tamen deviant. Aliter qui repentina
„ concupiſcentia ſuperantur, aliter qui in culpa ex
„ conſilio ligantur. Aliter qui licet minima, crebro
„ tamen illicita faciunt; aliter qui ſe a parvis cu-
„ ſtodiunt, ſed aliquando in gravioribus demergun-
„ tur. Aliter qui bona nec inchoant, aliter qui in-
„ choata nunime conſummant. Aliter qui mala oc-
„ culte agunt, & bona publice, aliter qui bona quæ
„ faciunt abſcondunt, & tamen quibuſdam factis
„ publice mala de ſe opinari permittunt. Qui ſic
admonitiones & exhortationes ſuas ſecundum audien-
tium ſtatum, neceſſitatem, & diſpoſitionem mode-
ratur, ejus *ſermo in gratia ſale conditus eſt, ut ſciat
quomodo oporteat unicuique reſpondere*. Singulas Ad-
monitiones uberius explicat & proſequitur S. Gregorius.

12. *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſervus Chriſti Jeſu, ſemper, ſollicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei*. Oratio quaſi certamen & lucta quædam cum Deo eſt. *Semper decertans pro vobis*, (ſecundum Textum Græcum) Jacob cum Angelo luctantem cogita, nec dimittentem niſi ab ipſo benedictionem impetraſſet. Hic typus eſt hominis Chriſtiani, & Paſtoris in oratione decertantis. In hoc agone ſe vinci Deus amat. Orandum autem eſt cum ſolicitudine & tremore, ut ſtemus perfecti, quia ut ſtemus, & perſeveremus, Dei donum eſt. In nobiſmetipſis habemus unde cadamus, niſi Dominus ſupponat manum ſuam, nolque teneat, deducat, confirmet in via virtutis. Stant plurimi, ſed non ſtant perfecti, quia in juſtitia & charitate non perſeverant. Sunt etiam plures, qui aliqua ex parte voluntatem Dei implent, pauci vero qui plene voluntatem Dei faciant, & omne quod Deus jubet, eoque modo quo fieri jubet, adimpleant: *& pleni in omni voluntate Dei*.

Oratio quaſi lucta quædam cum Deo.

Omnis voluntas Dei facienda.

17. *Et dicite Archippo: Vide Miniſterium quod accepiſti a Domino, ut illud impleas*. Sacerdotes & Paſtores, attendite ad Sacerdotalis & Paſtoralis Miniſterii dignitatem, & contremiſcite. Onus eſt Angelicis humeris formidandum. *Vide*, Miniſterium eſt, non dominatio. Ex hoc ne inſoleſcatis, ne extollamini. Electi eſtis a Deo ut illi, & ejus Eccleſiæ, animabuſque Chriſti ſanguine redemptis ad æternam illarum ſalutem ſerviatis. Non otio indulgendum, ſed ſtrenue laborandum eſt. *Vide miniſterium*. Id a vobis non habetis, *ſed a Domino accepiſtis*, non propter vos & temporalia veſtra commoda & emolumenta, ſed propter ejus gloriam, & Eccleſiæ utilitatem. Illud igitur non perfunctorie, negligenter, & ex parte exercete; ſed ſedulo, accurate, ferventer, ut Deo dignum eſt, omnia ejus officia implete, tanquam rationem ipſi Domino reddituri. *Ut illud impleas*, Eccleſiæ Miniſtros otioſos eſſe, turpe eſt. *Cur non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtum reviſas, Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias? Illum alloquimur, cum oramus: illum audimus, cum divina legimus Oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una eſt domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Miniſterium Altaribus Chriſti, non obſequium hominibus deferendum recepimus*.

Ad Sacerdotes & Paſtores adhortatio.

S. Ambr. lib. De Officiis Miniſtrorum, cap. 20.

F I N I S.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
Quæ in hoc I. Tomo continentur.

A

Abraham. Abraham non eſt juſtificatus ex operibus fidem præcedentibus. Pag. 24. Abraham juſtificatus ex fide, non ſterili, ſed actuoſa & per dilectionem operante, 26. Ejus exemplo credendum ſine heſitatione, ſperandum ſine diffidentia. 28

Abſtinentia. Abſtinentia a carnibus & vino laudabilis. 101

Acceptio. In diſpenſatione cœleſtium bonorum & Sacramentorum adminiſtratione, nulla perſonarum acceptio habenda eſt. 20

Adam. Primi & ſecundi Adami comparatio. 34. Imago terreni, & cœleſtis hominis, Adami, & Chriſti. 204

Adoratio. Vera adoratio & laus Domini Jeſu. 336

Adulterium. Adulterii enormitas. 43

Ædificium, ſpirituale, 128. Chriſtum habere in fundamento, & ſuperædificare lignum, fœnum, ſtipulam, quid ſit? 129

Ædificatio, proximi finis eſt ad quem omnium donorum & talentorum uſus referri debet. 193

Afflictio. Fructus ex afflictionibus colligendi. 212. Afflictiones temporariæ, gloria, quam ipſas propter Chriſtum patiendo meremur, æterna eſt. 254 Afflictiones cum amore & gratiarum actione ſuſtinendæ, in illiſque gaudendum. 360

Amor & amicitia. Amor Dei æternus & omnino gratuitus ſola ratio prædeſtinationis ſanctorum, non merita prævia. 64. Amicitiæ Chriſtianæ caracteres. 86. & 87. Externa pietatis opera ſine Dei amore, qui verus Dei cultus eſt, non proſunt ad ſalutem. 147. Ab amore rerum terrenarum abſtrahere nos debet meditatio finis earum brevi futuri. 148. & 202. Amor Jeſu Chriſti neceſſarius eſt ad ſalutem. 208. Noſter erga Deum amor ſolis verbis non ſignificandus. 267

Anathema. Quo ſenſu S. Paulus optaverit anathema eſſe a Chriſto pro fratribus? 52

Angeli. Qui cultus ſanctis Angelis exhibendus? 357

Anima. Vulnera animarum noſtrarum ſi tegamus, ea Deus non curat. 26. Non eloquentia ſæculari, ſed virtute Dei animarum converſio peragitur. 133. Juſtorum animæ Deum vident ſtatim atque corporibus exutæ ſunt. 233. & 358

Apoſtoli. Eorum verba ſervanda ſunt, ut præcepta Chriſti. 187. Apoſtolica magnanimitas & fortitudo. 224

Avaritia, affinis idololatriæ. 319

B

Baptiſmus. Baptiſmus imago eſt mortis & ſepulturæ Chriſti, ejuſque reſurrectionis. 35. Spiritualis in baptiſmo regeneratio. 64. Figura baptiſmatis. 157. Baptiſma pro mortuis quid ſit? Expoſitiones variæ. 195. Ad vitam æternam baptizati ſumus. 202. Multiplex Baptiſmi fructus & excellentia. 356

Beatitudo. Beatitudinis æternæ deſcriptio. 202

Bellum. Difficile perpetuumque bellum contra dæmonem Chriſtianis gerendum. 325

Benedictio. Benedictiones ſpirituales Novi Teſtamenti propriæ, portio electorum, a Chriſto donantur. 299. Conſueta Apoſtoli benedictio, qua ſuas Epiſtolas conſignat. 343

Beneficentia, 295. Infinita Dei potentia, & immenſa in nos beneficentia. 310

C

Cæcitas. Quatuor gradus cæcitatis in quem gentiles Philoſophos præcipites egit ſuperbia. 21. Cæcitas ſpiritualis. 78. Cæcitas cordis unde? 229

Calumnia. Chriſtianæ contra calumniatores apologiæ caracteres. 265

Caritas, ſumma Dei in homines. Ejus pignora Sanguis Chriſti, & donum Spiritus Sancti. 32. Caritas paſtoralis. 69. Caracteres caritatis. 82. 86. 150. 162. 179. 181. 361. & ſeqq. Caritas plenitudo Legis, triplici ratione. 91. & 94. Semper debemus caritatem. Debitum eſt, cujus ſolutione ditiores efficimur. 93. Vitia omnia deſtruit, virtutes omnes complectitur. *ibid.* Chriſtus exemplar condeſcenſus, indulgentiæ, & caritatis noſtræ erga proximum. 104. Caritas ſeveritatis, & caritas manſuetudinis. 134. Eſca nos per ſe Deo gratos non reddit, ſed caritas, & obedientia. 150. Quod non fit ex caritate coronam gloriæ non meretur. 156. Caritas ceteris omnibus donis excellentior. 178. & 180. Vinculum perfectionis. 361. Ex ea pax naſcitur, *ibid.* Sine ea nullum opus utile ad ſalutem. 181. Antitheſes caritatis & amoris proprii. *ibid.* Numquam finem habitura. 183. Fide & ſpe excellentior. *ibid.* Tota Chriſti lex. Admirabiles ejus effectus. 187. Cor dilatandum caritate. 242. Caritas omnium fructuum Spiritus ſancti fons eſt. 291. & 361. Caritas erga peccatores. 292. Onera noſtra ſeu infirmitates & defectus invicem portare, caritatis officium eſt. 294. & 313. Mutua Chriſtianorum ſubjectio per caritatem. 321. Caritas ovium erga Paſtores & Evangelicos operarios. 329

Caro, caſtiganda & refrenanda. 157. & 291. Arma carnalia quæ ſint? Chriſti Miniſtris non conveniunt. 254. Opera carnis. 291. Carnem non odit, qui macerat. 322. Fructus caritatis. 334

Caſtitas perpetuo Matrimonio melior. 148

Chriſtianus. Chriſtiani ad ſanctitatem vocati. 22. Quam felix ſors Chriſtianorum. 30. Chriſtiani ſemper dicere debent veritatem. 63. Chriſtiani unum corpus in Chriſto. 82. Sympathia ſpiritualis Chriſtianorum. 82. Mutuam ſibi debent ut ejuſdem corporis membra. 85. Uniuſcujuſque Chriſtiani domus Eccleſia ſit. 109. Chriſtiani profeſſione ſancti. 116. Sine crimine ſeu gravi peccato eſſe debent. 117. Chriſtiani non ſumus ut fruamur temporalibus bonis, ſed ſpiritualibus & æternis. 122. & ſeq. In vita chriſtiana nihil negligendum. 128. Chriſtiani contra fratres ſuos Chriſtianos ad infidelium tribunalia litigare non debent. 136. Chriſtianorum filii quam deſignati ſanctitati, & candidati filii. 142. Chriſtianis longe excellentiora beneficia a Deo collata quam Iſraelitis, longe graviores pœnæ ingratis paratæ. 161. Chriſtianorum plurimorum cæcitas magis deploranda quam Judæorum. 222. Totum hominis Chriſtiani negotium, contendere ut placeat Deo. 236. Perfecti Chriſtiani ſemper vivunt in ſpiritu. 292. Chriſtiani omnes ſancti eſſe debent ac fideles Chriſto Jeſu. 299. Nemo decipiendus a Chriſtiano. 315. Armatura Chriſtiani. 325. Perfectus Chriſtianus patienter vivit, delectabiliter moritur. 332. Veri perfectique Chriſtiani caracteres. 336. 345. & 360. Converſatio Chriſtiani in cœlis eſſe debet. 345. & 359. Plerique Chriſtiani minori religione feſta & jejunia ab Eccleſia imperata obſervant, quam Judæi legales ceremonias. 357.

Chriſtus Jeſus verus Dei Filius. 4. Rex omnium gentium. 23. Chriſtus pro impiis mortuus eſt. 29. Oſtium eſt per quod ingreditur ad Deum. 31. Quinam vere confitentur Chriſtum Jeſum eſſe Dominum? 70. Chriſtus nobis quotidie loquitur. 71. Chriſto indui nos oportet: carnis deſideriis non ſervire. 91.

Eum

Digitized by Google

Eum induit qui imitatur. 95. Chriſtus exemplar condeſcenſus, indulgentiæ, & caritatis noſtræ erga proximum. 104. Chriſti ſumus. Quibus id officiis teſtari debemus? 130. Non pro ſolis prædeſtinatis, ſed pro omnibus hominibus mortuus eſt. 29. 97. 150. & 234. Chriſto firmiter adhærendum. 128. & 356. Chriſti divinitas. 158. Chriſtus ut homo caput noſtrum. 164. & 301. Chriſtus ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ ſecundum divinitatem, & ejuſdem nobiſcum ſecundum humanitatem. 164. Chriſtus Apoſtolos ſuos Novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituit. 166. Chriſtus omnium ſanctorum exemplar. 167. Omnia noſtra referre ad Chriſtum debemus. ibid. Caput & membra unus Chriſtus. 176. Quo ſenſu tradiderit regnum Deo, & Patri. 193. Admirabilis Chriſti virtus in Chriſtianæ Religionis inſtitutione. 230. Chriſtus omnium figurarum & prophetiarum veteris Teſtamenti complementum. 298. Quomodo Chriſtus in omnibus adimpleatur? 302. Glorioſa Chriſti Aſcenſio in Cœlum. 313. Toti Chriſto Jeſu debemus impleri. 314. Chriſtum Jeſum diſcere unum neceſſarium Chriſtiani ſtudium. 315. Chriſti charitas a nobis imitanda. 319. Chriſto Jeſu ſervire, glorioſum & ſuave eſt. 328. Chriſtus natura Deus. 332. Ejus humiliatio, & obedientia. 335. Eminens cognitio Chriſti Jeſu a Chriſtianis acquirenda quid complectatur? 340. Ejus magnitudo ſub triplici reſpectu conſideranda. 352. Quid aramus ex nobis? Quid eſſemus adhuc ſine Chriſto? Quid ſumus per Chriſtum? ibid. Chriſti Myſteria in corpore ejus myſtico renovantur quodam modo & adimplentur. 353. Per ſolum Chriſtum Deo poſſumus impleri. 356.

Cibus. Judaicus ciborum delectus. 95. Cibus & potus cauſa neceſſitatis, non voluptatis ſumendus. 251

Circumciſio, ab Abrahamo ſuſcepta, figura fuit baptiſmi noſtri, & ſpiritualis circumciſionis. 27

Cœlibatus abſque Dei vocatione periculoſe ſuſcipitur. 146

Cogitatio. Nihil boni cogitare poſſumus ex nobis, multo minus deſiderare, & perficere. 221. Pravæ cogitationes repellendæ. 336

Communio, digna, & indigna. 163. Indigna, ſacrilega. 166. Communio Euchariſtica. ibid. Diſpoſitio ad ſacram Euchariſtiæ Communionem. 169. Indignæ communionis crimen. 163. 169. Quæ ſui probatio ante ſacram Communionem neceſſaria. 170. Terribile Dei judicium in eos qui Corpus Chriſti indigne recipiunt. ibid.

Concionator, ea quæ dicit, & dictionem ipſam auditorum ingeniis attemperare debet. 126. & 188. Quinam Concionatores ſincere Chriſtum annuntiant. 330

Concordia & unanimitas Chriſtiana. 104

Concupiſcentia, in ipſis juſtis vivit: ſed non eſt permittenda regnare. 38. Pravi concupiſcentiæ motus refrænandi, illiſque negandus conſenſus. 42. & 290. Innata concupiſcentia lex peccati legi Dei repugnans. 43. Sola Chriſti gratia nos a concupiſcentiæ carnalis captivitate aliquando liberabit. ibid. Quotidie minuitur in proficientibus, penitus deſtruetur in regnantibus. 45. Aliud eſt non concupiſcere; aliud poſt concupiſcentias ſuas non ire. ibid. Reum hominem non faciunt pravi motus concupiſcentiæ, niſi eis conſentiat. 46

Confeſſio. Sancti Pauli humilitas in confeſſione peccatorum noſtrorum imitanda. 272

Conjugium, & *Conjux*. Conjugium mutua uxoris virique ſervitus. 44. Debitum conjugale. 140. Conjuges vovere continentiam abſque mutuo conſenſu non poſſunt. 140. Conjugem infidelem dimittere licet non ſemper expedit. 141. Conjugis infidelis per fidelem ſanctificatio, ſeu diſpoſitio ad fidem ſuſcipiendam. 142. Bonum conjugium, ſed melior Continentia. 145. Bonus uſus conjugii. ibid. Mutua conjugum ſervitus in debiti conjugalis redditione. 146. Continentia certis temporibus ſervanda conjugibus proponitur & ſuadetur. ibid. Tunc ſe vere diligunt, cum ſe mutuo juvant ad ſanctificationem & ſalutem. 147. Conjugibus divortio ſeparatis ſervanda eſt neceſſaria continentia. ibid. In tribulationibus Matrimonium comitantibus quid agendum conjugibus Chriſtianis. 148. Mutua conjugum officia. 362

Conſcientia, peccatorum accuſatrix in judicio Dei. 17. ſecundum fidem & legem Dei formata primus Caſuiſta eſt. 101. Bonæ conſcientiæ teſtimonium contra detractiones & calumnias nos roborat. 213. Bonæ conſcientiæ caracteres. ibid. Non glorianandum de bona conſcientia. ibid.

Conſilium, mutare non ſemper eſt levitatis, ſed interdum prudentiæ & officii. 213

Conſolatio. Deus ſervos ſuos in rebus adverſis conſolatur. 215. Conſolationes ſpirituales. 244

Contemptus. Nemo contemnendus. 79. & 99. Mundi & omnium ejus bonorum contemptus. 340. Fructus contemptionis rerum terrenarum Chriſtiani hominis juſtitia. ibid.

Contentio. Diſſenſionum & contentionum fontes. 334

Continentia. Bonum continentiæ. 140. Conjugibus divortio ſeparatis neceſſario ſervanda. 147

Convivium. Chriſtianorum convivia qualia eſſe debeant? 95. Diſcrimen conviviorum quæ a divitibus hujus ſæculi fiunt, a conviviis primorum Chriſtianorum. 169

Cor. Ejus impœnitentia, & durities. 16

Corpus. Corpora noſtra in Sacrificium offerenda bono uſu & mortificatione ſenſuum. 83. Non ſolum corpus, ſed animus imprimis Deo in ſacrificium offerendus eſt. 84. Corpora noſtra Chriſto conſecranda. 139. Corporis diſſolutio non metuenda Chriſtiano. 235. Corporis noſtri reformatio a Chriſto ſperanda. 342

Correptio. Correptionum remedia intempeſtive non adhibenda a Paſtoribus. 216. Fraternæ correptionis officium & modus. 293. Correptio prudens & ſalutaris peccantium. 320

Creatura. In Creaturas ſenſibiles redundat corruptio hominis, qui ipſis abutitur. 54. Quid ſit nova creatura? 278

Crux. Non humanæ ſcientiæ & eloquentiæ ſæculari, ſed virtuti crucis, animarum converſio adnexa eſt. 117. Dimenſiones crucis Chriſti ſpirituali ſenſu explicatæ. 309

Cupiditas. Rebus optimis abutitur cupiditas, malis bene utitur caritas. 56. Cupiditas cuique ſua idolum eſt. 151. Venenum cupiditatis Paſtoribus & Concionatoribus cavendum. 258. Cupido placendi & timor diſplicendi hominibus multorum malorum fontes. 271. Ad alimenta ſumenda, & ad opus nuptiarum prudentes & ſancti officio deſcendunt, imprudentes & mali per cupiditatem & libidinem ruunt. 348

D

DAvid, gratuitam fidei juſtitiam confeſſus eſt. 28 Ejus humilitas imitanda. ibid.

Deſiderium, Eccleſiæ de pœnitentium diſpoſitione ad abſolutionem Sacerdotis ſuſcipiendam. 26. Bona deſideria nihil proſunt ad ſalutem, ſi otioſa & ſterilia remaneant. 249. Gratia & pax ſumma deſideriorum hominis Chriſtiani. 299

Detractio. Detractionis, & invidiæ inſana crudelitas. 290.

Deus. Dei cognitio ſine fide, & amore illius, & ſine obſervantia mandatorum, inutilis eſt ad ſalutem. 11. Deus unicuique reddet ſecundum opera ſua. 16. Summa Dei caritas in homines. Ejus pignora Sanguis Chriſti, & donum Spiritus ſancti. 32. Deus peccati & mortis imperium deſtruxit per carnem Chriſti in Cruce ſuſpenſam. 47. Spiritus Dei habitans in juſtis, beatæ reſurrectionis pignus eſt. ibid. Non qui Spiritu ſuo, ſed qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. 53. Filii Dei non ſunt, qui ejus ſpiritu non aguntur. ibid. Spectaculum Deo dignum Chriſtiani cum dolore congreſſus. 133. A Deo ſic agimus, ut agamus. ibid. Deus non eſt amandus propter bona promiſſa tantum: ſed illa propter ipſum expetenda. 57. Nulla eſt iniquitas Dei, quoſdam reprobantis, ſive in maſſa perditionis relinquentis. 60. Quomodo Deus indurat peccatores? ibid. Dei miſericordia in prædeſtinatione, juſtitia in reprobatione. 61. Quod Deus aliquos eligat, mera miſericordia eſt, quod aliquos deſerat ac reprobet, juſtum judicium eſt. 65. Deus in electis & reprobis gloriam ſuam oſtendit. ibid. Multis modis Deus ſe ipſum nobis notum facit. 72. Perfectæ Dei cognitionis nullus major obex ſuperbia & cupiditate divitiarum. 118. Solus Deus dat incrementum interius, que docet ac adjuvat. 127. Nihil habemus boni quod a Deo non acceperimus. 133. Deus in corpore noſtro glorificandus. 140. Dei unitas. 150. Filius unus cum Patre Deus. ibid. Deo nos totos debemus. 151. Quam imperfecta Dei cognitio in hac vita collata cum beata illius viſione. 183. Dei imitatio. 319. Quot modis Dominus prope eſt? 344

Digitized by Google

Diabolus. Variæ ejus artes, ut homines ſeducat, propoſita interdum ſpecie boni. 259
Dilectio. Dilectionis Chriſtianæ caracteres, 86. Dilectionis debitum. 90. Ad præceptum de dilectione proximi, cetera mandata Dei revocantur. 91. Deum diligimus, quia dat unde diligamus. 151. Nemo Dominum Jeſum recte dicit, niſi qui diligit. 175. Spiritualis dilectio inter Chriſtianos. 310.
Directio & Director. Molliores Directores detrimentum inferunt animabus. 245. Directorum prudentia in dando de ſtatus electione conſilio. 148
Diſcretio. Donum diſcretionis ſpirituum, Paſtoribus & Directoribus animarum neceſſarium. 176. Regulæ ad diſcretionem ſpirituum. ibid.
Diſcrimen, loquentium per gratiam, & loquentium per humanam ſapientiam. 85
Divitiæ, *Divites*, ſibi datas opes a Deo intelligant ut diſpenſatoribus. 132. Inanis eſt ſpiritualium bonorum, qui ſe divitem putat. 133. Vitia divitum hujus ſæculi. 169. Sine caritate in pauperes ceteræ virtutes non proſunt divitibus. 148. Exemplum Chriſti divites urget ad largitionem eleemoſynarum. 249. Sanctum commercium divites inter & pauperes a Deo inſtitutum. 249
Doctor & Doctrina. Doctrina Catholica, & Apoſtolica de gratia & prædeſtinatione prædicanda non obſtante calumnia. 21. Falſi doctores fugiendi. 109. 111. & 319. & illorum caracteres. 111. Antitheſis Doctrinæ Chriſti, & Doctrinæ mundi. 358
Dolor, Spiritualium hominum ex caritate, carnalium ex cupiditate. 63
Donum. Unuſquiſque ſe contineat intra menſuram donorum cum fide conjunctorum. 82. Dona Dei differentia, & bonus eorum uſus, ibid. Dei donis ad ejus gloriam & proximorum utilitatem utendum eſt. 85. & 174. Gratia & pax præſtantiſſima Chriſti dona. 116. & 119. Bonus donorum ſpiritualium uſus. 171. Omnium donorum, & talentorum uſus ad finem caritatis ordinandus. 174. 188. & 192. Triplex donorum Eccleſiæ a Deo collatum. 175. Dona ſingulorum, ſunt omnium unitatem amantium & habentium caritatem. 176. Donum verbi ſummæ Eccleſiæ utilitatis eſt, cum eo Concionatores utuntur ut oportet. 189. Attentio ad infirmitates defectuſque noſtros utilior eſt ad ſalutem attentione ad dona & talenta ſive naturalia, ſive ſupernaturalia. 263. Donorum Spir. Sanct. varietas. 313. Dona a Chriſto hominibus collata. 314

E

EBrietas. Malum ebrietatis. 321. Spiritualis ebrietas. ibid.
Eccleſia. Eccleſiæ Romanæ juſta laus. 10. Fratres noſtri ab Eccleſia ſegreges quærendi. 72. Quinam Eccleſiam maledictis & blaſphemiis hæreticorum exponunt? 100. Eccleſiæ unitas & concordia. 116. Admirabilis Chriſtianæ Religionis & Eccleſiæ fundatio. 118. Eccleſiæ auſcultandum eſt ut oraculo veritatis. 123. In ſpiritu modeſtiæ, humilitatis, & pacis ad Eccleſiam conveniendum. 168. Membrorum corporis Myſtici, videlicet Eccleſiæ, ſicut & corporis naturalis varia officia & functiones. 173. Mutua indigent opera. ibid. Singula ordinem ſuum ſervare debent in Eccleſia. 177. Unio & pax illorum. 178. Eccleſiæ naſcenti Miracula, adultæ merita operum magis neceſſaria. 189. Ordo diſciplinæ, pax, unitas, Eccleſiæ Apoſtolicæ caracteres. 190. Ad Romanam Eccleſiam in dubiis fidei, Moralis, & diſciplinæ recurrendum. ibid. Eccleſia non humano arbitrio, ſed ſecundum regulas Evangelii & Apoſtolicæ traditionis regenda. ibid. Unitas Eccleſiæ & Miniſterii Eccleſiaſtici excellentia illius nota. 258
Eccleſiaſtici viri. Sæculares tituli a Viris Eccleſiaſticis non affectandi. 8. Miniſterium ſuum exornare debent Eccleſiaſtici viri. 78. Illorum labores, frugalitas, & modeſtia. 154. Cohabitatio cum mulieribus quam periculoſa, quam merito ſacris Canonibus illis prohibita? 154
Electi. Omnia proſpera & adverſa cedunt in bonum electorum. 49. Electos nihil a Chriſto ſeparare in æternum poteſt. 57. Electi certiſſime perſeveraturi ſunt in bono. ibidem. Pauci electi & vere Chriſtiani. 63. Paucitas electorum. 66. Electorum magnanimitas & invicta fortitudo in tribulationibus. Deus electos ſuos exaudit ad ſanitatem, non exaudit ſemper ad voluntatem. 264
Eleemoſyna. Eleemoſynarum largitio, cæleſtis negotiatio. 88. & 347. Eleemoſyna debitum eſt. 107. Collectæ eleemoſynarum ad ſubſidium pauperum Chriſtianorum Hieroſolymis degentium a S. Paulo indictæ. 205. Eleemoſyna Chriſtiana. 206. Eleemoſyna gratia eſt reſpectu divitum. 207. Eleemoſyna Chriſtiana. 246. Eleemoſynæ abundantes a Clero & plebe Chriſtiana fiunt, ſi caritas in illis abundet. 248. Eleemoſyna voluntaria ſit non extorta. ibid. Eleemoſynarum largitio magna Dei gratia eſt. ibid. Eleemoſyna eccleſiaſtica. 250. Eleemoſynam erogans non timeat egeſtatem. 251. Eleemoſyna inſtar ſeminis eſt. ibid. Fructus eleemoſynarum. ibid. Eleemoſyna voluntaria prompta, & larga ſit. 251. Fructus ejus æterni. 251. Hilari animo danda. ibid. Qui metu inopiæ eam non tribuunt, Dei promiſſis diffidunt. 252. Eleemoſynam quadruplicem a Deo accepimus. ib. Eleemoſyna quaſi alterum baptiſma. ibid. Eleemoſyna dantibus quam accipientibus utilior. 346. Eleemoſyna ſacrificium Chriſtianorum. 347
Epheſus, Aſiæ Minoris Metropolis. Epiſtolæ S. Pauli ad Epheſios argumentum. 295
Epiſcopus. Epiſcopalis fortitudo, & animi firmitas. 275. Cleri cum Epiſcopo conſenſus. 270. Diſciplina tuendis fidei dogmatibus conveniens unanimi Epiſcoporum conſenſu probanda, & firmanda eſt. 275
Evangelium. Non erubeſcendum Evangelium. 11. Miſericordia & veritas Dei in Evangelio manifeſtantur. ibid. Omnia quæ loquitur Evangelium Chriſtianis omnibus loquitur. 22. Exterior Evangelii obſervantia ſine ejus ſpiritu non ſufficit ad ſalutem. 27. Evangelium nemo prædicare poteſt ſine miſſione. 68. Obediendum Evangelio. 71. Quo modo plerique Chriſtiani Evangelium Chriſti invertunt? 270. Evangelium, quod ſecundum hominem eſt, non eſt Evangelium Dei, ſed Diaboli. 271. Gravior maledictio peccantium in Evangelium quam in Legem. 280
Euchariſtia. Manna figura Euchariſtiæ. 157. Realis Præſentiæ Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia inconcuſſa fides. 159. & 166. Duplex unitas Euchariſtiæ Sacramento ſignificata. 159. Societas Chriſtianorum cum Deo per Sacrificium Euchariſtiæ. 163. Euchariſtia verum Chriſti corpus, non mera figura corporis. 166
Excommunicatio. Corinthius inceſtuoſus ab Apoſtolo excommunicatus. 134. Excommunicatio terribilis pœna Medicinalis eſſe debet. 135
Exemplum, bonum debitum eſt caritatis. 89. Malorum exemplorum periculum. 135. Præclarum Theodoſii Imperatoris exemplum. 168
Extaſis. Vita extatica viſionibus & revelationibus præferenda. 163

F

FAma. Famam ſuam nemo diligere debet niſi propter gloriam Dei, & ſalutem proximi. 237
Fervor, fovendus eſt intuitu Domini cui ſervimus. 87
Fides. Obedientia fidei, in quo conſiſtit? 9. Fides in Jeſum Chriſtum radix & initium omnis juſtitiæ. 23. Fides humiliat hominem. ibid. Vere fidelis non eſt, qui in ſe ipſo gloriatur. ibid. Fidem & bona opera Deo per Jeſum Chriſtum debemus. 25. Fides ſine caritate & bonis operibus inutilis ad ſalutem. 26. & 289. Juſtitia fidei tribus ex capitibus commendatur. 27. Ex fide juſtificamur, meritis Chriſti Mediatoris. 29. In cauſa duorum hominum, Adam & Chriſti, Fides Chriſtiana propriæ conſiſtit. 33. Fides ſpecialis Proteſtantium, qua ſe juſtos eſſe & prædeſtinatos certo credunt, Apoſtolica illa ſententia non favet: *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei*. 48. Juſtitia fidei. 67. Fidei explicitæ in Chriſtum Jeſum neceſſitas ad ſalutem, ibid. Myſteriorum fides abſque hæſitatione, & inquiſitione. 70. Lex fidei compendioſa, & facilis. 70. Fide firmiores debent infirmos tolerare & fovere. 95. Qui digna fidei opera facere contemnunt, ſæpe fidem perdunt. 101. Fides noſtra non humanæ ſapientiæ, ſed uni Dei virtuti innititur. 121. Chriſtianæ fidei fundamenta. 191. Simbolum fidei pie recitandum. 199. Non ſola veritas, ſed & modus Myſteriorum ſimpliciter & huma-

humiliter credi debet. 203. Fidei, morumque doctrina invariabilis. 210. Quid ſit ex fide vivere? 280. Ipſum fidei initium eſt Dei donum, contra Semipelagianos. 328
Fiducia, pia in Deo. 77. In Dei miſericordia, non in viribus noſtris confidendum. 347
Filii. Filiorum Dei adoptio per juſtitiam fide. 282. Filiorum erga parentes, & parentum erga filios officia. 322. 324. & 362. Gratia & pax patrimonium filiorum Dei. 328
Fornicatio. Fornicationis malum. 95. 139. Fornicatio graviſſimam Chriſto Domino infert injuriam. 137. Fornicator in corpus ſuum peccat. *ibid.* Templum Spiritus ſancti fornicatione violatur. *ibid.* & 140. Ob periculum fornicationis vitandum, uſus matrimonii conjugibus conceſſus. *ibid.* Pœna fornicatorum. 158. A fornicatione & omni impudicitia alienus omnino Chriſtianus eſſe debet. 319

G

GAlatæ. Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli ad Galatas argumentum. 268
Gaudium, in adverſitatibus. 29. Ad verum gaudium non pervenitur niſi per juſtitiam & pacem. 101. Gaudium Chriſtianum. 344
Gemitus. Ingemiſcere & optare ferventibus deſideriis liberationem a corpore mortis hujus & peccati, proprium eſt electorum. 54
Gentes. Quo ſenſu gentes legem non habentes naturaliter faciant quæ legis ſunt. 14. Quo ſenſu ob impietatem a Deo traditæ paſſionibus ignominiæ. 7
Gloria. Non gloriandum in hominibus. 119. Quæ gloriatio innocens? 154. Inanis gloriæ vitium diligenter cavendum. *ibid.* Ejus cupiditas expugnanda. 292. Varii gloriæ gradus in corporibus beatorum. 196. Dotes corporis glorioſi. *ibid.* Antidotum adverſus inanis gloriæ vitium. 255. In ſolo Chriſto crucifixo gloriandum. 295
Gratia. Omnis gratia a Deo eſt per Jeſum-Chriſtum. 9. Gratia qua Chriſtiani ſumus omnibus honoribus ſæculi præponenda. *ibid.* Efficacia gratiæ Dei fidem genitum operantis, quam de ſua prædeſtinatione promiſit. 27. & 333. Gratia Chriſti efficacior peccato Adami. 31. Gratiæ Chriſti multiplex effectus. *ibid.* 50. & 119. Abundantia gratiæ nobis per Chriſtum partæ & donatæ. 33. Doctrina gratiæ humiliat Dei filios & ædificat, peccatorum qui ea doctrina abutuntur ſuperbiam & ignaviam per accidens alit. 36. Primus gratiæ baptiſmalis effectus eſt ut peccato moriamur. *ibid.* Gratiæ baptiſmalis multiplex effectus. 37. Gratiæ triumphus eſt hominem efficere victorem peccati, repugnante lege peccati. 47. Una gratia fidei multiplicem gratiam complectitur. 71. Gratia qua mandata Dei poſſibilia fiant, juſtis non deeſt urgente præcepto. 117. Sola gratia Chriſti bonos diſcernit a malis. 130. Gratia Dei adjutorium in vaſis miſericordiæ, documentum in vaſis iræ. *ibid.* Quid ſumus ex nobis, quid per gratiam Chriſti? 139. Gratiarum gratis datarum & Miniſteriorum varietas in Eccleſia. 172. Gratia libero arbitrio cooperans. 192. Summa Theologicæ de gratia doctrinæ. 200. Omnis de peccato victoria gratiæ Chriſti tribuenda. 205. Gratia Dei ut theſaurus pretioſiſſimus conſervanda. 231. & 277. Gratiæ interiori aliquando reſiſtitur. 239. Nihil magis cavendum & timendum quam abuſus gratiæ. 240. Duo gratiæ fontes Dei bonitas, & Chriſti merita. 270. Gratia Dei non abjicienda. 277. Gratia Dei prima, omnino nihil noſtri. 294. Oratio & gratiarum actio, clariſſimi gratiæ teſtificatio. 301. Gratiæ virtus & operatio in nobis. *ibid.* Gratia per Chriſtum data uberior & potentior eſt ea quæ primo homini data eſt. 304. Gratiæ dona prorſus gratuita. 329. Cooperandum eſt Gratiæ Chriſti. 350
Gratiarum-actio, Gratiæ promeretur incrementum. 20. Vera gratiarum actio in quo poſita? 77. Gratiarum actio Chriſtianæ pietatis officium. 116. & 273. Gratiarum actio pro divinis beneficiis. 199. Gratiarum actionis Sacrificium pro nobis & electis omnibus offerendum. 232. Gratiarum actio in omnibus etiam in adverſis. 321. unum ex præcipuis Chriſtianæ Religionis officium. 329
Grotius, refellitur. 71. 102. & 193

H

HÆreſis, & *Hæreticus*. Cur Deus hæreſes oriri permittat? 165. Quæ bona Deus ex hæreſibus eliciat? 168. Impedimenta converſionis hæreticorum. 272. Hæreſes ab Apoſtolo confutatæ. 333.
Hierarchia. Hierarchiæ divina inſtitutio. 311. & finis. 314. Præclarus Ordo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ & Diſciplinæ. 356
Homo. In creaturas ſenſibiles redundat corruptio hominis qui ipſis abutitur. 54. Ignorantia, & infirmitas hominis. 55. Primi & ſecundi hominis diſcrimen. 197. Exterioris hominis deſtructio, interioris renovatio. 232. Quatuor hominis ſtatus. 291. Veterem hominem exuere, & novum induere debet omnis Chriſtianus. 319
Hoſpitalitas. Hoſpitalitatis officium. 88
Humilitas. 292. Paganis, Hæreticis, & Schiſmaticis non inſultandum; ſed eorum præciſionem conſiderantes, humiliare nos debemus. 79. Stulti ſunt qui de ſe humiliter ac modeſte non ſentiunt. 85. Humilitatis virtus. *ibid.* Humilitas & fides, Spiritualis ædificii fundamentum diverſa ratione. *ibid.* Humilitas S. Pauli. 115. Ad eam ſervandam, defigendi ſunt oculi in ſanctorum exemplis. 200. A Chriſti præſertim Miniſtris ſervanda eſt. 258. Neceſſitas humilitatis. 281. Vera humilitas. 313. Humilitas gradus ad gloriam. 333
Hypocriſis, & ſinceræ pietatis oppoſitio. 360

I

JAcobus, frater Domini, unus e duodecim Apoſtolis. 270
Idola, & *Idololatria*. De idolothytis edendum non eſt repugnante conſcientia, & cum ſcandalo aliorum. 149. Ex communione Euchariſtica Corporis & Sanguinis Chriſti argumentum ducit Apoſtolus ut Corinthios ab idolothytorum eſu abſterreat. 159. Plurimos Chriſtianos vel ſui vel aliarum creaturarum idololatras cupiditas facit. 161. Hominum qui docti videri volunt opiniones & phantaſmata plerumque idola ſunt quæ colunt. 162. Ipſos inter Chriſtianos pauci qui ſuum Idolum non habeant. 199
Jeſus. Nemo Dominum Jeſum recte dicit, niſi qui diligit. 175
Ignorantia. Legis Dei & mediorum ad ſalutem neceſſariorum ignorantia peccatum eſt, & pœna peccati, & cauſa peccati. 191.
Impii, eorum obduratio & punitio piis demonſtrat quid illis timendum ſit, & quantas agere gratias Deo debeant? 66
Impudicitia, Chriſtiani longe gravior quam infidelis, 135. Cum impudicitia pugnandum fugiendo. 139. Impudicitia gulæ filia. 161
Incarnatio. Homines reconciliare Deo ſolus potuit Deus homo. 284. Incarnati Verbi Myſterium inſtauratio eſt omnium quæ in cœlis & quæ in terris ſunt per Chriſtum Jeſum. 300
Infantia, quæ fugienda, quæ ſectanda? 185. Infantia Chriſtiana in quo poſita? 189
Infidelitas, & *Infideles*. Infidelitatis & ingrati animi mala germina. 13. Omnium infidelium opera eſſe peccata, damnatus error eſt. 98. Excæcationis infidelium origo. 223. Societas & connubia cum infidelibus vetita. 240
Infirmitas. Infirmorum defectus ſuſtinendi. 102. Aliorum infirmitates ſuſtinere, neceſſarium vitæ Chriſtianæ officium eſt. 104
Ingenium. Infirmorum & ſcrupuloſorum hominum ingenia magna cum lenitate, & prudentiæ œconomia tractanda ſunt. 100
Inimici. Inimicis ipſis ſubveniendum. 83. Quis inimicus Crucis Chriſti? 341
Invidia. Invidiæ malum. 378. & 293
Invocatio. Quomodo nomen Domini invocandum? 70
Ira. Cum Paſtoribus & Superioribus iraſci debent pii in flagitioſos, & ad eorum cooperationem cooperari. 244. Ira reprimenda. 316. Varii gradus iracundiæ. 316
Judæi. Eorum reprobatio & vocatio Gentium. 58. Exemplum terribile reprobationis Judæorum timorem ſalutarem in nobis excitare debet. 72.

Digitized by Google

Velamen Judæorum mentes obnubilans, ne Chriſtum Jeſum finem Legis intelligant. 220

Judicium. De aliis temere non judicandum. 23. 96. & 99. Dei judicium vitari non poteſt. *ibid.* Temerarii judicii iniquitas. 15. Dei judicium quam metuendum? 15. Incomprehenſibilia Dei judicia temeraria curioſitate ne ſcrutemur. 65. Divini judicii conſideratio nos a judiciis temerariis deterrere debet. 99. Judicium mundi præponere judicio Dei ſumma ſtultitia eſt. 129. Hominum de ſe ipſis fallax judicium. 130. Judicium de alienis operibus, conſiliis, affectibus, intentione, Chriſto reſervandum. 130. Domini judicium expectandum: Temerarium de perſonis, perverſum de rebus judicium vitandum eſt. 132. Terribile Dei judicium in eos qui Corpus Chriſti indigne recipiunt. 170. Judicium prævenire debemus, nos ipſos judicando. 170. Sex præſertim rationes ultimi judicii timorem ſalutarem nobis incutere debent. 236

Juſtitia & Juſtificatio. Juſtitia per fidem in Chriſtum, non per legem. 19. & 276. Juſtitia Dei. 21. Juſtificatio peccatoris omnino gratuita. 24. Juſtitia fidei tribus ex capitibus commendatur. 27. Juſtitiæ ſervitus glorioſa & felix. 40. Nec in manducando, nec in abſtinendo Chriſtiana juſtitia poſita eſt, niſi quatenus utimur, vel abſtinemus cibis ſecundum legem Dei & Eccleſiæ. 100. Hæretici ſunt, qui negant veram juſtitiam amitti poſſe. 154. Chriſtus auctor juſtificationis noſtræ. 218. Juſtificatio per fidem Jeſu Chriſti non ex operibus Legis. 274. Juſtificatio non ex operibus Legis, ſed ex fide in Chriſtum Jeſum, non tamen ſola. 278. Studere debemus ut fructibus juſtitiæ pleni ſimus in adventu Chriſti. 339

L

Labor. Agonis Chriſtiani labores. 157. Quo fine laborare debeant Chriſtiani? 316

Lachrymæ. Publicas lacrymas poſtulant peccata publica. 135

Laus. Deus laudandus a nobis, non nos ipſi. 221.

Lex. Factores legis non juſtificantur quia legem obſervant, ſed illam obſervant, quia per Dei gratiam juſtificati ſunt. 14. Homo naturæ lege ſcire tenetur an rectum vel pravum ſit quod agit. 17. Ex operibus legis nemo juſtus apud Deum eſt. 22. Non auditores, ſed obſervatores Legis apud Deum juſti ſunt. 17. Sicut lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam ſtabilitur. 24. Legis ſine gratia infirmitas. 27. Legem ſubintraſſe ut abundaret delictum, quo ſenſu aſſerit Apoſtolus. 30. Lex regnum mortis auferre non potuit. 32. Lege data concupiſcentia magis exarſit; triplici ratione. 34. Qui ſolo pœnarum timore legem Dei implent, non ſunt filii Dei. 48. Lex per ſe bona; occaſio peccati ex hominis abuſu. 41. Lex hominem ad Chriſtum pædagogi perducit officio. 44. Lex generali naturæ corruptione nobis funeſta evadit, niſi eam gratia Chriſti commutet. *ibid.* Lex homini demonſtrat ſuam infirmitatem, ut quærat Salvatorem. 45. Legem Dei non amamus ſi concupiſcentiæ lege adverſus eam gemimus. *ibid.* Qui ſolo pœnarum timore legem Dei implent, non ſunt filii Dei. 48. Lex Dei obſervanda ex ſpiritu Legis; & propter finem legis. 70. Multa prohibet ſpiritus legis, quæ legis littera permittit. 139. Legis & Gratiæ diſcrimen. 221. Lex ad quid data? 279. Legitimus Legis uſus. 281. Chriſtianus totius Legis Evangelicæ obſervandæ debitor eſt. 289. Lex caritatis. 290. Aſſidua Legis Dei meditatio. 361

Libertas, peccatoris miſera, & cæca. 39. Libertas Chriſtiana. 220. Qui de ſua in corpore mortis hujus ſervitute ingemiſcit, ab ea liberari incipit. 46. Libertas in quo poſita? 290. Libertati noſtræ nihil timendum ab efficaciſſima gratiæ virtute. 282. Liberum arbitrium in peccatore penitus non periit. 286. Vere liberi ſumus, cum Deo caritate ſervimus. 286. Solus Sapiens, id eſt pius Dei cultor vere liber eſt. 288

Licere. Quæcumque licent, non expediunt. 137

Lites, vix ſine peccato ſunt. 136. In litibus ſæpe vincitur qui cauſam obtinet. 137. Quam alieni a litibus eſſe debeant Chriſtiani, maximeque Clerici. 138. Peccata lites ut plurimum comitantia. 138

M

Malum. Nemini malum pro malo reddendum. 83. Non vincit in bono malum, qui opere parcit, & corde ſævit. 99

Matrimonium. Matrimonii indiſſolubilitas. 40. & 141. Matrimonii uſui quo ſenſu indulgere ſe dicat Apoſtolus. 141. Cultus diſparitas matrimonium dirimit. 143. Bonus uſus matrimonii, & rerum omnium temporalium. 144. Peccant, qui ſolam voluptatem in opere matrimonii quærunt, non prolem. 146. Chriſtiani Matrimonii ſanctitas, ejuſdem triplex bonum. 322

Medicina. Divinæ animarum medicinæ ratio. 285

Mendacium. Chriſtiani a mendacio alieni maxime eſſe debent. 325

Meritum. Nulla merita ante gratiam. 19. Hic locus Apoſtoli, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*, &c. meritis bonorum operum non eſt contrarius. 48. Electio ad gratiam & gloriam ſine meritorum prævisione. 299

Militia. Contra carnem, non ſecundum carnem militandum eſt. 254

Miniſter & miniſterium. Eccleſiaſtici Miniſtri quomodo Deo ſervire debent? 10. Miniſterium ſuum exornare debent Eccleſiaſtici viri. 78. Miniſter fidelis Chriſti nec laudes hominum quærit, nec prava judicia veretur. 133. Miniſterium Novi Teſtamenti longe excellentius & honorabilius Miniſterio Legis. 219. Soli Dei vocatione ſacrum Miniſterium capeſſendum eſt. 221. & 298. Eccleſiæ Miniſtri in omnibus functionibus ſuis gerere ſe debent ut organa Spiritus ſancti. 221. Miniſtrorum Novi Teſtamenti dotes, virtutes officia. 222. & 241. Eorum qui ad ſacrum Miniſterium a Deo vocati ſunt, & ſanctæ vocationi reſpondent, caracteres. 229. Miniſterium Evangelicum ſervitus eſt caritatis. Hujus ſervitutis officia. 230. Miniſter fidelis credit & loquitur quod credit. 232. Ab ipſis procul eſſe debet omnis carnalis affectus. 238. Miniſtrorum Chriſti virtutes. Patientia. 241. Eccleſiæ Miniſtris temporalia ſubſidia debentur. 259. Honorarium Paſtoribus & Miniſtris Evangelii tribuendum. 292. Victum. 294. Chriſti Miniſtri, & Chriſtiani omnes ſe ut victimam Chriſto devovere debent. 331. Eccleſiaſtici Miniſterii ſancta ſervitus & cura præcipua. 350

Miſericordia. Tres divinæ miſericordiæ effectus in electis. 66. Miſericordia & conſolatio diverſi generis. 211. Effecti miſericordiæ Dei in S. Paulo & omnibus electis. 272

Miſſa. Curare debent Paſtores ne mens fidelium ſit ſine fructu in Miſſa & precibus publicis. 188

Miſſio. Quæ Miſſio legitima? 68. Miſſio non ſolum exterior, ſed interior verbi divini Miniſtris neceſſaria. 71. Qui Miſſionariis ſubſidia conferunt, apoſtolicæ gratiæ ſunt participes. 155

Moderatio, chriſtians. 344

Monitum, & *Monitor*. Monitorum Chriſtianorum dotes. 105. Monita ſalutis Chriſtiano populo a Paſtoribus inculcanda. 339

Mors, effectus eſt & pœna peccati ex Adamo contracti. 30. bonum juſtis. 34. Mortis aculeus peccatum eſt. 198. Mors Chriſti pro omnibus & ſingulis. 277. Quotidianus uſus moriendi. 331. Mortis bonum. *ibid.*

Mortificatio. Caro noſtra per mortificationem beatæ incorruptioni præparanda. 204. Homo lapſus & reparatus ad beatitudinem pervenire non poteſt niſi per crucem & mortificationem. 231. 295.

Mulier. Mulieres ipſæ, ſi caritate ferventes ſint, variis modis pro Dei gloria, pro Eccleſia, & ſalute animarum laborare poſſunt. 110. Mulier ſine velo in publicum prodire non debet; quod Symbolum ſubjectionis eſt. 165. Mulieris erga virum reverentia & obedientia. 167. Silentium in Eccleſia mulieribus imperatur. 186. Mulierum ſubjectio & modeſtia in cultu, & habitu. 190. & 168. Mulieres viris in ſtadio pietatis & virtutis decurrendo non impares. 343. Piæ mulieres qua prudentia dirigendæ? 344

Munditia, carnis, & ſpiritus. 243

Mundus. In hoc mundo gemere propter continua peccandi pericula hominis Chriſtiani proprium eſt. 235. Mundi converſationes ſemper periculoſæ. 242.

Murmuratio. Pœna murmurantium contra Deum & Superiores ſuos. 158. Murmuratio hujuſmodi gravi

Digitized by Google

gravi pœnâ pleſtenda. 161. Murmurationes vitandæ, 336

N

NEgligentia. Rerum quæ minoris momenti in Religione videntur neglectus quandoque ducit ad damnationem. 357

Novitas. Novatores, contumaces, & perturbatores Eccleſiaſticæ pacis ab Eccleſia ſunt abſcindendi. 290.

Nuptiæ, ſpirituales Chriſti cum Eccleſia. 44. iis non permiſſæ, qui continentiæ voto ſunt obſtricti. 141. Eæ per ſe bonæ. 144. Moleſtiæ nuptiarum. *ibid.*

O

OBduratio. Impiorum obduratio & punitio piis demonſtrat quid illis timendum ſit, & quantas gerere gratias Deo debeant. 66

Obedientia. Obedientiæ bonum. 34. Virtus radicalis & matrix. 249

Odor. Juſti ſemper ſunt bonus odor Chriſti, non minus in rebus adverſis, quam in proſperis. 218. Chriſtiani quilibet bonus odor Chriſti in omni loco eſſe debent. *ibid.*

Œconomia Caritatis, in correptionibus. 162. Apoſtoli. 96. Ea utendum eſt erga infideles & hæreticos in iis, quæ fidem & bonos mores non ſpectant. 99. Infirmorum & ſcrupuloſorum hominum ingenia magna cum lenitate, & prudentiæ œconomia tractanda ſunt. 100. Apoſtoli œconomia Concionatoribus imitanda. 128

Opera. Bonum opus intentio facit. 26. Bonorum operum meritum. 124. & merces. 323. Uniuſcujuſque opus quo igne probandum? 125. Opera noſtra facienda tamquam ſub oculis Dei. 128. Ad Deum per caritatem referenda ut meritoria ſint. 208. Aliorum exemplo alii ad bona opera a Paſtoribus excitandi. 251. Bonis operibus inſiſtendum. 293. Vita æterna eorum præmium. *ibid.* Bona opera fructus lucis ſive fidei. 319. Promiſſa Dei incitamentum ad omne opus bonum. 350. Opera bona ſine caritate fieri Chriſtiane non poſſunt. 361. Omnia opera noſtra Deo per Chriſtum, in Chriſto, & cum Chriſto offerenda. 361

Operarii. Quantum Eccleſiæ noceant mali operarii? 339

Oratio. Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. 55. Orationi aſſidue inſtandum. 87. Orationes Eccleſiæ & piorum poſtulandæ. 107. Orationibus noſtris dæmones adverſantur. *ibid.* Oratio cordis eſt magis quam labiorum. 188. Alii pro aliis Deum orare, & gratias illi agere debemus. 212. Fervens, humilis, & perſeverans oratio, remedium contra tentationes. 264. Genuflexio interioris hominis in oratione 309. Orationis vigilantia. 326. Pro omnibus Chriſti membris orandum. 326. Oratio præcipua religionis officia complectitur. 345. Orandum a Paſtoribus & Directoribus pro animabus ſibi commiſſis, & quæ pro illis poſtulanda? 355. Oratio vigilans, & cum gratiarum actione conjuncta. 346

Oſculum, ſanctum. 108. & 267. Vitanda oſcula, quæ profani amoris impulſu libantur. 121

P

PAſcha, perpetuum Chriſtianis agendum. 115

Paſtor. Paſtorum & Prædicatorum Evangelicorum dotes. 11. Paſtores Eccleſiæ ut patres fidelium ſe gerant non ut domini. 28. Boni Paſtoris caritas. 63. 207 216. 329 & 355. Paſtoribus, & Rectoribus animarum plenitudo quædam ſcientiæ & caritatis neceſſaria. 105. Paſtorum amor erga oves illis commiſſas. 106. Paſtoralis pauperum ſublevandorum cura. 107. & 206. Paſtores animarum ſunt diſpenſatores Myſteriorum Dei. 132. Paſtorum & Doctorum fidelitas. *ibid.* Rectores Animarum prælucere ipſis debent ſanctæ converſationis exemplo. 133. Paſtores, & Eccleſiæ Miniſtri ſolis neceſſariis ſint contenti. 155. Injuſtitia eſt Paſtoribus & Evangelicis operariis vitæ ſubſidia non ſubminiſtrare. *ibid.* Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ nihil quærant præter victum & veſtitum. *ibid.* Cupiditatis & avaritiæ ſuſpicionem in jurium ſuorum exactione vitare debent. *ibid.* Prædicatio Evangelii præcipuum illorum munus. *ibid.* Animarum ſibi commiſſarum infirmitatibus caritate compatiente condeſcendant. 156. Eo humiliores ſint, quo majores. 211. Bonos Paſtores Deus populis aufert ob eorum peccata. 213. Paſtoralis cura ſervitus eſt, non dominatio. 214. Paſtores & Rectores animarum omnia impendere debent propter ovium ſalutem. 232. Boni Paſtoris caracteres. 244. 365. & 337 Emendatio & profectus ſubditorum conſolatio Paſtorum. 246. Chriſti manſuetudinem & juſtitiam imitentur. 254. In corde ſervent humilitatem, in opere diſciplinam. 254. Quomodo ſe gerere debeant Paſtores erga æmulos obtrectatoreſque ſuos? *ibid.* Qui bonos Paſtores & Directores contemnunt, illiſque non obediunt; ſæpe malis traduntur juſto Dei judicio. 260. Bonus Paſtor ab avaritia & lucri cupiditate alienus. 265. Subditorum erga Paſtores reverentia, & obedientia. 266. Eorum in pœnis inferendis moderatio. *ibid.* Eorum ſanctitas. *ibid.* Bonus uſus paſtoralis auctoritatis. 267. Boni Paſtores in bono ſemper imitandi. 285. Sapientia, & prudentia Paſtoribus neceſſaria. 300. & 346. Eorum officia. 337. 346. & 353

Patientia, Dei peccatores ad pœnitentiam expectantis. 16. Præmium æternum patientiæ in rebus adverſis. 53. Apoſtolica patientia. 131. Patientia hominis Chriſtiani propria dos eſt. 133. Patientia inſignior Apoſtolatus caracter. 264

Pater-Familias. Patrum-familias officium. 290

S. Paulus, in prædicatione ſua nullam ſapientiæ aut eloquentiæ ſæcularis eminentiam oſtendit. 119. Ejus prædicatio miraculis confirmata. *ibid.* Apud Gentes abſtinet a certis rebus per ſe licitis, ne illis ſcandali occaſionem præbeat. 152. & 159. Victum labore manuum ſibi comparavit, ne Corinthiis eſſet oneri, & ne offendiculum daret Evangelio. 152. & ſeq. Ejus magnanimitas, & liberalis animus in Evangelii prædicatione. 153. Se miſericorditer Judæis & Gentilibus attemperat, ut eos Chriſto acquirat. 153. Ejus humilitas imitanda. 202. 272. & 274. Quantas tribulationes paſſus eſt pro Chriſti nomine. 237. Cautio S. Pauli laudes ſuas ex neceſſitate commemorantis. 256. Se ipſum commendans meritum humilitatis non amittit. 258. & 260. S. Pauli caritas pro omnibus Eccleſiis ſollicita, omnibus infirmitatibus compatiens. 260. Ex ejus fuga quid diſcere debeamus? Excellentiam ſuam, donaque Dei diſſimulat, quaſi alterius perſonæ fictione. 262. Stimulus carnis, quo vexatus eſt S. Paulus, quid ſit? *ibid.*

Paupertas, medium ſanctificationis. 88. Decima bonorum eroganda pauperibus. 207. Altiſſima paupertas, id eſt in profundum depreſſa, ad fundum uſque bonis fortunæ exhauſta. 246. Chriſti paupertate divites facti ſumus. 249. Res alienæ poſſidentur cum ſuperflua pauperibus non erogantur. 249. Paupertas ſpiritus ab Eccleſiæ Miniſtris, & Chriſtianis omnibus ſervanda. 346

Pax, perfecta tunc erit, quando perfecta juſtitia, & conſummata caritas. 10. 289. & 345. Quinam pacem cum Deo non habent. 31. Cum omnibus pax fovenda. 83. Studium pacis. 101. & 313. Quænam rationes nos ad pacem ſervandam excitare debent? 313. Pacis & caritatis inæſtimabile bonum. 326. Pax ſervanda, ut Deus pacis nobiſcum ſit. 346

Peccatum, *Peccator*. Peccatum Originale. 302. Ne minimum quidem peccatum committendum eſt ut inde bonum aliquod eveniat. 21. Funeſti peccati effectus. 22. Peccatum originale transfuſum in omnes homines, dogma Catholicum. 29. 241. & 234. Peccati originalis pœnalitates. 33. Servitus peccati mortem, obedientia juſtitiæ vitam & libertatem affert. 35. Corpus peccati deſtruendum, per pœnitentiam. 37. Illi quibus peccatum dominatur, non ſunt ſub gratia, ſed ſub lege. 38. Duriſſima peccati ſervitus, obedientia ſuaviſſima juſtitiæ. 39. Quis exitus peccati? 40. Stipendia peccati mors. Gratia Dei vita æterna, tametſi bonis operibus ut corona reddatur. *ibid.* Quomodo Deus induret peccatores? 60. Nemo peccator qui ſalvari non poſſit. Nemo juſtus qui perire non poſſit. 66. Flagitioſorum, ſeu publicorum peccatorum familiaritas vitanda.

Digitized by Google

tanda. 234. Peccata in ſtatera divinarum Scripturarum non in ſtatera conſuetudinum penſanda ſunt. 136. Peccata a Regno Dei excludentia. 136. & 138. Peccatorum error. 138. Peccatum aculeus mortis. 198. Caveta debet quiſque ne ſit alienorum peccatorum particeps. 320
Perfectio. In ſtudio virtutis & perfectionis Chriſtianæ ſemper progrediendum eſt. 340
Perſeverantia. Nemo ſe in bono perſeveraturum præſumat, ſed timeat caſum, & caveat. 162. Oratio, & gratiarum actio aſſidua, & perſeverans. 350. Perſeverantiæ donum aſſiduis precibus a Deo poſtulandum. 352
Petrus. Cur S. Petro prius quam ceteris Apoſtolis Chriſtus poſt reſurrectionem apparuerit. 199. S. Petrus a S. Paulo ſincere reprehenſus. 273
Phœbe, exemplar mulierum pietatis operibus ſub Paſtorum directione dedirarum. 109
Pietas, vera & ſincera in quo conſiſtit? 339
Placere. Quomodo omnibus placendum? 164. Cupido placendi, & timor diſplicendi hominibus, multorum malorum fontes. 271
Pœnitentia. Viciſſitudines pœnitentiæ, & relapſus ab indole hominis ad novitatem vitæ Chriſti ſuſcitati alienæ ſunt. 38. Quomodo omnibus placendum? 164. Qua prudentia Sacerdotes in pœnitentia ſeu ſatisfactione imponenda gerere ſe debeant? 217. Media via relaxationem inter & rigorem a Paſtoribus & Moderatoribus conſcientiarum tenenda. 217. Peccatores falſa Pœnitentia circumvenit diabolus. 218
Prædeſtinatio. Chriſti prædeſtinatio, ſine meritorum prævisione. 4. Prædeſtinatio Chriſti, exemplar prædeſtinationis membrorum ejus. 9. Æternæ prædeſtinationis effectus. 49. Prædeſtinationis infallibilitas. 50. Certius indicium prædeſtinationis, eſt conformitas humiliationibus & Paſſionibus Jeſu Chriſti. 56. Fructus ex inſcrutabili divinæ Prædeſtinationis decreto colligendi. 56. & 66. Gratuita Prædeſtinationis doctrina ab Apoſtolo tradita. 58. Ratio Prædeſtinationis ſola Dei miſericordia, ratio reprobationis peccatum originale. 59. In prædeſtinationis, vocationis, juſtificationis, & glorificationis negotio totum Deo tribuendum. 62. Quid nomine præſcientiæ intelligit Apoſtolus? 73. Prædeſtinatio gratuita, Chriſtianæ humilitatis fundamentum. 77. Prædeſtinationis gratuitæ myſterium, 300. Quomodo prædicandum? 80. Judæorum & Gentium prædeſtinatio ad ſalutem, omnino gratuita. Quis inde fructus colligendus? 80. Humanæ curioſitatis oculi in hoc myſterio claudendi. 81. Prædeſtinatio Sanctorum omnino gratuita. 297. & 299. In Chriſto, per Chriſtum, & propter Chriſtum prædeſtinati ſunt Sancti. 300
Prædicatio, & *Prædicator*. Prædicationis officium a quibus, & quomodo obeundum. 9. Prædicatoris Evangelici Miniſterium, & dotes. 106. Forma Prædicatoris evangelici. 121. Prædicatores jus habent accipiendi ſtipendia ſuſtentationis a populo Chriſtiano. 152. Prædicator ſine caritate æs ſonans, cum caritate æs candens. 180. Apoſtolici Prædicatoris caracteres. 230. Prædicatoris Apoſtolici caracteres. 237. Prædicatorum officium. 238. Sanctis exemplis prælucere populo debent. 204
Præſumptio, cavenda. 77. Nemo ſe in bono perſeveraturum præſumat, ſed timeat caſum, & caveat. 162
Princeps. Tributa & vectigalia principibus debita, 90. & 93. Subditorum erga Principes officia. 91. Nulquam in Principes rebellare licet. 92. Obedire Principibus, neceſſarium, & indiſpenſabile religionis officium eſt. 93
Prophetia, & *Propheta*. Arioli ſeu vatis dæmonum, & veri Prophetæ diſcrimen. 171. Excellentia prophetiæ præ dono linguarum. 184
Prudentia. Chriſtianæ prudentiæ leges a S. Auguſtino præſcriptæ, ſervandæ. 21. Prudentia Chriſtiana. 321. Prudentia carnis. 47. Deo inimica. 51. Prudentia ſpiritus. *ibid.* Prudentia Evangelica omnia pati potius eligit, quam ut ſuo deſit officio. 133. Prudentia Paſtoralis in regimine animarum, & punitione vitiorum, 214. Prudentiæ ſæculi & prudentiæ Chriſtianæ caracteres. 229. Prudentiæ chriſtianæ effectus. 320. Prudentia & innocentia in verbis ſervanda. 346
Pugna. Fortiter & perſeveranter pugnandum, ut peccati & mortis victores ſimus. 204
Purgatorius ignis. 129
Puritas. Cor purum ſit divinæ gloriæ ſpeculum. 223.

Q

QUietiſtæ, immundi refelluntur. 42

R

RAtio, humana in rebus Fidei & Moralis Chriſtianæ dux fallax. 356
Reconciliatio. Miniſterium reconciliationis a Chriſto Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus commiſſum. 238.
Redemptio, totius generis humani per Jeſum Chriſtum. 20. & 300. Redemptionis per Chriſtum noſtræ myſterium. 297. Redimere tempus quid ſit? 320
Regula. Quæ regulæ ſequendæ in dirigendis animabus? 149
Religio. Summa Religionis Chriſtianæ. 112. & 151. Admirabilis Chriſtianæ Religionis & Eccleſiæ fundatio, & propagatio. 118. De Chriſtianæ Religionis Myſteriis longe aliter judicant fideles & infideles. 122. Sæcularis ſapientiæ verba divinæ religionis majeſtatem & ſanctitatem non decent. 123. Chriſtiana Religio ſtatus & conditiones mutare non cogit, modo ſit honeſtum vitæ genus. 143. Religionis prætextu Ordinem Reipublicæ aut familiarum Deus perturbari vetat. 147. Rerum quæ hominum judicio minoris momenti in religione videntur, neglectus, ſæpe ducit ad damnationem. 270. Species religionis & ſapientiæ non prodeſt, ſed veritas. 358
Reprobi, eorum malitia utitur Deus ad oſtenſionem virtutis & gloriæ ſuæ, & ad electorum exercitationem ac profectum. 64. Reprobi reſurgent etiam, ſed non immutabuntur in melius. 204
Reſurrectio, corporum ad vitam immortalem, primæ regenerationis, quæ fit in baptiſmo, fructus eſt. 52. Reſurrectio Chriſti. 191. Mortuorum. 193. Objectiones Philoſophorum Ethnicorum contra reſurrectionem mortuorum occupat & ſolvit Apoſtolus. 196. Fides reſurrectionis mortuorum confirmatur. *ibid.* Idem numero corpus reſurget. 198. Mortis imperium penitus deſtruendum in reſurrectione. *ibid.* Chriſti reſurrectio eſt fundamentum totius religionis Chriſtianæ. 201. pignus reſurrectionis noſtræ. *ibid.* Spes reſurrectionis nos roborat ad pugnandum cum pravis cupiditatibus. 202. Reſurrectio corporum nequaquam impoſſibilis. 203. Mori & reſurgere ſecundum ſpiritum, quid ſit? 204. Chriſti reſurrectio nos facit de reſurrectione noſtra ſecuros. 304.
Rex & *Regum*. Reges Dei Miniſtri ſunt. Quomodo illi ſerviant in quantum ſunt reges? 92
Roma, & *Romana Eccleſia*. Propagandæ fidei cura per Miſſiones in terras Infidelium, Romanæ Eccleſiæ propria. 106. Romana Eccleſia ceterarum mater, & magiſtra. 109. Ad Romanam Eccleſiam in dubiis fidei, Moralis, & diſciplinæ recurrendum. 190. & 267

S

SAcerdotium, cura animarum, prædicandi munus, ſola Dei voluntate ſuſcipienda. 116
Sacrificium. Non ſolum corpus, ſed & animus imprimis Deo in Sacrificium offerendus eſt. 84
Salus. Mentis, oris, operumque concordia neceſſaria eſt ad ſalutem. 70. Deus gratias ad ſalutem ſufficientes omnibus offert. *ibid.* Operatio ſalutis non differenda. 91. Deus gloriam ſuam exiſtimat ſalutem noſtram. 122. Deus ſalutem noſtram cum ſtudio ſalutis proximorum conjunctam eſſe voluit. 167
Salutatio. Qui fructus ex Apoſtoli ſalutationibus colligendi? 110
Sapientia, in bono, ſimplicitas in malo quid ſit? 111. Vera & falſa ſapientia. 118. & 126. Vera ſapientia in Chriſtiana ſolum Religione & Myſterio hominis Dei invenitur. 121. Veræ ſapientiæ cara-

Digitized by Google

caracteres. 276. Sapientia vera in Chriſto Jeſu haurienda. 315
Scandalum, proximis non præbendum. 97. Scandali pœna. 100. A rebus etiam indifferentibus innoxiiſque abſtinendum eſt, ſi ex earum uſu ſcandalum oriatur. 97. 150. & 151. Scandalum ex temerario judicio naſcens. 100
Scientia, inflat, ſi caritate deſtituta ſit. 149. Sine caritate vana: caritas ſine ſcientia cæca eſt. 150. Chriſtianus ſciendi modus. 151. Vera ſpiritualium hominum ſcientia. 310. Scientiæ cum caritate conjunctio. 330
Scriptura Sacra. Scripturæ Sacræ utilitas ad conſolationem noſtram, & ſpei noſtræ confirmationem. 102. Ejuſdem lectio ſaluberrima. 104. Regula ad ſacræ Scripturæ intelligentiam neceſſaria. 124. Ejus lectionis & meditationis fructus. 361
Seductor. Seductorum caracteres. 289. 357
Semen. Duo agri in quibus hic ſeminamur, caro, & Spiritus. 295. Præſens vita ſementis tempus; Meſſis æternitas. *ibid.*
Semipelagiani. Semipelagiana Caſſiani expoſitio Sententiæ illius Apoſtolicæ. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*, refellitus. 42
Sermo. Qualis Chriſtianorum ſermo? 316. A pravis ſermonibus temperandum. 316
Serpens. Ejus caput, prima diaboli ſuggeſtio. 111
Servus. Servi libertique hominis par in Chriſto conditio. 143. Officia ſervorum erga dominos, eorumdemque erga ſervos. 322. 324. 325. 362. & 363.
Servilis conditio eo ſecurior, quo humilior. 247. Quæ ſervitus Chriſtiano indigna? *ibid.*
Simulatio. Omnis ſimulatio indigna homine Chriſtiano. 276
Societas, cum Chriſto. 117. Chriſtianorum inter ſe per ſacrificium Euchariſtiæ. 163. Impiorum ſocietas fugienda. 203
Solatium. Quæ animæ uberiora ſolatia a Deo merentur & obtinent. 199
Spes, gloriæ filiorum Dei. 29. Chriſtiana, magnus theſaurus. 55
Spiritus Sanctus, facit ut oremus. 49. & 55. Regnum Dei juſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto. 101 Spiritus ſancti divinitas. 120. & 126. 172. & 220. Spiritus ſancti ductum ſequi ſemper debemus ut ad æternam beatitudinem perveniamus. 123. & 241. Unctio Spiritus ſancti quid præſtet Eccleſiæ Miniſtris? Quid Chriſtianis omnibus? 214. Effuſio Spiritus ſancti in corda noſtra fructus eſt Incarnationis Filii Dei. 285. Spiritus ſanctus arrha cœleſtis hæreditatis. 298. Nec non ſigillum divinæ adoptionis. 301. Spiritus Sanctus, non cupiditas, in nobis oret. 345
Spiritualis. Quis de rebus ſpiritualibus recte judicare poteſt? 120. Spiritualia capere non poteſt homo carnalis. 123. Qui vere ſpirituales? *ibid.* Falſa & illuſoria ſpiritualitas. 127
Status. Directorum prudentia in dando de ſtatus electione conſilio. 148
Superbia, præcipitium eſt, quo ſæpe ruitur in impudicitiam. 13. Superbia vetus fermentum. 135. Permittit ſæpe Deus ut homines merito ſuperbiæ cadant in aliquod apertum manifeſtumque peccatum. *ibid.* Superbiæ tumor ſola Dei humiliatione curari poteſt. 335
Superſtitio. Vana & ſuperſtitioſa temporum obſervatio claudit nobis regnum Dei. 277

T

TAlentum. Talenta naturalia, ingenium ſcilicet, ſcientia, eloquentia, induſtria, &c. ad regimen & directionem animarum, ad divini Verbi Miniſterium non ſufficiunt. 17
Templum. Anima juſti templum Dei. 129. Templum Dei violant falſi Doctores. *ibid.* Quolibet peccato mortali Templum Dei violatus. *ibid.*
Tempus. Temporis ad ſalutem noſtram conceſſi bonus uſus. 94. & 148. Rebus temporalibus non inhærendum. 148. Tempus redimendum. 346
Tentatio. Pœna tentantium Deum. 158. Tentationes etiam graviſſimas ſuperare nemini impoſſibile eſt: Ad eas vincendas auxilium ſufficiens omnibus a Deo paratum. 159. Dei tentatio quam grave peccatum. 161. Tentatio humana & diabolica. 162. Miſericors Deus nos tentari non permittit ſupra id quod poſſumus. *ibid.*
Teſtamentum. Differentia veteris & novi teſtamenti, timor & amor. 53. Homines ad novum teſtamentum pertinentes non debent inhærere rebus terrenis. 204. Novi Teſtamenti promiſſionibus ad bonum excitari debemus. 243. Veteris & Novi Teſtamenti diſcrimen. 286
Timor, ſalutaris. 80
Traditio. Traditiones Apoſtolicæ. 164
Tribulatio. In rebus adverſis gaudere, & gloriari proprium eſt Chriſtiani. 31. Adverſitatum ſpiritualium utilitates. *ibid.* Peregrinari a Domino, magna juſtorum tribulatio. 88. Quantas tribulationes paſſus eſt Apoſtolus pro Chriſti nomine. 209. Eas alacriter ſuſtinere debemus quietis & felicitatis æternæ cauſa. 232. Gaudium juſtorum in tribulationibus. 248. Non deficiendum in iiſdem. 309. Opera Dei tribulationibus Miniſtrorum ejus ſæpe promoventur & firmantur. 330
Triſtitia, ſalutaris. 243. Quæ triſtitia ſecundum Deum? quæ triſtitia ſæculi? 245. Triſtitiæ ſecundum Deum, ſive ſinceræ Pœnitentiæ caracteres. 246
Tychicus, S. Pauli diſcipulus,

V

VErbum Dei. Solum Dei verbum prædicandum. 72. Quinque verba plebem Chriſtianam docere debent Paſtores & Concionatores. 188. A quibus adulteratur verbum Dei? 218. Sincere prædicandum, ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto, *ibid.*
Veritas. Carnales affectus, impedimenta contemplandæ veritatis. 127. Veritatis amor. 285
Via Dei. In via Dei cum fervore currendum. Timenda impedimenta, & cum Dei gratia removenda. 282
Vidua. Viduæ ſecundo nubentes magno quandoque pretio emunt miſeram ſervitutem. 44. Vidualis continentiæ ſtatus laudabilior matrimonio. 149
Vigilantia, Chriſtiana, metuſque ſalutaris. 157
Virginitas, ut melius bonum ſuadetur, non præcipitur. 143. Laus, excellentia, bonum ſanctæ Virginitatis. 145. 148. Virgines Chriſti non ſunt, quæ mundo aut ſibimetipſis amorem ſuum & ſolicitudinem ſuam devovent. 149. Bonum Matrimonium, melior & ſanctior virginitas. 149
Virtus. Qui in virtutis itinere non perſeverant, electorum profectibus ſerviunt. 156. Creſcere debemus in omni virtute per Chriſtum Jeſum. 314
Viſio. Viſiones, revelationes, extaſes deſiderare, temerarium: de illis gloriari, certum illuſionis argumentum eſt. 263
Viſitatio. Viſitationum officioſarum regulæ ab Eccleſiæ Miniſtris ſervandæ. 272
Vita, mala Chriſtianorum, dedecus eſt & opprobrium religionis. 18. Vitæ novitas neceſſaria ut reſurrectioni Chriſti conformemur. 37. Quæ ſit vita ſecundum carnem, quæ ſecundum ſpiritum? 51. Quid eſt ſecundum carnem vivere? 52. Carnalis vitæ mortificatio. *ibid.* Ad finem ultimum vitæ chriſtianæ ſtudiis omnibus tendendum eſt. 69. Vitæ Chriſtianæ innocentia. 94. Non nobis, ſed Deo vivere, & ad illius gloriam omnia opera noſtra referre debemus. 99. Nemo vivit in Chriſto Jeſu, niſi qui ipſi conformatur. 128. & 296. Vita Chriſtiana curſus eſt certamenque continuum. 156. Bona futuræ vitæ. 203. Non nobis ſed Chriſto vivere debemus. 237. Vita parvipendenda, niſi Chriſto fructuoſa ſit. 332. Credere in Chriſtum & pro Chriſto pati, ſumma vitæ Chriſtianæ. *ibid.* Omnes virtutes Chriſtiana vita complectitur. 345
Vitium. Vitia privatorum in familias & congregationes ſive Seculares, ſive Eccleſiaſticas & Religioſas non refundenda. 79. Vitia intemperantiæ, & incontinentiæ. 341
Unanimitas, & concordia Chriſtiana. 104. & 117
Unitas. Unitatis Chriſti capitis & membrorum ejus admirabile myſterium. 85. & 163. Unitatis Chriſtianæ Myſterium. 177. Caput & membra unus Chriſtus. 176. Unitas & invariabilitas, veræ Religionis & fidei caracteres; variatio caracter hæreſum. 213. Quod habet unus, habent omnes per unitatem & caritatem. 313
Vocatio, ad Eccleſiaſticum ſtatum & miniſterium neceſſaria & ſedulo examinanda. 8. & 350. Sola Dei vocatione Sacerdotium, cura animarum, ver-

Digitized by Google

verbi divini miniſterium ſuſcipienda ſunt. 216.
Gratis vocationis. ibid.
Voluntas. Dei voluntati agnoſcendæ & adimplendæ, ſtudere debemus quantum in nobis eſt. 84. Nihil boni in nobis eſt niſi per voluntatem Dei. 216. Voluntas noſtra divinæ voluntati conformanda in omnibus eſt. 207. Voluntas Dei una regula eſt vocationis ad ſacerdotium & ad regimen animarum. 211. Quomodo ſit examinandum quid ſit beneplacitum Deo. 320
Uxor. Uxor viro ſubdita ſit, ut vir legi. 43. Uxor marito ſerviat non ejus vitiis. 247. Uxor Chriſtiane non diligitur, niſi propter Deum diligatur. 248. Uxorum erga viros officia. 321. Horum erga uxores. ibid.

Z

Zelus, Paſtoris, & Concionatoris Apoſtolici. 346. Zeli paſtoralis caracteres. 69. Falſi zeli triplex origo. ibid. Zelus ſalutis animarum. 258

FINIS.

Digitized by Google

CATALOGUS LIBRORUM

IMPRESSORUM, ET PROSTANTIUM

APUD

THOMAM BETTINELLI

Bibliopola, & Typographus Venetus.

ALexandri (R. P. Natalis Ordinis FF. Prædicatorum) Hiſtoria Eccleſiaſtica V. N. Teſtam. cum Notis R. P. Conſtantini Roncaglia Lucenſis, Cong. Matris Dei. Quibus ac edunt, præter Animadverſiones a P. Jo. Dominico Manſi Cong. ejuſdem in ſecunda Lucenſi editione inſertas, aliæ inſuper ejuſdem Auctoris noviter elucubratæ, fol. Vol. 9. 1763.

----Theologia Dogmatica, & Moralis ſecundum Ordin. Catech. & Conc. Trident. 4. Vol. 4. & fol. T. 2.

----Expoſitio Litteralis, & Moralis Sancti Evangelii Jeſu Chriſti ſecundum 4. Evangelist. 4. Vol. 2. & fol. vol. 1.

----Commentarius Litteralis, & Moralis in Epiſtolas D. Pauli, & in VII. Epiſtolas Catholicas: continens etiam tractatum de Præceptis, & Regulis ad Prædicatores informandos 4. Vol. 3. & fol. vol. 1.

----Tract. de præceptis, & Regulis ad prædicatores 4.

---- Opera omnia in unum Corpus Collecta fol. volum. 14.

Antoine (P. Pauli Gabrielis S. J.) Theologia Moralis Univerſa cum Notis & Appendicibus P. Philippi de Carbonsano & Additiones P. Bonavent. Steidel Min. Convent. in 4. Vol. 4. 1766.

S. Antonini Archiep. Summa Theologica cum Obſervationibus, fol. Vol. 4. Veronæ.

Anacleti Reiffenſtuel Theologia Moralis cum Notis P. Manſi fol. vol. 1.

----Ejuſdem Jus Canonicum fol. vol. 6.

----Ejuſdem Theologia Moralis cum notis P. Flaviani Ricci a Cimbris. 4. Vol. 2.

S. Anſelmi Cant. Opera cum Notis PP. S. Mauri, fol. Vol. 2.

A Portu (Hippolitus) de Cultu Dei, & Hominum. 4.

S. Auguſtini Milleloquium Veritatis, ſive ejuſdem Sancti Doctrina in locos communes diſtributa, & alphabetico Ordine exhibita, fol. Vol. 2.

Ariſii (Franc.) Cremona litterata, Fol. Vol. 2. Parmæ 1702.

BEllarminus (Rob. Card. S. Jeſu) expl. in Pſalmos, fol.

Billuart (Caroli Renati) Curſus Theologicus juxta mentem Divi Thomæ Aquinatis fol. vol. 4.

Belmont (Dionſii) Theologia Moralis, 12. Vol. 5.

Boyvin (P. Joannis) Theologia, 12. Vol. 4.

Bajocenſi (P. Amadæi) Paulus Eccleſiaſtes, ſeu Eloquentia Chriſtiana, &c. 4.

S. Bernardini Senenſis opera omnia a P. Jo: de la Haye O. M. illuſtrata, fol. Vol. 5.

Barboſa (Auguſt.) Opera Omnia Juridica, Canonica, & Civilis, fol. Vol. 20. Lugdun.

Benedicti Papæ XIV. Opera Omnia in unum Corpus Collecta, fol. T. 15.

Boucat Theol. Patrum Dogmat. Scholaſt. Poſitiva 4. T. 8.

Berti (Jo: Laur. Erem. S. Auguſt.) Theologia Scholaſtica Dogmatica fol. Vol. 2.

Biblia Sacra ex Verſione Septuaginta Interpretum. Græc. 4. vol. 4. Figur.

Blanchini (Joſephi) Evangeliarium quadruplex latinæ verſionis antiquæ, ſeu veteris Italicæ, fol. Vol. 2. Romæ.

Bogdani (Petri) Cuneus Prophetarum de Chriſto, & ejus Evangelica Veritate, fol.

CAtalani (Petri S. J.) Theolog. Moralis, fol. Vol. 2. Editio ſecunda.

Cuniliati (P. Fulgentii Ord. Præd.) Theol. Moralis, quinta Editio, a mendis expurgata, admodum illuſtrata, pluribuſque acceſſionibus locupletata, 4. Vol. 2. 1769.

Calmet (P. Auguſtini) Prolegomena, & Differtat. in Sacram Scripturam, fol. Vol. 2.

----Ejuſdem Commentarius in Univerſam Sacram Script. fol. Vol. 9.

----Ejuſdem Dictionarium Biblicum, fol. Vol. 2.

Cavalieri (Joan. Mich.) Oper. omnia liturgica fol. Vol. 5.

a Cocaleo (P. Victor Ord. Capucc.) Tentamina Theol. 4. T. 2.

Ciantar de B. Paulo Apoſtolo in Melitam Naufragio ejecto Diſſertationes in Inſpectiones Anticritcas R. P. D. Ignatii Georgii, &c. 4. Fig.

Cabaſutii (Jo.) Theoria, & Praxis Juris Canonici, fol.

Cabrin (Joſeph) de Caſibus reſervatis, 4.

Clementis XI. Bullarium, fol. Romæ Carta Magna.

----Ejuſdem Epiſtolæ, & Brevia, fol. Vol. 2. Romæ Carta Magna.

Cypriani (S. Cæcilii) Opera omnia cum Notis; fol. 1758.

Chryſologi (S. Petri) Opera omnia, cum obſervat. Dominici Mitæ, ac Additionibus P. Sebaſt. Pauli, fol.

Conſtantini (Franc. Mariæ) Vota Deciſiva, fol. Vol. 6. Venetiis.

DRouen (P. Renati Ord. Præd.) De re Sacramentaria contra Hæreticos, cum Additionibus P. Patuzzi Ord. Præd. fol. Vol. 2.

Damaſceni (S. Joan.) Opera omnia Græc. Lat. fol. Vol. 2.

De Graſſis (D. Caroli) Tractatus de Effectibus Clericatus, fol.

De Nigris (Ant. Mariæ) de Vacatione Beneficiorum, & Penſionum Eccleſiaſticarum, fol. Romæ.

De opinione probabili rectoque illius uſu, 4. Lucæ.

S. EPhræm Syri, Opera omnia, quæ extant Græce, Syriace, Latine, interpretatione præfationibus Notis, variantibus Lectionibus illuſtrata, fol. Vol. 6. Romæ.

Euſebii (Pamphili) Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libri X. fol. Vol. 3. Auguſtæ Taurinorum.

FErrari (Fr. Joſeph Ant.) Ord. Min. Conv. Philoſophia peripatetica adverſus veteres, & recentiores præſertim Philoſophos. Editio tertia, a mendis expurgata, & ab Auctore locupletata, 4. Vol. 3. Fig. 1769.

----Ejuſdem veteris, & recentioris Philoſophiæ Dogmata ſubtiliſſum Principis Doctrinis accommodata, 12. Vol. 3. Editio 2. ab Auctore locupletata 1768. fig.

----(Philippi Ord. Servorum) Novum Lexicum Geographicum cum additionibus Michaelis Antonii Baudrand. fol. Vol. 2.

Finetti (Jo. Franc.) de Principiis Juris Naturæ, & Gentium adverſus Hobbeſium, Puſendorfium, Thomaſium, Wolfium, & alios, libri XII. 4. Vol. 2. 1765.

Fontanini (M. Juſti) Codex Conſtitutionum, quas Summi Pontifices ediderunt in Solemni Canonizatione Sanctorum a Joanne XV. ad Benedictum XIII. fol. Romæ.

----Ejuſdem de S. Petro Urſeolo Diſſertatio, 4. Romæ

----Ejuſdem de Corpore S. Auguſtini, 4. Romæ.

----Ejuſdem, Diſcus Argenteus, Votivus veterum Chriſtianorum, 4. Romæ.

Ferraris (P. Lucii) Prompta Bibliotheca fol. T. 8. Editio poſtrema locupletata 1766.

Francolini (Balthaſſaris) Tirocinium Theologicum, 12.

Fabri (Antonii) Codex Fabrianus definitionum Forenſium, & Rerum in Sacro Sabaudiæ Senatu & fol. Vol. 2. Coloniæ Allobrog. 1765.

GRandi (P. Bonifacii) Curſus Theologicus, in quo exiſtunt principales Theologici Tractatus juxta mentem D. Thomæ Aquinatis, fol. Vol. 3.

Graveſon (Fr. Ignatii Hiacynthi) Hiſtoria Eccleſiaſtica variis colloquiis digeſta, 4. Vol. 2.

---- Ejuſdem Hiſtoria Veteris Teſtamenti, 4.

---- Ejuſdem Tractatus de Vita, Myſteriis, & annis Chriſti, 4.

Gradonici (Jo: Hieronymi C. R.) Pontificum Brixianorum ſeries Commentario Hiſtorico illuſtrata, ſeu Brixia Sacra, 4.

Gibert, Corpus Juris Canonici, per regulas naturali ordine digeſtas, fol. Vol. 3. Genevæ.

Georgii (Dominici) de Monogrammate Chriſti Domini, Diſſertatio &c. 4. Romæ.

Garzia (D. Nicolai) Synopſis, ſeu Recollectio, & Elucidarium Sacri Libri Geneſis, fol.

Gradi (Petri Mariæ Auguſtiniani) de ortu ac progreſſu Hæreſum Jo: Wicleſi in Anglia Presbyteri Narratio Hiſtorica, fol.

de Gabrielis (D. Auguſtini a Coneglano) Theologia Moralis nova methodo concinnata. 4. Vol. 1.

Grotius (Hugo) de Jure Belli, ac Pacis cum Barbeyracii, & Samuelis Cocceii &c. 4. Vol. 5.

Gravinæ (Jo: Vincentii) Orationes; nec non Opuſcula, 8.

Giannettaſii (Parthenii S. J.) Opera omnia, 4. magno, Vol. 5. Neapoli.

HUetii (Petri Danielis) Demonſtratio Evangelica, 4. Vol. 2.

Henno (P. Pauli Hieronymi) Medulla recens ad mentem P. P. Salmanticenſium, 4. Vol. 2.

Her-

Digitized by Google

Hermannier (Nicolai) Summa Theologiæ ad uſum Scholæ accommodata, 4. Vol. 9.

JUvenin, (Gaſpari) Commentarius Hiſtoricus, & Dogmaticus de Sacramentis in Genere, & in Specie, fol. 1740. Editio aucta.
- - - - Ejuſdem, Inſtitutiones Theologicæ ad uſum Seminariorum cum Animadverſionibus, noviter elucubratæ, 12. Vol. 7.
- - - - Ejuſdem Theologia in Compendium redacta in uſum Examinandorum. 12.
S. Juſtini Opera omnia, opera & ſtudio unius ex Monachis Coogreg. S. Mauri Gr. Lat. &c. fol.
Juſta (Vincentii de) Tractatus de Diſpenſationibus Matrimonialibus, fol.

LOrini (Jo:) Commentarium in Lib. Pſalmorum, fol. Vol. 4.
Leſſii (P. Leonardi S. J. de Juſtitia & Jure, fol.
- - - - Ejuſdem Opuſculum Aſceticum, quinquaginta Conſiderat. de quinquaginta Nominibus Dei, in tres Libellos, Viæ Purgetivæ, Illuminativæ, & Unitivæ diſtributum. Editio Nona, 12.
Lopez (Joſephi) Lucerna Myſtica pro directoribus, 4.
Leotardi (Honorati) de Uſuris, & Contractibus Uſurariis &c. cum Additionibus P. Zech Soc. Jeſu, fol. 1762.
S. Leonis Magni Opera omnia, cum Addit. &c. cum Sermonibus, & Homiliis S. Maxim. Epiſcopi. fol. Volum. 2.
Lancelotti (Jo: Pauli) Inſtitutiones Juris Canonici, de Mandato Pauli IV. Papæ, in fol.
B. Lanfranci Ord. S. Benedicti Opera omnia, fol.
de Ligorio (Alphonſi) Theologia Moralis, cum Addit. fol. Vol. 2.
Legeri (P. Aloyſii O. P.) de Simeone Chriſtum in Ulnas ſuas excipiente. Diſſertatio Hiſtorico-Critica, &c. 8.
Lohner (Tobiæ) Inſtructio Practica Theologiæ Myſticæ, 8.

MOretti, (Petri Mariæ) Tribunal Conſcientiæ, ſive Moralis Theologiæ Caſus ſelectiores propoſiti, & reſoluti, 12. Vol. 4.
Martinez, (P. Nicolai Soc. J.) de Scientia Dei, Controverſiæ Scholaſticæ, 4.
Merz (P. Philippi) Theſaurus Biblicus locupletiſſimus, 4.
Menochi (Joan. Steph. S. J.) Commentarii totius Sacræ Scripturæ, fol. Vol. 2.
Marcantonelli (P. Seraphini Ord. Præd.) Exercitationes Theologico-Morales in Cenſuras & Caſus, 4. Brixiæ.
Martene (P. Edmundi) De Antiquis Eccleſiæ Ritibus Libri tres, fol. Vol. 4. Venet. 1764.
Maſtrio (P. Bartholomæi) Theologia Moralis, fol.

NEspolis (Caroli) Anaptyxis ad Faſtos Ovidianos cum Additamentis Jo. Fabri, & Paleſii Petavini in uſum Regii Nobilium Collegii Borbonici, fol. Panormi.

ORsi (F. Joſephi Auguſt. Ord. Præd.) de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti Vindiciæ Diſſertationis &c. 4. Florentiæ.
Origenis Opera omnia, fol. Vol. 3.
Orlendi (P. Franciſci Ord. Præd.) Orbis Sacer & Profanus illuſtratus, fol. Vol. 4. Florentiæ.
Oinotomi (Jo:) in quatuor Inſtitut. Imperialium cum Addition. fol.

PEtavii (P. Dionyſii) Doctrina Temporum, cum Notis Harduini, fol. Vol. 3.
- - - - Opus de Theologicis Dogmatibus, fol. Vol. 7.
Piccoli (Clementis) Summa Theologiæ Moralis, 12. Vol. 2.
Pontas Dictionarium Caſuum Conſcientiæ, cum Supplemento Lamet, & Fromageau, fol. Vol. 5.
- - - - Ejuſdem Dictionarium Manuale Caſuum Conſcientiæ Pontas, de Lamet, ac Fromageau, 4. Vol. 2.
Palanci (Franciſci) Dialogus Phyſico-Theologicus contra Philoſophiæ Novatores, 8. Mediol.
Pineda de (Joannis Soc. Jeſu) Commentarium in Job, fol. T. 2.
Pellegrini (Caroli) Praxis Vicariorum, fol.
Perracta (Seraphini Cappoui a) Comment. in Pſalterium Davidicum, fol. Vol. 4. Bononiæ.
Parthenotimi (Candidi) de Pietate in Deiparam amplificanda, 4. Panormi.
Paſſeri (Stefani) de Sylvano Interdicto, fol.
Pontificalis Ritus pro Parvulorum, & Adultorum Baptiſmi, ac Confirmationis Sacramento, fol. magnus Romæ.
Portu (Hypolyti a) de Cultu Dei, & Hominum, 4.
Piſani (Laurentii M.) in Propoſitiones damnatas, 4.
Paciaudi (Pauli Cl. Reg.) de Sacris Chriſtianorum Balneis Liber ſingularis, 4.
Plazza (P. Benedicti S. J.) Diſſertatio Biblico-Phyſica de Litterali Proprio Sacræ Scripturæ ſenſu. 4.
Paninole (Cæſaris) Deciſiones Morales, Civiles, & Criminales, fol.
Pontederæ (Julii) Antiquitatum Latinarum, Græcarumque enarrationes, atque emendationes, 4. cum Fig. Patavii.

QUerini (Card. Angeli Mariæ) de Dyptycho Brixiano, fol.

Quintiis (Camilli Eucherii de) Inarime, ſeu de Balneis Pithecuſarum Libri VI. 4. Neapoli.

RAynaldi (Jo: Domin.) Vota. Opus Poſthumum, fol. Romæ.
S. Rotæ Romanæ, Deciſiones Recentiores in Compendium redactæ, fol. Vol. 6.
Raymundi (de Penafort S.) Summa, fol. Veronæ.
Roccaberti (Jo: Thomæ) Bibliotheca Pontificia, fol. Vol. 21. Romæ.
Roviti (Scipionis) Conſiliorum, ſeu Juris Reſponſorum, cum deciſionibus, & Obſervationibus Blaſii Altimari &c. fol. Vol. 3.
Riganti (Joannis Bapt.) Commentaria in Regulas, Conſtitutiones, & Ordinationes Cancellariæ Apoſtolicæ, fol. Vol. 4. Colloniæ Allobrog. 1751.

SAngalli (Julii Antonii Min. Conv.) de Subſtantiali Mutatione, &c. 8.
- - - - Ejuſdem Socrates, & Phædrus ΔΙΑ'ΛΟΓΟΣ de Mutatione Subſtantiali Peripatetica aſſerta, &c. 8.
Struggl (P. Marci Ord. Ser.) Theologia Moralis juxta Sacros Canones, probatos Auctores, Summorum Pontificum Decreta, nec non Canonicam Moralemque Doctrinam, quæ in præclaris Operibus Benedicti XIV. elucet. Editio ſecunda, fol. Vol. 2.
Sandi (Jo. Baptiſtæ Epiſc.) Diſſertationes Dogmaticæ de Ss. Trinitate, & de Incarnatione D. N. J. C. 4.
Salmaticenſis Collegii Compend. Theologiæ Scholaſticæ, fol. Vol. 4. Parmæ.
Schnorrenberg (D. Annonii) Inſtitutiones Juris Canonici, 4. Vol. 2. Coloniæ.
Simancæ (Jacobi) Inſtitutiones Catholicæ, fol. Ferrariæ.
Suarez (Franc.) Comment. in tertiam partem D. Thomæ de Miſteriis Vitæ Chriſti, fol.
Souſa (Emmen. Cajet.) Expeditio Hiſpanica Apoſtoli S. Jacobi Majoris aſſerta, & ex S. Paulo Apoſtolo confirmata, fol. Vol. 2.
Summa Goffredi in Titulos Decretalium, 4.
Spondani (Henrici) Annalium Eccleſiaſticorum Eminent. Cardin. Baronii Continuatio ab Anno 1197. ad finem 1646. fol. Vol. 3.
Sfondrati (Cœleſtini Card.) Nodus Prædeſtinationis, ex SS. Litteris, Doctrinaque SS. Auguſtini, & Thomæ, quantum homini licet, diſſolutus, 4.
Scotti (Joann.) Dies Sacra per loca Sacræ Scripturæ progrediens, 12. Vol. 2.
Spadæ (Jo: Baptiſtæ) Conſilia Juridica cum Notis, fol. Vol. 3.
Santinelli (Staniſlai Cong. Somaſchæ) Diſſertationes, Epiſtolæ, & Carmina, 4.
Scarella (Jo: Baptiſtæ Cler. Reg.) Phyſicæ Generalis Methodo Mathematica tractatæ, 4. Vol. 3.

TAcquet (Andreæ S. J.) Elementa Geometriæ, &c. a *Gulielmo Whiſton* illuſtrata, cum Additionibus Boſcovich Grandi, & Annotationibus Camerti, 8. Vol. 2. Romæ.
- - - - Ejuſdem Aritmeticæ Theoria, & Praxis, cum Additionibus Nicolai de Martino, 8.
Tabula Hiſtorico-Chronologica, ſeu totius Sacræ, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Chronicon breviſſimum, ab initio Mundi uſque ad Annum Chriſti 1750. 4. Perufiæ 1750.
Taccini (P. Vincentio) Compendioſa Declaratio Regularum Juris Canonici in Sexto, utrique Foro inſerviens, & pro reſolutione multorum Caſuum Conſcientiæ, 12.
Tertulliani (Q. Septimii Florentis) Opera, cum Havercampi Comment. in Apologeticum, fol. Vol. 2.
Tournefortii (Joſephi Pitton) Inſtitutiones Rei Herbariæ, 4. Vol. 3. cum Fig. Pariſiis.
Trithemy (Joan.) Annalium Hirſaugienſium, fol. Vol 2.
Theologiæ Scholaſticæ, Scholaſticis Prælectionibus accomodatæ, 4. Vol. 4. Brixiæ.
Theologicæ Inſtitutiones Antiquorum Patrum, 8. Vol. 3.
Thomæ Aquinatis (D) Summa Theologica cum Notis, fol. Vol. 3. Lugd.
Tonti (P. Hyacinti) de Rerum Creatione, 4. Patavii.
Tractatus de Eccleſiæ Sediſque Apoſtolicæ in Dogmaticis ſuis Decretis Auctoritate, 12.
S. Thomæ a Villanova, Opera omnia, fol.

VErde (Franc.) Inſtitutionum Canonicarum &c. fol. Vol. 2. Neap.
Valerii (C. Octavii) de ſuperſtitioſa timiditate vitanda, ſeu Vindiciæ pro Immaculata Conceptione Deiparæ adverſum Muratorium, 4. Tridenti.
Valenzuela (P. Gabrielis de) Novum univerſæ Moralis Theologiæ Compendium 12.
Voet (Johannis) Commentarius ad Pandectas, fol. Vol. 2. Coloniæ Allobrogum. 1757.
Voit (P. Edmundo S. J.) Theologia Moralis. Editio prima Italica poſt ſex Germanicas accuratior, 8. Vol. 2. Venetiis 1766.
a Vicentia (P. Gab. Ang. Ordin. Min. Reformat.) de Privilegiis Regularium, 4. 1768.
Walchi (Jo: Georg.) Hiſtoria Critica Latinæ Linguæ. 12.
Vaillant (Joan.) Numiſmata Imperatorum, 4. Vol. 3. cum Fig. Romæ.

ZAcchiæ (Pauli) Quæſtiones Medico Legales, fol. Vol. 3.
Zuffi (Joann. J. C.) Tractatus de Criminalis Proceſſus Legitimatione, cum Sacræ Rotæ Deciſionibus recentiſſimis, fol. Genevæ 1751.

39 Sa 102

Digitized by Google